BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
V.
E
17
NAPOLI

V C 17

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTE
Vittorio

Digitized by Google

CODEX

DIPLOMATICO-HISTORICO-EPISTOLARIS,

Quo Diplomata, Chartæ, Epiſtolæ, Fragmenta Opuſculorum, Epitaphia, & alia id genus vetera monumenta Pontificum Rom. Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Imperatorum, Regum, Marchionum, Ducum, Comitum, aliorumque Illuſtrium Virorum a Seculo Chriſti Quinto uſque ad Decimum ferè Sextum continentur, totiusque pene Europæ hiſtoria illuſtratur.

PRODEUNT NUNC OMNIA PRIMUM
TUM IUNCTIM CUM RELIQUIS

THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI

TOMIS,

QUORUM HIC SEXTUS EST,

TUM ETIAM SEPARATIM

EX DIVERSARUM BIBLIOTHECARUM MSS. CODD.
ET ARCHIVORUM MEMBRANIS,

OPERA ET STUDIO

R. P. BERNARDI PEZ,
BENEDICTINI & BIBLIOTHECARII MELLICENSIS,
ET
PHILIBERTI HUEBER,
DUM VIVERET, ARCHIVARII ITIDEM MELLIC.

AUGUSTÆ VIND. & GRÆCII,
Sumptibus FRATRUM VEITHIORUM
ANNO MDCCXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD

REVERENDISSIMUM, PERILLUSTREM, AC AMPLISSIMUM DOMINUM, *DOMINUM* FRANCISCUM, ANTONIUM, JOSEPHUM, PETRUM *DE* PALLINGEN,

ECCLESIÆ EISGARNENSIS IN AUSTRIA PRÆPOSITUM ET PRÆLATUM,

SAC. CÆSAREÆ REGIÆQUE CATHOLICÆ MAIESTATIS CONSILIARIUM, &c.

IN SEXTUM THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI TOMUM

PRÆFATIO.

Digitized by Google

REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS, AC AMPLISSIME DOMINE, DOMINE PRÆSUL!

Dlu iam eſt, Perilluſtris Domine, quòd *Sexti Voluminis Theſauri mei Anecdotorum Noviſſimi* editionem non urgeas modò, ſed etiam, idque pro iure maximo in me tuo, exigas ac efflagites. Cùm enim ex amicorum ſermonibus intellexiſſes, id haud alia complexurum eſſe, quàm ea, quorum dudum cum eruditis ac doctis omnibus dudum cupidiſſimus es, Diplomata, inquam, vetera Pontificum Romanorum, Imperatorum, Regum ac Ducum, Epiſtolas magnorum olim in Eccleſia, Réque publica Virorum, breviuſcula antiquorum Scriptorum Opuſcula, & id genus alia, nullos ſtimulos ſatis eſſe putabas, quibus ad accelerandum & maturandum Opus identidem incitarer. Nec ego tuis, Reverendiſſime ac Eruditiſſime Præſul, votis defuiſſem, niſi haud expectatum in Galliam iter, quod cum Illuſtriſſimo ac Excellentiſſimo Domino Ludovico Philippo Comite de Sinzendorf, Sacratiſſimæ Cæſareæ Maieſtatis Cancellario, Muſarum Statore Maximo, Auguſtam Sueſſionum, Pariſiosque, anno proximo ſuſcipiendum erat, utut contendenti obſtitiſſet. Quæ tamen mora tibi haud moleſta eſſe potuit, utpote qui neutiquam dubitares, quin illud meum diverticulum in totius noſtræ rei Litterariæ ſummam olim non parùm proficeret. Qua in re te nequaquam falſum fuiſſe, brevi *Sinzendorfiana* mea, quæ nunc prelo deſtino, te edocebunt. Porrò nunc dulci patriæ

Digitized by Google

patriæ redditus, quid primum exſequar, niſi cuius publicè data fide dudum teneor? Accipe igitur, Reverendiſſime Antiſtes, hæc canæ antiquitatis, potiſſimùm Sacræ, monumenta, non equidem ùt Mæcenas, ſed ùt Cenſor acerrimus, cuius acuto iudicio ſtet, ſintne ea digna, quæ Sacratiſſimos Cæſareæ Maieſtatis oculos cum reliquis huius Collectionis meæ Tomis ſubeant, nec ne. Si ſtylum & genus orationis, quo omnia *ſi Guarini Veronenſis ad Leonellum Principem Eſtenſem* & *Franciſci Barbari* epiſtolas, politas illas quidem ac elegantes, pauculáque alia excipias, confecta ſunt, tantummodo reſpicias, ea mox ad triſtes umbras relegabis. Horridulæ hæ noſtræ Muſæ ſunt, Barbarorum lacinijs malè tectæ, mutilæ, ſartaginem ſtrident, immò infantes ſunt. At ſi pro more tuo pondus potiùs rerum & ſolidam venerandæ antiquitatis cognitionem, morum candorem, & doctrinæ robur, quàm inanem verborum ſtrepitum ſpectes, hæc priſcæ pietatis & ultimùm luctantis Litteraturæ rudera forte non indigna iudicabis, quæ vel Auguſta Maximi Cæſaris purpura conveſtiantur pro tegantúrque. Sed quoniam hic locus tritus admodum eſt, vulgóque conſtat, eos iure merito pueris aut ſummùm pædotribis accenſendos eſſe, qui veterum monumentorum pretium in ſolo orationis flore ac lenocinijs verborum ſitum eſſe putant, ad ea, quæ rem præſentem propiùs ſpectant, accedam.

Habes hic, Ampliſſime Domine, ingentem Diplomatum, chartarum, epiſtolarumque ſylvam, ex qua totius ferè Europæ hiſtoria a viris diligentibus & artis ſuæ probè gnaris egregiè ornari illuſtrarique poterit. Nihil ultra meritum augeo. Nihil ſpondet inſcriptio, quod in Opere deſideretur. Conſule paginas ſingulas: pauciſſimæ immò vix ullæ ſunt, quæ non quidpiam, quo vel veterum ritus, iura, diſciplina, res præclarè geſtæ, merita de Eccleſia Republicáque, aut litterarum ſtudia Nobiliumque familiarum origines ampliùs illuſtrentur, contineant. In huiusmodi Collectionibus, hactenus a viris eruditis in lucem editis, nihil aut certè perpauca reperias, quæ ultra luculentiorum extantiorúmque Regnorum limites progrediuntur. At hìc etiam Hungaria, Croatia, Dalmatia, Sclavonia, Iſtria, Polonia, Moſcovia ſeu Ruthenia, aliæque a curis eruditorum remotiores Provinciæ habent, unde ampliorem lucem mutuentur. Quàm volupe tibi fuerit hìc videre integras veluti hiſtorias, eáſque Diplomaticas & epiſtolares, id eſt: ſinceriſſimas plurium celeberrimorum Monaſteriorum, Parthenonum & Eccleſiarum, *Sanctæ Juſtinæ Patavinæ*, inquam, *Werdæ Cæſaris*, *Clauſtroneoburgenſis*, *Sanctæ Crucis*, *Scotorum Viennæ*, *Monſeenſis*, *Erlabenſis*, *Tegernſeenſis*, *Goravienſis* &c.? Quàm iucundum accidet tot Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Abbatum voces in eorum litteris poſt tot ſecula veluti audire? Ex primorum numero ſunt *Vdalricus Patriarcha Aquilegienſis*, *Henricus Magdeburgenſis*, *Arno*, *Conradus I.* & *Eberhardus Salzburgenſes*, *alijque*. Secundis accenſeas *Ratherium Veronenſem*, *Erchambertum Friſingenſem*, *Severum Pi-*

genſem, *Othonem* & *Eberhardum Bambergenſes*, *Brunonem*, *Argentinenſem*, *Wernhardum Patavienſem* cùm alijs quàm plurimis. Agmen iſtud claudunt pietate ac doctrina nobiles Celeberrimi Monaſterij *Tegernſeenſis* (cui Codex noſter plurimum debet) Abbates *Gozpertus*, *Godehardus*, *Eberhardus*, *Peringerus*, *Ellingerus*, *Udalricus*, *Seifridus*, *Conradus I.* & *Magnus ille Rupertus*, *Berno Augienſis*, *Benedictus Scoto-Ratisbonenſis*, Celeberrimus *Gerhohus Reicherſpergenſis*, *Otto Raittenbuchenſis* alijque nequaquam pauci, quóſque hic omnes recenſere longum ſit. Quantum, tibi Doctiſſime Domine, delectationis afferent tot Papatum hactenus, ineditæ epiſtolæ ac Bullæ, *Urbani II*, dico, *Paſchalis II. Innocentij II.* ac *Alexandri III.* eiúſque in Sede Apoſtolica ferè uſque ad Seculi XV. calcem ſucceſſorum? Quantùm tuum religioſum animum capient tot pro ſacroſanctis DEI Eccleſijs Præcepta & Diplomata, quæ Auguſtiſſimi Cæſares *Henricus II. Henricus III.* & *IV. Conradus III. Fridericus I.* & *II. Rudolphus I. Fridericus III.* pluresque alij religiosè, clementer, liberaliterque condiderunt? Nihil hìc commemoro de Regibus *Bohemiæ*, de Ducibus *Baioariæ* ac *Auſtriæ*, nihil de Marchionibus *Stiriæ* & *Moraviæ*, nihil denique de innumeris Comitibus, quorum aut munificentia aut alijs ſtrenuè geſtis rebus ſingulæ propè Codicis noſtri paginæ repletæ ac ornatæ ſunt.

Sed ne te, Perilluſtris Præſul, vaga quadam declamatione diutiùs teneam, lubet nunc volumen propiùs accuratiuſque inſpicere, ac pro more eorum, qui huiusmodi monumenta publici iuris faciunt, nonnulla obſervare, ex quibus uberius conſtet, quàm latè patere poſſit uſus iſtarum ſacræ Antiquitatis reliquiarum, ſi quidem ad eas non deſultoriè, qui quorundam mos eſt, ſed vacuo & bonorum librorum lectione præparato animo accedatur.

Parte I. col. 3. extat Charta Donationis, ab *Opilione Patricio Romanorum* factæ, *Eccleſiæ S. Juſtinæ de Padua*, qua nulla antiquior apud Mabillonium in Opere *de Re Diplomatica* occurrit, ſi quidem is *Opilio* ſit, qui anno Chriſti CCCCLIII. cum *Vincomalo* Conſulatum geſſit, ùt equidem ſibi perſuaſum habet *Jacobus Cavacius Hiſtoriarum Cœnobij D. Juſtinæ Patavinæ Lib. I. pag. 16.* ſecundæ edit. Sed obſtat non parùm fidei ac ſinceritati hujus antiquiſſimæ tabulæ iniecta mentio *Conſtantini Pijſſimi Auguſti*, *a DEO coronati*, *Pacifici*, *Magni Imperatoris*, quo nomine nullus Imperator in ætatem *Opilionis*, qui Conſulatum prædicto anno geſſerit, poteſt incidere. Itaque, ut ſua huic monumento fides conſtet, aliunde uberior lux expectanda eſt.

A *col.* 16. habes veruſtiſſimas Traditionum *Monſeenſis*, olim in Boiaria, nunc in Auſtria Monaſterij, chartas, quas ex noni ſeculi Codice exſcripſi, communicato mecum ab Adm. Reverendo ac doctiſſimo

Digitized by Google

dtiſſimò Viro P. *Honorio Khobalter*, eius loci Archivario. Porro non omnes inde veteres chartas exprompſi, ſed eas duntaxat, quæ ad reſtituendos Epiſcoporum & Abbatum catalogos ad Ducum & Comitum Boiariæ memoriam ſervandam, aut denique ad illuſtrandos veteres ritus, iura, pagos, mediiqúe ævi Geographiam aliquid conferre videbantur. Hoc enim unô nomine huiuſmodi chartæ, utut alias ferreæ ac plumbeæ, apud eruditos viros maximo in pretio ſunt. Illud etiam in his Monſeenſibus chartis præcipuum eſt, quòd pleræque notis Chronicis ſeu *Datis* inſignitæ ſint, unde *Utilonis* & *Taſſilonis*, magnorum Boiariæ Ducum, anni ſtabiliantur: quo in genere Adm. R. & Eruditiſſimus P. *Carolus Meichelbeckius* in *Hiſtoria Friſingenſi* magna cum laude nuper verſatus eſt.

Col. 73. notatu digna comparet epiſtola *Caroli Magni ad Fuldadum* Abbatem *Altahenſem*, cui præcipit, ut cum hominibus ſuis, probe armatus, *in loco, qui dicitur Staraſurt*, ſibi occurrat. Ex qua non ſolum emendatur *Mabillonius*, qui Monaſterium *Altahenſe* ex eorum numero excluſit, quæ Regibus *dona ſimul & militiam debebant*, ſed etiam diſcimus, qualis ille apparatus bellicus *Francorum* & *Germanorum* fuerit, qui in caſtris Regijs militabant, aut in hoſtem proficiſcebantur, *ſcutum*, ſcilicet, & *lancea*, & *ſpatha*, & *ſemiſpatha*, *arcus* & *pharetræ cum ſagittis*, & *in carris utenſilia diverſi generis*, *id eſt*, *cuniada* & *dolatoria*, *tarratres*, *aſſiæ*, *foſorij*, *pala ferrea* &c. Quem locum ijs amplius ediſſerendum relinquimus, qui novam *Cangiani Gloſſarij* vocabulorum mediæ ac infimæ Latinitatis editionem in ſe ſuſceperunt.

Meritò queritur Cl. *Meichelbeckius Tom. I. Hiſtoriæ Friſing.* pag. 93. nullam *Riſpacenſis* ſeu *Reiſpacenſis* Synodi, ſub initium IX. Seculi in Boiaria celebratæ mentionem apud *Arenbekium*, *Hundium*, *Brunnerum* & *Adelzreitterum* reperiri, ſimúlque Hiſtoriographum Salzburgenſem notat, qui ei interfuiſſe neget *Arnonem*, Provinciæ Salzburgenſis Metropolitam. Hæc enim omnia certiſſima deinceps erunt ex ipſius Arnonis epiſtola encyclica *Col.* 74. quæ ſuæ Provinciæ Epiſcopos & Abbates *ad exercendam Synodalem conlocutionem ad Riſpach die inchoante XIII. Kal. Sept.* invitat.

Qualis fuerit Seculo IX. Epiſcoporum cura & cautela, ne ſpuriæ ac ſuppoſititiæ Sanctorum reliquiæ fidelibus obtruderentur, intelligimus ex epiſtola *Erchanberti Epiſcopi Friſingenſis Col.* 76. Is enim, cùm fama eſſet, *S. Bartholomæi Ap.* & *aliorum Sanctorum corpora* a quodam *Felice* in Boiariam allata eſſe, prudenterque metueret, ne quis fraus piorum religioni illuderet, ſuis *triduanum ieiunium* indixit, *ut abſtineatis vos*, inquit, *a vino* & *carne*, & *medo* & *meliſcadis*, *cerviſia*, & *de lacte* & *ovo*, & *ſequimini crucem ad horam nonam* &c. Quæ ſimul

mul egregiè docent, quantum noſtra ieiunia a maiorum noſtrorum ieiunijs diſtent. Sed non animo novandi hæc obſervamus.

Wolfhardus, cuius *Præfationes in plura volumina Vitarum Sanctorum*, in diverſis Germaniæ Bibliothecis extantia, *Col.* 90. exhibeo, ſine dubio ille Presbyter *Haſenriedanus* eſt, qui *Vitam S. Walpurgæ Libris IV.* complexus fuit. Maioris illius Operis nemo hactenus Nomenclatorum Scriptorum Eccleſiaſticorum meminit.

Col. 110. *Wigonis* Decani & Monachi, hactenus omnibus incogniti epiſtolæ exordia & progreſſus aliàs obſcuriſſimi in media Germania Monaſterij *Phyuhtwangenſis* Ord. S. Bened. mirificè illuſtrant. Eius ſolum penè nomen *Mabillonius* hauſit ex vetuſto *Necrologio Augienſi*, quod integrum ſequenti volumine publicabo. *Idem tamen* Monaſterium, quæ verba *Franciſci Petri* in *Suevia Eccleſiaſtica* ſunt, *iam dudum, fortiter urgente Principe terræ, Acatholicum, & meriſſimè Lutheranizatum: de quo proin Feuchtwangenſi Collegio quicquam hîc referre, obſiſtente hæreſi, non habemus præter inane nomen illius ab Abbate Stengelio citati cap. 5. fol. 12. taliter annotatum: Eccleſia Collegiata B. Mariæ Virginis in Feuchtwang oppido Marchionatus Brandenburgici nunc Lutherana.* Quæ cum ita ſint, præſenti loci facie longè ſplendidior & melior illa ſub initium fuit, quam his coloribus *Wigo* ad *Liutoldum Epiſc. Auguſtanum Col.* 112. deſcribit: *Illam incommoditatem importunè ſuſtinemus, cùm DEI miniſterio Eccleſiæ congreganur, quòd conglobatarum avium garritus cantando ſuperare nequimus: quòd undique pennigero volatu invehuntur patulis feneſtris, & quando nivoſo proſternimur pavimento, ex omni parte nive afflati, cœnoſi volutamur. Sed tamen communiter degentes hæc opportunè tolleraremus, ſi Dominicum altare a ninguine defendere poſſemus. Accenſæ candelæ, flamine ventorum turbatæ, multùm lacrimantes extinguuntur &c.*

Plenæ bonæ frugis ſunt epiſtolæ *Gozperti*, exeunte ferè Seculo X. Abbatis *Tegernſeenſis*, quarum quarta, quinta & ſexta *Col.* 123. & 124. inſcriptæ ſunt *Meginhelmo, Famoſiſſimo Comiti, ſummæ nobilitatis proſapia progenito*, cui familiam Tegernſeenſem, *in Oriente* gravi fame laborantem, his verbis commendat: *Petimus, ut nobis aperiatis manum ſolita largitionis veſtræ, & iubeatis nobis dari aliquantulum frumenti ob elemoſynam Veſtri in victum eorum in Regione Orientali, qua vos dominamini, ne fame penitus eos & inedia conſummari vel mori videamus.* Quo loco *Orientem* & *Regionem Orientalem* eſſe *Auſtriam*, in qua hodiéque quædam prædia iuris Tegernſeenſis ſunt, clariſſimè conſtat ex ijs, quæ de veteri Auſtriæ nomenclatione diffuſius diſputat Reverendus Frater in *Diſſertationibus prævijs ad Tomum I. Scriptorum Rerum Auſtriacarum.* Et tamen de hoc *famoſiſſimo* Comite, qui olim in Auſtria *dominabatur*, altum, quod ego quidem ſciam, in vetuſtis noſtris Annalibus ſilentium.

Cœnum

Cœnum sine dubio & merum *stramen* indoctis ac furiosis videbitur cuiusdam *Thietpaldi ad S. Adalbertum Ep. Pragensem* Martyrem epistola *Col.* 131. Inde tamen eruditissimi *Bollandiani*, amici nostri, admittere cogentur, quod pluribus præstantibus Scriptoribus se apertè ac affirmatè dare non posse hactenus censuerunt. Quæstio est, utrum S. Adalbertus *Roberto* Archiepiscopo in sede *Gnesnensi* re vera successerit, ùt post *Joannem Dlugossum Longinum* passim tradunt Historici Poloni. Non audent id asserere Cll. PP. *Bollandiani Tom. III. April. pag.* 174. *Silent*, inquiunt, *antiquiora Acta. Potuit saltem munia Episcopalia ibidem exercuisse, dum iter in Prussiam pararet: & sic honoris causâ inter dictæ Sedis Episcopos censeri.* Ast vel sola salutatio epistolæ, à *Thietpaldo* ad *Adelbertum* datæ, *Longino* eiusque sequacibus palmam adiudicat. En illam: *Divini fluentis rore madenti, Sanctæ Prussiensis Ecclesiæ Cathedræ præsidenti Adalperto, unicæ sibi dilectionis Episcopo Thietpaldus, spiritu pauperum etsi extimus, aspersionem sanguinis Christi, & quicquid illud est, quod egregius prædicator cum Christo in DEO absconditum esse testatur &c.* Quæ verba de nullius alterius Ecclesiæ *Cathedra*, nisi de *Gnesnensis*, accipi posse, ipsi Viri candidissimi, cum quibus nunc ago, ultrò fatebuntur.

Gravioris argumenti sunt epistolæ *Bernonis*, celebris Abbatis *Augiensis*, præsertim numero XI. *Col.* 214. ubi errores *Joannis Cassiani* circa liberum arbitrium ex *Cassiodoro & Prospero* latè exponit, & *Cassianum virum licèt in aliis probatum, in hac parte iure culpatum* fuisse concludit. Ut adeò hinc facilè colligas, Monachos auctoritate *Cassiani* non usque eò motos fuisse, ut ex eius *Collationibus*, quas perpetuò in manibus habebant, unà cum sanæ doctrinæ lacte etiam Pelagianos aut Semipelagianos errores vulgò imbiberent, quod nuper Vir aliàs Celeberrimus *Jo. Franciscus Buddeus*, in Academia *Jenensi* Doctor Theologiæ in *Institutionibus Theologiæ Dogmaticæ Lib. III. c.* 2. non sine Sanctorum in Ecclesia Catholica virorum ac integrorum Ordinum iniuria contendit. Quale enim est illud: *Factum id cumprimis* (scilicet *ut Pelagiani errores indies latiùs serperent*) *cùm Seculo XIII. Franciscus atque Dominicus novos Monachorum Ordines, qui magnam deinceps in Ecclesia Romana celebritatem consecuti sunt, instituerent. Dominico enim Cassianus maximè se probavit: hinc &, ut ejus placita certatim in Monasteriis resuscitarentur, effecit &c.* Dolet, amico in re Litteraria ista excidisse! Vide Edmundum Martene, virum pietate ac eruditione celebrem in *Commentario in Regulam S. Benedicti pag.* 10, & 24.

Col 239. *Seifridus* Abbas *Tegernseensis*, animadvertens Religionis & Litteraturæ in suo Monasterio ingens discrimen, si id inimicorum fraude in *Commendam*, quam vocant redigeretur, in hæc verba *Henrico III.* Imperatori, *speciali virtutum diademate pra-*

Digitized by Google

filiis hominum venusto, scribit: *Siniſter rumor conturbavit noſtram erandi intentionem nobis amariſsimam intimando lamentationem, Vos ſcilicet iſtud velle Cœnobium tradere in beneficium, ad noſtræ exiguitatis inceſſabile ſupplicium vel iuſtitium. Si vero iſtos ullus Cœnobitas vendicat in ſervitutem, profectò hic deficiet omne artificij exercitium: quia poſthinc, quos tædet vivere, nullum his deſiderium eſt pingere aut ſcribere: ſed huc illucq; diſpergentur, ne aliquid ad ædificationem ſpiritualem operentur. Iſtud quippe Monaſterium, in hac Provincia antiquiſsimum, varióque quondam ornatu ſplendidiſsimum, ſicut regali auctoritate legitima donatum eſt libertate primis eiuſdem intervenientibus Fundatoribus, ſic libera cum privilegiis conditione ſublimatum eſt a veſtris anteceſſoribus.* Quam non minus modeſtam quàm liberam *Seifridi* agendi rationem ſi quis cum *Marci a Knöringen* nundinatione & ferocia, quam orbis in huius Codicis *Appendice* ſtupebit, vel obiter contulerit, haud paulo facilius deinceps immane inter Paſtorem & Mercenarium diſcrimen deprehendet.

Col. 247. multis nominibus ſingulare proſtat Diploma fundationis Eccleſiæ *Goravienſis* in *Sileſia*, cuius vel exordium delibáſſe hìc ſatis fuerit: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te convertentur amen. Raphaël Hieroſolymitanæ militiæ Supremus Tetrarcha, ſigno vivificæ Crucis Chriſti inſtiatus, ac benedicto gladio, quo in montis Oliveti horto Malchi auriculam beatiſſimus Petrus abſcidiſſe creditur, ſuccinctus, Sanctiſsimi in Chriſto Patris Domini Nicolai Papæ Secundi per & infra Poloniam ad civitatem Bregam & Glogoviam, ubi rapidiſsimum flumen Odera regnum Poloniam ab inferiori Sleſia diſlimitat, & curſu ſuo ſeiungit, adversùs inhærentem ſuperſtitionem falſorum Deorum iuratus Bellator. Dein Boleslaus Divina propitiatione Rex Poloniæ, Dux Opoliæ, Poſnaniæ, Glogoviæ, in Gora & Steina Dominus* &c. In quibus illuſtrandis eruditi Sileſij & Boruſſi operam non fruſtra collocabunt.

Col. 360. exhibetur memorabilis epiſtola *M.* Epiſcopi *Cracovienſis*, in qua *S. Bernardum*, ut *Ruthemiam, quæ eſt quaſi alter Orbis, Poloniam & Boëmiam vel communi appellatione Sclavoniam, quæ plures Provincias continet*, doctrinæ ſuæ luce perfundat, calentiſſimis precibus orat obſecratque. Vbi *Ruthemiam* interpretor *Moſcoviam*, cuius ritûs & mores ita graphicè deſcribit: *Gens autem illa Ruthenica multitudine innumerabili ceu ſyderibus adæquata, Orthodoxæ fidei regulam ac veræ Religionis inſtituta non ſervat, non attendens, quoniam extra Catholicam Eccleſiam veri ſacrificij locus non eſt. Nec ſolùm in ſacrificio Dominici Corporis, ſed in coniugijs repudiandis, & rebaptizandis atque aliis Eccleſiæ Sacramentis turpiter claudicare cognoſcitur. Ita erroribus varijs, immò verò hæretica pravitate a primordio ſuæ converſionis imbuta, Chriſtum ſolo quidem nomine confitetur, factis autem penitus abnegat. Neque*

enim

enim vel Latinæ vel Græcæ vult esse conformis Ecclesiæ, sed seorsum ab utraque divisa neutri gens præfata Sacramentorum participatione communicat. Hoc autem, Domine, totum penetrabilior omni gladio ancipiti vestra prædicatio amputaret, si, ut eam visitaretis, vobis Spiritus Sanctus inspiraret. . . . Dignanimi igitur, Pie Pater, dignamini, qui cæteras illustrâstis, nostras etiam tenebras illustrare. Dignanimi Selavos incompositos in via morum & vitæ rationibus informare. Dignanimi gelidum axem vestri præsentia visitare, ut in adventu nostri Abbatis frigus horridum Aquilonis, Austri gratia & Mulciberi flamine temperetur: ut inculta barbaries vestris moralitatibus excolatur: ut homines inhumani vestra eruditione mitescant, sub iugo Dominico mansuescant &c.

A *Col.* 444. conspicuæ sunt gravissimæ & rebus optimis refertissimæ epistolæ *Eberhardi* eruditissimi Episcopi *Babenbergensis*, & Magni illius *Gerhohi*, Seculo XII. Præpositi *Reicherspergensis*, cuius plura Opera in præcedentibus Tomis publicavi. Argumentum ferè omne harum epistolarum est *de gloria & honore Filij Hominis*, cui pleráque *per gratiam* asserit *Gerhohus*, quæ *Deo propria* sunt *per essentiam*: id quod vehementissimè *Eberhardus* impugnat. Alterum caput controversiæ faciunt *Sacramenta excommunicatorum*, quibus vix quidquam solidi cum pluribus veteribus Theologis *Gerhohus* attribuit, *Eberhardo* alijsque contra fortiter nitentibus. Porrò cùm res, multis disputationibus excussa & illustrata, ad *Alexandrum III. P. R.* delata esset, isque a *Gerhoho*, ut suo iudicio controversiam finiret, rogaretur, urgeretúrque, alia omnia evenerunt, silentio utríque parti quoad publicas concertationes, a Pontifice iuncto. Sententiam *Alexandri* vide sis 398 & seqq. Quocirca observatu dignum puto, Pontificem *ideo nil certi super eisdem capitulis duxisse respondendum: quia*, inquit, *nisi eum & alios coràm positos audiremus, non fuit visum nobis super eis tam facile proferre sententiam, & cuiusvis partis tantùm rationibus allegatis aliam inauditam & indefensam præcipiti judicio condemnare.* Admirandam Alexandri III. æquitatem!

Parte II. pag. 61. miræ consuetudines & iura veterum Germaniæ Imperatorum, dum Italiam intrarent, referuntur, quorum unum his verbis exponitur: *Mos, antiquus, ex quo Imperium Romanum ad Francos derivatum est, ad nostra usque deductus est tempora* (circiter annum Christi MCC.) *ut quotiescunque Reges Italiam ingredi destinaverint, gnaros quoslibet de familiaribus suis præmittant, qui singulas civitates seu oppida peragrando, ea, quæ ad fiscum regalem spectant, quæ ab accolis fodrum dicuntur, exquirant. Ex quo fit, ut Principe adveniente plurimæ civitates, oppida, castella, quæ huic iustitiæ vel omnino contradicendo, vel integraliter non persolvendo reniti conantur, ad solum usque prostrata protervitæ suæ documentum posteris ostendant.* Tenes hìc largum fontem, unde medio ævo tot clades & strages in Italiam profluxerunt.

Wilhelmum, Gerhardi filium, dictum *de Julia, Montium* seu *Bergensem* Comitem, a *Wenceslao* Cæsare Imperij Ducibus anno demum MCCCLXXXIX. fuisse annumeratum, tradit *Wernherus Teschemmacherus in Annalibus Cliviæ, Juliæ, Montium &c. Parte II. pag.* 445. novæ editionis, a qua epocha dissentiunt plures apud eruditum Virum *Justum Christophorum Dithmarum*, Teschenmacheri illustratorem, qui loco citato exoptat, *Schatenium*, anno MCCCLXXX. id ex ipso Wenceslai Diplomate adsignantem, idem nobile monumentum *retulisse, ex quo*, inquit, *omne dubium tolli posset.* Expletur nunc hoc Viri docti & accurati votum *pag.* 69. *II. Partis*, ubi Diploma desideratum conspicies, *datum Aquisgrani anno Domini MCCCLXXX. Indict. III. IX. Kal. Junij, regnorum nostrorum, Bohemiæ anno XVII. Romani verò IV.* Id acceptum refero *Jo. Friderico Schannato*, Viro de universa re Diplomatica, præcipuè Germaniæ, immortaliter merito.

Sed observationum satis. Infinitus enim sim, si omnia, quæ ex veteribus nostris monumentis erui possent, hìc velim recensere. Unum tamen est, quod a me impetrare non possum, quin hìc animadvertam. *Parte II. pag.* 57. datur ex Codice Sanct-Crucensi *L.* Monachi ex Cluniacensi Cisterciensis *Prologus* integer in *Decalogum de Clunacensium & Cistercensium consuetudinibus*, in *Thesauri Novi Anecdotorum* Edmundi Martene & Ursini Durandi, viri præstantissimi, Tomo V. publicatum. Verùm utrobique error irrepsit, litteræque *L*, qua auctor nomen suum pro temporum illorum more expressit, littera *I.* sufficienda, quæ initialis est totius proprij nominis *Irungi*, quem genuinum huius Operis auctorem esse constat ex membraneo seculi XIII. Codice *Alderspacensi*, ubi ita dissertè indicatur: *Dialogus Magistri Irungi.* Cuius ænigmatis, sanè alias desperatissimi, dissolutionem debemus insigni erga Literatos benevolentiæ Reverendissimi & Amplissimi Domini *Theobaldi*, Monasterij *Alderspacensis* in Boiaria Vigilantissimi Abbatis ac alterius propè Fundatoris, qui mihi a Gallia revertenti, & Sueviæ Boiariæque bibliothecas oberranti, atque adeo pulveribus, frigore ac alijs sexcentis viarum incommodis pessimè habito, non tantùm omne amoris ac benignitatis genus ampliter impendit, sed, quod maiùs puto, opulentam etiam manu exaratis Codicibus Bibliothecam penitùs scrutandam credidit. Quantum verò fructus ex hoc favore pientissimi Præsulis ceperim, suo loco propediem demonstrabitur.

Cæterùm non est huius loci omnium Patronorum, Fautorum, eorumque amicorum, qui ad hunc Codicem conficiendum suas symbolas amanter contulerunt, nomina recensere, prout equidem eorum merita ferrent. Multi enim sunt, qui tantillum a pudore suo ac modestia impetrare nequeunt, ut eorum hìc vel tenuissima mentio fiat. Sed in omnes memoris & grati animi leges peccem, si,

Digitized by Google

ſi, quantum ex Reverendiſſimi ac Perilluſtris Domini *Placidi*, Præſulis florentiſſimi Monaſterij *S. Petri Salzburgenſis*, in egregias Litteras effuſiſſimi, benignitate res iſtæ noſtræ profecerint, diſſimulem. Non ille ſolùm Bibliothecam ſuam, ſed & Archivum omnésque ſecretiores tabulas nobis diſcutiendas reliquit, ex quibus exſcripſimus non pauca, quæ noſtræ Collectioni præcipuo ornamento ſunt. Sanè vel ex unis manu ſcriptis huius Bibliothecæ Codicibus conſtare poteſt, quàm venerandæ antiquitatis hæc Abbatia ſit, quantoque cum iure eius prima Benedictina exordia ad S. Ruperti Ep. tempora, id eſt, ad finem Seculi VI. aut initium VII. referantur. Certè fruſtra fuit, qui ex meis in Vitam *Wilbirgis Virginis Florianenſis Recluſæ* Prolegomenis aliud nuper voluit extundere. Fuerunt & alii duo, licèt inferioris ſubſellij, viri præclari, quibus hoc volumen non minùs obſtrictum eſt. Eorum primus eſt toties a me iam laudatus Venerabilis & eruditiſſimus Pater *Leopoldus Wydemannus* Cartuſiæ *Gemnicenſis* in Auſtria Vicarius, cuius omnia Diplomata & chartæ ſunt, quæ magno ſanè numero productæ pro Cartuſijs *Bohemiæ*, *Moraviæ*, *Auſtriæ*, *Stiriæ* &c. faciunt. Adeò nullis laboribus Vir ille egregius & bonarum rerum gnarus parcit, ut Ordini ſuo Sacratiſſimo, univerſæque Reipublicæ Litterariæ proſit & commodet. Alter eſt Adm. R. D. P. *Alphonſus Hueber*, Cœnobita *Tegernſeenſis* doctiſſimus, & nunc Eccleſiæ *Loibenſis* propè Canoniam *Tirnſteinenſem* in *Auſtria* Moderator zeloſus, qui nullos non angulos antiquiſſimi, & optimis vetuſtis libris referti Monaſterij ſui, cum prolixa Reverendiſſimorum & magni nominis Præſulum ſuorum *Petri* & *Gregorij* veniâ, perreptavit, lectioráque identidem monumenta mihi ſubmiſit.

Sed nullius de hoc *Codice Diplomatico-Hiſtorico-Epiſtolari* merita uberiora ſunt, quàm Adm. R. P. *Philiberti Hueber*, Sodalis mei coniunctiſsimi, qui poſt editam Lipſienſibus typis *Auſtriam ex Archivis Mellicenſibus illuſtratam*, ad longè ampliorem longiúsque ſpectantem *Collectionem Diplomaticam* ſe accinxerat. Valuit ille vir mira in aliorum, etiam maximorum hominum, animos ſe inſinuandi gratiâ, eademque agendi venuſtate ac lepore ad ſubeunda ſecretiſsimorum tabulariorum adyta ſibi viam ſtravit & aperuit. Eum intra luculentorum Archivorum ſuorum ſepta admiſerunt Reverendiſſimus & Excellentiſſimus DD. *Mauritius Guſtavus*, *S. R. I. Comes de Manderſcheid Blankenheim & Geroldſtein &c.* Epiſcopus *Neoſtadienſis*, Antiſtes non magnitudine Generis quàm eruditione ac multigena doctrina maior: Reverendiſsimus, Perilluſtris ac Ampliſsimus *D. Erneſtus*, Eccleſiæ *Clauſtroneoburgenſis* Præſul immortalis: Reverendiſſimus, Perill. ac Ampliſsimus D. *Carolus*, Inclyti Monaſterii *B. Mariæ Virg. ad Scotos Viennæ* Abbas, cui tanquam famigerato Litteratorum Mecænati novum ſuum Opus dicare conſtituerat: alijque quàm plurimi abditorum huiusmodi theſaurorum Domini.

Jamque in maximam molem eius commentarij excreverant, cùm ecce in gravem animi & corporis morbum incidit, diemque ſupremum in corona Fratrum ſuorum anno Domini MDCCXV Auguſti XXV. optimè de Monaſterio Mellicenſi meritus clauſit. Eius poſt obitum ſcrinia, cùm in mea poteſtate eſſent, luſtravi, meliora ſelegi, ac huic Collectioni Ordine Chronologico inſerui, adſcriptis ad marginem Litteris *P. H.* quæ notæ *Philibertum Hueber* indigitant, idque eum in finem, ut ſua laboribus amici laus conſtaret, æmulisque anſam eriperem me calumniandi, quaſi qui alienis plumulis me ornarem, quam rem procul a me ſemper habui.

Non dubito, quædam Sodalis mei vetera monumenta iam typis excuſa, cuiuſmodi & inter mea nonnulla eſſe probè ſcio. Nec id tanto crimini dari poteſt hac ætate, qua non niſi de pauciſſimorum Opuſculorum, ut nihil dicam de *Chartis* & *epiſtolijs*, anecdoſi affirmatè pronuntiare liceat. Quotidianâ id experientiâ, & maximorum etiam in hac arena virorum exemplô veriſſimum eſſe didici. Te profectò, Reverendiſſime, Perilluſtris, ac Ampliſſime Domine, id parùm movebit, quò minùs hoc volumen in ſplendidiſſimam, maximisque ſumptibus comparatam Bibliothecam tuam admittas, ibique, cùm per Eccleſiæ tuæ, cui cum maxima & immortali laude adminiſtrandæ diebus vacas & noctibus, negotia & curás licuerit, cum aliorum doctorum hominum Commentarijs componas conferáſque, ac tandem, quod ſub epiſtolæ meæ, aut ſi mavis, præfationis, initium rogavi, animi tui ſententiam ſuper univerſo hoc Opere meo ac amicorum ad me reſcribas. Vix enim audent iſta Sacratiſsima Maximi Cæſaris noſtri Palatia ſubire, niſi graviſsimo tam Eruditi ac Docti Præſulis iudiciô antè probata & confirmata ſint.

CODICIS

Digitized by Google

CODICIS
DIPLOMATICO-
HISTORICO-
EPISTOLARIS

PARS I.

Ab Anno Christi CCCC.
usque ad MCLXX.

Digitized by Google

CODEX DIPLOMATICO-HISTORICO-EPISTOLARIS.

I.

Charta donationis, ab Opilione, Patricio Romanorum facta, Ecclesiæ S. Justinæ de Padua.

Circ. A.C. 453.

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi.

Ex Archiv. S. Justin. Patav.

IMperante Piissimo Augusto *Constantino*, a Deo coronato, Pacifico, Magno Imperatore, anno quintodecimo sub die mensis Junij, Indictione I. Domino sancto, & meritò ac ter beatissimo, seu & venerabili *Monasterio Sanctæ Justinæ* Virginis & Martiris, ubi corpus Sanctæ *Justinæ* & Sancti *Prosdocimi*, & multa corpora aliorum Sanctorum requiescit, quod est constructo foris *urbe Patavensi*, ubi multæ res a bonis hominibus delegatæ sunt, ego quidem in Dei Omnipotentis nomine *Opilio* Patricius Romanorum dono in prædicto Monasterio pro oblacione & inluminacione, seu pro æterna remuneracione animæ meæ, & de quondam parentorum meorum præsens præsentis salute magni donacionum. Sanctarum Scripturarum nos racio præmonet ea semper considerare atque disponere, quæ pro animabus & meritis regni celestis retribucione merear promereri. Credimus nos sine dubio in Evangelica lectio præmonet subsequi lectionibus, ut in hoc seculo centuplum, & in futuro vitæ æternæ esse participes. Qua de re ego suprascripto *Opilio* bono animo ac spontanea voluntate, nullus me penitus cogente neque compellente, vel suadente, vel vim inferente, sed meis propris deliberacioni arbitrium: ideo dans dono, cedo, trado & transfero atque transacco, & da meo iure meóque dominio meisque heredibus vel successoribus alieno, & transcribo atque subduco in iure & dominio subscripto Monasterio perpetuum permanendas, eo quod habere & detinere viso sum in Comitatu *Bolonien se*, quas mihi advenit per quocumque modum vel titulum, aut undique mihi advenissent. Hoc sunt fundoras, quæ vocatur *Hasinius* cum casis masaricijs, vel omnibus rebus ad se pertinentibus, id est, casali, quorum vocabula sunt *Sitiliano*, *Monteclo*, *Vindemiolum*, *Marcio* & *Arucias* cum casale *Paulinis*, *Votariorum*, *Saturiorum*, vico *Fraxeneto*, *Quingentula*, *Columbiano*, *Granariolo* & villa magna cum casis & massaricijs, & cum omnibus suorum pertinencijs ad eisdem locis pertinentibus in integrum. Et capella una cum area sua & cum omnibus suorum pertinencijs infra civitate *Bolonienſis*, quæ est constructa in honore Sanctæ *Justinæ* Virginis & Martiris. Alia fundora sociorum *Piscianus*, *Marianus*, *Gabianus*, *Julianus*, & fundum *Micauri*, qui est supra naves casales, cui vocabulum est *Mimianus*, hoc est, *Liliolis*, qui est inter *Missiano* & *Columbiano*, cum omnibus pertinenciis suis.

Item fundo in alio loco sociorum alio fundo *Micauri*, qui est sub ripa de *Barbiano* & *Gabiano* inter *Clodia* & *Strata*. Alia verò fundora, quæ est in vico *Romanulo* & fundum *Ortis* * cum omnibus suorum pertinencijs in integrum cum casis, curtis, ortis, areis. De feris verò tam terris aratereis seu vigris vineis cum areis suarum tam terris arabilis & gerbis, campis, pratis, pascuis, silvis ac stellareis, vicus, rupinis

* Hortis

ac

Digitized by Google

ac paludibus, colcis & incolcis, diviſi & indiviſi, una cum finibus, terminibus, acceſſionibus & uſibus, aquarum aquarúmque ductibus cum omni jure, adiacenciis & pertinenciis earum rerum per locas & vocabulas ad eaſdem fundoras & capella & caſis & omnibus rebus qúalibet ſupraſcriptis in integrum ab hac die in eadem venerabilis Monaſterio beatiſſimæ Sanctæ *Juſtinæ* & Sancti *Proſdocimi*, & aliorum multa corpora Sanctorum in perpetuum permanendas pro eo, ſicut dixi, pro remedio animæ meæ & de quondam parentorum meorum. Et B. ab hodierno die nunquam liceat mihi ſupraſcripto donatore, neque meis heredibus vel ſucceſſoribus ullo unquam in tempore, nullàque moleſtia generare a pars prædicto Monaſterio de is omnibus, quæ ſupra ſcripſi, pro ex parte vel ex totum nunc ago neque contendo aut invado vel inoccupo, neque agentibus, quod deſidero, audeo nec pro me, neque pro meis heredibus vel ſucceſſoribus, neque per meam ſubmiſſam vel ſubmittendam perſonam majoris vel minoris, propinquis vel extraneis, & non ad C. eundem judicium, & non ſupplicandum Principibus, neque pro Eccleſiaſtica interpellatione, aut pro regale vel Imperiali Mageſtate vel poteſtate neque per ullo modo nullàque racione contraire, quod abſit, & auferet voluntatem: quia legibus cautum eſt, ut quod ſemel in ſancto ac venerabili Monaſterio donatum vel conceſſum fuerit, nullo modo revocetur. Unde pro majori firmitate & ſi quo tempore quæppiam perſonam hominum ſurrexerit, quæ ad pars prædicto Monaſterio calupnia generaret, ego ſupraſcripta *Opilio* donatore cum meis heredibus a pars prædicto Monaſterio ipſa D. res ab omni perſona hominum ſtare, & contra omnes auctoriare promitto. Quod ſi, quod abſit, & averta Divina potencia, & omnia, quæ ſupraſcripto, non obſervavero vel adimplevero, & contra hæc ire vel agere aut contendere voluero, ateſtacione confirmo, quia daturo me eſſe promitto ego ſupraſcripto donatore unà cum meos heredes vel ſucceſſores a pars prædicto Monaſterio ante omni litis initium pena auri optimi libras trex, & poſt pena ſoluqione me ad hanc paginam donacionis in A. ſua firmitate permaneat. Qua verò pagina in Dei nomine *Aneſtaſius* tabelius de civitate *Roma* ſcribenda rogavi, & ſubter manu mea propria firmavi, teſtibúsque a me rogatis obtuli ſubſcribenda, eorúmque præſencia eam tradidi ſub die menſis Junij Indictione I.

✠ Ego *Opilio* glorioſus Imperialis Patricius Romanorum in ac * donacionis cartula a me facta m. m. ſſ. *i. e. hac

✠ Ego *Jordanus* in ac cartula rogatus teſtis m. m. ſſ.

✠ Ego *Armeniactus* rogatus teſtis m. m. ſſ.

✠ Ego *Tribunus Blandinoni* rogatus teſtis m. m. ſſ.

✠ Ego *Leopardus* rogatus teſtis m. m. ſſ.

✠ Ego *Baſilius* rogatus teſtis m. m. ſſ.

✠ Ego *Barbato* domeſtico numeri *Armeniaci* rogatus teſtis m. m. ſſ.

II.

Vetuſtiſſima Inſcriptio edis S. Emmerammi Epiſcopi & Martyris *

*circa an. Chriſti 652.

Hic corpus primùm ſancti requievit humatum
Paſtoris Patriſque pij noſtríque Patroni
Heimrammi, cujus meritis hìc ſigna pateſcunt, *ex Cod. Emmeramenſi Seculi IX.*
Quæ Dominus ſub honore ſuo patrare ſuëvit.
Tunc in amore ſui hanc aulam conſtruxerat *Irinc*
Excellens Praſes Regis, ſummuſq́ venator,
Illius auxilio ut ſemper fungatur in ævo,
Poſt finemq́ue ſuum mereatur ſcandere cœlum.

III.

Epitaphium Beati Bedani Preſbyteri auctore Luttingo ejus diſcipulo.

Hoc Chriſti famuli *Bedani* membra ſepulchro. *Communicavit Cl. P. Apronianus Hueber.*
Cum Sanctis ſurrectura, clauduntur honeſtè,

Prior Mervangienſis, ex Cod. Angia Diviſis, ni fallor.

Cujus nunc æterna capit jam præmia lætus A.
Spiritus Angelicis cœlo portatus in ulnis.
Qui nova cum priſcis ceu dives munera promens
Electus fuerat *Doctor* dignuſque *Sacerdos.*
Corpore diſſolvi cupiens & vivere Chriſto:
Et cœleſtia contemplans terrena nec ambit.
Hujus enim titulo brevè nequeo ſcribere plura.
Cujus ad exemplum mores *Britannia* B. rimans,
Grandiſona merito veneranter laude reſultat.
Sexagies decimus jam tunc & novies nonus
Annus ab adventu Chriſti de Virgine nati
Fluxerat, & trina triplex Indictio vivit,
Nonaque Februarij ter triplicaverat horas,
Cùm gaudens anima ad Chriſtum perducitur alma,
Corporis & felix ad facem lumina C. claudit.
* *apogr.* macie Aſt in acie * victor bellator Regem adorat,
Eccleſiæque decus vivit per ſecla beatus.
Diſcipulus cecinit tuus hos *Luttingus* amoris
Verſus, & miſerum me ſancte tuere Magiſter.

Hymnus.

ARdens amoris mentio utcunque D. paucos carmine verſus
Bonæ memoriæ cogit Magiſtri ſcribere. Quicunque
Hos collegeris, ut mente pura ventiles,
Cave, ne ulli inferas, quod nec libenter ſuſtines.
Ores pro *Beda* ſedulò, Dominum precando cùm roges.
Te namque ipſum adjuvas, juſto ſi orans jungeris.
Sint illi alma gaudia beata inter agmina
Semper ſimul cum Angelis manſura abſque termino,
Detque mox pauperculo mihi frui per ſecula
Unà cum illo gloria cœli in arce condita!
Hìc legentes octopes ſunt metra clarè cernere:
Hisque ſeptem ſanxit eſſe cura callens carminum.
Nam genus, ſpecies, figura, tempus, membrorum paſſio,
At namque omnia quadriformis more factum quæritur,
Hicce ſed artis norma currant, ſit Magiſtri gratia.
Nam ſi extra elabantur, jure auctor arguor.
Teque Lector, ut miſello pro me ores, obſecro,
Jeſus Chriſtus ut redimat me ab ira ultima.
Patri atro atque Nato, Sancto & cum Spiritu,
Uni ac Trino ſit ſumma ſemper gloria!
VI. Idus Maij Natali S. Bedæ Preſbyteri.

IV.

Epitaphium cujuſdam Eionis Epiſcopi vel Abbatis auctore Vrſone.

Sincerrimæ dilectionis venerabiliter præferendo, & puro charitatis ardore colendo *Eio*, digno Dei Præſuli, *Vrſo* ſupplex.

NObilis ecce jacet tumuli tellure ſepultus,
Eio proprio nomine dictus erat.
Hujus enim dum vita foret, tot tempora felix
Presbyter & Monachus naméque ſacratus.
Huic aſt ille loco tutor fidelisſimus, atque
Defenſor ſolidus tempus in omne fuit.
Arſatij corpusq ſacrum devexit * *in iſtas* * *circ. an. 715.*
Altithrono partes auxiliante Deo.
Ejusdemque pii merita quicunque viator

Huc

Huc veniat, rogitet, hunc sine fine A.
juvet.
Heu miseranda nimis mortalis gloria vitæ,
Quæ nebulæ similis, ac velut umbra ruit!
Ut pulvis vacuas vento dispersus in auras,
Sic perit, ac sæcli sic fugitivus honor.
Eio eram *Præsul venerabilis* olim,
Inclyta cui dederat pompa celebre decus.
Inde meam torpens rapuit mors invida vitam, B.
Reddidit ast gelido membra caduca solo.
Hinc dubiam spectans venturi judicis horam
Pressus in hoc tumulo, pulvere, verme voror.
Inde precor, fratres, vestra pietate rogate,
Ut mihi perpetuam det Dominus requiem. *

* *Ex vetustissimo Codice Tegernseensis Monasterij.*

V.

Epitaphium Arirami Monachi. *

* *Ex vetustiss. Cod. Emmeram.*

FUnere defunctis deplora grex Monachilis,
Orbatus tanta indolis ab homine.
Arirami juvenis primævo tempore floris
Qui viguit miris omnibus atque habilis.
Alitis in specie, perhibetur quæ sine felle
Carne velut castus, mente fuit sobrius.
Nullus in hoc ævo viget ingeniosior illo,
. . . . . arribus & variis.

VI.

Epitaphium Erchanfridi Abbatis vel Monachi.

indid.

PUlvis humo matri, natusque suo genitori
Hic *Erchanfridus* noscitur appositus.
Qui *Vuillipaldo* devotus servijt almo
Pastorisque suo militis officio.
Ceu quia terrenus carnalibus exicit . .
heu miser hic Mundus . . .
Ut Domino placeat, feliciter & requiescat
Pace Dei vera, hæc recitans cogita.
Idibus in quinis Maias ergastula carnis
Lutea deseruit, flamen & alter.

VII.

Vetustissimæ Traditiones Monasterij Monseensis seu Lunalacensis, olim in Baioaria, nunc in Austria.

I.

Privilegium de bonis, quæ Monasterio Monseensi dedit Ottilo Dux Boiaria.

Ex vetustis. Cartulario Mons.

INnomine Domini regnante Domno *Hotiloni* Inclyto Duci gentis nostræ *Bauuariorum*, inprimis donavimus ad *Lunæ lacu* quatuor villas cum campis, pratis, silvis cum omnibus hæredibus suis *Niuzilinga*, *Aldæspach*, *Chalpaha*, C. *Operachalpaha*. Isto totis in simul ad Monasterium pro mercede Domni *Otiloni* Duci donavimus: & illi servi Dei, qui de illo victo vivunt, quod nos donavimus, non habeant comeato altera mente facere, nisi pro nos orare omnem diem. Et qui de ista pecunia inde tollere aliquid voluerit, ante Deum cum sancto Michaële rationem reddere habent in die iudicij. Et illa foreste nostra intra *Salcpurhcgauui* & intra *Matahgauui* & intra *Atergauui* hæc est marcha. De marcha ad *Maninse* vadit usque in medium *Vntraha*: inde usque D. ad *Wizinpach*: inde usque ad *Liubensperch*: inde usque in *Iskila*: inde ad *Preitenselden*, inde *Cynchinpach*, inde ad *Alblingon*, inde ad *Chuniisperch*, inde ad *Onkin*. De *Michilnpach* autem vadit usque ad *Rindertal*, de *Rindertal* ad *Nezzeltal* a *Nezzeltal* usque ad montem *Stuophe*, & a *Stuophen* usque *Sprenzala* a *Sprenzala* usque *Burchstal*, deinde *Bucchebach*. *vid. inf.* Exin per fines *Riute* & *Celle* in *Aterse*. *num.* Deinde ejusdem laci omnis situs silvarum *104.* & camporum, culta & inculta, omnis utilitas, quæ iniquiri potest usque in *Wizinpach*, & per ascensum ejusdem

fluminis uſque ad *Liubenſperch*. Anni Domini DCCXLVIII.

2.

Alia ejuſdem Ducis donatio facta Monaſterio Monſeenſi.

Indid. IN nomine Domini regnante Domno *Hotiloni* Inclito Duci gentis noſtræ *Bauuariorum*, inprimis donavimus ad *Lune laco* quatuor villas cum pratis, campis, ſylvis cum omnis heredibus ſuis *Niuzilinga*, *Aldareſpach*, *Chalpaha*, *Oparachalpaha*. Iſto totis inſimul ad Monaſterium pro mercede Domni *Otiloni* Duci donavimus. Et illi ſervi Dei, qui de illo victo vivunt, quod nos donavimus, non habeant comeato altera mente facere niſi pro nos orare omnem diem. Et qui de iſta pecunia inde tollere aliquid voluerit, ante Deum cum S. Michaële rationem reddere habeat in die judicij. Et illa foreſte noſtra intra *Salcpurghcgauui* & intra *Matahgauui* & intra *Atargauui* uſque *Abraham* ſeu ſuper illas quatuor villas, & illa *Odorico* caſa V. caſatos cum ipſa marca tota, & ad *Hildrigo* caſa ſuper ipſa *Iſara* cum tota ſua marca cum V. caſatos & IV. cidlarios ſuper ribam *Danubij*, & ad *Suuarzaha Hugipaldus* cidlarius, & *Adalperht* faber, & ad *Coſſinpah* ille faber, qui ille comparavit ab *Odilone* de *Pluitmuntingas*, & de *Chalpaha Ado* ille faber, & illo coco noſtro *Popone* de *Pittileſpah*, & *Kerhelm* vinitore de *Putileſpah*, & *Ratkis* Cidlarius. Sunt teſtes multi.

Nota.

Ad oram hujus chartæ hæc manu ſeculo X. vix recentiore adnotantur: Anni Domini DCCXLVIII. Pippinus Taſſilonem, ſororis ſuæ filium Baioariæ Ducem poſt Otilonem patrem ſuum fecit, & ipſe Domnus Otilo non longè antea conſtruxit cenobium Meninſe, ùt in chronica & in hoc libro invenitur.

3.

Traditio Willihelmi.

EGo in Dei nomine *Willhelmus* pro peccatis meis minuandis, vel pro æterna retributione dono ad Monaſterium, qui vocatur *Maninſeo*, qui eſt conſtructus in pago *Matahgouue* in honore S. Michahelis & S. Petri vel cæterorum Sanctorum, ubi *Oportunus* Abbas cum Monachis ſuis præeſſe videtur, a die præſente, donatumque in perpetuum eſſe volo, hoc eſt, villa, qui dicitur *Holtburn*, in pago *Rotahgouue* cum omne marca atque jacentijs ſuis, caſatis, ſervis vel liberis, manſis, mancipijs, campis, pratis, ſilvis, vinijs, aquis aquarumve decurſibus, vel quicquid ad ipſam villam pertinere videtur, totum & ad integrum, ſicut dixi, a die præſente B. dono atque transfundo, ut quicquid jam dictus Abbas *Oportunus* vel Monachi ſui de ipſa villa facere voluerint, literam ac firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem faciendi. Siquis verò, quod fieri non credo, ſi ego ipſe aut ullus de hæredibus meis vel quislibet oppoſita perſona contra hanc donationem, quam ego pro bona voluntate fieri & firmare rogavi, venire aut eam infrangere tentaverit, inprimis uſquequo de hac cauſa ad veram emendationem veniat, iram Dei & Sanctorum ejus, vel pœnas inferni experire per- C. timeſcat, & non valeat vindicare, quod repetit, & partibus Duci conponat argento pondua X. auri libras V. & hæc donatio a me facta omni tempore firma & ſtabilis permaneat ſtipulatione ſubnixa.

Actum *Autingas* villa publici ſub die, quod fecit menſis Julius, die X. anno I. *Taſſilone* Duci. Sunt teſtes multi.

4.

Angiltrudis traditio facta eidem loco Taſſilone Baioariorum Duce.

D. EGo in Dei nomine *Angiltrut* unà cum conſenſu filij mei *Gaganhardi* pro peccatis meis minuandis vel pro æterna retributione dono ad Monaſterium, qui vocatur *Maninſeo*, qui eſt conſtructus in pago *Matahgauui* in honore S. Michaëlis & S. Petri Principis Apoſtolorum vel cæterorum Sanctorum, ubi *Oportunus* Abbas cum Monachis ſuis præeſſe videtur, poſt diſceſſum meum, donatumque in perpetuum eſſe volo, hoc eſt: villa in pago *Quinzingauue* ſecus *Viluſam*, qui vocatur *Hariol-* *circ. 749*

rioldeſuuis Vndonifili, cum omne marca atque adiacencijs ſuis, caſatis ſervis vel liberis, manſis, mancipijs, campis, pratis, ſilvis, aquis aquarumve decurſibus, vel quicquid ad ipſam villam pertinere videtur, totum & integrum dono atque transfundo, ut quicquid jam dictus Abbas *Oportunus* vel Monachi ſui de ipſa villa facere voluerint, liberam ac firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem faciendi. Siquis verò, quod fieri non credo, ſi ego aut ullus de hæredibus meis, vel quislibet oppoſita perſona contra hanc donationem, B. quam ego bona voluntate & cum conſenſu jam dicti filij mei *Gaganhardi* fieri rogavi & firmare, venire, aut eam infrangere tentaverit, inprimis uſque de hac cauſa ad veram emendationem venerit, iram Dei & Sanctorum ejus vel pœnas inferni experire pertimeſcat, & non valeat vindicare, quod repetit, & in partibus Duci conponat argento pondua X. auri libr. V. & hæc donatio a me facta omni tempore firma & ſtabilis permaneat.

Actum *Maninſeo* Monaſterio publici ſub die IV. Kal. Junias, agente *Taſſilone* Duci anno ſecundo. Teſtes multi. C.

5.

Megilo eidem Monaſterio tradit villam Wolfaha.

EGo in Dei nomine *Megilo* pro peccatis meis minuandis vel pro æterna retributione dono ad Monaſterium, qui vocatur *Maninſeo*, qui eſt conſtructus in pago *Matahgauue* in honore S. Michaëlis vel cæterorum Sanctorum, ubi *Oportunus* Abbas cum Monachis ſuis præeſſe videtur, a die præſente, donatumque in perpetuum eſſe volo, hoc eſt: villa qui dicitur *Uuolfaha*, in pago *Rotahgouue* cum omne marca adque jacentijs ſuis, caſatis ſervis vel liberis, manſis, mancipijs, campis, pratis, ſilvis, aquis aquarumve decurſibus, vel quicquid ad ipſam villam pertinere videtur, totum & ad integrum, ſicut dixi, a die præſente dono atque transfundo, ut quicquid jam dictus Abbas *Oportunus* vel Monachi ſui de ipſa villa facere voluerint, liberam ac firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem faciendi. Siquis verò, quod fieri non credo, A. ſi ego ipſe aut ullus de hæredibus meis, vel quislibet oppoſita perſona contra hanc donationem veniat, iram Dei & Sanctorum ejus vel pœnas inferni experire pertimeſcat, & non valeat vindicare, quod repetit, & partibus Duci conponat argento pondua X. auri lib. V. & hæc donatio a me facta omni tempore firma & ſtabilis permaneat ſtipulatione ſubnixa.

Actum *Maninſeo* publici ſub die, quod fecit menſis Jul. die decimo, anno ſecundo *Taſſilone* Duci. Sunt teſtes multi.

circ. 749.

6.

Charta comparationis Urſisdorf, facta ab Oportuno Abbate Monſeenſi pro Monaſterio ſuo.

EGo in Dei nomine *Oportunus* ac ſic vocatus Abbas comparavi *ad Ratpald* & ad *Odalman* & ad *Kerperht*, quicquid habuerunt in *Vrſiſdorf*, caſis, campis, pratis, ſilvis, aquis aquarumnib. vel decurſibus. Et donavimus *Ratpoldo* unam equam & unam bovem, & terram contra terram in *Fangauue*, & *Odalmanno* duos caballos & quinque boves & unam vaccam & ſcuta & lantea *: & *Kerperhto* propter XII. jurnales dedi duos boves. Teſtes multi. *circ. 750.* * *Lancea*

7.

Traditio Richolfi, qua eidem Monaſterio confert villam Miſtileſpah.

EGo in Dei nomine *Richolfus* pro peccatis meis minuandis vel pro æterna bona retributione dono ad Monaſterium, qui vocatur *Maninſeo*, qui eſt conſtructus in pago *Matahgauui* in honore S. Michaëlis & S. Petri vel cæterorum Sanctorum, ubi *Oportunus* Abbas cum Monachis ſuis præeſſe videtur, a die præſente, donatumque in perpetuum eſſe volo, hoc eſt villa, qui dicitur *Miſtileſpah* in pago *Quuinzingauue* cum omne marca atque adiacentijs ſuis, caſatis ſervis &c. *Ad verbum, ut ſupra num.* 5. Actum *Maninſeo* publico ſub die menſis Aprilis. Sunt multi teſtes. D.

Traditioni Richolfi *in codice mox ſubjuncta eſt alia, qua* Irminpald *eidem Monaſterio*, cui *Oportunus* Abbas cum Monachis ſuis præeſſe videtur, villam *Vuale-*

itized by Google

Vualtkiſingas cum omni marca atque adiacentijs ſuis in perpetuum *donat*. In fine nec locus nec annus dieſve traditionis memoratur.

8.

Traditio Hadamari.

EGo in Dei nomine *Hadamar* tradidi ad S. Michaëlem in loco, qui dicitur *Satalara* foreſtas meas, quod ego ibi habui, omnia integra. Factum eſt in XIV. Kal. Jul. Luna XXI. Sunt teſtes multi.

9.

Traditio Poſonis.

IN Chriſti nomine ego *Poſo* cogitans pro anima mea ſeu pro æterna retributione trado hæreditatem meam ad S. Michaëlem in loco nuncupante *Maninſeo*, ego trado atque transfundo in villa nuncupante *Pohhe*, quæ eſt in eodem loco, & in omnibus cum tribus hominibus habitantibus, cum mulieribus & cum filiabus eorum, ſive domum, agris, campis, pratis, ſilvis, aquis, vijs, omnia culta & inculta, ſic trado poſt obitum meum, & tunc ibi ſit ſtabilitas. Teſtes multi.

10.

Traditio Wolffij.

EGo in Dei nomine *Vuolf* cogitans pro anima mea ſeu pro anima patris mei nomine *Oſtagouuo*, & de æterna retributione pro mercede ærumnarum noſtrarum trado ad S. Michaëlem Archangelum vel cæterorum Sanctorum in loco nuncupante *Olleſdorf*, id eſt, campis, pratis, ſilvis, aquis aquarumve decurſibus, & unum ſervum manentem cum uxore ſua & duobus filijs, vel quicquid ibi proprium habui, a die præſente ad locum jam ſuprà dictum *Maninſeo* Monaſterium in præſente Abbatis *Oportuni* & Monachis ejus. Siquis contra hanc cartulam facere aut frangere voluerit, inprimis iram Dei incurrat & S. Michaëlis Archangeli & omnium Sanctorum ejus incurrere pertimeſcat. Sunt multi teſtes.

11.

Traditio Ibbonis.

A. 759. IN nomine Domini Jeſu Chriſti & Salvatoris noſtri altiſſimi ego *Ibbo* cogitans de Dei timore vel æterna bona retributione tradere volo omnem ſubſtantiam meam atque hæreditatem meam ad Sancto Michaëli Archangelo, quod ita dictum eſt ad *Manſee*, ubi præſens venerabilis vir in Dei nomine regere videtur *Opportunus* Abbas. Et ita trado fine mancipiis, qui in domo mea ſunt: ipſas mancipias trado ſororibus meis. Nunc ego *Ibbo* valde infirmus ſum, propterea transfundo omnem hæreditatem meam ad Sancto Michaëli Archangelo, ſicut ſuperiùs dixi, hoc eſt: *Rota* caſas cum terra ſalaricia, cum manſos ibidem manentibus vel aſpicientibus, ſilvis, pratis, paſcuis, pervijs, aquis aquarumve decurſibus, totum & ad integrum mobilibus & inmobilibus, atque eccleſiam Sancti *Martini*, & quicquid in ipſius locis mea fuit poſſeſſio vel dominatio, ſicut ſuperiùs nominavi, de jure meo in veſtram diſpono, ut poſt obitum meum teneatis atque poſſedeatis, liberam in omnibus habeatis poteſtatem. Et ſiquis deinceps, quod futurum eſſe non credo, aut ego ipſe, aut quislibet de hæredibus vel prohæredibus meis quicquam contra hanc cartulam conaverit, aut eam infringere voluerit, inprimitus iram Dei incurrat, & a limitibus Eccleſiæ extraneus efficiatur, & Judas traditori, qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum tradidit, perfruatur ejus conſortio, & nihil ei obtineat effectum.

Actum in pago *Rotahgauuenſe* in loco, qui dicitur *eccleſia S. Martini*, coram omnes pagenſalenſes. Hoc fuit factum in VIII. Id. Jul. vel IX. regnante XII. anno *Taſſilone* Duce. Anni Domini noſtri DCCLVIIII. indict. XII. Sunt teſtes multi.

12.

Traditio Taſſilonis Ducis Baioariæ.

IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ego *Taſſilo* vir Inluſter, Dux anno regni mei viceſimo tertio, Indictione V. tractante enim me de æterna beatitudine ſeu de terribili gehenna, qualiter Deum contemnentes pœnam incidunt æternam, & Chriſtum amantes gloriam adipiſcunt ſempiternam, trado atque confirmo pro mea anima & meis genitoribus ad ſacrum Monaſterium Archangeli Michaëlis loco nuncupante

circ. 767.

Digitized by Google

nuncupante *Maninſeo*, in pago *Rotahgauue*, qui vocatur ad *Perge*, id eſt, homines tres habitantes terram, pratas, cultum & incultum, quicquid ibi homini meo conceſſi *Chonrato*, ut ab hodierna die habeatis, & deinceps ſit traditum & ſtabile ad prædictum ſacrum Monaſterium. Siquis autem contra hanc cartam traditionis quilibet contraire voluerit, iram Dei incurrat, & cauſam habeat cum Michaële Archangelo, & partem cum Juda traditore, & carta hæc nihilominus firma permaneat.

Actum eſt autem hoc ad *Otingas* regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto in ſecula ſeculorum. Sunt multi teſtes.

13.

Traditio Friduvvalh.

767. EGo in Dei nomine *Friduvvalh* cogitans de præteritu & de futuro pro peccatis meis minuandis vel pro æterna retributione, dono ad Monaſterium, qui vocatur *Maninſeo*, qui eſt conſtructus in pago *Matahgavve* in honore S. Michaëlis & S. Petri vel cæterorum Sanctorum, ubi *Oportunus* Abbas cum Monachis ſuis præeſſe videtur, a die præſente, donatumque in perpetuum eſſe volo, hoc eſt, in villa, qui dicitur *Chalpaha* in pago *Quinzingavve*, cum omne marcha atque iacentijs ſuis, caſatis ſervis, manſis, mancipijs, campis, pratis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, vel quicquid ad ipſam villam pertinere videtur meum, totum & ad integrum, ſicut dixi, poſt obitum meum, aut ſi infra iſta patria aut fores vado, a die præſente dono atque transfundo, ut, quicquid jam prædictus Abbas *Oportunus* vel Monachi ſui de ipſa donatione facere voluerint, liberam ac firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem faciendi. Siquis autem *&c. ut num.* 5.

Actum *Maninſeo* Monaſterio publici ſub die V. Id. Jun. regnante Domno *Taſſilone* Duci annos XX. Et ſunt multi teſtes.

14.

Traditio Hildirohi & ejus uxoris Hrodſuind.

circ. 768. IN nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti ego *Hildiroh*, cogitans vel pertractans molem peccaminum meorum, vel pro relaxandis facinoribus meis in die judicii, idcirco dono de jure mea in poteſtate & dominatione S. Michaëlis Monaſterij, conſtructum in loco, qui dicitur *Maninſeo* in pago *Maduciano*, ubi præeſt Venerabilis & Dei famulus *Oportunus* cum fratribus ſanctis, in vinculis caritatis connexi. Ideoque dono atque transfundo in loco nuncupante *Rota* in pago *Quinzingauue* cidlarios meos duos ſervos; unus eſt liber, & aker eſt ſervus. Vxores verò ejus ambo ancillas, & omnes, qui ex ea nati vel procreati fuerint, in ſervitio S. Michaëlis perſiſtant cum ipſa marca, qui ad ipſum locum pertinet, hoc eſt, de *Gaginpah* usque in *Chaſtorapah* ea tamen ratione, quòd in poteſtate mea ſit, usque dum in Monaſterio vado vel ad *Romam*, aut de hoc ſeculo migraturus ſum. Poſt hæc firma & ſtabilis iſta cartula permaneat omni tempore firma ſtipulatione ſubnixa.

Et ego in Dei nomine *Hrodſuind* conjux *Hiltirohi*, cum conſenſu ejus vel filiis meis dedi, & ipſi dederunt mihi unum ſervum ill. nomine cum uxore ſua, filiis & filiabus, & cum hopa ſua vel omni ſubſtantia ſua ſimili modo poſt exceſſum meum, quod ſuperiùs ſcriptum eſt de viro meo *Hiltirohi*.

Siquis verò, quod futurum eſſe non credimus, aut nos ipſi, hoc eſt, ego *Hiltiroh* & conjux mea *Hrodſuind* vel filii noſtri, quia & ipſi dederunt nobiſcum, pariter & ipſi teſtes ſunt, aut ſi & nos ipſi aut ullus de hæredibus meis, vel quislibet ulla oppoſita perſona, qui contra hanc cartulam donationis tentare aut infrangere voluerit, inprimitus iram Dei incurrat, & a limitibus Eccleſiæ extraneus efficiatur, & habeat partem cum Juda traditore, & cauſam cum S. Michaële Archangelo & cum cæteris Sanctis, quorum reliquiæ ibidem in eodem loco venerantur, & inſuper conponat in fiſco auri libras III. & argenti pondera V. & inſuper, quod repetit, evindicare non valeat.

Acta eſt autem cartula hæc in Monaſterio S. Michaëlis regnante Domno noſtro *Taſſilone* Duce anno XXI.

15.

Taſſilo Dux Baioariæ facultatem facit Wolfperhto ſeipſum &c. offerendi Monaſterio Monſeenſi.

GLorioſiſſimo atq; Præcellentiſſimo *Taſſilo* Dux Bauuariorum, Vir Inluſter dirigimus vobis ſalurationem & præcipimus vobis *Oportunus* Abbas cum omni congregatione veſtra, ut ſuſcipias illum in honore meo cum gaudio, & veraciter ſcias, quòd licentiam habeat de nobis ſeipſum commendare Deo, nuncupante ipſe *Vuolfperht*, cum ſuis, quæ prudentiam poſſint fiere, ad B. cœnobium iſtum, ut ſcias cum conſenſu donum meum in loco nuncupante *Vualtkiſinga* licentiam habet de nobis donare pro anima ſua ad locum ſanctum iſtum, quicquid illic habeo, unum ſervum nomine ill. & alijs liberi IV. quicquid ibi habeo, tertiam partem dabo, uxorem meam nuncupantem *Alpſuuind* cum conſenſu *Taſſiloni*, unum colonem, & duos homines domeſticos ad paſtores, & ad opus, quod ei opportunè ſit. Sunt multi teſtes.

16.

Traditio Vuillihelmi.

771. IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Temporibus glorioſiſſimi Ducis *Taſſiloni*, anno regni ejus *viceſſimo quarto*, Indictione V. ego *Vuillihelm*, tractante enim de æterna beatitudine ſeu de pœnali judicio, qualiter Deum contemnentes pœnam incidunt infinibilem, & Chriſto adhærentes vitam adipiſcunt ſempiternam: ob hoc igitur ſtatui apud me ipſum cum conſenſu & licentia ſummi Principis *Taſſiloni* de ſubſtantia, quam mihi Princeps præfatus conceſſit ad *Marchluppa*, omnia, quæ ibidem habeo, ſervos vel ancillas ſeu liberos, ad ipſum locum detentos, terram, pratas, ſilvas, cultum & inculcum, vel quicquid ibi habere potuero, omnia ex integro trado atque confirmo ad Monaſterium beati Michaëlis, qui ſitus eſt ad *Maninſee*, ut poſt obitum meum ibi deſerviat die ac nocte, & ibi fruibilis pro redemptione animæ meæ, cùm ex hac luce fuero ſubtractus. Siquis autem contra hanc cartam traditionis quælibet oppoſita perſona con-
A. traire voluerit, iram Dei Omnipotentis incurrat, & cauſam cum beato Michaëlo Archangelo, & partem cum Juda traditore, & carta hæc nihilominus firma permaneat. Sunt multi teſtes.

17.

Traditio Meginharti.

EGo in Dei nomine *Meginhart*, con- 772.
ſiderans, qua gravor, ſarcina peccatorum, & reminiſcor bonitatis Dei dicentis, date elemoſynam, & omnia munda fient vobis: de tanta igitur miſeratione & pietate Domini noſtri Jeſu Chriſti confido. Idcirco hanc epiſtolam donavimus, donatumque in perpetuum eſſe volumus, atque de jure noſtro in poteſtatem & dominationem Monaſterij S. Michaëlis Archangeli conſtructum in loco, qui dicitur *Maninſee* in pago *Matahgauue*, ubi præeſt Venerabilis & Dei famulus *Oportunus* Abbas vel Monachi ejus in vinculo caritatis connexi, transfundimus atque transſcribimus in villa nuncupante *Meginharteshuſir*, ſitas in pago *Quinzingauue*, tertiam partem de terra mea, & duos
C. ſervos manentes cum domibus eorum, terræ mancipijs, ædificijs, vel quicquid eos pertinet, peculiam utriusque ſexus, mobilibus & inmobilibus, ſicut a nobis hodierno tempore poſſidetur, ut, poſtquam egreſſus fuero in Monaſterium, vel poſt obitum meum, ut ibi firma permaneat pro uxore mea *Erchanfrita* & filio meo *Madalhart*.

Acta eſt autem hæc cartula IX. Kal. Maj. regnante Duci [Taſſilone] XXV. anno Indict. III. Et ſunt teſtes multi.

18.

Traditio Hrodperhti.

D. IN Chriſti nomine. Ego itaque *Hrod-* 772.
perht cogitans pro anima mea vel pro æterna retributione tracto & transfundo propria mea in loco, qui dicitur *Piribinuuanc*, quod ego adquæſivi ad ſenioribus meis cum conſenſu ſeniori meo nuncupante *Egino*, quicquid ibidem pertinet, poſt obitum meum ſit firmiter, omnia, quod ad me pertinet, cum domibus & mancipijs, ſilvis, pratis, agris, campis aquarumve decurſibus traditum ſit ad Eccleſiam S. Michaëlis in loco nuncupante *Maninſee*, regnante Domno

Digitized by Google

Domno noſtro *Taſſilone* Duce gente Bauuariorum anno vigeſimo quinto VI. Id. Novembr. Sunt teſtes multi.

19.

Traditio Helfrih.

773. DUm mors per omnes tranſit, & improviſum eſſe videtur, debet unusquisque cogitare, quid ei ad ſalutem æternam proficiat. Idcirco ego *Helfrih* trado atque transfundo pro remedium animæ meæ in villa nuncupante *Rorpah*, quicquid ibi proprium habui, id eſt, ſervos duos manentes & terram meam ad Monaſterium S. Michaëlis, nuncupante *Maninſeo*, ut ibi ſtabilis permaneat omni tempore.

Acta eſt autem hæc cartula Idib. Maj. regnante Domno *Taſſilone* Duci XXVI. anno. Sunt teſtes multi.

20.

Traditio Albkis & Albkeri.

773. EGo in Dei nomine *Albkis* & filius meus *Albker* conſideravimus, qua gravor, ſarcina peccatorum, & reminiſcimini bonitatis Dei dicentis: date elimoſina, & omnia munda fient vobis, idcirco hanc epiſtolam donavimus, donatumque in perpetuum eſſe volumus, atque de jure noſtro in poteſtatem & donationem Monaſterij Archangeli Michaëlis conſtructum in loco, qui dicitur *Maninſeo* in pago *Matahgauue*, ubi præeſt venerabilis & Dei famulus *Oportunus* Abbas, vel Monachi ejus, in vinculo caritatis connexi, transfundimus atque tranſcribimus in villa nuncupante *Steindorf*, ſitas in pago *Atergauue*, manentes ſervos duos cum domibus eorum, & omnia, quæ habuerunt in illa die, & medietate de terra, quæ ad eodem locum pertinent: & quicquid frater meus *Aaron* antea donavit, ego & filius meus confirmavimus ad ſuprà dictum Monaſterium in alimonijs vel ſubſtantia Monachorum ibidem habitantium Chriſto protegente proficiant. Siquis verò, quod futurum eſſe non credo, aut ego ipſe aut aliquis ex hæredibus meis, vel quislibet oppoſita perſona, qui contra hanc cartulam donationis, quod ego & filius meus cum bona voluntate fieri rogavimus, tentare aut frangere voluerit, inprimis judicium Dei incurrat, atque A. Archangeli Michaëlis, & a conſortio Chriſtianorum alienus efficiatur, & inſuper conponat auri libras tres, & argenti pondera V. & quod conatur facere, non perficiat, & hæc cartula firma & ſtabilis permaneat ſtipulatione ſubnixa.

Acta eſt hæc cartula in ipſo Monaſterio Archangeli Michaëlis ſub die III. Kal. Mad. & in ipſo die cœpi iter facere ad *Romam*, regnante Domno *Taſſilone* Duce XXVI. anno. Sunt teſtes multi.

21.

Traditio Reginolfi.

B. IN nomine Domini Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, glorioſiſſimi Ducis *Taſſilonis* anno regni ejus viceſimo nono, Indictione I. cum conſenſu & licentia ſummi Principis *Taſſilonis* ego *Reginolf* pecuniam, quæ fuit *Reginhari* hominis mei, & eam mihi conceſſit Dominus meus *Taſſilo*, quæ eſt juxta fluenta *Vilſe*, trado atque confirmo omnia, quæ ibidem habeo, curtem cum domo, ſervos & ancillas, terram, pratas, rures, campos, ſilvas, aquas, cultum vel inculcum, mobile vel inmobile, omnia ex C. integro, quicquid ibi habere potuero, ad Monaſterium S. Michaëlis ad *Maninſeo*, ut poſt obitum meum ibi ſit firmum & ſtabilitum, diebus autem vitæ meæ mihi deſerviat. Siquis autem ulla oppoſita perſona contra hanc cartam donationis, quod fieri non credo, contra ire voluerit, iram Dei omnipotentis incurrat, & cauſam habeat cum beato Michaëlo Archangelo, & partem cum Juda traditore, & carta hæc nihilominus firma permaneat. Acta ſunt autem coram multis teſtibus. 776.

22.

Duæ Traditiones Machelmi Comitis.

IN Chriſti nomine. Regnante Domno Theſſilone Duce ego *Machelm* Vir Clariſſimus, cogitavi pro intuitu timoris Dei vel Divinam retributionem, ut in futuro ſeculo peccatorum meorum veniam merear conſequi, dono atque transfundo ad Eccleſiam S. Michaëlis, quæ ſita eſt in loco, qui nuncupatur *Maninſeo*, villam meam *Munolfingd*, medietatem, quæ mihi conceſſit Theſſilo Dux, pro remedium & perenni ſalute *Otilonis* & *Theſſilonis* & noſtram mer- 777.

mercedem manſos tredecim cum mancipijs, cum agris, cum pratis, cum domibus, quæ ad ipſam pertinere videntur, & caſa mea cum cultura mea, excepto alias caſas, quæ ante poſui ad alium locum dare, terra, prata, ſilva, paſcua, via, aquis, quæ ad ipſam curtem pertinere videntur, omnia meditate donamus ad ſuprà dictam Eccleſiam S. Michaëlis, quæ ſita eſt ad *Maninſeo*. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, aut ego ipſe, aut ulla oppoſita perſona, quod fieri non credo contra hanc donationem venire, aut eam infringere tentaverit, inprimis in iram Dei incurrat, & a liminibus Eccleſiæ extraneus efficiatur, & ſit culpabilis in fiſco auri uncias duo, & argenti pondera V. & effectum, quod inchoavit, obtinere non valeat. Et hæc ſunt teſtes: *Vuiſirih* Epiſcopus. Ego Machelmus, qui hanc traditionem feci. *Ogo*, *Reginolf*, *Adalker*, *Hartnid*, *Salucho*, *Sigihart*. Ego *Atto* acſi indignus Abba vocatus hanc cartam donationis ſcripſi, & ipſe ſum teſtis.

Iſta confirmatio fuit facta ad *Oſtarmuntingon*, & tunc erat *Theſſilo* XXX. annorum, & iterum ad *Ottingon* confirmavit in natali Sancti Silveſtri Papæ.

In Chriſti nomine. Regnante glorioſo Domno *Theſſilone* Duce ego *Machelmus* Comis tradidi atque dedi mancipias meas V. per conſenſum Domini noſtri *Theſſiloni* propria poteſtate pro remedium animæ meæ ad Eccleſiam S. Michaëlis, quæ ſita eſt in loco, qui dicitur *Maninſeo*, manentes illas in vico, qui dicitur *Tiſleti*. Nomina earum mancipiarum hæc ſunt: *Waltin*, *Hugidrud*, *Perhtuuar*, *Kerni*, *Erpha*, Tradidi eas, ut ſtent ibi firmiter & ſtabiliter in ſervitio S. Michaëlis, illas ibi tradidas die Dominico XII. Kal. Febr. Teſtis autem pluribus adteſtantibus.

23.

Traditio Reginharti

783. SI aliquid de rebus noſtris locis Sanctorum conferimus, hoc nobis in æterna beatitudine retribuere confidimus. Ego igitur *Reginhart* hoc mente pertractans dono ad Monaſterium, qui eſt conſtructus in honore S. Michaëlis Archangeli, ubi *Oportunus* Abbas cum A. Monachis ſuis regularem vitam exercere videtur, donatumque in perpetuum eſſe volo cum conſenſu vel licentia glorioſiſſimi Principis *Taſſiloni* Ducis, id eſt: colonias Duas in loco, qui dicitur *Tillinpah*, ut quicquid jam dictus Abbas vel Monachi ipſius ex eis elegerint, faciendi liberam ac firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem. Siquis contra hanc cartulam ex adverſo venire tentaverit, partibus Duci componat, ſicut lex eſt, & hæc cartula omni tempore firma permaneat ſtipulatione ſubnixa.

B. Actum eſt autem hoc in curte, qui dicitur *Faringa*, anno regni Domni *Taſſiloni* trigeſſimo ſexto. Sunt teſtes multi.

24.

Traditio Hiltiperhti.

IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ego itaque *Hiltiperht* tractante enim me de æterna beatitudine ſeu de terribili gehennea, qualiter Deum contemnentes pœnam incidunt ſempiternam, & Chriſto ſervientes vitam adipiſcunt æternam, pro hoc igi-C. tur ſtatui in animo meo de hæreditate mea Deo inſpirante, quod mihi pater meus dereliquit. Tradidi inſuper & transfundavi, quod habui in loco nuncupante *Atergauui*, in villa, qui dicitur *Campara*, cum domibus, ædificijs, rures, campos, pratas, ſilvis, vijs, aquis aquarumve decurſibus cum quatuor mancipijs, poſt obitum meum trado ad Monaſterium S. Michaëlis, qui vocatur *Maninſeo*, qui eſt conſtructus in pago *Mahgauue*. Siquis autem, quod futurum eſſe non credo, aut ego ipſe, aut ali-D. quis de hæredibus meis vel ſucceſſoribus meis, qui contra hanc donationis cartam venire aut eam infrangere tentaverit, inprimis iram Dei incurrat & Sanctorum ejus, & a limitibus Eccleſiæ extraneus efficiatur, & habeat partem cum Juda traditore & cauſam cum Sancto Michaëlo, & ſit culpabilis in fiſco auri uncias III. argenti pondera ſex, & quod repetit, evindicare non valeat, & hæc carta nihilominus firma permaneat & ſtabilis omni tempore ſtipulatione ſubnixa. Die Conſule VIII. Auguſt. Indict. VI. Sunt teſtes multi.

25. *Pre-*

25.

Precaria inter Hunricum Abbatem Monſeenſem & Alpkerum.

circ. 794. DOmino ſancto & in Chriſto Patre *Hunriho* Abbate de Monaſterio *Maninſeo*, qui eſt conſtructus in honore S. Michaëlis Archangeli ego in Dei nomine *Alpker*. Dum non eſt incognitum, aliquam rem meam in pago *Matachgauui* in loco nuncupante *Auuiſteti* iniuſtè mihi fuit adempta. Et nunc eſt mea petitio, ut reatum, quem ſolvere mihi debeatis in illa re, quæ antè mea fuit, exſolvere faciatis, id eſt: una hopa. Ea ratione mea fuit petitio, & veſtra non denegavit voluntas, ut ipſam rem, dum diu advixero, mihi præſtetiſſetis habere. Quod ita & feciſtis, & pro ipſo uſu cenſivi vobis annis ſingulis denarios XII. aut pretium ipſorum, ut hoc ad feſtivitatem S. Michaëlis exſolvere faciam, & poſt meum quoque diſceſſum ipſam rem emelioratam cum omni ſuperpoſito, quicquid ibidem adtractum emelioratumque repertum fuerit, vel tranſitus meus ibidem dereliquerit, abſque ulla contradictione vel judiciaria conſignatione revocare faciatis in veſtrum dominium. Et hæc precaria bonorum hominum ſignaculis roborata, quorum nomina ſubter tenentur inſerta.

Actum *Salzpurc* Monaſterio publico ſub die VIII. Kal. Maj. in anno XXVI. regnante Domno noſtro *Karolo* glorioſiſſimo Rege.

26.

Traditio Vualhilonis.

IN nomine Domini venerabile in Chriſto *Hunriho* Abbate in loco nuncupante *Maninſeo*, Ego in Dei nomine *Vualhilo* una convenientia Coniuge mea *Irminpirc* poſt obitum meum & poſt obitum ejus, ab hoc donavimus in amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti ad Monaſterium *Maninſeo* ad S. Michaëlem, vel ad ipſam congregationem, ubi præeſt *Hunrihus* Abbas, ad ipſum locum adunatam, donatumque per hanc epiſtolam donationis eſſe volumus atque transfundimus in pago *Tuungauue* in villa nuncupante *Herigiſinga* extra unum mancipium, & alia caſa; cum domibus, ædificijs, mancipijs, campis pratis, ſil-

A. vis, aquis aquarumve decurſibus, vel quicquid in ipſa loca jam ſuprà dicta, quod noſtra ad præſens fuit poſſeſſio, in veſtra vel ipſius Monaſterio S. Michaëlis tradimus ad dominandum, in ea verò ratione, ut ipſam rem cum omni merito ad ſe pertinente, aſpiciente vel reddente poſſidere debeatis, & facta noſtra perpetuò ſtabilis debeat permanere (donatio.) Siquis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi nos aut hæredes noſtri aut cohæredes, ſeu qualibet aut ulla obpoſita perſona, qui contra hanc traditionem venire conaverit, aut eam in- B. frangere tentaverit, inferat partibus ipſius ſancti loci decreverit duplum tantum, quantum hæc traditio convenit, & inſuper una cum diſtringente ſocio fiſco auri libras tántas, argento pondus tanta coactus exſolvit; ſed iſta præſens traditio omni tempore firma permaneat.

Actum ibi in pridia Non. Jul. & vigeſima quinta regni ejus (Karoli) in Francia, X. & IX. in Italia, Indict. IV. In Dei nomen feliciter. Teſtes multi.

27.

C. *Concambium inter Hunricum Ab. & Thiſam.*

IN Chriſti nomine cambio de terra, 798.
quod *Thiſa* dedit hæreditatem ſuam legitimam in loco nuncupante *Heiminga* pro alia terra in loco nuncupante *Rota* Domno Abbate *Hunrico* cum conſenſu Fratrum terra valente, ut ſic ſtabilis uſque in ſempiternum regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto anno DCCXCVIII. Indict. VI. Sunt multi teſtes. Acta ſunt autem XI. Kal. Jul.

D. In Chriſti nomine. Ego itaque *Suanahilt* cogitans pro anima mea ſeu pro anima *Sigiperhti* trado hæreditatem meam ad S. Michaëlem in loco nuncupante *Maninſeo*, ego transfundo in loco, qui dicitur *Heiminga*, quæ mihi ſenior meus *Sigiperht* donavit cum conſenſu Domno noſtro *Taſſiloni* Duce, & cum conſenſu *Machelmi* Comitis, quæ in eodem loco habui, omnia & omnibus, ſive domum, agris, campis, ſilvis, aquis, vijs, omnia culta & inculta ſic trado, ut me vivente victum habeam & poteſtatem, & vobis ſerviendo, & ve-

Digitized by Google

ſtra poteſtas ſit ſuper nos ad adiutorium noſtrum.

28.

Commutatio inter Arnonem Archiep. Salzburgenſem & Hunricum Abbatem Monſeens.

799. NIhil ſibi quiſpiam cernitur minuendum, quod ſibi econtra recipit in augmentum. Ideoque conplacuit inter venerabilem virum *Arnonem* licèt Archiepiſcopum de Monaſterio *Salzpurgienſi*, ubi Domnus & ſanctus *Hrodbertus* Confeſſor Chriſti corpore requieſcit, & venerabilem virum *Hunricum* Abbatem de Monaſterio *Maninſeo*, quod eſt conſtructum in honore Sancti Michaëlis, ut, ubi congruus vel opportunus eveniſſet locus, de rebus eorum inter ſe opportunitatem facere deberent, quod ita fecerunt.

Idcirco dedit venerabilis *Arn* Salzpurgenſis Antiſtes pro concambio prædicto Abbati *Hunrico* ad opus S. Michaëlis in loco, qui dicitur *Strazuualaba*, eccleſiam ibidem cum integritate, qualiter ante S. Petro & ſancto Hrodberto inpendebat ſervitium. Similiter & in alio loco nuncupante *Strazza* propè eodem loco de terra dedit jugera CLXX. ſicut dictum eſt fieri poſſe, ea ratione, ut jure perpetuo ibidem ſerviat. Et econtra viſus eſt in commutationis negotio reddere prædictus Abba *Hunrichus* præfato Archiepiſcopo *Arnoni* ad ſervitium S. Petri & S. *Hrodberti* in loco, qui dicitur *Hadolveſpah*, cum omni integritate ad hoc pertinente, quod venerabilis vir *Vuaſagrimus* Comis ad prædictam Eccleſiam S. Michaëlis ad Maninſeo viſus fuit tradidiſſe. Pari modo & in alio loco, qui dicitur *Lantchampha*, quod ad eundem locum tradiderunt religioſi viri, Tato *ſcilicet* & *Hrodperhtus* filij *Vuillihelmi*.

Propterea inter ſe duo cartas commutationis ad firmationem uno ordine conſcriptas fieri rogaverunt, ut ambo, qualiter alter ab altero ipſi commutantes acceperint ad uſum ſuæ regiminis eccleſiæ, habeant, teneant atque poſſideant, vel quicquid exinde facere voluerint, liberam in omnibus habeant poteſtatem. Et ſiquis ex eis vel de ſucceſſoribus eorum de ipſis commutationibus quicquam immutare vellet, ipſam rem, quam pro concambio accepit, amittat, & quod repetit, nihil evindicet, ſed præſentes commutationes inter eos & ſucceſſores eorum omni tempore firmæ permaneant.

Actum in utriſque locis, *Salzpurgienſi* videlicet Monaſterio publico & ad *Maninſeo* ſub die conſule III. Id. April. Indict. VII. in anno XXXII. regnante Domno noſtro *Carolo* glorioſiſſimo Rege. Teſtes utriſque partibus multi.

29.

Traditio Alharti.

EGo in Dei nomine *Alhart* pro peccatis meis minuandis vel pro æterna retributione dono ad Monaſterium Sancti (Michaëlis,) qui vocatur Mainſeo, qui eſt conſtructus in honore S. Michaëlis & S. Petri vel cæterorum Sanctorum, ubi *Hunrihhus* Abbas cum Monachis ſuis præeſſe videtur, in loco, qui dicitur *Ouuſtat*, * poſt obitum meum firma & ſtabilis permaneat, quicquid de parte mea habeo, id eſt, caſa cum curte, mancipia, agros, prata, aquis aquarumve decurſibus, vel quicquid ad ipſum locum pertinere videtur, totum & ad integrum, ſicut dixi, poſt obitum meum dono atque transfundo, ut, quicquid jam prædictus *Hunricus* Abbas vel Monachi ſui de ipſa re facere voluerint, liberam ac firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem faciendi. Si quis verò, quod fieri non credo, aut ego ipſe aut ullus de hæredibus meis vel quislibet oppoſita perſona contra hanc donationem, quam ego *Alhart* bona voluntate fieri & firmare rogavi, venire atque infrangere tentaverit, inprimis (iram Dei incurrat,) & non valeat vindicare, quod repetit, & partibus regi componat argenti pondera decem, auri V. & hæc donatio a me facta omni tempore firma & ſtabilis permaneat ſtipulatione ſubnixa.

Actum *Maninſeo* Monaſterio publico ſub die XVII. Kal. Junij. Et ſunt teſtes multi.

* *al.* Auſteti.

30. *Tra-*

30.

Traditio Tatonis.

VOx Divina clamat per Prophetam in univerſo Orbe dicens : Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Et in alio loco Scriptura dicit : abſcondite elimoſinam in ſinu pauperis, & ipſe orat pro vobis, pro peccatis veſtris ad Dominum. Et iterum dicit, quia ſicut aqua extinguit ignem, ita elimoſina extinguit peccatum. Ego in Dei nomine *Tato* conſiderans, quia gravor ſarcina peccatorum, & reminiſcens bonitatis Dei dicentis : date elimoſinam, & omnia munda ſient vobis. De tanta igitur miſeratione & pietate Domini confiſus idcirco hanc epiſtolam donavimus, donatumque in perpetuum eſſe volumus, atque de jure noſtro in poteſtatem & dominationem Monaſterij S. Michaëlis, cujus vocabulum eſt *Maninſeo*, in pago *Matahgouui* conſtructum, ubi præeſt venerabilis *Humricus* Abbas vel turba plurima Monachorum adunata, transfundimus atque transſcribimus in villa nuncupante *Pooh* domum meam & curtem meam & medietatem meam ſeu media prata mea & ſervum cum uxore ſua & cum domo ſua, & peculium utriuſque ſexus, & terra ſua, & alius homo cum uxore ſua & cum domo ſua & cum terra ſua, vel quicquid habere videtur, ſicut a nobis hodierno tempore poſſidetur, ad prædicto Monaſterio in alimonijs vel ſubſtantia Monachorum ibidem habitantium Chriſto protegente proficiant, ea ſcilicet ratione, ut, dum pariter vivimus, ante dicta domo vel ſervi ſeu terra ſub uſubeneficio in poteſtate noſtra conſiſtat, poſt obitum verò meum, quando quidem Deus voluerit, omnia meliorata ad ipſum Monaſterium adjuvante Deo conſiſtant.

Siquis verò, quod futurum eſſe non credo, huic voluntati noſtræ quibuslibet aliquis de hæredibus noſtris aut judicum ſæva crudelitas vel qualibet obvia perſona obvius vel repetitor extiterit, a conventu omnium Chriſtianorum vel liminibus Eccleſiæ extraneus habeatur, & Juda traditoris Domini noſtri Jeſu Chriſti perfruatur conſortio. Inſuper etiam quod repetit, non valeat A. vindicare, & inferat partibus ipſius Monaſterij vel Fratrum ibidem conſiſtentium duplicem pecuniam atque ſubſtantiam, & in ſacratiſſimo fiſco auri libras duas, argenti pondera quinque. Hæc autem præſens donatio, quæ a nobis pro amore Dei facta eſt, & hæc cartula in loco, qui dicitur *Pooh*, & alium ad *Vuerid*. . . . . .

31.

Traditio Adalunc.

EGo in Dei nomen *Adalunc* pro peccatis meis minuendis vel pro æterna retributione dono ad Monaſterium, B. qui vocatur *Maninſeo*, quod eſt conſtructum in pago *Matahgauuia*, in honore S. Michaëlis & Sancti Petri vel cæterorum Sanctorum, ubi *Hunrichus* Abbas cum Monachis ſuis præeſſe videtur, a die præſente donatumque in perpetuum eſſe volo, hoc eſt, in loco, qui dicitur *Tan* in pago *Salzpurcgauuia*, cum campis, pratis, ſilvis, aquis aquarumque decurſibus, vel quicquid ad ipſum locum pertinere videtur, totum & ad integrum, ſicut dixi, a die præſente C. dono atque transfundo. Siquis verò, quod fieri non credo, aut ego aut ullus de hæredibus meis vel quislibet oppoſita perſona, qui contra hanc traditionem venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, inprimis uſquequo de hac cauſa ad veram emendationem veniet, iram Dei & Sanctorum ejus vel pœnas inferni experire pertimeſcat, & non valeat vindicare, quod repetit, & partibus Duci conponat argento pondua X. auri libras V. Et hæc donatio mea facta omni tempore firma & ſtabilis permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. Et D. iterum firmavit cum ſua ſella cum auro parata, & ſuam luricam. Teſtes multi.

32.

Traditio Ludwicki.

SAcroſancto ac venerabili Monaſterio, quod eſt conſtructum in honore 303. Sancti Mihhaëlis in loco nuncupante *Maninſeo*, ubi præeſt ſanctus ac venerabilis *Hiltipaldus* Archiepiſcopus, & ſacri palatij Capellanus, ego in Dei nomine *Ludwickus*. Conſtat me non imaginario jure, nec nulli cogentes imperium,

rium, ſed propria ſpontanea voluntate pro animæ meæ remedium ſeu pro æterna retributione tradere, & ita tradidi res meas in pago nuncupante *Mathagauui* poſt obitum meum, id eſt, in loco nuncupante *Triupah*, unà cum terris, campis, pratis, ſilvis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, totum & integrum, quicquid in ipſo loco mea legitima videtur eſſe poſſeſſio, poſt obitum meum ſit ſtabilis, & firma permaneat in loco, quod ſupra memoravimus VIII. mancipia. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe aut ullus aut pro hæredibus meis quislibet ulla oppoſita perſona, qui contra hanc donationem venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, & inſuper una cum diſtringente ſocio fiſco auri libr. I. argento pondere V. coactus exſolvat, & quod repetit, ullum unquam tempore vindicare valeat: ſed præſens traditio omni tempore firma permaneat cum ſtipulatione ſubnixa.

Actum ad *Maninſeo*, datum poſt obitum meum XV. Kal. April. anno tertio imperij Domni *Karoli* pijſſimo Imperatoris, & XXXV. regni ejus in *Francia*, & XXX. in *Natalicia*, * Indictione XI. in Dei nomine feliciter.

* *Ita Cod.* pro Italia.

33.

Traditio Poſonis.

804. SAcroſancto ac venerabili Monaſterio, quod eſt conſtructum in honore S. Michaëlis in loco nuncupante *Maninſeo*, ubi præeſt ſanctus ac venerabilis *Hiltipaldus*, Archiepiſcopus & Sacri Palatij Capellanus, ego in Dei nomine *Poſo*. Conſtat me non imaginario jure, nec nulli cogentes imperium, ſed propria ſpontanea voluntate pro animæ meæ & pro filiis meis ſitas in pago *Rotahgowe* poſt obitum meum, id eſt, in loco nuncupante *Rota*, cum terris, campis, pratis, ſilvis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus totum & integrum, quicquid in ipſo loco mea legitima videtur eſſe poſſeſſio, poſt obitum meum ſit ſtabilis, & firma permaneat in loco, quod ſuprà memoravimus. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe aut pro hæredibus meis quislibet ulla oppoſita perſona, qui contra hanc donationem venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, & inſuper una cum diſtringente ſocio fiſco auri Libr. II. argento pondera coactus exſolvat, & quod repetit, ullum unquam tempore evindicare non valeat, ſed præſens traditio omni tempore firma permaneat cum ſtipulatione ſubnixa.

Actum ad *Maninſeo*, datum poſt obitum meum XII. Kal. April. anno III. Imperij Domni *Karoli* pijſſimi Imperatoris, & XXXV. regni ejus in Francia, & XXX. in Italia, indictione XI. ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCIIII. Sunt multi teſtes.

34.

Traditio Alpkis.

SAcroſancto ac venerabili Monaſterio, quod eſt conſtructum in honore S. Michaëlis in loco *Maninſeo*, ubi præeſt ſanctus ac venerabilis *Hildibaldus* Archiepiſcopus & Sacri Palatij Capellanus ego *Alpkis*. Conſtet me non imaginario jure nec nulli cogentes imperium, ſed propria ſpontanea voluntate pro animæ meæ remedium, ſeu pro æternæ retributione tradere, & ita tradidi, ſi me filius natus fuiſſet, medium portionem illi habuiſſet, & ſi me non fuiſſet creatus, poſt obitum meum omnia cauſa mea ad Monaſterium fuiſſet traditus, ſitas in pago *Vfgauue*, in loco nuncupante *Chauinga*, unà cum domibus, ædificijs, mancipijs, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, mobili & inmobili, totum & ad integrum, quicquid in ipſo loco mea videtur eſſe poſſeſſio, a die præſente de jure meo in jure, dominatione ipſius Monaſterio trado, atque transfundo, ita, ut quicquid exinde pars ipſius Monaſterij ad profectum ipſius ſancti loci facere decreverit, liberum perfruatur arbitrium. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe aut ullus de hæredibus meis, quislibet ulla oppoſita perſona, qui contra hanc traditionem venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, inferat partibus ipſius ſancti loci duplum tantum, quantum hæc traditio convenit, & inſuper una cum diſtringente ſocio fiſco auri libras tantas coactus exſolvat, & quod repetit, nullatenus evindicare valeat, ſed præſens traditio

omni

omni tempore firma permaneat cum ſtipulatione ſubnixa.

Actum ibi, datum in III. Kal. Nov. anno VII. Chriſto propitio imperij Domni noſtri *Karoli* Auguſti, & XXXVIII. regni ejus in Francia, & XXXIII. in Italia, indictione XII. in Dei nomine feliciter. Teſtes multi.

35.

Traditio Richarij Comitis.

SAcroſancto ac venerabile Monaſterio, quod eſt conſtructum in honore S. Mihhaëlis in loco nuncupante *Maninſeo*, ubi præeſt ſanctus ac venerabilis *Hildibaldus* Archiepiſcopus Rector, nec non & ſacri Palatij Capellanus, ego in Dei nomine *Richario* Comite. Conſtat me non imaginario jure, nec ulli cogentes imperium, ſed propria ſpontanea voluntate pro animæ meæ remedium ſeu pro æternæ retributione tradere, & ita tradidi aliquas res proprietatis meæ ſitas in pago *Matahgauue*, in loco nuncupante *Gurtina*, unà cum domibus, ædificijs . . mancipijs, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, mobilibus & inmobilibus, totum & ad integrum, quicquid in ipſo loco mea legitimè videtur eſſe poſſeſſio, a die præſente de jure meo in jure dominatione ipſius Monaſterij trado atque transfundo, ita, ut quicquid exinde pars ipſius Monaſterij ad profectum ipſius ſancti loci facere decreverit, liberum perfruatur arbitrium. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, aut ego ipſe, aut ullus de hæredibus ſeu prohæredibus meis quislibet ulla oppoſita perſona, qui contra hanc traditionem venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, inferat partibus ipſius ſancti loci duplum tantum, quantum hæc traditio convenit, & inſuper una cum diſtringente ſocio fiſco auri libras tantas, argenti pondua tanta coactus exſolvat, & quod repetit, nullatenus evindicare valeat, ſed præſens traditio omni tempore firma permaneat cum ſtipulatione ſubnixa.

Actum ibi, datum XIII. Kal. Febr. anno V. Imperii Domni *Karoli* pijſſimi Imperatoris, & XXXVIII. regni ejus in Francia, & XXXIII. in Italia, indict. XIII. A. in Dei nomine feliciter. Sunt multi teſtes.

36.

Traditio Engilrat.

SAcroſanctæ Eccleſiæ S. Mihhaëlis in loco, qui vocatur *Maninſeo*, in Dei nomine ego *Engilrat*. Cogitans pro animæ meæ remedium, non cogentes imperium, ſed libera poteſtate tradidi res meas Sancto Mihhaëlo Archangelo, & *Hiltipaldo* Archiepiſcopo in loco, qui vocatur *Vualdoluinga*, domi- B. bus, ædificijs, pratis, paſcuis, mancipijs, omnia, quod mea videtur habere poſſeſſio, niſi tantum unum ſervum. Liberam habeatis in omnibus poteſtatem poſt diſceſſum meum habendi, tenendi, vel omnia, quodcunque facere volueritis. Iſta traditio fuit facta in VI. Kal. Febr. Sunt multi teſtes.

37.

Traditio Meginrat.

LAtores legum ſanxerunt, ut, qui de 805.
C. jure proprio aliquid ad loca Sanctorum condonare voluerit, hoc coram plures teſtibus firmiter faciat oblicare. Quapropter ego *Meginrat* in Dei nomine cogitans de Dei timore vel æterna retributione, ut mihi pius Dominus de peccatis meis aliquid relaxare dignetur, volo tradere ad Sancto Michaelo Archangel. ad *Maninſeo* omnem ſubſtantiam meam, quam habui ad *Sceſouua*, & quicquid ad illo loco pertinet, ita trado pro me ipſum & pro filium meum *Meginhard* & pro uxore mea *Hiltipirinna*, ut poſt obitum noſtrum in omni- D. bus habeatis poteſtatem, ſicut ſuperiùs nominavimus, iterum atque iterum transfirmabo traditionem meam ad Sancto Michahelo Archang. ad *Maninſeo*, ubi præeſt *Hiltipaldus* Archiepiſcopus in Dei nomine regere videtur, & *Kamalo* Monachus deſuper conſtitutus Præpoſitus, & Miſſus *Hildepaldi* Archiepiſcopi, quod dicitur *Lanperhtus* ſuus Diaconus ibidem erat, & teſtimonia accepit.

Et hoc fuit factum ad ipſum Monaſterium ad *Maninſeo*. Anni Domini DCCCV. Indict. XIII. Sunt teſtes multi.

Digitized by Google

38.

Traditio Gotahelmi.

SAcroſancto ac venerabili Monaſterio, quod eſt conſtructum in honore Sancti Michahelis Archangeli in loco nuncupante *Maninſeo*, ubi præeſt venerabilis *Hiltipaldus* Archiepiſcopus, & ſacri Palatii Capellanus, ego in Dei nomine *Gotahelm*. Conſtat me nullus me non cogit niſi germanus meus *Gotahelmus* petet me, quòd ego iſtam traditionem ad S. Michaëlem firmam feciſti, quod *Kotahelmus* antea tradidit pro remedium animæ noſtræ, ſeu pro æternæ retributione tradere, & ita tradimus aliquas res proprietatis noſtræ, ſitas in pago *Sundargouue*, in loco nuncupante, *Moringa*, unà cum domibus, ædificijs, mancipijs, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, totum & ad integrum, quicquid in ipſo loco noſtra videtur eſſe poſſeſſio, tradimus atque transfundimus ad ipſius ſancti loci, facere decreverit, liberum perfruatur arbitrium. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, aut nos ipſi, aut ullus de hæredibus vel prohæredibus noſtris quislibet ulla oppoſita perſona, qui contra hanc traditionem venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, inferat partibus ipſius ſancti loci duplum tantum, quantum hæc traditio convenit, & inſuper una cum diſtringente ſocio fiſco auri libras tantas, argento pondua tanta coactus exſolvat. Sed iſta traditio firma fuit facta in Kal. Novemb. in Miſſa S. Cæſarij cum ſtipulatione ſubnixa anno III. Chriſto propitio imperij Domni noſtri *Karoli* Auguſti, & XXXV. regni ejus in Francia, & XXX. in Italia, indictione XIII. Et ſunt multi [teſtes].

39.

Traditio Kundpaldi.

SAcroſancto ac venerabile Monaſterio, quod eſt conſtructum in honore S. Michahelis, in loco nuncupante *Maninſeo*, ubi præeſt ſanctus ac venerabilis *Hildipaldus* Archiepiſcopus Rector, nec non & ſacri Palatij Capellanus, ego in Dei nomine *Kundpald*. Conſtat me non imaginario jure, nec ulli cogentes imperium, ſed propria ſpontanea voluntate pro animæ meæ remedium ſeu pro æterna retributione tradere, & ita tradidi aliquas res proprietatis meæ, ſitas in pago *Matahhgauue* in loco nuncupante *Heiminga* & *Mechmdorf*, quartam partem hæreditatis meæ poſt obitum meum, id eſt: cum terris, mancipijs, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, mobili & immobili, totum & ad integrum quartam partem, quod ego habeo cum fratre meo, & quicquid in ipſis locis meas legitimas videtur eſſe poſſeſſio, a die præſente de jure meo in jure dominatione ipſius Monaſterij trado atque transfundo; ita, ut quicquid exinde pars prædicti Monaſterij ad profectum ipſius ſancti loci facere decreverit, liberum perfruatur arbitrium. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, aut ego ipſe aut ullus de hæredibus ſeu prohæredibus meis quislibet ulla oppoſita perſona, qui contra hanc donationem venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, inferat partibus ipſius ſancti loci duplum tantum, quantum hæc traditio convenit, & inſuper unà cum diſtringente ſocio fiſco auri libras tantas, argento pondua tanta coactus exſolvat, & quod repetit, nullatenus evindicare non valeat. Sed præſens traditio omni tempore firma permaneat ſtipulatione ſubnixa.

Actum ibi, datum XIII. Kal. Febr. anno V. imperij Domni *Karoli* pijſſimi Imperatoris, & XXXVIII. regni ejus in Francia, & XXX. in Italia, Indictione XIII. Sunt multi teſtes.

40.

Traditio Halbuini.

SAcroſancto ac venerabili Monaſterio, *807.* quod eſt conſtructum in loco nuncupante *Maninſeo*, ubi præeſt ſanctus & venerabilis *Hiltipaldus* Archiepiſcopus rector, nec non & ſacri Palatij Capellanus, ego in Dei nomine *Halbuinus*. Conſtat me non imaginario jure, nec ulli cogentes imperium, ſed propria ſpontanea voluntate pro animæ meæ remedium; ſeu pro æterna retributione tradere, & ita tradidi aliquas res proprietatis meæ, ſitas in pago *Atargauue*, in loco nuncupante *Einualhesdorf*, unà cum domibus, ædificijs, mancipijs, ſilvis, campis, pratis, paſcuis,

paſcuis, aquis aquarumve decurſibus mobili & inmobili, totum & ad integrum, quicquid in ipſo loco mea legitima videtur eſſe poſſeſſio, a die præſente de jure meo in jure dominatione ipſius Monaſterij ad profectum ipſius ſancti loci facere decreverit, liberum perfruatur arbitrio. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe aut ullus de hæredibus meis, qui contra hanc traditionem venire conaverit, inferat partibus ipſius ſancti loci duplum tantum, quantum hæc traditio convenit, & inſuper una cum diſtringente ſocio fiſco auri libras tantas, argento pondua tanta coactus exſolvat. Sed præſens traditio omni tempore firma permaneat.

Actum ibi, datum in Prid. Id. Novemb anno VII. Chriſto propitio imperij Domni noſtri *Karoli* Auguſti, & XXXVIII. regni ejus in Francia, & XXXIII. in Italia, Indict. XV. Sunt teſtes multi.

41.

Traditio Freſonis.

801. SAcroſancto ac venerabili Monaſterio, quod eſt conſtructum in honore S. Michaëlis Archangeli in loco nuncupante *Maninſeo*, ubi præeſt venerabilis *Hildipaldus* Archiepiſcopus & ſacri Palatii Capellanus, ego in Dei nomine *Freſo* Conſtat, me non imaginario jure, nec ulli cogentes imperium, ſed propria ſpontanea voluntate pro animæ meæ remedium ſeu pro æterna retributione tradere, & ita tradidi aliquas res meas ſitas in pago *Quinzingauue*, in loco nuncupante *Chalpaha* unà cum domibus, ædificijs, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, totum & ad integrum, quicquid in ipſo loco mea videtur eſſe poſſeſſio, trado atque transfundo ad ipſius ſancti loci facere decreverit, liberum perfruatur arbitrium. Siquis verò, quod futurum eſſe non credo, aut ego ipſe, aut ullus de hæredibus ſeu prohæredibus meis quislibet ulla oppoſita perſona, qui contra hanc traditionem venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, inferat partibus ad ipſius ſancti loci duplum tantum, quantum hæc traditio convenit, & inſuper una cum diſtringente ſocio fiſco auri libras tantas, argenteo pondua tanta coactus exſolvat. Sed iſta traditio omni tempore firma permaneat cum ſtipulatione ſubnixa.

Hoc fuit factum in V. Kal. April. anno VIII. Chriſto propitio imperii Domini noſtri *Karoli* Auguſti. & XXXIX. regni ejus in Francia, & XXXIV in Italia, Indict. I. Sunt teſtes multi.

42.

Traditio Alprat.

SAcroſancto ac venerabili Monaſterio, quod eſt conſtructum in loco nuncupante *Maninſeo*, ubi præeſt ſanctus venerabilis *Hiltipaldus* Archiepiſcopus, ego in Dei nomine *Alprat*. Conſtat me pro animæ remedium ſeu pro æterna retributione tradere, & ita tradidi aliquas res meas vila emptionis meæ, ſitas in pago *Atargauue*, in loco nuncupante *Mulipach*, una mulina & duos iurnales cum via, a die præſente de jure meo in jure dominatione ipſius Monaſterij trado atque transfundo, liberum perfruatur arbitrium. Siquis verò, quod futurum eſſe non credo, aut ego ipſe aut ullus de hæredibus meis quislibet ulla oppoſita perſona, qui contra hanc traditionem venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, inferat partibus ipſius ſancti loci duplum tantum, quantum hæc traditio convenit, & inſuper una cum diſtringente ſocio fiſco auri libras tantas coactus exſolvat, nec nullatenus evindicare valeat, ſed præſens traditio omni tempore firma permaneat.

Actum ibi, datum in vigilia S. Petri in III. Kal. Jul. anno VIIII. Chriſto propitio imperij Domni noſtri *Karoli* Auguſti, & XXXIX. regni ejus in Francia, & XXXIV. in Italia Indict. I. Et ſunt teſtes multi.

43.

Traditio Rumolfi.

IN nomine Dei ſummi ego *Rumolf.* Conſtat me concedere vel perdonare Eccleſiæ S. Michaëlis pro anima mea ad Monaſterium *Maninſeo*, in loco, qui dicitur *Steinpah*, caſa cum priſtina terra, prada, rivas, ſilvas, cultum vel incultum, mancipias V. octo vaſas, duo mulina ad flumen *Agre* & ad locum, qui dicitur *Skerolvinga*, noſtra parte de terra, & omnia, quæ ibi habui. Sunt teſtes multi.

44.

Traditio Reginboh.

IN Christi nomine ego *Reginboh* trado hæreditatem meam in loco nuncupante *Agira*, ad S. Michaëlem ad Monasterium nuncupante *Maninsee*, hoc est, terra, pratis, silvis, aquis, dimedium molendinum quicquid ibi meum proprium cognovi. Sunt multi testes.

45.

Traditio Phetaronis.

SAcrosancto ac venerabili Monasterio, quod est constructum in honore S. Michahelis Archangeli in loco nuncupante *Maninsee*, ubi præest venerabilis *Hiltipaldus* Archiepiscopus & sacri Palatij Capellanus, ego in Dei nomine *Phetaro*. Constat me non imaginario jure, nec nulli cogentes imperium, sed propria spontanea voluntate pro remedium animæ meæ, seu pro æterna retributione tradere, & ita tradidi aliquas res proprietatis meæ, sitas in pago *Trungomme* in loco nuncupante *Ostheringa* una cum domibus, ædificijs, mancipijs, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, totum & ad integrum, quicquid in ipso loco mea videtur esse possessio, trado atque transfundo ad ipsius sancti loci facere decreverit, liberum perfruatur arbitrium. Si quis verò, quod futurum esse non credo, aut ego ipse aut ullus de hæredibus seu proheredibus meis quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, inferat partibus ad ipsius sancti loci duplum tantum, quantum hæc (traditio) convenit, & insuper una cum distringente socio fisco auri libras tantas, argento pondus tanta coactus exsolvat. Sed ista traditio omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa.

Actum ibi, datum in die S. Johannis Babtistæ anno VIII. Christo propitio Imperij Domni nostri *Karoli* Augusti, & XXXIX. regni ejus in Francia, & XXXIV. in Italia Indict. I. Sunt testes multi.

A.

46.

Traditio Cozpaldi.

SAcrosancto ac venerabili Monasterio, quod constructum est in honore S. Michaëlis Archangeli in loco nuncupante *Maninsee*, ubi præest venerabilis Hildibaldus Archiepiscopus & sacri Palatij Capellanus, ego in Dei nomine *Cozpald*. Constat me non imaginario jure, nec nulli cogentes imperium, sed propria spontanea voluntate pro animæ meæ remedium seu pro æterna retribu-
B. tione tradere, & ita tradidi aliquas (res) proprietatis meæ, sitas in pago *Salcbargaune* in loco nuncupante *Skessindorf*, unà cum domibus, ædificijs, mancipijs, silvis, campis *&c. ut num. precedente.*

Actum ibi, datum in Prid. April. anno VIII. Christo propitio imperij Domni nostri *Caroli* Aug. & XXXIX. regni ejus in Francia, & XXXIV. in Italia, indictione prima. Et hæc sunt testes: *Engilman*, *Engilgoz*, *Reginboh*, *Kerbart*, *Odalpald*, *Liutprant*.

47.

Traditio Hnonis.

EGo in Dei nomen *Hnno* cogitans de peccatis meis vel pro æterna retributione donavi ad Sanctum Michahelem meipsum vel meam partem, quod mihi pater meus dimisit in *Chessindorf*, quod ego in portionem meam contra filios meos tuli: & ego abfui in ipsa die. Siquis verò, quod fieri non credo, aut ego, aut ullus de hæredibus meis contra hanc donationem facere voluerit, inprimis iram Dei & Sancti Michahelis incurrere pertimescat. Et hæc carta a me facta omni tempore firma permaneat
D. stipulatione subnexa.

Signum ✠ *Hnno*, qui hanc donationem fieri rogavit. Signum ✠ *Agino*, signum *Diotpalt*, signum *Vuolfgoz*.

48.

Precaria inter Hiltipaldum Archiep. & Alprat.

PRecaria, quòd Domino sancto venerabili in Christo Patri *Hiltipaldo* Archiep. & sacri Palatij Capellano, nec non & omni Congregatione Monasterij S. Michaelis, quod est constructum in loco nuncupante *Maninsee*, ego in 802.

Dei

Digitized by Google

Dei nomine Alprat: Omnibus non habetur incognitum, qualiter vos mihi concedatis aliquas res proprietatis vestræ ad profectum Monasterij vestri propria spontanea voluntate in loco nuncupante *Loupps* in pago *Trungauue*, legitimè mihi condonatis, & pro ea mea fiat petitio, & vestra vel fratrum vestrorum piè decreverit voluntas, ut ipsas res, quos mihi præstetissetis, simul & alias res Monasterij vestri, sitas in pago *Trungauue* in loco nuncupante *Lauppa*, præfatum beneficium vestrum mihi relaxare debueritis, sicuti & fecistis, ut ipsas res, dum advixero, per vestrum beneficium tenere usitare * debeam, & non habeam pontificium ipsas res aliubi vendere, nec condonare, nec alienare, nec in nullum naufragium ponere, sed post meum de hac luce discessum cum omni re inmeliorata vel superposita vestram vestrorumque successorum absque ullis judicis & signatione, quod alicujus contradictione revertantur dominatui. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus de hæredibus aut ulla opposita persona, qui contra istam precariam venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, inferat partibus vestris duplum tantum, quantum hæc precaria convenit. Et ista precaria fuit facta contra unum mulinum & duos jurnales cum via. Et quod repetit, nullum unquam tempore evindicare valeat, sed præsens precaria omni tempore firma permaneat.

* *Cod. hic & alibi* visitare

Actum ibi, datum in vigilia S. Petri in III. Kal. Jul. anno IX. Christo propitio imperij Domni nostri *Karoli* Aug. & XXXIX. regni ejus in Francia, & XXXIV. in Italia Indict. I. Et sunt testes multi.

49.

Traditio Odallanti.

SAcrosancto ac venerabili Monasterio, quod est constructum in honore S. Michaëlis Archangeli in loco nuncupante *Maninseo*, ubi præest sanctus ac venerabilis *Hildipaldus* Archiepiscopus & sacri Palatij Capellanus ego in Dei nomine Odallant. Constat me non imaginario jure, nec nulli cogentes imperium, sed propria spontanea voluntate pro animæ meæ remedium seu pro æterna retributione tradere, & ita tradidi aliquas res proprietatis meæ sitas in pago A. *Atergauue* in loco nuncupante *Poginsdorf*, unà cum domibus, ædificijs, mancipijs, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus & inmobilibus, totum & ad integrum quicquid in ipso loco mea legitima videtur esse possessio, a die præsente de jure meo in jure & dominatione ipsius Monasterij trado atque transfundo, ita ut quicquid exinde pars ipsius Monasterij ad profectum ipsius sancti loci facere decreverit, liberum perfruatur arbitrium. Siquis verò, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus de hæredibus B. seu prohæredibus meis quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, inferat partibus ipsius sancti loci duplum tantum, quantum hæc traditio convenit, & insuper una cum distringente socio fisco auri libras tantas, argento pondua tanta coactus exsolvat, & quod repetit, nullo modo evindicare non valeat, sed præsens traditio omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa.

Actum est in Prid. Non. April. anno IX. Christo propitio imperij Domni nostri *Karoli* Aug. & XXXIX. regni ejus in Francia, & XXXIX. in Italia, Indict. II. in Dei nomine feliciter. Et sunt multi testes. C.

50.

Traditio Remei.

SAcrosancto ac venerabili Monasterio, quod est constructum in honore S. Michaëlis in loco nuncupante *Maninseo*, ego *Hildipaldus* Archiepiscopus & sacri Palatij Capellanus: ego in Dei nomine *Remei*. Constat me non imagi- D. nario jure, nec nulli cogentes imperium, sed propria spontanea voluntate pro animæ meæ remedium & ita tradidi aliquas res, sitas in pago *Trungauue* in loco nuncupante *Ostheringa*, id est, campis, silvis, pratis, & ita tradidi post obitum meum. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus de hæredibus *&c. ut num.* 45. *III.*

Actum est in VII. Id. Febr. anno XI. imperij Domni nostri *Karoli* Augusti, & XLIII. regni ejus in Francia, atque XXXVII. in Italia, Indict. IV. Testes multi.

51.

Traditio Liutſuind.

SAcroſancto ac venerabili Monaſterio, quod eſt conſtructum in honore S. Michaëlis in loco nuncupante *Maninſeo*, ubi præeſt *Hiltipaldus* Archiepiſcopus & ſacri Palatij Capellanus, ego in Dei nomine *Liutſuind*. Conſtat me non imaginario jure, nec nulli cogentes imperium, ſed propria ſpontanea voluntate pro animæ meæ remedium tradidi aliquas res proprietatis meæ in loco nuncupante *Rorpah* in pago *Trunganue*, id eſt, campis, ſilvis, & ita tradi poſt obitum meum. Siquis verò, quod futurum eſſe non credo *&c. ut num.* 45.

Actum vel datum in VIII. Id. Febr. anno XI. imperij Domni noſtri *Karoli* Aug. & XLIII. regni ejus in Francia, atque XXXVII. in Italia, Indict. IV. Sunt teſtes multi.

52.

Traditio Aſcrichi & Hrodi.

813. IN Chriſti nomine ego *Aſcrichus* & *Hrodi* cogitabamus pro animas noſtras ſeu pro æterna retributione, pro remedium animæ noſtræ tradimus atque transfundimus hæreditatem noſtram ad S. Michaëlem Archangelum in loco, qui dicitur *Maninſeo* poſt obitum noſtrum omnia propria noſtra in loco nuncupante *Helphauua*, in pago, qui dicitur *Mathahkauui*, cum homines habitantes, cum mancipijs & cum omni adiacentia, cum domibus, pratis, campis, ſilvis, paſcuis, vijs, aquis aquarumque decurſibus, & omnia, quæ ad illis locis pertinent. Et hæc traditio a nobis facta omni tempore firma & ſtabilis permaneat.

Et hæc donatio hoc fuit facta in prid. Id. Febr. Luna XVII. Hæc ſunt teſtes: *Chagan* Presbyter, *Rantolf* Presbyter, & alij multi, & *Richarius* Comis teſtis auctor de iſtis cauſis, anno XIII. imperij Domni noſtri *Caroli* Auguſti, & XLVI. regni ejus in Francia, atque XL. in Italia Indict. VI.

53.

Traditio Helmrihi.

IN Chriſti nomine ego *Helmrih* cogitans pro anima mea ſeu pro æterna A retributione trado atque transfundo hæreditatem meam ad S. Michaëlem in loco, qui dicitur *Maninſeo*, omnia propria mea in loco nuncupante *Vilaſa* cum homines habitantes, cum omni adjacentia, cum domibus, campis pratis, ſilvis, vijs, aquis aquarumve decurſibus, & omnia, quæ ad illis locis pertinet. Et hæc donacio a me facta omnia tempore firma & ſtabilis permaneat. Sunt teſtes multi.

Actum eſt autem in curte, qui dicitur *Niuzilingas* in Prid. Kal. Octobris B. anno XIII. imperij Domni noſtri *Karoli* Aug. & XLVI. regni ejus in Francia, atque XL. in Italia Indict. VI.

54.

Traditio Vuilihelmi & Odallanti Presbyterorum.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Ego itaque *Vuillihelm* Presbyter, & *Odallant* Presbyter cogitamus pro animas noſtras vel pro æterna retributione, tradimus hæreditatem noſtram in loco nuncupante *Tegimga* in pago *Sundargouue*, condonavimus res proprietatis noſtræ cum domibus, ædificijs, C. campis, pratis, mancipia, omnia, quæ ibidem videtur habere, ad integrum poſt obitum noſtrum ad Monaſterium S. Michaëlis, qui cognominatur *Maninſeo*, ad illam iam ſuprà dictam Eccleſiam S. Michaëlis, cum omnia adidicentia, ad ipſam rem pertinentem, totum & ad integrum ad ipſo loco ſancto trado atque transfundo, ut ab hac die ipſa caſa Dei vel ipſius Monaſterij illam habeant, teneant atque poſſedeant, & eorum ſucceſſoribus Chriſto propitio derelinquunt, vel quicquid facere voluerint, li- D. beram in omnibus [habeant] poteſtatem. Siquis aut de hæredibus noſtris vel quislibet illa aut præſumpſerit perextranea perſona, qui contra hanc donationem a nobis facta venire tentaverit, aut rumpere voluerit, tantum, quantum ipſas res & mancipia prævalent, tantum de ſuo pretio perſolvat in auro aut in alio pretio.

Iſta traditio fuit facta in vigilia S. Andrea Apoſtoli III. Kal. Decemb. Iſta traditio fuit facta ad tempus *Hiltipaldi* Archiepiſcopi & ſacri Palatij imperialis cuſtos. Teſtes multi.

55. *Tra-*

55.

Traditio Sovæ.

DOmino ſacroſancto Eccleſiæ, quæ eſt conſtructa in honore S. Michaëlis in loco, qui dicitur *Maninſeo*, quod interpretatur *Lacus Lunæ*, ubi ſe *Hildebaldus* Archiepiſcopus præeſſe videtur, ego in Dei nomen *Sova* cogitans pro Dei timore vel pro retributione vitæ æternæ, omnia, quod mea videtur habere [poſſeſſio], in loco, qui cognominatur *Halle*, trado atque transfundo Sancto Michaële & *Hildebaldo* Archiepiſcopo, hoc eſt, caſa cum ſua adidicentia, patenas tuas ad ſal coquendum, ut Deus omnipotens mihi retribuere dignetur. Teſtes multi. Iſta donatio fuit facta in IV. Kal. April.

56.

Notitia de vi a Reginone Monaſterio Maninſeo illata.

IN Chriſti nomine. Notitia faciamus vobis Domno noſtro *Hiltipaldo* Archiepiſcopo nos tui ſervi indigni, qui ſumus in veſtro Monaſterio in loco nuncupante *Maninſeo*. Fuit una villa tradita ad veſtrum Monaſterium, in qua nos ſumus, & ipſam villam tradidit *Taſſilo* Dux ad ipſum Monaſterium. Ipſa villa habet nomen *Forhheit*. Et ipſam villam habuerunt *Oportunus* Abbas & *Hunricus* Abbas in veſtitura plus quàm XX. annorum. Et ipſam villam rapuit *Regino* de Monaſterio noſtro contra lege. Hoc ſciunt multi de genere nobilium in ipſa provincia, & ipſam cauſam ſcit *Hitto* Epiſcopus, & eſt in ſua parochia, & alij multi ſunt, qui hoc veraciter ſciunt, & ipſe *Hitto* ſic amabiliter facit pro veſtra cauſa in omnibus locis, ſicut in lege jubet.

57.

Precaria Ribarij Comitis.

814. EGo in Dei nomine *Ribarius* Comes feliciter habui precaria de ipſa traditione *Engilſcalbi* in loco nuncupante *Sueinpah*, quod domino ſancto & venerabili in Chriſto Patri *Hiltipaldi* Archiepiſcopi & ſacri Palatij Capellanus, nec non & omni congregatione Monaſterij S. Michahelis quidam conſtructum in loco nuncupante *Maninſeo*. Ego in Dei nomine *Ribarius* Comis quod habui in loco nuncupante *Sueinpah*, non habui in hæreditatem meam, ſed in precaria S. Michahelis & *Hiltipaldus* Archiepiſcopus & ſacri Palatij Capellanus, nec non & Congregatio S. Michaëlis de *Maninſeo*, legitimè condonavi, & pro mea fuit petitio, & veſtræ vel fratrum veſtrorum pia decreverit voluntas, ut ipſas res, quas ego habui in precaria veſtra, ſimul & alias res Monaſterij veſtri ſitas in *Trungauue* in loco nuncupante *Sueinpah*, per præſtitum beneficium veſtrum mihi relaxare deberitis, ſicuti & feciſtis, ea videlicet ratione, ut annis B. ſingulis in feſtivitate S. Michahelis partibus Monaſterij veſtri in cenſo dare debeam unam carradam de vino, aut unam carradam de melle: & ipſas res dum advixero, per veſtrum beneficium tenere & viſitare debeam, & non habeam pontificium ipſas res alij ubi vendere, nec condonare, nec alienare, nec in ullo naufragio ponere, ſed poſt meum de hac luce diſceſſum cum omni re inmeliorata ſuperpoſita in veſtra veſtrorumque ſucceſſorum absque ullius judicis & ſignatione aut alicujus contradi- C. ctione revertantur dominatui. Siquis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe aut ullus de hæredibus ſeu prohæredibus meis quislibet ulla vel extranea perſona, qui contra hanc precariam venire conaverit, aut eam infrangere tentaverit, inferat partibus veſtris duplum tantum, quantum hæc precaria convenit, & inſuper inferat una cum diſtringente ſocio fiſco auri libras tantas, argento pondua tanta coactus exſolvat, & quod repetit, nullum unquam tempore evindicare non valeat, ſed præſens precaria firma permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. D.

Actum ibi, datum illo anno I. imperij Domni noſtri *Hludouuici* Auguſti, I. ejus regni in Francia, & I. in Italia Indict. VII. in Dei nomine feliciter. Actum eſt ad *Vuirtingon* in Prid. Kal. Decemb. in Natale S. Andreæ. Sunt teſtes multi.

58.

Charta commutationis inter Lantbertum abbatem Monſeenſem & Vuolvarnum.

NIhil mihi quiſpiam cernitur minuendum, unde econtra alium recepi *circ. 814.*

me

me in augmentum. Idcirco ego *Lantperhtus* Abbas conplacuit atque convenit omni Congregationi S. Mihhaëlis commutationem facere inter nos atque inter nobilem virum *Vuoluarnum* propter hæreditatem ſuam in loco nuncupante ad *Ninzilingas*. Donavit, tradidit atque firmavit ad Sancto Mihhaëlo in loco nuncupante *Maninſeo*, cui præeſſe videtur venerabilis vir *Lantperhtus* Abbas, nunc dono atque trado, firmabo vobis de rebus S. Mihhaëlis contra hæreditatem veſtram, hoc eſt, in pago *Quinzingauue* in loco nuncupante ad *Roſſopah*. Similis vobis reſtituam, ſi Dominus Imperator voluiſſet. In tali verò ratione has duas epiſtolas uno tenore conſcriptas inter nos fieri vel firmare rogamus, ſicut ſupetius inſertum eſt, ut unuſquiſque, quod accipere viſus eſt, hoc a die teneamus, habeamus atque poſſedeamus, liberam in omnibus habeamus poteſtatem, & ſi quis deinceps aliquid de iſta cartula inmutare aut frangere tentaverit, dupliciter, contra quem repetit, conponere cogatur, id eſt, quantum ipſe concampius eo tempore emelioratus, exſolvat, & inſuper, quod repetit, nullum obtineat effectum, ſed præſens commutatio a nobis ſeu cæterorum manibus roborata. Sunt multi teſtes.

59.

Traditio Deotrat.

tir. 116. IN Chriſti nomine ego *Deotrat* cogitans de Dei timore ſeu pro æterna retributione tradere hæreditatem meam ad Sancto Mihhaëlo in loco nuncupante *Maninſeo*, ubi præeſt *Hildipaldus* Archiepiſcopus, & *Lantperhtus* regere videtur, ſicut jam factum eſt, tertio vices in loco, qui dicitur ad *Chalpaha*, ſicut nominatum eſt ad *Rindpah*. Sunt multi teſtes. Hoc fuit factum in XV. Kal. Febr. regnante Imperatore Hludouuici annorum IV.

60.

Traditio Odalſcalhi.

DOmino glorioſo *Lantperhto* Abbati ego *Odalſcalh* dono, trado omnem ſubſtantiam hæreditatis meæ, id eſt, ad *Viluſae* ad ſancto Michahelo ad *Maninſeo*. Et hoc fuit factum in IV. A. Kal. Febr. ad *Rohingeſdorf* regnante *HLudouuiko* Imperatore in IV. anno. Sunt teſtes multi.

61.

Epiſtola Hiltibaldi Archiepiſcopi ad Lantbertum Abbatem Monſeenſem, cui præcipit, ut Helmrico quoddam beneficium in precariam concedat.

Hildepaldus Divina clementia Archiepiſcopus, ſacri Palatij Capellanus *Lantperhto* ſalutem. Cognoſcas, qui volumus, & omnino præcipimus tibi, ut illud, quem *Vuadilo* habuit in loco nuncupante *Viluſa*, *Helmrico* in noſtrum beneficium conſignare ſtudeas in ea tenore, ſi ipſe res ſuas partibus beati Michahelis in integrum tradere vult, ſicut nobis innotuit, & habeat pro precaria noſtra diebus vitæ ſuæ tam illud, quæ *Filuſa* eſt, quamque & illud, quam ipſe tradit. Nam etſi ipſe ipſas res tradere vult, citiùs hoc faciat. Et cave diligenter, ut illa traditio firma atque inviolata fiat facta, ut inantea quislibet homo ipſam nequaquam erumpere valeat: vide, ut aliter non fiat.

62.

Traditio Sigiperhti.

LAtores legum ſanxerunt, ut, qui de jure proprio alicui aliquid tradere voluerit, hoc coram plures teſtibus faciat obplicare. Quapropter ego *Sigiperht* in Dei nomine recordatus ſum antiqua traditione mea, quam habuiſſem factam ad Sancto Michahelo Archangelo ad *Maninſeo*, nunc volo iterum renovabo cum filio meo *Hunperhto* illam traditionem, & volo firmiorem facere. Quod ita factum eſt, nunc trado omnem ſubſtantiam meam ad Sancto Michaëlo Archangelo, quicquid habeo in loco, qui dicitur *Niuzzilingas*, ante omnia transfirmabo, ſicut ſuperiùs nominavimus, ut poſt obitum meum habeatis, teneatis, liberum perfruatur arbitrio, & in omnibus habeatis poteſtatem abſque ullam contradictionem, in veſtrum dominium faciam, & iſta traditio de quinquennio in quinquennium ſit renovata & firmiter permaneat. *tir. 117.*

Actum

Digitized

Actum in loco ad *Niuzilingas*. Anni Domni DCCCXVII. Indict. X. Sunt testes multi.

63.

Traditio Heripranti.

818. HOnorando atque præconio laude præferendo *Lantperhto* Abbati de Monasterio *Maninseo* desuper regere videtur. Quapropter ego *Heripramt* in Dei nomine cogitans de Dei timore & pro æterna bona retributione, quia secula periculosa sequantur, denunciat, quia nulli me cogente, sed per spontaneam voluntatem tradere hæreditatem meam, nunc trado atque transfirmo partes duos hæreditatis meæ ad Sancto Michahelo Archangelo, sicut nominatum est *Luna laco*, & in manus *Lantperhti* venerabili viri dono, trado perpetualiter transfirmo in pago, qui dicitur *Vsgauui* in loco, qui dicitur ad *Ostarperhtesdorf*, in omnibus firmabo cum domibus, ædificijs, curtiferis, cum terris arabilis, cum campis, pratis, pascuis communis, pervijs, aquis aquarumve decursibus, & ibidem mancipijs V. Si quis in proximo aliquid mihi contingat, quòd in periculum mortis incidam, totum & ad integrum transfirmabo in manus *Lantperhti* Abbatis, ut post obitum meum habeatis, teneatis, atque in omnibus potestatem firmiter ac stabiliter, ut in ævum & inconvulsum valeat permanere, omni tempore firma & stabilis permaneat.

Actum in loco, qui dicitur ad *Purchhard* prope *Suanasee*, sicut nominatum est ad *Kundeschirichun*. Hoc fuit factum in Id. Jun. Luna XXVII. Anni *Ludovvici* Imper. regnante VI. anno. Sunt testes multi.

64.

Traditio Perhthelmi.

LAtores legum sanxerunt, ut qui de jure proprio aliquid condonare vel 820. largire voluerit ad loca Sanctorum, hoc coram plures testibus faciat obplicare. Quapropter ego *Perhthelm* in Dei nomine cogitans de Dei timore vel æterna bona retributione, ut omniam substantiam meam tradere voluero, quod ita & feci, eo quod mihi nulli cogentes imperium, sed propria spontanea voluntate pro remedium animæ meæ tradere A. & ita tradidi omnem substantiam meam ad Sancto Michaëlo Archangelo, quod dicitur *Maninseo*, & ubi præest venerabilis vir *Lantperhtus* Abbas, nunc habeatis, hoc teneatis atque possideatis, hoc est, in pago *Rotahgauue*, in loco nuncupante ad *Pochingas*, unà cum domibus, ædificijs, terris arabilis, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobili & inmobili, totum & ad integrum, quicquid in ipso loco mea fuit possessio, seu de conparato, seu quale modo meæ ... hoc in omnibus & per omnia ab hodierno die habeatis, nisi ut in beneficium vestrum hoc B. visitare & emeliorare faciam usque in diem vitæ meæ, & post obitum meum de jure meo in vestram dominationem dispono, vel ad ipsius Monasterij sancti loci trado atque transfundo, ita ut quicquid exinde pars ipsius Monasterij ad profectum facere decreverit, liberum perfruatur arbitrium. Siquis verò, quod futurum esse non credo, aut ego, quod absit, aut ullus de hæredibus meis seu prohæredibus meis, aut quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem venire conaverit aut eam infran- C. gere vel mutare tentaverit, inferat partibus ipsius sancti loci duplum tantum, quantum ista traditio emeliorata fuerat, & insuper una cum distringente socio fisco auri libras tantas, argento pondo coactus exsolvat, & quod repetit, nullatenus evindicare non valeat, sed præsens ista traditio mihique *Perhthelmo* spontanea facta, & bonorum hominibus roborata, ut in ævum & inconvulsum valeat permanere, omni tempore firma & stabilis permaneat.

Actum ibi in loco ad *Rota*, qui di- D. citur ad *Intinstegon* in prid. Non. Octob. Luna VII. regnante *Ludowici* imperatori. Anni Domini nostri Jesu Christi DCCCXX. indict. XIII. Testes multi.

65.

Venditio Aluuihi.

MAgnifico in Christo venerabili Pater *Lantperhtus* Abbas ego igitur in Dei nomine *Aluuih*. Constat me a te vendidisse & ita vendidi unum poledrum, & dono tibi econtra atque trado partem hæreditatis meæ, hoc est, illa

ſilva, quod de *Odalpaldo* exqueſierat in loco, qui dicitur ad *Cheſſindorf*. Vnde accepimus inter nos pretium taxatum, ſicut nos benè complacuit atque convenit, ut inter nos in ævum & inconvulſum permaneat. Et iſti ſunt burgiones: *Reginhelm, Ratolt, Reginhoh.* Et ſi fuerit aliquis deinceps, qui contra hanc venditionem calumniam repetere conaverit, aut eam mutare voluerit, cui litem intulerit, auro uncias VI. ad Sancto Michahelo coactus exſolvat, & quod repetit, nullo modo evindicare non valeat, ſed diuturnum tempus maneat inconvulſum. Et iſti ſunt fide juſſores & burgiones & teſtes: *Reginhelm*, *Ratolt*, *Reginhoh.* Et iſti ſunt teſtes: *Lantperht*, *Kerpald*, *Ratolt*, *Liutprant*, *Rodperht*, *Cundperht*, *Antrih.*

Actum in loco ad *Cheſſindorf*, in illo campo, in Kal. Decemb. Luna XII. Anni Domini noſtri Imperatori *Hludouuici* VII. Indictio XIII.

66.

Traditio Werdni.

821. LAtores legum ſanxerunt, ut, qui de jure proprie aliquid condonare voluerit, hoc coram plures teſtibus faciat obplicari. Quapropter ego in Dei nomine *Werdni* cogitans de Dei timore vel æterna bona retributione, ut mihi pius Dominus de peccatis meis aliquid relaxare dignetur, nunc commendo omnem ſubſtantiam meam in manus *Lantperhti* Abbatis, ut poſt obitum meum ille habeat & dividat atque diſpendat inter Monaſterios pro remedium animæ meæ, liberam in omnibus habeas poteſtatem, ut nullus deinceps licentiam habeat hoc mutare aut eam infrangere, ſed in ævum ſit & inconvulſum.

Et iterum ego *Vuerdni* cogitabo, ſicut ſuperiùs dixi, vobis veſtire, quod ego habeo ad *Mulipah*, ſicut dominus meus *Engilperht* Comis ad ſancto Michahelo Archangelo tradidiſſet, & poſtea Miſſi veſtri deſuper ſedere fecerunt duos vices. Et nunc ego in tertio vice vobis veſtitum ab eo, ut poſt obitum meum teneatis, & uſque ad finem vitæ meæ in veſtrum beneficium valeam habere, & poſtea, ſicut ſuperiùs dixi, in omnibus habeatis poteſtatem. Eſt iſta veſtitio nullus mihi cogente, ſed ſpontanea mea A. voluntate facta, & cum bonorum hominibus manibus roborata.

Hoc fuit factum in loco, qui dicitur *Mulipah* in VII. Kal. Mart. Luna XIX. Anni Domini DCCCXXI. Indict. XIV.

67.

Traditio Milonis & Kerpaldi

LAtores legum ſanxerunt, ut qui de 822. jure proprie condonare voluerit, hoc coram plures teſtibus faciat oblicare. Quapropter ego in Dei nomine *Milo*, & filius meus *Kerpald* tradere volumus partem hæreditatis noſtræ, & ea B. tradimus ad ſancto Michaëlo Archangelo ad *Maninſee*, ubi præeſt venerabilis vir *Lantperhtus* Abbas in Dei nomine regere videtur. Nunc tradimus partem hæreditatis noſtræ in pago *Atargaune* in loco, qui dicitur *Adalhohesdorf*, hoc eſt, caſas cum curtiferis, ſcoria, cum terris arabilis, id ſunt iurnales L. & de pratis iurnales XXX. carradas ſilvis communis, pervijs, aquis aquarumve decurſibus paſcuis mobilibus & inmobilibus, totum & ad integrum, omnia per omnia, quicquid in illo loco noſtra fuit poſſeſſio vel dominatio in illo loco, ſicut C. ſuperiùs nominavimus, ab hodierno die ego *Milo* & filius meus *Kerpald*, transfundimus ad ſancto Michaëlo Archangelo, qui dicitur ad *Maninſee*, ut exinde habeatis, teneatis, atque poſſideatis, liberam in omnibus perfruatur, quicquid facere volueritis, faciatis, ut nullus exinde habeat licentiam hoc mutare vel frangere, ſed ſtabilis in ævum permaneat & inconvulſum, mihiſque manibus meis & alijs nobilis hominibus manibus roborata, per ſignacula ſignata.

D. Hoc fuit factum in loco ad *Maninſee* in Eccleſia ſancti Michahelis Archangeli coram omni Congregatione ſancti Michahelis in Kal. Junij vel VIII. Anni Domini DCCCXXII. Indict. XII. Sunt teſtes multi.

68.

Traditio Ratolti, Kerharti & Reginhohi.

DOmino ſancto & meritis venerando *Lantperhto* venerabilis Pater, nóſque *Ratolt*, *Kerhart*, *Reginhoh* cogitantes de Dei timore vel æterna bona retri-

retributione volumus tradere ad ſancto A.
Michahelo Archangelo ad *Maninſee* portionem hæreditatis noſtræ. Quod ita faciamus, hoc eſt ad *Vuengi* partem noſtræ mulinæ & vias noſtras apertas ad illa mulina, & quicquid noſtris ibidem impendat, & pratis, quas habuimus ad *Vualarpah*, & quicquid in illis locis noſtris fuit poſſeſſio vel dominatio, de noſtro jure in veſtram dominationem diſpoſuimus, ut ab hodierno die habeatis, teneatis & poſſideatis, liberam perfruatur arbitrio in omnibus, ut nullus exinde licentiam habeat hoc mutare aut refragare, ſed præſens iſta traditio firma B.
& ſtabilis permaneat.

Actum in loco ad *Maninſeo* in Eccleſia S. Michahelis Archangeli. Sunt teſtes multi. Hoc fuit factum in III. Kal. Octob. Luna IX. Indictiones XV. Anni Domini DCCCXXII.

69.

Traditio Kerbaldi.

DOmino auxiliante, Chriſto propitio ego quoque *Kerbaldus* trado ſubſtantiam partem *Vrſeſperge* ad S. Mi- C.
chahelo. Et ibi præeſt *Lantperhtus* Abbas venerabilis vir regere videtur. Teſtes multi.

70.

Traditio Odallanti.

ILle benè poſſidet res in ſecula, qui ſibi de caduca comparat præmia ſempiterna. Ideoque ego *Odallant* in Dei nomine cogitans de Dei timore vel æterna bona retributione, ut mihi pius Dominus de peccatis meis aliquid relaxare dignetur, propterea dono trado omnem ſubſtantiam meam, quas habeo in loco D.
ad *Tetinga*, tranſirmabo ad S. Michahelo ad *Maninſeo*, ubi præeſt venerabilis vir *Lantperhtus* Abbas in Dei nomine regere videtur, & omnia, quicquid ad beneficium habuiſſem, hoc eſt, ad *Aſche*, redonabo in manus *Lantperhti* Abbati cum omnia adiacentia, & ibidem commanentes ita trado, ſicut ſuperiùs diximus, ut poſt obitum meum teneatis, & liberum perfruatur arbitrio, & quicquid deinde facere volueritis, ita faciatis.

Hoc fuit factum in Non. Mart. vel XXVII. Teſtes multi.

71.

Traditio Durinc.

LAtores legum ſanxerunt, ut qui de jure proprie aliquid ad loci Sanctorum condonare voluerit, hoc coram plures teſtibus faciat obplicare. Quapropter ego in Dei nomine *Durinc* volo tradere quartam partem ſubſtantiæ meæ in mancipijs, jumentis, quod cum filijs meis duobus & uxore mea dividere, hoc omnia poſt obitum meum trado ad Sancto Michahelo Archangelo ad Monaſterio *Maninſeo*, hoc eſt, in pago B.
Atergauue, in loco, qui dicitur ad *Chemmata*.

Hoc fuit factum in loco ad *Maninſeo* in eccleſia S. Michahelis . . . Jul. vel XXII. Anni Domini DCCCXXII. Indict. XV. Sunt teſtes multi.

72.

Traditio Saxhonis.

DIvina voce tonantis: theſaurizate 823.
vobis theſauros in cœlo, ubi fures non effodiunt nec furentur, quapropter ego *Saxho* in Dei nomine cogitans de C.
Dei timore vel æterna bona retributione, ut mihi pius Dominus de peccatis meis aliquid relaxare dignetur, volo redonare ad Sancto Michaëlo Archangelo ad *Maninſeo*, quod *Offo* pater meus tradidit. Et ita facio, ut in ævum ſtabilis permaneat & inconvulſum. Nunc ego *Saxho* iterum redonabo atque iterum in manus *Lantperhti* Abbati & in ejus Vocato, qui dicitur *Reginhart*, hoc eſt, iurnales X. in longitudinem & virgas VII. & in latitudinem iurnales VII. in pago *Matacaume* & in illo campo, & in loco, qui dicitur *Maticha*, nunc habeatis ab hodierno die, liberum perfruatur arbitrio, ut nullus licentiam habeat hoc mutare aut refragare, ſed in ævum & inconvulſum valeat permanere. Et ſunt teſtes fideque juſſores multi.

Hoc fuit factum in prid. Id. Auguſti Luna II. Anni Domini DCCCXXIII. Indict. I.

73.

Juſtitia, quam Deotrictus Comes de quadam ſilva fecit Lantberto Abbate.

NIhil longum eſt, quod finem habet. Idcirco cogitando cogitavi ego

Deotricus Comes, quomodo iſta transeuntia atque labentia iſtius ſeculi evaneſcunt, & quaſi florentia hiemali marceſcunt & areſcent, & eo igitur modo quaſi nuntius citò pertranſiens. Temporibus *Oportuni* abſtracta eſt una ſylva a Sancto Michaële Archangelo in *Maninſeo*, quas ipſi Monachi ibidem degentes habuerunt in veſtitu illorum in pago *Atargauue*, & in loco, qui dicitur *Pirichinuuanc*, & usque hodie diſpoliati fuerant de ipſa ſilva, ſicut ſuperiùs nominatum eſt.

Nunc igitur ego *Lantperhtus* Abbas legaliter quærebam marcam illam, & ipſe *Deotricus* Comes cum omnibus pagenſis illuc pervenit, & *Lantperhtus* prænominatus Abbas cum eo pariter cum ſuis hominibus, ut diſcernerent, quid ad illum locum pertineret. Tunc verò præfati Principes convenerunt in illam marcam cum cunctis pagenſis, perveneruntque ad illam petram, qui ſtat in mediana *Agra*. Deinde equitabant usque ad illum montem proximum, & fecit *Kundachar* filius Comitis marcham. Deinde perrexerunt ad locum, qui dicitur *Moſe*, & fecerunt per ſingula loca ſingula marca, ſicut ipſa aqua vadit de illo *Moſe*. Inter duos montes intrat in flumina ſuprà nominata *Agra* usque ad *Petram*, quem ſuperiùs nominavimus, qui ſtat in medio flumine. Et ſunt teſtimoniales multi, qui hoc teſtificaverunt & dixerunt, ut jure pertinerent ad Sanctum Michaëlem Archangelum Chriſti. De hominibus ſunt in ſumma LXVI. virorum nobilium. Quando ipſe Comes illos interrogavit, ſi aliquis in ipſa ſylva aliquam poteſtatem habuiſſet, reſponderunt omnes & dixerunt, quòd nullus homo licentiam habuiſſet in illa ſilva aut fuſtem cædere aut virgam tollere niſi cum licentia Abbatis.

Actum eſt hoc ſub die XIII. Kal Mart. Luna III. Anni Domini DCCCXXIII. Indict. I.

74.

Traditio Rodolfi Monachi.

NOtum eſt cunctis fidelibus, quòd eum rebus caducis poſſunt ſibi acquirere ſempiterna, quæ non deficiunt. Quapropter ego indigenus Monachus nomine *Rodolf*, una cum fratre meo, qui A eſt advocatus meus, trado ad ſanctum Michaelem Archangelum, quicquid mihi ex parte genitoris ſive genitricis hæreditario jure ſucceſſit in loco, qui dicitur *Repagouui*, caſum cum curte, terris, pratis, ſilvis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, mobilibus & inmobilibus, cultis & incultis, mancipijs, quicquid dici vel nominari poteſt, ea videlicet ratione, ut, quamdiu vixero, liberam habeam poteſtatem faciendi, & poſt obitum meum cum omnibus emelioratis redeat ad ſanctum Michaëlem. Et ſunt teſtes multi per aures tracti.

B. Acta eſt hæc traditio ad *Maninſeo* in baſilica S. Michahelis III. Id. Jun. feria VI.

75.

Traditio Draſamunt & Tagaperht.

DOmino ſancto ac venerabili viro & cum vera caritate nominando *Lantperhto* Abbati de Monaſterio *Maninſeo* Deo ſervientibus & ſanctis ejus famulantibus. Quapropter ego *Draſamunt* & *Tagaperht* cogitantibus pro Dei timore & pro æterna retributione, ut nobis pius Dominus [de peccatis] noſtris C. aliquid relaxare dignetur, volumus tradere partem hæreditatis noſtræ ad *Maninſeo*, & ita tradimus, hoc eſt, ſilvis & mulinas, quam habuimus in pago *Rotahgouue*, in loco ad *Perge*: & ita tradimus, ut perpetualiter in ævum habeatis.

Hoc fuit factum in XVI. Kal. Febr. Luna I. Anni Domini DCCCXXIII. Indict. XV. Sunt multi teſtes.

76.

Traditio Arperhti.

D. IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ego itaque *Arperht* tractante enim me de æterna beatitudine ſeu de terribili gehenna, qualiter Deum contemnentes pœnam incidunt æternam, & Chriſto ſervientes vitam adipiſcunt ſempiternam, pro hoc igitur ſtatui in animo meo de hæreditate mea Deo inſpirante, quod mihi meus genitor dereliquit. Tradidi inſuper & transfundavi, quod habui in loco nuncupante *Ezzimpah* & *Anteſana*, ad Monaſterium S. Michahelis, qui vocatur *Maninſeo*, qui eſt conſtructus in pago *Matahgauuenſe* caſa cum curte & cum

ſcuria,

ſcuria, cum campis, pratis, ſilvis, aquis, A. vijs, cum cultis & incultis, cum omnibus, quod ad ipſum locum de hæreditate mea pertinere videtur, id eſt, caſas cum domibus & ædificijs eorum, cum uxoribus & filijs ac filiabus eorum, & inter totas mancipias numero ſunt XXXIV. Siquis autem, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe aut aliquis de hæredibus vel ſucceſſoribus meis, qui contra hanc cartam donationis venire aut eam infrangere voluerit, inprimis iram Dei incurrat & ſanctorum ejus, & a limitibus Eccleſiæ extraneus efficiatur, B. & habeat partem cum Juda traditore, & cauſam cum Sancto Michaële Archangelo, & ſic culpabilis in fiſco auri uncias III. argenti pondera VI. & quod repetit, evindicare non valeat. Et hæc carta a me facta firma & ſtabilis permaneat ſtipulatione ſubnixa. Sunt multi teſtes.

77.

Traditio Gozperhti.

824. DOminus inquit in Evangelio: date & dabitur vobis, & ecce nova facta ſunt omnia. Quapropter ego *Gozperht* in Dei nomine cogitans de Dei timore vel æterna bona retributione volo tradere, & ita trado ad Sancto Michahelo, quod dicitur *Luna laco*, ubi præeſt venerabilis vir *Lanperhtus* Abbas, in Dei nomine regere videtur: & ita trado, ut perpetualiter in omnibus habeatis, hoc eſt, in pago *Tonahgaune*, in loco, qui dicitur ad *Matingas*, omnia & ex omnibus tam de alode ſeu de comparato, vel quicquid ad me ibidem adtrahere valeam, in omnibus poſt obitum meum in veſtrum dominum remittam.

* ita Cod. Hoc fuit factum in die Sancti Valentini, hoc eſt, in VIX. * Kal. Mart. anni D. Domini DCCCXXIV. Indict. II.

78.

Traditio Ribharti.

DOmino inluſtri & in Chriſto Patri *Lanperhto*, Abbati de Monaſterio, quod dicitur *Luna laco*, unà cum turma plurima Monachorum ibidem conſiſtentium atque Deo ſervientium, ubi reliquiæ S. Michahelis Archangeli ibidem haberi noſcuntur. Quamobrem ego *Ribhart* in Dei nomine cogitans de Dei timore vel pro animæ meæ remedium, ſeu pro æterna bona retributione, propterea dono, trado ad ipſum præfatum Monaſterium omnem rem meam atque ſubſtantiam meam in pago *Transaune* in loco nuncupante *Pahheima*, id eſt, cum domibus, ædificijs & cum omnibus mancipijs, cum uuadris, campis, terris arabilis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, farinarijs, rem inexquiſitam, totum & ad integrum, quicquid dici vel ullus homo nominari poteſt, undecumque ibidem mea videtur eſſe poſſeſſio vel dominatio, omnia & ex omnibus tam de alode quàm de comparato ſeu quolibet adtracto ad me ibidem dinoſcitur perveniſſe, ad ipſo jam dicto Monaſterio dono, trado, atque perpetualiter in omnibus transfirmabo dominatione perpetua, ea ſcilicet ratione, ut quicquid exinde prædicti Monaſterij ut poſt obitum meum liberam ac firmiſſimam Chriſto propitio in omnibus habeatis poteſtatem. Et ſi quis deinceps, quod futurum eſſe non credo: ſi ego ipſe, quod abſit, aut ullus quislibet de hæredibus ſeu prohæredibus meis, nullum obtineat ei effectum. C. Sed præſens iſta donatio a me firma & ſtabilis permaneat & ſeipſa defenſata & bonorum hominibus manibus roborata, quorum* nomina per aurem tracti.

Hoc fuit factum in XIII. Kal. Madij, Luna XX. anni Domini DCCCXXIV. Indict. II. Teſtes multi.

79.

Traditio Sigiwalhi.

DOmino ſancto & in Chriſto Patri *Lanperhto* Abbati de Monaſterio *Maninſeo* una cum turma plurima Monachorum ibidem conſiſtentium, ubi reliquiæ Sancti Michahelis Archangeli dinoſcitur. Quapropter ego in Dei nomine *Sigiwalh* cogitans de Dei timore vel æterna bona retributione, ut mihi pius Dominus de peccatis meis aliquid relaxare dignetur, volo tradere, & ita trado dimidium partem hæreditatis meæ, quod genitor meus me dereliquit, hoc eſt, in pago *Atargaune*, in loco, qui dicitur *Pohpere*, omnia in omnibus transfirmabo; quicquid in ipſo loco, ſicut ſuperiùs prænominavi, mea fuit poſſeſſio vel dominatio, a jure meo in veſtrum dominium diſpono, ut poſt

obitum meum ad opus Sancti hujus Archangeli, qui dicitur *Luna laco*, ubi pretioſus Domnus *Lantperhtus* Abbas regere videtur, ibidem habeatis, teneatis atque poſſideatis, liberum in omnibus perfruatur arbitrio ad faciendi. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo: ſi ego ipſe aut ullus de hæredibus aut prohæredibus meis hoc mutare voluerit, nullum obtineat ei effectum, ſed præſens iſta traditio firma & ſtabilis permaneat, & me rogantibus bonorum hominum manibus roborata, quorum nomina per aurem tracti. Et ſunt teſtes multi.

Hoc fuit factum in Prid. Non. Decemb. Feci veſtigio atque redonatio ad Sancto Michahelo Archang. & ego *Anthardus* in ipſo die transfundo ad Sancto Michahelo Archang. ad *Maninſeo* ſilvam hæreditatis meæ, quicquid ad *Pohpere* habuiſſem, ut ab hodierno die liberum perfruatur arbitrio. Sunt teſtes multi.

80.

Traditio Anthardi.

824. DOmino venerabili & in Chriſto *Lantperhto* Abbati de Monaſterio *Maninſeo*, quod eſt conſtructum in honore S. Michahelis Archangeli. Quapropter ego *Anthardus* cogitans de Dei timore vel æterna retributione, dum non eſt mihi incognitum, qualiter aliquam rem portionis meæ, id eſt, iurnales II. in pago *Atargauue* in loco nuncupante *Pohperk*, vobis ad ipſum Monaſterium, quod dicitur *Maninſeo*, tradidi atque transfirmavi, ut in ævum atque inconvulſum perpetualiter permaneat.

Hoc fuit factum in XIV. Kal. Junij, Luna XV. anni Domini DCCCXXIV. Indict. II. Sunt teſtes multi.

81.

Traditio Hiltimunt.

VEnerabili atque amabili *Lantperhti* Abbati de Monaſterio *Maninſeo*. Quapropter ego *Hiltimunt* & conjux mea *Ellinpure* in Dei nomine cogitantes de Dei timore vel æterna bona retributione volumus tradere & ita tradimus, quicquid in noſtra poteſtate habemus, hoc eſt, ad *Piribinuuanc* omnia & ex omnibus ad Sancto Michahelo Archangelo transfirmavimus.

A. Hoc fuit factum in III. Id. Aug. vel IX. anni Domini DCCCXXIV. Indict. III.

82.

Traditio Sundarmari.

DOmino venerabili & in Chriſto Patri *Lantperhti* Abbati de Monaſterio ad *Maninſeo*, quod eſt conſtructum in honore S. Michahelis Archangeli. Igitur ego *Sundarmar* in Dei nomine dum non eſt mihi incognitum, qualiter aliquam rem trado atque dono in manus *Lantperhti* Abbati, hoc eſt, B. quod dicitur ad *Muron* in latitudinem dono virgas V. in pago *Salzpurcanue* in loco nuncupante ad *Vuengi* ad illa Mura. Hoc dono contra unum caballum, quod a vobis accepi, & vos illa Mura perpetualiter habeatis. In ea verò ratione trado deſuper de ipſa terra virga I. & fuſtum unum pro remedium animæ meæ, ut vos in omnibus firmiter teneatis atque poſſedeatis, & liberum perfruatur arbitrio Chriſto propitio, in omnibus habeatis poteſtatem. Et ſiquis deinceps, quod futurum eſſe non credo, ſi ego C. ipſe, quod abſit, aut ullus quislibet de hæredibus meis, qui contra hanc cartulam extranea perſona frangere voluerit, vel eam calumniare conaverit, nullum obtineat ei effectum, ſed præſens iſta paginula ipſa defenſata diuturnum tempus maneat inconvulſa.

Actum in loco ad *Vrſeſdorf*. Teſtes multi. Hoc fuit factum in VII. Kal. Junij anni Domini DCCCXXIV. Indict. II.

83.

Traditio Gunduuini.

D. GUnduuinus tradidit res ſuas proprias, ſitas in loco, qui vocatur *Vuanghi* partibus Monaſterij beati Michaheli, id eſt, Eccleſia & curte cum caſa & horrea & terra ſalaricia & ſilva communia & mulina I. & hobonia I. & mancipia XIV.

84.

Traditio Mahtuni.

LAtores legum ſanxerunt, ut, qui de jure pròprie aliquid condonare voluerit, hoc coram plures teſtibus faciat obpli-

Digitized by Google

obplicare. Quapropter ego *Mahtuni* in Dei nomine . . cogitans de Dei timore vel æterna bona retributione, ut mihi pius Dominus de peccatis meis aliquid relaxare dignetur, volo tradere partem hæreditatis meæ, & ita trado ad Sancto Michahelo Archang. qui dicitur *Luna laco*, ubi præeſt venerabilis vir *Lantperhtus* Abbas, in Dei nomine feliciter regere videtur . . . ſicut jam factum eſt in VII. Id. Decembris in eccleſia S. Michahelis Archang. hoc eſt, in pago *Atarganue* in loco, qui dicitur *Pubilesfah*. Id ſunt iurnales XL. & ſilvis, & alia utenſilia ibidem noſcuntur. Et ita trado, ut ab hodierno die hoc habeatis, teneatis, liberum perfruatur arbitrio, a jure noſtro in veſtram dominationem diſpono, ut firmiter in omnibus teneatis.

Hoc fuit factum ad *Scugindorf* in ipſa eccleſia in VII. Kal. Jan. Luna XX. anni Domini DCCCXXIV. Indict. I. Sunt multi teſtes.

85.

Traditio Adalharti.

825. DOmino ſancto & Deo devotiſſimo *Lantperhto* venerabili Abbati. Quapropter ego in Dei nomine *Adalhart*, cogitans de Dei timore vel pro æterna bona retributione, ut mihi pius Dominus de peccatis meis aliquid relaxare dignetur, volo tradere ad Sancto Martino, quod eſt in *Rotahgouue* in loco ad *Intinſtegon*, & ita trado iurnales II. & eſt de *Schefouua*. Et ita trado, ut habeatis teneatis, liberum perfruatur arbitrio. Sunt multi teſtes anni Domini DCCCXXV. Indict. III.

86.

Traditio Reginhelmi.

VEnerabili Patri atque amabili *Lantperhti* Abbati. Quapropter ego *Reginhelm* in Dei nomine cogitans de Dei timore vel æterna bona retributione volo tradere ad S. Michahelo ad *Maninſeo* omnem ſubſtantiam meam, & ita trado, ut habeatis, teneatis liberum perfruatur arbitrio, hoc eſt, ad *Cheſſindorf*, quicquid in illius locis ullus homo inveſtigare valeat. Ita trado omnia atque per omnia, ſicut ſuperiùs nominavimus, ad *Maninſeo*, ubi præeſt venerabilis vir A. *Lantperhtus* Abbas. Et multi ſunt teſtium. In Nonis Octobris Luna IX. anni Domini DCCCXXV.

87.

Precaria Pernhelmi.

DOmino ſancto & in Chriſto Patri *Lantperhto* venerabili Abbati de Monaſterio *Maninſeo*, ubi reliquias ſunt Sancti Michahelis Archangeli dinoſcitur. Quapropter ego *Pernhelm* in Dei nomine cogitans de Dei timore vel æterna bona retributione volo tradere mediam partem hæreditatis meæ, hoc eſt, in B. pago *Salzpurganue* in loco nuncupante ad *Sura*. Et ita transfirmabo, ut poſt obitum meum habeatis mediam partem, & ſi inter me & uxore mea filius erit, aliam partem hæreditatis meæ, ille habeat: & ſi filius non erit inter nos, tunc poteſtatem vellem habere, ubicunque voluero, tradere. Et econtra ego *Pernhelm* petivi a vobis, ut mihi præſtetiſtis, quod genitor meus ad Sancto Michahelo tradidiſſet, hoc eſt, in ipſo villo ad *Sura*, & veſtra voluntas mihi non denegavit, ut ipſam rem, dum diu advixero, ſicut ſuC. periùs non habuimus, per beneficium uſu fructuario mihi præſtetiſtis, & pro ipſo uſu cenſui vobis annis ſingulis ſolidum unum ad Miſſam S. Martini exſolvere inter auro & argento, & ipſam rem nec vendere nec donare, nec alienare nec concampiare, nec in nullum naufraium ponere licentiam non habeam, niſi tantum dum diu advixero, viſitare & emeliorare faciam, & poſt meum quoque diſceſſum ipſam rem emelioratam cum omni ſuperpoſito, quicquid ibidem adtractum emelioratumque repertum fuerit, absque ulla contradictioD. ne vel judicaria conſignatione revocare faciatis in veſtrum dominium. Hæc precaria tam de quinquennium debeat eſſe renovata, ſic ſemperque pervaleat in affectum.

Actum in loco, quod dicitur *Maninſeo* ad ipſo Monaſterio. Teſtes multi. Hoc fuit factum in Non. Jun. Luna XIII. anni Domini DCCCXXV. Indictione III.

88.

Traditio Richpaldi.

LAtores legum ſanxerunt, ut qui de 826. jure proprie aliquid ad loca Sanctorum

rum condonare voluerit, hoc coram pluribus teſtibus firmiter faciat obplicare. Quapropter ego *Richpald* cum conſenſu filio meo, qui dicitur *Amo*, trado atque transfirmo partem hæreditatis meæ, hoc eſt, iurnales V. in ſilvis, quod eſt ad *Poche* in pago *Sundargauue*. Et hoc, quod ſuperiùs diximus, transfirmamus ad S. Michaëlo Archangelo ad *Maninſeo*, ubi præeſt venerabilis vir *Lantperhtus* Abbas in Dei nomine regere videtur : & ita trado atque transfirmabo in manus *Lantperhti* Abbatis, & in ejus Vocato, quod *Tato* [dicitur].

Hoc fuit factum in III. Non. Novembr. vel XXIX. Indict. IV. anni Domini XXVI.

89.

Traditio Vuillihelmi Comitis.

Vuillihelmus Comis cogitans de Dei timore, ut mihi pius Dominus de peccatis meis aliquid relaxare dignetur, volo tradere propriam hæreditatem meam ad S. Michahelem Archangelum ad *Maninſeo*, ubi præeſt vir *Lantperhtus* Abbas in Dei nomine regere videtur, hoc eſt, quod ego trado, quicquid habeo in villa, quæ dicitur *Teninga*, niſi quod *Suuindinc* habuit, transfirmabo, ſicut ſuperiùs nominavi, ut poſt obitum meum & uxoris meæ. Et ſi uxor mea tam diu lectum meum ſervaverit, hoc habeat: poſtea in veſtrum dominium diſpono, ut habeatis & teneatis, liberum perfruere arbitrium, & per omnia in veſtrum diſpono, ut poſt obitum meum teneatis.

Hoc fuit factum ad *Teningon* in III. Kal. Mart. Luna XVI. anno Domini DCCCXXVI. Indict. IV. Teſtes multi.

90.

Traditio Heitonis.

LAtores legum ſanxerunt, ut qui de 827. jure ſuo proprio alicui aliquid tradere voluerit, hoc coram plures teſtibus per ſcripturarum ſeriem firmiter faciat oblicare, ut in ævum atque inconvulſum valeat perdurare. Sicut Dominus dixit in Evangelio: date & dabitur vobis: multum accipiat, qui ſibi de terrenis & caducis rebus comparat præmia ſempiterna. Quapropter ego in Dei nomine *Heito* cogitans de Dei timore vel æterna bona retributione cum conſenſu fratre noſtro *Ortuuigo* dono, trado, atque transfundo, firmo omnem ſubſtantiam hæreditatis meæ ad Sancto Mihhaëlo Archangelo, ſicut nominatum eſt *Luna laco*, & ubi venerabilis vir præeſſe *Lantperhtus* Abbas & regere videtur in omnibus. Idcirco in Dei nomine perpetualiter transfirmamus, hoc eſt, in pago *Quuinzingauue* in loco nuncupante *Sulzipah*, id eſt, Kaſas cum ſalaricias, curtiferis, cum mancipijs, cum pecoribus, cum terris arabilis, paratis, paſcuis, partem mulinarijs, & quicquid in eo loco noſtra videtur eſſe poſſeſſio vel dominatio, vel ibidem manentibus vel aſpicientibus. Quapropter magnis periculis in ſecula eſſe videtur, nunc Domino adjuvante & longiente vita noſtra ſecundùm ſuam voluntatem ſi Deo placet, locus meus vobiſcum habere, ſicut nunc factum eſt, & corpus meum in elimoſina veſtra hìc ſepelire, & in oratione veſtra, ſicut veſter ſervus: Idcirco ſicut ſuperiùs dicavimus, hoc habeatis, teneatis atque poſſideatis legitimè, vel quicquid exinde facere volueritis, liberam in omnibus habeatis poteſtatem. Et præſtavimus tibi, quod *Folchribus* tradidit ad *Sulzipah*, Kaſa ſcuricia cum terra ſalaricia, cum patris, * cum mancipijs & hobonias duos cum ſervis & alijs mancipijs, ad illum locum aſpicientibus. Et ſi illud contigit, quòd tu ipſum germanum tuum ſupervixeris, poſtea habebis in precariam uſque ad obitum tuum, ambi uſque Deus voluntas ſit.

* *pratia*

De præſentia paginula fuit factum ad *Maninſeo* in Eccleſia Sancti Mihhahelis Archangeli coram omni Congregatione, & ibi fuit venerabilis vir *Lantperhtus* Abbas, & alios multos teſtes. Fuit factum in V. Kal. April. vel XXVIII. Indict. XIV. anni Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCXXVII. regnante *Ludouuigo* Imperatore IV. annos.

91.

Traditio Cilie.

LAtores legum ſanxerunt, ut qui de jure proprie alicui aliquid tradere 828. voluerit, hoc coram plures teſtibus faciat firmiter oblicare, ut in ævum & inconvulſum permanere valeat. Quapropter ea ego *Cilia* cogitans de Dei timore vel

re vel æterna bona retributione, ut mihi pius Dominus de peccatis meis aliquid relaxare dignetur, volo tradere, & ita trado ad Sancto Mihhaëlo Archangelo ad *Maninſeo*, ubi præeſt venerabilis vir *Lantperhtus* Abbas, hobonia una, hoc eſt, ad *Heimingon* in loco ad *Holzhuſen*. Et ita trado, ut poſt obitum meum teneatis, & liberum perfruatur arbitrio, ut nullus obtineat ei effectum hoc mutare vel refragare. Sed præſens iſta traditio ſtabilis in ævum permaneat.

Hoc fuit factum in Idib. Nov. anni Domini DCCCXXVIII. Indictione VI.

92.

Traditio Kerhart & Sickeri.

DOminus dicit in Evangelio: date & dabitur, & augetur frugum veſtrum in ſanctificatione. Quapropter ego in Dei nomine *Kerhart* & filius meus *Sicker*, ambo cogitantes de Dei timore vel æterna bona retributione, ut nobis pius Dominus de peccatis noſtris aliquid relaxare dignetur, volumus tradere partem hæreditatis meæ. Et eſt hoba una. Et ita tradimus ad Sancto Michahelo Archangelo ad *Maninſeo*, ubi præeſt venerabilis vir *Lantperhtus* Abbas, in Dei nomine regere videtur. Iterum atque iterum tradimus, ſicut ſuprà diximus ad Monaſterio Maninſeo, hoc eſt, hobonia una in pago *Salzpurcgauue* in loco ad *Hiltigeriſdorf* cum domibus, ædificijs, cum curtiferis, cum uuadris, campis, terris arabilis tam cultis quàm incultis, totum & ad integrum, & quicquid ad ipſo loco pertinet, per omnia transfirmamus ad S. Michahelo Archangelo ad Monaſterio *Maninſeo*, ut habeatis, ab hodierno die, quicquid exinde facere volueritis, liberum perfruatur arbitrio.

Actum in loco ad *Vrſiſdorf* in XII. Kal. Mart. Luna XXVIII. Teſtes multi. Anni Domini DCCCXXVIII. Indict. VI.

93.

*Donatio Pij Ludovvici Regis ad Maninſe.**

* in Cod.

IN hac notitia continetur, qualiter *Lampertus* Abbas *Hludouuicum* Pium Regem poſtulavit intercedentibus *Ernoſto* & *Adalberto*, ut ad Monaſterium Sancti Michahelis, quod eſt conſtitutum ad *Manſeo*, in elemoſinam ſuam perdonaret quendam lacum, nomine Aparineſſeo * cum omni foreſte circumjacente ad utilitatem ſervorum Dei, qui in eodem Monaſterio Domino ſervire ſtudent. Rex verò ob memoriam animæ fecit ita, & donavit ad S. Michahelem ſupra dictum lacum & foreſtem, ut nullus de die illa & deinceps aliquam contrarietatem in his rebus facere auderet, dedicque Miſſum ſuum, qui inde ſuprà nominatum Abbatem & ſervos Dei veſtiret. Tunc & ille Miſſus juſſionem Dominicam implens veſtituram peregit. B. In Occidente a rivo nominato *Zuchimpah*, ubi ipſe in *Aparineſſeo* decurrit, & ab Oriente ab eo loco, ubi *Ymmilipah* in eundem lacum fluit, uſque ad eum locum, ubi *Iſcula* in *Trunam* cadit, ut abſq; ullius contradictione illuc conſtaret. Et ex alia parte terminum haberet uſque ad *Wizinpah*, ubi & ipſe in *Atarſeo* vadit, & ad alium *Wizinpah*, uſque dum ipſe in *Trunam* decurrit, ita videlicet, ut nemo alienus in hoc lacu piſcari auderet, neque in ſuprà dictis locis venationem exercere, ſed pleniter ad ſupra dictum Archangelum conſtaret.

* Aberſt.

C. Hæc donatio facta eſt ad *Ranteſdorf* anno Domini DCCCXXIX.

94.

Concambium inter Lantperhtum Abbatem & Vuohharem.

NIhil ſibi quiſpiam cernitur minuendo, quæ ſibi econtra recipit in augmentum. Ideoque complacuit atque convenit inter venerabile viro *Lantperhto* Abbate & *Vuohhre* concambio facere. Et quod ita fecerunt. Ideoque D. tradidit *Vuohhare* omnem hæreditatem ſuam, quod ille habebat ad *Rintileſpah* in manus *Lantperhti* Abbati & in ejus Vocato *Pazricho*. Et *Lantperhtus* Abbas contra hoc tradidit *Vuohare* omnia, quod habebat ad *Hiotintorf*. Et ſi quis verò de hac commutatione venire, aut eam infrangere voluerit, nullum obtineat ei effectum, ſed præſentes commutationes omnique tempore firmæ & ſtabiles permaneant. Sunt multi teſtes.

Hoc fuit factum in XVII. Kal. April. Luna VI. anni Domini DCCCXXIX. Indictione VII.

95.

Traditio Gotaperhti.

IN Christi nomine ego *Gotaperht* cogitans pro anima mea trado hæreditatem meam ad sanctum Michahelem Archangelum in loco nuncupante *Luna laco*, ego trado atque transfundo in manus *Lansperhti* Abb. in villa nuncupante *Sueinpah*, quæ in eodem loco habeo casa, curte, scura, quicquid infra curte habeo aut foris, iurnales, campis, pascuis, ad illum locum pertinet.

Hoc fuit factum ad *Trogindorf* in VIII. Id. Octob. Luna XIII. Sunt multi testes.

96.

Traditio Vuillihelmi.

814. QUicquid pro Dei amore Dei ecclesijs donatur, hoc ad æternam remunerationem fidelibus provenire creditur. Vnde & ego *Vuillihelmus* ad S. Michahelem, videlicet ad *Maninseo* Monasterium tradidi silvam proprietatis meæ in loco nominante *Fangauui*, in longitudine habentem leuuam * unam, & in latitudinem mensuram iurnalium duorum. Et testes multi. Anni Domini DCCCXXXIV. Decimo nono Kal. Jan. Anni *Hludouuici* Regis XXI. Indict. XII. In secunda feria.

*leucam

97.

Traditio Hephilonis.

837. OMne ævum, quod in hac vita a fidelibus propter nomen Domini datur, merces inde futura speratur. Idcirco in Dei nomine *Hephilo* tradidit proprietatem suam ad Sanctum Michahelem ad Monasterium *Maninseo*, quam habebat ad *Strazunalachon* de terra cul- D. ta vel inculta, nihil extra dimittens, cum mancipijs istis, quorum nomina sunt: *Zambilt* cum alijs mancipijs XVI. Testes multi.

Facta est hæc traditio ad *Maninseo* anno Dominicæ incarnationis DCCCXXXVII. *Hludouuici* Regis XXIV. Indict. XV. in Non. Mart. feria II. Dignus nomine scripsit.

98.

Traditio Hettonis.

REgente viro venerabili Baturico Episcopo ecclesiam Sancti Mihhaē-

A. lis ad *Maninseo* quidam vir nobilis, vassus suus, nomine *Hetto*, ad ipsum venit, & misericordiam quæsivit, ut illis, qui illuc ad servitutem noti fuerunt, remissionem servitij illorum faceret. Ille verò cum totius familiæ suæ consensu & *Pazrici* Advocati sui ita, ùt ipse petivit, facere dignatus est. Tunc & præfatus *Heito* eandem indulgentiam ipsorum confirmare volens omne lucrum suum, quod adquisivit post illam traditionem, quam priùs cum *Ortunigo* fratre suo fecit ad S. Michaëlem, tradidit, quod est ad *Sulzipah* in vico nominato *Kepahartesdorf* iurnales X. silvam unam cum B. mancipijs X. Ea scilicet [ratione] hanc traditionem fecit, quam diu ipse viveret, utriusque traditionis causas in potestate sua haberet, & post obitum illius filij sui *Hiltileip* & *Gozperht* easdem res traditionum ex parte patris sui possiderent & his deservirent cum ipsis causis, qui Ecclesiam S. Michaëlis regerent cum tali servitio, ut maltros & malcidos non facerent, nec aliquem censum solverent, sed cum honore & honesta servitia facerent, nec alia a nemine facere cogeren- C. tur. Hac ratione peracta traditione: testes multi.

Facta sunt hæc ad *Maninseo* anno Domini DCCCXXXVII. *Hludouuici* Regis IX. Indict. XV. in Non. Mart. feria II.

99.

Traditio Pernhelmi.

837. IN Dei nomine cogitans cogitavi ego *Pernhelm*, quàm caducum & fragile est hoc tempus breve, in qua periculosè conversamur. Idcirco hoc perpendens tractavi in animo meo, qualiter cum caducis æterna adquiri potuissem, tradi- D. que ad S. Michahelem super ipsum altare in Monasterio, quod dicitur Maninseo, quicquid proprietatis meæ habere visus sum in pago nominato *Salzpurcgauui*, villa nuncupata *Sura*, casam cum curte & cæteris ædificijs, mancipia V. quorum nomina sunt hæc: *Adalgis*, *Gisalhart*, *Cheigo*, *Salmia*, *Rodhilt*: & in terris, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cultis & incultis, quicquid dici vel nominari potest, & illam marcam quærendi ac defendendi potestatem libero arbitrio nullius personæ contradicente, omnia ex integro

integro nihil extra dimittens, eo tamen tenore, ut, quam diu ego ſuprà dictus *Pernhelm* vixiſſem, in poteſtate mea hanc ipſam traditionem haberem, & poſt diſceſſum meum, poſtquam veſtitura ille Abbas illius Monaſterij ad *Maninſe*, nec non & illi Monachi ibidem Deo ſervientes acceperunt, mulieri meæ *Ratdrudæ* in beneficium concedant usque ad obitum vitæ ſuæ: poſt diſceſſum autem ejus ad ſuprà dictum Sanctum Dei Michahelem ſuprà dicta redeat traditio in omnibus emelioratis. Teſtes multi.

Actum ad *Maninſe* Monaſterium circa altari S. Michahelis, *Perhtrammo* Presbytero ac Præpoſito, & *Aarfrido* Advocato accipientibus iſtam traditionem. *Deotperht*, *Reginwalh* fide juſſores. Anno Dominicæ incarnationis DCCCXXXVII. VIII. Kal. Maj vel XXI. feria III. in Albis regnante *Hludowico* ſereniſſimo rege in Orientali Francia, anno XXII. feliciter.

100.

Compoſitio inter Liuphrammum Archiep. Salzburg. & Baturicum Epiſc. Ratiſponenſem.

848. QUidquid enim de legitimis placitis ventilatum fuerit, optimè condecet memoriæ commendandum, & quod a nobilibus viris rationabiliter ſeu legaliter inquiſitum & definitum fuerit, futuris temporibus a nemine poſſit deſtrui, ſed potiùs juxta narrationem veracium hominum res juſtè complacitatæ, ejus temporibus inconvulſæ ſine aliqua contradictione permanere valeant. Enimverò non eſt incognitum, qualiter quædam commotio exorta fuit inter *Liuphrammum* Juvavenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum & *Baturicum* Radesbonæ civitatis Epiſcopum de venatione & piſcatione eorum ad *Apirineſſeo* & in cæteris locis. Tunc inde ventilata ratione & placito peracto coram ſupra dictis Præſulibus ac cæteris pagenſibus loci ipſius venit *Liuphrammus* Archiepiſcopus & *Nordperht* Comes in ipſum ſaltum ad ipſa confinia perſpicienda cum alijs quàm plurimis nobilibus viris, ut agnoſcere valerent, quod ipſius rei veritas haberet. Tunc verò veraces viros ad ipſa ſigna & confinia adſignanda navigando direxerunt, quorum hìc nomina ſuptet prænotata ſunt: *Farut*, *Vuihkoz*, *Kerrat*, *Alpker*, *Reginhart*, *Heriperht*, *Kozzilo*, *Kerilo*, *Deothad*, *Hiltiprant*, *Chuniperht*, *Ilpunc*, *Sigirod*, *Kerhart*, *Ruodker*, *Ruodheri*. Iſta ratione peracta iſti homines interrogati ab ipſius loci Comite in illa fidelitate, quam cum ſacramento Domno Regi promiſſam habent, ut ipſius rei veritatem dicerent, qualiter veraciſſimè ſcirent, quorum nomina ſunt *Kerrat*, *Kerilo*, *Vuihkoz*, *Farut*, *Heriperht*, *Deothad*, *Rodheri*. Poſtea verò dixerunt de *Zinkinpah* & *Tunnulinpah* usque ſuper verticem montis, quem vulgo nominat *Skafesperc*, ex occidentali parte & meridiana propriè illa confinia ad Sanctum Petrum & Sanctum Rodbertum ad Sedem Juvavenſem juſtè & rationabiliter pertinere deberent. Iſti alij quàm plurimi ſæpiſſimè ad illam matkam fuerunt, qui id ipſum teſtificati ſunt, ſicut ſupra dictum eſt, quorum nomina ſunt *Nordperht* Comes, *Oſtarpald*, *Otachar*, *Otker*. Actum anno Domini DCCCXLIII. Indict. VI. die Cons. III. Non. Auguſti.

101.

Traditio Arperhti Diaconi.

851. VIta brevis eſt hæc nimiùm, ſed longa futura. Ideoque unicuique neceſſe eſt cum caducis & tranſituris rebus feſtinare, ut adquiret ea, quæ non ſunt tranſitoria, ſed æterna, quæ nunquam veteréſcunt, ſed permanent in æternum. Quapropter ego indignus Diaconus, nomine *Arperht* Divina compunctus miſericordia trado atque tranſfundo propriam alodem meam ad S. Michahelem Archangelum Dei pro redemptione animæ meæ in loco, qui dicitur *Rota*, ut partem merear aliquam habere cum Sanctis Dei in æterna quiete, quicquid habere viſus ſum in loco eodem ſuprà nominato, id eſt, in terris, ſilvis, pratis, paſcuis aquarumve decurſibus & in mancipijs, quicquid dici vel nominari poteſt, nihil extra dimitto. Ea tamen ratione hanc traditionem facio, ut id ipſum habeam & beneficiolum meum, quod inde accepi, usque ad finem vitæ meæ nemine prohibente atque contradicente ex ipſis principibus, qui ibi præeſſe videntur: & ut tradam, cui voluero, ut habeat usque ad finem vitæ ſuæ.

Acta eſt hæc traditio anno Domini A. DCCCLIII. & in IV. Kal. Febr. Luna XIV. in loco ſuprà dicto, qui dicitur *Rota*. Et ſunt multi teſtes.

102.

Traditio Engilperhti Diaconi.

154. QUicquid ad loca Sanctorum a fidelibus datur, ſciant ſe æterna retributione eſſe remunerandos. Quapropter in Dei nomine ego *Egilperhtus* Diaconus trado atque transfundo ad S. Michahelem Archangelum, quicquid habeo in loco, qui dicitur *Groninpah*, & in pago, qui dicitur *Vfgauui*, cum terris, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, mobilibus & inmobilibus, cultis vel incultis, nihil extrà dimittens. Similiter & ad *Filuſa* in pago, qui dicitur *Quinzingauui* eodem modo, quod *Odalſcalh* illi ſuprà dicto *Engilperhto* tradidit, eadem firmitate tradidit ad ſupradictum Dei Michahelem Archangelum cum terris, pratis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, mobilibus & inmobilibus, cultis & incultis, quicquid ibidem habere viſus ſum. Tertium quoque traditionem, quam mihi *Iſanhart* fecit, in pago, qui dicitur *Rotahfeuui*, trado atque transfundo ad prædictum Sanctum Dei Michahelem Archangelum cum terris, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis aquarumve decurſibus, mobilibus & inmobilibus, cultis vel incultis, quicquid mihi per traditionem fecit, firmiter atque ſtabiliter confirmavi. Teſtes multi. Anni Domini DCCCLIV. Tertio Non. Maj.

103.

Traditio Vuilliperti.

IN Chriſti nomine ego *Vuilliport* cogitans pro anima mea ſeu pro æterna retributione trado vel transfundo hæreditatem meam ad S. Michahelum ad Monaſterium *Maninſeo*, in loco, qui dicitur fluvius *Sura*, una hoba cum pratis, terris, ſilvis, aquis, & omnia, quæ ad illis locis pertinet. Et hæc donatio a me facta omni tempore firma & ſtabilis permaneat.

Factum eſt autem in VIII. Id. Jun. Luna XIII. Teſtes multi.

104.

Marca Monaſterij Monſeenſis.

DE Marcha ad *Maninſeo* vadit usque in medium *Vntraha*. Inde usque ad *Vuizzinpah*. Inde ad *Linpiniſpere*. Inde usque in *Iſcla*. Inde ad *Prettenſelida*. Inde *Cinkinpah*. Inde ad *Alpigilin*. Inde ad *Chuningespere*. Inde ad *Cinchun*. De *Michlinpach* autem vadit per ſupercilium montis, qui vocatur *Rihtipere* usque ad *Rinderetal*. Mons ille, qui dicitur *Vriſeſpere*, dimidius, id eſt, Orientalis pars pertinet ad *Maninſeo*, & illi duo laci *Maninſeo* & *Vriſeſſeo* ſunt in banno, niſi tantummodo de curte, qui dicitur *Atarhohf*, inde licet piſcari in *Maninſeo* hebdomadas duas circa natale Domini. De *Maninſeo* licitum eſt piſcari in *Aterſeo* de Epiphania usque ad Palmas. De *Sundargouua* juxta ripam, quæ dicitur *Semita*, ad Maninſeo *pertinens*, quod dicitur *Vfhuſa* hob. III. ad ipſam curtem pertinentes, & in alio loco, qui dicitur *Prezza*, hob. II. & ad *Vuerida* hob. IV. ad illam prædictam curtem pertinentes, & molendina II. ad *Tezinga* pertinet Eccleſiaſtica res I. cum hoba II. Ad *Fornapah* rem curtem I. cum hob. I. Ad *Moringa* curtem I. Ad *Puocha* curtem I. cum hob. III. Ad *Aſcah* curtem I. cum hob. IX.

Vid. ſupra num. 1.

105.

Marca Eccleſiæ Steinenchirchenſis in Auſtria, juris Monaſterij Monſeenſis.

TErmini, qui pertinent ad Eccleſiam *Steinmchirhen*, vadunt inter *Cheminatenbach* & *Strebilici* uſque ad *Holzarn*, & a *Holzaren* in flumen *Erlaſa*, & ſurſum *Erlaſa* uſque in *Scauuam*, & inde tendens uſque in *Sichvva*, & ſurſum uſque in locum, qui dicitur *Strit*, & ab illo loco uſque ad flumen, qui vocatur *Furſſe* in arbore, qui dicitur *Nuzbom*: Et inde tranſcendens uſque in flumen *Viſtre*, & inde ſurſum tendens uſque in *Paca*, & inde deſcendens ad *Erlaſa*. Iterum ſurſum tendens ad montem *Othzan*, & inde uſque ad terminum *Chernten*, & ab illo loco uſque in *Ibſici*. Inde uſque ad *Stemmtiſchi*: & inde tranſcurrens per medium montis *Hocho-*

Hochogele : inde in flumen *Fleſniei*, & ſic in *Ibſam* : inde in prædictum locum *Cheminatenbach.*

VIII.

* *Excellica ex Codice Altah. ab Hermanno Abb. circa an. 1260. collecta.*

Caroli Magni Imp. Epiſtola ad Fulradum Abbatem Altahenſem cui præcipit, ut cum hominibus benè armatis in loca, qui dicitur Staraſfurt, compareat.*

Carolus, Sereniſſimus Auguſtus, a Deo coronatus, Magnus, Pacificus Imperator, qui & per miſericordiam Dei Rex *Francorum* & *Longobardorum*, *Fulrado* Abbati.

NOtum ſit tibi, quia placitum noſtrum generale anno præſenti condictum habemus infra *Saxoniam* in Orientali parte ſuper fluvium *Rota* in loco, qui dicitur *Staraſfurt*. Quapropter præcipimus tibi, ut pleniter cum hominibus benè armatis ac præparatis ad prædictum locum venire debeas XII. Kal. Jul. quòd eſt ſeptem diebus ante Miſſam S. Johannis Baptiſtæ. Ita verò præparatus cum hominibus tuis ad prædictum locum venies, ut inde, in quamcunque partem noſtra fuerit juſſio, & exercitaliter ire poſſis, id eſt, cum armis atque utenſilibus, nec non & cætero inſtrumento bellico, in victualibus & veſtimentis, ita ut unuſquiſque caballarius habeat ſcutum & lanceam & ſpatham & ſemiſpatham, arcum & pharetras cum ſagittis, & in carris veſtris utenſilia diverſi generis, id eſt, cuniada & dolaturia, tarratres, aſſias, foſorios, palas ferreas, & cætera utenſilia, quæ in hoſtem ſunt neceſſaria. Utenſilia verò ciborum in carris de illo placito in futurum ad tres menſes, arma & veſtimenta ad dimidium annum. Et hoc omnino præcipimus, ut obſervare faciatis, ut cum bona pace pergatis ad locum prædictum, per quamcunque partem regni noſtri itineris veſtri rectitudo vos ire fecerit, hoc eſt, ut præter herbam & ligna & aqam nihil de cæteris rebus tangere præſumatis, & uniuscujuſque veſtri homines unà cum carris & caballarijs ſuis vadant, & ſemper cum eis ſint uſque ad locum prædictum, qualiter* abſentia domini locum non det hominibus ejus mala faciendi. Bona verò tua, quæ ad placitum noſtrum nobis præſentare debes, nobis Menſe Majo tranſmittere ad locum, ubicunque tunc fuerimus, ſi fortè rectitudo itineris tui ita ſe comparet, ut nobis per te ipſum in profectione tua ea præſentare poſſis, hoc magis optamus. Vide, ut nullam negligentiam exindè habeas, ſiquidem* gratiam noſtram velis habere.

* f. quatenus

* *Apgr.* ſicut

IX.

circ. 802. ex veterrimo Cod. Tegernſi.

B. ***Arnonis Archiepiſcopi Salzburgenſis epiſtola encyclica de celebranda Synodo in Kiſpach.***

SIncerrimæ dilectionis venerabiliter præferendo, & cum omni charitatis amore amplectendo N. digno Dei Antiſtiti ſupplex S. Juvavenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus N. benè cupiens proſperitatis veſtræ hìc in præſenti & in futuro ſeculo. Solito etenim more Sanctitatis Veſtræ precibus nos enixè commendamus. Veſtra namque memoria, ùt optimè condecet, jugiter apud nos retinetur, ſicut optimè noverit fraternitas veſtra, & Canonica auctoritas probat, omniumque noſtrum eſt utilitas maxima, qui ſumus in loco regiminis conſtituti, *Synodale conloquium* habere, & ibi pertractare noſtrum miniſterium, a Deo nobis commiſſum, ad profectum totius Chriſtianæ plebis: quia id ipſum a confratribus noſtris Epiſcopis hoc anno *in regno Domni Senioris noſtri in Francia* eſt peractum. Quapropter Deo auſpice nos coadunati ſumus Synodalem conlocutionem exercere ad *Riſpach* die inchoante *XIII. Kal. Sept.* Quapropter bonum eſt, ut die ſtatuto vos ipſi illuc veniatis, & præcipiatis veſtro *Chori Epiſcopo*, ut illuc veniat, & Archipresbyteris veſtris ſeu cæteris primoribus Eccleſiaſticis: & de illa veſtra Abbatia illos proceres Monachos, quantos vobis videbitur. Et il illa Capitula, quæ in illa Synodo in Francia geſta fuerunt, ſcripta habeatis, vobiscum deferte. De victualibus verò ſagax prudentia veſtra præcaveat, ad quantos dies ibi commorari in loco, tantos tunc noſtra ſuppetiat convenientia: Quia, ſicut ſuperiùs præfati ſumus, ut illa Synodalis loquela, Divina auxiliante gra-

tia, nobis a Deo merces adcreſcat, & apud homines bona laus. Et hoc ſcitote, quia ad confratres noſtros Epiſcopos iſtam exemplariam ſcriptam directam habemus. Perlecta hac epiſtola a veſtra dilectione nobis ſoſpitatem veſtram per Miſſum aut per indicolum veſtrum nobis innoteſcere non pigeatis.

X.

Epitaphium Sanctiſſimi Simperti Epiſcopi Auguſtenſis *

* ob. circ. 819.

B. SAncti Præſulis hìc *Auguſta* tui oſſa quieſcunt
Simperti, meritò quem venerando colis.
Præclarus titulis Karoli Magniq́ ſororis Filius at major pro bonitate ſua.
Is tuus eſt tutor, pacis clariſſimus auctor,
Quin tua poſtq́ue Deum laus, decus, una ſalus.

Ex Cod. MS. ſec. XV. Biblioth. S. Vdalr. Auguſt. Vind.

XI.

Epiſtola Grimaldi & Tattonis, &c. Monachorum S. Galli, ad Reginbertum Augienſem, cui volumen Regulæ S. Benedicti dono mittunt.

* fl. 820. Præſtantiſſimo & ineffabili dilectione nominando Reginberto * Præceptori, Grimaldus Tattoq́ue ſupremi auditorum veſtrorum diſcipuli, felicitatis ſempiternæ ſalutem.

MEmoria dilectionis veſtræ animis noſtris ſedulo inhærens, immemores petitionum veſtrarum promiſſionumq́ue noſtrarum eſſe non permittit. Et utinam tam proficienter quàm ſponteneè piam voluntatem veſtram implere valuiſſemus! Ecce vobis *Regulam beati Benedicti*, egregij Doctoris, quam benivolus animus veſter ſummo ſemper optaverat deſiderio, direximus, ſenſibus & ſyllabis, nec non etiam litteris a ſuprà dicto Patre, ni fallimur, ordinatis minimè carentem, quæ de illo tranſcripta eſt exemplare, quod ex ipſo exemplatum eſt codice, quem beatus Pater ſacris manibus ſuis exarare ob multorum ſanitatem animarum curavit. Illa ergo verba, quæ ſuprà dictus Pater ſecundùm artem, ſicut nonnulli autumnant, in contextum Regulæ hujus non inſeruit, de alijs Regulis, a modernis correctis Magiſtris, colleximus, & in campo paginulæ e regione cum duobus punctis inſerere curavimus.

Ex Cod. S. Gallens.

Alia etiam, quæ a Benedicto dictata ſunt, & in Neotericis minimè inventa, obelo & punctis duobus conſignavimus. Hoc egimus, deſiderantes utrumque & ſecundùm traditionem pij Patris, etiam modernam habere. Eligite vobis, quod deſiderabili placuerit animo. Valete in Domino.

D. Salve flos juvenum formâ ſpecioſus amœnâ.
Optabam retinendo viam vitamq́ue ſalubrem.
Ecce tui humiles famuli tibi munera mittunt,
Quæ animus dudum veſter optavit habere.
Omnipotens genitor, cunctum qui continet Orbem,
Te regat & ſervet ſemper ubique ſanum!

XII.

Erchanberti Epiſcopi Friſingenſis * *Epiſtola ad ſuos de corpore S. Bartholomæi Ap. in Boiariam, ut ferebatur, allato.*

* ab anno 835. ad 851.

Erchanbertus, Dei gratia donante, humilis Epiſcopus omnibus fratribus, Chriſto militantibus, in Domino ſalutem.

Ex Cod. ſec. circ. XI. Biblioth. Cathedr. Friſing.

DEnique cognoſcat benivolentia veſtra, quòd quidam vir, nomine *Felix*, per Miſſum ſuum demandavit Seniore noſtro Rege, dicens, ſe corpus S. Partholomei Apoſtoli & aliorum Sanctorum corpora ſecum noſtris partibus detulêre. Quod nos cum gaudio & libenti animo Deum laudando audivimus. Sed adhuc incertum habemus, utrum credibile nobis exiſtere debeat, an non contigit fideles Senioris noſtri in ſimul veniſſe in ſua præſentia: & de eo incipiebamus meditari. Et tunc demum, quando pertractavimus, ita nos coadunavimus, triduanum jejunium agere, quatenus a Deo Omnipotente in aliquibus ſignis nobis oſtendere mereamur, ſi ipſe

Digitized by Google

ſi ipſe ſupradictus *Felix* verum dicat aut aliter : & ne fallente diabolo nos, decipiat. Rogamus verò & jubemus, qui ſpontanea voluntate hoc jejunium colere [volueritis,] ut abſtineatis vos a vino & carne & medo & melſcada, cerviſa, & de lacte & ovo, & ſequimini crucem ad horam Nonam in XII. K.* in XI. K. & X. K. & ut iſtam notitiam alijs in antea non negligatis transmittere.

* *Kalend.*

XIII.

Coenobitarum S. Galli epiſtola ad P. Abbatem ſuum, de recuperatione theſauri. Eccleſiaſtici, furto ablati.

Ex Cod. S. Gallens.

Domino & Abbati noſtro P. nos fratres, veſtri diſcipuli, debitas orationes.

DE his, quæ erga vos ſunt, lætificâſti nos ſcripto, quo gratia Dei rectè agnoſcitur. Contigit etiam veſtris orationibus apud nos, quod ad communem lætitiam pertinet, de Eccleſiaſtico cenſu, qui furto raptus eſt, partem nos non minimam recepiſſe, & ipſum furem captum in vinculis nos tenere. Eſt enim ſervus *Kerolti de Pettenhuſen*, filij *Alberici*, & nomen ejus *Guncho*, & nomen patris ejus *Richolf*, qui nunc in comitatu militantis ſui domini eſt.

Reddidit ergo coronam & auream capſam abſque operculo, & aureæ crucis quaſi tertiam partem. Majoris quoque capſæ quædam fragmenta, quamvis de gemmis paucæ admodum reddite ſunt. Spes autem de reſiduis manet, quia venumdata ſunt in manum cujusdam mercatoris *de Buchouua*, qui *Pero* dicitur, & quondam ibi monetarius erat. Multa quoque in manu ſunt Conſtantienſium mercatorum, quorum nomina ſunt : *Enbo, Chomeli Wolveli, Albeli, Engecho, Tegenhardh.*

Deus verò quendam extraneum hominem ad nos mittere dignatus eſt, qui occultè ſibi pactum fieri petijt de pretio duarum librarum pro delatura, ut hæc patefaceret. Ipſe verò accepto pacto ſine more Fratrem *Annonem* ad *Conſtantiam* duxit, ubi particulas auri fabrefactas, quas cognovit *Ategenhardo*, fecit præſentari ſibi. Sed ille a *Perone de Buochouua* ſe emiſſe eas teſtatus eſt. Inde frater idem ad *Peronem* veniens, per *Hugonem*, veſtrum militem, furem ſibi in domo ſua latitantem, monſtrari fecit. Qui ſtatim captus ſub terra occultatum theſaurum, quantum ſibi remanſit, reddidit.

Nunc vobis agendum eſt cum Rege, ut Advocati utriuſque Eccleſiæ tantæ rei exactores fiant, & in ſuum locum reſtituant. Nec illud minùs intimandum eſt vobis, quàm longè minora & pauciora, quàm putâſtis, quæ a veſtris Miniſtralibus in uſum noſtrum exhiberi juſſiſtis : & quanta graſſatur in noſtra terra boum omniumque pecodum mortalitas, ut Rex per nos reditum cœperit decernere, ipſi habeatis de hac quaſi Ægypti plaga ſuggerere. Qui eſt autem altiſſimus, vobis domino noſtro proſpera cuncta concedat.

XIIII.

*Johannis Monachi Prologus in Librum ſuum de Miraculis**

* *extat Opus in Cod. Benedictoburano, manu ſec. XII. circiter exaratо, licet ejus auctor ſeculo VIII. vel IX. non videatur recentior.*

SÆpe hortatus es Nobiliſſime Vir atque Clariſſime Conſul, Domine *Pantalee*, me infimum *Johannem*, omnium Monachorum Sacerdotumque ultimum, ut aliqua, quæ in libris ſeu hiſtorijs Græcorum inveniuntur, quæ in Latinis non ſunt ; in Latinam converterem linguam. Sed ego ſæpius obpoſui tibi ruſticitatem mei ſermonis ; conſiderans tantæ latitudinis pelago me ad tranſmeandum non poſſe ſufficere cum tam parva ſcientiæ navicula, cùm ſint tanti ſermones tantique libri, ut confidenter dicam, ſi ſurrexiſſent Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus atque Gregorius, qui fuerunt doctiſſimi in utraque ſcientia, Divina ſcilicet & humana, & fuerunt in eloquentia veluti quatuor Paradiſi flumina, ipſi quidem per multa tempora haberent, quæ facere poſſent. Quantò magis ego, cùm ſim minimus omnium, & in utraque ſcientia minùs eruditus, & ſenſus præ ætate jam ſit diminutus, & oculi caligaverint mihi ?

Sed & hæc per multa tempora cùm in corde meo verſarem, & neſcirem, utrum

ncrum tibi obedirem, aut ignorantiam meam ſilentio tegerem, quandoque tuis devictus adhortationibus, nec non & confiſus in benivolentia Patrum fratrumque, in quorum manibus ventura ſunt hæc Capitula ſeu narrationes, qui benignè eas corrigere & emendare ſtudebunt, aggrediar hoc opus injunctum, invocando adjutorem Spiritum Sanctum, qui aperit ora mutorum, & linguas infantium facit diſertas. Vnde precor vos omnes, qui lecturi eſtis: quod corrigendum eſt, corrigite, quod emendandum, emandate, & mihi, quæſo, veniam date.

XV.

Charta Traditionis, a Rorio, Epiſcopo Patavino facta Monaſterio S. Juſtinæ Patavin.

circ. 870.

Ex Archiv. Monaſt. S. Juſtin.

In Nomine Domini.

IMperante Domino noſtro *Hlodowico* Imperatore, *Hlotharij* filius, poſtquam imperiare cœpit, anno viceſimo quinto, ſexto Non. Mad. Indictione VII. feliciter, offerſionem vel tradicionem, quæ facere viſus ſum ego in Dei nomine *Rorius*, ſanctæ *Patavinæ* Eccleſiæ Epiſcopus, una per conſ. & voluntate Avocato meo *Rercomario* *, in Eccleſiæ ſanctæ & venerabilis *Juſtinæ* vel Senaedochium, quo ego ipſe a fundamentis per remedium animæ meæ ædificare præcepi; quæ ſita eſt prope Eccleſiæ ejusdem venerabilis *Juſtinæ*, in qua ejus ſanctiſſimum corpus humatum requieſcere videtur: ubi vir venerabilis *Chriſtianus* Presbyter & a nobis electum & ordinatum Abba præeſſe cernitur.

* *infra*: Eccomarius.

Ideoque ego, qui ſupra, *Rorius*, hunc Pontifex, conſiderante me Dei Omnipotentis miſericordia & remedium animæ meæ, offero atque trado ego *Rorius* Epiſcopus ſecundùm *Legem Salicam* ad præſenti die omnes res meas, quas habere & poſſidere videor in monte *Silicis* ſive in finibus *Patavenſe* vel *Comitatu Vicentino*, offero & trado ad ſupradictum almificum locum & tibi *Chriſtiano* Abbati, vel ad Fratres, qui in ipſo Senodochium religiosè vivere degunt, ut habeatis exinde alimonia ſive veſtimentum ad uſui veſtro, ut pro me indigno peccatore preces Omnipotenti Deo fundere inceſſanter digneris, vel in ipſum venerabilem locum deſervire valeatis. Id eſt: inprimis offero atque trado ego *Rorius*, humilis Epiſcopus, curte mea, quæ nuncupatur *Maſeradæ* cum capella, quæ in honore beati *Martini* Confeſſoris ego ipſe a fundamentis ædificavi vel conſecravi cum caſales, & omnia, quantum ad ipſam curtem pertinere dinoſcitur. Similiter trado & offero curte mea infra civitatem *Patavi* cum Oratorio ſuo, quod in honore beati *Petri*, Principis Apoſtolorum dedicata eſt cum omnia, quæ ad ipſam præfatam curtem vel oratorium pertinere videtur. Nec non & curtem meam in *Cervariſes* cum oratorio ſuo, quæ in honore *Sanctæ Crucis* eſt conſecratus, que ſita eſt in Comitatu *Vicentino*, trado, offero cum omnia adiacentia vel pertinentia ſua.

Has prænominatas curtes ex integrum, quantum ad manu mea hodie habere vel poſſidere viſus ſum, trado & offero ad præſenti die in jam prænominata Eccleſia beatæ *Juſtinæ* virginis, ut in Senedochium cum omnibus ædificiis earum & caſalibus, aptectaneis, hortis, areis, vineis, campis, pratis, ſilvis, ſalectis, paſcuis ac ſtalareis, pomiferis arboribus, paludibus, uſus aquarum, rivis, rubinis, monte, plano, omnia in integrum, cultum & inculum, quantum ad me perſinet vel pertinere vel poſſidere viſus ſum.

Et offero atque trado in publico venerabili loco ſimiliter a die præſenti & hora ſervis & ancillis meis per anima mea, corum nomina ſunt *Luptilus* & *Juſtolus* cum filio ſuo *Juſtolo*, *Rodulfus*, *Lunavi*, *Petrus*, *Vidolus*, *Adam*, *Beſſamius* cum uxore ſua, nomine *Eta*, *Felicitas* cum filia ſua, *Gallidolus* cum uxore ſua & duos filios ſuos, *Riculfus*, *Regiſilda* & filia ejus *Rotruda*, *Uuilli*, *Juba*, *Rotruda*, *Altemanno* cum uxore ſua *Gaudencia*, & filia ſua *Ariſperga*, *Lintecarda* & filia ejus *Hemeltruda*, *Radperga*, *Vuilli*, *Liuba* cum filias ſuas *Egena* & *Videlinda & Liucinda* & *Giſemperga*, *Juſtola*, *Regingunda*, *Agneola* cum filias ſuas *Orſolane* & *Senaire*, *Vnica*. *Fuſcola*, *Giſemperga*, *Giſemperga*, & quanti

quanti nati vel procreati fuerunt, poſtquam in poteſtate mea devenerunt.

Iſtas ſupraſcripras res vel mancipijs, quorum nomina vel loca ſupra leguntur, & ubicunque proprietario nomine a me poſſeſſum vel devolutum eſt, & hodie a manu mea teneo per lib. & ratione & emptione ſive per donatione, nec non & commutationem vel blandimentum ſecundum *legem* meam *Salica* poſſeſſum habeo, offero atque trado ego *Rorius* Epiſcopus ad præſenti in jam prænominatum locum per remedium animæ meæ, & exinde nihil mihi reſervavi profeſſus ſum. In tali verò tenore offero & trado ſupra noſtras res ſive familias, ut, ſi ego *Rorius* Epiſcopus, quod fieri minimè credo, vel aliquis ex ſucceſſoribus meis de prædictas res vel mancipijs, eorum loca & nomina ſuprà ad manus eſſe videntur, vel quæ de ipſis hominibus nati vel procreati fuerint, retollere de ipſo venerabili loco aut contra revoluerim, ſive tibi *Chriſtiano* Abbati vel ac ſucceſſoribus tuis, & omnis, ſicut ſupra legitur, non adſervaverim ego *Rorius* Epiſcopus vel ſucceſſoribus meis, tunc deveniat ipſas res vel familia, quod ſuprà legitur, in poteſtatem Regis, qui pro tempore *Italia* regere videtur.

Hæc ideo adfiximus, ut mea, qui ſupra *Rorius* Epiſcopus, offerſio ſive tradicio perennis temporibus in ipſum almificum locum, quod ſupra legitur, inviolabilis & inconcuſſa permaneat.

Iterum volo atque inſtituo, ut tu *Chriſtianus* Abba vel ſucceſſores tui ab hac præſenti die, quod eſt Sexto Nonas Madij, per ipſa offerſione vel tradicione, quam ego hodie facio, per omni die per me paſcere debeatis numero tres, dum ego, qui ſuprà, *Rorius* Epiſcopus advixero, ſive poſt meum deceſſum, & in annuale verò meo per remedium animæ meæ paſcere debeatis inter Sacerdotes & Levitas numero quadraginta. In alio verò die, quod poſt annuale meum evenerit, volo atque inſtituo, ut reficiantur ibi in prædicto loco pauperes numero centum, & cùm ipſis pauperes refecti fuerint usque ad ſaturitatem, laudem Deo referant, & præſiciant ad ſalutem pro anima mea.

Quòd ſi tu *Chriſtianus* Abba vel ſucceſſores tui de prædicta elimoſina, quod pro anima mea dare inſtituo, aliquid retrahere volueritis aut negleſſeritis facere, in omnipotenti Dei judicio reſervo, cui omnia manifeſta ſunt, & nihil ei latet, ſed nolle, quod volui, niſi quod a me ſemel factum bono animo eſt, perennis temporibus inviolabilis permaneat. Et manifeſtus ſum ego *Rorius* Epiſcopus, quia pagina & calamo cum pinna de terra levavi, & *Vlſari* Notario ſcribere ſic rogavi, & teſtibus obtuli roborandam, ut hanc donaccio ſive offerſio, ſuprà legitur, firma & ſtabilis ſine alicui hominum contradiccione permaneat. Actum in cœnobio ſanctæ *Juſtinæ* Indictione ſeptima * feliciter.

* apographa. nra

Ego *Rorius*, quamvis indignus Epiſcopus, in hanc offerſionem ſeu tradicionem a me factam manu mea ſubſcripſi.

Ego *Escomarius* Advocatus cons. m. m. ſubſc.

Ego *Juſtinus* Archidiaconus rogatus m. m. ſſ.

Ego *Leopertus* Presbyter & Præpoſitus S. Mariæ m. m. ſſ.

Ego *Dominicus* Presb. Canonicus m. m. ſſ.

Ego *Johannes* Presbyter m. m. ſſ.

Ego *Fradelius* Presb. m. m. ſſ.

Ego *Juſtinus* Presb. Archarius S. Mariæ m. m. ſſ.

Ego *Dominicus* Presb. m. m. ſſ.

Ego *Dominicus* Presb. m. m. ſſ.

Ego *Petrus* Presb. m. m. ſſ.

Ego *Johannes* Presb. m. m. ſſ.

Ego *Dominicus* Presb. m. m. ſſ.

Ego *Valencianus* Presb. m. m. ſſ.

Ego *Dominicus* Presb. Canonicus Primicerius S. Mariæ m. m. ſſ.

Ego *Severius* Presb. Cuſtos Eccleſiæ Laurenti m. m. ſſ.

✠ Ego *Petrus* Presb. de Capella m. m. ſſ.

✠ Ego *Erlingus* m. m. ſſ.

✠ Ego *VValdebertus* m. m. ſſ.

✠ Ego *Ingelbaldus* Subdiaconus m. m. ſſ.

✠ Ego *Vandebertus* Subdiac. & Cuſtos S. Salvatoris Eccleſiæ de *Sarmachia* m. m. ſſ.

Signum ✠ ns *Vnarno* Allemanne teſt.

S. ✠ ns *Ranoardo* Franco t.

S. ✠ ns *Aboni* Franco t.

Digitized by Google

S. ✠ ns *Madelberto* . . . . . .
. . . . . .

Viſari Noth. rogatus ad . . Domno Rorio Venerabili Epiſcopo hanc cartulam offerſione vel tradicione . . . . & poſtradita complevi.

XVI.

Alani Abbatis Cœnobij Beatæ Virginis Mariæ Prologus in Homiliarium ſuum.

Ex cod. Tegernſeenſi ſeculi IX.

DOmini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti gratia rutilante, opacitatis tenebris ab agro legis repulſis, atque mortiferum virus legis litteræ excluſo, quaſi quidam Evangelici aratores extiterunt Apoſtoli, atque poſt hos multitudo ſubſecuta Doctorum ita verbi vomere erutis dumis agrum legis repleverunt doctrinâ, ut penè non ſolùm legendo demeti, ſed nec perſpici valeat tantarum copia meſſium, ſi totius Mundi lectorum multitudo adgregetur. In qua videlicet meſſe quaſi quidam viribus deſtitutus, ignaviaque torpens, qui hoc volumen adnectere conor, apparui operator, mente quidem avidus, ſed ingenio minimè ſatis. Et quia fortitudinis meſſorum manus defuit, pauca, quæ pugillo arripere potui, niſu, quo valui, voluminis manipulum adſtrinxi. Et revolvens paginas librorum Venerabilium Catholicorum Patrum, quas Divinitus inſpirati ex Divinis Scripturarum fontibus haurientes ediderunt. Et ex ipſis * *ita Cod.* hunc * volumen prona condere ſtudui voluntate, ut quidquid in ſolemnitatibus Chriſti Domini noſtri Apoſtolorumque ejus ac Martyrum & Confeſſorum pertinentibus, causásque rationabilium ex eorum dictis mirabiliter fulgent, quidve copioſum eſt, vel quod ſupra Prophetarum vaticinia obtecta obſcuritate videntur, ſeu ſuper Evangelica veritate, nec non & Apoſtolica doctrina ad inſtructionem Chriſtianorum a prædictis Patribus tractatum eſt, quamvis tam multa ſint, ut in uno volumine nequeant comprehendi. Verumtamen quod ſufficienter credimus abundare uno in corpore, quidquid luculentius invenire potui, in quantum reperi, adgregare curavi, ut quisquis ad laudem & nomine * *ita Cod.* A. Salvatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti ad confirmandam fidei ſtabilitatem promere voluerit ſermonem, laborem ſibi amputet. Nec per plurimas requirendo paginas iterando laſſeſcat, hic ſufficienter inveniet, quod reperire deſiderat. Nam cùm omnis ſcriptura, divinitus inſpirata, ùt ait Apoſtolus, utilis ſit ad docendum, ad erudiendum ad juſtitiam, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus, & quæcunque ſunt hactenus ſcripta, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum B. ſpem habeamus. Ita & ex prædictis Scripturarum montibus per ſingulas feſtivitates, quod aptum ex his vel competens eſſet, ex plurima excerpſi volumina, & quodammodo diſtinctiſſimè conlocavi.

Incipiens itaque a Nativitate Chriſti in vigiliis de nocte & deinceps ſequentibus feſtivitatibus Eccleſiæ opportunitate omnia ſecundùm ſuum tempus legenda in ſuo ordine conlocavi, id eſt: inprimis de incarnatione & Chriſti Nativitate, ut Catholica fides inconcuſſa firmitate ab omnibus teneatur, ut verum Deum C. & verum hominem in una perſona abſque ulla ambiguitate Chriſtiana religio inſeparabiliter credat.

Dein ſanctorum Epiphaniorum diem, quod eſt apparitio Chriſti, de Magorum munere & gentium vocatione, nec non & de crudelitate Herodis, & quod omnium Martyrum * fore pro Chriſti no- * *ita Cod.* mine ſanguis eſſet fundendus.

Item in Capite Quadrageſimæ de patientia, de pudicitia, de remiſſione inimicitiarum, vel alia plurima, quæ ad ſanctitatis pertinent continentiam.

D. Rurſum de paſſione ſecundùm carnem, vel reſurrectione ſecundùm Divinitatem, ſeu & de glorioſa Aſcenſione, & in dextera Patris Filij conſedente perſona, & inſeparabili Deitate cum eo & cum Spiritu Sancto æqualiter in ſecula ſeculorum regnante.

Et in Quinquageſimæ Pentecoſten de adventu in diſcipulis in igneis linguis Sanctum deſcendiſſe Spiritum.

Hæc enim & alia, quæ infra tenentur & ſequuntur, Ego *Alanis*, ultimus omnium ſervorum Dei ſervus indignus, gratia Dei nomine, non opere vocatus

Abba

d by Google

Abba in cœnobio sanctæ matris Domini, intemeratæ Virginis Beatæ *Mariæ*, ob multorum equidem utilitatem in hoc corpore adgregare curavi.

XVII.

Traditiones quædam factæ Ecclesiæ Herbipolensi seculo IX.

* *ad calcem Cod. Herbipolens. Eccles. Castled. quo continetur* Augustinus *super quinque hæreses.*

I. ISti sunt testes, qui audiverunt, quòd *Mialach* tradidit ad Reliquias S. Salvatoris & beati Kiliani Martyris Christi, quicquid proprietatis habuit in *Talaheimono marcu.* Testes: *Sandrat, Foliger, Hurih, Otbraht, Herimar, Becco, Regimuart, Fruco, Folcuum, Scastrit, Hervodolt, Cummunt, Joseph, Terpuum, Albuum, Vuenrin, Scoran, Adalman, Liuthart, Geruuici, Hrumolt, Druant, Hroodmunt, Bernhard, Engiltheo, Folcolt, Cadalohe, Hervodine* XXXIII. *Vuoldolf, Hroodhart, Hatto, Tirbih, Vueringer.*

II. Isti sunt, qui vestituram viderunt istius traditionis, quam fecit *Hruodhart.* Testes: *Gozmar, Macco, Friccio, Herimar, Becco, Amulgar, Otbraht, Adalman, Reginuard, Druant, Jorit, Cadaloh, Sandras, Joseph, Bernhard, Vuerin, Hruodiric, Vualtof, Engiltheo* X. & IX.

III. Isti sunt testes, qui audiverunt & viderunt, quod idem *Vualath* tradidit ad præfatas Reliquias, quicquid proprietatis habuit in *Louuenesheim* & in *Mercenesheim.* Testes: *Becco, Hrodger, Albrih, Hruodman, Vuitego, Joseph, Cummunt, Gerunic, Helmgoz, Hruodhart, Herimuot, Guntfrid, Nidhad, Macco, Germunot, Hummar, Otbraht, Sorit, Catalot, Hruodme* XXXII.

IV. *Theodolt, Tirbih, Truant, Foliger, Sandrat, Vualah, Amelgoz, Vuerin, Albold, Vualtoff, Engiltheo, Vuilfibraht:* illi ipsi viderunt, quòd ipse *Vualah* tradidit in pago *Folcfelde*, in villa, quæ dicitur *Herigelucstatt*, quidquid proprietatis habuit in terris, ædificijs & mancipijs, eo modo, ut *Meginbald* easdem res habeat ad dies vitæ suæ, post obitum verò ejus sint in potestate S. Salvatoris & beati Kiliani Martyris Christi.

Hæc est commemoratio rerum, quas ibi accepi: duo vasa argentea. IV. Sperones . . III. buxæ argent. II. coopertoria siricea. I. ad S. Kilianum, alium ad S. Simphorianum. XII. capsæ arg. & æreæ. IV. cruces de auro, argento & ære fabricatæ: altarium, vestimenta Siricea octo, duo linea. VIII. casulæ, quatuor ex illis siricea. II. calices argent. cum patenis. I. calix vitreus de auro paratus cum sua patena. VI. camisæ cum tonis. XII. manicæ siricææ. V. fanones siricææ. II. Oraria. V. Missales. III. Comiti. II. Psalteria, Erunt signa propitiæ Divinitate. I. Turibulum. Passio S. Margaritæ. I. crux aurea cum reliquis Dominicæ crucis, Palmas paratas.

XVIII.

Ruodberti Episcopi Metensis Epistola formata ad Willibertum Episcopum Agrippinensem, cui Stephanum Diaconum suum commendat.*

* *ob. 818.*

LXXX. CCCC. I. LXXX. C. CCCC. Π. Υ. α. Π. Ρ. Υ. C.V. CCC. I. XL. VIII. L. DCCCC. Є. Τ. α. ϗ. Η. Ν. ☩ D. LX. V. Φ. Ζ. Є. INDICTION. VI. I CCCC LXV.

Reverentissimo, cultúque almiflux religionis sinceriſſimo *Vuilliberto*, sanctæ *Agripinæ* Sedis Episcopo, *Ruotbertus*, Reverendæ *Mettensis* Ecclesiæ, ac plebis ipsius humilis famulus, in Christo, Pastorum Principe mansuram cum gaudio prosperitatis & perpetuitatis gloriam. D.

Ex pervetusto Cod. S. 121. Bibliot. Petrens. Salisb.

DEcreta sanctorum trecentorum decem & octo Patrum, Nicea constitutorum, saluberrima servantes, Deo dignam plamque Paternitatem vestram Canonicè aggredimur, & sub nomine *formatæ epistolæ* reverenter vestram Sanctitatem adimus, vobis videlicet intimando, qui præsenti cuidam Diacono nostro *Stephano* has dimissorias dedimus litteras, quem in nostra Diocesi Canonicè educatum, de Ordine Clericatus ad Diaconatus proveximus gradum, ut his

Canonicis munitus apicibus, cum noſtra licentia ei veſtra Parrochia ſub defenſione ac regimine veſtræ caræ dilectionis degere liceat, & ut eam, ſi morum probitas & doctrinæ dignitas ſuppetit, ad Presbyteratus Ordinem promoveatis, fideliter annuimus, illumque in ſinu matris Eccleſiæ canonicè fovendum ac regendum vobis committimus. Hanc ergo epiſtolam Græcis litteris hinc inde munire decrevimus, & annulo Eccleſiæ noſtræ bullare cenſuimus. Chriſtus, Paſtorum Princeps fraternitatem veſtram ad cuſtodiam ſui gregis diu conſervare dignetur.

In fine epiſtolæ repetuntur omnes litteræ & Numeri, qui ſuprà ante ſalutationem poſiti ſunt.

XVIIII.

O.* *Patavienſis Epiſcopi Epiſtola formata ad E. Epiſcopum Auguſtanum, ad quem Gumpoldum Clericum dimittit.*

*f. Odalrici, Vdalrici, ſeu Oderici.

E. *Auguſtenſi* Epiſcopo, O. Dei gratia *Patavienſis* Epiſcopus, orationis devotionem in fraterna dilectione.

Ex Cod. Petr. Salisburg. S. 117. ſubjuncta eſt priori ob ſimilitudinem argumenti.

NOverit veſtræ dignitatis excellentia, quòd Clericus & frater noſter *Gumpoldus* petijt, ut mea licentia & a me *formata Epiſtola*, & omni auctoritate Canonica, ſicut inter dantem accipientemque fieri oportet, veſtræ ditioni ſubijci, veſtræque Eccleſiæ Canonicus fieri valeret. Miſimus ergo vobis hanc epiſtolam, juxta Nicæni Concilij inſtitutum formatam, ut cognoſcatis juſtam atque Canonicam eum ſuæ petitionis a me accepiſſe licentiam. Nec ſolummodo licentiam ſibi donamus, ſed etiam inſuper veſtræ Paternitati veſtræque Eccleſiæ devota petitione ipſum commendamus, ut quicquid utilitatis vel honoris veſtra dignatio ubicumque ſibi voluerit impendere, illud gaudio nobis ac dilectioni ſciatis eſſe.

Tria itaque Græca elementa in nomine Π. & Y. & II. prænotamus, quæ octogenarium & quadringenteſimum & primum continet numerum: Petrique Apoſtoli prima apponitur littera Π. quæ octoginta exprimit. Addimus quoque ex noſtro nomine litteram primam Ψ. quæ octingenteſimum monſtrat numerum. Veſtri nominis ſecunda aſſcribitur littera P. quæ centum ſignificat. Præfati Clerici tertia littera Σ. quæ quadraginta denotat. Ex noſtræ urbis nomine quarta citulatur littera Λ. quæ primo congruit numero. Veſtræ civitatis littera quinta C. quæ ducentenum approbat numerum. Eſt utique indictio V. Numeri ergo per has Græcas litteras demonſtrati cum numero Indictionis in unam ſummam collecti, iſtum videlicet complent numerum, id eſt: MDCC. & VII.

B.

Porro hanc epiſtolam in teſtimonium veritatis annullo noſtræ Eccleſiæ confirmamus. Subjungimus & I. XL. & VIII. L. qui numerus ſecundùm Græca elementa format ΛΣCHN.

XX.

Wolfhardi Haſenrietani Præfationes in Libros ſuos XII. de Actis Sanctorum ad Erchanpoldum Epiſcopum Eiſtettenſem.

tit. tom.

C. *Præfatio in Lib. I. ſeu Menſem Januarium.*

Ex Cod. Tegernſ.

PAſſiones beatorum Martyrum digna piaque veneratione celebrantes, qui ſpretis inſtantis ærumnoſæ vitæ oblectamentis, ſyderea regna penetrârunt, felicis cum agone certaminis ſanctiſſimæ Martinæ Virginis aliorumque Martyrum & Confeſſorum Virginumque mirabili curſu, certamine glorioſo, triumpho fortiſſimo actuque fulgenti, libet e pluribus plura decerpere, ut & eorum audientibus brevi commento nota ſint D. actus & paſſio, hujuſque voluminis devitetur extenſio, dum mens interiùs compendioſa lectione reficitur, & corpus exteriùs labore nimio non gravatur. Licèt enim tanto opere indignum me fore non ambigam, tamen quia pius labor felici curſu peragitur, Domino adjuvante & facultatis copiam largiente, veſtríſque, Pater *Erchanpolde*, orationibus fultus injunctum opus aggredior.

Incipit Liber I. Kal. Januarij. Beata igitur Martina cùm eſſet ſublimis genere &c.

Pre-

Digitized by Google

Præfatio in Lib. II. ſeu Menſem Februarium. Hanc nunc dare non poſſum, cùm Codex Tegernſeenſis ad manum non ſit, neque hic Menſis in Codicibus Mellicenſibus amplius reperiatur, ex quibus reliquas in Menſes ſingulos Præfationes deinceps *exhibebo.*

Præfatio in Lib. III. ſeu Menſem Martium.

DUobus cœpti Operis duorum Menſium libellis, Deo favente explicitis, invocato Jeſu boni ſacratiſſimo nomine, tertius tertij curriculi exordium poſcit, ut ipſo ſermonis modulos miniſtrante, & Operis efficaciam exhibente, orationumque Sanctorum, quorum hic memoria commendatur, interveniente ſolamine, pervenire mereatur ad calcem, eique placeat, qui ſe initium fidelibus propalavit & finem.

Præfatio in Lib. IIII. ſeu Aprilem.

Hactenus, Pater egregie & Pontifex Summe, Sanctorum peragrando Opuſcula Patrum, trium præcedentium librorum breviter compta congerie, reſtat, ut Sanctis pro nobis, de quibus ſermo agitur, interpellantibus, veſtríſque præbentibus meritis ad Quarti initium veniamus. Ideoque Lectorem cernui imploramus, ut, dum ſulcando cuncta rimatus fuerit, quæ ſunt Catholica & probata, retineat, quæ autem minùs idonea, reſecet & abradat, ſciens nos noſtro ſenſu nulla excogitâſſe anilia, quin potiùs ex Patrum libris excerpta noſtræ agglutinâſſe paginulæ. Quod ſi contigerit, vigilanter agat, ne Sanctorum arrepta temeritate ſcripta dillanians noſtra tranſcurrat.

Præfatio in Lib. V. ſeu Majum.

Raphaëlis Archangeli, Tobiæ beato cœlitus deſtinati opera Divina cunctis nuntianda, monitis ſacris audivimus, qui & levamen Sanctorum mirabiliter contulit, & ad cœlos patrata ejus domus benedictione rediens verba ſalutis impendit. Idcirco & nos pro modulo valitudinis noſtræ Chriſtum in Sanctis ſuis, quamvis rei criminibus, collaudamus, quia Sanctos in Chriſtum conſiſtere credimus. Ipſe enim fuit eorum in agone victoria: ipſe, ne deficerent, protectio valida: ipſe poſt triumphum corona, ipſe eos repromiſſa ditavit & gloria. Offeramus ergo in domo Domini non aurum, non argentum, non veſtes pretioſas, ſed pilos caprarum tantùm, & petimus, ut merito nobis collata Sanctorum portio noſtra ſit in terra viventium. Legimus namque viduam pauperculam duo minuta gazophylacio præbuiſſe.

Præfatio in Lib. VI. ſeu Junium.

Evolutis hujus Opuſculi quinque præcedentium librorum compendijs, quibus Patrum ſcripta ſcrutantes, pauca de pluribus ſcribēdo perſtrinximus, nunc Chriſto propitio, ut ad ſexti initium veniamus & conſequens ratio poſtulat, & veſtra, Sacratiſſime Præſul, hortatio cogit, quæ nos ad ſcribendum ſemper impellit. Laborem namque impendimus, verùm ad laboris effectum pervenire nequimus, niſi ipſe præſtiterit, qui pro ſe laborantibus in fine præmium reddit. Unde & nos ab ipſo poſtulamus auxilium, & paginæ figimus ſtylum.

Præfatio in Lib. VII. ſeu Menſem Julium.

Evoluto multorum intervallo dierum, quo ſeculari onere prægravante, & mundialibus e latere ſtimulantibus curis, arreptum jam pridem Opuſculum calcetenus pertrahere minimè quivimus, ſuſpenſum re, Antiſtitum Gemma, licèt inutiliter reddidimus. Æſtivi namque temporis virtus, dum hiſpidi ruris ſuprema, ignocoma fronte perurit, ſæpe etiam Leonina fauce intima ipſius venarum fluenta prælambit. Verùm volvente temporum rota dum canities hiberna propinquat, abſorptos penè priùs latices ad proprios violenter ſinus invitat. Sic &, Pater, hactenus fiſtulæ noſtræ vena peraruit, & penitus nihil invenit. Imminente ergo hiemis tempore fontem repetimus. Et quoniam hydria nobis non eſt, & puteus altus eſt, & neque in quo noſmet hauriamus, omnimodis habemus, petamus ab eo, qui dixit: *qui ſitit veniat ad me, & bibat* delectabilem hauſtum, & inveniemus hauriendi effectum. Et quoniam noſtri non eſt bibere in profundum calamo

XXI.

circ. 891. * f. Corbeienſis.

Heinrici Monachi * *Præfatio in ſuas LXIV. Homilias de Tempore & Sanctis.*

Ex Cod. Emmeram. Ratisb. exarato ſec. circ. IX.

EGo humilis frater *Heinricus Monachus*, prædilectorum Patrum commonitus petitionibus, quatenus *Homelias*, id eſt: vulgares Sermones, pro facultate mei ingenij edam. Quibus obſecrationibus aures inclinavi, licèt non ſponte, ſed quaſi invitus, ſpem tamen ponens in eum, qui aperit: *Aperi os tuum* &c. Et etiam propter laudem Divinam excolendam tale onus causâ devotionis & obedientiæ ſubij laborem. Quapropter univerſitati veſtræ ſupplico ſicut inſcius ad bellum, qui neſcit inire duellum vel ut precibus veſtris obnixis accinctus ſic diſcretè ac lucidè valeam inchoare Opuſculum, ut primum medio, medium non diſcrepet immo: hoc etiam expoſtulans attentiùs ab illis, qui fortè causâ deductionis velint huic Opuſculo inſudare, ſi quid corrigendum in eo invenerint, charitativæ lima correctionis ſtudeant diligenter polire. Sancti Spiritus gratia dignetur nobis adeſſe, qui ſpem noſtram ad myſterium Incarnationis Filij Dei figimus ſic exordiendo: *Ecce veniet deſideratus* &c.

Incipit Prima Homilia de Ante Natale Domini.

Appropinquante jam ſacratiſſima ſolemnitate, qua Salvator noſter inter homines naſci miſericorditer voluit &c.

XXII.

** obijt circ. an. 974. Ex Cod. Biblioth. Cathedr. Friſingenſ.*

Ratherij Epiſcopi Veronenſis * *Epiſtolæ &c.*

I.

Ad Eccleſiæ ſuæ Clericos de ijs, qui á Sedis ſuæ invaſore ordinati ſunt.

Ratherius Veronenſis Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ Clericis univerſis.

LEges inter bella ſilere Tullio didicerim, licèt non Auguſtino docente. Heſternæ promulgationis judicium non unanimi cùm vos conſideraverim laudaviſſe conſenſu, in promptu fuit agnoſcere, murmur inde potiùs multorum quàm rectitudinis præconium proceſ-

A. ſurum, vel utilitati animarum proficuum aliquem fructum. Vnde ne temerarius mei ipſius laudator, & mihi illatæ potiùs injuriæ ultor, quàm legum judicer exſecutor, invaſorem officij mei non auſus dicere Præſulem, ne me propria ipſe voce condemnem, nec ab eo inſtitutos cenſere ullatenus fore Presbyteros vel Diaconos, ne depoſuiſſe videar meos, levigata ipſa, quam protuli hodie quoque ùt heri illa quandoque præterita ſanctione ſuper illos Canonica, Dei judicio & proprio eos committens arbi-
B. trio, ſi exſequi iniuncta ab invaſore non timent officia, audere illos non prohibet violentia mea. Sed timent. Timere non cogit juſſio mea: interſit illorum, uti an abuti Dominico decernant ipſi præcepto, me in hoc penitus inculpato. De Epiſcopis cæterùm, quos ordinâſſe isdem opponitur ad Presbyteratum, non aliter mea ſatisfaciat inertia, niſi ut reſpondeam, quia unuſquiſque onus ſuum portabit. Vtinam verò ipſorum tranſgreſſio iſtorum ſaltem valeret eſſe defenſio! Non defore tamen pronuntio, qui Epiſcopum ex Diacono ſine-
C. Presbyteratus Ordine viderit factum, adſtruentibus facti auctoribus, qui eſſet Epiſcopus, conſequenter quòd Presbyter eſſet, ſi Sacerdos utique foret. Viderint tantùm, qui ordinatione hujusmodi ſortiti ſunt Præſulatum, ut a legitimo Pontifice indepti fuerint Diaconatum.

2.

Ad Ambroſium, de rebus a ſe poſt reditum a Synodo Ravennate actis, & de Nannonis erga ſe injuſtitia &c.

D. Ratherius Ambroſio.

CElebrata mediante Aprili univerſali Synodo Ravennæ reverſus convocavi ex omnibus noſtræ Dioceſis plebibus Presbyteros & Diaconos, relaturus ex præcepto Sereniſſimi Imperatoris, quæ inibi conſtituta ſunt. Ad Concilium omnes. Cumque verſutia mihi ſemper rebellium, vitæque meæ inſidiantium noſtræ matris Eccleſiæ majorum venire quidam ſint dedignati illorum, ex his, qui convenerant, aliqui cum maxima deliberaverunt ſuperbia, quòd neque mulieroſitatem relinquerent, neque

neque ab officio cessarent, quos comprehendi & custodiæ mancipari usque ad satisfactionem præcepi. Satisfactionis verò summam in restaurando, sive, quod verius est, decoranda beatæ Dei Genitricis Ecclesia spe hujusmodi contuli, ut quia illi in agenda pœnitentia inefficacissimi, utpote ebnosissimi erant, Matris intercessio Domini illis saltem obtinere dignaretur veniam, qui ex se emendationem aliam facerent nullam. Non venientes verò cum iterum atque iterum vocare curâssem, affuit Missus nomine *Giselpertus*, & ex parte sui Magistri interdixit per bannum, ne venirent ullô modô ad nostrum concilium. Quosdam verò de civitate pro diversis sceleribus accusatos, cùm ad satisfactionem venire dedignati fuissent, missis è latere meo cum hostiarijs Ecclesiæ comprehendi, ut moris est, feci, & satisfactionem factam in idem opus expendi. Quidam Presbyter me os vulvæ appellavit, quem similiter comprehendi, & fugâ cùm fuisset elapsus, abstuli ab eo, quod potui, non tamen Ecclesiæ contuli, quia injuriæ meæ vindictam offerre Deo ausus minimè, cujus potiùs laxator, quàm ultor esse debueram, fui. Quidam Diaconus, quem anno præterito contra spem quoque ordinarium feci, unam cùm ex parte mea ex melioribus plebem curæ haberet, ego cùm nullam, me fellonem, bausiatorem atque perjurum appellavit: eam abstuli, & mihi, quia fuit necesse, retinui. Jam sunt anni ferè quatuor, ex quo unam libram argenti super altare beati Laurentij posui. Eam quidem Presbyter ea ratione recepit, ut eandem resignaret. Non fecit, ad nullam Synodum meam venit, nihil pro his incommodi pertulit, ad Majestatem, ùt dictum est, Imperatoris perrexit, nescio, unde se reclamaverit, quoddam scriptum retulit, omnes inimicos meos lætificavit, supérque me instigavit. Pratum juxta flumen in medio vinearum tam meæ quàm famulorum habebam, illic venientes & abeuntes devertere non cessabant, vineta contigua devastabant, à me semper tributum insuper exigebant. Ubi igitur eum habuerunt perrosum, feci arari, in eoque milium seminari. In restauratione domûs & amplificatione XL. stultissimus libras expendi, eam A. bajuarij & juxta positi Clerici, & famuli præcipuè destruunt, & mihi culpam inde imponunt. Die noctuque Canonici & famuli de interitu meo tractare non cessant, & quod illos tentare non desinam, me falsò accusant. Cum excommunicatione interdixi, ut ab opere servili dominica die cessarent. Id cùm evincere nullô modô valuissem, portas obserari contra venientia plaustra præcepi. Hoc facinus aut morte, aut expulsione mea debere judicant expiari. Bucconis in præsentia conjurationem super eum, méque fecerunt. Ad compositionem B. deducti, cùm centum libras argenti dare fuissent compulsi, me adito de thesauro Ecclesia XXX. ferè libras acceperunt mutuò sub hac attamen cautione, ut si ad tempus hoc persolutum non habuissent statutum, dupla componerent emendatione. Sunt jam anni tres, nihil reddunt omnino. Quàm verò tanti sint beneficij immemores & ingrati, abhinc, quæso, vestra incomparabilis pietas, flagito, videat, & mihi otiùs, nisi subventum fuerit, perituro propter Deum succurrat. Ipse à beati Pauli Apostoli sollem- C. nitate penè tota civitas affuit, & sedens Nanno pro tribunali ita orsus est loqui. Quid vobis videtur, urbani, de isto prato, quem exaratum videtis? Respondérunt unanimiter omnes pessimè, qui tamen meliùs, si voluissent, justiúsque dixissent, quid ad nos? qui fœnum ex eo ausus colligere, ipse eum potuit & legaliter arare. Rursúmque: quid judicatis de ista domo, quam sic destructam videtis? culpa est Episcopi, omnes respondent. Qui tamen meliùs dixissent: inquiratur, si hoc ullus fecerit vicinorum, & legaliter emendare cogatur. D. De extaneis namque vestrûm fuit providere, cui comissum eos recipiendi & disponendi officium cernitur esse. E nobis enim quis potuit eos prohibere, cùm aut Imperatorem adirent, aut ab eo redirent. Quadraginta, ùt fertur, libras in restauratione, ampliatione ac decoratione ejus expendit Episcopus sexies ostia solummodò restaurando, quæ partim furtô, partim vi fuerant ablata. Non parum pretij consumpsit, & nihil ei profuit. Quid amplius facere potuit? In ea illum versari inconvenientissimum fuit, ne aut comprehenderetur ùt olim,

aut

aut ſi ſe defendere conaretur, igni adhibito (quid enim vulgus Veronenſe non audet) circumpoſitæ propter eum baſilicæ cremarentur. Si neutrum verò contingeret, quid faceret, cùm exeunte ex ea uno ex veſtratibus principe alter ei ſuccederet, illi alius, alius item illi? poterátne cum illis Epiſcopus in una domo verſari? Nihil horum, ſed prout quis illorum pejus potuit, omnes dixerunt. Ille iterum: quid de iſtis dicitis, qui ſua beneficia ita perdiderunt? Exclamaverunt omnes: nihil pejus. Qui tamen, ſi boni filij fuiſſent, & beneficijs ingrati non exiſterent, reſpondere, ùt jam ſupra, quiviſſent: quid ad nos? Hoc penè omnes homines, hoc ipſe efficit Deus. Dedit Sauli regnum & abſtulit: Judæ Apoſtolatum, neque reliquit: poſtremò diabolo primitus cœlum, poſt infernum. Hoc verò cùm Deus fecerit juſtè, homo facere non debet injuſtè. Rurſúmque: quid de eo, quòd ſi Clericus, aut famulus ipſius per ſuam voluntatem non ad id vocatus, Epiſcopum ille ſuos baculares mittit, & per poteſtaté eum rapiunt, & ad Epiſcopum ducunt? Hic cùm omnes illud Terentianum valuiſſent, juſtiſſimè reſpondere: *a factum bene!* porcino magìs univerſi concrepaverunt ſtridore. Tunc ille: Miſſus vobis exiſto de parte Imperatoris & Dominæ meæ, ut ſi amodò aliquis illorum hoc agere fuerit auſus, ab omnibus ei reſiſtatur pro viribus. Cúmque hoc dixiſſet, quicquid omnibus adverſarijs meis abſtuleram, per cartam vobis miſſam pauperculis Clericis contuleram, & manu Patriarchæ & mea, omniúmque noſtræ provinciæ Cöepiſcoporum firmaveram, totum eis reddidit dicens, jurâſſe Imperatorem, quòd numquam hoc ſtabile fore permitteret. Sed ſi hoc verum eſt, malè feciſtis, quòd hoc mihi non prædixiſtis. Subſcriptionem namque manûs ſi fregero propriæ, quid merear, optimè ſcitis. Quid magis? Conjurationem contra me factam cernitis, edictum ex parte Imperatoris ad reſiſtendum mihi pro viribus propoſitum conſiderare poteſtis, periculum videtis: ſi valetis, & non mihi ſuccurritis, ipſi me interficitis. Vera eſt enim concedentis illatio, quia mortem languenti, qui, cùm potuit, non abſtulit, inflixit.

A. Si verò ita eſt, ùt Nanno omnes certificare non ceſſat, nihil plus Imperatrix, quàm perditionem meam deſiderat, nihil minùs Imperator, quàm ſalutem meam & commodum curat, neque ſaltem me baptizatum eorum aliquis æſtimat. Niſi verò hæc perſuaſio falſa eſſe fuerit monſtrata, & iſta contra me inſtigatio, provocatio, conſpiratio, atque audacia imperiali citò fuerit ſcripto repreſſa, de mea factum eſt vita.

3.

B. *Ad Adelheidem Imperatricem. Vt ſuos adverſarios tantiſper coerceat, dum ſtructuram Baſilicæ B. Mariæ perficiat.*

SEreniſſimæ, quibus non dedignatur, Auguſtæ Dominæ Adeleidi R. peccator fidele ultra debitum ultráque poſſe ſervitium.

Si verum eſt, quod Nanno omnibus perſuadere mei conatur adverſarijs, nil ampliùs, quàm meum deſiderans interitum, nil minus veſter jugalis, quàm ſtatum meæ curat ſalutis. Sed ſi pro
C. epiſcopatu hoc agitis, ſaragite meam tantillùm ſervare veſtra potentia vitam, usquedum beatæ Dei Genetricis habeam perfectam Eccleſiam. Paratiſſimum ad id faciendum, quod mihi exinde ratione præceperitis duce, me nam fore omnino, Deum teſtor, ſcitote. Elongari enim potius ſalubriter, & habitare in Monaſterij mei deſidero ſolitudine, & ibi Dominum expectare, qui me ſalvum faciat à puſillanimitate ſpiritûs & tempeſtate, quàm talia diutiùs cum animæ detrimento inutiliter etiam tolerare. O verò quàm omnibus, qui in poteſtate
D. ſunt conſtituti, ut non ſemel veſtræ Dominationi ſuggeſſi, prodeſſet, ſi non tam præcipites ferrent ſententias, ſed illud beati Job attendiſſent: *Cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam!*

4.

Ad Eandem.

ALoë, Domina, ſtomachus timens mellis non ructuat dulcedinem: & ingeniosè fallere geſſit, qui laudat, quod odit.

5.

Ad Nannonem, in quem graviter invehitur, quòd improbis Clericis patrocinetur.

DOmino Nannoni, egregiè & perneceſſariè collato nobis ſecundùm merita Principi, Ratherius peccator, & eorum, quæ meretur, velit, nolit, perlator.

Comperit paupertatula mea veſtræ Dominationis excellentiam minitari, maximam quòd ſitis mihi facturi coram Majeſtate pijſſimi Imperatoris verecundiam, cùm impudentiæ meæ confiſus putarem nullam patuiſſe ſtultiſſimus conſcientiam. Sed fortè meam introiſtis (mereor profundiùs) & illa noſtis, quæ dicta in cubilibus prædicabuntur parcat niſi Deus, in rectis. De ceteris namque tam vos confido ignarum, quantò mendacijs mihi detrahentium jam univerſitas præbere faſtidit auditum. Sed quid, Domine facietis, ubi verba ceſſabunt, facta loquentur? Non ſemel enim, cùm idem ego Dominæ Imperatrici ſuaſerim, ne, rogo, putetis Sapientiſſimum Imperatorem illius beati Job ſententiæ penitùs eſſe immemorem: *cauſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam*: nec tam credulum vobis exiſtere, ut *os inimici non loquitur veritatem*, non olim ſolummodò dictum, ſed & frequenti uſu tritiſſimum non valeat recordari. Sed o pallia Ratherij vaniſſimi inertia, nil prorſus illi, niſi hujusmodi conferentia! ô Venetia, cujus pallia tam ſunt gratis etiam accipientibus vilia, ut emi ex his neque ipſa poſſit inefficax, nihilque conferens gratia! ô vera dicentis ſententia, & iſti ſeculo congrua: *ita*, inquit, *enim eſt comparatum, ut vetera ſubruas beneficia, niſi ea poſterioribus fulcias.* Vnum enim ſi improbo exactori ingratóque ſumptori negaveris, collatorum millia perdis. O cæterùm delicto maximo rei, quibus nec inpetranter petere, nec ſalubriter inpetrare illud datur Pſalmographi: *ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo!* Deprecor ſanè, ut de parte pijſſimi ſemper mihi Cæſaris me terrificare, cùm nequeatis, ceſſetis. Millies enim vos magis formido quàm ipſum. Bona enim cùm amari, mala A. cùm econtra ſoleant magis timeri, ſerviens vobis duobus impoſſibiliter dominis, illum diligo, vos timeo. Conſideret, cur, ſed cui competit, opto. Idem cæterùm dum cantemus, cùm non oblivi ſci queamus, ſicut de Johanne nunc dictum eſt: *hic eſt enim Propheta, & plus quam Propheta*, videritis, ne hoc ſit plusquàm imperare, ut dum glorioſiſſimus Imperator etiam corpora parochianorum ſuorum Epiſcopis conſentiat ſuis, vos ipſas animas eis auferatis, dum Presbyteros ad Synodum venire, & legationem ipſius Papæ de uxoribus dimit- B. tendis audire & omnimodo Epiſcopis obedire adeo prohibetis, ut eos more militum in veſtris manibus recipiatis, & eis in omnibus abominationibus, quas contra Deum faciunt, patrocinium ferre nullatenus omittatis, & quaſi vobis dictum ſit: *quodcumque ſolveris ſuper terram*, ſolutum erit & in celis, ita noſtram interdictionem eos parvi pendere faciatis. Hoc ſanè cùm ſit imperare, & plusquàm imperare, non eſt dico regnare: regnare quippe rectè eſt agere, vel quod quis poſſidet, regere, hoc C. eſt gubernare. Utinam etiam me ùt poſſidetis, etiam gubernâſſetis, utque mihi imperare, me ita etiam regere amâſſetis! Tolerabilius nam fuerat veſtrum ſic ferre dominium, ut quem timerem, eundem diligerem ipſum, ut facere inchoaveram illum, de quo mihi congruere illud feci Naſonicum:

Probra Teraphnea qui dixerat ante marita,

Mox cecinit laudes proſperiore lyra.

Poſtquam enim de illo dixeram: qui libravit Israhelem de manu Pharaonis, liberet Ratherium de manu Bucconis, dum ille abiturus meliorari cœpiſſet, cœpi & ego ei taliter aggarrire: ſi pejorem, ſervet mihi, deprecor te. Quod quia non valui impetrare, pejorem mihi ſub ejusdem terminatione quia contulit declinationis, cadat in eum flagito & ejusdem concinentia rogationis, quatinus non quidem ſubvertendo, ſed potius convertendo liberet Deus, & ſi me dedignatur, ſaltem animas, quas mei odio rebellare contra Dominum compellitis, de manibus veſtris. Timere tamen ob talia me vos millies quàm Imperatorem noveritis. Salutem enim

ille

ille non adeò negligit, ùt vos facere videmini, animarum.

6.

Testamentum Ratherij.

RAtherius ineffabili misericordia conditoris non modò diutissimè toleratus, sed & adhuc sospes, nuncupativè solummodo licèt existens Episcopus tempore præfixo cinis pro certo futurus. Quia transeuntis instabilitas vitæ meæ neminem sanæ mentis securum finit manere, reculas, quas videor habere, ita vivens volo disponere, ut post obitum meum, quibus eas dedero, quieto jure ipsas valeant possidere, quantulumcumque scilicet ut valeant consolari, quos aliquantulum constiterit de absentatu meo tristari.

Inprimis volo, ut si aliquid injustè teneo, cui competit, restituatur omninò. Inde quicquid in suppellectili mea domestica invenitur, domesticis dividatur, hoc est, Clericis, qui mihi deserviunt, & quibusdam, nisi defuerint, Laiculis, mensalia scilicet, scamnalia, lectisternia, curtinulæ si fuerint aliquæ, vestes vel cætera hujusmodi. Denarij C. verò, si mihi fuerint aliqui, ita volo, fiant divisi. Vna si fuerit libra, detur curatoribus funeris mei: altera, nisi defuerit, Clericis Ecclesiam possidentibus Sanctæ Mariæ Consolatricis cum cæteris in eodem judicatu descriptis. Quicquid supererit, sive sit multum, quod non credo, sive sit parum aut certè nihil, quod non discredo, habeat Martinus loculorum nunc servator meorum, aut qui, quando obibo, tunc idem habuerit ministerium. Qui verò ei quidlibet inde abstulerit, sit illi anathema & confusio sempiterna. Quæ ad victum per-D tinent verò? Ecclesijs vellem, quas restruere ferò prò dolor! inchoavi, concederentur. Retribuat verò Deus unicuique, prout gesserit inde. Caballi cæterùm vel alia si mihi fuerint ad iter carpendum juvamina, aut fortè etiam arma, dentur eis, qui mecum tunc temporis consistentes necessarium habuerint se se alibi transferre, de patria & cognatione mea si fuerint maximè. Hæc & his cohærentia cùm magnæ prætiositatis sint certè futura, contradictoribus invadere omnipotentis prohibeat eos A. conterens utique dextera & Sanctorum omnium anathema. Amen.

Et hæc quidem repentini casus aguntur suspecto, quisve contingat sive elongatio promissa datur, uti speratur, commendo vestræ tuitioni, Pater excelse, descriptos omnes in meæ concessionis decreto, eo scilicet tenore, ut cum vestris vestratibus eos contra omnes vestros defendatis rogando vestrates, contra ceteros verò, quibus potentiis viribus, præcipuè verò libellum, quem feci Clericulis duobus Martino & Gisemperto, id est, casalem I. quod * . . . . . * *hæc lacuna est in Cod.*
B. . . . . nominatum per duos nunc incolitur viros Albonem . . . quem quidem quia Diaconus nomine Benedictus fraudulenter adquisierat, ab eo auferens istis concessi, ea verò, quia non potui aliter, ratione, ut donec forem superstes, mecum illo fruerentur, post verò meum discessum XXVIIII. annorum curriculo, ut ceteris moris est, possiderent.

7.

Ratherij fundatio & dotatio Clericorum Ecclesiæ Veronensis.

RAtherius Dei solummodò gratiâ Veronensis Episcopus successoribus omnibus. Quia malignorum consuetudinibus adversùs Dei præcepta, Sanctorumque statuta prævalescentibus nullatenus valui evincere, ut aut juxta beati Apostoli sententiam unusquisque in nostra Ecclesia propriam mercedem secundùm suum reciperet laborem, aut, ùt in actibus legitur Apostolorum, dividerentur ecclesijs collata, prout cuique opus esset: sed sermone illo Domini pravè intellecto, quo dicitur: *omni habenti dabitur, & abundabit, ab eo verò qui non habet, etiam* quod habet, auferetur, ab illo quasi censeretur, quòd qui plus haberet, minus deberet ex delegatis Ecclesiæ accipere, injustissimè decernentibus, cùm hoc magis voluerit intelligi utique, quòd habenti caritatem cæteræ addantur virtutes, non habenti verò reliquæ computentur pro nihilo: ne penitùs inanis existeret compassio, qua illos & egestate perithi, & à Dei retrahi dolebam servitio, sedit animo, ut aliquid eis largirer ex meo. Reum autem dico, quod & ordinari

meo eſt conceſſum judicio, & frui, ſi placeret, dum vivo. Aliud quoque, quod me ad hoc impulit, ut proferre non cuncter, agendum. Quia prò dolor! ab infantia ſemper à Dei ſervitio otioſus adeò extiti, ut neque cedri, neque myrti, & ligni olivæ, ceterarúmque hujusmodi arborum miſer in Eccleſia locum umquam meruerim obtinere ut deinceps ulmi ſaltem officium ſublevando aliquos fructum bonum ferentes, hoc eſt, Eccleſiæ excubijs inſiſtentes valerem, donec dies eſt exercere, ut in omni labore eorum ùt collaborans utique partem haberem, & ſicut qui recipit Propheram in nomine Prophetæ mercedem Prophetæ accipiet, ita & ego adjuvans iſto ſucceſſorésque illorum in Dei ſervitio mercedem ſemper reciperem eandem quam illi, eorum utique quaſi manibus poſt mortem efficiens, quod vivens infelix proprijs neglexeram agere, ùt de illo dictum eſt, qui tunc nomine Saulus, poſt Dei munere Paulus, tunc perſecutor credentium, poſt Doctor eximius gentium, quod omnium manibus Stephanum lapidaverit, quia lapidantium veſtimenta ſervavit. Conſiderans itaque, qui majorem in Eccleſia laborem & fortiorem ſuſtinerent adeò paupertatem, ut ſine intermiſſione murmurarent, & ob inopiam ad ſacros Ordines inlegaliter etiam accedere feſtinarent, ut aliquid ex his cum detrimento quoque animæ maximo invenirent ſubſidij, cùm nec ætas utique eos admitteret: nec ſcientia commendaret, nec morum probitas illuſtraret, delegavi quædam nuperrime ab ingratis recepta quibusdam Presbyteris, Capellanis, Subdiaconibus, Acolythis atque Oſtiarijs noſtræ Matris Eccleſiæ, iſtis quidem, quanti nunc ſunt, poſt iſtos verò Subdiaconibus ſeptem de Secretario, ſeptem Cantoribus, ſeptem Acolythis de Secretario, & quinque Cantoribus, & Oſtiarijs ſex, quanquam & illis ingratis, utpote majorum ſuorum vel ſeductione deceptis, vel minis territis, vel conſpirationis illorum venenò infectis, præter id, quod à bonis & Deum timentibus, atque caritate ferventibus eis conſuetudinaliter accipere eſt antiquitus deſtinatum, hoc eſt, Eccleſiam Sanctæ Mariæ, quæ cognomen ſortita eſt *Conſolatricis*, cum omnibus, quæ ad eam pertinent, vel pertinebunt, ſalvâ portione inibi militantis Presbyteri, ita tamen, ut in poteſtate ſit iſtorum, ſi defecerit, alterum ſubrogandi, nihil verò ex his, quæ habere eum juſtè competit, auferendi. Si verò viſum eis fuerit, ut aut per vices ipſi Capellani in ipſa cantent Eccleſia, aut aliquos ex ſe eligant, qui illam percantent, illud quod conſuetudo fuit Presbyteris habere, qui illic militabant, peculiariter qui cantent, inibi habeant, cætera verò cùm Subdiaconibus, Acolythis atque jam dictis Oſtarijs æqualiter dividant, non per campos tamen & vineas, ſed per modios atque ſextaria, ut nec rixæ locus aliquis detur, neque invidiæ, ſed omnes inde gaudeant in ea, quam Dominus bonæ voluntatis hominibus peculiariter contulit, pace. Dedi quoque & Eccleſiam aliam Sanctæ Dei Genitricis, quæ vocatur *in Stella*, ut luminare, quod inde venit, ad Eccleſiam jam dictam & Sancti Johannis Baptiſtæ deſerviat, cætera verò ipſi inter ſe dividant. Nefas eſt enim, ut quod ſuper imponitur altarijs, ſerviat foricis, & quod Deo offertur, diabolo famuletur.

Conceſſi & quiddam de corte Sancti Proculi in valle *Paltenate*: locus ubi dicitur *Tuſcianus*, caſalem unum: In valle de *Salla* de Sancto Juſto maſſaricias duas ad muros. Contuli & corticellam, *Paltiniaco* dictam cum ſervis, ancillis & omnibus ad eandem pertinentibus, decimas etiam de caſtello *Hupedano*, & illam, quæ dicitur de *Forendarus*, id eſt, quæ neque ad tumbam, neque ad roveclariam, neque ad cerredam vel plebem quamlibet pertinent cum Eccleſia Sancti Petri de *Perſiano* cum omnibus, quæ ad eam pertinent. Voluimus & decrevimus verò tam ego, quàm ipſi, ut nullum habeant de iſtis ſuper ſe majorem, niſi quem ipſi ſibi ex ſe ipſis elegerint vel conſtituerint, qui cum ſuo juniore omnia illa colligat, &, ùt diximus, per menſuram & numerum æqualiter dividant. Quòd ſi voluerint eis pro calceradigo aliquid dare, in ipſorum ſit poteſtate, tantùm non ſit multum. Si verò, ùt eſt humana miſeria, quidlibet de ſervitio Dei aliquis eorum neglexerit, aut de diſcendo ſuo miniſterio ſtudium non habuerit, non propter

pter hoc aut Epiſcopus aut Clerici licentiam habeant de iſtis quidlibet auferendi, ſed jam dictus, quem ipſi ſuper ſe miſerint, Præpoſitus cum alijs omnibus eum conveniat, & ſi emendare noluerit, quod ab eo abſtulerit, alijs dividat, aut certè ipſi inter ſe pœnam inveniant, qua corrigi hujuſcemodi negligentes, & litteras diſcere nolentes oporteat. Si verò Miniſter idem aut hebes, aut fraudulentus vel inutilis fuerit, vel ſi delinquentes corrigere non fuerit auſus, ab eisdem evellatur, alterque ei de eisdem Presbyteris vel Subdiaconibus ſubrogetur.

Cõceſſi præterea, quicquid de B. commutatione illa, quam de manſione ea prope forum feci cum Johanne filio *Bertane*, quæ de precaria erat, quæ cuidam factæ eſt *Dominico* monetario, ea verò ratione, ut ſuper illam, quam cum cæteris accepturi ſunt, portionem diebus vitæ ſuæ *Galtvertus* Presbyter, & *Martinus* junior Subdiaconus illud inter ſe partiantur, poſtea ad communitatem reliquam redeat, nulli poſthæc peculiariter concedendum, ſed per ſexta ria dividendum. Sed quia & hoc obtinere paupertas nullo modo valuit mea, C. ut dividerentur ſingulis hîc deſignatis, prout cuique opus eſſet, dare ſtudui operam, ut vel aliquibus aliquid ex ipſa delegarem paupertatula, unde propriam mercedem ſecundùm ſuum reciperent laborem. Unde præter id, quod omnibus communiter contuli dividendum, delegavi jam dictis Presbyteris & Subdiaconibus atque acolycis de Secretatio in *Bodanigo* caſalem I. in *Porto* campot. III. in *Cerreta* hortum unum, in Rovecclaria caſalem I. cum plecticijs tribus, in *Naudoſiola*, unde dantur in cenſum, D. Sol. VIIII. ad Caput *Alponi* caſariaclum I. in *Bogoſis* caſalem unum, ut peculiariter hoc habeant, neque cum cæteris dividant. Proviſor verò rerum iſtarum Eccleſiam provideat beati Johannis in Domo, qui & duos illic conſtituat de eodem contubernio Oſtiarios, qui & baſilicam cuſtodiant & oſtium cimiliarchij tempore nocturnali ſemper obſervent, aut continuatim. ſcilicet, aut ſi melius fuerit viſum, per vices. Conſideravi namque, quia cùm præter id, quod in Eccleſiaſtico agunt Miniſterio, hi tres Ordines peculiariùs cæteris omnibus A. Pontificali inſudent ſervitio, ſpecialiùs aliquid accipere ab Epiſcopo pro ſpecialiter illi impenſo debuiſſent obſequio. Parum verò eis ideo contuli: quia & dandis non adeo abundabam, utpote qui ubi alij dominabantur, ego ſolùm mœrens cantarem, & invidiæ contra illos ipſe cauſas vitare debere me crederem, ſive, quod veraciter confidimus, Domino ipſis fideliter ſervientibus alicui fidelium, ut aliquid eis addat, fuerit inſpiratum, volumus, ut ſicuti cætera, ita eis communiter fiat diviſum, ut neque contentio inter eos, neque prævaleat odium, ſed pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda, intelligentiasque eorum. Quòd ſi, ùt ſæpè diabolo contigit inſtigante; propter invidiam & odium ab iſta Matre expulſus iſtorum aliquis inlegaliter fuerit Eccleſia, non propterea de iſta Sancta conſolatrice, quod ſolitus accipere fuerat, perdat Eccleſia, ſed & accipiat, quod cæteri, & ſervitio iſtic ſeſe dedat ut conceditur, Domini. Expers verò quàm ſit cognitionis legis totius Canonicæ, promptum eſt advertere, qui cenſet, quòd alteri liceat Clericum in Eccleſiam mittere vel ab ea expellere, niſi qui poteſt de Clerico Acolythum, cùm libuerit, facere. Sed quia numquam deeſt malivolis, quòd malè cupiant, ſi efficere nequeant, hoc quod facio, ea cautione conſtringo, ut ſive vocetur Epiſcopus, non enim erit ille, ſive Presbyteri & Diaconi iſtiusdem noſtræ Eccleſiæ, qui aut iſtud deſtruere, aut ex his, quæ de noſtra Eccleſia juſtè & legaliter Anteceſſores boni Prædeceſſoribus iſtorum ſolici fuerunt præbere, tentaverint aliquid minuere, quaſi videlicet valeant dicere: habetis veſtrum ſtipendium, ſufficiat iſtud, aut ſi vultis nobiſcum veſtra partiri, mittite, quod vobis datum eſt, in noſtrum commune: partem iſti tales in alia vita cum nullo habeant Sanctorum, ſed cum Cham, Dathan & Abiron, vel cum illis, quos aut diluvium merſit, aut terra glutivit, cumque Pilato, Anna, & Caipha, Juda Chriſti traditore & Mago Symone, Anania quoque & Saphira, quos Beatus Petrus pro fraudata Eccleſiaſtica damnavit pecunia, ſintque Anathema maranatha & exſortes, niſi reſipuerint, à vita

perpetua. Quòd si dixerint, utpote illi, A. qui declinant in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis : non possumus eis tantum dare, quantum Antecessores nostri Antecessoribus eorum dederunt, respondemus eis : noKte errare, Deus non irridetur. Dederunt illi, quod potuerunt. Da & tu, quod vales, si maledictionem præmissam evadere voles.

Scisma, inquiunt, facis, dum eos à disciplina majorum avertis. Non averto à disciplina, sed ab inopia eos & occasione Servitium Domini negligendi eruere, si esset possibile, gestio. Nec B. prohibeo delinquentes corrigi, sed nolo, ut sub correctionis articulo perdant, quod confero : & ideò censeo, ut de eo, quod eis contuli, destringantur a suo Ministro. Magistri verò illorum disciplinâ eos, non inopiâ ad id, quod est faciendum, compellant. Scisma verò facerem, si propter hoc, quod eis addo, quod semper habuerunt, auferri permitterem. Nec hoc foret adjectio, sed commutatio, & à fraternitate vestra divisio, quod, qui molitur, sit divisus à Deo, & separatus à Sanctorum collegio. Obsecro præterea successores, qui umquam fuerint, meos, ut dum hoc legerint, scriptum sollerter meminerint : *Fili, si sapiens fueris, tibimet ipsi eris,* ut ex consimili valeant attendere, quia si fuerint boni, nullis proderit magis, quàm ipsis. *Nemo* enim, ut beatus Augustinus veracissime dicit, *non in se prius, quàm in alterum peccat.* Et de isto quidem, si ob indignitatem meam mercedem mihi non conceditur adipisci speratam, nanciscatur saltem debitum exinde præmium, cujus hoc est tempore factum, pijssimus utique Imperator, D. qui & eidem Ecclesiæ clementissimus extitit suffragator, me scilicet ob hoc in ea stabiliens, ut exsequerer solicitus exsequenda, negligerem negligenda, cujus & auxilio fretus sum ista molitus, ac per hoc magis ipsius quàm meum est opus, cui & remunerationem inde concedat ille, quæso, perpetuam, qui sustentari, taliter eandem pauperrimam Clericorum fecit familiam, stipem ei providens taliter annuam, in hoc seculo eum imperare faciens utique potenter, in futuro glorificans permanenter. Amen.

XXIII.

*Notkeri * Monachi Sanct-Gallensis ad Ruodpertum, Epistola, in qua se de obtrectationis crimine purgat.*

* *f.* Balbuli.

Ex Cod. Bibl. Gallenf.

Fratri *Ruodperto Notker* de exilio.

VIx mihi es notus, & miror, quare jam sis in me commotus. Invictum animum contra iracundiam geri oportuit, non temere concitari in quoquam. Scriptum est in Evangelio : *qui irascitur fratri suo sine causa, reus est judicio.* Enimvero per fidem, quæ est in dilectione, nunquam ego conatus sum famam tuam lædere, vel eorum, qui tecum sunt, fratrum insipientiæ notare, quemadmodum per *Kazilinum* Presbyterum minaciter objeceras. Alioquin gloriæ vestræ cùm derogarem, me ipsum facerem inglorium. Cupio enim per fraternitatem una vobiscum & ego regnare, si tamen regnatis. Quod mihi si vis credere, gaudeo propter te, quòd non sinistræ famæ potiùs aurem aperias. Sin autem: accersito forsitan impostore illo, nescio quo, qui zizania semina-C. vit *. Ivit, inquies, in inficias, quem dudum accusaveras. Et ille si perseveraverit mentiens, nec confitebitur mendacias, jam conjecturis res agenda est, dum non conceditur factum. Trahendum est argumentum ex omnibus attributis personæ & negotio, animi impulsione & ratiocinatione, honestatis partibus & utilitatis. Difficile est ergo sine his locis ambiguum quid discernere. Iste est ille status rationalis, per quem maximè forus * personat, surgunt accerrima bella, animosiates partium criminante Catone, defensante Quintiliano. Per hunc me & ego coram purgare statui pro insimulato, quod argueras. Si tamen optio datur, & ignotus ignoto fi suadere quid poterit, confido, quia apud te excusatus ero. Interim abstineto irarum. Vtique sic videris mihi sapiens, si virtutis sectator es.

* *ita Cod. pro:* forum.

XXIIII.

Ottonis I. Imperatoris Epitaphium. 973.

HOc tegitur loculo Divus & Maximus *Otto*,

Fortit

Fortis in imperio, David ùt tempore priſco,
Clarus, ùt ipſe Sophus Salomon, & pàcis amicus.
Optat Ezechiæ majori prædituſ hic ſpe,
Vt pax eveniat, verum per ſecula creſcat.
Phaſe fat celebre feciſſe ſcribitur ecce,
Atque ſuas ferias primus ſub ſole Joſias:
Illud non ſolùm, ſed myſtica facta priorum
Regna priùs moderans, legum ſacra jura reformans
Ad lucem celebrat, Mundum celebrando coronat.
Quid habuit melius unquam *Germanica* tellus?
Felix *Italia* tu cum muliere beata
Cepiſti tumidum ſtudioſè Rhinocerotem,
Et mitem reddit, qui plurima regna ſubegit,
Sarmatas edomuit, Chriſto ſervire coëgit,
Pellere dœmonium, Crucis inſignire triumphum,
Vngaros debellans, victricia ſigna reportans
Eripuit fidei ſacræ vocitamine dignos
Innumeros populos, diro diſcrimine preſſos.
Ex Cod. Weſſebrunenſi ſec. XV. Tu quondam domina felix & ſplendida *Roma*,
Præſtitit *Otto* tibi pariter cum conjuge ſancta,
Vt referas ſolitò ſceptrum Mundi & diadema.
Tripudiat Mundus tanto ſub Cæſare cunctus.
Pax ſublata perit, cùm Maximus *Otto* receſſit.
Dum recitat *Majus* lugubres ex ordine *Nonas*,
Cæſar ad æthereas rapitur pius *Otto* catervas
Mauritio ducente ſuo ſociandus in alto
Ipſi, cui ceſſit propriam, quam conſpicis aulam.
Conjuge tu celebris, tu namque propagine felix.
Lætatur Mundus, cùm naſcitur *Otto ſecundus*.
Tertius imperitat, cœlum jubilando reſulcat.
Sed nunc ſtemma tuum claro moderamine Mundum
Protegit, auguſtat, ditat, ſublimat honorat,
Qui pater illa tuus *Henricus* nomine dictus
Ceſſerat hoc nomen, cui tu quoque cedis honorem,
Dum ſtabit rutilus Eous & ultima tellus.
Pontus & Aſtra Poli, plangent te climata Coſmi.

XXV.

Wigonis Decani Phyuhtvvangenſis Monaſterij Epiſtola. circ. 913.

1.

Ad Adelhaidem Imperatricem, cui ſe ſuúmque gregem obnixius commendat.

Dominæ præcelſæ, Regum regnorúmque altrici nobiliſſimæ, A. Auguſtæ, ſemper invictiſſimæ, Fratres *Phyuhtvvangenſis* Eccleſiæ ſervitio noviter congregati, titulum ſummæ ſalutationis in Chriſto Salvatore. *Ex cœva ferè Cod. Tegernſ.*

CUm omnes fidelium Congregationes veſtræ pietatis memoriæ non ignoramus jugiter eſſe præſentes, humile nomen Eccleſiæ magni Dei Salvatoris vos etiam nôſſe cupientes, noſtrúmque Monachile propoſitum in eodem loco nuperrimè degere incipientium, vobis æquum duximus intimandum, ut umbra Dominationis veſtræ deinceps protecti, tumultus ſecularium impulſionum ſufferre valeamus ſecuri.

Eccleſiam igitur credimus nimiùm fore beatam, ſi ejus matrem noſtro tempore habere meremur tam benignam, felices eſſe arbitrantes Monachorum plebes, ſub tali defenſatrice Monomachiæ ſtudio deſervientes, cujus ſolum ingenium tanta eſt ſapientia auctum, ut ſibi totum ſubjugaret imperium. Hujus magnæ ſpei ſecuritate animati pro diuturnitate ſeu ſtabilimine veſtri regni diu noctúque non ceſſamus Deo ſupplicare. Beatis inſuper ſpiritibus Imperatorum noſtrorum amœnitatem cœleſtis Eliſij jugi precamine a Chriſto depoſcimus concedi. Val.

2. *Ad*

Digitized by Google

2.

Ad Theodoricum Eremitam in Sylva Or. ſcribit, quantis negotijs & curis obrutus ſit in proviſione Monaſterij ſui, ac fratrem Adalgozum ſibi in adjutorem depoſcit.

T. Eremiticæ converſationis cultori ſtudioſiſſimo, W. Monaſterij Domini Salvatoris proviſor indignus, colore deterſo ſimulationis, devotæ ſubjectionem obeditionis.

HAbitudines cunctorum negotiorum nobis undique laboriosè adlabentium, veſtræ Paternitatis commiſerationem celare nequimus, quia ſolamen conſuetæ compatientiæ petentibus, ùt ſperamus, nullo modo ſubtrahetis. Fratres Monaſterij noſtri nuperrimè viſitavimus, fratrem *Helpericum* adjutorem inde conceſſum reduximus, cui rei conceſſionem nobiſcum recuſanti, penes Abbatem noſtrum querimoniam feceramus omnium illarum rerum, quas experientiam laborum veſtrorum optimè nôſſe non ignoramus.

Multimodarum gravitudinem, jugiter onerosè incumbentium, nullius fra- C. tris ſolatiô habemus elevamentum, cùm alius invaletudine, alius diverſo præoccupatus miniſterio, ut vel ad ſpatium parvi temporis ſolo laboranti concedatur reſpirandum. Omnes claves Monaſterij tinnienti cingulo undique appenſis ipſe porto. Inſuper ſolicitudini regularis Ordinis cautiſſimè debeo providere, nunc curam penoris gerere, nunc cocis præeſſe, interdum refectorius*, ſemper omnibus domeſticis interiùs commorantibus, & exteriùs hoſpitibus ſuperveni- entibus cunctis ſerviturus.

* *f.* refectorium.

Fratrem *Adalgozum* nuperrimè Mo- D. naſterio, patre viduato, reſtitutum petimus veſtra licentia nobis concedi adjutorio. Et quia in omnibus devoti paruimus, quibus de illo veſtra præcepta ſuſcepimus, nec aliquid invitum facere coëgimus, communis petitio fratrum noſtrorum precatur, ut præcepto vobis debitæ obedientiæ ſibi concedatur, ordinandus in officium Monaſteriale, non quaſi eliminatus cuſtodia veſtra, cùm nullus noſtrum ſe ſubtrahat juſſu veſtro: ſed quia oportet, ſi audemus dicere, ut bonum rependatis caritativæ viciſſitudinis.

A. Fratrem *Engilpertum* petimus, ut ſcriptis veſtris ſæpius commonefaciatis de bonis ad meliora. Valete.

3.

Idem ad Dietricum: ut ad ſe librum Canonum mittat, uſui ſibi futurum in cauſa cujusdam Clerici, a laicis peſſimè habiti.

Domno *Dietrico* Wigo confrater in Deo ſummo ſalutem.

SIcut per paſtoris neglectum ſæpe veniunt detrimenta ovium: ita de he- B. betudine noſtræ inprovinciæ * noſtrorum vicinorum ſervuli congregati quendam Clericum noſtrum membratim detriverunt. Et ecce ſubſequuntur variæ conflictationes multorum. Has ad nullandas, & Canonica ratione deſtruendas, ſi ullus liber penes vos factorum habetur, nobis rogamus præſtari, & per præſentem nuntium transmitti. Benè valeatis.

* *ita Cod.*

4.

Ad Lintoldum Ep. Auguſtanum. Rogat, ut rebus in ſuo Monaſterio afflictiſſimis opem ferat.

L. pallio ſummi ſacerdocij cælitus induſiato, W. congregandi gregaminis inermis opilio, gaudium ſupernæ felicitatis in Chriſto.

Curſum effectuoſæ legationis ad Monaſterium noſtrum fore proſperatum, ſummo Deo primùm hymnizamus, qui directaneo greſſu, vialiſque ductamine ſemper dirigit ſecum cordis conamine verſantes. Fraternæ autem deductionis augmentum merito veſtræ pietatis aſſcribimus, quia pelliferum noſtra inſcientia minimè edoctum, & tepentia ſcedulæ verba, vivida aucta faccitate viæ direxiſtis. Illam incommoditatem importunè ſuſtinemus, cum Dei miniſterio Eccleſiæ congregamur, quòd conglobatarum avium garritus cantando ſuperare nequimus, quòd undique pennigero volatu invehuntur patulis feneſtris, & quando nivoſo proſternimur pavimento ex omni parte nive affluti, cœnoſi volucamur. Sed tamen communiter degentes hæc opportunè toleraremus, ſi Dominicum altare a ninguine defendere poſſemus. Accenſæ candelæ flamine ven-

Digitized by Google

ventorum turbatæ, multùm lacrimantes extinguuntur. Ad clauſuram feneſtrarum, ſi aliquos lineos tribuitis pannos, poteſtis facile iſtam querimoniam ſarcire. Quantumlibet chalybis ferramenta ſarcienda, quæ nobis ſunt neceſſaria, flexo petimus collo, noſtro jubeatis tranſmitti Vulcano.

5.

Ad Gozpertum Abbatem Tegernſeenſem. Exponit ei difficultatem, novi Monaſterij ſui conſtructione cauſatam, rogatq́, ut Weicherum ſolatij, Sigihardum ſtudiorum gratiâ ad ſe mittat.

ABbati G. Monaſtica firmitudine priſcorum vice Sanctorum patriſſanti, *Wigo* cum fraterculo, ſecum in miniſterium deputato, quicquid tenelli maturo parenti.

Novæ plantationis germina brumali tempore vos velle propagare, mirandum nova conſcriptione, cùm nivoſa hyems non virideſcere in fruges, ſed magis ſoleat in lapides rigeſcere albicantes. Tamen ornatui Salomoniacæ domus nimium habiles ſi volumus jacere ſimilis ſtructuræ profunditates, glorioſum Salomonem omnis copia Davidicæ præparationis non tantum ſublevabat, quantum noſtri cordis domicilium lætificat decora ædificatio, quæ non lapidoſa materia, & quandoque caſura, verùm cultu manſuri fundaminis veſtræ celſitudinis juvamine noſtro Pontifici eſt ſtabilienda. Gaudeamus nos directos normâ Dominicæ ordinationis, qua duodenos diſcipulos miſit ad prædicandos populos; & illorum miniſterij opus non poſſe imitari dolemus; cùm illi tricies & ſexies in binarium diviſi, ſi non ſanctitate, vel ut ita poëtizemus, effectum ſibi iniunctæ præceptionis numeroſitate ſupplere potuiſſent. Nullos adjutores nobiſcum habemus præter duos grandævos ſilicernos, quos omnimodis nihil alludit operis. Cælicolæ tantùm arridentcos, volentes eo ſe cottidie apud ſuperos deficare.* Quocirca petimus de veſtræ paternitatis clementia nos adjuvari ſolatio fratris noſtri *Weicheri*, ut radix alicujus boni fructus profluxione majoris irrigationis poſſit

**ita Cod. f. deificare*

A. augeri in loco nobis commiſſo, quatenus cumulus ſupernæ mercedis a Domino Salvatore remetiatur vobis. *Sigihardum* fratrem noſtrum, quem tempore virideſcentis anni dirigere decreviſtis causâ diſcendi, ſi vult, & ſi dignamini, nunc etiam mitti precamur. Valete.

6.

Ad Liutoldum Ep. Auguſtanum; ut eos fratres, quos Monaſterij ſui commodo a Gozperto Ab. Tegernſ. impetravit,
B. *benignè accipiat, & ad ſe rebus neceſſarijs proviſos mittat.*

PRæſuli L. cura paſtorali cuſtodelæ ovium Chriſti providâ cautelâ invigilanti, W. cum adelfo Dei Salvatoris indigno tyrunculo, ſupernæ ſalvationis juge precamen in Chriſto.

Auctoritate ſanctitatis veſtræ, ſummè Paſtor, lepidè perſuaſi, ſolidariæque converſationis noſtræ ſingularitate compulſi ſolidiſſimum littus ſtagninarum inpulſionum, anchoramq́ue veriſſimæ ſpei per nuntium annavimus, tutiſſimos
C. videlicet ſinus Abbatis noſtri, quo fluctuationes fraterna raritate nobis illiſas, aliquo conſolatorio ſtabilimine ſedare pia augmentatione fratrum dignetur. Quos ſi prædeſtinationis Dei via direxerit ad *Auguſtam* civitatem, adjunctione ſociorum itineris, fulcimine equorum, equorumq́ue aurigis ſublevatos precamur humanè ſuſcipi jubeatis, ſuſceptos nobis mittere dignamini.

Vuillihardus Clericus a vobis regreſſus venit ad nos quinta feria ante Theophaniam, qui intimavit, quòd ammiramini, quòd neque per nuntium, aut
D. per epiſtolam innotuimus, quid faceremus, qualiterve poſſemus. Valetudo Sanctitatis veſtræ tantum queat in Domino !. circa nos ob gratiam veſtri omnia benè aguntur. Vt de omni incertitudine converſationis noſtræ certificemus, omnia ordinatim innotamus ſcripta. Sexta feria, quæ proxima dies erat poſt natale infantium, direximus epiſtolam per nuntium, ut oculis veſtris perſpecta, ſi eſſetis in Auguſta, inpreſſione ſigilli veſtri bullaretur. Hoc autem exemplar epiſtolæ.

Digitized by Google

7.

Epiſtola prædicta exemplum. Commendat Wigo duos juvenes Monachos F. Scholaſtico Auguſtano, ſibiq́ Priſciani majoris copiam fieri rogat.

APoſtolicis agminibus ordine hæreditario cælico nutu connumerato F. ſupernæ ſponſionis perdignos judicantium gradus.

Inſtitutione vitæ *Benedictinæ* nutriti, Monomachiæ cogimur obeditioni mente ſubeſſe, præcepta majorum celeri pedum ſuſpenſione perfecti in omni præcipimur eſſe. G.* ſummæ perfectionis amator, Monachorum fidelium pijſſimus paſtor, quendam fratrem vivida juventute florentem commiſit mihi ad docendum, alicujus rivuli guttulam me ſperans ſapida mente deguſtâſſe. Omnium namq́ue doctorum fama ſe teſtatur comperiſſe, maximè abundare civitatem veſtræ ſedis cunctarum liberalium artium docibilitate. Cujus ſpei ſecuritate roboratus, veſtraq́ue fultus ſuaſibili petitione etiam alium ſua ſponte admiſerat fratrem. In quibus ſuæ nequaquam poſſumus implere voluntatis juſſionem, niſi veſtræ habeamus conſolationis fulcimen. Majorem librum *Priſciani* petimus nobis, ut jubeatis aliquantulum temporis præſtari, quo vel duos libellos legendos, ſicut juſſi ſumus, facultatem habeamus, ne inobedientiæ culpam incidamus, ſi iniuncta quaſi deſpicientes omittamus; aut ne inexhauſtæ abundantiæ bibliothecæ Eccleſiæ veſtræ culpam inopiæ præſumptuosè videamur irrogare, ſi cuipiam externorum pro tali neceſſitate ineptè genu flectere compellimur Valete.

*Gozpertus Ab. Tegernſ.

8.

Idem communi ſuorum nomine ad Heinricum Boiariæ Ducem, a quo ſibi piſces pro celebrando feſtivius Paſchate mitti rogat.

H. Chriſtianæ gentis Ductori præcellentiſſimo, fratres *Phyuhtvvangenſi* congregati Monaſterio, devotiſſima munia precum in Chriſto.

Monachi ſolius nominis adjectione vocitati, ſervi egregij potentatus veſtri, & fraterculi Monaſterij Sancti Quirini A. præcepto patris noſtri Gozperti, cæteris commanentibus commoramur in cænobio *Phyuhtvvangenſi*, conſuetudini Monachicæ conſtitutionis, prout poſſumus, deſervientes. Felix Eccleſia, quæ perdignè gratulatur tali Principe fulta! Celebre nomen veſtrum, quod jugiter amorifero corde hinc inde fermocinando volitans, ubique ſummo rumore diffunditur, vilitati noſtræ denuntiavit præſentiam veſtri fore in vicinitate nobis admodum opportuna. Idcirco quaſi de aſperitate eremitali, ubi tellus neſcit ſta- B. gnorum gignere ſinus, & ut ita dicatur, quid ſit piſcis, penitus ignoretur, mittimus ad nobilem celſitudinem veſtram, ſi debita copia vivaria lata, & ſæpius merito a Deo dilatanda ſcaturiant abundanti & conſuetudinaria piſcium fœtura, noſtrum Paſcha piſcigena largitione jubeatis jucundari, ſolitam impertiendo miſericordiam, quam vobis feciſtis apud Deum piam patronam, ſemper commiſerans indigentibus. Valete.

9.

Ad G. Archipresbyterum, ut infligendam Ortvvino presbytero pœnam tantiſper differat.

C. G. Venerando Archipresbytero W. *Phyuhtvvangenſis* Eccleſiæ proviſor indignus ſalutem in Chriſto.

Ortvvinum presbyterum veſtro diſcipulatui ſubjectum, audivimus in vos eſſe culpabilem. Et non modicùm doluimus, quia videlicet nec nos habet placatum, ſi vos habet offenſum. Sed quia ſynodali cenſura convictus eſt reus extiſſe, petimus pietatem veſtram, ut modum pœnitentiæ, ſibi meritò ingerendæ differre velitis ob cauſam noſtræ humillimæ petitionis, usque dum nos D. facietenus colloquentes videamus. Non ideo hoc autem depoſcimus, ut eum veſtro ſervitio excuſemus, dum nos cum omnibus noſtris devota ſervitia impendamus: ſed multa etiam alia penes vos, ſi dignamini, habemus tractanda. Val.

10.

Ad E. Comitem, quem ſalina cujusdam nuper ſibi donatæ, totiusq́ Monaſterij S. Salvatoris Phyuhtvvangenſis defenſorem eſſe cupit.

E. Functione Comitali, famosóque virtutum cultu alterutrius generoſita-

roſitatis glorioſum ſtemma nobilitanti, W. Cuſtos conſtitutus in loco, *Phyuhtvvanc* nominato, cum agmine fraterno devotum ſalutamen in Chriſto.

Fructuoſis diſpenſationibus multorum fidelium poſſeſſiones ad ſancta loca traditas, omnium bonorum gaudet conſcientia, qui hæreditate terrena comparari poſſe non dubitant ſuperna. Amore hujus beatæ ſpei, ùt audivimus a narrantibus, ducti parentes veſtri partem fontis, vivida ſcaturigine ſalem ſcaturientis, tradiderunt Monaſterio Salvatoris noſtri, quod optimè vos noſſe novimus, quid datum ſit, & qua lege ſerviendum ſit ad hoc conceſſis mancipijs. Quare ratum fore conſiliati ſumus concordi conceſſione noſtri advocati talia commendare veſtræ defenſioni, qualia ſunt attributa Monaſterio anteceſſorum veſtrorum beneficiô. Alieni namque ſuperducti ſua lucra, non juſtam æmulationem ſectari referuntur. Quia in omnibus negotijs, ad nos pertinentibus, veſtrum ſuffragium, ſi dignamini, habere deſideramus, hunc fratrem mittimus pietati veſtræ, quem easdem res feceramus procurare, ut ſemper reclamationem per eum habeamus, ſecundùm quod ſcitis ejusdem familiæ legem ſtatutam, ne eos aliquis injuſto premat ſervitio, vel ab eis neglegatur colligi & reddi cenſus, domui Dei inquirendus, & reddendus. Quanquam enim quidam, quibus humanæ caducæque res nimiùm adhærent, hujusmodi data patrimonia, ſibi penitus ſublata pœniteant, tamen non erit extincta pijs poſteris clara & inſignis remuneratio ejusdem hæreditatis, ſi eos eadem priorum comitatur devotio in excolendo Deique ſervitio devotè mancipando, ut hoc, quod natura debuit humo, anima poſſideat in futuro præmio hæreditario. Valete.

11.

Ad Luitoldum Ep. Auguſtanum de injurijs, ſibi a Rihhardi filio irrogatis.

L. Præſulatus officio cælica præſulante gratia inſignito, frater W. præordinatus *Phyuhtvvangenſi* Monaſterio, A. quicquid ſervus devotiſſimi oraminis vel famulaminis Domino perpetualiter hæreditario.

Deterſa totius murmurationis occaſione cordetenus frequenter revolvimus flebilia lamenta, quibus Hebrææ catervæ nimiùm doluêre, Moyſen & Aaron ſe fætere feciſſe coram Pharaone & Ægyptijs, dum cottidie & ipſi durioribus diverſarum ſarcinarum premimur opprobrijs. Cruentis vulneribus ſauciati querimoniam feceramus de multimodis injurijs a filio *Rihhardi* nobis ſæpe ſæpius arroganter irrogatis, nec ullam emandationem penitus ſentiebamus; ſed propter hoc, quod vobis cauſati ſumus, odibiles exiſtimus omnibus incolis illius regionis. Nullus enim amat, nullus veneratur; quia nullus timet ſupratonſus, nec circumtonſus, nec Deum nec hominem. Cuncti nos inimicabiliter inſequuntur, & maximè ille prædictus, qui, poſtquam a vobis domum reverſi ſumus, majore temeritate inflatus, quia civicum adjutorium non invenerat, congregaverat Suevigenas, quos poterat, & prata noſtra cum eorum equis ex maxima parte depaſtus eſt; illam aquam, præter quam nullam habemus aliam, quam ei ſæpe interdiximus, expiſcari furtivè & publicè non ceſſat. De his omnibus nullum habemus defenſorem! quia vobis variarum rerum negotia jugiter allabuntur, noſterque advocatus undique ab hoſtium inſidijs detentus dilaceratur; & ideo a neutro defenſi hinc inde miſerabiliter a tali quaſſamur homullo * tamen a Capite Regio defendi abſque dubitatione ſperamus. Valete.

* *ita Cod.*

12.

Ad eundem. Extremam annonæ penuriam ejus beneficentia ſublevandam ſperat.

ANtiſtiti * L. tutori Dei Eccleſiæ, Catholico paſtori, W. humilis homullus, devota munia ſedulorum precaminum in Chriſto.

* *Cod. F. ſid, ùt videtur, mendoſe.*

Solita ſedulitate loquacitatis ineptæ nimiæ inſiſtimus grandi petitioni, valdéque grandia petimus, quia vos grandia largiri usque modo ſentiebamus. Sericis tunicis, quas uſque nunc ob elemoſy-

moſynam veſtri ſufficienter habebamus, modò non habemus, niſi ſinguli fratres ſingulas, ipsásque vetuſtate penè conſumptas. Nulla enim fæmina veſtro jure nobis conceſſa lanificium operatur: quia ut incolæ regionis decertant, nullo modo tali lege infringuntur. De inopia frumenti nuper vobis incaſſum demandaveramus, quia priori anno terræ infertilitas, aëris inæqualitas, ùt etiam horno videmus evenire, fruges ditiorum locorum, quæ in alimoniam habemus, hyemis aſperitas, pruinæque mordacitas utrimque plus quàm LX. jugera decoxit. Quid illi familiolæ faciendum ſit, neſcimus, quæ hinc inde vagula per varia diſſipatur loca, non habens debiti victus ſufficientiam neceſſaria. B.

Iſtis cæterisque prætermiſſis de domeſticis compatiendo tractamus, qui nos cottidie conclamantes perturbant, victum, veſtitumque hyperbolicè expoſcentes, ſartores videlicet Eccleſiæ, cæterorumque ædificiorum inſtauratores. Duo etiam coci, unus ligna, alter colligens olera; duo piſtores, bubulcus atque ſubulcus, caprarius, cuſtos equorum, ſutores, lautores, brazatores*, qui nunc cottidie vacant. Nullum enim hoſpitem poſſumus ſuſcipere, aut potu reficere: quia non dederunt nobis brazam, quibus juſſeratis. Pauperibus namque vos in elemoſynam ſuſcepimus, & his, qui hinc inde confluunt, non audemus denegare ſolatia. Fratribus omni ſabbato pro caritate miſcendum poſt Mandatum, aliisque ſummis feſtis utendum, non modicum vini empturi ſumus cum illa pecunia, quam utrique noſtri dominorum largiti ſunt. Cætera plurimáque id genus, quæ deſunt, ſperamus emendari a patre Monaſterij, quem vos eſſe profitemur. Valete. D.

* braxatores

13.

Idem, ùt videtur, ad G. & E. Petit frequentiores litteras & ſui amorem.

Dilectiſſimo Patri G. dignæque matri E. ſenior W. fraterque junior ævo, ſalutem in Domino.

QUòd longo tempore privati ſumus veſtro colloquio, ſæpiùs triſtamur mœrore non modico. Nimiùm tamen confiſi veſtræ pietati nihil aliud petamus niſi plenitudinem charitatis & compatientiæ, quam ſemper in vobis habebamus. Nihil aliud ſervitij habemus præ manibus. Hoc ſcitote ſine dubio, quòd jugiter ſupplicamus coram ſummo Deo pro veſtra beatitudine hìc & in cœlo. Valete.

XXVI.

Duæ Chartæ Donationum, factarum Monaſterio Monſeenſi ſub S. Wolfgango Epiſcopo Ratisbon.

circ. 974. Ex coævo chartul. Monſeenſ.

1.

Traditio Einharti.

NOtum ſit omnibus, qualiter quidam nobilis vir, nomine *Einhart*, tradidit ad S. Michaëlem ad Monaſterium *Maninſeo* dictum proprietatem ſuam, qualem habere viſus eſt in loco, qui dicitur *Rinum*, manſum unum arabilis terræ & pratorum, cum ſilvis, aquis aquarumque decurſibus aliisque ad ipſum manſum pertinentibus, in manum videlicet *Wolfgangi* venerabilis Epiſcopi & *Adalonis* advocati ſui, ſtatim C. ipſam veſtituram & uſum fructuarium dimittens eis, complacitans cum illis & accipiens decimationem Eccleſiæ, quæ eſt in *Vrſeſdorf*, & manſum unum cum manſore ſuo ad finem vitæ ſuæ & uxoris ſuæ, nomine *Peza*, ea videlicet ratione, ut poſt mortem amborum in jus Eccleſiæ ad *Maninſeo* totum redeat. Iſti ſunt per aurem tracti: *Otachar Comes*, *Eparhard*, *Hartuuic*, *Dultinc*, *Huzo*, *item Huzo*, *Hadeger*.

2.

Traditio Adalgeri.

NOtum ſit omnibus fidelibus in Chriſto, quòd quidam nobilis vir nomine *Adalger* tradidit ad S. Michahelem ad *Maninſeo* unam partem hæreditatis ſuæ ad *Murvarum* XV. iurnales in manum venerabilis Epiſcopi Wolfgangi & advocati ſui *Gotaſcalchi* in perpetuam ſtabilitatem. Econtra verò tradente eidem Epiſcopo cum advocato ſuo præfato viro XII. iurnales ad locum, qui dicitur *Hiltigerasheima* in perpetuam ſtabilitatem.

Hoc actum fuit ad *Tibſteti* in XII. Kal.

Kal. Septemb. Iſti ſunt teſtes: *Orendil, Vozi, Vuillibam, Aranhalm, Hunolt, Erhart* & filius ejus *Ruodperht.*

XXVII.

*Gozperti Abbatis * Tegernſeenſis Epiſtola.*

* *ab an. 913. ad 1001.*

1.

Ad Ramuoldum abbatem S. Emmerammi. Se Ratisbonæ in feſto S. Emmer. futurum nuntiát, petitq́ ſibi exſcribendum transmitti Librum plenariæ collationis.

Ex cœnu Cod. Tegernſ.

ABbati R., Monachicæ religionis ſpeculo perſpicaciſſimo, G. famulamini debiti diſcipulatus toto mentis affectu ſubjectus.

Ardenti deſiderio præſentiam paternitatis veſtræ ſitimus: marceſcentes artus, quos præ laſſitudine ſenij, laborumque ægrè ferimus, penes vos aliquantulum animare cupimus: lepidiſſimo fratrum colloquio paululum recreari deſideramus, quia nos tam longo temporis ſpatio vobis disjunctum fore ſuſpirioſum pectus ſæpiuſcule dolendo prodere non ceſſat. Proximo Ducis noſtri colloquio ſperamus nos præſentari conſpectui veſtro: quod ſi fuerit interdictum aliquo eventu præpediente, vel aliqua re adnullatum, veſtro tamen precamine fultus feſto S. E. patroni noſtri intereſſe non dubitamus. *Librum plenariæ collationis*, quem dudum peciveramus, quia in noſtra non habetur bibliotheca, humotenus geniculantes repetimus, ut nobis præſtari præcipiatis. Quàm celerrimè videlicet poſſumus, conſcribi facimus, vobisque aut ipſi reportare, aut per nuntium remittere ſtatuto tempore non tardamus. Valete.

2.

Ad Arnoldum Comitem, cui pro impenſis ſavoribus gratias cumulate agit, doloremq́ ſuum ob Adelheidis Imperatricis obitum declarat, ac, qua pro ejus anima requie a ſuis Monachis perſoluta ſint, perſcribit.

ABbas G., Monachici cultus ſolo nomine proviſor conſtitutus, Comiti A. ſtemmate generoſo, nec minùs dignitate nobilitato, felicitatem ſummæ ſalutis in Domino.

Nullo digno ſermonum tractatu poſſumus grates conſcribere beneficentiſſimæ celſitudini veſtræ pro multiplici clementia, quam nobis indignis, noſtrísque domeſticis indefeſsè jugiter impertitis. Et quia nihil tale ullo umquam prometuimus ſervitio, Deo ſupplicamus, ut vobis mercedem recompenſet dono centuplicato, inprimis ego, qui Abbatis fungor vocabulo, devotáque cohors noſtrorum commonaſterialium usque modo memoriam veſtri habuimus ſedulis orationibus. Deinceps autem firmiſſimè ſtatuimus, nomen veſtrum in noſtro monaſterio die noctúque precaminibus memorialiter perpetuare.

Lugubre nuntium de obitu amiciſſimæ Dominæ noſtræ *Adalheidæ* nimiùm nos & . . noſtra, ùt decuit in caſu talis perſonæ, perturbavit, pro qua ex tunc uſque nunc conſuetudinarias complevimus precaminum celebrationes, & in ſemper annuali revolutione temporis vigilias, Miſsáſque cum oblationibus ſciamus facere. Diem Kal. jubete conſcribi membrana, nobisque transmitti per præſentem pelligerum. Valete.

3.

Idem eidem maximas gratias agit pro feneſtris, templo Tegernſeenſi affabre comparatis, & pueros, quos diſcendi causa hactenus in Monaſterio enutrivit, eruditionis ſpecimina daturos remittit.

DIgniſſimo Comiti A. gloria multimodarum virtutum ubique diffamato, Abbas G., fratrúmque ſibi ſubjectorum Conventus, ſedulitatem precaminum & ſalutem in Domino.

Fideliſſimæ devotionis exercitia, quæ tam longi temporis nobis, ac noſtris a vobis infatigabiliter diverſitate laborum, magnitudinéque miniſteriorum ſunt impertita, cunctorum remunerator Deus Sancti teſtis ſui Quirini precibus, mercedibus centies centuplicatis remunerari dignetur coram cœtibus cœleſtibus. Meritò pro vobis Deo ſupplicamus, qui locum noſtrum talibus operibus honorum ſublimâſtis, qualibus nec priſcorum temporibus comperti ſumus, nec nos viſuros eſſe ſperabamus. Eccleſiæ noſtræ

ſtræ feneſtræ veteribus pannis uſque A. nunc fuerunt clauſæ. Veſtris felicibus temporibus auricomus ſol primùm inſulſit baſilicæ noſtræ pavimenta per diſcoloria picturarum vitra : cunctorumque inſpicientium corda pertentant multiplicia gaudia, qui inter ſe mirantur inſoliti operis varietates. Quocirca quouſque locus iſte cernitur tali decoratus ornatu, veſtrum nomen die noctúque celebrationibus orationum aſſcribitur. Et ut omnium proximorum veſtrorum memoria deinceps hìc agatur, facite conſcribi nomina, quorumcunque vultis, in membrana, nobisque tranſmitti per præſentem nuntium. Veſtræ deliberationi dimittimus illos pueros probandos, ſi illud opus adhuc ita ſint edocti, utì vobis eſt honorificum, nobisque neceſſarium; vel ſi aliquid eis deeſſe inveniam, liceat eos remittere vobis cauſa meliorationis. Valete.

4.

Ad Meginhelmum Comitem. Rogat, ut ſibi non nihil frumenti in victum eorum, qui in Auſtria Monaſterio ſuo ſerviunt, elargiatur.

G. Abbas Monaſterij S. Q. *ill.* Comiti venerando ſalutem in Domino.

In maxima neceſſitate fideles amici meritò quæruntur, & ùt ſcriptum eſt, ſine dubio tunc comprobantur, quando ſolatium adjutorij largiuntur. Quia conſolationem veſtram ſemper habuimus in omnibus rebus noſtris, idcirco etiam nunc quaſi unico patri & proprio Domino, pietati veſtræ querimoniam facimus de familia noſtra, quam in *Oriente* habemus, quæ præ penuria grani præſenti anno ſubiacet gravi periculo famis, cui de parte noſtra non poſſumus ſubvenire, ſicut debuimus: quia in iſto anno Ceres non benè fructificavit nobis in locis noſtris. Sed petimus, ut nobis aperiatis manum ſolitæ largitionis veſtræ, & jubeatis nobis dari aliquantulum frumenti ob elemoſynam veſtri in victum eorum in *regione Orientali*, qua vos dominamini, ne fame penitus eos & inedia conſummari vel mori videamus. Valete.

5.

Ad eundem. Gratias agit pro Huſonibus, piſcium genere, quantumque precum Deo pro ejus conjugis anima offerant Tegernſeenſes, exponit.

FAmoſiſſimo Comiti Meginhelmo, ſummæ nobilitatis proſapia progenito, G. abbas cum grege Monachico ſibi ſubjecto ſalutem in Domino.

Quòd ſingulis annis petendo vos ſollicitamus, compellit nos inſtans neceſſitas, B. & ſolita, atque annualis largitio benignitatis veſtræ : quia vix potuimus ſcire, quid eſſent piſces, quos *Huſones* nominant, niſi elemoſynâ veſtri. Volumus etiam vos nôſſe, quòd nullo anno prætermittimus cenſum orationis, quem vobis promiſſimus, exceptis his, quas pro elemoſynas nobis facientibus communiter celebramus, ſpecialiter pro vobis, amicisque veſtris, qui adhuc vivunt, vel jam in Chriſto obierunt, ac felicis memoriæ conjuge veſtra XLIII. Miſſas, & Pſalteria X. decantamus. Quin etiam nomina veſtra ſcripta ſunt C. apud nos propter jugem memoriam. Valete.

6.

Eidem. Petit ſibi ſuísque, cùm carnibus Monachorum more abſtineant, Huſones mitti,

DOmno M. boni nominis gloria ubique diffamato, *Gozpertus* abbas cum ſuis confratribus ſalutem in Domino. *Extat apud Mabill. T. 4. Analect. p. 348. nomine Comitis non indicato.*

Nullius ſervitij munus præ manibus D. habentes, accedimus ad vos magnas res poſtulantes : ſed tamen audacter, qui confidentiam reſumimus de conſcientia totius bonitatis in vos. In *regione Auſtrali*, ſicut ſcitis, habitantes, more Monachorum, ùt decet, a carnibus abſtinentes, captura piſcium ratò paſcimur; quia piſcoſas aquas minimè habemus. Sed ſi Deus anno præſenti fœcundavit capturam Huſonum, nobiſcum petimus, ut jubeatis largiendo communicari, ut memoriam veſtri deinceps coram Deo in orationibus noſtris habeamus. Valete.

7. *Ad*

7.

Ad Gebhardum Ep. Auguſtanum. Ejus religionem ac pietatem laudat, ſpondetq́, ſe ad eundem, cum per anni tempus licuerit, acceſſurum.

DOmno Pontifici G. Sanctorum anteceſſorum meritis Apoſtolica ſede dignè ſublimato, G. ſervorum Dei ultimus, humilisque Monachica congregatio ſibi commiſſa, famulaminum, precumque ſedulitatem in Chriſto.

Virtutibus veſtræ laudabilis famæ, quas pius rumor matris Eccleſiæ ubique diffundit, congratulamur, quosque ſæpiſſimè comperti ſumus, frequentiori narratione venerandi Antiſtitis noſtri G.*, qui vos multùm amat in Chriſto, cum priſcorum prædeceſſorum veſtri Epiſcoporum gratia ſeu familiaritate admodum pleniter ob elemoſynam ſui functi ſumus, qui nos dilexerunt pro amore Dei, ſanctique Quirini, Patroni noſtri, eò ardentius etiam gratiam veſtri præ cæteris habere ſpiritus deſiderio ſitimus, quo vos nomen, religioſitatemque *Benedictinæ vitæ* poſitum in Apoſtolica dignitate præ alijs exornare moribus, habitúque ſentimus. Quia gremio Auguſtenſis Eccleſiæ nutriti ſumus a puero, ſanctum locum ſæpe ſæpius viſitare debemus, proximáque æſtate, quando gramina ſufficere poſſunt iteratoribus, veſtris orationibus intus vos videre cupimus, veſtráque animari præſentia, ùt ſpiritus deſiderat per ſingula momenta. Quocirca petimus, Pontifex venerande, deinceps mementote noſtri: quando nos veſtri obliviſcimur, nec noſtri recordamur. Valete.

* *Goteſcalchi Ep. Friſing.*

8.

Ad Brunonem. Ut decimas in vico Tatinhuſa Eccleſiæ Tontinhuſanæ reddi jubeat.

B*Runoni*, Domno beneficentiſſimo, Abbas, veſter ſervitor devotus. Quidam viculus hæreditatis veſtræ, *Tatinhuſa* nuncupatus, duarum hobarum colonia poſſeſſus, memoria & ætate cunctorum, qui adhuc ſuperſunt, ſemper decimatus fuerat ad Eccleſiam noſtram, *Tontinhuſa* nominatam. Et cauſamur pietati veſtræ, veſtituram nobis injuſtè abſtractam, petimúsque, ut judicum veſtri moderamine, omnia juſta A. libenter ponderante, nobis præcipiatis eandem decimationem concedi, donec in concilio Archipresbyteri & apud legum conditores dijudicetur, quod juſtiſſimùm ſit: poſtea nolumus nec poſſumus contradicere, quicquid exinde facere præcipitis. Valete.

9.

Ad Ottonem Comitem. Commendat ei ſervum quendam, rogátque, ut duo ipſi palliola reddantur.

O*Ttoni* Comiti venerando Gozpertus abbas cum fratribus ſibi com-
B. miſſis devotum ſervitium, ac precum ſedulitatem. Diu noctúque veſtræ pietati nimiùm confidentes, iſtum ſervum noſtrum, omni ſolatio deſtitutum commendamus vobis, poſt Deum uniciſſimum conſolatorem de ſibi nunc inſtanti tribulatione. Videlicet duo palliola, quæ remanſerant in veſtra poteſtate, ſibi reddi præcipiatis pro amore Dei & S. Quirini elemoſynámque veſtri. Si illum dignamini conſolari, nos utique ſcitote, multùm exinde gratulari. Valete.

10.

Ad H. Comitiſſam. Petit pecuniam pro
C. *quorundam conſanguineorum ſuorum redemptione.*

DOmnæ Comitiſſæ. H. . bona opinione ubique diffamatæ veſter ſervitor devotus ſedulæ orationis conſtantiam.

Inſtantis neceſſitatis meæ cauſam conqueror pietati veſtræ: quia eos, ùt audimus, benignè conſolamini, qui in anguſtia ſunt. Quidam conſanguinitate mihi juncti, qui fuerunt liberi, venundati ab iniquis hominibus, duro premuntur ſervitio. Sed domnus noſter,
D. Dux *Heimricus* ob elemoſynam ſui præcepit, ut liberi redeant, ſi ei & precium reddamus. Ad hoc petimus, ut nobis aliquod auxilium faciatis pro Dei amore, ſemper memor, quòd ereptores oppreſſorum ſibi mereantur præmia æterna. Valete.

11.

Ad Otpertum abbatem: ut quandam inter utriusque ſervos commutationem fieri permittat.

ABbas *Gozbertus* cum fratribus dilecto Domno & confratri *Otperto* ſalutem in Domino.

Roga-

Rogamus vos per amorem amici- A.
tiæ, quam inter nos habemus pro mercatione, quam famulus noſter & famulus veſter inter ſe fecerunt, ut commutationem fieri ejusdem mercationis præcipiatis, & hoc perficiatur ſalva fide inter utrosque, ita tamen, ſi vultis, & præcipitis; ut famulus noſter cum juramento conteſtetur, ne res famuli veſtri peiorata ſit in poteſtate ſua de ſuo aliquo dilecto.

12.

Idem Eihſtatenſis Eccleſiæ fratribus: ut diem obitus fratris ſui ad ſe perſcribant.

G. *Tegerinſeenſis* Monaſterij abbas, quamvis indignus, fratribus *Eihſtatenſis* Eccleſiæ amandis, quàm uterinis Chriſtianæ germanitatis.

Quamvis corporali localitate a vobis ſimus disjuncti, coagulatione tamen ſpecialis commemorationis jugiter veſtræ dilectioni ſumus conpaginati. Lugubre nuntium turbabat nos cordetenus: quia fratrem noſtrum jam ad Deum C.
migrâſſe audivimus, qui dum vixit, dimidium animæ meæ fuit, cujus obitus diem Kal. conſcribi, nobisque tranſmicti rogamus. Hoc unum viventi fratri noſtro dare decrevimus. Sed eum in Chriſto lætari ſperamus. Petimus, ut pro memoria felicis animæ vobis miniſtrari jubeatis. Valete.

13.

Ad Domnum H: ut tertiam partem Hiſtoriæ Tripartitæ ſibi mendam, & exſcribendam concedat.

A Abas G. quamvis indignus, Domno H. ſalutem in Chriſto.

Recordamini, petimus, fidei, charitatisque, quam uterque veſtrum alteri promiſerat, & ne ullo modo inter nos frigeſcat, ſi nobis aliquid veſtri ſervitij præcipitis, devotus implere ſtudebo. *Tripertitæ Hiſtoriæ* duas partes conſcriptas habemus; tertia pars ideo deeſt, quia exemplar aliàs adquirere non poſſumus, niſi ob gratiam veſtri nobis mittere dignemini.

14.

Ad R. Comitem. Immam ancillam cum filijs ſuis ſibi lege deberi probat, ac reddi poſtulat.

DOmno R. Comitatus honore valde digno *Gozpertus* abbas cum fratribus, ſibi ſubjectis, ſalutem in Domino.

In omni poteſtate veſtri præſidatûs ſapienter vos agere, & cuncta ſecundùm legem decernere, ſemper audivimus. Ideo dolemus, quòd famula noſtra *Im-* B.
ma cum filijs ſuis nobis eſt a veſtra poteſtate injuſtè rapta. Scimus enim, ſi legem patrum ſuorum haberet, quòd filij ejus veſtri ſervi eſſent. Illa autem perdidit legem patrum: quia in noſtra poteſtate ſtuprata eſt, & peperit filium, antequam legitimum maritum acciperet: cujus rei teſtes ſunt omnes, qui illam cognoſcunt, qui eundem infantem viderunt. Idcirco petimus, ut nobis eandem ſervam cum filijs reddi præcipiatis, ne & vobis peccatum ſit, ſi moram in reddendo facitis, & nobis neceſſe non ſit Domno noſtri Duci de hac re queri- C.
moniam facere.

15.

Idem ad P. Cognatum ſuum: ut in egregio Tegernſeenſam familiam juvandi animo perſiſtat, & quosdam famulos civitate pulſos tueatur.

G. In omnibus veſter devotus ſervitor, P. amiciſſimo conſanguineo, Domnoque cariſſimo ſedulam orationem, devotumque famulamen.

Deus, qui nullum benè operantem indonatum relinquet, reſtituat vobis re- D.
munerationis donum, quòd pro nobis conſtanter devotè, fideliterque laborâſtis in eo, quòd ad veſtrum ſolatium confugimus, juſtitiam Dei noſtri Monaſterij exquirendam. Petimus verò, ut pro amore Dei, ſanctique Quirini adhuc perſiſtatis fido adjutorio, ut cœpiſtis, & usque ad fidelem finem, ut vobis confidimus, perducatis. Quicquid nos vel nuntii noſtri vobis dare pro hoc negotio promiſimus, quando vel ubi vultis, ſine mora præſentamus, ita tamen, ſi veſtro juvamine nobis curtlia reſtituantur. Iſtos famulos noſtros mittimus pietati veſtræ,

Digitized by Google

stræ, quos isti urbani de civitate expu- A. lerant propter despoliatos homines, quod bene nôstis : quia illi de hac re aliquid non præsumpserant, priusquam vestram & Domni *Taginini* licentiam habebant. Quocirca rogamus, ne eos extra potestatem vestram dimittatis, donec illos pacificè & sine timore in civitate manere faciatis. Valete.

16.

Ad eundem. Conqueritur ob sui neglectum & oblivionem, rogatq, ut aliquid cupri, stagni, & plumbi ad fundendam campanam, & non nihil thymiamatis ad cultum Dei & S. Quirini mittat.

ABbas G. cæteriq́ue fratres. P. quicquid patres dilecto fratri, filioq́ue carissimo.

Plures anni computantur, quòd nativum solum dereliquistis, & regiones adîstis ignotas, in quibus, ùt libenter C. audivimus, etiam satis abunde ditatus estis. Sed miramur & dolemus, quòd nostri penitus ita oblitus estis, ut nec per nuntios, hinc inde sæpius cursitantes, ullum salutaminis verbum unquam nobis demandâstis, cùm menti nostræ, ut puerulus eratis, cordetenus semper amore sitis coagulatus. Ob recordationem non obliviscendæ priorisq́ue amicitiæ rogamus nobis transmitti aliquantum cupri, stagni, sive etiam plumbi. Volumus enim, si Deus præibit, grandem fundere campanam ad honorem D. Dei & S Quirini. His enim omnibus exhaustæ sunt nostræ patriæ civitates, nec ullo pretio aliquid istiusmodi possumus comparare. Ad thurificandum etiam domui Dei, altariq́ue S. Quirini petimus nobis aliquantulum thuris, vel alicujus generis thymiamata transmitti. Si aliquid nobis per præsentes nuntios remandatis, quod ad servitium vestrum facere possumus, omni devotionis studio libenter implebimus. Valete.

XXVIII.

Tegernseensium Epistolæ. I. ad Gozpertum abbatem suum de Ducis animo, quædam ablata restituere volentis, & de decimatione cuidam inclusæ olim donata.

SEniori nostro Domno Abbati G. fratres sibi subjecti, quicquid dilecto Patri.

Frater noster Nonnus *Eigino* de itinere, quo directus erat, Monasterium B. regressus retulit nobis de Domno nostro Duce, quòd sponderat, se libenter velle restituere, quæ Monasterio nostro abstracta sunt in *Oriente*, jussitq́ue fratrem *Meginh.* inibi expectare, ut se commonefaciat de his, quæcunque sint illic requirenda, & hoc quando nunc proximè Domnus noster Dux illuc revertetur. Nam frater *Meginh.* adhuc illic expectat, & in maturitate vindemiæ coactus & spe regressionis Domni Ducis. Remandate precor mihi servo vestro *Froumund*, si domnæ inclusæ ad *Niumpurc* decimationem dedistis, quam antea C. ab Abbate nostro habuit. Timeo namque, ut penitus hinc pereat, quia nunquam (ad) investituram nostram venerat, sed semper per beneficia hinc inde vagabatur.

2.

Idem ad Heinricum Boiariæ Ducem de ejusdem Gozperti obitu, noviq́ Abbatis electione, quam ut liberam sibi concedat, obnixè rogant.

SEniori nostro Duci H. congregatio Monasterij S. Quirini, paupercula D. elemosynatrix vestra, instantiam orationis pro sospitate vestra diu noctuq́ue.

Beatus pater noster Gozpertus XII. Kal. Febr. somno pacis requievit in Domino, pro quo miseri nequaquam possumus consolari, nisi vos, sicut unicissimus post Deum nobis estis Domnus, ita etiam visceribus piæ paternitatis nostri misereri dignemini. Primùm pedibus vestris solotenus prostrati humili precatu supplicamus, ne locum, Monasteriumq́ue S. Quirini ullius alius unquam potestati concedatis, nisi vestræ, ne ve-

ſtris temporibus (res,) quas pater veſter cæteriq́ue parentes veſtri ob elemoſynam ſui huic Monaſterio conceſſerunt, ſubtrahi vel diſtribui ab aliquibus videntes, nos poſteriq́ue noſtri ſemper deinceps hæc damna doleamus.

Cùm de infirmitate abbatis noſtri cauſati ſumus coram vobis, quod de electione nobis promiſiſtis, quaſi Dei ore prolatum adhuc firmum tenemus, iterumq́ue petimus pro amore Dei & S. Quirini, ne extra petitionem noſtram aliquem nobis Abbatem conſtituatis. Quando denique felici regreſſione patriam venitis, coram vobis congregati, juſſu veſtro & licentia illum eligemus, quem regularis religionis putamus ſervatorem, veſtriq́ue ſervitij, quantum ſufficit, nullo modo immemorem.

XXVIIII.

Thietpaldi epiſtola ad S. Adelbertum, Pruſſienſis Eccleſiæ Epiſcopum. Se Ariſtoteleæ Philoſophiæ contempta rebus ſacris ſtudere, optareq́, ut ei omnia ex animi ſententia eveniant.

Ex cod. Tegerns. exaro.

Divini fluoris rore madenti, ſanctæ Priſſienſis Eccleſiæ Cathedræ præſidenti *Adalperto*, unicæ ſibi dilectionis Epiſcopo, *Thietpaldus*, ſpiritu pauperum etſi extimus, aſperſionem ſanguinis Chriſti, & quicquid illud eſt, quod egregius prædicator cum Chriſto in Deo abſconditum eſſe teſtatur. *circa 996.*

NOvi Præſul verende, nihil Sanctitatem veſtram Philoſophicæ compilationis a mei pauxillitate exigere: ſed ſiqua in re ſunt, ſimplici potiùs veritate cudere velle, minimè recordans, quia ſtultam fecit Deus ſapientiam Mundi hujus, poſtquam exſiccavit fluvios Echan. Præ dulcitudine enim decem chordarum Davidis, intromittensq́ue Dei, quantum ex me, ſuis, penè oblitus ſum totidem categoriarum Ariſtotelis. Quocirca elegi abjecta quaſi & mediocria, cui ad unguem labra non maduêre Pegaſeo fonte, Domino meo præſentare magis, quàm, in quibus tantùm inhoneſtiùs caderem, ſcrupuloſiùs inſudare. Si fatuus dicor remordens circuitum, gratias ago: A. & id quidem meritò, dummodo refocillatum me fatear furfure Platonis, & te patrem cognoſcam ſatiatum ſuper ferculum Salomonis. Quid plura? Inprimis vos valere, & in omnibus proſperè agere meum pro certo ſciatis gaudere: quia, ùt decet in Domino, ex veſtræ commoditatis, vel, quod abſit, ineptiæ, utcunque ſe habeas, cumulo meum commodum vel infortunium ſpecto. De voluntaria verò ſervitutis meæ in vos qualitate quid opus eſt verbis, cùm ultra omnem veſtræ ſubjectionis Clericum vel clientem juxta majorem rerum meatum B. facultatem me in omni loco (non) poſſitis habere promptiorem ſimul & devotiorem.

XXX.

Tegernſeenſium Epiſtola ad Godehardum abbatem ſuum. Jubent eum de ſua fide ac debita obſervantia ſecurum eſſe, petúntq Monaſterij Advocatum conſtitui.

C. ABbati G. caſtæ dygamiæ laudabili caſtimonia copulato, paupercula veſtræ filiationis caterva cum cottidianis precibus debita famulamina.

Mutatione labilium temporum, incurſione variorum eventuum per vagula ſecula laborioſè, periculoſeq́ue hinc inde quaſſati laxamur: ſed quantum adhuc noſtra pendula vita valet, ſola tantùm ſpe, quam in vobis habemus, animatur. Poſt Deum uniciſſimum omnium conſolatorem, nullum quæſivimus aut quærere volumus caſuum noſtrorum adjutorem, niſi vos. Quocirca precamur, D. ut nobis talis ſitis, qualem nobis eſſe promiſiſtis. Scimus enim, quòd hi, qui aculeis inimici ſtimulantur, ſediciosè inter nos & vos inimicantur, ac diſcordias ſeminare non ceſſant. Sed vos ſtare confidimus ùt immobilem Chriſti eccleſiæ columnam. Omni ſuſpicione deterſa ſcitote, quòd nos omnes vobis fideliſſimos invenitis, ſicut dudum dimiſeratis. Omnes namq́ue de corde loquuntur, quòd omnia, quæcunque vobis voverant, in his fideliter perſeverant. Vt nobis advocatum ſine mora conſtituatis, neceſſe eſt. Vndique enim a pluri-

a pluribus spoliamur, & a furibus, quæ habemus, subtrahuntur. Ad *Halla*, quod penitus desertum jacet nihil possumus facere, aut emendare, nisi unum famulum, familiæ S. Quirini ministrum, inibi præficere præcipiatis. Quicquid de hoc velitis, vel quando ad nos veniatis, vel quando aliquis nostrum ad vos debeat venire, remandate nobis per præsentem pelliferum. Valete.

XXXI.

S. Godehardi Abbatis Tegernseensis * Epistolæ

* ab an. 1005.

I.

Ad Nideraltahenses. Nuntiat, quomodo a Tegernseensibus exceptus sit, optatq; ut mutua precum communio inter utrosq; sit.

Ex Cod. Tegernsee.

GOdehardus Abbas, quamvis indignus, W. cæterisque fratribus quicquid dilectis filijs in Christo. Quanquam nostræ fragilitatis legem interiùs exteriusque laborando, natura cogente, meritò patiamur: tamen in hoc itinere quod jussu Domni nostri Ducis aggrediebamur, adhuc nos prosperari vestris orationibus gratulamur. Nam honorificè, simulque caritativè a cunctis fratribus suscepti sumus, & devotè faciunt, quæcunque eis regulariter præcipimus. Insuper etiam precantur, ut fraternitati, vestræque orationi deinceps * consocientur, & una mecum commendant vobis fratres nostros, quos huc * misimus; ut eis omnem caritatem, humanitatemque exhibeatis, ùt præcipit beatus pater noster Benedictus. Mittite nobis librum Horatij & epistolas Tullij.

Extat apud Mab. T. 4. Analect. p. 349. ubi censet epistolam inscriptam fuisse Tegernseensibus, quod minus verisimile.

* Mab. consocientur. Cod. huic.

2.

Ad Gotscalcum Episcopum Frising. Non cupiditate, nec ambitione, sed obedientia, Principi præstanda, se ad Monasterij Tegernseensis regimen accessisse.

* Epistolam hanc ex eodem Cod. edidit Mabill. loc. cit. non exponens, quis hic Theodulus fuerit. Sed Gotscalcum fuisse patet ex nomine Gotescalci, quo communiter vocatus fuit, & in Catalog. Ep. Frising. occurrit. Nempe Gotscalch, est idem mater Theodulo frons Dei: græcè Theodulus, seu Θεόδουλος, ita Cod. Mab. sic: Christiani tamen isti sunt & Monachi.

DOmno * Theodulo, Pontificalium sacerdotum speculo liquidissimo, Gotahardus, Deo, sibique Monachum mentiens, prò pudor! Dominicum.

Scintillantis calami, æstuantis animi vituperabilis invectionis, in nos excogitatæ, ulterior modus cernitur esse quàm ammirandus. Si in unius tam nefariæ criminationis causa me unquam reprehenderet propria conscientia, quam verecundo vultu, quamque pœnitenti animo mea sponte voluissem me sequestrare a totius Christianitatis communione! Absit a me deceptrix cupiditas, ut alienis tam impiè vellem inhiare, quamquam sine vestris nullo modo vivere possem. Venerea, quin immo cupidinaria fascinatrix ita penitus fiat in me sopita, ut alterius copulæ junctam vel concupiscibili oculo invidiosè inspicere præsumam. Nostræ possessiunculæ absque fuco simulationis renuntiavimus, euge, sed non tantum postea profecimus, ùt debuimus. Quia ut verius scitur, neque omnes Christiani sunt, neque omnes viri viri sunt, non omnes Monachi monachi sunt; * sed tamen isti sunt autem & Monachi. Sed hæc conversim volumus, sed non possumus: nitimur, sed infirmamur. Qui aliqua Christianitatis tinctione vel aspersione est insignitus, si Catholicè excusatur tantæ pernitiositatis flagitia non committere, quando qualiterve laudatur, qui tot vitijs obnoxius esse criminatur? Quod me furtivè in ovile Domini dicitis irrupisse, testis est fidelis curia, populique Christiani innumera agmina, quia nihil de vestræ potestatis, vel alterius alicujus subjectione mihi vendicare præsumpsi, nisi quod de potestativa manu summi Principis hodie non fateor, utrum vellem, aut nollem, suscepi. Hujus modi prohibitionem obeditionis in regula conscriptam vitæ Benedictinæ non inveni, quamvis sæpe sæpius hinc inde detrita sit præ manibus nostris. Quod in his deliquisse me sentio ex æstu talis periculositatis, certum teneo teste multorum conscientia absque ullo labore me emergere posse. Valete.

3.

Ad Azelinum, seu Hazelinum, Abbatem Lunalacensem: ut quamprimum se Episcopo Patavienſi sistat.

ABbas G. vester in omnibus confrater devotissimus, A. * Lunilacunensium Abbati multiplicissimas in Domino salutes.

* Mabillonius non explicat hoc A. T. 4. Analect. p. 351. Sed

In omnibus vos prosperari, nostri A. scitote esse gaudimonij, & si aliter in his, libenter compatimur similiter. Proximo Apostolorum natalitio interfuimus solemni Missarum officio Pontificis *Christiani*, quamvis nobis summo studio renitentibus, Episcopaliter tamen vocavit vos, & hoc firmiter definivit: nisi intra XIV. noctes ad se veniatis, vos excommunicandum. Quapropter consiliamur vobis, ut cum licentia Episcopi vestri G.* ad illum veniatis, & vos ipse præsentialiter audiatis, qualiter eventus hujus rei habeatur. Si aliquid nostri indigebitis, ad id causâ negotij parati sumus, qualitercunque vultis, vobis suffragari. Valete.

Extant in Froumundi Codice duæ etiam aliæ Epistolæ Godehardi, *a Mabillonio T. 4. Analect. pagg. 353. & 355. vulgatæ, ad quas cùm nihil notandum habeam, eas hic recudere, visum non fuit.*

XXXII.

Eberhardi Abbatis * *Tegernseensis Epistolæ.*

I.

Ad fratrem suum, quem adhuc vivere gaudet, & ad se invitat.

EBerhardus Christi famulorum servus dilectissimo fratri.

Sicut Jacob revixit, cùm Joseph vivere audivit: ita nostra vita post mentita funera vestra grandi gaudio hilarescit. Ut quondam spopondimus, in vestra dilectione constanter adhuc indubitanter permanemus, nimiumque desideramus vos videre in loco, quo nunc degimus. Quocirca petimus, si absque consensu fratrum vestrorum ad nos venire non vultis, a cunctis fratribus licentiam petatis de nostro nomine, ut nobiscum aliquantulum temporis manere possitis, ut de vestro vivere tantum gaudeamus, quantum mœsti fuimus, cùm vos in *Italia* defunctum esse audivimus.

2.

Ad Vdalricum Comitem. Rogat, ne graviter ferat, quod eo non interrogato Sigihardum Monasterij sui advocatum delegerit &c.

EBarhardus famulorum Dei vilissimus servus, Domno Comiti * O.

B. devotum servitium, jugémque instantiam precaminum in Christo.

Quia aliunde non habemus tam firmum suffugium, sicut in vobis, jugiter insistimus succlamando vos modò opportunè, interdum importunè. Jussu Domni nostri Ducis, consilio Monachicæ congregationis, petitionéque totius familiæ nobis subjectæ *Sigihardum* constituimus nobis advocatum. Et quia vos non fuistis cum Duce, aut in tali vicinitate, ut vestri licentiam petere possemus, precamur, ne nobis irascamini super hoc negotio, sed cum vestra sit gratia. Petimus etiam per clementiam vestram, jubete vestro militi *Pemoni*, ut famulos & ancillas sancti Quirini, quæ ad nos pertinent, nobis reddat. Si ille dicit, nos habere aliquos de suo beneficio, reddimus sibi libenter. Vestro militi *Vuolfoldo* præcepistis, ut nobis redderet decimationem ad *Ismanninga*, quod adhuc noluit facere. Idcirco iterum iterúmque precamur, ut nuntium vestrum cum isto præsenti nuntio nostro mittatis, qui hoc ei a vobis firmiter præcipiat, ut nobis decimationem reddat. Valete.

C.

3.

Ad Godehardum, ut videtur, Abbatem Nideraltah., cui fratrem Eginonem commendat.

ABbati G. Monachicæ vitæ provisori doctissimo, E. vestri servitor devotus, fratrésque sibi subjecti, quicquid filij dilectissimo Patri.

Confratrem nostrum *Eginonem*, quem gremiolo vilitatis nostræ, prout potuimus, modicum temporis vice vestra nutriebamus. Modò ab eo rogati remittimus illum vestræ Paternitati. Omnes a minimo usque ad maximum pedibus vestris provoluti petimus, supplicamus, ut eum, hoc est, medietatem cordis nostri caritativè suscipiatis in locum veræ filiationis, ne aliter circa eum exteriùs agatis, quem cottidie interiùs Christo Deo parere non cessatis. Si aliquid delicti in vos commisit verbo vel facto, ut nos fragiles cottidie solemus, totum Deo, nobisque dimitti precamur: &, si minimè digni sumus pro eo inpetrare, quod petimus, iterum cum vestra licentia in fraternitatem libenter suscipimus.

D.

4. *Ad*

ex Cat. Lunelac. Abbat. apud Brusch. Cent. 2. p. 148. claret, illum A. *alium esse non posse, quàm Azelinum.*

* *Gebhardi I. Ep. Ratisbon. sub quo tunc Monasterium Lunelac. seu Monseense Itaque hac epistola circ. 998. data fuit, non 991. ut Mab. visum, cum eo anno nec-dum Abbas fuerit Godehardus.*

* *ab an. 1002. Ex Cod. Tegernsee. quem Froumundi esse dicimus.*

* Odalrico. *seu Vdalrico*

quod Mabillonius latuit, quia primus ex Cod. Froum. edidit hanc epistolam T. 4. Analect. p. 354.

A.

4.

Ad Heimricum Boiariæ Ducem. Se infirmitate corporis impediri, quò minùs ad eum proficiscatur : rogaréque, ut Vdalricum Comitem sui Monasterij advocatum constituat &c.

SEniori nostro, Domno Duci H. abbas E. a se cunctáque congregatione, quæcumque possumus oratione & famulamine.

Libenter ad vos veniremus, priusquam de hac regione ad aliam pergeretis, & ut dilectissimum Dominum meritò B debemus, videremus, atque colloqueremur. Sed adhuc nihil habemus præ manibus, quod vobis sit honorificum, offerendum, aut nobis fructiferum. Impedit etiam me frequens corporis ægritudo, & improvisa præparatio equitum, vel equorum ad eam repentinam equitationem.

Ve nobis Comitem *Vdalricum* vestra potestativa manu Advocatum Monasterij detis, in præsenti rogamus. Quantam penuriam fratres patiuntur, ad illos palam dicere erubesco. Vobis namque rorum, ùt est, timeo profiteri. Sed de his nobis subveniendum solius Dei singulare, vestríque paternum præstolamur solatium.

5.

Ad Theomonem seu Diemonem Comitem: ut Monasterij prædia, ad Hallam sita, protegere, ac ab iniquis invasoribus defendere dignetur.

Theomoni venerando Comitti, E. Abbas indignus salutem in Do- D. mino.

Rogamus, mi Domine, ut pietatis vestræ solatium habere possimus in omnibus negotijs nostris. Quo solatio maximè indigemus in his locis, quibus vos potestatem habetis. Quicquid enim ad *Halla* habemus in familia, aut in alijs rebus, citò disterminabitur, & abstraherur ab inimicis, nisi vos propter Deum, & sanctum Quirinum hoc defendatis, & contradicatis : quod petimus, ut faciatis, ubicunque possitis. Valete.

6.

Ad eundem : ut præsentium latorem aut aliquo honesto officio munerari, aut eidem veniam alium Dominum demerendi dare ne gravetur.

E. Solo nomine Monachus vocitatus, Comiti D., dilectissimo consanguineo, salutem in Christo.

Iste noster amicus, vestríque servitor devotus, venit ad nos, conquerens, nihil se unquam dignè laborâsse in vestro servitio aut vestri antecessorum, atque iccirco dicit, se adhuc carere beneficio. Fatetur namque libentiùs se vobis velle ministrare, quàm aliquo homini alio, si ei vel aliquam modicam faciatis misericordiam. Cui petimus, ut aliquid auxilij faciatis vel in beneficio, aut in aliquo negotio sibi necessario. Quod si non vultis, monemus, atque rogamus, ut illum cum gratiosa licentia vestra alium sibi dominum conquirere permittatis.

7.

Ad H. Remittit ei quendam fratrem, & ut hujus diligentem curam habeat, adhortatur.

C. H. Fama totius bonitatis ubique difamatæ, E. fratresque sibi subjecti, salutem in Christo.

Fratrem, quem nobis commisistis, misimus vobis, non quòd nos tœdeat pro illo labore, vel quæ sibi sunt necessaria, in quantum sufficimus, ministare. Jam enim habemus probatum, quòd studiosus est, & capax ad discendum. Idcirco suademus; ut circa eum ita fideliter peragatis, sicut illum in fidem vestram suscepistis, ne vester labor, immò & noster, consumatur inutiliter, aut spes eorum, qui illum miserunt, cassetur. Si vestræ voluntatis aliquid in eo possumus implere, adhuc pro eo infatigabiliter, libentérque, ùt cœpimus, laboramus. Alia servitia præ manibus non habemus; quamvis indigni, tamen memoriam vestri facimus jugiter in nostris orationibus. Valete in Christo.

8.

*Ad * Engelbertum Ep. Frisingensem de obitu Osperti Monachi, quem precibus juvari rogat.*

* Ita quidem conjicio, numvisi Catal. Epp. Fris. & Ab.

SEniori nostro Antistiti E. quicquid dilecto Domino subditus.

Tegernſe. apud Hund. non ſatis exactus.

Frater noſter O. presbyter & Monachus obijt VIII. Id. Aprilis : pro cujus requie precamur per ſancta loca Episcopij veſtri præcipite facere, ut confidimus veſtræ pietati.

9.

Ad Juditham, illuſtrem fœminam, quam rogat ; ut afflicta valetudini ſuæ medicinam conſulere ne gravetur.

DOmnæ dignæ, totiúsque reverentiæ cum ſanctitate amplectendæ Judithæ, Eberhardus fideliſſima cum orationis devotione ſervitutis notamina.

Veſtræ pietatis gratiam ſano & integro me habere profectu, dulcius melle, ſatiúsque lacte os meum jocundatur guſtu. Spei mei anchoram ſpecifico quaſi munimine in vos cùm extendam, quaſi eſſem in illo firmiſſimo & inextinguibili Babyloniæ turri a cujusque impugnantis incurſu me credo tuendum. Infirmitatibus periculoſis, quia ſemper conturbor corporis, aliquam ad remedium potionis confectionem, adjunctóque Coriofole nutrimento cum alijs pigmentis, neceſſe ad hoc habendis, precor, mittendam. Qualiter autem ipſa potio, qualive cautione ſit accipienda, & vel ſurſum, vel deorſum ſit eructanda, litteris aſſignate : & ſi ſanitati reſtituor, veluti proprius in poſtmodum veſter, ſcitote, quia exiſtam. De renibus etiam cervæ aut tale quid, in quo pinguedo continetur, mittere dignemini : quia maceræ carnis duritia in dentium meorum morſu, etiam tritorum, nihil aliud eſt, niſi moleſtia. Quomodo, ſi fieri poſſit, ut potus confectio ante Quadrageſimam veniat, deprecor. Valete.

10.

Ad Wigonem Decanum Phyubrvangenſem, a quo ſuffragio orationum, aliſque charitatis officiis, qua abeunti ſibi addixerat, juvari poſtulat.

DOmno & venerabili *Wigoni* Decano, omni bonitate conſpicuo, atque cunctis dilectiſſimis confratribus E. prô pudor! in cunctis exorbitans, inſolubilem nodum intemeratæ dilectionis.

A. Quia unumquodque igitur negotium in ſe ipſo imbecille, indiget alterius ſuſtentamine, idcirco veſtræ ſolitæ pietatis haud ignarus precor ſubnixè, ut ſolaminis recordemini, mihi, priusquam a vobis receſſiſſem, promiſſi, quod modo, ut implere dignemini, ſubmiſsè poſtulo. Admodum namque expaveſco, dum mecum revolvo, quid debeam pro voto, quod in cunctis me ſervare jam dudum ſpopondi, quamvis coactè, ne mollis & diſſolutus in tanto opere habitus, divinam aliquomodo incurram offenſam. Propter hoc enim B. nunc ſudandum foret ad placandam divinam clementiam : quia, quæ inhianter & indefeſsè rogare debui, ùt nôſtis, cum maxima eheu ! recraſtinatione ac recalcitratione refutavi. Quapropter veſtri fulciminis atque oraminis, nec non aliorum, æquè Deum timentium ſatis indigeo, ne mihi non eveniat, quod ſacra ſcriptura clamitat : quia nec calidus nec frigidus haberis, ſed tepidus ſolummodo dijudicaris, idcirco de ore meo evomêris. Valete.

11.

Ad Heinricum Regem. Implorat ejus auxilium contra quosdam, qui cerium ad lacum Tegernſeenſem locum ſibi auferre moliuntur.

Extat apud Mab. Tom. Anecdot. p. 355. Eam hic reddet, ut omnes Ebrhardi epiſtolas suo loco haberet.

HRegali ſolio digniſſimo, E. Tegerinſeenſis Monaſterij Abbas, veſtra gratia ſubrogatus, quicquid ſervus in regales amminiſtrationes.

Cùm undique inimicorum ſtringimur perſecutionibus, nullum in his omnibus poſt Deum, niſi ad vos ſuffugium ſperamus. Iccirco laboramus, & in omC. nibus deficimus : quia non habemus, a quibus fideliter res Eccleſiæ defenſas videamus. O quàm magna regalis potentia! Dicit tantùm : fiat, & perpetuum eſt. Hæc veſtra vis Imperialis auctoritatis ad nos, precamur, uſque pertingat. Eſt locus ſuper litus *Tegernſeenſis* ſtagni ſitus, quem *Poppo*, & *Pilgrimus* frater ejus, ſimulque mater illorum abſtrahere injuſtè a domo Dei in ſuos uſus hæreditarios nituntur. Sed precamur, ut veſtro Imperiali juſſu hoc interdicatis, ne falſis, aut corruptis pecunia judicibus ad domo Dei abſtrahatur,

tur, priuſquam in præſentia veſtri diju-
dicetur.

XXXIII.

Epiſtolæ Peringeri Abbatis * *Tegernſeenſis.*

* ab an 1003.

1.

Ad Diemonem Comitem : ſe paratum eſſe ad recipiendum Wezilinum, modò quadam, ſibi recens ablata, reſtituat.

Ex Cod. Tegernſ. Frommundi.

DOmno D. Comiti venerando, P. Sancti Quirini ſervus, cæteríque fratres devotum ſervitium, ſedulamque orationem in Chriſto.

Vt nobis promiſiſtis de amico noſtro *Wezilino*, parati ſumus ſuſcipere ad *Egilinga* ſtatuto die, id eſt ſexta feria, quæ nunc eſt proxima. Quod ille dicit, duos equos ſibi redditos eſſe pro ſuo uno, & hoc nos confitemur: ſed uterque tam pretioſus erat, ùt ſuus. Sed de illis tacemus, alijsque rebus ſupra modum & inrationabiliter hinc inde diſtractis in denarijs, in veſtibus, in bubus, & ovibus, multóque grano cum multigenis victimis. Nihil horum repetimus, C. ſed damnum ſuſtinemus, & rogamus vos pro amore Dei & ſancti Quirini, ut hæc omnia tracteris ſecundùm veſtram nobilitatem, noſtramque neceſſitatem, & jubeatis nobis reddi alios equos, quos ſupra illos duos hinc habet ablatos. Inſuper etiam, poſtquam ille hinc diſceſſit, ſunt noſtris famulis tres equi furto ſublati, quam ſuſpicionem habent in illum & *Pezilinum* ſuum conſocium quidam ex noſtris, & etiam provinciales Clerici. Quos equos etiam petimus, ut nobis præcipiatis reddere, aut digno judicio negare ſe non habere vel tollere.

2.

Ad V. Abbatiſſam, apud quam ſe excuſat, quòd petitos equos non miſerit, & alia quædam munuſcula mittit.

VEnerabilibus in Chriſto Dominabus V. Abbatiſſæ, ac B. Chriſti agnellæ, P. quicquid tantillus tam dignis perſonis.

Non modicum dolemus, quòd nihil habemus, ut petitionis, immò veſtri præcepti voluntatem facere poſſimus; A. quia nullus equus in noſtra inventus eſt poteſtate, quando nobis commiſſus eſt iſte locus, niſi admodum pauci, & ipſi nutabundi, & ſegnipedes. Indicia tamen facimus his parvis munuſculis, quantò citiſſimè poſſumus, quòd veſtram voluntatem implemus. Sedulitas orationis noſtræ comitatur iter veſtrum, quantum nos Deus exaudire dignatur, usque dum audimus, quòd cum pace revertimini ad propria.

3.

Ad A. Archipresbyterum. Rogat, ut B. *Taginimum ad reſtituendas decimas ad Ezinhuſim adigat.*

P. Abbatis nomine indignus, Domno A. Archipresbytero, quicquid eſt charitatis in Chriſto.

Sæpe dictum eſt vobis de decimatione noſtri Monaſterij ad *Ezinhuſim*, quam *Taginimus* tulit nobis per duos annos. Iſto anno abnegavit ſe coram nobis, noſtroque advocato, ut deinceps eam ſibi non uſurparet. Sed fefellit nos, & habet jam nunc tertium annum ablatam. Quocirca rogamus pietatem veſtram, ut hoc corrigatis, ſicut ſcitis illi contra Deum eſſe neceſſarium, nobisque utile ad miniſterium pauperum. Valete.

4.

Ad R. Abbatiſſam : cur petitum vitrum nondum miſerit ?

P. Sui vocabuli minimè dignus, Abbatiſſæ R. Dominæ perdignæ ſedulitatem orationis devotiſſimæ.

Quòd vobis adhuc non dedimus vitrum, ùt rogâſtis, non fuit culpa noſtræ tenacitatis, ſed nondum aliquod D. præparatum habuimus. Nunc enim cottidie inſiſtimus eidem operi, & cùm hoc perficimus, ſtatim poſt feſtum S. Andreæ mittimus vobis per nuntios noſtros. Si aliquod adjutorium nobis facere vultis ad noſtrum victum frumenti, vel alterius grani, valde ſumus neceſſarij. Valete.

5.

Ad Heinricum Regem: ut ſe ab injurijs & perſecutione Diemonis Comitis eliberet.

SEniori ſuo H. exercitus Chriſtiani Ductori nobiliſſimo, P. abbatis vocabulo

Extat hæc epiſtola etiam apud

Digitized by Google

Mabil. T. 4. Anaelect. p. 356. Eam tamen ex eodem Cod. hìc recudimus, ut uno loco omnes Peringeri epiſtolæ extarent.

bulo minimè dignus, cum congregatione ſibi commiſſa, ſedularum precum devotiſſima munia.

Sub manu veſtræ defenſionis ob elemoſynam veſtri hactenus valde pacificè viximus: ſed qui nunc nos contra vos, Deumque inſectantur, diutiùs celare non poſſumus. Domnus *Diemo* Comes inimicabiliter perſequitur nos. Habet nobis denique noſtram navim ablatam, qua debuimus fratribus noſtris vectitare vinum, & legumina, aliaque neceſſaria. Plura etiam retia habet nobis tulta, victimásque & granum, quod noſtri debuerunt ſeminare in agrum. Inſuper infringens domunculas ſervorum vi diripit ab eis omnia, quæ habent. Nihil eis eſt peculij, quod ille non jubeat perſcrutari & tolli. Quid multa? niſi manus veſtra extendatur protectrix ſuper nos, & res noſtras, ipſéque a vobis exterritus prohibeatur tali flagitio, ille ſolus ſanctum locum corporis S. Quirini dat exterminio. Precamur, ut illi ſtatutis diem, quo nobis & navim & retia reddat.

6.

Ad Eundem de perſecutione, ac inſectatione P. Comitis, aliorumque adverſariorum graviter queritur.

SEniori ſuo H. Regi victorioſo. P. veſtri ſervorum ultimus, fratresque ſibi ſubjecti.

Devotiſſimis orationibus pro vobis jugiter inſiſtimus. Dum vos denique laboratis in lato, ſicut condecet, regno, nos ſervuli veſtri minimè requieſcimus in veſtro gremio, ſub anguſto Monaſterij clauſtro. Cuncta namque ædificia videmus miſerabiliter collapſa, vetuſtateque conſumpta: quia P. Comes tollit opera ſingulis annis de *Vuormgouve*, quæ ſola opera beatus pater veſter conceſſit ad locum, ſingulis annis renovandum; quod etiam permanſit usque ad abbatem E. * Domno noſtro Duci conqueſti ſumus de eisdem operibus, & ille præcepit P. ne ſibi ea deinceps uſurparet, quod nequaquam profuit.

** Eberhardum*

Adhæc etiam nimiam perſecutionem patimur noſtrorum concivium, priorum ſc. advocatorum, qui maxima ira & odio contra nos permoti, quòd penitus ſunt A. privati rebus Monaſterij, nihil aliud ſtudent cum omnibus, quibus poſſunt, niſi nos peſſimo vitio criminari, & hoc apud Epiſcopos, & Principes, ut hæc eadem infamia ad vos usque perveniat. Quod precamur propter Dei miſericordiam, veſtrique elemoſynam, ne illorum voluntati ſatisfaciatis, nobis inferendo ullam repentinam calumniam, ſed reſervetis veſtro judicio, aut veſtri fidelium Epiſcoporum, vel abbatum rei veritatem in nobis examinandam. Valete.

7.

B. *Ad H. Ducem Boiariæ. Rogat, ut quædam hoba ad locum Sciphuſam pertinens, ſuo Monaſterio reddatur.*

DOmno H. Chriſtiani agminis Ductori nobiliſſimo, P. veſter famulus cum fratribus.

Die noctuque Deum pro ſalute veſtra jugiter exoramus. Auguſtiſſimum Regem ſeniorem noſtrum H. rogavimus nobis a ſe concedi quendam locum, *Sciphhuſa* nominatum de abbatia noſtri Monaſterij. Qam petitionem ipſe be-
C. nignè ſuſcepit, & juſſit, ut diligenter cum nuntijs inveniremus, quid & quantum fuiſſet, quod rogavimus. Quod cùm feciſſemus, retulimus Regi veritatem: paucumque ſibi videbatur, nobis verò multum. Inſuper adjunximus: quidam famulus matris veſtræ habet unam hobam de eodem loco in beneficium, quid jubetis ſuper eam? Poſt vitam, inquit, matris meæ, ſtet, & famuletur domui, famulisque S. Quirini. Et quia illa beata jam obijt, & modò Regem non poſſumus adire, ſufficiat nobis, precamur, quòd vice Regis in hac patria regno fungimi-
D. ni, firmetúrque a vobis regale promiſſum, & jubete nobis reddi prædictam hobam, ſicut Rex ſtatuerat.

8.

Ad Gotſcalchum Ep. Friſingenſem: ſe petita vitra poſt Paſcha miſſurum.

GPontifici digniſſimo, P. veſtri devotus, ùt meritò proprius.

Mi Domine venerande, quòd de vitro petiſtis, vel magis, ùt decet, jubetis, nunc temporis paratum non habemus,

mus. Sed quamvis victus nobis incumbat neceſſitas, ſtatim poſt Paſcha noſtros vitrearios jubemus eidem inſiſtere operi, & quicquid exinde fiet, quantò citiſſimè poſſumus, per noſtrum nuntium vobis denuntiare non tardamus. Valete.

9.

Ad Comitem F.: ut conventum ad Pipurch non nihil differat.

DOmno F. Comiti venerabillimo, P. cunctáque congregatio S. Quirini ſedulam orationem, devotámque ſervitutem.

Omnes pariter pedibus veſtris provoluti precamur piam paternitatem veſtram; ut Concilium, quod vultis ad *Pipurch* habere pro communi terra, in triduum differatis, & dimittatis, uſque dum nos vobiſcum loquamur. Valete in Chriſto.

10.

Ad Egilbertum Ep. Friſingenſem de fratribus quibusdam, ſacris Ordinibus initiandis.

SEniori ſuo E. infula Pontificale cœlitus induſiato, P. Abbatis nomine minimè dignus, quicquid Domino ſervus.

Si dignamini, mi Domine, neceſſe habemus ordinare quosdam fratrum noſtrorum in miniſterium Domini ad altare S. Patris noſtri Quirini, eos videlicet, de quorum vita ſecuri ſumus, ùt humanus probare poteſt oculus. Nam priores fratres nimio confecti ſenio jam laſſeſcunt invalidi. Si jubetis, ubi vel quando, loqui vobiſcum deſidero pro varijs neceſſitatibus, intus & foris nobis D. inminentibus.

11.

Ad Vdalricum Comitem pro reſtitutione rerum, quibus famulos ſuos Penno ſpoliavit.

DOmno V. Comiti nobiliſſimo, P. omnéſque fratres devotas orationes.

Quod præcepiſtis ſuper ſervos noſtros, quos Penno proprijs rebus ſpoliavit, nihil penitus nobis profuit, ſed objcit nobis nunc hoc, nunc illud per A. varias circumlocutiones. Multum námque pudet nos & tædet, quòd ſæpe ſæpius propter hoc vos acclamamus: quia Deum non timet in nobis, nec hominem veretur in vobis, ut faciat, quod illi præcepitis. Iterum atque iterum precamur, dilecte Senior, jubete illi ſuper hoc, quia vos multùm inhonoramus, & ſpernimus, ſi Domno Duci de veſtris hominibus querimoniam facimus. Valete.

12.

B. *Ad R. abbatem, quem rogat, ut longiùs apud ſe ejus ſervum retinere liceat.*

DOmno Abbati R. P. abbas indignus, quicquid veſter devotus.

Nuntius a vobis miſſus venit ad quendam ſervitorem noſtrum, per quem nobis juſſerat hyperbolicè, ut R. ſervus veſter citiſſimè ad vos veniret. Sed precamur, ne in maxima neceſſitate eum a nobis tollatis: quia ſi nunc deſerit opus, quod cœpit, omnia opera præſentis anni penitus habemus perdita. C. Valete.

XXXIIII.

Epiſtola Meginhelmi, ùt videtur, Scholaſtici Tegernſeenſ. ad ſorores. Monet eas, ut cenſum S. Quirino quibuſcunque rebus perſolvant.

MDilectis ſororibus I. atque E. omne, quod frater uterinus. *Ex Cod. Tegernſ. Fronmundi.*

Quamvis procul a me ſitis ſeparatæ, tamen recordor veſtri cottidie, multóque metu ſæpe conturbor mea mente, quòd vos eduxi de veſtra regione, quia mei veſtríque jam oblitæ eſtis in eo, quòd cenſum veſtrum dare neglegitis ad domum S. Patris noſtri Quirini. Iccirco moneo vos, ſorores cariſſimæ, ut feſtinetis hoc quantocyus emendare in argento, vel in membranis, aut in aliquibus rebus, quas ſcitis neceſſarias eſſe in noſtris regionibus. Alioquin timeo, ut incurramus, quod abſit, præſens periculum & futurum. Nuntio etiam vobis, patrem noſtrum F. migraſſe de hoc ſeculo III. Kal. Sept. cujus animæ nolite obliviſci.

XXXV.

Ejusdem fortè epiſtola ad M. erga quem ſe hactenus non ſatis gratum exhibuiſſe dolet.

Indidem. SEniori ſuo M. præ cunctis ſibi dilecto, M. quicquid ſervus Domino tempore perpetuo.

Si dignus fuiſſem, ut veſtro ſervitio cottidie intereſſem, vel quicquid usquam eſt meæ gentis, cum bis omnibus non ſufficerem vobis perſolvere grates veſtræ pietatis, quam circa me feciſtis. Sed illud Boëtianum proverbium ſæpe B. remordet animum meum, quo dicit: *ob beneficium tuli ſupplicium.* Ob veſtrum beneficium reddidi vobis malum. Nam multa & innumera dediſtis mihi manu largiſſima. Inſuper deſpoliavi loca, quæ a vobis in beneficium habui, ſicque diſceſſi ſine veſtra licentia. Quando proximè nuntios meos ad vos miſi, volui me aliquantulum apud clementiam veſtram hujusmodi crimine expurgare. Sed tunc quaſi inexplebili avaritiæ meæ ſatis feciſtis. Mihi námque plura feciſtis. Inſuper etiam redeuntes nuntios ſibi indecenti munere onerâſtis, quibus juſſi, ùt Deum teſtor, ne mihi *, ſi aliqua munuſcula perciperent a vobis. Non poſſum vos celare, mi Domine cariſſime, quòd ex hoc tempore, quo reverſi ſunt illi nuntij, dolui ſemper ac gemui, quòd tantum ſcelus in vos commiſi: quia vos nunc tertiò deſpoliavi, maximè cùm non propter pecuniam per nuntios vos viſitavi, ſed propter dilectionem veſtri, quam nunquam poſſum oblivíſci. Quid multa? ſalva vobis ſunt præmia veſtræ bonitatis. Ego & mei non ignoramus, quòd per omnia ſtultè penes vos egimus. Toto mentis conamine Deum meum rogo cottidie, ne mihi contingat vitam finire, priuſquam vos merear videre. Valete.

A. Rex. Si eccleſiarum Dei loca alicujus doni incremento ſublimare ſtuduerimus, nobis noſtríque regni ſtatui id proficere minimè diffidimus. Quapropter omnium Chriſti fidelium, præſentium ſcilicet & futurorum noverit univerſitas, qualiter nos Divini amoris inſtinctu pro remedio animæ noſtræ ob interventum & petitionem *Boniſacij, Priielenſis* Abbatis ſibi quoque Monaſterio in bonore S. Bartholomæi Apoſtoli conſtructo, atque dedicato, unum regale manſum, quod antea *Waltrico* conceſſum habuimus in villa, *Genſtall* B. dicta, in pago *Tunichavv*, in Comitatu *Ruperti* ſitum, cum omnibus ſuis appendicijs, vijs & invijs, cultis aut incultis, exitibus & reditibus, quæſitis ſeu inquirendis, ſeu cum omnibus, quæ quolibet modo utilitatibus dici aut ſcribi poſſunt, per hanc noſtram regalem paginam concedimus & largimur, & de noſtro jure & dominio in ejus jus & dominium omnino transfundimus, ea videlicet ratione, ut ſi quis Epiſcopus Eccleſiæ *Ratisbonenſis*, quod abſit, idem Monaſterium deſtruere, vel Monachicam vitam C. inibi violare præſumpſerit, præſcriptus manſus iterum ad Regales redeat manus. Sin autem firmum & inviolatum præſcriptum Monaſterium permanſerit, jam dictus Abbas *Bonifacius* ſuíque ſucceſſores liberam poteſtatem habeant exinde, quicquid eis placuerit, faciendi ad eorum utilitatem eccleſiæ, omnium videlicet hominum contradictione ſemota.

Et ut hæc noſtræ donationis auctoritas ſtabilis & inconvulſa ita permaneat, hoc præceptum inde conſcriptum manu propria corroborantes, ſigillo noſtro D. inſigniri juſſimus.

Signum Domini *Henrici* Regis Invictiſſimi.

Guntherus Cancellarius vice *Willigiſini* Archicapellani recognovi.

Data XIII. Cal. Junij Indict. VII. anno Dominicæ Incarnationis MIX. anno verò Domini *Henrici* Regis ſecundi regnantis VII. actum *Ratisbona* feliciter amen.

XXXVI.

S. Heinrici Imp. Diploma pro Monaſterio Priielenſi prope Ratisbonam, olim Ord. S. Bened. nunc Carthuſienſis.

Ex archiv. Priielenſ. IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, *Henricus* Divina clementia

XXXVII.

Digitized by Google

XXXVII.

Ejusdem S. Henrici Imp. Diploma datum pro Monaſterio Tegernſeenſi.

1011. *Ex bibl. Tegernſ.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, *Henricus* Divina faveute clementia Rex. Cunctis noſtris fidelibus notum eſſe volumus, præſentibus ſcilicet atque futuris, qualiter nos ob animæ noſtræ noſtrorumque parentum remedium, æternæque vitæ deſiderium, interventu quoque dilecti noſtri *Godehardi*, Abbatis *Altachenſis*, prædia quædam cujusdam artificis *Perengarij*, quæ ad Monaſterium S. *Quirini M.* ad *Tegernſee* pertinebant, eò quòd idem ſervus ejusdem eſſet Eccleſiæ, ab Imperatore *Ottone*, noſtro anteceſſore in *Francia* & in *Turingia* ſibi conceſſa, in noſtrum jus cambiendo recipimus: econtra verò ultra fluvium *Ainzim* in Comitatu *Henrici Marchionis* in opportuno loco juxta prædium ejusdem Eccleſiæ, *Creberbach* dictum, in meridiana plaga interjacentis ſtratæ publicæ, quæ *Hochenſtraſſa* vulgò nuncupatur, partem ſilvæ, *Eniſrvvalt* dictæ, hobas regales ſexaginta ad ſupradictum cœnobium *Tegernſee* in uſum Monachorum, inibi Deo famulantium, per hanc noſtri præcepti paginam concedimus, & de noſtro jure in jus ac dominium eorum cum omnibus utenſilibus, quæ ibi inveniri vel aptari poſſunt, prorſus transfundimus, & ſi ibi in integrum inventæ non fuerint, in proximo loco noſtro ſuppleantur, eo videlicet tenore, ut illius loci Abbates exinde liberam habeant poteſtatem in uſum eorundem Monachorum, quicquid eis inde faciendi placuerit, omnium hominum contradictione remota.

Et ut hæc noſtræ donationis auctoritas firma & ſtabilis conſtet, hanc chartam ex noſtra juſſione ſcriptam & ſignatam manu propria firmavimus.

Guntherius Cancellarius vice *Erchambaldi* Archicapellani recognovi.

Data XIV. Cal. Julij Indict. IX. anno Dominicæ Incarnationis MXI. anno verò Domini *Henrici* II. regnantis X. actum *Randesburæ*.

XXXVIII.

Ejusdem S. Henrici Diploma, quo Monaſterio Tegernſeenſi duos regales manſos in Liupana, ſeu Leuben ſitos, condonat.

Ex Bibl. Tegernſ. 1019.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, *Henricus* Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus. Si dignis noſtrorum fidelium petitionibus aſſenſum præbere decreverimus, his ſcilicet, qui prò ſtatu regni omniumque Eccleſiarum Dei, & pro noſtræ animæ remedio atque noſtrorum parentum, noſtram B. adeuntes clementiam deprecantur, quatenus Eccleſias Monaſteriorum Dei ſublimare, exaltare atque ditare ſtudeamus, non ſolùm nos ab ipſo retributionem accepturos ſperamus, ſed etiam ſtatum regni ſublimari putamus.

Proinde cunctorum ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorumque fidelium recognoſcat auctoritas, qualiter per interventum ac petitionem *Chunegundæ*, noſtræ dilectiſſimæ conjugis & Imperatricis atque *Gotehardi* noſtri dilecti Abbatis, Monaſterio S. *Quirini*, quod ſitum eſt C. in loco, qui nominatur *Tegernſee*, duos regales manſos, ſitos in loco, qui dicitur *Liupana*, inter duos lapides *Watſtein* & *Hollinſtein*, donamus, & proprio jure concedimus cum ædificijs, cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſilvis, vijs & invijs, exitibus & reditibus, aquis aquarumve curſibus, piſcationibus, quæſitis & inquirendis: quatenus ejusdem prædicti Monaſterij Abbas ad utilitatem ibidem Deo ſervientium liberam habeat poteſtatem commutandi atque ordinandi omni contradictione remota.

D. Si quis igitur hanc noſtri præcepti paginam violare vel ſpernere præſumpſerit, ſciat ſe redditurum rationem Omnipotenti Deo in die judicij, & noſtri gratiam in præſenti ſeculo nunquam conſecuturum. Et ut hæc veriùs credantur, diligentiusque ab omnibus obſerventur manu propria corroborantes, ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

Signum Domini *Henrici* Romanorum Imperatoris Auguſti Invictiſſimi & Sereniſſimi.

Digitized by Google

Guntherius Cancellarius ad vicem *Erchenbaldi* Archiepiſcopi & Archicapellani recognovi.

Datum anno Dominicæ Incarnationis MXVIIII. Indict. II. V. Idus Januarij, anno verò Domini *Henrici* regnantis XVII. imperij verò ejus V. Actum *Chuoſunge* feliciter amen.

XXXIX.

Epiſtolæ Ellingeri Abbatis Tegernſeenſis.*

* *ab anno 1019.*

1.

Ex Cod. Tegernſeenſ. Froum.

Ad Froumundum Monachum Tegernſ. de optimo ſuo erga eundem animo, & Ordine Presbyterij, quem Froumundo gratulatur.

COmarco *Froumundo*, more roſulenti ſplendoris in cunctis emerito, *Ellingerus*, omnium hominum extimus, quicquid in Chriſto adoptari poteſt feſtivius.

Extat apud Mab. T. 4. Analect. p. 358., ſed mutila.

Cùm igitur o dilecte Magiſter, intimo affectu cordis meditarer, ut aliqua inreprehenſibilia dicta veſtræ benivolentiæ compoſuiſſem, & inſcitia ſemel & ſæpe impediret, quod voluntatem delectaret, tunc demum confiſus, baculóque veſtri ſecreti conſolatus, ſperavi, quanquam ſunt vituperanda, tamen non eſſe a vobis propalanda, quia non præſumptionis, ſed dilectionis ſunt indicia. Sed ut ex hoc nulla ambiguitas ſubeat, quin veſtri amor mei intima cubiculi ſemper exurat, & de veſtra proſperitate ſummè gaudeat, omnimodis depoſco. Nuper verò comperi, quod me affectu animavit inedicibili, videlicet vos fore promotum ad Ordinem presbyterij. Qua de re flexo poplite flagito, quatinus mei infimi memoria apud vos maneat, ut veſtri apud me firmiùs inhæreat. Hæc enim valde lætificant, quæ verba Prophetica reſonant: cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Valete.

2.

Ad Egilbertum, ùt videtur, Epiſcopum Friſingenſem. Rogat; ut quendam paſtorem adverſus ovium ſuarum injurias & inſidias tueatur.

QUia notitiæ innoteſcit noſtræ, excellentiam veſtræ ſanctitatis omnem viam odio habere iniquitatis, ob id conducibile duximus, errores vobis palificare, quos conſtat veſtri cenſuram moderaminis reſpectare. Iſte verò paſtor, præſentium vector literarum, in præſentia noſtri effudit ſuarum querimoniam miſeriarum, quasdam dolens oves, ſibi a veſtra Dominatione commiſſi gregis, funditus calce abijcere, per devia vitiorum errando, divinæ paſcua cuſtodiasque legis. Inſuper quidem cùm easdem gliſcat pœnitentiæ medicamentis ceu humeris ad ovile matris Eccleſiæ reportare, ferina ita exardent rabie, dentibus invidiæ hunc dilacerare; ut ærumnas deſperet mortis ſe poſſe talibus devitare inſidijs, niſi ei quantocyùs adeſſe veſtris dignemini præſidijs. Nos denique intercapedine tot locorum elongantes, quoniam nullum ei adminiculum præbere valeamus, in manus veſtræ & hoc potentiæ eum commendamus, quatinus miſericorditer ipſius querelas ſuſcipiatis, atque Epiſcopali eundem auctoritate pro nomine Chriſti defendatis, nec conſentiendo, iniquorum peccati offendiculum veſtræ aliquod ſanctimoniæ ingeratis periculum.

3.

Ad D. Epiſcopum. Queritur ob prædium ab ejus ſubditis vaſtatum & injuſtè abalienatum.

DOmno D. Pontificalem decoranti thronum virtutum, E. unacum ſubjectis, perennem cum Domini principatum electis.

Vt reſcivimus vos, Præſulum reverentiſſime, ordinatum fore iſtius provinciæ rectorem, ſperabamus, velut & adhuc ſpes noſtra eſt fixa, divinitus proviſum eſſe vos orphanis haud minùs patrem & adjutorem, quàm Monachis pro ipſa excellentia veſtræ pietatis aſylum ac defenſorem. Verùm prædium, quod largitus eſt Cæſar *Heinricus* regiæ donationis cartâ ſtabiliendo noſtro Monaſterio, ùt a quibusdam didicimus vix credendo, a veſtro devaſtatum nobis abalienatur imperio. Arbitri verò teſtes adhibentur in hoc fundo, nihil a nobis eſſe uſurpatum, niſi quod Cæſaris præcepto ab ipſis noſtro Cœnobio cum termino eſt prænonſtratum, atque in præſentia veſtri, veſtrique advocati legitimè firmatum

matum. Qua de re quidem ſummopere efflagitamus pro nomine Domini, atque amore S. Quirini, nec non ob veſtræ remedium animæ, ſeu veſtrorum parentum, quatinus noſtro nequaquam Monaſterio præcipiatis ullum fieri detrimentum. A.

4.

Ad N. ùt videtur, Archiepiſcopum, cujus averſum præter ſpem animum recuperare ſatagit.

✠. EXcellenti Pontificum dignitatem venerandam ſanctimoniæ per ſublimitatem ✠. poſtremus in ordine abbatum cæleſtis aulæ ſenatum.

Præceptis Patriarcharum Reverentiſſime, ſemper parere cùm ſtuduiſſem veſtræ in omnibus Almitatis, veluti dudum divæ quidem memoriæ veſtræ matris obedivi imperatis apud curtem Regis, quando a veſtra paternitate flagitavi miſſionem ac benedictionem; miror, cur per tantam a vobis dimiſſus ſim indignationem. Idipſum igitur mihi improperando objecerunt mei familiares, non ſolùm viri ſeculares, ſed etiam cœnobiales, ut qui hactenus veſtræ expertus ſum pietatis adminiculum ac reſpectum, qualiter in tantum veſtrum promeruiſſem deſpectum. Non ignoro quippe, in ſanctuario veſtri pectoris reconditam eſſe omnis ſcientiæ affluentiam, hujusque ſcripti: *quanto magnus es, humilia te in omnibus*, inibi defore neglegentiam. Ex hoc diffido veſtræ ob magnitudinem majeſtatis vilitatem meæ annullari paupertatis. De cætero ante veſtræ Dominationis conſpectum, ſi famulamen meum fuerit acceptum, dignemini detegere meæ ruborem tantæ confuſionis, ſc. intimando fontem, cauſamve præfatæ deſpectionis. Ex hoc verò evidens indicium datur, me hæc ita autumare absque falſitatis: quia cùm meas proſternerem preces veſtræ in præſentia ſanctitatis, propter flebilem hujus combuſti Monaſterij neceſſitatem, nullius auxilij conſecutus ſum propitiationem, vel caritatem.

5.

Ad N. Epiſcopum, ſortè Nitkerum Friſingenſem, apud quem ſe de non conceſſo frumento excuſat.

AMplectendo meritorum Sanctuario, condignè ſubrogato Chriſti vicario. ✠ Chriſti gratiâ curæ cuſtodis deputatus, cœleſtis gaudia incolatus.

Omnem, quæ poterit, devotionem impendi affectioni ullius amici, confitemur, quoad vixerimus, totis anniſibus noſtris par eſſe vobis addici, quia munificentiæ veſtræ excellentia perdigna B. eſt interioris ſeu exterioris cuncta famulicij frequentiâ. Verùm ingerit nobis ruborem confuſionis has præſentari litteras veſtræ conſpectui dilectionis. Nos quidem veſtri magnitudinem beneficij haud poſſe æquiperari ulla noſtri aſſiduitate ſervitij (fatemur.) Qua de re ſcilicet ejus teſtimonium invocatur, qui cunctorũ ſecreta cordium rimatur, quoniã in loco, a vobis prætitulato exhibendi nulla facultas obſequij accommodatur. Veſtram namque intimationem ſuper hoc negotio ſi reſciſſemus, priusquam inde omne frumentum aufferri juſſimus, non C. aliter veſtræ ſtuduiſſemus poſtulationis perficere deſiderium, quàm ſi propriæ præbuiſſemus vitæ alimenti miniſterium. Sed dicat aliquis a noſtra poſcendo familia, in illo nos loco petitam vobis ſervitutem poſſe obtinere. Idcirco conducibile eſt, ad id veritatem reſpondere, quòd in proximo Paſchali tempore per noſtram magnopere flagitando legationem a noſtris nequivimus miniſtris ullum ſupplementum noſtri cœnobij ad reſtaurationem. De cætero noſtrum miſimus illuc nuncium, quatinus noſtro D. præcipiat Præpoſito parare hoſpitium, nec non omne, quod poſſit, impendat vobis ſervitium. Valete.

6.

Ad eundem ſortè Nitkerum Ep. Friſing. cui quendam commendat, qui beneficium amittere debeat.

✠. DOmno N. deſiderabili meritorum Sanctuario, digno Apoſtolorum Vicario, E. poſt hujus exilij incolatum cœleſtis patriæ ſenatum.

Præsentium allator litterarum vestræ in conspectu Dominationis aliquid valere sperans meæ conamen postulationis, obnixè haud cessavit deprecari, mea vestræ paternitati legatione se commendari. Qua de re magnopere efflagito propter Christi amorem, meique famulaminis ob devotionem, quatinus ipsius dignemini querimoniam auscultare, & ad sui senioris dominium illius subrogare miseriæ vestrum præpotens patrocinium. Paterno quidem jure beneficium, si dici fas est, sibi in hæreditatem collatum, assiduisve cum muneribus ab Episcopis prioribus conparatum, vestrum nisi adminiculum eidem auxilietur, a se funditus alienari veretur. Sagacitas verò vobis cœlitus infusa, poterit celeriter examinare, hunc nihil in hac re contra justitiæ normam postulare.

7.

Ad V. Abbatem, a quo fratres revocat ob adventum Episcopi Frising. iniquis erga se delationibus exasperati.

V. Abbatum decoranti sublimitatem per omnem virtutum capacitatem, E. ultimus Christicolarum, gaudia cœlicolarum.

Cùm nostrum esset velle vestro satisfacere desiderio, repentinus nostri antistitis adventus nostro publicatus Monasterio, nostros fratres, vestro addictos servitio, cogit nos poscere nostræ remissum in congregationis paupertati, priusquam vestræ promissum esset charitati. Delatæ quidem, ut rescivimus, de hoc cœnobio falsæ linguâ adulantium criminationes, ejusdem adversum nos, Præsulis non nullas dolosè conflando machinatæ sunt indignationes. Qua de re magnopere efflagitamus, quia in vestram peculiariter benignitatem speramus, vestris quatinus commendatitijs apud ipsum litteris, aut legationibus id efficiatur, quando hoc domicilium suo primitus ingressu in præsentiarum illustratur, sui turbine terroris, ne diffametur vel quatiatur. Insuper vestram cupimus affinitatem hoc sibi consiliari, pastorem, qui posuit animam pro suo grege, uti dignetur imitari, atque sui patrocinio asylli coadunatum tueatur ovile, ne aliquod discidium sive scandalum patiatur hostile, sicque liquidò appareat vestri consanguinitas erga se, quanti valeat. Namque collatam sibi divinitus Pontificij excellentiam par est coronari per compassionis clementiam.

XL.

Tegernseensium Cœnobitarum epistola ad Egilbertum Ep. Frisingensem. Indicant se post Albinum, Ellingerum in Abbatem iterum elegisse.

PRæsuli E. omnium virtutum prærogativa supra nostri temporis homnes divinitus laureato, fratres in cœnobio sancti Quirini deservientes, ex integro sese & corpore & corde. 1031.

Nos omnes, vestra humilis & paupercula, tam devota congregatio, pariter in terram prostrati immensas grates pro innumeris sæpe sæpius nobis impensis beneficijs agimus, eademque vestræ beatitudini remuneranda Deo, & S. Patrono nostro Quirino intenta devotione commendamus. Peccatis nostris exigentibus varijs perturbationum fluctibus, plus quàm ulla alia congregatio sæpe illidimur, quibus evadendis ad gratiæ vestræ sinum, quasi ad tranquillissimum portum confugimus. Tu, inquam, nobis pater, tu pastor, consiliator, & consolator, tu unicum nobis asylum: quia scilicet quantiscunque anxietatum tumultibus jactemur, non alibi suffugium speramus, sed nec desideramus. Tibi itaque post Deum lacrimosis vocibus clamamus dicentes: ad te confugium facimus, sub umbra alarum tuarum protege nos. Senior noster A. infirmitatis molestia prægravatus, pastoralem curam deponens, atque prioratum suum, nobis nihil minùs opinantibus deferens, repente nos orbatos deriliquit. Propter quod non parva tristitiæ molestia nos mente captos non inmeritò oppressit. Illius ergo præcepto convenientes, communi omnium consensu *Ellingerum* nobis patrem, si Deo placet, & si vestræ sagaci providentiæ non displicet, recipere elegimus, quam tamen electionem vestro judicio examinandam reservare cen- *Ex Cod. Tegernf. Frou-mundi.*

igitized by Google

censuimus. Petimus igitur mellifluam paternitatis vestræ dulcedinem, ut, si Deus ita disposuit, huic nostræ electioni peragendæ subveniatis: vel si vobis aliud videtur, electionem inter nos retinendam apud Imperatorem obtineatis, & ne unquam externum aliquem nobis sub vestra tutela degentibus præponi propter Deum & S. Quirini patrocinium pati velitis.

XLI.

Eorundem Cænobitarum epistola ejusdem ferè argumenti ad Goacharduum Episc. Hildesheimens.

DOmino G. Pontificatus infula decorato, meritisque officio congruentibus, supra cunctos ejusdem nominis hoc tempore divinitus sublimato, Fratres Tegrenses sub patrocinatu S. Quirini deservientes, quicquid filij caro patri, Dominóque famuli.

Ut sanctitas vestra, Pater reverende, felici & prospero eventu in cunctis diu longa per tempora vigeat & valeat, paternitati vestræ indubitanter notum sit, intenta devotione nos Deo die & nocte jugiter supplicare, precesque ipsas sancto Patrono nostro Quirino pro vobis ad Deum perferendas humili supplicatione commendare, quousque locus noster manere poterit, beneficiorum a vestra benignitate nobis impensorum nunquam oblivio erit. Nam filij, qui nascentur, & exsurgent, eadem posteris annuntiantes dicent: quomodo miseretur pater filiorum, sic ille suorum misertus est semper gratis famulorum. Quæ remuneratio etiamsi humana lingua tacuerit, apud Deum & S. Quirinum vobis certa erit.

Proinde, Pater amande, nunquam magis ab usque principio vestri auxilij & consolationis eguimus, quàm nunc instante necessitate egemus. Nam tribulatio & angustia propria sibi in nobis jam dudum, ut ita dicamus, posuêre cubilia. Quæ mala ad depellenda vestræ sanctitatis ad Deum interpellantur auxilia. Tibi itaque post Deum lacrimosis vocibus dicimus: memor esto congregationis tuæ, quam sponte possedisti ab initio, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Senior noster A. * ægritudinis vi occupatus, prioratum suum deposuit, & nos orbatos reliquit. Igitur convenientes, *Ellingerum* nobis patrem, si Deo placet, recipere elegimus. Quam electionem inimicorum machinationibus pendet, si obtinere possimus. Nam Paternitati vestræ conquerimur, quia conatu præfati A. penè in alienæ & ignotæ potestatis dominium ignorantes traditi fuimus. Quod nisi Deus oculis suæ miserationis nos respexerit, adhuc contingere formidamus. Igitur benignitatem vestram obnixis precibus obsecramus, ut consuetudinaliter pro nobis dignemini studere, ut de Paternitatis vestræ incolumitate, licèt absentes, debeamus gaudere, ut & nostra concedatur nobis electio, & rerum nostrarum, quod quasi ante oculos omni die formidamus, ab Imperatore (non) fiat abstractio. Nam apud cœlestem Imperatorem multùm vos valere nemo est, qui audeat dubitare, pro quibus meritis etiam apud terrestrem quælibet potestis impetrare.

* *Albinus*

XLII.

Epistolæ Froumundi Cœnobitæ Tegernseensis.

1.

Ad Gozpertum abbatem Tegernseens scribit, se suum a Monasterio S. Magni discessum non prævidisse, & membranas ad scribendum petit. *ab an. 990.*

GDignitate meritorum cœlico nutu pleniter repleto, F. debitæ subjectionis devotissimum pignus. *Ex autographo Tegernseensi*

Recessionis meæ de *Monasterio S. Magni*, & repentinæ disjunctionis a vestra fraternitate meæ præscientiæ non esse, coram Deo testificor, qui nunquam tam inhumanè vellem facere, ut vobis nesciente discederem, a quo quamvis interdum absens locali spacio, corporaliqúe colloquio segregatus, nusquam mentis amore fueram disjunctus, postquam primùm coagulatione caritatis adhærere ardenter incipiebam. Precor humiliter pietatem vestram, ut memoriam mei habeat in oratione vestra in loco san-

Digitized by Google

sancto pro abolitione commissorum meorum. Quando enim nos vestri obliviscimur, nec nostri recordamur, quod utrumque absit. Sed quia spirituali consolatione vestra parte, si dignamini, nolumus privari, ad utilitatem spiritualis & temporalis exercitij aliquas membranas nobis donari precamur. Nam, ùt scitis, libenter interdum scriptitationis immoror studio. Sed nunc facultatem scribendi pergamenis deficientibus non habeo, nisi vestræ manus largitione tribuatur. Valete.

2.

Ad eundem. Jurat se quendam librum non abstulisse.

Seniori suo G. omni veneratione perdigno, F. solo nomine Cucullio.

VSque modò mi Senior, nimiùm fui cordetenus animatus de securitate vestræ gratiæ. Sed econtra omnia nunc aliter propter peccata mea. Tristis sum nimis de furto libri vestri supra me dicti. Sed expurgare me cupio tali fascinore, * qualitercunque placet Paternitati. Quid plura? Proprio ore dico, meáque manu securus subscribo sic dicens: si ego F. illum vestrum librum M. quem dicitis, vel furto tuli, aut ab aliquo furto sublatum suscepi, vel qualicunque modo eum habeo, aut habentem scio, corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi, quod sæpius accipio, quamvis indignus, fiat mihi ad condemnationem, non ad redemptionem.

* *ita Cod.*

3.

Ad Ruotkerum abbatem Herbipolensem: tuetur se adversus acerbiores ejus litteras.

ABbati R. Doctorum peritissimo, humilis F. nullius meriti dore dictatus.

Epistola vestri nominis inscriptione præticulata multum contristaverat præcordia nostra, quæ primo vita finxerat se, quasi facecitate vestræ dictationis esset composita. Quam cum recuperatæ mentis intentione perlegeram, memini, nunquam vos tam inculto stilo ulla verba composuisse. Infremuit enim indecens scriptura in talia convitia, ut nec me solum dillacerare sufficeret, verùm in seniorem nostrum ita exarserat. Si honorandam *Ruotkeri* personam non vererer, forsitan tam fœdis, tamque pudendis uterer verbis, ut non pejora supereſſent convitia. De neglectu mihi ignotæ cautionis increpavistis, quam nec manu propria commisi, nec alijs deferentibus unquam accepi. Quendam *Hezilinum* adduxerunt, qui penitus sic ignotus, sicut nunquam est a me visus, nescio quid promiscui pecoris petentem. Quod postquam Monomachiæ studio deterseram, nullo modo possederam. Inæquali etiam positione numerorum affirmat me detestari studium, optimam partem hominis, cùm major pars hominis anima esse a cunctis sapientibus non ignoratur, & ratio tantùm in studio versari videatur. Glossema novissimè adjuncta profitebatur decoloratione Solis gratiam me adepturum, cùm veridicæ orthodoxorum sententia decolorationem Solis testatur fervorem designare persecutionis. Sed si tam magnum furorem provocavi, ut more irritatorum hominum locutio, dictatione vestra eclipsin pateretur, tali delicto indulge veniam, Abba venerande. Si alterius alicujus vestrorum puerilis animus sic efferbuerit, * vestro reservamus judicio.

* *Cod.* efferbuerat.

4.

Reginbaldi Monachi fortè Sancti-Emmerammensis. epistola ad Fromundum, cui remittit Persium, & pro varijs beneficijs gratias agit.

EXimiæ dilectionis suo consanguineo F. *Reginbaldus* in utriusque perfidelis obsequio.

Quod vestrum vobis nuperrimè non remisimus libellum, ne alienum ob hoc habeatis animum, quæsumus. Nam cùm non ingrata vestra accepimus nuntia, per nostri litterarum compositiunculas quæque secreta, nobisque necessaria vobis remandaturi sine nostro conscire vester abscessit nuntius. Quod nimis molestè patientes per istum nobis & vobis fideliorem nuntium vobis transmisimus codicem prædictum, dignas grates referendo, quod tamdiu illum nobis præstare dignati estis. Sed per eundem hujus scedulæ portitorem nostri libellum, qui inscribitur *Persius*, nobis remissum iri poscimus. Præterea erga vestri

veſtri pergameni donationem, quia tunc gratiarum actionibus locum non habuimus, maximas referimus gratias. De promiſſione & conſolatione noſtri itineris veſtrapte nobis facta, noſtræ non eſt facultatis vos gratia remunerandi, ùt promeriti eſtis, & Deo concedente promerebimini : æterna vobis mercede præoptamus digna reſolutum iri præmia. Valete.

5.

Idem Eidem. Rogat, ut ſibi ſignificet, quid de quodam itinere velit. Membranas petit &c.

F. Sui amicorum amiciſſimo, Reginbaldus, ſputis omnium obnoxius, quicquid adoptari poteſt feſtivius.

Tui, ▫ mi care, quamvis abſentia nimis perturbatus ſuſpirem ſæpe ſæpius. Si res tamen ſe proſperè erga te habent, mihi præcordia mœroris nebulâ detersâ rident. Sed harum rerum, de quibus noſter ultimus, cùm a me diſceſſiſti, fuit fermunculus, memoriam cordi mentaliter infigens, ſi id itineris mecum aggreſſum iri velis : aut ſi id fieri non poſſit, quid aut quantum mihi progreſſuro face-C. re præpoſſis, adminiculo tui litterarum compoſitiunculis, ùt es locutus, intimato. Præterea quantumlibet membranæ causâ perſcribendi libellos, quos nôſti, mihi accomodatos, illas tamen ſeptem pelles ibidem inventas, ſi non plus opus habeas, mihi transmittes. Tuum ſeniorem penes te commorantem vice mea ſalutato per omnia, & ambo, prout maximè valeatis, ſtudioſi ſitis in commiſſa vobis opella ſeniori noſtro ſatisfactum, quia vobis fidei habet quàm plurimum. Valete.

6.

Idem ad eundem, & alios. Cur ad eos non inviſerit ? De libellis quibusdam &c.

D Omnis & fratribus in Chriſto ſuis * W. P. M.F., *Reginbaldus* litteratoriæ profeſſionis neglectiſſimus, quicquid adoptari poteſt feſtivius.

* *f.* Wigoni, Paboni, Meginhelmo, Froumundo.

Exterior meus homo, quamvis longi temporis interſtitio conſpectu careat veſtro, interior tamen intimæ dilectionis contemplatione veſtri neutiquam recordatur. Quod vos, ùt promiſi, in A. tranſactis dierum curriculis non viſitavi, id averſum fuiſſe ſenioris mei præſentiâ ſcitote. Inſuper non adeò aptum mihi videbatur, in hujus temporis obſervatione id itineris meatim arripi, cùm pabulum eſſet ubique carum, & incerta temperies aëris haberetur, vobis quoque locus & otium minimè daretur audiendi, & lene conſilium pro his mihi dandi, quæ veſtri aurium cubiculis inſtillarem. Tranſacta Paſcalis feſtivitatis expectatione mox, cùm terræ ſolutæ gramina emittunt, vos adusque vita ſuperſtite me promitto venturum. Tibi frater B. amantiſſime *Froumunde*, libelli reſiduum, quod rogâſti, per hunc pelliferum transmiſi, jubens te quàm citiſſimè id perſcribere causâ confeſtim remittendi, quia Domino ejusdem libri, neſcio tuimet poſtulatis, fac egi. Vobis autem Domine & Magiſter *Meginhelme*, nunc temporis nequivi ſatis facere. Quem enim librum voluiſtis, in noſtra recondicur bibliotheca, ſed utrum correctus ſit, nec ne, dubito. Si perſenſero illum vobis utilem, una mecum aſportare procurabo. Valete, veſtrisque oracionibus me miſerum, inquam miſerum, impertite.

7.

Ad Paboném Monachum pro veſtimentis, quibus ſe a frigore defendat.

D Omno *Paboni* frater *Froumundus*, quicquid eſt caritatis in Domino.

Inſtantis hyemis preſſura cogit me dicere, quæ ſunt nobis neceſſaria. Nimiùm confiſus ſolita caritate veſtra circa me, rogo vos, ut mittatis mihi duos *vuantos* hiſpidos ſulinos, aut Fiberinos, vel vulpinos, quibus indutus vitare va-D. leam periculum frigoris in manibus. Dilecti fratres *Liutoldus* & *Vuirunt* benè valeant, quibus etiam ſalutatis ex nomine meo, rogate eos, ut aliquantum cera largiantur. Valete.

8.

Ad R. Monachum. Hortatur ad perſeverantiam in ſtatu Monaſtico, ſeque Cluniacenſium precibus juvari poſtulat.

f. Reginbaldum.

R Fratri dilectiſſimo, F. tota mente tibi fidiſſimus.

Benè feciſti, quòd nobis per notum

Digitized by Google

nuntium innotuisti, ubi curas ærumnosi A. seculi calce trivisti. Per cunctas namque regiones vagula mente te quæsivimus mærentes. Sed nimiùm gaudemus, quòd te quiescere audimus in Monasteriali quiete, sopita atque delusa cuncta seculari tribulatione. Gaude frater dilectissime, quòd inveniſti, quod semper suspirioso animo quæsivisti. Rogo te, ne ulla deceptrix, nulla seductrix avellat te de tramite veritatis. Noli respicere nodum solvere, quo te trusisti, perpetuæ caritati deinceps vacare. Fugiens è seculo, si post tergum respicis B. animo, multum miraris, quòd multimoda infestaque mundi pericula tam salvus evaseras. Quid multa? Ex quo homo indignus presbyter sum ordinatus, tui non sum oblitus: deinceps verò nunquam, nusquam, quando mei, meorumve recordor, tui non obliviscor. Speramus namque, spirituque optamus, quandoque te venire ad loca nobis viciniora, prædigni abbatis tui benedicibili licentiâ. Confido in Domino Jesu Christo, ut voluntati meæ satis faciens deducat me ad locum, ubi inventa sunt sancta signa nostræ redemptionis. Et si C. ita erit, cupio vos videre, méque commendare sanctæ orationi seniorum, si dignantur, Cluniacensis Monasterij. Valete.

9.

Ad eundem Froumundus. Rogat, ut sibi exemplum Horatij Poëtæ transmittat.

Dilectissimo confratri R. vester fidelis F., quamvis vilis, sedulam orationem ex corde.

Si adhuc ad manus habetis librum *Horatij*, rogo vos, ut mihi eum mittatis ad describendam particulam, quæ adhuc nobis deest ejusdem libri: & si illum non habetis, alium quem, quem nobis utilem scitis, mitti precamur. Liber etiam noster, quem vos habetis, valde necessarius est nobis: Quocirca petimus, ut per præsentem nuntium dirigatis. Quando enim vultis, statim vobis remitto, si ita necesse est. Quando librum *Horatij* vestro juvamine conscribo, confestim ad vos venire non tardabo.

10.

Ad eundem. Cæcum nepotem ad recipiendum visum rogat ante altare sancti Antistitis præsentari. Conqueritur de suo libro sordidè habito &c.

R. Dimidio vitæ meæ solatio, F. quicquid gaudij in Christo.

Istum puerum neptis meæ, bonæ mulieris filium, lumine oculorum penè privatum, rogo vos, ut ante altare sanCti Antistitis * ducatis, & pro sanitate ejus in conspectu Dei deprecemini. Et si aliquod medicamentum pro hujusmodi infirmitate scitis, aut scisciteri potestis, pro amore Christi sibi rogamus impertiri. Si aliquid habuissem mihi vobis charius, præsentem pagellam invectivis verbis fortassis onerarem: quia librum nostrum totum rugosum, cœnosum, partéque disruptum recepi. Sed hoc absit; ut vos vel uno verbo contristem. In capite ejusdem libri inserta erant duo folia. In uno erat circulus, continens scripturam quatuor plagarum Mundi: in alio epistola, quam *formatam* nuncupant, quæ rogo, genua vestra amplectens, ut mihi remittatis.

* *f.* S. Emmerammi.

11.

Ad eundem. Petit sibi Poëmata Statij transmitti.

Domno R. imbriflua sapientia fluidos F. suus, tot gratulationes, quot vagulus lupus novit semitarum diversitates.

Nullo modo dubitare volo, me vobis cordetenus annexum vinculo totius caricatis. Idcirco rogo, ut me librum *Statij* videre faciatis. Nunc enim potest mihi vehi, vobisque statim reduci sine ulla ruga & læsione per nuntios, qui hinc & inde pergunt vacuis sarcinis. Quòd si caricas inter nos penitus perfrixit, quod tamen absit, nostrum librum mittite nobis. Valete.

12.

Ad Gozpertum abb. Tegernseens. Quo in statu prædia Monasterij perlustrata invenerit?

G. Seniori suo, F. ultimus vestri servorum, non alius, aut aliud, quàm id, quod dudum.

Loca

Loca obedientiæ nobis commiſſæ, quæ adhuc potui, contemplando circavi, & invenio minimam partem nobis eſſe derelictam. Aliquid tam magnum perficiendum, ut de hujusmodi diſpenſatione debemus pauperibus, domeſticis atque peregrinis hoſpitibus. In Danubij regione repetij granum, quod priori anno abſtulerunt, & illi majori, qui illic erat anteriori anno, ablatum eſt officium, & nullus penitus de hoc dedit mihi reſponſum. Tota namque decimatio hinc inde eſt diſpertita inter noſtros & alienos. Si hoc non interdicitis, quod alieni habent, penitus abſtrahetur a domo Dei. Rogo paternitatem veſtram, ut decimatio nobis præſenti anno tota concedatur ad calcem cremandum. Eſt namque eccleſia in noſtra obedientia, quæ dicitur *Holzchiricha*, undique furcis fulcita, muris deſtructa, cui niſi citiùs ſubvenitur, penitus cadet.

13.

Ad Meginhelmum Magiſtrum. Eum ad expromendas ingenij vires hortatur.

DOmino meo, Magiſtróque M. miris moribus, maculoſoque naſu mirificè munerato, F. fidelis famulus famulamina frequenter facturus fidelia.

Miri medicaminis more magiſtrali me mementote ſervare ſequentibus ſanguinis ſtrenuum ſalutarémque ſtrictorem. Sacro ſubſcribite ſtilo, ſicut ſtolidus ſtimulat ſervus ſermonibus ſtultis; ſed vos ſcribite ſapienter ſacras ſequens Scripturas. Sudario ſpernite ſervare, ſi quid ſcitis ſalutiferum. Spargite ſemina, ſicco ſapientiam ſervo.

14.

Ad Peringerum abbatem ſuum. Veniam & commeatum petit, quò ſibi fas ſit perſolvere vota ſua in Civitate Auguſtana.

SEmper ſibi venerando Seniori P. F. quamvis nulla veneratione dignus, tota tamen mente veſtri devotus.

Rogo paternitatem veſtram, ut auribus ſolitæ pietatis meum nuntium ſuſcipiatis, tanquam verbis vobiſcum fermocinantem pro rebus neceſſarijs. Neque enim ipſe loquitur, ſed ab animali hoc inanimale pro animali mittitur ad A. animale. Idcirco non joculariter, ſed loquimur vobis, quaſi præſentialiter. Novit denique benigna compatientia veſtra, qualiter ego quondam infirmatus apud *Auguſtam civitatem* in deſperatione vitæ ægrotabam, cum conſilio eorum, qui mei curam gerebant, obligavi me voto, ſi convaluiſſem de hac infirmitate, ut ſingulis annis venirem ad lecta & patrocinia illorum Sanctorum, qui ibi requieſcunt. Quod penitus ego peccator dimiſi, ſed ſingulis annis dixi: cras, cras peto licentiam, ut ſtatim pergam. Quapropter mi pater, nihil magnum, B. nihil moleſtum rogo, ſed unum tantum cavallum mihi ad equitandum, & unum virum mecum equitantem: ad viaticum autem nihil aliud peto, niſi portionem alimoniæ, quæ mihi daretur, cùm hìc domi eſſem, & inſuper quicquid veſtra dignatur gratia, non abnuo, non renuo. Quis non timeat ſe mentitum eſſe tali Patronæ, quæ nobis hodie lecta eſt? Quocirca ſi vitæ meæ ullam curam vultis habere, veſtro juvamine liceat mihi manere in civitate *Auguſta* in nativitate Sanctæ Mariæ. Valete.

C. 15.

Ad eundem. De adminiſtratione eccleſiæ ſibi commiſſæ.

Patri P. perenniter in Chriſto amando, F.

Verſiculo verbo precor omnia proſpera caro.

QUia mihi commendâſtis res hujus ſanctæ Eccleſiæ cuſtodiendas, propterea in his omnibus uſque nunc laborando miniſtravi, ut pro meis viribus potui. Sed nunc videtur mihi propter vilitatem naucitatis meæ quasdam res, D. quas anteceſſores mei ibi ad manus . . .

cætera a Codice abſunt.

16.

Ad Eundem fortè de quibusdam libris ab ſe redditis.

P. Multiplicis bonitatis amatori, F. humillimus adelphus ſalutem. Grates rependo ſolotenus poplite flexo, quò ſæpiùs vos officio circa me pio amore laborare conſpicio. Librum *Boetij* veſtro brevi a me vobis petiviſtis præſtari, cujus libros propria manu duos conſcripſi, pleniterque, ut puto, Gloſſica

conſcriptione depinxi : quorum alterum A. mecum retinui, alterum *Auguſta Vindelicæ* reliqui, ſimulque librum *Juvenalis & Perſij* pro commutatione *Arithmeticæ Boëtij*, in qua ipſe ob gratiam veſtri non modicum conſcripſiſtis, pro libróque *Invectivarum Tullij Ciceronis in Saluſtium.* Quos libros mihi præſtitos cùm remitto, noſtrósque recipio, juſſu veſtro voluntariè ſatisfacio. Valete.

XLIII.

Frotmundi, Cœnobitæ Tegernſeens. Poëmatica.

1.

In imaginem crucifixi.

GErminis æterni ramos hos vitis adornat,
De qua fonte novo redduntur pocula Mundo.
Dextera, quæ victrix, invictáque brachia Chriſti
Amplexu rapuêre pio de faucibus hoſtis.
Lividulus ſerpens peritura & tartara cernit.
Et caput ignavum lutulenta & terrea C. lambit.

. . . . . .

Lux mihi ſemper adeſt, nec poſſum cernere lumen
Libri, lectoris nec ſenſus ſufficit ullus.

2.

Ad Paboncm.

SAlve confrater mihi dulcis ſemper amore.
Dulcior es mihi tu, quàm meſſis guſtus in ore.
Neſcit amare liquor, ſed amor dulceſcit, D. & ad cor
Intrat, & alterius conjungit fœdere pectus.
Omnibus exceptis mihi tu ſis carior iſtis.
Econtra abjectis ſic tu ſis promptior illis.
Te ſequor, ut Mundus circumfert carmine curſus.
Nuſquam divellor, nunquam a te pectore pellor.
Hæc præclara dies meritò vocitatur, & omnes
Feſtos præcellit, quæ te me cernere fecit.
Alter in alterutro gratuletur ſoſpite viſo.
Tu melior generoſe puer, quia ſanguine major :
Quapropter tibi ſum ſervus ſuper omnia promptus.

3.

Pro caligis hirſutis, quantumvis vilibus, ad Abbatem.

EXcelſi montes jam condunt ninguine cautes :
Flamine perduro ſpirant & frigora B. campo.
Vndique diſturbant famulum me turbine veſtrum.
Pellicijs ſed & incurſus depellitur omnis.
Parte tegor ; de parte alia me concutit algor,
Maxime per ſuras inſerpunt frigora venas.
Cruſcula concreſcunt, lapidoſa ùt ſtiria durant.
Hoc poteris ſarcire, Pater. Quòd ſi hiſpida pellis
Redditur aut vetulum, noviter vel futile tectum ;
Quicquid id eſt, quod largiris, venerabile C. donum eſt.

4.

Pro Pachone infirmo.

VErſibus an verbis moneam pro parte *Pachonis*,
Fratribus infirmis quam vultis reddere noſtris ?
Tempora nunc poſcunt, ut agreſtia gramina inungant.
Mente revolve, Pater : pariter ſunt ecce duorum
Invalidæ vires, communia pocula, D. menſa.
Omne quod eſt illis, communi ſorte fruuntur.
Vnus quod patitur, fiat de ambobus idipſum.
Altera pars alio reddatur perna peracta.
Vnus dum gaudet, neuter nec murmura fundat.
Ipſi peccamus, ſi non ſumus omnibus unus.
Maximaque eſt merces infirmis addere curam.

Digitized by Google

5.

*In eos, qui Frommundum ad ſuſcipiendum Presbyterij * ordinem urgebant.*

* *Vide Mabil. Tom. IV. Analectorum pag. 357.*

SUnt mihi, qui dicunt: cur tu nunc ultime *Frommunt*,
Vltimus excluſus cum non ſis patre rejectus,
Presbyter ut fias, tempus jam poſcit & ætas
Pergere cum reliquis cur ceſſas? Percipe claras
Candidulus veſtes, celebrant quæ myſtica ſancta
Pontificis manibus. Si ſpargit chriſmata Chriſtus,
Funditur & ſuper hos, quos tangit pollice, Chriſtos.
Gratia per populos ſic fluxit ſæpe beatos,
Cùm benedixiſſet benedictis dextera Summi,
Presbyteros faceretque ſuos ſacro Ordine ſervos.
Cogere me certant, fatear, quod ſim ſapiens vir.
Hoc faciunt ſtulti ventoſo flamine paſti,
Non quia virtutes cupiant, ſed fallere plaudant.
Nos humiles, nos indocti maneamus ad omnes.
Talibus eloquijs nunquam eos paſcitur illis,
Sed magis, atque magis, Domine, quò ſiſtere juſtis
Spem tractandarum ſibi juſſit reddere rerum,
Illuc protendam ſtudium mentis, manuum cum
Omnibus & factis, ſeu niſibus, arte reſumptis
Quicquid erat, quod ſequitur, totum ſibi fiat
Verborum vel factorum, quod pertinet illum.
Laudibus ipſius reddemus corporis uſus.
Aſt illis reſpondemus, qui talia tractant:
Stultorum lingua eſt facilis & prompta loquelis.
Quisquis enim primus loquitur, manifeſtius illum
Cognoſcunt alij: quia mentes ſuperbia regnat,
A. Et vacuus manet interiùs præcordia ſenſus.
Hæ curæ non nos mordent. Deus hæc quoque tractet.
Ordine tam celſo perſons ego fungere ſummo
Non poſſum preſſus peccati pondere totus.
Eſt mihi quod dicam, totumque ex ordine pandam.
Inprimis ſtudio placet eſſe ſub artibus uno.
Omnia dico, ut ſunt, nec ludicra proſequar ulla.
B. Diſcere decrevi libros, aliósque docere.
Quod præſtet Deus Omnipotens, hoc tempore Chriſto
Creſcere ſub veſtro, quod fluxit tempore priſco,
Subdere me duro divellar ne ipſe labore:
Vt poſſim quamvis pauperculus eſſe ſynergus.
Omnibus eſt merces; quia penſas ipſe labores
Servorum, qui vos famulamine dulciter ardent.

6.

In Gerhardum, ſaxo atrociter puerum ferientem.

GErdrudam teſtem facimus, quòd nempe Gerhardus
Fratribus eſt meritò exoſus: quia fecerat auſus
Omnibus inviſos, vobis non dignè ferendos.
Nam puero noſtro maledicto fortè cruento
Tunc lapidem magnum comprendens, ac petit illum,
Nutanti curſu, qui vix ſe ſubtrahit ictu.
D. Miſſile ſed ſaxum manibus non caute relictum
Stridendi ſonitu malè raucum ferrur in æthrem.
Vulnera non retinens, mittentes verbera ſpernens
Aether, & immittit retinentem vulnera petram.
Colliſi lapides multúsque excutitur ignis.
Concutitur murus lapidoſo ex aggere ſtructus.
Miramur Solem fuſcum de pulvere factum.

Turbatur cœlum, quatiuntur tartara dê-
orsum.
Sic lupus infaustam discindens calcibus herbam
Concitat in ventum nubem cum aspargine densum
Obscurans oculum pastoris pulvera fartum,
Ne custos pecudis mala sentiat acta furentis.
Haud secus insontem puerum causamur inermem,
Quàm si dispersis ovibus rapiatur & agnus,
Ignavus cum pastoris discesserit ausus.
Sic nos pastores falsi retinemus alumnos.
Tunc ego sub falsi pastoris nomine nauci
Linquens agnellum tenerum, mox hoste tenendum.
Tale aliquid quisnam posset cogitare, quod esset
In claustro, lapide obstruso mala bestia lustro,
Dum Monachile pecus patiatur tempore tellus?
Hic lupus exosus venit de cardine lapsus,
Quo fures penetrant, mactent, & ut omnia perdant.
Sic nos in tuta positi convalle salicti
Fœturam pecudis securi pellimus arcus.
Sic lupus extensus meditatur tollere vellus,
Ora cruenta premit, stipulas ne turbet anhelus.
Horrescunt lanæ, si fœtor perflat ad illas.
Omnes prendamus lapides, lapidetur & hostis,
Finibus expulsus canibus mordentibus acris
Longiùs expulsus patiatur vulnera fessus.
Huic sic damnato repetamus gressibus urbem.
Claudamus portas, firmemus vectibus aulas,
Ne deinceps ullus confringat de ossibus ursus.
Discedat procul omne genus, pecus atque lupinum.
In nobis regnet Christus Deus ipse benignus.
Filius & Patris, pepulit qui vulnera mortis.
A. Spiritus amborum conservet tecta domorum.

7.

Ad liutoldum Ep. August.

FRater Froumundus Liutoldo mille salutes
Et quot nunc terris emergunt floscula cunctis.

8.

Epitaphium Iliæ seu Elisæ matris.

B. HOc silicum tumulo jacet *Ilisa*, corpore functa.
Invida mors rapuit, quod sibi vita fuit.
Littera si abfuerit, quam *simmam* * Græcia dicit, * *Sigma*
Ilia nomen erit, ùt genus edocuit.
Funeris obsequium post multos huic facit annos
Filius ecce suus *Froumundus* Monachus.
Dulichium genuit patres, & Troja priores,
C. Qui locus hoc corpus hìc tegit exiguus.
Non unis hanc formam fecit gens esse secundam,
Sic posuit terris, quas superet, reliquis.
Littera, quam cernis, petit; ut precibus memor eris
Corporis atque animæ, quò maneat, requiem.
Mente revolve simul, quòd tu peregrinus & exul
His jaceas terris expulsus proprijs.
Quapropter pariter rogo, poscas cum prece, frater,
D. Vt sibi perpetuam nunc tribuat patriam.
Et nos cum venia simili perducat ad astra
Qui mortem superat, & bona cuncta parat,
Tertia namque dies Octobris adusque Kalendas
Abstulit e seclis, reddidit & Superis.

9.

In adventum Heinrici Ducis Boiar.

DUlce genus, proles priscorum sceptrigerorum

Salve

Dulce. Salve perpetuo patriæ pax inclyte Prin-
ceps.
De ſummis Deus ipſe tuis jam reſpice
cœlis,
Dulce. Et dux eſſe Ducis digneris, cinge trium-
phis.
Spermate percelebri veniet tibi Sancte
Quirine,
Dulce. Nobilium genitus de ſtemmate Patritio-
rum
Henricus Dux ecce pius, Princépsque
ſerenus,
Dulce. Præcipuus populi defenſor gentis & au-
ctor.
Suſcipe clementer, qui te, venerande
verentur,
Dulce genus. Exquirit, veniamque ſibi te reddere cre-
dit.
O juvenes vos infantes, cunctique veloces
Dulce. Currite certatim, vos hic præcurrere
curſim.
Dulcia laudantes reſonemus carmina fra-
tres:
Dulce. Dux benedictus eris per ſecula, macte
triumphis.
Huc trepidi currant inclinati filicerni,
Dulce. Si non confeſtim, tamen ad ſpectacula
ſenſim.
Curſitet omne genus, cui linguæ ſuffi-
cit uſus,
Dulce. Mirando laudet, quem nunquam vide-
rat iſtic.
Sepibus infantes appendant corpora
parva
Dulce. Culmina ſeu ſcandant rectorum, ut talia
cernant.
Furcoſi veniant his montibus undique
cervi
Dulce. Rupibus & ſilicum ſpectet genus omne
ferarum.
Truncigeni cives muſcoſas ſolvite ve-
ſtes.
Dulce. Purpura portanda eſt his ſilvis prole to-
gata.
Silvicolæ vos ignotos huic ſpargite tyr-
ſos,
Dulce. Quas in honore ſuo poterit, quis prófe-
rat Odas.
Dicite: ſalveris Dux & fortiſſime gentis,
Tempora multa ſalus maneat tibi reddita
vitæ.
Inter vos volitans mihi pennula ſtridet
anhelans,

A. Dans & amore meos perparvula muſcæ
ſuſurros.

10.

Ad eundem. Precatur fauſtum iter & reditum.

GEns habitans Alpes tibi mandat Do-
mne ſalutes,
Maximè *Froumundus*, qui cupit eſſe
tuus.
Quàm lacrimoſa tuis inſiſtunt tempora
ſervis!
Decedis patria, quid ſunt regna tua?
B. Cùm pater hinc tranſis, orphellus fit puer
omnis.
Sis precor in regno Dux generoſe
tuo.
Nil mea vita valet, ſi non te ſemper a-
doptet:
Cùm caput abfueris, tunc ego trun-
cus ero.
Si poteris, poſſum: ſi non, penitus quo-
que nil ſum.
Ne mala contingant, te mea vita petit.
Sed potiùs precor, ut pergas, jam de-
ſpice curas.
Proſpera cuncta tuis advenient popu-
C. lis.
Egredere ad gentes vir virtutum ſapi-
enter:
Lætus enim tranſis lætior inde venis.
Et nomen tibi præclarum Deus, auctor
honorum,
Inde reportandum det ſuper impe-
rium.
Et narrent famam totam per poſteritа-
tem,
Qui non ſunt nati, ſint memores
meriti.
Dicite concordi comitantes voce popelli;
Deduc incolumem tu Deus alme Du-
D. cem.
Angelici cives *Heinricum* ducite ſancti
Per cunctam gradiens, quam ſubit
ipſe viam.
Salveris, juvenisque tui, cunctæque pha-
langes,
Quæ tecum pariter dulce legunt &
iter.
Perge ſalus noſtræ gentisque, revertere
ſalvus
Regnorum rector ſis deſtructórque ma-
lorum.
Sis timor inſidijs, pax manſura tuis.

Aures

Aurea namque tuam deducat semita vitam,
Pax saliat membris, gaudia sint animis.
Sit procul occursus, conventusque malus.

11.

Ad Eundem, ejusdem ferè argumenti.

SEmper te canerem, si perbenè spallere possem,
Nec tam grata meis mella forent labijs.
Gaudia longa traham, quia dulcia carmina psallam,
Corpore dum maneo, semper amore cano.
Osculor incumbens vestigia, quò gradieris,
Si pedes exires: nam foret hoc requies.
Montes conscendam, simul avia cuncta peragram,
Undique prospectans, cùm patriam redeas.
Nunc iterum atque iterum valeas, Patrone benigne,
Nos petimus pro te Dominum sancta Ecclesia omnis.
Pulcher enim vultu, sic moribus, insuper actu,
Es quoque vita tui, Dux bone mancipij.

12.

Ad S. Hainricum & fratrem ejus Brunonem. Reditum in patriam gratulatur, illúmque rogat, ut Tegernseenses in gratiam recipiat.

GEns Augustorum salve princeps populorum
Filius Ecclesiæ, pulcher & ipse pater.
Dux, decus & patriæ, pax, pater Ecclesiæ.
Salvus semper eris, salvúsque exercitus omnis.
Salve cum populo te comitante tuo.
Et cum fratre tuo salveris Princeps *Bruno*
Pulchro & in facie, nobilis ùt genere.
Salve Dux *Heinrice*, tuis dilecte popellis,
Tu regum proles, tu quoque sceptra tenes.
Nullus te regum transcendet terreus unquam,
Viribus & socius, nobilis atque pius.
Moribus & miris toto polles quoque facto,
Hoc faciet Dominus, possis ut esse tuus.
Regnanti Domino sit laus pro Principe nostro:
Ad propriam sedem duxerat incolumem.
Carmine quisque suo certet concurrere pulchrè
Cordibus omnis amor, voce feretur honor.
Longior ipse dies transcendat lumine noctes,
Tempus ut omne modis hunc canat hymnisonis.
Ducas [&] laudes, noctesque diesque canentes:
Verba sonent homines, organa pulsa sonos.
Contremit a sonitu telluris maxima moles,
Quem faciunt populi, lepidulique chori.
Cum Ducibus sit concursus populi undique magnus,
Qui gaudent patriam te remeare tuam.
Francigeni cives spectant te pectore mites,
Viribus audaces: nam tua progenies.
Perfidus en nostris abscedit finibus hostis:
It lupus in sylvas, deserit insidias.
Barbaricas gentes tibi subdis, haud timet ullus,
Agricolæ psallunt, quod placet, hoc faciunt.
Arma jacent, & scuta silent, te Principe pax est,
Nullus ab adversis nos petit insidijs.
Dulcigenam de te cupimus quoque cernere prolem,
Spem nostris, validam barbara gente fugam.
Sit tua progenies noster te Principe Princeps,
Possessor solij, rector & imperij.
Vsque huc gaudendo vos Dux, mi Domne canebam:
Lusimus omnigenis cantibus & studijs.
Ecce repente ruit tonitrus velut æthere missus,
Nuntius impatiens, nuntia dira ferens.
In nos iratum vos dixit fortiter esse,

Ut

Digitized by Google

Ut probat eventus. Hei mihi quid faciam?
Nam tremebunda manus percuſſa eſt fulminis ira:
Terruit infantes, perculit ipſe ſenes.
Igne tui nimium torremur nempe furoris,
Quis poterit verbis hæc numerare ſuis?
Decoxit miſeros proprio pro crimine tactos,
Perſcrutans vitium corporis, atque animum.
Tangimur invalidi permagni criminis aurâ,
Non flat ventorum, ſed mala vis hominum.
Sed quæ tanta fuit ſervorum culpa tuorum,
Ut nullo licuit cernere, quem voluit?
Excuſare nefas, potuiſſet fortè vel unus.
Cur cadit in facinus grex ſimul innumerus?
Sed tandem miſerere tuis, jam parce miſellis,
Indignis famulis ſed miſerere tuis.

13.

De eodem Carmen votivum.

SAlve nobilium Cæſar, ſpes inclyta patrum,
Qui lætum veniens advehis ore diem.
Quem Pater immenſe, quem Fili ſuſcipe celſe,
Et Sanctum Flamen, trinus & unus, amen.
Suſcipe lætantem mater caſtiſſima ſervum
Eccleſia, & natum ſuſcipe læta tuum.
Cæſar famoſæ redit en de culmine *Romæ*
Ad te, ſancte Petre, gaudia magna ferens.
Hic in utroque loco te vult pollere Patronum,
Tu ſis auxilio huic in utroque loco.
Gaudeat, hæredes ſtuduit quòd habere perennes,
Prædia quodque ſacræ contulit Eccleſiæ.
Cujus ad obſequium laus non ſileat pia fratrum,
A. Ornetur templum cujus ad obſequium.
Grate comes Chriſti ne deſis ſancte Geori,
Si cœlis noſtram adde precando precem.
Fer *Kiliane* precem, ſi dignè poſcimus, aurem
Ad Chriſti noſtram fer Kiliane precem.
Sis Cæſar dignus ſanctis & amabile pignus
Cœlorum regi Cæſar amande veni.
B. Cæſar amandus adeſt, hoſtilis fraus cadat omnis.
Nunc timor omnis abeſt, Cæſar amandus adeſt.
Portent gaudentes cunctæ ſua munera gentes
Congrua dona ſibi, Cæſar amande tibi.
Nos tibi pro modulo portamus munera Chriſto
Pectore ab exiguo nos tibi pro modulo.
Solamen flentis, lumen ſis lucis egentis,
C. Et ſtipes claudis, una ſalus inopi.
Te vocat auxilio mulier privata marito,
Orphanus atque ſuo te vocat auxilio.
O nimium fortis, quem nullus territat hoſtis,
Cujus & imperium non retinet ſpatium.
Eccleſiæ ſtabilem fer per tua tempora pacem,
Atque Dei laudem Eccleſiæ ſtabilem.
Copia ne rebus deſit pax atque diebus
Tempora longa tuo det Chriſti dextera regno,
D. Differat & voto tempora longa tuo.
Proſperitas detur populis. tibi multiplicetur
Ad mandata Dei pectore ſis celeri.
Munere multiplici tecum ſit gratia Chriſti,
Te repleatque ſui munere multiplici.
Brachia Sampſonis tibi donet & os Salemonis,
Abſalon faciem, Job, Danielque fidem.
Gloria lausque Deo nati comitante trophæo

14.

In XII. Apoſtolos Domini.

ECcleſiæ Petrus fert fundamenta beatus.
Paulus ad ignotas devexit ſemina terras.
Andreas crucis invexit vexillula *Patræ.*
Palpando plagas deterſit vulnera Thomas.
Hiero per Jacobum ſalvatur gens *Solymorum.*
Gratia grata Dei ſuper omnes ecce Johannis.
Vt tenebris lichnus fulgeſcit & ore Philippus.
Bartholomei meritis tenebreſcens *India* cernis.
Summa Mathee petis, cùm terrea lucra relinquis.
Arſaxen, *Zaroëmque* Simon tu *Perſide* ſternis.
Corda maligna dolis, eadémque Tadhee reſtringis.
Eccleſiæ ſancta numeraris ſorte Mathia.
Prudentûm chorus ingreditur, manet infipientum.
Dulciculas Chriſti cape vitæ janua ſponſas.
Supplicibus miſerere tuis rex Chriſte popellis.

15.

In Natali Domini, & baptiſma.

O Socij io, io! cives concurrite cuncti
Parvulus & populus, magnus adeſte chorus.
Nec mora ſit ſenibus celeres huc tendere greſſus,
Unanimes pariter quò properemus iter.
Ad fratrem, qui fortè jacens per ſomnia ſtertet,
Carmine dulciſono nunc properate domo.
Evigilat nunc omne quod eſt, quia natus adeſt Deûs.
Tu frater ſolus cur recubas domibus?
Turmula cœleſtis jam venit & obvia teſtis,
A. Hunc genus omne hominis nunc canit in populis.
Surge citus frater, frater mors eſt quoque ſomni.
Perge comes ſocijs, & properemus equis.
Curre puer nunc, curre puer, nunc tingere lymphis:
Te *Tegrin* ſomno ſuſcitat ipſe *Seo.*
Merge dolos ſomni gelidi ſub gurgite Ponti,
Abluitúrque nefas, quod trahit ad tenebras.
B. Letheus infernum cupiunt baptiſmata Chriſtum,
Qui hunc patitur morbum, non ſequitur Dominum.

16.

Ad S. Godehardum abbatem Tegernſ. cui cum cæteris fratribus benè precatur.

NObile gauderem, ſi ſcirem, dicere carmen,
Fratribus omnimodis ſalutamina mittere vellem,
C. Qualia pſallentes mirarenturque legentes.
Abbas ecce meus, nec non veſter *Gotahardus*,
Omne bonum, quod dilectis ſibi, mandat amoris.
Mitibus ùt pater eſt, & blandiloquus utì frater,
Conſociosque meos, qui turgent, acriter urget.
Frater *Frowmund*, quamvis non dignè vocatus
Centenas decies, milies quoque mille ſalutes
D. Dilectis Domino, pariter ſanctóque Quirino.
Gaudia præſentis vitæ ſator atque futuræ
Augeat in vobis pacem, tribuatque quietem.
Numine cuncta ſuo depellat triſtia ſancto,
Quamvis multorum quatiamur mole malorum.
De his ſuperûm Dominum rogitemus cum prece Chriſtum,
Ut Deus omnipotens mala pellat, proſpera reddat.

Te

Digitized by

Te venerandæ manus, ſenióque detrita
ſenectus,
Omnes presbyteros versúque ſaluto
ſub uno.
Wigo, *Perngerus*, *Gundroh*, ſeu carus
Otherus.
Fortiter & valeant, & vitam tempore
longam.
Et *Gotafrid* in his ſimul eſt mihi ſcri-
bere calvus,
Candidior cignis, nutriat vos temporis
ætas
Sæcula perducens, eandem ſuperisque
recenſens,
Et juvenum mihi conſimilis tu turmula
poſſis
Æquè, vosque meos, quos raros eſſe
dolemus.
Ah, ah, mors rapuit quosdam, quo-
que vita beavit.
Hos peto, ut hìc valeant: Aſt illi in
pace quieſcant.
Salvete pueri, ſancti famulique Quirini
Nunc ſuper & ſubtus vos oſculor in-
clyte cœtus.
Omnibus ut vobis ſim filius, aut magè
ſervus.
Hoc precor inclinans vultum, non
mente ſuperba
Me precibus veſtris commendo concio
ſancta.

17.

In filium viduæ Naimiticæ, a Chriſto ad vitam reſuſcitatum.

PLurima cum Dominus feciſſet ſigna
per orbem,
Hanc urbem properare volens, quam
nomine *Naim*
Hic vocitat populus, qui ſit regionibus
illis.
Contigit, ut veniens hunc obvia vidua
haberet.
Hoc ſacra ſcripta ferunt: hæc vidua
turbaque multa
Portabant feretro, fuerat qui filius
illi
Vnicus, extinctum: mater merebunda
ſecuta eſt.
Neſcivit Dominum aſſtantem ſibi more
benigno.
Qui miſerans dixit: mulier puerum
ſine flere.

A. Accedensque plus tetigit manibus pie-
tatis
Clariùs exclamans: tibi dico, o mor-
tue ſurge.
Qui ſurgens ſedet, & loquitur. Tibi
gloria Chriſte!
Tunc recipit genitrix genitum, natúm-
que ſecundò.
Accipit adſtantes magnus timor, undi-
que plebes
Magnificántque Deum dicentes: iſte
propheta
Maximus in nobis ſurrexit, miraque fecit,
Per quem nos populosque ſuos Deus
ipſe revisit.
B. Summe Deus me *Frommundum* ſub
morte ſepultum
Suſcita præclara pietate, reſuſcita Chriſte.
Non pereat, quod plantavit tua dextera
Chriſte.

18.

In hydropicum, a Chriſto, die Sabbati ſanatum.

CUm Phariſeorum Dominum cum
principe Chriſtum
Agnovit Phariſea manus, diſcumbere
cœna,
C. Affuit inſidians, ſi ſolvat Sabbata, curans;
Vult ſuper hunc reputare malum, qui
crimina neſcit,
Vult capere inſidijs, qui ſolvit crimina
mortis.
Hydropicus fuit ante illum, quémque
ille prehenſum
Salvavit penitus toto tergore repulſo.
Muſſavit Phariſea manus furibunda, per
ulcus
Invidiæ ſtomachata, ſuis percuſſaque
telis,
Sabbata quòd ſolvat curando corpora
digna,
D. Cùm illi aſinum atque bovem ſolvant
propter ſua lucra.
Quis veſtrum pecus inſipidum rogo
ducit aquandum,
Si cadit in fontem ciciusne revellere
currit?
Dixerat, & victi tacuerunt verbere
verbi.

19.

In Chriſtum, paralyticum ſanantem.

TRans freta jam venit Dominus,
propriam quoque in urbem:

Digitized by Google

Ecce ferunt homines hominem in lecto recubantem.
Ut vidit Dominus properantûm credula corda,
Dixit ad infirmum : ſpera peccata remiſſa.
Dixerunt ſcribæ miſeri invidiæ face toſti :
Hic vir blaſphemat, quis nec peccata relaxat.
Reſpondens Dominus Jeſus ſic dixit ad illos :
Quid facile eſt, huic laxari vel crimina, greſſus?
Hæc hominis nato quòd ſit data quippe poteſtas
Crimina laxandi, ſimul & greſſus tribuendi :
Vos & qui populi ſimul aſſunt, cernite cuncti.
Dixit ad ægrotum : nunc ſurge & ſuſcipe lectum,
Corpore, corde ſano. Sic condecet optimè Chriſto.
Officium tibi quod fecit nunc ille, repende.
Porta portantem, benè fac, qui nec malè ſentit,
Cùm graditur : tunc plebs omnis Chriſto dedit odas.

20.

Ad Peringerum Abb. Tegernſeenſ.

VErſiculis ſum dicturus vale omnibus unus.
Alloquor inprimis, qui pater eſt reliquis.
Patrem *Peringerum*, paſtoris nomine dignum.
Salve digne parens, nomen honoris habens.
Qui arguis infantes, juvenes, & nos ſeniores,
Maximè me ſolû, cum reliquis pueris.
Quod nunquam tibi verſiculum dedimus benè factum.
Quocirca faciam carmina verſiculis.
Nunc facito verſus, omnis qui ſcribere nôſti,
Ut modo pellatur mendibus ira ſuis.
Accedam prior & dicam tibi mille ſalutes,
Si hoc placitum fuerit, plus reſonare volo.
Ludos & laudes dicemus carmine fratres,
Ut pueri digno complaceamus modulo.
A. Centies & ſuper hæc millenas dico ſalutes
Patribus & cunctis fratribus in Domino.
Ammoneo ignavos pueros ſermocinibus iſtos
Et tremula revoco voce meo gremio.
Quos quondam docui, ſuper hos decuic gratulari
Et volui refici germine de ſtudij.
In quantum potui, feci quoque ſigna gerendi,
Nunc vacuos lacrimo ſæpius atque gemo.
B. Quos genui, nunc averſor : quia & actibus angor,
Senſibus everſi, moribus inpropeij.
Nec me cognoſcunt, nec ſeipſos mente revifunt,
Ut dicant pariter : eſt meus iſte pater.
Eloquor & proprium, non ſentitis genitorem?
Stato, renoſcite me; ſum pater in facie.
Sæpius edocui, ſcriptis verbiſque nutrivi
Sum mordax verbo, pectore vos ſed amo.
C. Eſt meus iſte labor caſſatus, perditus omnis,
Et torvis oculis me ſimul inſpicitis.
Si facerem mihi pendentes per cingula caudos
Geſticulans manibus, lubricè ſtans pedibus :
Si lupus aut urſus (ſed vellem fingere vulpem.)
Si larvas facerem furciferis manibus :
Dulcifer aut fabulas poſſem componere mendas,
Orpheus ùt cantans Evridicen revocat:
D. Si canerem multos dulci modulamine leudos
Undique currentes cum trepidis pedibus :
Gauderet mihi, qui propior viſurus adeſſet,
Ridiculus cunctos concuteret pueros.
Fiſtula ſi dulcis mihi triviſſet mea labra,
Riſibus & ludis oſcula conciperem.
Veridicax minor eſt vobis, quàm ligula* mendax, *f. linguula.
Diligitis jocos en mage quàm metricos.

Ludere

Digitized by Google

Ludere carminibus meliùs namque eſſe A.
decrevi,
Quæ faciunt animum creſcere & ingenium.
Vos iterum revoco vocitamine valde preclaro,
Confluite huc pueri, diſcite, quæ volui.
Non omnes odiunt, quia verbula dura loquuntur,
Diligit haud omnis, lepidè qui loquitur.
Dulciferis vos carminibus nunc congrego cunctos,
Fortiter & clamo, cùm modulamen ago.
Caris filiolis *Frowmundus* quicquid amoris,
Qui inſtatis noſtro tempore ſub ſtudio.
Te primum pono, mi frater amande *Georgi*,
Veniſti propter qui ſtudium patria.
Dulces filioli, ſtudium jam diſcite læti.
Diligo vos animo, corde ſimul doceo.
Si dictis delectantes vos gnoſcere poſ-
ſem, C.
Hæc loca gauderem proficere ad requiem.
Eja confratres certemus carmine metri:
Hoc vincens aliquis ſit melior reliquis.
Corde, dolore gemo, propter vos denique dicto.
Pſallite nunc cuncti vos rogo filioli.
Apparens Dominus cuncto venerandus in Orbe,
Jam clemens regno vos ſociet ſupero.
Patres & fratres, cunctos ſimul & ſeniores
Conſervet Chriſtus, ſit pius & famulis.
Perngero patri dicamus corde benigno:
Abbas ſis ſoſpes, tempora longa manens.
Et cuncti ſecum gratulemur ſemper in ævum,
Quod præſtet Dominus, qui regit omne quod eſt.
Cùm relegis, Pater, hæc, iterum vos alloquor ipſum,
Doctior in verbis, altior in meritis.

21.

Probè factis præmia, malè patratis pœnam exſpectandam eſſe.

SI nos tardamus, non tardant tempora noſtra.
Deficit omne quod eſt ſub curvi culmine cœli.
Aſt hominis flatus perdurat ſemper in ævum.
Seu male ſeu benè nunc operantur corpora noſtra,
Hoc quod quisque facit, recipit ſine temporis ævo. B.
Vt bona captemus, faciamus, præmia, juſta.

22.

Ad Meginhelmum adversùs ſuperbos.

TUrritum caput extollis ſuper æthera cuncta,
Altiùs abietibus, calcibus aſtra teris.
Montibus excelſis excelſior ipſe videris,
Pectore tu cœco ſtultior es cuculo.
Ipſe volat pennis, ſed tu quoque ſerpere neſcis.
Tempus & ipſe tenet, tempora nulla tenes. C.
Quid tibi conſimile eſt rerum ſubtus, rogo, cœlum?
Stultior es cunctis folliculis vacuis.
Hic retrahit flatum, quotiens efflaverit illum:
Tu ventus penitus flaminibus vacuus.
Tu tibi magnus eris, parvus mihi namque putaris,
Et mihi qui quondam, ſemper eris *Meginhalm*.
Incipe nunc humilem terris jam ſiſtere callem,
Non poteris modulum vincere corporeum. D.
Si poteris, celſum nunquid vis ſcandere cœlum?
Non, rogo ſta terris, ne capiare malis.

23.

Ad Chriſtum Servatorem Mundi de cæde SS. Innocentum.

INſontes Domini nobis ſuccurite ſanct I.
Nos gravibus vitijs per Chriſti ſolvite nome N.

Suſcipe tu dominans Sanctorum ſuſcipe voce S,
Omnibus & miſerere tuis, quos ſanguine fuſ O
Nempe reemiſti ſplendens in carcere lume N.
Traxiſti de morte tuos, mors mortua dormi T.
Ex quo morte tua reſerâſti gaudia vit E.
Sanguinis effuſor, ſævúsque inimicus Herode S.
Deſtruitur per te victus fortiſſime Davi D.
Otyor hoſtis erat volitans omni quoque vent O.
Mordax, ùt frendens cupiens Leo, perdere Chriſtu M.
Innocuos pueros ſternebat corpore nec I.
Non tamen extinctos incluſit tartara dæmo N.
In gremium cœli vexit ſed gratia ſumm I.
Nomina habent in fronte ſua, Patris quoque nome N
Omnes, & clamant modulando carmine pulchr C.
Bombo, qui luctus lacrimantur conjuge Jaco O
In ſuperis plorat pueri ceu mater ablat B.
Sed nimio non vult luctu ceſſare deplangen I.
Sunt quia, ſed non eſt illis regreſſio triſti N.
Vt veniant iterum mundum, qui planctus in uſ C.
Coſmica cuncta manent, deterſa triſtia, done D.
Cunctipotens veniens nos omnes colligit illu C.
Vvida vos ſancti clamat mea palpebra flet V.
Rectorem Mundi, precibus rogo, flectite ſempe R.
Rex fortis Jeſu dominans miſerere precamu R.
Impie quod geſſit *Fromundus* corpore fact I,
Tollite peccatum, quos Chriſtus ſanguine tinxi T.
Evdochias oſoplon ſtephanoſas Kyrie Chriſt E

A. Sanctos innocuos, qui cantant carmina laudi S:
Ante thronum Domini cantant ſibi carmina pulchr A.
Noſtrum vindica ema * ſplendens de lumine lume N.
Confratrum numerus dictum eſt, requieſcite, done C
Tempus adhuc modicum, cùm Rex fortiſſimus aſſta T.
Inſontes Domini nobis ſuccurrite Sanct I.

* *αἷμα, ſanguinem.*

24.

B. *Epitaphium Rihkeri.*

Hôc requies tumulô membrorum facto *Rihkero*,
Conditur in tumulo, qui placuit populo.
Carmina concinimus, ſed fletibus ora rigamus,
Solvimus officium funeris atque precum.
Plangimus incaſſum, repetunt dum membra ſepulchrum.
Vt quid id eſſe gemis, corpus & unde geris?
Mors manet in vita, geritur quia corpore cincta.
Pulvera portamus, vermis & eſca ſumus,
Carnibus in vermes reſolutis pulvera ventis.
Nunquam vita manet, mors niſi cùm veniet.
Hìc cogita, plus gaudendum de morte beata:
Hoſpes adiſſe tuis cur gemis hoſpitijs?
Corpora dum pereunt, animas tunc morte beabunt,
Tunc animæ creſcunt, oſſula dum pereunt.
Quinta Idus Junij perfecit tempora ſecli.
Fractum turma petat, ſpiritus ut valeat.

25.

*Verſus in librum * Dictaminum ab ſe collectum.*

* *continetur eo Codice, quem ſub nomine Fromundi hactenus citavi.*

Quæ mihi dictanti conceſſit gratia Chriſti
Verſibus aut chartis, in corpus vertere ſcriptum

Decre-

Decrevi, quotiens hoc poſſum ferre peraptum,
Mortuus ut tandem Domini vel laudibus addam,
Cùm non lingua ſonat, quæ reſtat littera pangat,
Infima ſi fuerint, non ſunt ſpernanda legenti,
Cùm nullus ſermo Chriſto ſe ſubtrahat almo,
Omnibus, ùt vult ipſe, dabit, nec corpora cernit,
Parva replens magnis, & fortia ſpernit in altis.
Hoc placuit propter nullis me parcere verbis,
Quin ſcribatur enim, quicquid non mittitur igni
Aut curſu celeri transportet nuntius orbi.

26.

Verſus Vdalperti in Codicem Pſalmorum. *

* *Extant in eod. Cod.*

HUnc ego Pſalmorum ſtudui conſcribere librum
Vdalpertus, ut hic paſcas animam quoque *Heitvvih.*
Ornavi, ùt potui : decuit ſic nobilitari
Pſalterij Dominam, colui ſimul & generoſam.
His leviora facis curarum ponderà ſcriptis
Et meditare pijs, quæ reſtant gaudia cœlis.
His magis inſiſtas cupias, quàm fœmina iocis.
Hæc iterum atque iterum ſemper mediteris in ævum.
Gaudia certa manent, quæcunque hæc pectora volvent.
His inimica potes ſuperare ſequentia vires.

27.

* *Apologia pro Schola Wirtzburgenſi ejuſq; Magiſtro adversùs quendam calumniatorem.*

* *Ex Cod. Frenmundi, etſi ob manûs, qua tamen peranti-qua eſt, diverſitatem non omnino certum*

NOmen ùt *herbarum* tenet hæc urbs proficuarum,
Qualibus imbuti reparant ſua membra ſaluti,
Sic perfectorum genitrix eſt diſcipulorum.
Profert doctrinam quia ſtultorum medicinam.
Per proprium nomen monſtrat divinitus omen.
Poſſe ſuum fructum vitij depellere luctum,
Germine radicum quòd fert vicus inimicum,
Vim pellens morbi, dum cuncto proficit Orbi.
Sordibus inflati cum ſtultitia cruciati,
Inſtar leproſi, ſeu qui degunt vitioſi,
Huc adducantur, quoniam melius renovantur
B. Doctiloquis verbis, quàm membra ſalubribus herbis.
Summis archivis epulas acquirere ſi vis,
Nec non perfectæ ſcrutari Dindina * ſectæ.

* Dindyma.

Vuangia cur langues ſtolidas ſervando phalanges?
Noſtros conventus odeat tua ſtulta juventus.
Quàm ſint limantes aurum velut igne probantes
C. Noſtri Rectoris normæ non vilis honoris,
Eccleſiæ ſummam quem cernimus eſſe columnam.
Ad quem procedit, quicunque docendo placebit.
Princeps primatum, qui pandit abdita vatum,
Mundi cunctorum tranſcendit culmen honorum.
Nam meritis nullum ſimilem fert mundus homullum.
Ipſe Poëtarum fulget decus omnigenarum.
Imperio Chriſti moderando ſceptra
D. Magiſtri.
Præter ſcripturæ ſtudium nihil eſt ſibi curæ,
Cultor virtutis manet, æternæque ſalutis.
Vim talem mentis dono tenet Omnipotentis,
Doctrinæ rivus fluit ejus pectore vivus.
Æternum numen ſermonum dat ſibi flumen.
Eſt ornamentum nobis hujus documentum,
Vt verni flores cui creſcunt ſemper honores.

Indoctis

Indoctis lumen cùm fert, ſeu mentis acumen,
Grammaticas partes, ac cunctas inſtruit artes.
Tempore nocturno, neque vult ceſſare diurno,
Dicta peritorum depromens Orthographorum.
Tanto Paſtori nunquam ſunt ſcripta labori,
Ceu ſolis lumen ſibi ſed patet omne volumen,
Ingenio mundum faciens vernare rotundum.
Strenuus & juſtus, gemmis virtutis onuſtus,
Dat pernox Argus documenti fercula largus.
Cura ſubtili proprio vigilabit ovili.
Præter mercedem licet ejus viſere Sedem.
Propter ſollertes non umquam ſpernit inertes.
Firmat prudentes, dum corripit inſipientes.
Omnes communi voto ſibi jungimur uni.
Æquat Sampſonis vires, ſtudijs Salomonis.
Expers fallendi procedit lege docendi.
Sed noſter cœtus tali de principe lætus,
Sollers, inſomnis, catus hunc venerabitur omnis.
Nunquam torpeſcit, cujus qui jure quieſcit.
Talis *Mandritæ* verbum fert gaudia vitæ,
Propter quem gentes huc diverſæ venientes,
Non plus vicini, quàm quærunt hunc peregrini.
Curritur a turbis iſtius mœnibus urbis.
Hunc ſibi ductorem, vel gliſcunt ammonitorem.
Nobilium proles cujus cùm captet amores,
Lectio pupilli non fiet dedecus illi.
Quilibet aſſiſtat, ſibi proficiendo patriſſat.
Nullus morealis pollet ſic artificialis.
Deſit perdocto cui nil virtutibus octo.
His ornamentis humilis ſtat gloria mentis.

A. Vivat hic indemnis, cum commoditate perennis.
Virtutum plenus ſit, proſperitate ſerenus.
Nil eventorum cui quod maneat nociturum.
Triſtibus exutus, lætetur & undique tutus.
Gaudia veracis ſibi ſint celeberrima pacis.
Per ſummas metas vitæ ſua prodeat ætas,
Atque ſenectutis ſint tempore dona ſalutis.
B. Virtutis miræ cœleſtia dignus inire
Viſitet æternam lucem, requiemque ſupernam.
Mundi Salvator ſui * cœli cùm dominator
Omnibus in portis rumpet retinacula mortis,
Ac per divinam vocem ſpoliat Libitinam:
Ante ſuam Sedem mandans procedere plebem,
Pro meritis vitæ tunc doctrinis deco-ratæ
C. Hic ceu lucet, ſeu ſecum gaudia ducet.
Diſcipulos cunctos, ejus moderamine functos,
Pontificis ſummi, quem tunc ſectantur alumni
Pro quis luceſcit ſtellis par ac requieſcit.

Talibus augmentis gaudens de quinque talentis
Nunc commendatis ſibi, tunc Dominóque relatis,
D. O puer, inſignis nos accendens velut ignis,
Qui primùm fictis hunc roſiſti maledictis
Te ſe doctorem blaterando tenere priorem.
Hoc cùm dixiſti, permultum deſipuiſti,
Doctum Platonem ponendo poſt Labeonem.
Tunc utinam mutus fueras, hanc quando locutus.
Cunctis oſtendis, ſed talem cùm reprehendis,

Temet

Digitized by Google

Temet mendosum læsisse canem furiosum,
Mente quod insana ferat iracunda Diana,
Sordibus imbutæ seu te mentis malè tutæ
Collum maternum, vel confregisse paternum.
Tu cultor furni teneas sortem taciturni,
Moribus immundus, sordens vitijs, furibundus,
Turpis, blasphemus, vitiorum stercore plenus,
Sensibus & vanus, quòd turberis malè sanus.
In numero Cleri sis indignúsque teneri,
Aut fore te furem, quòd non ego dicere curem.
Hoc sed dicebant hi, quia tua scripta videbant,
Talia te fatum propter propriumque reatum,
Quatinus in pœna sis propter tale poëma.
Hunc culpans nævum, qui contrit omne per ævum.
Sunt assertores huic omnes inferiores.
Hunc fator iratum, destructor amicitiarum
Demonstrato, togas cur nos deponere cogas,
Nobis inmitis, transmittens nuntia litis?
An nos mellitam nescis hic ducere vitam,
Vndique pacatos, & de nullis superatos?
Te nullum verbum nostri turbaret acerbum,
Si tu cessasses, quòd talia non rogitasses.
Funditus invitos scio nos pugnare petitos.
Ex hoc non latres rixis, sed reddito grates,
Quòd non rixando loquor hæc sed consiliando.
Est tibi discrimen nostrum contingere limen,
Gymnasijque locum nugace notamine vocum.
Id quare glisces, quod adhuc lacrimando gemiscas,

A. Semper deflebis, si nos pugnando movebis.
Vis per conflictum belli tergum dare victum,
Aut post procinctum manicis te reddere vinctum?
Congressum belli deponas pullus asselli,
Qui vice prædonis catulis sis præda leonis.
Si prece persistas, partes ducamur in istas,
Vt videas bellum te despoliare misellum,
B. In morem vermis pedibus sternaris inermis.
Pace coronaris, quam tu sermone sequaris,

Mecum sensisti qui nobile dogma Magistri,
Qui nos informat, ratione facetus adornat.
Hunc quia laudâsti, me perquam lætificâsti.
Inter nos iræ fugiat discordia diræ.
Expertes belli nos simus, amore gemelli:
C. Fœdus Davidis mecum, Jonathæque subibis.
Nil nosmet sævum conturbet nunc & in ævum.
Multùm mirantur, nam talia qui speculantur.
Sunt, qui cum rixis nobis in pignore fixis
Omnes devinces tibi conspectum fore finis,
Judex subtilis licet assis flos juvenilis
Spernendo falsos, suprave modum malè falsos,
D. Id retinens certum, cunctos superare disertum,
Nobis tutelæ qui dat decus atque loquelæ.

Dic, cur baccharis nobis, qui bella minaris?
Pacem spernendo, cum Martis amore furendo
Compositor metri propter mendacia tetri?
Musæ sylvestri discors ratione pedestri
Turbabis Musam fallendo, fugans Arethusam,

Syllaba quòd muta monſtrat ratione locuta
Ponere legitimum. Neſcis, quia carmine rhythmum,
Grammaticam metam te linquere cernо poëtam?

Pauperies ranæ quondam jus cœpit inane
Dicens, Divinam ſe ferre feris medicinam.
Increpat his culpis hanc ſed verſutia vulpis:
Me non fruſtraris, quia te medicum meditaris.
Te fore mendoſam ſcio per pellem maculoſam,
Maxima te peſtis quòd vexet, ſum tibi teſtis.
Primum ſolamen tibi profer vel medicamen,
Artis opem nobis poſthac adhibeto Peonis.
Sic emendator, ſic es vitij comitator.
Vocibus inmanis, doctrinæ prorſus inanis,
Crimen culpabis, ſed mox exemplificabis,
Quòd cor non celat, quoniam Scriptura revelat.
Verſibus oblatis mendacibus, immodulatis.
Non oſtendiſſes te ſtultum, ſi tacuiſſes,
Sermonisque nota monſtraris nunc idiota.
Nos non contriſtas, pugnæ dum tela miniſtras,
Prælia ceu magnus nobis minitando tyrannus,
Et quod non audes dictatu, volvere gaudes.
Nobis divinam poſcamus opem fore primam.

Chriſte tui Cleri turmam dignare tueri.
Sanctificans ſignum crucis hinc fuget omne malignum,
Rex Conſtantinus quam ſenſit in agmine primus.
Nec non de cœlis ſuffragia ſint Michaëlis.
Noſtris tutelis ſit præſidium Gabrielis.
Nos corruptelis manus eripiat Raphaëlis.
Angelici cives omnes nobis date vires.

A. Auxilijs dandis veneremur ſacra Johannis.
In pugna metri petimus munimina Petri.
Cui conſors aulæ cœli nos protege Paule.
Gratia Levitæ Stephani det gaudia vitæ,
Auxilijque manus tendat S. Kilianus.
Cum pacis palma proprium defendat agalma.
Teſtis divinus ſiat tutela Quirinus.
Aſſis Ambroſi fautor belli generoſi.
Sancte regens haſtas Hieronyme poſcimus aſtes.
B. Nos Auguſtinus defendat Rhetor opimus.
Doctor Gregori da, ne ſint bella dolori.
Protegat invictus nos in pugna Benedictus.
Tumbam Burchardi quæramus non prece tardi.
Doctorésque ſales ope ſint hìc prodigiales.
Sancti ſeu cuncti nobis ſuccurrite juncti
Præſtando caſtris noſtris tutamen ab aſtris.

C. Hæc nos cantemus, Martem nihilúmque timemus.
Sic nos parmati ſtamus pugnare parati.
Nobis admittas quamvis tu mille ſagittas:
Nos impugnando venias licèt utpote grando.
Sed tamen attritos bellando tuos parafitos,
Viribus extenſis penetrat *Saxonicus* enſis,
Noricus & *Suevus* cupiunt conjungere fœdus.
Te non ſectantur, ſed nobis auxiliantur,
Qui non formident, quin te vincendo trucident.
Quod nunquam credis, niſi cùm certando videbis.
In regno primos neſcis hìc eſſe Latinos,
Noſve coëquales miraberis eſſe ſodales.
Iſtic diſcendo, ſeu contra te veniendo.
Ac nobis dones in circuitu regiones,

D. Qua-

Digitized by Google

Quarum formoſi ſunt hìc juvenes generoſi.
Tu peris econtra ſed ſpiritualia monſtra.
Expers ſtas artis credens his jurgiâ Martis.
His quia confidis, de pugna victus abibis.
Jam tu cognoſcis, quòd nos non vincere poſſis.
Præſidium gentes cùm dent ſimulacra colentes,
Inſtar jumenti fugientes jus documenti.
Cùm reputes vivos de congreſſu fugitivos,
Inferni divos cur optabis redivivos,
Quos lex Plutonis damnavit fauce draconis.
Non reſonante lyra cujus mulcebitur ira,
Quicquid hic acceptat, nullius jam prece reddat?
Surgens de tumba te non tegit Herculis umbra.
Hunc tibi Semideum ſcio non præſtare trophæum.
Rurſus iniquorum creſcit cultura Deorum.
Id ſi tu credis, prorſus ratione carebis,
Jungere gentiles Chriſti velit ùt ſibi miles.
Numquam certabit ſocio conamine David.
Herculeas pugnas nullis precibus ſibi jungas.
Chriſticolas ſervi fugiant in agone protervi,
Cultus atrorum ſortiti dæmoniorum.
Qui dum vivebant, non umquam lice carebant,
Nec poſſunt jungi ſocio, non agmine fungi.
Has belli ſortes ſcio non ſociare cohortes.
Quas ſi conducis, tenebris das munia lucis.
Talibus offenſi, vel cœlicolæ reprehenſi
Te non ſectantur, ſed nobiſcum comirantur.
Tutores noſtri, quos tu non quæreré nôſti.
Sed ſeductores ſequeris, quod poſtmodo plores,
Vivis defuncti ſi ſint certamine juncti.

A Hanc armaturam ſcio non nobis nocituram.
Jam denatura, niſi diſcedant ſua jura.
Sed cur vis hoſtes, proprios dimittere poſtes?
Hic tu pervilis noſtris ſuperabere pilis
Iſtuc ceriti, nugacis nilque periti
Si tua procedant, & nos convicia lædant,
Fortes Athletas, poterisque videre poëtas.
Numquam cedentes, cùm tu fugiendo clientes
B. Alvo diviſa pereas noſtrata fariſâ.* Velox ùt ventus fuget omnis nempe juventus,
Quando truncatur, quisquis tibi collateratur.
Perfoſſus coſtis moribundus vinceris hoſtis
Terra procumbis * referendo viſcera lumbis,
Poſtremo feſſus, telorum turbine preſſus
Noſter captivus, ne ſis poſt hæc fugitivus,
C. Nobis infeſtus, nulla ratione moleſtus,
Ducaris frenis conſtrictus ſive catenis,
Carcere concluſus plangens, aut compede truſus.
Jam nos irrita, quò ſic pereat tua vita.
Deſine nunc iræ vel noſtræ damna ſubire.
Vtile cognoſcis, ſi pacis munera poſcis.
Ne venias duplex, ſed trade manus citò ſupplex.
Suſcipiens regis noſtri moderamina legis,
Cùm penitus vires deſint in corde viriles
Temet tutandi vel nos umquam ſuperandi,
Stultitiæ captum ſic, ad nihilúmque redactum,
D. Iſtic ægrotum volumus te ſumere potum
Funditus infontis noſtri de flumine fontis.
Expers eſt fellis nimia dulcedine mellis.
Iſtinc ſi diſcis ſtatim ſenſu reſipiſcis.
Rectè vivendi potaris & dogma loquendi.

Hæc ſi contemnis, ſeu noſtrates reprehendis,
Herculea fibra creſcens ſiccabitur hydra,
De nobisque mori tibi tunc continges honori.

* *Cod.* fariſa.

* *f.* referendo.

Nos non devinces, licèt inferni tibi princeps
Infernum linquat, sic auxiliando propinquat.
Perdere compellis nos te, pugnando repellis.
Ex hoc desistas, ulla ratione resistas.
Istic præscriptum metrico modulamine dictum.
Cùm precor ejus opem, nec non venerabile nomen.
De cujus domis modulo fungor rationis,
Credens dicentis sic scripturæ documentis.
Nomine signetis Domini vos, quicquid agetis.
Nobis ductores verbi dum posco fatoris
Agrum divinum plantantes semine primum.

Cetera deesse videntur.

XLIIII.

Bernonis Abbatis Augiensis Præfatio in Libellum de consona Tonorum diversitate.

etc. 1014.

Ex Cod. Sancti-Gall.

BErno gratia Dei, etsi non merito, tamen officio *Abba*, dilectissimis in Christo filijs *Purchardo* & *Kerungo*, unà cum cæteris in Dominicarum scholarum Gymnasio *Augiæ* vacantibus, de virtute in virtutem diutim proficere, ut Deum Deorum in Sion valeant conspicere.

Vestri precùm instantia nuper admonitus, ut quosdam Versiculos super *consona Tonorum diversitate* compositos, vestræ sagacitatis industriæ ad discendum contraderem, non statim hæc de causa ad id faciendum animum appuli: quia ridiculo me non defuturum apud posteros credidi, si inter sapientiæ thesauro abundantes, ac Divinarum humanarumque litterarum larga copia instar torrentis affluentes, ego totius eloquentiæ expers quiddam mutire præsumerem; illamque sententiam mihi posse obijci non immerito expavi: *in silvam ne ligna feras.* Et: *in mare quid pisces?*

Sed rursum illam Domini sententiam considerans, quæ ait: *qui petit a te, da ei.* Et: *volenti a te mutuari ne averteris*, etsi non ùt petentibus, saltim ùt mutuum sibi præstari volentibus penitus denegare nequaquam sum ausus, non parum fœnoris me sperans adquisiturum, si pro verbosa vel undecunque adquisita compositiunculæ garrulitate, docta domesticæ eloquentiæ vestræ merear participari sobrietate.

Igitur Octo Tonis manifestum est Musicam consistere, per quos Musicæ modulationis consonantiæ, quas nunc interim brevitatis studio præterimus, amica quadam suæ conjunctionis affinitate sibi invicem videntur concordare: quorum apud nos nomina a primo usque octavum ex ordinis sui auctoritate sumpsêre primordia. Ex quibus quatuor, id est: I. III. V. VII. Græco eloquio *Authentici* vocantur, eò quòd cæteris, videlicet II. IV. VI. VIII. quasi quadam Magisterij auctoritate præesse videantur. *Authenticum* namque auctorem sive Magistrum sonat. Vnde sicut superiores *authentici* vocantur, ita inferiores *plagæ*, quasi partes ex latere superiorum procedentes dicuntur. Qua ratione contigit, ut qui communi Latinorum locutione dicitur primus, ab hujus artis magisterio imbutis nominetur *authenticus protus*, quasi primus auctoralis: Secundus *plagis protus*, vel plaga, id est: pars parti: Tertius *authenticus deuterus*, eò quòd secundæ sit auctoritatis: Quartus *plagis*, vel *plaga deuteri*: Quintus *Authenticus tritus*, nihilominus ex ternario & auctoritate nomen sortitus. Cui *sextus* secundùm suprà dictam rationem subijcitur. Septimus *authenticus Tetrardus* ab ordine & ipse ita vocatus. *Tetra* Namque *quatuor* dicuntur. Deinde sequitur octavus, qui Septimo subditur. Vnde & *plagis tetrardus* vel *plaga tetrardi* est vocatus. Denique non immerito I. III. V. VII. *authentici* vel *principales* dicuntur, cùm eorum sonus sit altior, ascensus superior. Nam sicut unusquisque eorum a suo finali incipiens novenarium limitem licentem ascendendo contingit, descendendo in sibi vicinum aliquando usque ad tertium sonum pervenit: ita inferiores in quintum usque ascendunt, in quartum verò sonum descendunt. Vnde & hi inferiores, scilicet II. IV. VI. VIII. a superioribus, velut discipuli a magistris ex toto non recedunt, sed quodam vicino sonorum tenore adjuncti, quandam

sui

sui discipulatus formam ad superiores protendunt, dum & ascensus eorum, ùt supra prænotatum, fit brevior, & descensus inferior.

Omissis igitur singulorum tonorum differentijs, quæ pro diversa Doctorum consuetudine aliquibus in notulis parum quid discordare videntur, singulis tantum versiculis principalem sui sonitus tenorem tam in Antiphonis, quàm in Responsorijs exempli causâ adjunximus. Insuper & alios ejusdem regulæ *versus* & *Introitus* & *Communiones* pertinentes, cum suis tamen differentijs, quia pauciores sunt & certiores, nihilominus superaddere curavimus.

Quòd si Karitatem vestram differentias sive diffinitiones Antiphonarum delectat, vestro more subnectere, sat placere nobis scitote. Cæterùm obedientias vestram omnino contestor, quatenus hæc eo karitatis affectu, quo a me sunt composita, suscipiatis, meique utpote boni filij sui patris, memoriam in Christo habeatis. Valete.

Incipit Opus.

Primùm quærite regnum Dei.
Gloria seculorum amen.
Ecce nomen Domini.
Angelus Domini.
Antequam convenirent.
Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.
Beata es Maria.
Secundum autem simile est huic.
Gloria seculorum amen.
Justè & piè vivamus.
Archangele.
Assumpsit Jesus &c.

XLV.

Bernonis Abbatis Augiensis Epistolæ.

1.

Ad Vo. Abbatem, a quo nunquam divelli vellet.

indidem. Domino *Vo.* summa veneratione colendo, ac splendido Abbatum Speculo, *Berno* Sancti Benedicti discipulorum clientulus, quicquid patri filius, Domino servus.

SUavissimo virtutum tuarum odore, Pater beatissime, semel aspiratus, nunquam, si posset fieri, jocundissima harum assiduitate vellem privari. Hinc A. mihi dies noctésque tali æstuanti desiderio, nulla res refrigerio esse poterit alia, nisi sola optatissimi vultus tui præsentia. Quam quia nunc coram nequeo, saltim præsentium litterarum officio interim saluto, interque charitatis vulnera (*vulnerata*, inquit Sponsa, *caritate ego sum*) hujuscemodi voce utor cum Psalmista: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Quò nisi sub umbra culminis tui? Vbi si cum passeribus, id est: veris Christi pauperibus nunc nidificando requiescerem, me quandoque ex eorum numero B. futurum esse non desperarem, de quibus Esajas loquitur dicens: *Sancti, qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ùt Aquilæ, volabunt, & non deficient.* De quorum collegio tu, qui es dulce Decus nostrum, omniumque diadema Monachorum indubitanter existens, jam spretis Mundi hujus desiderijs, cum his, de quibus dictum est: *ibunt de virtute in virtutem*, fortitudinem mutâsti jam velut Aquila reviviscendo, sumptis virtutum pennis ad alta volâsti, nec in infirmitate corporea C. deficens, sed potiùs cum Apostolo proficiens & dicens: *quando infirmor, tunc fortior sum.* Et quia illius Divinæ promissionis compos existere meruisti, quæ dicit: *sustollam te super altitudinem terræ*, me, quæso, ad te sic exclamantem exaudi: *trahe me post te*, quatinus in odore unguentorum tuorum me currente, illa hæreditate tecum merear participari, quam Dominus dignatus est tibi polliceri: *& dabo tibi*, inquit, *hæreditatem Jacob patris tui.*

2.

D. *Ad Geronem seu Jeronem Archiepiscopum Magdeburbensem. Gratulatur ei pacem Imperij, commendatq; Monasterij sui res, ac regulas Episcopatum sanctè administrandi exponit.*

Domino Apostolicæ dignitatis apice sublimato G. Parthenopolitano Archiepiscopo. B. Dei Matris ac Virginis servus, intimæ devotionis cultum, perfectæque fidei integritate refertum.

GLoriam laudis Deo Angeli meritò decinerunt in excelsis, quando nu-

per hominibus bonæ voluntatis, per vestræ solicitudinis curam ipso auctore Deo tantum pacis effulsit in terris. Siquidem hujus salutiferæ pacis donum cùm universis, spe ad superna tendentibus, votis omnibus sit adoptandum, specialiùs tamen Christi Sacerdotibus, non modò inquirendum, verùm juxta Psalmistæ vocem præ omnibus est persequendum: *Inquire*, inquit, *pacem*, *& persequere eam*. Cujus rei non immemor Apostolus ait: Pacem & sanctimoniam sequimini, sine qua nemo videbit Deum. Sed & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, peracta carnis dispensatione ad Patrem reversus, hanc discipulis suis commendavit attentiùs, quatinus dulcissimo hujusmodi pignore velut ultimo vale divinitus consolati, in cœlesti Hierusalem, quæ interpretatur *visio pacis*, ipsius quandoque perfrui mererentur visione Redemptoris.

In hujus itaque pacis studio dum animum vestrum, tum populorum famâ, cùm ipsa rerum experientia, intentum esse cognovimus, immensas largitori omnium gratias referimus, qui de virtutum vestrarum profectu tantò uberiùs gratulamur, quantò per veræ charitatis effectum menti vestræ arctiùs amando conligamur. Vnde per has beatitudinem vestram litteras nimiùm salutantes, solicitè curavimus admonere, quatinus bonum pacis, quod exteriùs in Mundo necessariò agitis, circa domesticos quoque fidei ob quietem servorum & ancillarum Dei interiùs exercere non negligatis, quò per ipsorum merita intercessionum quandoque pervenire valeatis ad regna Polorum.

Sed hæc interim omittentes intimamus, quæ nobis adjaceant incommoditates. Nam noveritis, multis æmulorum insidijs nos patere, qui omnino quietis nostræ studio invident, ita ut omni artis ingenio elaborent, si quo modo pias ac religiosas Regiæ Majestatis aures siniſtris rumoribus de nobis nostrísque mentiendo possint inficere, & quiddam de rebus ad nostrum usum pertinentibus quoquo modo intercipere, ùt vobis ex parte constat manifestum esse: &, quod graviùs immis viscerum suspirijs est ingemiscendum, hi præcipuè in hac parte videntur notabiles, qui sub habitu venerationis speciem tenus prætendunt formam sanctitatis. Quia si veraciter eorum interiora morum probitate exterioribus concordarent, nequaquam adhuc per vitium seculo fidem servarent. Verùm cujuscunque sint Ordinis vel conditionis, callidæ ac inimicæ eorum tergiversationi providentiæ vestræ clypeum humiliter petimus opponi, ne quidem arte maligna, nostra apud Dominum nostrum possit lædi innocentia.

Cœterùm in hujus scedulæ calce nostrum parumper, quæsumus, animadvertite commonitorium, etsi minùs eloquentiæ melle sapidum. Nimio enim vestri amoris igne succensi, dulce habemus vestram diutius clementiam affari, utpote cujus jocundissimæ memoriæ suavitas ex primo cognitionis nostræ tempore a tabula cordis nostri nullo oblivionis stilo potuit aboleri. Congratulamur nempe sic temporali vestræ gloriæ, ut potiùs optemus vos modis omnibus aptari beatitudini perpetuæ. Quod tunc dignè de vobis fieri poterit, si dignitatis vestræ officium diligenter attenditis: si qualem Episcopum oporteat esse, apostolica lectione, vigili meditatione perquiritis: si in Mundo, qui in maligno positus est, corporis estis necessitate, in cœlestibus autem conversamini mentis contemplatione, ut possitis illud Apostoli proclamare: *nostra autem conversatio in cœlis est.*

Oportet etiam, ut talentum Regiæ familiaritatis in miseria & afflictione positis piè ac misericorditer per intercessionis auxilium subvenientdo, Domino, a quo illud percepistis, repotetis cum lucro. Et hanc observationis regulam omni nisu implere contendite, ut, dum in activi laboris studio diem consumitis, in usum quietæ contemplationis per orationis instantiam nocte resumatis. Itemque redeunte mane diluculo, priuiquam quidpiam operis incipiatis, lectioni Divinæ operam detis, quatinus his, lectionis videlicet in mane, orationis in vespere vicissim studijs exercitati, ea, quæ in medio actualium operum negotia versantur, in die puriori mentis oculo, Christo auspice, valeatis discernere.

At quia non est in homine via ejus, sed a Domino diriguntur gressus ejus, ipse assidua prece ad cor signandum, &c ad

& ad greſſus operum dirigendum eſt invitandus, qui in Canticis Canticorum ſponſæ ſuæ, ſanctæ videlicet animæ hortando dignatus eſt dicere: *pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum*, ut videlicet per cordis cogitationem intus ſit charitas de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta, & foris eadem cordis devotio monſtretur in proximorum condeſcenſione per bonam operationem, ut ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Patrem veſtrum in cœlis.

Hujusmodi, Paſtor amantiſſime, ſignaculis intus cordis cogitationes, ac deforis brachiorum veſtrorum opera jugiter ſignate, quatinus corde & corpore velut vas electionis mundatum atque ſignatum, illud Zorobabelis ad vos a Domino dirigatur promiſſum: *aſſumam te ſerve meus, & ponam te quaſi ſignaculum, quia elegi te, dicit Dominus.*

Verùm quoniam a bono pacis cœpit exordium noſtræ narrationis, libet in ejusdem commemoratione finem ſermoni imponere. Igitur ſi nomini veſtro I. *Jero Salem* jungatur dictio, viſionem pacis indicare videtur absque dubio, una duntaxat O. litrera ob certam futuræ coronæ ſignificationem in medio pro V. poſita, ut ex hoc liquidò colligatur: quia ſi ſanctitas veſtra in hac convalle lachrimarum pro pace & unitate Catholicæ matris Eccleſiæ ſolicitè inſudaverit, ſicut nunc pacis participatur vocabulo, ita ejusdem quandoque viſione perfruatur in præmio.

3.

Ad Heinricum II. Imperatorem. Celebrat ejus virtutes, gratiasq; ei pro collata ſibi Augia Præfectura agit, ac lata omnia precatur.

Domino ſuo, Chriſtianæ Religionis Propagatori Orthodoxo, *Heinrico* Imperatori Auguſto, nec non terrarum marisque Domino, honorificè a Deo ſublimato atque coronato, *Bern*, ſuorum meritis extremus, humillimæ devotionis obſequia cum orationum inſtantia.

JUre immenſo cordis jubilo grates rerum omnium perſolvimus Domino, qui in modum excelſæ pyramidis, veſtræ dignitatis magnificentiam univerſis ſuperexcellere fecit regnis. Quæ non immeritò hujus pulcherrimi ſchematis decori comparari poſſe creditur, cùm gloriæ veſtræ fama ſuper cunctos ubique gentium dominantes ita excelſi verticis ſublimitatem extollendo emineat, ut in ſui admirationem cunctorum aſpectus alliciat. In veſtræ etenim mentis arcem omnigenerarum virtutum Idea conſcendens te velut ſpeculum inſpiciendi omnibus præbet, in qua fides Patriarcharum fulget, ſpes Prophetarum ſplendet, charitas Apoſtolorum ſupereminens pollet, ac per hoc Deo auxiliante cum David foruter vendicaris regna, & cum Salemone pacificè gubernatis imperia. Quòd ſi adhuc in præſentis ſeculi ſalo fluctuantes, varios bellorum eventus ſuſtinetis, & juxta illud Jacob Patriarchæ videantur vos exaſperare & jurgari, invideantque habentes jacula, venient autem dies, in quibus juxta eundem Patriarcham *ſedebit in forti*, id eſt: in Deo, *arcus* veſter, *& diſſoluta* erunt *vincula brachiorum & manuum* illorum *per manus potentes Jacob.* Quia quamvis per Orbis terrarum ſpatia jam nunc triumphi veſtri ubique prædicetur victoria, attamen perfectæ pacis dono uberiùs habebitis perfrui, quando ſubjugatis Sanctæ Eccleſiæ inimicis cum populo Dei audire poteſtis: *Dominus pugnabit pro vobis, vos tacebitis.* Et illa Joſeph benedictio ad vos dirigetur, *qua* dicitur: *Deus patris tui erit adjutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi.* Tunc etiam juxta vaticinium Eſaiæ quieſcere faciet Dominus ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabit, & paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter agent. Quin & ille Rex, de quo Salemon ait: *Qui ſedet in ſolio judicij, & diſſipat omne malum intuitu ſuo*, conſequenter ſupernæ miſerationis reſpectu vos intuebitur, atque tranquilla temporum quiete conceſſa coronare dignabitur juſtitiæ coronâ.

Inter hæc ego quoque humilis veſtri clientulus non immemor beneficiorum, quibus me, licet inmeritum, de paupertatis ſtercore voluiſtis erigere, & cum principibus populi Deo auctore in quadam dignitatis ſede collocare, cum omni

omni grege mihi credito totam ſpem meam diu noctuque in precibus ad Deum fundo, quatenus præſentis vitæ proſperitas arrideat ad votum, futuræ beatitudinis felicitas vobis cedat in præmium.

De pacifico Imperij ſtatu, de vario procinctûs eventu, & quod his omnibus majus eſt, de corporis animæque veſtræ ſalute, per præſentium litterarum portitorem nos certificate, quatinus omnium bonorum largitori gratiarum actiones referamus læti. Auguſtalis Imperij veſtri ſublimitas per multa annorum curricula hìc benè regnando proficiat, ut pòſt in Paradiſi amœnitate operum ſuorum fructum dulciter carpat. Vale.

4.

Ad H. Abbatem S. Salvatoris, cui profecturus valedicit, ſuorumq; ei fratrum neceſſitates commendat.

Abbati H. germanæ charitatis affectu dulciſſimè conjuncto, B. dimidium animæ ſuæ, ſe ipſum in omni fide.

QUia ab ipſis pene infantiæ vagitibus cara amicitiæ ſolidicate in unum quoddam concrevimus, conſequitur, ut decus hoc ſociale ſit inter nos inenodabile. Sic enim cor unum & animam unam in Chriſto habere valebimus ſi juxta Apoſtolum alter alterius onera portamus. Ergo longioris viæ, ùt benè nôſti, iter arreppturus, agere cœpi, qualiter nec tu remaneres a me inſalutatus, nec ego abirem a te indonatus. Quapropter accipe has litterulas, vice amici directas, quæ & ſalutationis ex me officium expleant, & mihi in tantæ neceſſitatis articulo conſtituto ſuccurrere te commonitum reddant: non quò nunc demum beneficium jungat, quos jam olim beneficentia copulaverat, ſed juxta illud Apoſtoli ex æqualitate veſtra abundantia noſtram ſuppleat inopiam, ut & noſtra abundantia veſtræ (quando attamen, & ſi ita loquimur: divites enim eſtis) inopiæ ſit ſupplementum. Alioquin, ùt Tullius ait, *nimis exiguè eſt & exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par ſit ratio acceptorum & datorum, ditior*, inquiens, *mihi & affluentior videtur eſſe vera amicicia, nec obſervare reſtringere*, *ne plus reddat quàm acceperis.* Neque enim verendum eſt, ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo quidem in amicitia jam congeratur. Hujus igitur memor dicti in omni amicitiæ theſauro nihil reperiens, quod mihi quidem pretioſius videtur, meipſum tibi trado in omnibus: quo munere (non) ambigo te potiſſimùm frui velle, ut & ego pari modo te fruar in Domino. Vnde inter ſacra Miſſarum ſolemnia orationumque libamina, ùt ego tui, tu, rogo, ſis memor mei, omnique gregi Sancti Salvatoris tibi credito, congruæ ſalutationis verbo ex me præmiſſo, quo charitatis affectu poteris, me noſtrósque omnes commendare curabis. Vale.

5.

Ad Augienſes. Statuit, quid a ſuis pro defuncti Heinrici Monachi anima amplius perſolvendum ſit.

Bernо, Dei Matis ſervus, *Augienſium* fratrum collegio veram dilectionem in Chriſto.

QUalis erga me in præcordiorum veſtrorum ſecretis affectus maneat, litterarum veſtrarum textus ſatis intimavit. Qui licèt mellita, ut ſic dictum ſit, dulcedine totus redundans, de veſtra proſperitate, Deoque digna converſatione multùm nos lætificaverit, non parum mœſtitiæ cordi ingeſſit, quando lamentabilem fratris noſtri *Heinrici* obitum ad memoriam revocavit, quem non tam mortuum lugemus, utpote quem mortalem ſciebamus, quàm tam ſubitò heu! nobis ablatum dolemus. Verùm quia nunc magis, ut cujusdam utar verbis, tempus eſt medelæ quàm querelæ, abſtergantur lachrimis genæ, abſcedat luctus, fugiat dolor & gemitus, ſit nobis & illi in communi conſolatio Chriſti.

Pro ejus verò animæ abſolutione, quamquam ſolitum ac humanæ ſorti debiremus nos jam expleviſſe officium, aliquid tamen neceſſariò putavimus adjiciendum, omnino æquum judicantes, ut is, qui juxta veſtræ profeſſionis teſtimonium in exteriori actione pro communi omnium noſtrúm utilitate hìc, quoad vixit, cum Martha benè miniſtraverat, interveniente orationis veſtræ ſuffragio, nunc

nunc cum Maria optimam partem habere valeat in Chriſto. Vobis itaque in unum congregatis & meo ſpiritu, fraterne rogamus, ut continuos triginta dies computetis, ex quibus nullus intermittatur, quin ſalutaris hoſtia pro ejusdem fratris anima immoletur, cum totidem pſalterijs & vigilijs, ita ut in prima die paſcantur pauperes C. in tertia CC. in ſeptima CCC. in triceſima CCCC. ut hujus millenariæ perfectionis ſummâ ibi fiat remiſſio plena, ubi melior eſt dies una in atrijs Domini ſuper millia. Vobis verò fratribus noſtris, nec non & Clericis, per cellas noſtras conſtitutis in ſupradictis quatuor diebus congruam & convenientem pro charitatis officio refectionem parari cenſemus. Hujus diſpoſitionis ordinatorem ac proviſorem dominum *Tietbaldum* eſſe volumus, cui etiam fratrem Alavvicum unacum his, qui foris ſunt, miniſterialibus adjutorem deputamus. Val.

6.

Ad Burchardum Abbatem, cui obitum Henrici Monachi Augienſis nuntiat.

Vnicè dilecto Abbati *Burchardo*, B. cuculligerorum meritis extremus, indiſeretæ fidei pignus.

LIcèt Apoſtolica auctoritate de charorum, in Chriſto dormientium (obitu) prohibeamur conſtritari, pietatis tamen affectus ad dolorem excitat pectus. Sed congruus in utrisque modus eſt habendus, quatinus de inlata mortis conditione ſic pietus cogat flere, ut de futura beatæ inmortalitatis gloria ſpes conducat ad gaudere. Quod nunc de chariſſimi fratris noſtri *Heinrici* corporis depoſitione neceſſario nobis agendum eſſe credimus, quandoquidem lachrimis eum ad nos revocare ulteriùs non poſſumus, cùm utique ſi hoc prodeſſet, ſolæ Domini imprimis pro ſui clementia lachrymæ ſufficere poſſent. Pro quo etiam omnis pene cohors Palatina gemit trahitque ſuſpiria. Quapropter tergantur lachrimæ, preces pro ejus requie ad Deum fundantur aſſiduæ. Non ſit conſolatio abſcondita ab oculis noſtris: A. quia ipſe, qui mortis venas ſiccavit, & infernum iter fratris dividentem confregit, illum, ùt ſperamus, de medio mortalium ideo eripuit, ut morte vitam meliorem commutaret. Ideoque pereunte triſtitia ſuccedat lætitia, maximè cùm Salemone teſte *melior* ſit *dies mortis die nativitatis*: quia nimirum cùm peccator moritur, peccare jam deſiſtit, juſtus verò in memoria æterna erit, & ab auditione mala non timebit.

Hunc igitur, mi præcordialis amor, omnigena te prece deprecor: ut quia noſtri amoris mediaſtinum non tam per- B. didimus, quàm ante nos ad Creatorem præmiſimus, amodo in germanæ charitatis vinculo ligemur arctiùs, ut non jam duo, ſed unum ſemper vivamus in Chriſto. Vale.

7.

Ad H. Epiſcopum. Queritur ejus ſibi copiam in loco & die conſtituto fuiſſe ſubtractam, rogátque, ut ſe amari patiatur.

Prælucido magnorum ſpeculo H. Anti- ſtiti venerando, B. acſi indignum C. Dei Matris ac Virginis mancipium, ſinceræ devotionis obſequium.

SI veterum illa ſententia conſtabit, *amicorum (omnia) eſſe communia*, nihilominus omnia & ipſius amicitiæ jura, quæ qui amittit, jure amici nomen perdit, quandoquidem illius animum non cuſtodit, qui, ut uſitato cujusdam utar verbo, eſt ei *alter ego*. *Non* enim, ut tuus ait Tullius, *debet amicitiarum, ſicut aliarum rerum eſſe ſatietas*. *Tuus*, non *veſter*, ideo dixi: quia ſalva interim ſeorſum, reverentia non, ùt nunc Epiſcopum, ſed, ùt quondam, amicum, D. te ſtatui alloquendum. Cujus vocabuli officijque pariter, ùt mihi videre videor, oblitus, novos quosdam moliris modos, cùm juxta prædicti familiaris tui ſententiam, veterrima quæque, ùt ea vina, quæ veruſtatem ferunt, eſſe debent ſuaviſſima, verumque ſecundùm ipſius teſtimonium illud ſit, quod dicitur, multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut amicitiæ munus expletum ſit.

Nos verò quamvis multum temporis in amicitiæ veruſtate jam explevimus, nondum tamen vel unius ſextarij, ne

Digitized by Google

dicam modij, summam, in hujusmodi vetustatis consuetudine consumpsimus. Et tu velut jam tam honestæ virtutis munere officiosè inter nos expleto, ita te subitò ab affabilitate subtrahis, ut nec salutari a me patiaris? Ergo postquam nuper te abeunte prælibatis oscuIis valefacientes ab invicem discessimus, sponsionis tuæ verba, quibus te in revertendo me potissimùm expetiturum promittebas, velut dulcissimum pignus in arca cordis servabam, die noctuque ad optatissimum reditus tui nuncium suspensus manebam, cùm ecce subitò cum voto gratulationis legationem suscipio, quæ mihi injunxit tibi occurrere die constituto. Sed quo fato nescio spe frustratus maneo. Ego pessulum ostij mei in corde tibi dilecto aperui, at tu declinaveras atque transieras, mihique insalutato pro vestigijs amoris reliqueras stimulos doloris, cùm ego versa vice per glacies & aquas amoris tui igne succensus ad te transire essem paratus, ut in me studio & officio benevolentiæ impleretur, quod dicitur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Quapropter gratæ vicissitudinis munus amico repende, teque mihi ad salutandum, colloquendum amplexandumque totum citiùs contrade, ut qui sola inter nos benevolentia interveniente cœpimus gratis amare, arctiùs in Christi charitate valeamus amodo cor unum & animam unam habere. Alioquin attende, quod tu ipse testatus es, Tullium dixisse: *Charitate enim*, inquit, *benevolentiaq; sublata omnis est vitæ sublata jocunditas.* Vale.

8.

Ad A. Episcopum. Monet, ne in deligendo Henrici Imperatoris successore præceps sit, sed omnia communicato cum alijs consilio agat.

Domno Antistiti glorioso A. B. Dei Matris ac Virginis servus, debiti famulatus & orationis munus.

LIcèt ob primi parentis culpam assiduè carorum mortem cogamur de-

A. flere, convenit tamen in illo consolari, qui est primogenitus mortuorum & Princeps Regum terræ. Vnde de (morte) charissimi Servatoris nostri Regis & Imperatoris H. tandem quantulumcunque velut consolati, has etiam consolatorias litteras vestræ direximus Sanctitati, solicitè admonentes, tam ejus dignè memoriam semper habere, quàm etiam de regni vestri statu non negligere. Quod tunc rectè facitis, si minùs præcipites in consilijs vestris festinatis. Decet vos ùt sapientes regni vestri exspectare consortes, quatinus nunc iterum unius Regis B. cara jungat societas, regat auctoritas, glorioſos reddat civilitas, quos hactenus nulla Alpium potuit separare asperitas, nec publica aut privata causarum sequestrare. Sciatis enim, publicum Conventum omnium nostrûm prid. Non. Sept. esse juxta *Rhenum* in loco, qui dicitur *Kambe*, ubi, si quid utilitatis Domino adjuvante regno nostro fuerit pertractatum, vobis quoque erit proficuum. Nam omnia nostra vestra, ùt versa vice omnia vestra nostra.

C. Te inclyta *Italia* soror salutat *Francia*, suadens unitatis fœdera, quoad libare mutua valeatis oscula, ut Deus pacis & consolationis velociter conterat Sathanan sub pedibus vestris. Sic enim inter vos sociale bonum firmiter constabit, si illud antiquum vestrum *idem velle ac nolle* nullo modo titubabit. Hanc amicitiæ legem natura velut quoddam solitarium, ex quo Karoli cœperunt, Ottones in Heinrico desierunt, vobis præ omnibus contradit munus, ut quasi unus animus esset in vobis pluribus.

D.

Quapropter agite consultè, jus amicitiæ servate, magni consilij Angelum expectate, quia scriptum est: *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.* Hæc habui pauca, quæ commemorarem benivolè: vos autem suscipite amicè. *Leonem* vestrum, immò & nostrum, fortissimum fide, & *Heinricum*, virum antiqua virtute, ex nostro officio salutate. Propterea tibi *A.* seorsum gratias referimus, quia nostra acsi propria tueri cognovimus.

9. *Ad*

Digitized by

9.

Ad H. Epiſcopum. Petit ab eo reliquias S. Vrſi Martyris, cujus corpus transferendum eſſe inaudierat.

Domno H. Antiſtitum flori, omnigenarumque virtutum Decori, B. Dei Matris ac Virginis ſervus, omneque fraternum *Augenſis* Cœnobij Collegium, ſummum & indeficiens bonum.

SI quid inter cœleſtis aulæ milites diſtare poteſt, hi nimirum præſtare videntur, qui per aſcenſum purpureum ad illud aureum noſtri pacifici regis pervenire meruerunt reclinatorium. Hic Apoſtolorum limina teruntur, hinc Martyrum ſuffragia poſtulantur, populi conveniunt, vota vovent & ſolvunt, ut per vitulos labiorum gratum Deo offerant ſacrificium. Et quia illius ferculi media, unde ad ſuperiùs dictum reclinatorium aſcenditur, caritate ſunt conſtrata, meritò quisquis ad illud verum eſſe fidelium tendit, per alium ſperare debet, quod ipſe conſequi non valet. Teſtatur hoc Apoſtolica auctoritas, quæ ſic præcipiendo dicit: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Et Jacob: *Orate pro invicem, ut ſalvemini.*

Si hujusmodi ſalvatio per hos, quorum adhuc corpus corrumpitur & adgravat animam, poteſt promereri, multò magis Deo auctore ab his ſalvari (nos) ſperandum, quorum animæ jam cum Chriſto in cœleſti exultant gloria, ubi in juſtorum habitaculis reſonat vox exultationis & ſalutis. Hujus rei gratiâ ad te, Reverendiſſime Patrum credimus has litteras deſtinare, per quas indubitanter ſperemus charitatis dona poſſe impetrare. Reſperſit namque nos odor dulcis famæ, qua comperimus, vos ſancti ac ter quaterque beati Martyris *Vrſi*, videlicet Patroni veſtri, (corpus) velle transferre, quod omnino nobis gaudio ſciatis fore. Quapropter te, qui fidei merito, Sedisque Epiſcopalis privilegio tam præclari officij miniſter præcipuus digne exiſtis, primùm venerantes, deinde cunctos, qui piæ religionis ſtudio ad id ipſum conveniunt, humillimo cordis affectu ſalutantes, devoti rogamus & A. ſupplices, quatinus pro munere benedictionis mereamur per vos donari tanti Patroni reliquijs.

hujus voti ſi Deo auſpice compotes fuerimus, diem etiam paſſionis, vel ſiqua ejusdem geſta Martyris penes vos habentur, nobis transmitti modis omnibus adoptamus, quatinus nunc apud memoriam beati Martyris velut in agro Dominico ſimul orationum ſemina jaciamus lachrimantes, ut per ejus interceſſionem in fine bonorum operum manipulos ad cœleſtem aream reportare mereamur ovantes. Vale.

10.

Ad Cunonem, a quo ejusdem ſancti Martyris Vrſi Reliquias expetit.

Virtutum viro, ideoque *Cunonis* nomine digno, B. Sanctæ Mariæ ſemper Virginis mancipium, unacum Congregatione ſibi credita, fraternæ charitatis munia.

QUia te quatuor quaternarum virtutum generibus reipſa quadratum eſſe comperimus, petitionis noſtræ affectum tibi pandere non ambigimus. Eſt nobis in proximo locus, Divino cultui aptandus, quem aliquo raro ſacrarum Reliquiarum ornatu dotare cupientes, has tibi litterulas per Fratrem noſtrum P. transmiſimus, ſuppliciter deprecantes, uti ex benigno caritatis tuæ munere aliquam portionem ex ſacratiſſimo corpore beati *Vrſi* Martyris Chriſti ac Patroni veſtri nobis liceat contingere, ut ſimul habeamus, unde in commune in Domino ſemper gaudeamus.

Nos verò pro hujusmodi recompenſatione promittimus tibi indiſcretæ fidei D. pignus interim inviolabile, donec ipſum Dominum recipias in præmium, ſi nunc pro ejus amore noſtro ſatisfacere curabis deſiderio.

11.

Ad Fridericum. Cur Caſſianus Collator a tam multis reprehendatur &c.

Suus ſuo, Bern Friderico, ùt veræ pacis diviti, cum miſericordia & veritate ſemper oſculanti bonum, quo non præſtantius.

IGnis ille perpetuus, de quo Legislatori a Domino præcipitur, ut nun-

quam de altari deficiat, in ara cordis tui jugiter flagrat, ex quo thymiama devotæ orationis ſuave adoletur. Cujus ego inter cæteros amicitiæ tuæ viros odore attractus, etiam ſi volo, immemor tui eſſe nequeo, præſertim cùm tui verba ſapientis, juxta illud Salemonis ſint apud me *quaſi clavi, in altum defixi*, quorum ego vel memoria ipſe recreor. Igitur dum præſenti anno *Coloniæ* conveniſſemus, ibique dulcis quædam de ſacra Scriptura inter nos habita eſſet collatio, ſubitò quæſtionem intuliſti, cur Caſſianus, qui *de Inſtitutione Monachorum* multa compoſuit utilia, idem reperiatur, qui præcipuè ejusdem reprehenſor * eſſe videatur. Ades ergo animadvertens, quæ dico.

* *apogr.* reprehenſores eſſe videantur.

Caſſiodorus ex Senatore Monachus, vir in Divinis & humanis litteris eruditus, cùm Pſalmi Sexageſimi noni primum verſum, qui ſic incipit: *Deus in adjutorium meum intende*, expoſuiſſet, adjunxit: *Sed non ſequendus in omnibus generaliter hunc locum facundiſſimus Caſſianus in Decima Collatione plurima de ejusdem verſus hujus utilitate ediſſerens, tanto honore concelebrat, ut quicquid Monachi adſumpſerint, ſine hujus verſiculi trina iteratione non inchoent.* Item in alio Opere ad Monaſterij ſui fratres: *Caſſianum*, inquit, *Presbyterum, qui conſcripſit de inſtitutione fidelium Monachorum, ſedulò legite, libenter audite, qui inter initia ipſa ſancti propoſiti octo principalia vitia dicit eſſe fugienda.* Et paulò poſt: *Qui tamen de libero arbitrio a beato Proſpero jure culpatus eſt. Vnde monemus, ut in talibus rebus excedentem ſub cautela legere debeatis. Cujus dicta Victor, Martyritanus * Afer Epiſcopus, ita Domino juvante, purgavit, & quæ minùs erant, addidit, ut ei rerum iſtarum palma meritò conferatur.*

de Inſtit. Divin. Lit. c. 29.

* *Cod.* Matarita-nus

Qui a tribus reprehenditur, quorum teſtimonijs errâſſe convincitur, dum Caſſiodorus dicit, eundem *non in omnibus ſequendum*, & *beatum Proſperum jure de libero arbitrio eum culpaſſe* adfirmat, & *Victorem Epiſcopum ejus dicta purgaſſe* conlaudat. Et quantum, a quibus, vel unde reprehenderetur, hoc eſt: de libero arbitrio, jam aliquatenus audiſti. Nunc ubi locorum in ſcripturis ſuis hæreticus ille error lateat, charitas veſtra diligenter advertat.

In Libro ipſius, qui prætitulatur *de Protectione Dei*, introducit idem Caſſianus quendam, *Cheremonem* nomine, de gratia & libero arbitrio diſputantem, cujus per omnia ſe probâſſe ac ſuſcepiſſe oſtendit ſententiam. Vbi ab eo loco, in quo dicit: *Adeſt igitur nobis inſeparabiliter ſemper Divina protectio*, usque ad ejusdem penè Collationis finem, a veritatis linea exorbitare videtur, dum alterno quodam ſenſu ex ſacra Scriptura adverſa ſibi quædam colligit, ex quibus generali omnium fidelium diviſione habita affirmare contendit, quòd alij ſint, quos Deus per gratiam ſalvet: alij, quos natura per liberum arbitrium juſtificet. Vnde de Deo infert: *Qui cùm in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inſpexerit, illuminat eam confeſtim atque confortat, & incitat ad ſalutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipſe plantavit, vel noſtro conatu viderit eveniſſe &c.*

Si verò obijcis, nil jam reprehenſionis in illo reperiri poſſe, eò quòd ſupra diximus, Auctore Epiſcopo eundem emendatum fuiſſe Caſſiodoro teſte, noveris, illum emendatum penes nos minimè haberi: ſicut nec ipſe Caſſiodorus tunc temporis habuit, quando hæc ſcripſit. Vnde & dicit: *Quem, librum* videlicet, *inter alios de Africæ partibus citò nobis credimus eſſe dirigendum. Sed vos*, inquit, *cariſſimi fratres Deo juvante eas partes legite, quas ſalubriter cognoſcitur ille laudâſſe*, niſi fortè tu illam habeas, in quo inter odoriferas ſuavium ſententiarum roſas ſpinas errorum inveniri non metuas: nec illud Virgilianum ibi putes auribus admittendum: *Fugite o pueri, latet anguis in herba.*

Verùm ne faſtidium lectori videamur ingerere, ſi omnia hujusmodi falſitatis dogmata in hac epiſtolari brevitate volumus detegere, præcipuè cùm contra easdem hæreticæ pravitatis ineptias, Dei gratiam impugnare nitentes, liber extet Catholicus, a beato ſæpe jam dicto *Proſpero* editus: Libet pauca de multis ejusdem gratiæ Divinæ defenſoris verba ponere, ut clareat ex adverſo, quis horum meritò ferat palmam ex hoc certaminis campo.

Poſt-

Digitized by Google

Poſtquam enim Doctor prædictus in Catholica acie conſtitutus inimicum gratiæ Dei ſacræ Scripturæ armatura expugnavit, murúmque infidelitatis fidei ariete contrivit, ante finem Libri ſic ait : *Neceſſarium nunc ſanè æſtimo ante concluſionem voluminis ea, quæ oſtendimus non congruere Catholicæ veritati, breviter conjunctímque digerere, ut quæ interjectis reſponſionibus noſtris poſſunt recordationem legentis effugere, fideliùs ſimul decurſa recolantur.*

A. Prima ergo diffinitione dictum *Proſper.* eſt, *non ſolùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium, qui nobis & initia ſanctæ voluntatis inſpirat, & virtutem atque operationem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum. Qui & incipit, quæ bona ſunt, & exſequitur & conſummat in nobis.* Quod & nos valde amplectimur, Catholicumque eſſe profitemur.

B. Secunda diffinitione dictum eſt : *Caſſianus.* *Adeſt igitur inſeparabiliter nobis Divina protectio, tantaque eſt erga creaturam pietas Creatoris, ut non ſolum comitetur eam, ſed etiam præcedat jugiter providentia. Quam expertus Propheta confitetur dicens : Deus meus miſericordia ejus præveniet me. Qui cùm in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inſpexerit, illuminat eam atque confortat, & incitat ad ſalutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipſa plantavit, vel noſtro conatu viderit emerſiſſe.*

Proſper Jam hìc a præmiſſa diffinitione deſcenditur, & quod totum gratiæ fuerat datum, ex parte nunc libero arbitrio deputatur.

C. Tertia diffinitione dictum eſt : *Caſſian.* *Niſi quòd in his omnibus & gratia Dei & libertas declaratur arbitrij : quia etiam interdum ſuis motibus homo ad virtutum poſſit extendi appetitus, ſemper verò a Domino indigeat adjuvari. Nec enim cùm voluerit quis, ſanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo per arbitrij ſui deſiderium liberatur,* quaſi medicus noſter non etiam hoc donet morbidis, ut veram deſiderent ſanitatem.

A. Quarta diffinitione dictum eſt : *ut autem evidentiùs clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum eſt, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia (quæ tamen niſi a Domino dirigantur, ad conſummationem virtutum pervenire non poſſunt) Apoſtolus teſtatus eſt dicens : velle adjacet mihi, perficere autem bonum non poſſum.* Quaſi Apoſtolus ex naturali affectu, & non ex gratiæ bono bonam habeat voluntatem, qui profitetur ex Deo ſibi eſſe ſufficientiam cogitandi.

Quinta diffinitione dictum eſt : *Et* B. *ita ſunt hæc quodammodo indiſcretè permixta atque confuſa, ut quid ex quo pendeat, inter multos magna quæſtione volvatur, id eſt : utrum, quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, miſereatur noſtri Deus : an quia Deus miſeretur, conſequamur bonæ voluntatis initium. Multi enim hæc ſingula credentes, ac juſto amplius aſſerentes, varijs ſibiq; contrarijs ſunt erroribus involuti. Si enim dixerimus, noſtrum eſſe bonæ principium voluntatis, quid fuit in perſecutore Paulo, quid in publicano Matthæo, quorum unus cruore ac ſupplicijs* C. *innocentum, alius violentijs ac rapinis publicis incubans attrahitur ad ſalutem? Sin verò pro gratia Dei ſemper inſpirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide, quid de illius pietate in cruce latronis dicemus, qui deſiderio ſuo vim quamdam regnis cæleſtibus inferentes ſpecialia vocationis monita prævenerunt?* In errore eſſe dicitur *Proſp.* & is, qui ex gratia naſci bonam voluntatem, & is, qui dicit gratiam ex bona pendere voluntate : Et tamen utraque ſententia ſuſcipienda decernitur, dum unius in Paulo & Matthæo, alterius in D. Zachæo & latrone forma præfigitur.

Sexta diffinitione dictum eſt : *Hæc* *Caſſian.* *ergo duo, id eſt : gratia vel liberum arbitrium ſibi quidem invicem videntur adverſa : ſed utraque concordant, & utramque nos pariter debere ſuſcipere pietatis ratione colligimus, ne unum horum homini ſubtrahentes, Eccleſiaſticæ fidei regulam exceſſiſſe videamur.* Quaſi ita utrumque recipiendum ſit, ut *Proſp.* in alijs hominibus voluntas gratiam, in alijs gratia præveniat voluntatem : & non ita, ut in omnibus voluntas gratiam ſubſequatur : quoniam ſecundùm

Digitized by Google

ipſos ſi aufertur liberum arbitrium, cùm gratia prævenitur, aufertur gratia, cùm libero arbitrio prævenitur.

Caſſian. Septima diffinitione dictum eſt : *Concepit ergo Adam poſt prævaricationem, quam non habuerat, ſcientiam mali : boni verò ſcientiam, quam acceperat, non amiſit :* Cùm utrumque ſit falſum : quia & a quanto malo Adam cavere deberet, Deo monente prædidicit : & in quanto bono eſſet conſtitutus, dum diabolo credidit, oblitus eſt. Sicut autem peſſima ſcientia mali eſt malum eſſe : ita peſſima ignorantia boni eſt bonum non eſſe.

Proſp.

Octava diffinitione dictum eſt : *Vnde cavendum nobis eſt, ne ita ad Deum omnia Sanctorum merita referamus, ut nil niſi quod malum eſt, humanæ naturæ adſcribamus.* Quaſi natura ante gratiam non ſit in damnatione, non ſit in cæcitate, non ſit in vulnere, aut non gratis juſtificati ſint, quorum inde ſunt merita, unde juſtitia.

Caſſian.

Proſp.

Nona diffinitione dictum eſt : *Dubitari ergo non poteſt, ineſſe omni animæ naturaliter virtutum ſemina, beneficio Creatoris inſerta. Sed niſi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire.* Quaſi de ſpiritualibus bonis nihil Adam prævaricando perdiderit : & virtus non ut habeatur, danda, ſed ut faciliùs perfectionem apprehendat, hortanda ſit.

Caſſian.

Decima diffinitione dictum eſt : *Quod etiam in Job, probatiſſimo Athleta ſuo, cùm eum diabolus expetiſſet ad ſingulare certamen, Divinam legimus providiſſe juſtitiam. Si enim contra inimicum non ſua virtute, ſed Deus ſolius ſuiſſet gratia protegente congreſſus, & abſque ulla virtute patientiæ ſuæ Divina tantùm opitulatione ſuffultus, multiplices illas, ac tota inimici crudelitate quæſitas tentationum moles & exitia pertuliſſet, quomodo non illam calumnioſam diabolus, quàm priùs amiſerat, vocem adversùs eum juſtius iteraſſet : nunquid Job gratis colit Deum ? Nonne tu vallaſti eum & univerſam ſubſtantiam ejus per circuitum? Sed auſer manum tuam, id eſt : ſine eum mecum ſuis viribus decertare, niſi in faciem tuam benedixerit tibi. Sed cum nullam hujuſcemodi querimoniam calumnioſus hoſtis poſt conflictum audeat iterare, non Dei, ſed illius ſe victum viribus confitetur. Licèt enim gratia Dei non in totum illi defuiſſe credenda ſit tantam tentatori tentandi tribuit poteſtatem, quantam & illum reſiſtendi noverat habere virtutem.*

Proſp.

Si Deus ſcivit tantummodo, quòd Job poſſet, non etiam donavit, ut poſſet, teſtis patientiæ ejus, non auxiliator fuit. Et in quo erit neceſſarium gratiæ adjutorium, ſi humanis ſolis viribus tanta illa eſt patrata victoria ?

Caſſian.

Vndecima diffinitione dictum eſt de Centurionis fide : *Miratur eum Dominus atque eum laudat, cunctisq; illis, qui ex Iſraëlis populo crediderant, præfert dicens : amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſraël. Nullius enim laudis ac meriti eſſet, ſi id in eo Dominus, quod ipſe donaverat, prætuliſſet.*

Proſp.

Impius ſenſus, qui putat beatiorem eſſe hominem, cui Deus nil dederit, quàm cui univerſa contulerit.

Caſſian.

Duodecima diffinitione dictum eſt: *Inde eſt, quòd orantes non ſolùm protectorem, ſed etiam ſuſceptorem Dominum vocamus. In eo enim, quòd prior advocat, & ignorantes nos atque invitos attrahit ad ſalutem, protector atque Salvator eſt. In eo autem, quòd annitentibus nobis opem ferre, refugientésque ſuſcipere ac munire conſuevit, ſuſceptor ac refugium nominatur.*

Proſp.

Huic ſententiæ is poteſt præbere conſenſum, qui ſe a Chriſto non vult eſſe ſalvatum. His itaque diffinitionibus hoc docetur, hoc ſcribitur, hoc editis diſputationibus prædicatur, quòd Adam peccante anima ejus læſa non fuerit, ſanumque in eo manſerit, unde peccavit : ſi quidem ſcientia boni, quam acceperat, non amiſerit, nec potuerint poſteri ejus perdere, cujus damnum nec ille pertulerit. Ineſſe autem omni animæ naturaliter virtutum ſemina, beneficiò Creatoris inſerta, ut poſſit, qui voluerit, judicio naturali Dei gratiam prævenire, & adjutorium ejus, quo faciliùs ad perfectionem perveniat, promereri, quia nullius ſit laudis ac meriti, qui donatis bonis, non proprijs adornatur. Cavendum quoque eſſe, ne ita ad Deum omnia Sanctorum merita referantur,

tur, quasi per se nil boni possit agere humana natura, cùm tanta sit virtutum ejus integritas, ut etiam ipsum diabolum sævitiamque ejus usque ad extrema supplicia sine auxilio Dei valeat dimicare. Hanc autem possibilitatem in omnibus hominibus esse naturaliter, sed non omnis ingeneratis sibi uti velle virtutibus. Tantam autem circa universos homines bonitatem esse Creatoris, ut alij ab eo, quia sponte veniant, suscipiantur laudati: alij autem, quia resistunt, attrahantur inviti: Atque ideo volentium susceptor, nolentium verò Salvator sit. Et cùm pars Ecclesiæ ex gratia, pars autem justificetur arbitrio, gloriosiores sint, quos natura provexerit, quàm quos gratia liberârit: quia ad omne opus bonum tam libera sit voluntas in Adæ posteris, quàm in Adam fuerit ante peccatum.

Hucusque Prosper.

Hæc interim tibi ad ea, quæ interrogâsti, dilectissimè, sufficiant. Cæterùm si quid plenius super hoc nôsse desideras, ipsum Librum beati Prosperi inde compositum lege, & liquidò comprobabis, Cassianum, virum licèt in alijs probatum, in hac parte jure culpatum.

Nunc igitur ad te, mi præcordialis Amor, stilus vertatur, ut, quia in mei pectoris arca diligenter servaris, debito charitatis officio saluteris. Cupio te in omnibus tuimet solicitum esse, & juxta illud Sapientis teipsum agnoscere. Ecce Mundus in maligno positus est. Qui diligit Mundum, diligit malignum. Qui diligit malignum, non diligit Deum. Superest igitur, ut qui diligit Deum, non diligat Mundum. Vnde & Johannes admonet dicens: *Nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo sunt. Si quis diligit Mundum, non est charitas Patris in eo.* Felix illa conscientia, quæ Mundanæ substantiæ subsidijs, sine quibus hæc præsens vita non ducitur, sic utitur ad usum, ut non abutatur ad luxum! Quæ puro mentis intuitu captiosa hæreticæ deceptionis prævidens reticula, diabolica terræ voraginis cavet profunda, sicque hostis callidi insidias, ne latenter inrepant, explorat, ut laqueos ejus evadat sicut ille, qui dicebat: *anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini.* Cujus adjutorio confisus cum hoste congredere securus, hoc semper volvens in animo, quia corona non nisi certamini debetur legitimo. Vnde in rationali pectoris tui sint quatuor ordines lapidum jugiter inclusi, singuli ternis Patriarcharum nominibus inscripti, ut quatuor principalium virtutum excellentia insignitus, Sanctæ Trinitatis fidem confitearis securus. Sic enim Sanctorum Patrum memoriam velut quoddam bonorum operum decus in sanctuario pectoris die noctúque gestando dignus eris, qui de medio fratrum tuorum eligaris, ut sacerdotio coram Deo fungaris. In cujus dignitatis gradu constitutus, semper in ara cordis efficiaris Deo victima salutaris, victima sale sapientiæ condita, atque igne Spiritus Sancti concremata. De quo igne & sale videtur Dominus in Evangelio dixisse: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima salietur.* Vale.

XLVI.

*Aribonis * Scholastici Frisingensis ad Ellenhardum Episcopum suum Præfatio in Librum suum de Musica.*

Circ. 1072.

** Vid. Anonym. Mellic. de Script. Eccli. c. 106.*

Domno suo *Ellenhardo*, Præsulum dignissimo, in universa morum honestate præclaro, *Aribo*, quæ præparavit Deus diligentibus se.

Ex Cod. Admont. sec. XII.

Literarum mearum, Pater & Domine venerabilis, præsentiæ vestræ, quæso, præsentetur dignatio, donec auribus misericordiæ percipiatis, quid meus stilus pannosus videlicet referat legatus. Qui licèt veste nuptiali non intret, priùs tamen deprecor iterum atque iterum, non abhorreatur, quàm suam legationem repræsentet.

Cùm summæ capacitatis in Musicæ Monochordíque sitis regulis, ut cantilenarum vestrarum observata diligentia affatim vobis perhibent testimonia, præsumpsi vos eligere Palemonem ad cujusdam theorematis, id est, speculationis perceptionem, [ut] post feriarum rerum laboriosam intensionem, in istis aliquando quasi ludi blandientem habeatis remissionem.

Est

Eſt quædam quadripartita figura, modernis adeò venerabilis, ut pauciſſima ſine ea ſint monochorda &c.

LXVII.

* *Præfigitur etiam ejusd. Guidonis Micrologo.*

*Guidonis Aretini Epiſtola * ad Michaëlem de Artificio novi Cantûs, emendatius ex Cod. Emmeramm. Ratisbonæ edita, quam in Annalibus Baronij & Mabillonij extet.*

Circ. 1026.

Beatiſſimo atque Dulciſſimo Fratri M. Guido, per anfractus multos dejectus & anctus.

AUt dura ſunt tempora, aut Divinæ diſpoſitionis obſcura diſcrimina, dum & veritatem fallacia, & charitatem perſæpe conculcet invidia, quæ noſtri Ordinis vix deſerit ſanctitatem, qua Phyliſtæorum concio Iſraëliticam puniat pravitatem, ne ſi mox fiat quicquid ùt volumus, a Deo, in ſe confidens periturus decidat animus. Tunc enim eſt verè bonum id, quod facimus, cùm noſtro factori adſcribimus omne, quod poſſumus. Inde eſt, quòd me vides prolixis finibus exulatum, ac teipſum, ne vel reſpirare quidem poſſis, invidorum laqueis ſuffocatum. Qua in re ſimillimos nos cuidam dico artifici, qui cùm Auguſto Cæſari incomparabilem & cunctis inauditum ſeculis theſaurum, flexibile videlicet vitrum offerret, quia aliquid ſuper omnes homines potuit, ideóque ſuper omnes homines aliquid promereri ſe credidit, peſſima ſorte juſſus eſt occidi, ne, ſi, ùt eſt mirabile vitrum, poſſet eſſe durabile, regius omnis theſaurus, qui de diverſis erat metallis, fieret extemplo vitabilis. Sicque ex illo tempore maledicta ſemper invidia, ſicut quondam Paradiſum, & hoc quoque mortalibus abſtulit commodum. Nam quia invidia artificis nullum voluit edocere, potuit Regis invidia artificem cum arte perimere. Vnde ego inſpirante Deo charitatem non ſolùm tibi, ſed & alijs, quibuscunque potui, ſumma cum feſtinatione ac ſolicitudine a Deo mihi indigniſſimo datam contuli gratiam, ut quos ego & omnes ante me ſumma cum difficultate Eccleſiaſticos cantus didicimus, ipſos A. poſteri ſumma cum facilitate diſcentes, mihi & tibi ac reliquis adjutoribus meis æternam apportent ſalutem, fiatque per miſericordiam Dei peccatorum noſtrorum remiſſio, vel modica tantorum ex charitate oratio. Nam ſi illi pro ſuis apud Deum devotiſſimè intercedunt Magiſtris, qui hactenus ab eis vix decennio cantandi imperfectam ſcientiam conſequi potuerunt: quid putas pro nobis noſtrisque adjutoribus fiet, qui annali ſpatio, aut, ſi multum, biennio perfectum cantorem efficimus? Aut ſi hominum conſueta miſeria beneficijs B. tantis ingrata extiterit, num quidnam juſtus Deus judex laborem noſtrum non remunerabit? An quia Deus hoc totum facit, & nos ſine illo nihil poſſumus, nihil habebimus? Abſit. Nam & Apoſtolus cùm gratiâ Dei ſit id, quod eſt, cantat tamen: *bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Securi ergo de ſpe retributionis inſiſtamus operi tantæ utilitatis. Et quia poſt multas tempeſtates redijt diu optata ſerenitas, navigandum feliciter eſt. Sed quia diffidit tua de libertate captivitas, C. rei ordinem pandam.

Summæ Sedis Apoſtolicæ *Johannes*, qui modò Romanam gubernat Eccleſiam, audiens famam noſtræ ſcholæ, & quomodo per noſtra Antiphonaria inauditos pueri cognoſcerent cantus, valde miratus, tribus me nuntijs ad ſe invitavit. Adij igitur *Romam* cum Domno *Grimoaldo* reverentiſſimo Abbate, & Domno *Petro* Aretinæ Eccleſiæ Canonicorum Præpoſito, viro pro noſtri temporis qualitate ſanctiſſimo. Multum itaque Pontifex meo gratulatus eſt adventu, multa colloquens & diverſa per- D. quirens, noſtrumque velut quoddam prodigium ſæpe revolvens Antiphonarium, præfixasque ruminans Regulas, non priùs deſtitit, aut de loco, in quo ſedebat, abſceſſit, donec unum verſiculum inauditum ſibi, voti compos ediſceret, ut, quod vix credebat in alijs, tum ſubitò in ſe recognoſceret. Quid plura? Infirmitate cogente *Romæ* morari non poteram vel modicum æſtivo fervore in locis maritimis Alpeſtribus nobis minante excidium. Tandem condiximus, mox hieme redeunte me illuc

debere

debere reverti, quatinus hoc opus præ- A. libato Pontifici suoque Clero debeam propalare. Post paucos dehinc dies Patrem vestrum atque meum, Domnum G. *Pomposiæ* Abbatem, virum Deo & hominibus merito virtutis & sapientiæ charum, & animæ meæ partem videre cupiens visitavi, qui & ipse vir perspicacis ingenij, ut nostrum Antiphonarium vidit, extimplo probavit & credidit, nostrisque æmulis se quondam consensisse pœnituit, & ut *Pomposiam* veniam, postulavit, suadens mihi Monacho esse Monasteria Episcopatibus præferenda, B. maximè *Pomposiæ* propter studium, quod modò est per Dei gratiam & Reverentissimi G. industriam nunc primùm in *Italia* repertum.

Tanti itaque Patris orationibus flexus, & præceptis obediens, priùs auxiliante Deo hoc opere volo tantum ac tale Monasterium inlustrare, méque Monachum Monachis præstare, cùm præsertim Simoniaca hæresi modò propè cunctis damnatis Episcopis timeam in aliquo communicare. Sed quia ad præsens venire non possum, interim tibi *de* C. *inveniendo ignoto cantu* optimum dirigo argumentum, nuper nobis a Deo datum, & utilissimum comprobatum. De reliquo Domnum *Martinum* Priorem sanctæ Congregationis, nostrumque quàm maximum adjutorem, plurimùm saluto, ejusque orationi me miserum plurima prece commendo. Fratrem quoque *Petrum* memorem memoris esse commoneo, qui nostro lacte nutritus [non] sine labore maximo agresti vescitur hordeo, & post aurea pocula vini confusum bibit acetum.

Ad inveniendum ergo &c.

2.

* *Ita Cod. Benedict. Eboracensis sec. XII.*

Mensura Guidonis*.

CUm primùm a G. ad finem novem passibus Monochordum partiris, primus passus terminabitur in *A.* secundus vacat, tertius in *D.* quartus vacat: quintus in *a.* superius, sextus in *d.* septimus in *a.* Reliqui vacant.

Item cùm ab A. ad finem novenis partiris, primus passus terminabitur in B. secundus vacat. Tertius in E. quartus vacat: quintus in quadrum ♮. sextus in e. septimus in ♮. Reliqui vacant.

Tunc a G. ad finem quaternis dividas, & primus terminabitur in C. secundus in G. tertius in *g.* quartus finit.

Similiter a C. quaternorum passuum ad finem, primus terminabitur in F. secundus in C. tertius in E. quartus finit.

Ab F. autem quaternorum passuum ad finem, primus terminabitur in *b.* rotundum, secundus in superius F. reliqui vacant.

A *b.* rotundo ad finem duorum passuum, prior terminabitur in excellens rotundum *b.* A D. superiori in finem duorum passuum prior in excellens *a.* vel *d.*

Tunc demum fac a fine unum passum in rotundum superius *b.* secundum passum retro in grave Γ. Synemenon, quod subjungendum est inter grave A. & grave B. & finita est.

XLVIII.

Otkeri Ratisponensis Monachi Mensura Quadripertita Figura.*

* *ætate incerta.*

QUidam Ratisponensis Monachus, nomine *Otkerus*, adinvenit hanc mensuram Quadripertitam, & nominavit eam *Theorema Troporum*, quod dicere possumus *cribrum Monochordi.* Nam in ea vides apertè, quomodo conveniunt omnes graves & omnes finales, & omnes superiores, ac omnes excellentes: & simul vides omnes species diatesseron & omnes species diapente, & quorsum cursus sit cujusque toni susum vel jusum. Quam mensuram sic debes disponere.

* *Ex Cod. Benedict. Eboracensi sec. XII.*

Partito unum latus Monochordi in quatuor partes, spacio supra vel infra ad latum unius culmi, relicto, in quo utrinque litteras mensuræ possis scribere. D. Et ita uno latere quadrifariam diviso mensura latus Guidonicè, & punctis in summa linea cum litteris, & in imma linea eisdem punctis & litteris notatis, da singulas partes singulis authenticis tonis & suis plagalibus, scilicet summam partem da Tetrardo & ejus plagis, hoc est, septimo tono & octavo. Antepenultimam partem da Trito authentico & ejus discipulo, id est: quinto tono & sexto. Penultimam partem deputa Devtero & ejus subjugali, hoc est: tertio tono & quarto. Vltimam, id est: immam partem da Protæ & ejus laterali,

id est : primo tono & secundo. Summæ parti, quæ est Tetrardi, da nomen E. antepenultimæ parti da nomen F. penultimæ parti da nomen G. ultimæ parti da nomen a.

Mensura Guidonicè facta, & punctis A supernè & infra cum litteris positis, tunc pone regulam transversim a puncto in punctum, & secundùm hæc monogrammata incide, incipiens a G. Et quam partem debeas incidere, docet te hic Cantus.

E T E.F.SY E.G.Sc E.F.E G a. E. F.G. a. E
F.a. E G.a. E.F.G a. E. F.a. SY E.G a. Se E.
F.E.SY. F G.a. Se F.Se G a. E F Se a. E G a.
E F G a E F a. Se a F G a a.

Tunc metire ab gravi A. Triti ad finem novem passus, & primus passus y. y.

XLIX.

Vdalrici Abb. Tegernseens. Epistolæ.

* *ab an. 1041.*

1.

* *f. leg.* N. *Nikerum Ep. Frising.*

Ad P. * *Episcopum, ad quem Raherium Clericum, multorum criminum reum defert, eiq; G. Canonicum sufficit in Parochiali munere rogat.*

Ex Cod. Tegernf.

P. Cunctos coronanti Pontifices nostræ ætatis maturitate sapientissimæ pietatis, V. infimus Abbatum, cœlestis curiæ senatum.

Nostræ ditioni Clericum *Raherium* assignatum, mult s comperimus criminibus commaculatum, & non minùs facinore fascinationis fore execrabilem, quàm infamia adulterij vituperabilem. Ex hoc quidem haud ignoramus, sibi commisso gregi exemplorum ædificatione nihil hunc prodesse, verùm suorum amfractu errorum multùm obesse, universáque lege Christianismi, atque gratia Baptismi, nec non etiam pro suis culpis carere plebem Missarum celebritate. Nam hoc refertur, quod est miserabile, ac lacrimabile, quàm plures ejusdem populi ex hoc seculo migrâsse sine peccatorum confessione, & absque viatici communione, nec non etiam in sepeliendo sine animarum commendatione. Quia verò non solùm rei sunt, qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, atque ad Magistrum respicit, quicquid a discipulis delinquitur, pro talibus dolemus neglegentijs peccatorum nobis accumulari augmentum, vestramque veremur sanctitatem aliquod ob id pati animæ detrimentum. Quocirca vos, dilectissime Pater, supplices efflagitamus, quatinus vestro Canonico G. hanc Ecclesiasticam cum nostra familia curam interim commend tis, quoad vestræ vivæ vocis collocutione nostram præsentiam lætificetis, aut donec in vestro Synodali decreto dijudicetis, quid de hoc negotio certitudinis statuatis. Namque institutis vestræ nimiùm venerandæ Paternitatis in omnibus his nos, ùt par est, obtemperantes, juxta normam justitiæ pernoscatis.

2.

Ad G. Archipresbyterum, ùt videtur, Frisingensem: ut eundem Raherium loco moveat & deponat.

✠ Christi solummodo gratiâ ad hoc collatus Dominico, quòd præest, ovili custos deputatus, G. dignitatem Archipresbyterij per summam decoranti sapientiam, totius devotionis excellentiam.

Nostrorum relatione fidelium cognovi, nostrum * Clericum *Raher.* vestræ subditum gubernationi, commissum gregem, quem par fuit paterno amore pascere & potare, lupina, quod non timet, rapacitate dispergere, ac lacerare. Qua de re vestram efflagito dilectionem per amorem Divinum, atque propter Sanctum *Quirinum*, nec non ob nostrum servitium, quatinus vestrum sine dilatione statuatis placitum, in quo ejus crimina examinando juxta legem Christianitatis, ac eundem de commissæ plebis regimine deponatis. Sed ne Christianismi mos inibi aliquod interim capiat detrimentum, posco, ut nostro Clerico,

* *Cod.* noster Clericus subditus.

Clerico, vobis contiguo, eccleſiam cum omnibus rebus, ad eam pertinentibus committatis, quò ad viva voce noſmet compellando legitimum huic negotio finem inponatis. Non enim ſolùm rei ſunt, qui faciunt, ſed qui facienti conſentiunt. Ob hoc criminoſum, propter ejusdem offendiculum, animæ veremur ſubire periculum. Quamvis verò munera obcecant oculos ſapientium, tamen ab hoc nullum tam acceptabile inpenditur nobis famulitium, pro quo velimus infernale ſolvere ſupplicium.

3.

Ad eundem de eodem.

QUantum nobis facietenus ingerit confuſionis ruborem, tantum cordis arcana patiuntur mœrorem, quòd pro tali re litteris noſtræ legationis tam frequenter tranquillitatem inquietare veſtræ cogor Dominationis. Nam noſtræ Clericus ditionis, qui ſæpe numero nobis ingeſſit ſcrupulum non nullius offenſionis, verùm ſemper munitus veſtræ aſylo defenſionis, nihil unquam paſſus eſt animadverſionis, nunc ſupremi ante tribunal Imperatoris munia gerit adversùm nos delatoris, atque accuſatoris. Commiſſæ autem ſibi plebis quàm damnoſam teneat negligentiam, par eſt, per veſtram indagari ſapientiam, ne aliquam anima, ùt dicitur, veſtra ex hoc ſubeat in futuro periculi magnificentiam: quia non ſolùm rei ſunt, qui faciunt, ſed qui facientibus conſentiunt. Quòd verò uxore ſua adhuc vivente aliam duxit, quantum in hoc populum ſibi creditum deſtruxit, noſtra licèt ſuper hoc intimatio taceret, veſtræ tamen prudentiæ id perſcrutanti haud lateret. Quamvis noſtrum ex eodem cœnobium permulta ſuſtineat temporalia detrimenta, tamen hæc omnia poſtponentes æternalis plus timemus calamitatis augmenta. Qua de re magnopere flagitamus, veſtra utì Almitas noſtro deſiderio opituletur, & eccleſiæ quatinus à ſe repudiatæ, dignus ſucceſſor ſubrogetur.

4.

Ad eundem de eodem Clerico, quem queritur nullo modo ſe quiviſſe ad meliorem frugem reducere.

A Veſtra accipiendo Dominatione licentiam, cùm noſtrum vellem

C. Clericum *Raber.* Juxta Canonicam diſcutere congruentiam, ſe præbuit rebellem, atque arrogantem, quamvis me paterno ſentiret amore ſibi auxiliantem. Nam jurejurando ei omnium, quæ contra me ullo modo geſſit, promiſi impunitatem, duntaxat Chriſtianam contra religionem ſuſceptam deſereret iniquitatem. Verùm ſuper his quanta ejus extitiſſet pertinacia, præſentium vector litterarum, ſi juberis, utpote qui noſtro interfuit colloquio, pandet veritatem absque fallacia: quia veſtram vereor grandævitatem inquietare, ſi ejus con-
B. troverſiæ ſtudeo ambages ſcribendo veſtræ Paternitati enucleare. In præfato quidem negotio, quoniam veſtrum abnuo Clericum præterire, partim vos id non neſcire, ut ſi exorbitans noluit redire ad viam juſtitiæ cum lenitate, ſaltim cogatur aſperitate. Ad hæc ſcitote me humiliter efflagitare, quatinus Eccleſiam à ſe deſertam Clerico, quem vobis dirigo, dignemini tradendo commendare.

L.

C. *Herrandi Abbatis* Tegernſeenſis epiſtola ad Heinricum III. Celebrat ejus laudes, & S. Quirino Dalmaticam mitti rogat.*

* ab an. 1042.

REgum glorioſiſſimo H. ad ipſum culmen ab uſque principio præ filijs hominum digniſſimo, H. ſervorum S. Quirini famulator, viliſque procurator, omnia famulamina, quæ humana ſciunt aut poſſunt exercere conamina, ex toto corpore, corde, & anima. *Ex Cod. Tegernſ.*

Prærogativam gloriæ veſtræ, regum excellentiſſime, dignâ præconiorum
D. magnificentiâ, ſicut vellem extollere, non ſufficio, quia in ipſa meditatione deficio. Quis enim dignè poſſit ammirari unum hominem tanta diverſitate divinorum donorum tam mirificè munerari? In antiquis patribus miramur de diverſis diverſa, quæ in vobis miramur univerſa. Moyſi laudamus manſuetudinem, Davidis fortitudinem, Abſalonis pulchritudinem, Job patientiam, Salemonis ſapientiam, &, ne in longum ſermo trahatur, omnia, quæ de ſingulis ſingula legimus, in uno & ſolo Domino meo H. cernimus. Hæc autem

Digitized by Google

omnia virtutum incrementa fovet, atque conſervat inaudita etiam in minoribus dignitatibus humilitas, de quibus omnibus tota Deum laudet humanitas. Ego igitur, immò omnes Eccleſiæ filij *Te Deum laudamus*, magna cordis voce canamus, quia Mundus tali eſt viro dignus. Benedictus Deus, cui complacuiſti, & beati, qui dulcedinem præſentiæ tuæ merentur uti!

Cùm beneficijs, quæ ſancto Patrono noſtro exhibuiſtis, & vos & animam beati patris veſtri Deo conciliaviſtis, ac fratres noſtros plus ſolito veſtris orationibus ad debitum & devotionem obligaviſtis. Nunc etiam, quia ad Dei ſervitium ſupplementa vos dare & velle & poſſe noſcimus, ego & cuncta fratrum congregatio poſcimus, ut animam quoque beatæ matris veſtræ vobis dignam intellectualiter Dalmaticam induatis, & ſancto Patrono noſtro mittatis, omnibusque hanc nexibus perpetim abſolvi procul dubio ſciatis.

LI.

Anonymi epiſtola ad H. abbatem, fortè Herrandum Tegernſ. Rogat, ut ſibi unum poletum in proprium tribuat.

Ex cod. Cod.

HDomno Abbati virtutum ſtemmate inſignito, devoti oraminis, ſervitijque exhibitionem.

Ni veſtræ manſuetudinis, probitatisque immenſitas tam ſuaviter cunctis arrideret, tamque liquido apparuiſſet, ac tam adamata pateſcetet, nullo modo cuiquam, neque mihimet fiduciæ foret, quod mei infortunij coram * reclamare. At tamen in id fiduciæ nitens, aliqua mei veſtræ enucleanda ſunt clementiæ. Equidem nimiùm compulſus ebrietate aſperæ fortunæ, ex infortunio dico, equorum, precor, quo poletum unum mihimet tribuatis in proprium. Cujus beneficij ſi me ditabit gratia, redeuntibus iterum proſperis, equorum geminata recipietis xenia. Quid plura? Quod utrum impetrem, an non, perpetuò maneat tecum valere ſempiternum.

LII.

Henricus III. Rom. Rex confirmat & teſtatur ſe Adalberto Marchioni prædium Bribeſendorff in ipſius Comitatu, & Pago Pilaha ſitum, cum omnibus pertinentijs donaſſe.

1043. *ex autographo.* P. H.

IN nomine Sancte & Individue Trinitatis, *Heinricus* divina favente clementia Rex. Notum ſit omnibus Chriſti noſtrique fidelibus tam futuris, quàm preſentibus. Qualiter nos *Adalberto Marchioni* ob ſervitutis ipſius & fidelitatis meritum quoddam predium *Bribeſendorff* dictum, regali noſtra benevolentia in proprium tradidimus, in noſtrum jus atque dominium hereditario jure redactum, ſitum in Comitatu *Adalberti Comitis & Marchionis*, & *in Pago Pielaha*, cum omnibus ſuis appendicijs, hoc eſt: utriusque ſexûs mancipijs, areis, edificijs, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, molis, molendinis, piſcationibus, ſilvis, venationibus, exitibus, & reditibus vijs & invijs, queſitis & inquirendis, cum omni utilitate, que ullo modo inde poterit provenire. Ea videlicet racione, ut predictus *Adalbertus Marchio* de prefato Predio liberam dehinc poteſtatem habeat optinendi, tradendi, commutandi, precariandi, vel quicquid ſibi placuerit, inde faciendi.

Et ut hec regie noſtre traditionis auctoritas ſtabilis & inconvulſa omni evo permaneat, hanc cartam inde conſcriptam manu propria, ùt infrà videtur, corroborantes, ſigilli noſtri juſſimus impreſſione ſigniri.

Signum

Signum Domini Regis  *Heinrici* Tercij Invictiſſimi

Adelgerus Cancellarius Archicancellarij Vice *Bardonis* recognovit.

* *hanc tabulam prefert ipſum Originarium.* 

Data Kalendis Decembris anno Dominice Incarnationis Milleſimo quadrageſimo tertio, Indictione undecima, Anno autem Domini *Heinrici* tercij Ordinationis ejus decimo ſexto, Regni verò quinto. Actum *Ingelinheim* feliciter amen.

LIII.

Idem Imperator ad interceſſionem ſue Conjugis Auguſte Agnetis, *ſervienti ſuo, Riziman dicto, de predio ſuo V. regales manſos ad flumen Lytaha in Rachesdorff ſitos, cum omni jure, donat.*

1044. IN nomine Sancte & Individue Trinitatis *Heinricus* Divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus.

ex autographo. P. H. Vt omes nobis fideliter & ſtudiosè ſervientes ratam ſpem noſtre retributionis habeant, volumus unicuique pro ſervitij ſui qualitate ex beneficiorum noſtrorum liberalitate debita premia referre. Quare quique Chriſti noſtrique fideles tam futuri, quàm preſentes noverint, qualiter Nos ob interuentum & petitionem noſtre amantiſſime *conteſtilis Agnetis Imperatricis Auguſte*, noſtro ſcilicet ſervienti, *Riziman* dicto, de predio noſtro V. manſos regales juxta flumen * *Litaha*, in *Rachestorff* ſitos, de noſtra poteſtate, cum omni jure, merito ad eosdem manſos pertinenti, illi in proprium conceſſimus & tradidimus. Ea uerò racione, ut prenominatus homo *Riziman* de prædictis manſis liberam dehinc poteſtatem habeat optinendi, tradendi, committendi, precariandi, uel quicquid ſibi conlibuerit, inde faciendi. Et ut hæc noſtre auctoritatis imperialis traditio ſtabilis & inconvulſa omni permaneat evo, hanc cartam inde conſcriptam manu propria corroborantes ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri

* *nunc* Leytha, *Auſtriam Cisdanubianam ab Hungaria ſeparans.*

Signum Domini *Heinrici* tercii Regis invictiſſimi, Secundi Romanorum Imperatoris Auguſti. 

Winitherius Cancellarius Vice *Bardonis* Archicancellarij recognovi.

Data VI. Idus April. anno Dominice Incarnationis Milleſimo XLIIII. Indictione XII. Anno autem Domini *Henrici* tercij Regis Imperatoris II. Ordinationis ejus XV. regnantis quidem V. in nomine Domini. Actum *Nivvenburg* feliciter Amen.

Digitized by Google

LIV.

* circ. 1046. *Eckberti Abbatis* * *Tegernſeenſ. epiſtola ad Heinricum III. Gratulatur ei felicem e bello reditum : exponit frugibus illatum a tempeſtatibus ſtragem, certamq́ inde famem ſuorum, rogatq́, ut perenne quoddam ſua munificentiæ monumentum apud S. Quirinum ſtatuat.*

Ex Cod. Tegernſ. PIiſſimo Imperatori Auguſto H. ad votum Domini inter cætera regni moderamina, Monachorum gubernatori pio & juſto, E. abbas indignus, ſua pura devotione intima precum vota de ſe ac omni ſua congregatione.

Vobis, Domine mi rex, poſitis nuper ſub expeditione, nocte vel die vim Deo fecimus fideliſſima oratione. Sed felici reditu audito, & ſalva majeſtate veſtri honoris, laudes & gratias perſolvimus providentiæ ſummi creatoris: nec minùs poſthinc beatam vitam vobis prolongare, ſciatis nos, ſedulò Dominum deprecari: quia dum caput Eccleſiæ, quod eſtis, permaneat illæſum, omnibus Eccleſiaſticis, ſpecialiter autem rectis corde Monachis proficere, Deoq́ue ſervire ſtabit inpertæſum. Sed hæc hactenus.

Multis quidem prætermiſſis, quæ nobis inminent, neceſſitatibus, id neceſſario conquerimur vobis, quod perpeſſi ſumus ab iniquis tempeſtatibus Nempe hoc modicum, quod arefacta tellus in ſpem emiſit, grando noſtris capitalibus locellis totum contrivit. Jam in præſentiarum, Domine pijſſime, laboramus famis periculo : quæ putetis nos paſſuros eſſe toto inſtantis anni curriculo ? Hinc, Domine Rex, quem Deus Deorum pium ac juſtum fecit defenſorem Monachorum, ſi audeam tanta, fari tempus eſt, vos promiſſionis veſtræ recordari, & nos pauperrimos Monachorum aliquo modo auxiliari. Mementote jam, dum poteſtis, cum ſancto *Quirino* teſte divino pactum animæ confirmando, ipſumq́ue vobis confœderare, non dedignans aliqua ſuorum ſibi donare. *Quirinus* tam diu nominatur a *querimonia*, quamdiu ex multis bonis ſuis, ſibi ſervientibus, nec datur alimonia. Quæ ſi a vobis, pijſſime Regum, aliquantulum meliorabitur, ſtatim abſolute *Quirinus* ab *acquirendo* vobis æternam mercedem A. & gloriam nominabitur. At nos ejusdem Sancti, quamvis indigni excubitores, in ejus, & Dei ſervitio eo fuiſſemus expeditiores. Nulla erit excuſatio contradicentis Ducis, qui jam, Deo jubente mutavit vanitatem terrenæ lucis ſub cujus jus plurima loca deceſſerant, quæ prædicti Sancti primitus fuerant.

Eandem igitur gratiam libri, quem nôſtis, pactione, & æterna, quam diu ille locus ſtabit, mercabimur oratione. Jam digitum apponam ori, commendans omnium diſpenſatori, quatinus ipſe, B. in cujus manu cor regis eſt, veſtro irroret animo, quid promiſeritis de pane ſigalino. Eja per beneficium tale facite vobis æternum memoriale apud *Solitarios*, operisq́ue Dei jam voluntarios, dico quidem, receſſu montium, per concava vallium veſtros incluſos, ſemotos ex omni opulentia rerum, exceptis confluentia aquarum, & molibus petrarum,

LV.

Seifridi Abbatis Tegernſeens. * Epiſtolæ.

C. * ab an. 1048.

I.

Ad Epiſcopum N. cui duos e ſuis fratribus mittit, & ſuum adventum policetur.

SPecialiſſimo Seniori ✠ noſtris temporibus cunctis hominibus ſanctitate & juſtitia excellentiori, ✠ abbatis vocabulo addictus ſolo nomine, una cum ſubjectis toto corde, & ore perenne gaudium in utroque homine. *Ex Cod. Tegernſ.*

Omnimodis, reverentiſſime Pater, D. par eſſe ſcio, uti vobis ſervili famulamine obediam, quoad vivo. Hoc verò, prout poſſe adiacet mihi, devotiſſimè totis corporis niſibus cupio adimplere. Sed doleo, quòd non condignum beneficijs, meæ parvitati a veſtra celſitudine ſæpe collatis, valeam exhibere. Spiritalis autem ſerviminis munia vobis impendere devotus rei regum Chriſto pro veſtra ſalute indeſinenter ſupplico totus. Spero equidem, quamvis terrena mihi facultas pro exhibendo vobis ſervitio deficiat, tamen in conſpectu veſtro æquè, ceu Coram Deo, quia voluntas

mea

Digitized by Google

mea bona ſufficiat. Qua de re voluntarius duos, quos juſſiſtis, vobis dirigo fratres meos, & ob indiſſolubile inter nos vinculum caritatis veſtri ſolius famulamini ſubijcio eos.

Igitur propter cœnobij mei deſolationem, etiam ſi Senior noſter, Imperator meúsque ſibi ad ſerviendum illos juberet mittere, pro certo comperiſſet, me, licèt non ſine periculo meo, hoc præceptum ejusdem prætermittere. Fateor enim in trutina cordis mei, præponderando veſtrum amorem, illius vincere timorem. Hac pro cauſa unicè veſtram pietatem flagito per veriſſimam fidem, qua Chriſtus replevit, & quæ ad notitiam omnium fidelium luce clariùs inolevit, quatinus paterno affectu illos foveatis: atque ut citiſſimè valeatis, cum gaudio eosdem ad me remittatis. Ecce iterum, iterumque præcordia mea incipiunt amore interno ardere, quia magis, ac magis deſidero veſtrum velut Angelicum vultum videre. Hoc ergo vita nobis comite, dum quantocyus perficere quibo, gratulabundus vos facie ad faciem viſurus adibo.

2.

Ad W. Epiſcopum. Excuſat longiorem moram ſuorum in certorum Codicum perſcriptione.

DOmno Pontifici W. omnium jubare virtutum fulgenti cunctisque in domo Domini poſitis inſtar ſolis lucenti, S. Dei gratia in Tegrinſeenſi collegio officio fruens abbatis, unacum ſubjectis jugiter orando, in utroque homine perennis gaudia felicitatis.

Teſtem Deum invoco, Præſul dilectiſſime, quòd, quamdiu vivo, ſempet vobis omnigena ſervitute famulari cupio, omnium hominum devotiſſimè. Ad hæc etiam cum fratribus meis toto cordis conamine indeſinenter deprecor Deum pro ſalute veſtri corporis, & animæ. Magnifica igitur munera, quæ frequenter exhibuiſtis ſancto *Quirino*, penitus commonefaciunt nos Chriſto ſupplicare pro vobis, velut memoriali divino. Vetùm ſuppliciter flagito veſtræ excellentiam bonitatis, ne aliquam mentis offenſionem contra meum cœnobium geratis moroſo temporis intervallo. Inibi non ſunt adhuc perſcripti libri, quos poſtulabatis. Sedula ergo illic permutatio abbatum, nec non pro diverſis ſcribendis voluminibus Imperatoris mandatum valde impediunt votivum vobis in miniſtrando deſiderium eorundem fratrum.

3.

Ad Fuldenſem Abbatem, ut videtur, Wideradum. Deplorat miſerum Fuldenſis eccleſiæ ſtatum.

VEnerando abbati ✠. diverſarum virtutum floribus cunctos præcellenti abbates noſtris temporibus. ✠. indignè vocabulo paſtoris Tegrinſeenſi ovili prælatus, unacum eodem jugiter orando cœleſtis gaudia ſenatûs.

Vtriusque veſtri hominis profectum, pater chariſſime, ad proprium velle in Domino ſemper proſperari non ceſſo pro poſſe, ac noſſe intimis præcordiorum ſuſpirijs deprecari. Sed non ſine lacrimis poſſum dicere, quantum me fama de veſtris cladibus triſte nuntium portans ſolet afficere. Dudum enim comperi, *Monaſterium S. Bonifacij* omnium eccleſiarum ſpeculum hactenus jure nominatum, nunc cum contiguis ædificijs eſſe concrematum. Hoc ergo cunctis cognoſcentibus eſt lamentabile, qui & optant gratia Dei ipſum quandoque priſtino decore fieri reparabile. Necdum verò hinc obortæ mihi lacrimæ erant ſiccatæ, & iterum ſiniſter rumor attulit, vos peſte turgidum jam in mortis eſſe vicinitate. Verùm ad hæc infortunia dum nequeo corporale ſolatium exhibere vobis vel medicamentum, ſupplicans tantùm Chriſto pro remedio veſtri, illud etiam conſolatorium Sancti Jacobi profero documentum: *Omne gaudium exiſtimate, dum in tentationes varias incideritis*: dum & aliàs ſcriptum eſſe noveritis: *Fili, diſciplinam Domini deſpicere noli, neque fatigeris, dum ab eo argueris.* Adhuc namque inter ſpem & metum poſitus, pro veſtrarum rerum ſtatu hunc brevem vobis mittens, veritatem cognoſcere cupio præſentis legati relatu. Egomet ipſe nimirum non differrem vos videre, ſi aliquod caritatis pignus veſtræ almitati poſſem præbere, & niſi pro ædificando *S. Quirini* cœnobio eſſem occupatus, atque ùt vobis notum eſt, nimietate paupertatis undique circumvallatus.

4. *Ad*

4.

Ad Heinricum Imp. quem rogat & obteſtatur, ne Monaſterium Tegernſeenſe ulli in beneficium concedat, ni omnia ſeu induſtriæ ſeu pietatis opera velit diruere.

INvictiſſimo Romanorum Imperatori Auguſto H. ſpeciali virtutum diademate præ filijs hominum venuſto, S. ſupra * Legium *S. Quirini* adminiſtratorium gerens ſtatum unacum eodem, poſt longævum felicis Imperij principatum, cœleſtis curiæ ſenatum.

* *f.* Collegium.

Quia pauperes & egeni numerum excedentes ad vos currunt in miſerijs ſuæ calamitatis, ac pro amore ejus, qui vos ſibi in Eccleſia vicarium delegit, omnibus his patriſſatis, ob id & nos, qui Mundo objecti, grave paupertatis onus ſubivimus, in noſtra ærumna ad veſtræ almitatis aſylum, Cæſar pijſſime, confugimus. Nam poſt Deum cùm omni ſolamine, excepto veſtro, careamus, noſtræ religionis atque ſalutis detrimentum acceleramus, ſi in noſtris Domino precibus vos commendare unquam ceſſamus. Qua de re pro certo ſcitote, in regno neminem veſtro commorari, qui plus nobis gliſcat die noctuque lacrimoſis gemitibus pro longæva incolumitate veſtra Chriſtum deprecari, & ut de cœlo pax, victoriaque vobis adminiſtretur, ne ſecuritas Chriſtianitatis ulla bellorum tempeſtate quatiatur.

Verùm ſiniſter rumor conturbavit noſtram orandi intentionem, nobis amariſſimam intimando lamentationem: vos ſcilicet iſtud velle cœnobium tradere in beneficium, ad noſtræ exiguitatis inceſſabile ſupplicium vel juſtitium. Si verò iſtos ullus cœnobitas vendicat in ſervitutem, profectò hìc deficiet omne artificij exercitium: quia poſthinc quos tœdet vivere, nullum his deſiderium eſt pingere aut ſcribere. Sed huc illucque diſpergentur, ne aliquid ad ædificationem ſpiritualem operentur. Iſtud quippe Monaſterium in hac provincia antiquiſſimum, varioque qondam ornatu ſplendidiſſimum, ſicut regali auctoritate, legitima donatum eſt libertate, primis ejusdem intervenientibus fundatoribus, ſic libera cum privilegijs conditione ſublimatum eſt a veſtris anteceſſoribus.

A. Nunc igitur efflagitamus ipſum, qui in manu tenet ſua omnium corda regum, quatinus cordi inſpiret veſtro, non ſpernere noſtrarum humilitatem precium. Obſecramus quidem luctuoſis gemitibus ob ejus nominis ſanctitudinem, qui vos, regum Optime, ad tantam perduxit celſitudinem, ſeu propter parentum veſtrorum, veſtríque elemoſynam atque æternam beatitudinem, ne ullius nos veſtros ſervituti ſervulos ſubijciatis. Sed ad Chriſti, veſtrumque famulatum ſub umbra alarum veſtrarum protegatis. Iſtas enim ſupplicationes ſi dignemini B. complere, in iſto æternaliter loco in benedictione notum ſit vobis memoriale veſtrum manere.

5.

Ad Sigefridum Archiep. Moguntin. Gratulatur ei reditum ab exilio, & quantis ſumptibus ſibi conſtiterit declinatio inſidiarum, quas quidam Monachus ſuæ Abbatiæ ſtruxerat, exponit.

ARchiepiſcoporum pijſſimo S. pauperum, & maximè Monachorum defenſori fidiſſimo, S. Abbas Monaſterij C. S. Quirini cum fratribus ſuis ſedulum oramen unà cum devoto famulamine ſervili.

Quàm diu in exilio fuiſtis, cottidie ego & fratres mei pro ſalute veſtra Dominum rogitabamus, & nunc ipſi gratias agentes pro deſiderabili reditu veſtro magnopere exultamus. Igitur divina pietas temporibus noſtris vos Monachili decus vitæ inſtituit & tutamen ſingulare. Ideo poſſum procul dubio non ignorare, quod ſi hornò præſens in regia curte eſſetis, mihi inter adverſa, quæ patiebar, fidus adjutor fuiſſetis. Quidam D. verò non ſolùm falſus Monachus, ſed ut ita dicam, vix Chriſtianus de cœnobitis S. Emmerammi multa pecunia apud ſeniorem meum ſtuduit me circumvenire, & ſic ovile mihi commiſſum nequaquam per oſtium, ſed aliunde aſcendendo quaſi latro anhelabat inire. Hac pro cauſa, quamvis innocens, jam abbatia depoſitus eſſem, niſi amicorum conſilio Regi tres jurejurando promiſſas auri libras dediſſem. Has igitur, dum ex facultate mea nequirem rependere, eheu! pro his adquirendis theſaurum Eccleſiæ S. Qui-

S. Quirini maxima ex parte coactus ſum expendere. Vnde vos precor unicè, ut ad tanta vadimonia reſtituenda aliquid meæ inopiæ ſupplementum præbeatis, pro quo S. Quirino intercedente cœleſte præmium a Chriſto percipiatis, nec non utriuſque hominis mei ſervitium, quoad vivam, devotiſſimum habeatis.

6.

Ejusdem fortè, ad N. Excuſat ſuam in liberalibus artium diſciplinis imperitiam, & Philoſophiam caute utentibus prodeſſe exiſtimat.

DOmino ſuo N. internæ illuſtrationis luce ſerenato, Ni ſuus nec dignus dici, laborum præmijs coronari. Quoniam per os ſapientiæ inſonuit, ut, qui falsò prædicantur, ſuis ipſis neceſſe ſit, laudibus erubeſcant: ego quoque orationum tuarum prædicationibus profeſticis, quæ utinam verè in me dicerentur, ultra me jactatum iri erubeſco; quippe cum nihil horum, quæ aſſeris, aſſcribi mihi poſſe conſpicio. Rhetoris namque officia unacum Dialecticis Syllogiſmis mecum inuſitata, ac per hoc incognita, nec facundiæ propugnaculis ingenium roborant vel provehunt, nec ſophiſmatum argumentationibus obtuſam diúque reſidem mentis aciem armant vel acuunt, ſcilicet cùm ad hujusmodi ſcientiæ artem nullo modo conſcendere vel pertingere poſſem, qui nec Grammaticæ ſalis condimenta perceperim, nec ſchematum tropica veſtimenta induerim, nec Priſcinaiſticæ latitudinis, & ſoliditatis, quò faciliùs ſuperædificari poſſit, fundamenta locaverim. Neque enim ad altiora pervenitur, niſi per inferiores gradus aſcendatur: nec maceria deſuper firma conſiſtit, niſi firmo fundamenti pede ſubteriùs fulciatur. Sed quoniam, Domine mi, omnia hæc, quæ mihi aſſignâſti, lectionis aſſiduæ continua vacatione in te ſedem poſuiſſe recognoſcis, me quoque, quod contra eſt, eadem abundare credis. Quicquid enim præcipui fluentis *Leodiſcenſibus* diſcendi æſtibus flagrans hauſi, crebra, quam patior, infirmitate exſiccatur totum pene, ut ita dixerim. Vnde ad memoriam reformandam doctrinæ vacillantis excitamenta adhiberi mihi exæſtuo, ac ſi copia daretur in rebus, fidelem ſæpe præceptorem meum humiliter ſubijcendus adire deſidero.

Quod autem dixiſti, in hac mundana Philoſophia, quæ apud Deum ſtulta eſt, parum eſſe proficui, dum altiùs conſidero, ita verum eſſe perpendo: ſed ſi conſultè tractatur, aliquo modo in eadem proficitur. Nam quamvis ſæpe incautos decipiat, ſecumque mœroris foveam trahat, via tamen, ac quaſi præludium conſultis cautioribusque eſſe cognoſcitur, per quod exercitati ad altiora & vera ſaltant. Verùm ut ſub compendio, quæ fert animus, concludam, illud ſanctitatem tuam haud occultum eſſe cupio, quod noſtri moduli nemo tibi devotior, quicquid [ſum] vel ero: hocque charitatem tuam expoſco, ut orationibus tuis ab imminente ægritudine adjuver in Domino. Valete.

7.

Epitaphium Seyfridi Abbatis Tegernſ.

ABbas eximius tumba ſitus hac Sigefridus,
Omnia, dum viguit, terrea deſeruit.
Ac paupertatis ſuſcepit onus grave gratis,
Vivat cum Domino dives ut hoc precio.
Sed tamen Abbatum cum manderet hic dominatum
Clementi ſtudio, judicis imperio,
Nullum damnavit, ſed cunctos lætificavit,
Sentiat ut Chriſtum nunc ſibi propitium.
Huc accedentes dicant ſibi compatientes:
Sit modò concivis cœtibus Angelicis.
Hæc peto lecturum, vel Adæ legem ſubicurum,
Chriſte creaturæ, dic, miſerere tuæ.

LVI.

Epiſtolarum funebrium encyclicarum in obitu Monachorum Tegernſeenſ. ad fœderata Monaſteria & collegia miſſarum formulæ.

1.

Ex Cod. Tegernſ. Fromundi.

PAtribus & fratribus, in vinea deſudantibus Chriſti ſanctis conatibus,

S. Quirini Collegium, cœlestis vitæ privilegium.

Nostris id exigentibus peccatis, nostras scimus preces paulisper valere in conspectu Divinitatis. In tempore nostræ ob id visitationis vestræ opem quærimus intercessionis. Caritati igitur vestræ intimamus cari fratris nostri N. presbyteri discessum, sc. II. Kal. April, viam hunc universæ carnis ingressum. Ipsius quidem anima quatinus possideat gaudiorum plenitudine, dignemini cœlorum Regis obsecrare sanctitudinem, & id ipsum ad contigua vobis monasteria per vestra divulgetur imperia.

2.

PAtribus & fratribus, Deo militantibus sanctis conatibus Sancti Quirini servitores, cœlestis curiæ honores.

Vestræ intimamus caritati fratris nostri N. presbyteri ac Monachi discessum, viam scilicet universæ carnis IV. Id. Marc. ingressum. Ejus quidem animam electorum cœtibus consociari humiliter quæsumus vos deprecari, atque has litteras per vestras legationes ad contiguas vobis mitti fratrum & sororum Congregationes.

LVII.

1050. *Henricus III. Imp. Ecclesiæ S. Svviberti in Werda Cæsaris, quædam in villa Cambo confert.*

Ex Archiv. Cæsariswerd.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, *Henricus* Divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Noverint omnes Christi nostríque fideles tam futuri quàm præsentes, qualiter nos ob interventum thori ac regni consortis, scilicet *Agnetis* Imperatricis Augustæ, unam aream simul cum ædificijs & cum una vinea in villa, quæ dicitur *Cambo*, sitam, & in Comitatu *Arnoldi*, & in pago *Enriche*, cum tali jure & utilitate, quali ipsam aream *Fridabren* noster serviens ante possedit & obtinuit, ad altare S. *Svviberti* Confessoris in *Werda* tradidimus, condonavimus, ea videlicet ratione & conditione, ut præfati loci Præpositus suique successores liberam dehinc potestatem habeant, quidquid illos conlibuerit, in usum fratrum inibi servientium inde faciendi.

Et ut hæc nostræ Imperialis traditio stabilis & inconvulsa permaneat omni ævo, hoc præceptum inde conscriptum manu propria corroborantes, sigilli nostri impressione, ùt infra potest videri, jussimus insigniri. Data Kal. Aprilis anno Dominicæ Incarnationis ML. Indict. III. Anno autem Domini Henrici III. Regis Imp. secundo, ordinationis ejus XXI. regni q. XI. Imperij autem IV. In nomine Domini actum *Werdæ* feliciter amen.

LVIII.

Leonis IX. Papæ Diploma, quo Johanni Abb. S. Justinæ Patav. usum Pontificalium ornamentorum indulget &c. 1052.

LEo Episcopus, servorum Dei Servus, *Johanni* venerabili Abbati Monasterij Sanctæ Justinæ, perpetuam in Domino salutem. *Ex Archiv. S. Justin. Patav.*

Ex principalitate Sedis Apostolicæ, cui Deo præsidemus auctore, Religiosos Christi Sacerdotes, quos omni morum honestate præ cæteris clarere conspicimus, sicut eos quadam familiari dilectione præ cæteris amplectimur, ita quoque nos condecet sacerdotalibus quibusdam insignibus præ cæteris decorare, ipsosque cum rebus ecclesiarum, quas regunt, nostræ Apostolicæ auctoritatis tutela ac defensione stabiliter munire; quatenus cæteri ad religionem, sanctitatem & omnimodam morum honestatem, nec non ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & summæ Sedis Pontificis debitam subjectionem, reverentiam, devotionem & ardentissimam dilectionem ferventiùs incitentur.

Vnde frater karissime, & Abbas venerande *Johannes*, quia te religione, sanctitate, humilitate & omnimoda probitate pollere, & in sanctæ Romanæ Ecclesiæ nostríque devotissima subjectione & obsequio fervere intuemur, *Sandalijs* & *Dalmatica* ad Missarum celebrationem te concedimus uti, nec non tam ad Missam quàm ad solemnes processiones te *Mitra* & *cyrothecis* ornari: quatenus precibus & meritis illius beatæ virginis & mar-

Digitized by Google

Martyris, cujus corpus in commiſſo tibi Monaſterio requieſcit, pro cujus etiam honore ac dilectione tibi ſupradicta concedimus, adjuvari valeamus.

Omnia inſuper, quæ ad prædictum *beatæ Juſtinæ* Monaſterium pertinent juſtè acquiſita ſive acquirenda, ſub tutela ac defenſione Sedis Apoſtolicæ ſuſcipimus, ſalvo ſcilicet jure matris tuæ Eccleſiæ *Paduanæ*.

Nullus igitur Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nullaque magna parvaque perſona in prædicti Monaſterij rebus ullam deinceps violentiam inferre præſumat. B. Siquis verò hujus noſtræ Apoſtolicæ ſanctionis privilegium violare præſumpſerit, niſi citò reſipuerit, & admonitus malè acta digna ſatisfactione emendaverit, a ſanctæ Eccleſiæ communione ſegregatus perpetuæ ſubjaceat maledictioni. Qui autem obſervator extiterit, repleatur abundantia Apoſtolicæ benedictionis.

Datum *Patavij* per manum *Bernardi* vice *Petri* Cancellarij, Anno Dominicæ Incarnationis MLIII. Indict. VI. anno autem Pontificatus Domini *Leonis* VIIII. Papæ V. Quarto C. Non. Auguſti. Actum feliciter amen.

LIX.

Cirt. 1067.

S. Severi Epiſcopi Pragenſis epiſtola ad Papam, pro abſolvendo & perſanando Clerico, qui gravius deliquerat.

Domino Apoſtolico, mihi in æternum Patrono, *Severus*, humilis Epiſcopus *Pragenſis* Eccleſiæ, cordis ex medulla, quicquid in ſe valet ſervitus ulla. D.

IGitur quia ab Vrbe longè poſiti ſumus, indigemus ſæpe veſtri conſilij adjutorio. Et ideo quod præſentia corporali perficere non valemus, decet nos vel infimis apicibus intimare, quod veſtræ Paternitati volumus patefacere.

Ex cœvo Cod. Benedictoburano.

Etenim Clericus iſte etiam Presbyterij fuerat conſecratus Ordine, ſed ſuadente Diabolo, humani generis inimico, grave commiſit peccatum voluntariè, & lacrimabiliter eſt manifeſtatum. Et timuit enim miſer homo, quod fecit, & ex toto corde pœnitentiæ locum quæſivit. Quem ſtatim Almitati veſtræ veſtróque medicamini ſanandum direximus. Fuerat quippe isdem præfatus Clericus hoc anno infra mœnia Vrbis *Romæ* tempore Paſchali requirens a vobis pœnitentiam ſibi dari. Sed quia ejus verbis fuiſtis incredulus, idcirco eum vobis, ùt juſtum eſt, cum teſtimonio litterario transmittimus, quò veſtro judicio & miſericorditer ſanetur, & pœnitentia a nobis ſibi injuncta præcepto auctoritatis veſtræ confirmetur, ita, ut non deſperet propter magnitudinem criminis, ſed aſpiciat ſalutem latronis in hora mortis Chriſti miſericordiam conſequentis.

LX.

Alexandri II. Papæ epiſtola ad Wratizlaum Bohemiæ Ducem: ut concordiam & pacem cum fratre quamprimum ineat, cujus causâ ſe legatos miſſurum ſpondet.

ALexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio W. Boëmiorum inclyto Duci, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. *Ex Cod. memb. in 8. Biblioth. Emmeram. Ratisb. man. coæva.*

Nobilitatis tuæ cor & animum ea devotione erga reverentiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ inſtitutum eſſe cognovimus, ut habita in te plena dilectione cauſis tuis, quotiens ad nos referuntur, quantum juſtitia comitante valemus, noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis curam undique impendere cupiamus. Itaque de lite, quæ inter te, & fratrem tuum Epiſcopum protracta eſt, & pro qua compeſcenda jam aliquotiens utrique ſcripſimus, valde ſolliciti ſumus. Et quanquam officij noſtri ſit per univerſam Eccleſiam pacem & concordiam cum Dei adjutorio ſeminare, tamen inter vos fœdus amicitiæ tantò ardentiùs convenire cupimus, quantò germanum odium non modò veſtris honoribus, verùm etiam ſaluti periculoſiùs obeſſe perpendimus, præſertim cum utriusque querimonias, & de extinguenda lite veſtra deprecatorias meminerimus ſæpe nos accepiſſe litteras. Vnde ſicut per nuntios tuos te deſiderare intelleximus, in partes illas ad hæc & cætera negotia per-

tractanda idoneos mittere Legatos deſtinavimus, quos ſi opitulante Deo illuc usque venire contigerit, jam nunc te commonitum eſſe volumus, illorum conſilijs, ac decretis ſic adquieſcere, ſic favere, prout noſtræ erga te benivolentiæ debito, & exequendis Eccleſiæ Dei utilitatibus congruit. Præterea ſicut cariſſimum filium te ammonemus, ut humanæ conditionis memor cogites, quàm hæc vita fragilis eſt, & incerta, quidve in futuro examine diſtricto judici, omnes conſcientias tuas perſcrutanti, reſponſurus ſis, & hos honores caducos & tranſitorios ita gerere ac tranſire ſtudeas, ut pro his incomparabiles divitias, & indeficientem regni Dei gloriam non amittas. Inter omnia verò, & præ omnibus hoc hortamur, hoc rogamus, ut eccleſias & Monaſteria, quæ in tua poteſtate ſunt poſita, ab injurijs protegas, & ut ij, qui ad ſacroſancta myſteria electi ſunt, caſtè, & religiosè Deo ſerviant, quantum poſſis, ſtudium ac diligentiam habeas. Plura tibi in ſcriptis miſerimus, niſi quòd futuros Legatos ea meliùs viva voce indicaturos eſſe putavimus.

LXI.

Diploma Fundationis Goravienſis Eccleſiæ, datum a Raphaële Hieroſolomitanæ Militiæ ſupremo Tetrarcha & Boleslao Rege Poloniæ.

QUid retribuam Domino pro omnibus, que retribuit mihi? Docebo Iniquos vias tuas, & impij ad Te convertentur. Amen.

1067. P. H. *Raphaël* Hieroſolomitane Milicie Supremus Tetrarcha, ſigno vivifice Crucis Chriſti initiatus, ac benedicto gladio, quo in montis Oliveti horto Malchi auriculam beatiſſimus Petrus abſcidiſſe creditur, ſuccinctus, Sanctiſſimi in Chriſto Patris Domini *Nicolai* Pape Secundi per & infra *Poloniam* ad Civitatem *Bregam*, & *Glogoviam*, ubi rapidiſſimum fluvium *Odra* Regnum Polonicum ab Inferiori *Sleſia* diſlimitat & curſu ſuo ſeiungit, adversùs inhærentem ſuperſticionem falſorum Deorum juratus Bellator. Dein *Boleslaus* divina propitiatione Rex *Polonie*, Dux *Opolie*, *Poſnanie*, *Glogovie*, in *Gora* & *Steina* Dominus &c.

A. Recognoſcimus & fatemur per preſentes literas noſtras coram univerſis preſencibus & futuris Dominationibus, ac eorum ſubditis in & extra Civitatem *Goram* dominaturis, & per totum Dominium noſtrum Polonicum inhabitandis: Quia Nos utrinque Spiritu divino afflati, inter duas Archi-Epiſcopales Eccleſias, Gneſnenſem & Cracovienſem, ſeptem verò Epiſcopales in Regno noſtro Polonico, videlicet Vradislavienſem, Wladislavienſem, Poſnanienſem, Plocenſem, Lubcceenſem, Chelmenſem & Camen-
B. ſem à Mieczislau & Boleslaõ Chabri, filio ſuo, uno eodem tempore olim circa Annum gratie Noningenteſimum ſexageſimum ſextum ad Orthodoxam religionem dilatandam ſtudiosè conditas & fundatas, terminisque earundem per fluvios, & ſigna deſtinctis, etiam Eccleſiam Provincialem Dive Katharine Virgini & invictiſſime Martyri, Beato & Glorioſo Apoſtolo Jacobi Majori, Inclitiſſimo Michäeli Archangelo, Divo & conſtantiſſimo Martyri Georgio dicatam & inticulatam in Civitate noſtra * *Gora* dunta-
C. xat loco palluſtri, uberi & fructuoſo versùs Glogoviam, quam luſtris ſex preterlapſis noſter fidelis *Maurus de Malta* diſpulſa gentilitatis tenebra, toti Gorane Provincie ſalutari animarum remedio frequentandam erexit, & *Ludovvicus* modeſtus ſatrapes Regni prelautè undiquaque dotavit, non ſolùm Dioceſi Poſnanienſi perpetuò ſubjectam eſſe ac ſemper fore annumeravimus, verùm etiam tres Eccleſias vicinas in villis *Sanualda*, *Oſtavia*, *Szabin* noviſſimè erectas, pariterque omnes alias in terra Gorauienſi ubilibet cis torrentem *Baryez* ab
D. *Herrnſtad* usque ad Caſtrum *Wrauſtadienſe*, poſteriùs Deo volente ſuperedificandas, preliminatè veluti Filiales & Novellas una cum univerſis Eccleſiaſticis Miniſtris ſuis quoad Spiritualem circumſpectionem predicte Eccleſie in *Gora* ejusdemque Miniſtro tanquam ſubordinato Vicario Noſtro in perpetuum paternè ſubjecimus, eum pro conſcientia aggravantes, ut ipſe intra Divinarum legum limites ſui ipſius benè memor, Reverendorum Dominorum ſuorum Epiſcoporum Poſnienſium, Paſtoralis ſollicitudinis vices ita laudabiliter ſuppleat,

eisdem

* *bodie* Guravia, *oppidum Ducatus Glogovienſis, rebus frumentaria commercio celebre.*

eisdem omnem reverentiam & obedientiam preſtiturus, ut de ſuo ordinario domeſtico & circumforaneo officio exequendo ipſis & in tremendo die Judicij coram Deo ſtrictiſſimam rationem reddere poſſit ac valeat, quem ideo pleniſſimis favoribus Regalibus proſequimur, & perpetuis cumulamus prerogativis hicce ſpecialiter exaratis.

Atque in primis memoratum Vicarium & Eccleſie noſtre Provincialis in *Gora* quemlibet legitimum Miniſtrum hac prima prerogativa refocillamus, ac eternè circumvallamus, ut ipſe in aſſumendis & deponendis Conſulibus, Pretoribus & alijs officioſis Perſonis ratione Orthodoxe fidei promovende Eccleſiaſtice Turelle perpetuande gratiâ, ſemper noſtram Regiam Perſonam Regali Sacerdotio coram univerſa communitate Gorenſi repreſentet, & irrefragabili voto ſolus gaudeat, ſecundùm quod, ac ſi Nobis annuentibus, incunctanter procedatur.

Secundam prerogativam impartimur, ut ſicut prefate Eccleſie Miniſter, ita & ſubditi ejus incole, omnes per dimidiam plateam in contiguo fundo Eccleſie ab ipſa Chirurgia juxta circumforaneam palleſtram ad Wradislavienſem portam, vel ubicunque inpoſterùm ſub Eccleſiaſtica Jurisdictione in *Gorá* cohabitaturi, licèt ſparſim illegitimi, cuncta artificia & mercaturas diverſas in domicilijs ſuis tantummodo exerceant, Cereviſiam bis coctam braxent, eandemque ſicut & quoſvis alios liquores potabiles, absque tamen extrinſeco indice, liberè divendant & propinent, ab univerſis tellonijs, Vectigalibus, Exactionibus, Contributionibus, vel quibuslibet Oneribus tam publicis, quàm privatis, nunc & in evum futuris, immunes, liberi & omnimodè exempti, cum ſpeciali noſtre Majeſtatis Privilegio, ne intra limina ſua ulli hominum liceat offenſivè ſub privatione dextre manus arma vibrare, quin minùs ſub pena colli aliquem interficere, nec ullum fugitivum, quantumvis criminoſiſſimum, ibi vel in Eccleſia aut Cemeterio querere. Secùs, qui agere preſumpſerit, & in flagranti crimine comprehenſus fuerit, trium dierum intervallo preſcripta pena irremiſſibiliter omnino puniendus eſt.

A. Item cum eadem libertate & immunitate ad hancce Eccleſiam Miniſtro in perpetuum uſum ſuperaddidimus & ſponte, mente & corpore ſani, reſignavimus duo fructifera allodia cum quatuor colonis, in Vico noſtro *antiqua Gora* penes viam, qua itur ad *Burgam tranſilvianam.* Item indulſimus eidem pro quibusvis peccoribus communia paſcua, lignorum liberam ceſuram, cunctorum animalium, volatiliumque in ſilvis, & piſcium in aquis licitam capturam circa *Goram.*

B. Rurſum lege Divina & praxi univerſe Eccleſie fertones petronales, decimas manipulares in colendis, & tractu temporis innovandis agris, de omnibus fructibus terre, quotannis à Militibus fideliter perſolvendas ex adſcriptis villis *Graba, Sedicz, Codiecza,* parva & magna *Kloda,* ambabus *Baraczina, Elgota,* duabus *Jubeldorff,* antiqua *Gora, Negota, Gola, Jaſtrzemba, Gabisvona, Slavoczicz, Sielazno* adjudicavimus ſeculis innumerabilibus. Subditi verò eorundem ex prefatis villis unusquisque à quolibet manſo ſuo, quem colit, tenebitur ſingulis annis pro ter-
C. mino Sancti Michäelis in puro grano inferre unam integram & confertam metretam ſiliginis, totidem tritici, ubi ſeminatur, & avene unicuique menſure uno argenteo adjuncto. Reliqui autem Milites in remotioribus villis, videlicet *Renocina, Cztrnina, Croszina, Tarpa, Narta, Cunercivvalda, Szitla, Miecha, Cutla, Oſedno,* tantummodo à quolibet allodio ſuo unam votivam Marcam, unusquisque annuatim contribuendo patebunt. * Aſt eorum ſubjecti Ruticole pro qualibet anniverſaria Dedicatione
D. Eccleſie Gorenſis, Dominica prima poſt feſtum Michäelis incidente, quilibet offeret binam ſexagenam ovorum cum duabus gallinis. Similiter in villa *Glima* novem coloni, quilibet tot ova, duas gallinas, & unum fertonem Eccleſie Gorenſi tenentur, ceteri verò ad Oratorium Sancti Georgij reddere.

* *f.* parebunt

Hec igitur omnia et ſingula litera ad literam, in parte & in toto, de verbo ad verbum tam in Specie, quàm in genere, ut ſempiterne firmitatis robur habeant, & quemadmodum nunc à nobis, ita & per ſecula ab omnibus Noſtris ſucceſſoribus & cunctis ſubditis ſemel pro ſem-

per elcita ſanctè & inviolate conſerventur: Nos Supradicti Coathlete cum Eminentiſſimo Domino *Theodoro* Epiſcopo Poſnanienſe, & provido Conſulatu Gorenſi, in teſtimonium preſentes proprijs manibus ſubſcriptas literas aſſuetorum Noſtrorum Sigillorum ſubappenſione conſtanter munivimus.

Actum & datum *Poſnanie*, die Martis poſt Dominicam Jubilate. Anno Domini M. LXVII. *Raphaël* ùt ſuprà. *Boleslaus* Rex Polonie. *Theodorus* Epiſcopus Poſnanienſis. *Berchtoldus* Conſul, & Proconſules Civitatis Gorenſis.

Authenticum teſtimonium, quo confirmatur præcedens Diploma genuinum & ſincerum eſſe.

Sereniſſimi ac Reverendiſſimi Principis & Domini, Domini Caroli Joſephi Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtenbergæ, Generalis Militiæ Hieroſolymitanæ Ordinis B. M. Teutonicorum in Pruſſia Adminaſtratoris, ac ejusdem per Germaniam, & Italiam Parteſque Transmarinas Magni Magiſtri, Epiſcopi Paſſavienſis, Olomucenſis & Wratislavienſis, Comitis Tyrolis & Goritiæ, & Landgravij Alſatiæ &c. Conſiliarij Conſiſtoriales Epiſcopatus Wratislavienſis &c. &c. Vniverſis & ſingulis notum perſpectumque ſit, comparuiſſe hodie coram Nobis Reverendum, Doctiſſimum ſincerè Nobis dilectum *Albertum Georgium Weierzig* Archipresbyterum & Parochum Guravienſem, Nobisque Publicum in Originali Inſtrumentum ſequentis tenoris, juxta propriæ manus ſubſcriptionem, & quatour ſigillorum appenſionem exhibuiſſe, & deſuper humillimè rogáſſe, quatenus hujus ita exhibiti in Originali Inſtrumenti Authenticam copiam elargiri dignaremur. Nos ejusmodi petitioni inclinati ſubſequentem copiam *vidimus*, legimus, cumque ſuo Originali collationavimus, illique omnino conſonam, & de verbo ad verbum concordare reperimus, uti ſequens tenor in ſe continet: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* &c. *ùt ſupra.* In cujus rei fidem vidimatam & Authenticè repertam copiam preſentem manu propria ſubſcripſimus, & conſueto Conſiſtoriali Epiſcopatus Wratislavienſis ſigillo communiri juſſimus. Actum Wratislaviæ in Inſula Divo Joanni ſacra, die Nona Julij, Anno poſt partum Virginis Milleſſimo ſexenteſimo, ſexageſimo Tertio.

Matthias Joan. Stepetius.
Joannes Henricus Heyman.
Vladislaus à Winter.

Locus Sigilli Conſiſtorij Vratislavienſis.

LXII.

Henricus IV. Eccleſiæ S. Suitberti Cæſariswerdæ omnes ſuas proprietates, quas habet in villa Stierheim, condonat. 1067.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, *Henricus* Divina favente clementia Rex. Sanctæ Dei Eccleſiæ profectui tantò diligentiùs providere debemus, quantò excelſiùs ex divino munere ſublimati ſumus. Quapropter omnibus Chriſti noſtrique fidelibus tam futuris quàm præſentibus notum eſſe volumus, quòd nos ad *Eccleſiam S. Suitberti, Werdæ* conſtructam, ob interventum ac petitionem *Bertha* Reginæ, regni thorique noſtri conſortis dilectiſſimæ, inſtinctu *Annonis* Colonienſis Archiepiſcopi, nec non *Siſridi*, ejusdem Eccleſiæ Præpoſiti, aliorumque fidelium noſtrorum, quicquid habuimus ad noſtras manus & proprietates in villa, *Stirheim* dicta, in pago *Hertbez*, * in Comitatu *Bernardi* Comitis ſito, cum omnibus appendicijs ſuis, hoc eſt: utriusque ſexus mancipijs, areis, ædificijs, agris, pratis, campis, paſcuis, ſylvis, venationibus, terris cultis & incultis, aquis aquarumque decurſibus, molis, molendinis, piſcationibus, exitibus & reditibus, vijs & invijs, quæſitis & inquirendis, omnique utilitate, in proprium dedimus, confirmavimus, perpetuo jure poſſidendum conceſſimus, ea videlicet ratione, ut nullus ſucceſſorum noſtrorum Imperator ſive Rex, Dux, Marchio, Comes, aliqua major vel minor judiciaria perſona, hæc data prænominatæ Eccleſiæ auferre, alienare, aut ullo modo præſumat inquietare. Sed præfatæ Eccleſiæ Præpoſitus *Sigefridus*, ejusque ſuc-

Ex Arch. Keiſerswerd.

* *f.* Hertber.

successores liberam inde habeant potestatem tenendi, precariandi, commutandi, vel quicquid ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ illis placuerit, faciendi.

Et ut hæc nostra Imperialis traditio stabilis & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc chartam scribi, manúque propria corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Data anno Dominicæ Incarnationis MLXVII. Indict. V. anno autem ordinationis Domini *Henrici* IV. Regis XV. regni verò XI. Actum *Aquisgrani* feliciter in Dei nomine Amen.

LXIII.

Idem Henricus IV. eidem Ecclesiæ quinque vineas, in villa Cambo constitutas, donat.

1067. Indict.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, *Henricus* Divina favente clementia Rex. Si Ecclesiarum Dei bona augmentare desideramus, ad salutem animæ nostræ plurimùm proficere non dubitamus. Quare omnibus Christi, nostríque fidelibus tam futuris quàm præsentibus notum esse volumus, qualiter nos ad *Ecclesiam S. Schwviberti, Werdæ* constructam, ob interventum & petitionem *Bertha* Reginæ, regni thorique nostri consortis dilectissimæ, nec non *Annonis* Coloniensis Archiepiscopi & *Sigefridi*, ejusdem Ecclesiæ Præpositi aliorumque fidelium nostrorum, Quinque vineas in villa *Cambo*, in pago *Enriche*, in Comitatu *Ludovici* Comitis sitas, cum omni justitia omnique utilitate in proprium dedimus confirmavimus, perpetuo jure possidendum concessimus, ea videlicet ratione, ut nullus successorum nostrorum Imperator seu Rex, Dux, Marchio, Comes, aut aliqua major aut minor judicialis persona, hæc data prænominatæ Ecclesiæ auferre, alienare, aut ullo modo præsumat inquietare. Sed præfatæ Sedis Præpositus *Sigefridus* ejusque successores liberam inde potestatem habeant tenendi, precariandi, commutandi, vel quicquid ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ illis placuerit, faciendi.

Et ut hæc nostra Regalis traditio stabilis & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc chartam scribi, manuque propria corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Data Dominicæ Incarnationis anno MLXVII. Indict. V. anno verò ordinationis Domini Henrici IV. Regis XV. regni verò XI. actum *Aquisgrani* feliciter in nomine Domini amen.

LXIIII.

B. Altmanni Episcopi Pataviensis Diploma Restaurationis Ecclesiæ ad Sanctum Florianum Can. Regul. S. Aug. in Austria Superiori.

In nomine Sancte & individue Trinitatis.

A. 1071. ALtmanus Dei gracia Sacrosancte Pataviensis Ecclesie Episcopus & Apostolice sedis legatus, cunctis successoribus suis & omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Sicut ex injuncto nobis Pastoralis dignitatis officio Ecclesias, ubi necessarium esse viderimus, ad honorem Dei fundare, sic & quocunque casu lapsas tenemur in Christo, dum possumus, ad laudem Ipsius reformare. Hinc est, quòd *Ecclesiam B. Floriani Mart.* Christi, quondam in *pago Laureacensi* ab antiquissimis terræ illius incolis juxta rivulum, qui *Ypha* dicitur, fundatam, & in defensionem Sancte Romane Ecclesie ad annualem censum unius aurei traditam, sed tandem in illo miserabili Sancte *Laureacensis Ecclesie* excidio tempore *Wolfilonis*, ipsius Ecclesie Pontificis, a barbaris destructam, dum postmodum annis multis quasi desolata nullum vel à sede Romana, vel ab alio quoquam reformationis inveniret auxilium; Nos tandem Summi Pontificis *Alexandri* interventu, sed precipuè divine remunerationis intuitu, in nostram defensionem suscipientes, ipsam omni diligencia, quâ potuimus, reformare curavimus. Pia etiam quorundam Predecessorum nostrorum *Richarij* videlicet, *Adalberti*, *Igilberti* * Episcoporum vestigia sectantes, qui ipsius Ecclesie desolacionem miserati, ad ejus reformationem multò studiò laboraverunt, sed continua barbarorum invasione impediti, pium cordis eorum affectum ad effectum plenè perducere non potuerunt.

ex autographo. P. H.

* *Egilberti.*

Nos

Nos itaque divina ordinante clemen-
tia ipſis in Epiſcopatu ſuccedentes bo-
num opus ab ipſis benè inchoatum, Deo
adjuvante conſummavimus, murosque
Monaſterij quondam ab Vngaris diru-
tos, cum tecto reſarcientes ipſum Mona-
ſterium cum quinque altaribus conſe-
cravimus: Canonicos Regulares Deo ibi
perpetuò ſervituros inſtituentes, *Hart-
mannum*, virum in ſancta converſatione
probatum, Prepoſitum ipſis præfecimus,
redditus diſtractos, quos potuimus, re-
vocavimus, & ut ipſi Canonici communem & regularem vitam ibidem profeſſi, ſanctè & religiosè viventes divinæ contemplationi liberiùs vacare, & pro Noſtri, omniumque fidelium ſalute devotiùs Deo debeant ſupplicare: nos quedam, licèt pauca, de dominicalibus noſtris in ſubſidium prebendæ fratrum eorundem contulimus: Curiam ſcilicet in *Enzingen*, Curiam *ad S. Stephanum* juxta *VVæmpach* cum omnibus ad eam pertinentibus, ad *Almiſvelt* villam totam cum omnibus ad eam pertinentibus, tranſitu ſcilicet fluminis *Trune*, & piſcationibus, pratis, paſcuis, ſilvis, & duas partes decimationis in omnibus ejusdem Eccleſiæ terminis tam cultis, quàm colendis. Ad *Sunilburch* manſum unum & dimidium, & duas partes decimationis. Ad *Ebilſperich* manſos duos & dimidium. Ad *Strummigen* augeam cum omnibus ad eam pertinentibus.

Prædia verò, quæ quocunque modo diſtracta & alienata, in uſus ipſius Cœnobij revocavimus, ſunt hec: Curia in *Phaffinhovin* cum omnibus ad eam pertinentibus. Curia in *Lilinhovin*, Curia in *Gerlontingen*, in *Gemmerichen* duo manſi & dimidius. Præterea, quod maximum eſt, Parochiam, in qua Cœnobium fundatum eſt, & in omnibus ipſius Parochiæ terminis tam cultis, quàm colendis, decimam totam ipſi Cœnobio reſtituimus. Quam tamen Parochiam & dicimam Fratres ipſius Cœnobij, ſicut ex antiquis eorum privilegijs certificati ſumus, a quibusdam Anteceſſoribus noſtris duabus vicibus quondam commutanter, primo Domino Hærtvvico piæ recordationis Epiſcopo decem hubas juxta præfatum rivulum, qui *Ypha* vocatur, ſitas: poſtmodum Domino Adalberto ſanctiſſimæ recordationis Epiſcopo oppidum in *Aneſiburch*, *Aneſi* fluminis ſitum, in uſum, & proprietatem Epiſcopatus pro commutatione ſupradictæ Parochiæ, & decimæ contulerunt, ſed ipſam iterum atque iterum in deſtructione jam dicti Monaſterij diſtractam, & uſibus fratrum ipſius Cœnobij penitus abalienatam, Nos eam nunc tertiò, ſed reſpectu tantùm divinæ remunerationis, & ob reverentiam Romane Sedis, de poteſtate Barronum terræ, qui ipſam decimam uſibus ſuis violenter manciparent, reolligentes, parochiam pleno jure, decimam totaliter & integraliter ipſi Cœnobio reſtituimus.

Licèt enim plurima Beato ChriſtiMartyri Floriano in prima fundatione ipſius ſui Monaſterij fuerint collata, omnibus tamen poſtmodum in deſtructione ipſius Monaſterij diſtractis, uſibus fratrum tunc temporis ibidem Deo militancium tantùm hæc pauciſſima invenimus remanſiſſe. Villam, in qua ipſum Monaſterium fundatum eſt, cum omnibus ad eam pertinentibus, agris ſcilicet & vinetis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, piſcationibus, venationibus, ac molendinis. Ad *Wæchelingen* manſum unum, & dimidium. Ad *Vrienhutin* manſum unum & dimidium.

Nos igitur omnes poſſeſſiones ſæpè dicti Monaſterij, & jam ſibi collatas, & quas adhuc Deo dante poterit adipiſci, in noſtram protectionem ſuſcipientes, talem Fratribus ibidem ſervientibus indulgentiam facere decrevimus, uti ſi miniſteriales noſtri, ſeu quicunque homines Eccleſiæ noſtræ prædia ſua, ad nos quocunque jure ſpectantia ipſis conferre decreverint, liberam habeant poteſtatem conferendi, quando, & ubi velint.

Præterea omnem, quam priùs de indulgencia Romanæ ſedis habuerunt libertatem, plenè ipſis redonamus, liberam videlicet ſepulturam ipſis indulgentes, ita, ut quicunque apud eos ſepeliri velit, non obſtante alicujus plebani vel Vicarij contradictione ſepeliatur, adijcientes quoque hanc gratiam ipſis indulgemus, ut ſiquando Prælatum ipſius Monaſterij viam univerſæ carnis ingredi contigerit, Fratres liberam habeant poteſtatem eligendi alium, quem magis ido-

idoneum invenerint, Episcopo etiam irrequisito.

Volumus etiam & firmiter inhibentes semper observandum statuimus, ut nullus successorum nostrorum, vel alter quispiam sive Ecclesiastica sive secularis persona, aliquem eis Advocatum vel in hominibus, vel in prædijs aliquatenus præsumat ordinare, nisi quem Prælatus ipsius Monasterij cum consilio Fratrum suorum sibi elegerit Advocatum, qui etiam, sicut plerumque fieri solet, gravis illis & injuriosus exiterit, dum admonitus emendari noluerit, a Sede Romana mutetur, altero ad petitionem B. ipsius Prælati substituto.

Igitur ut jam dicta Ecclesia cum omnibus illuc vel nunc collatis vel justò postmodum conferendis plena pace gaudeat, & secura consistat, Nos ipsam Dei Omnipotentis Patrocinio supponentes, Auctoritate ipsius Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Eorumque Vicarij Alexandri Papæ, & potestate, qua Nos fungimur, præcipimus, & sub pœna æternæ damnationis firmiter inhibemus, ut nullus vel successorum nostrorum, vel alia qualiscunque sive Ecclesiastica, sive secularis persona C. res ipsius Ecclesiæ vel invadere, vel imminuere, vel quocunque modo usibus Fratrum ibidem Deo serviencium subtrahere præsumat vel auferre.

Si autem quispiam Successorum nostrorum, quod Deus avertat, hæc instituta nostra trahsgressus fuerit, si tertiò commonitus congrua satisfactione non emendaverit, Præpositus ipsius Monasterij hoc utens privilegio super tanta injuria querimoniam coram Domino Papa deponat, ut super hoc, quod justum fuerit, decernat. Si ergo super D. hoc, quod fortè fieri potest, indignatus Dominus Papa prædictum Monasterium a jurisdictione Pataviensis Ecclesiæ in jurisdictionem Romanæ sedis transferat, Deus omnium iniquitatum vindex justus tantum honoris & rerum dispendium, Pataviensi Ecclesiæ irrogatum, ab Auctore ipsius mali requirat & hic & in futuro. Conservantibus autem pax a Deo & in præsenti & in futuro seculo conservetur. Anno MLXXI.

Et ut omnia hæc omnes tam futuri, quàm præsentis temporis homines sciant esse jugiter & inviolabiliter conservanda, præsentem paginam sigilli nostri impressione duximus confirmandam; Nominibus Kathedralium, & Ministerialium nostrorum, quorum consensu & consilio hæc omnia acta sunt & confirmata, subnotatis. De Kathedralibus *Dietmarus major Præpositus*, *Imbertus Decanus*, *Baldvvinus Scholasticus*, *Fridericus*, *Hugo*, *Egino*, *Otokarus Canonici*, *& cæteri omnes.* De ministerialibus *Egedolf de Velhach*, *Hærtvvich & frater ejus Ruprecht de Chræzingen*, *Ehecil de Schaltarn*, *& frater ejus Otaker*: *Imzo de Stegebach*, *Lintkoz de Tagabrechtishusin*, *Otaker de Widah*, & alij quàm plures.

Datum *Pataviæ* anno ab incarnatione Domini M. LXXI. indict. XIIII. VI. Kal. Julij. regnante *Henrico Imperatore IV.* anno regni Ejus VII. Imperij verò V. feliciter Amen.

LXV.

Henricus IV. Imp. Monasterio S. Svviberti Cæsarisvverdæ quasdam villas in Comitatu Hermanni Comitis Palatini donat. 1072.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, *Henricus* Divina favente clementia Rex. Si Ecclesijs Dei deferamus honorem, easque ampliare & exaltare curemus, certam habemus & spem & fidem, ex his rebus provenire stabilitatem regno, nobis verò salutem tam in hac vita quàm & in futura. Unde vulgatum ubique in regno nostro & publicum esse volumus, quod fecimus Ecclesiæ *Werdensi*, ad honorem quoque Dei & S. Svviberti Confessoris, qui in eadem Ecclesia & membris requiescit, & coruscat miraculis. *Ex Archiv. Cæsarisvverd.*

Adijt nam suppliciter & reverendè majestatem solij nostri Capellanus noster *Sigefridus*, ejusdem videlicet loci Præpositus, fratribus suis inibi servientibus, dimidium panem singulis festivis diebus nostra clementia adaugeri postulans. Nos verò ejus petitionem adimplere dignantes opitulante nostra dilecta *Bertha* Regina, subvenientibus quoque nostris fidelibus, *Annone* videlicet *Coloniensi* Archiepiscopo, *Adelberto Hammenburgensi* Archiepiscopo, *Erpone Cicensi* Episco-

Epiſcopo, *Bennone Osnaburgenſi* Epiſcopo, *Adelberto Wormatienſi* Epiſcopo, *Henrico Spirenſi* Epiſcopo, *Wernero Straſburgenſi* Epiſcopo, Ducibus quoque *Rudolpho Alemanniæ* & *Welfone Bauariæ* atque *Ottone Saxoniæ*, tradimus ad prædictum *S. Swiberti Monaſterium* in augmentum præbendæ fratrum, quicquid *Guntram*, patris noſtri ſerviens, in Comitatu *Hermanni* Palatini Comitis, & in his villis, ſcilicet *Mundelinckheim*, *Rynheim*, *Sermethe*, *Rothe*, *Aredemeno*, *Walde*, *Soeveno*, *Ypheim* in beneficio habuit.

Damus autem regio more ad perpetuam proprietatem cum omnibus appendicijs, id eſt: utriusque ſexus mancipijs, areis, ædificijs, exitibus & reditibus, terris cultis & incultis, vijs & invijs, molendinis, piſcationibus, ſylvis, & cum omni utilitate, quæ ulla ratione inde provenire vel excogitari poteſt, ea quippe ratione, ut Miſſa ibi amodo & usque in ſempiternum pro animabus parentum noſtrorum, avi videlicet noſtri *Conradi*, & patris noſtri piæ memoriæ *Henrici* Imperatoris, nec non genitricis noſtræ *Agnetis*, & ob noſtram perpetuam ſalutem ſingulis cantetur diebus.

Ergo ut hæc noſtra regalis traditio firma & inconvulſa omni tempore permaneat, & poſteris etiam in notitiam veniat, litteris mandari juſſimus, easque manu propria roborantes ſigilli noſtri impreſſione firmari & ſubſignari. Data IV. Kal. Jan. anno Dominicæ Incarnationis MLXXII. Indict. X. anno autem ordinationis Domini *Henrici* Regis XVIII. regni verò XVI. Actum *Wormatiæ* in Dei nomine feliciter amen.

LXVI.

Circ. 1073.

S. Wilhelmi Abbatis Hirſaugienſis Præfatio in ſua Aſtronomica.

* *Extat in codice ſæc. Cod. Emmeram. ſed ſub finem mutila.*

Divini operis quadam die completa ſynaxi, optatæ quietis gratia ſecretiorem locum petij, ubi meipſum mihi ante oculos mentis ponerem, & miſerabilis vitæ ſuperfluitatem quaſi judiciaria diſtrictione examinare liceret. Diſcuſſa ergo mox qualitate, multa in me reprehenſibilia, multa mœrore & luctu dignissima, multa ſanè prava & aſpera, viæque Domini minùs compoſita deprehendi, inter quæ ſpeciale doloris augmentum*, cæterisque paſſionum oneribus quodammodo gravius illud occurrit animo, quòd neſcio qua violenti Divini nutus potentia coactus, ad totius quidem Quadrivij, maximè autem ad Aſtronomiæ ſtudium me penitus contulerim: & quod interim, dum in eadem diſciplina mihi ſoli laborare propoſueram, inopinata quorundam, etiam peritiſſimorum, inquietaret frequentiâ: quodque, dum his ſingulis a me ut ad ipſam artem introducantur, exigentibus, obedire ſtuduerim, non ſolùm a ſuperna contemplationis celſitudine, ſed & a debito cotidiano ſervitutis Dei gradu me viderim dejectum.

* *f.* argumentum.

Itaque cùm hæc mecum anxia pervolverem ſolicitudine, cariſſimus & valde unicus mihi O*, ſuperveniens, meque ſolitæ dilectionis intuens alacritate, continuò triſtitiæ cauſam inquirit. Cui ego rem fateri metuens, eò quòd ipſe primus ſecreti mei delator ad publicam prædictæ artis occupationem potenti flamma, utpote intima ſibi devinctum caritate maximè incenderit, ambage quadam diſſimulare, & ab eo abſcondere tentavi. Sed quia rei veritatem ſubita & extra abundantiam cordis ficta ſimilitudine ooram ſapiente [abſcondere] difficile eſt, ille mox ſentiens, & fraudis arguens, amica cœpit importunitate, quid haberem, quærere, & ne multis morer, conſueta tandem caritatis violentia verum extorſit. Qui cognita re ſtatim ſubridens ait: in hac fluctuatione tua, cariſſime, tacitus conſidero, qualiter antiquus coluber, ad omnia ſemper cœleſtis gratiæ munera invidiæ venenis inficiendum oberrans, hæc quoque nobis Divinitus donata violandum arrepſerit. Me enim jam diu opportunum tempus ad id quærere præſentiens, ut ea, quæ in eadem arte mira & ab humana ſubtilitate usque modo indepreheſa Deus tibi revelavit, jocundiſſima collatione perdiſcerem, & omnia litteris commendari, ſicque communi ſtudioſorum uſui transfundi darem conſilium, contra ipſius propoſiti intentionem huc poſt te modò venientem calliditate ſua præoccupavit, ſub prætextu religionis innocentiæ

* *alia manu notat:* Otochus

centiæ tuæ volens ſuggerere, quatinus Dominicam pecuniam humo malles infodere, quàm humanis profectibus multiplicandam tradere. Quin age, & errorum ejus ſinuamine virilis conſtantiæ orbitâ tranſitô, ſæpe propoſitum dialogi curſum adgrediamur: quem ego, ſi juſſeris ita, ut hodie Deo inter nos medio conſummatus fuerit, Divina item annuente gratia ſcriptis exponam: ſicque & diuturnæ deſiderij mei ſatisfaciam expectationi, & Theoreticæ, quam totus intendis, ſecuricati reddam expeditum. Quia enim illas verè mirandas adinventiones tuas probabilibus jam deformâſti inſtrumentis, ſi easdem litteris quoque exprimi feceris, maximam ſtudioſorum gratiam & beneplacitam pro ſancta quiete veniam ipſorum dignam mercaberis.

Memini, inqam, te chariſſime frater, hoc mihi ſalubre antea dediſſe conſilium. Sed quia præſens ætas inter innumeras vitiorum furias maximam patitur invidiam, timui, fateor, ne ſi tantæ res, utpote ab antiquis Philoſophis pro difficultate ſui aut intactæ aut tactæ & in dubio relictæ, aut tactæ & tractatæ, ſed minùs cauta probatione finitæ, ſub perſona vilitatis meæ proferantur, quibusdam faſtidio ſint, non ſtudio, & magis depravatæ quàm veræ deprehenſæ temere ab eis judicentur, præſertim cùm nobis Monachis nihil liberalis ſcientiæ præter Pſalterium licere aſſerant.

Tunc ille, quid tu, ait, eorum vel ullam facis mentionem, qui inimicis crucis Chriſti nil putant auctorale, niſi quod ipſi ſecundùm ſe ſtatuunt, volentes lucem profeſſionis noſtræ, ſanctiſſimorum Patrum jubare ortam, caliginoſa dogmatis ſui mutatione obfuſcare? Nam ſi Pſalmorum ſola nobis peritia ſufficiat, unde, quæſo, vetus & novum teſtamentum, unde vita Patrum, unde Collationes Patrum, unde Dialogum Gregorij, aliosque ex præcepto Sancti Benedicti per annuum circulum legendos Codices intelligere poterimus? Nonne ſummus ille poſt Apoſtolos Eccleſiæ plantator Hieronymus in Homelijs & Expoſitionibus ſuis ſæpius eisdem uſus, hujus venæ metallum puriſſimæ Divini eloquij maſſæ conflat? Si dulciſonus ille cœleſtis verbi tubicen Gregorius

A. Dialecticæ artis expers in univerſali rerum eſſentia triplicem vim animæ ignorâſſet, quid de illo Evangelio: *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*, æquè jocundum intonuiſſet? Exponens namque ait: *lapides ſunt, ſed nec vivunt nec ſentiunt. Arbuſta ſunt: vivunt quidem, ſed non ſentiunt. Bruta animalia ſunt: vivunt, ſentiunt, ſed non diſcernunt. Angeli ſunt: vivunt, ſentiunt & diſcernunt. Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet enim commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire* B. *cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si igitur commune habet aliquid cum omni creatura homo, juxta aliquid omnis creatura homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, cùm ſoli homini prædicatur.* Licet nimirum & verè decet nos ſecularem Philoſophiam inveſtigando aurum in luto quærere, Ægyptum ſpoliare, odoriferos fructus in ſpinis carpere, ſi tamen effoſſum ibi metallum ad purgatiſſimum ſacri eloquij theſaurum transferamus: ſi evulſa ibi plantaria inter pigmentiferas arbores agri C. pleni, quem benedixit Dominus, decenti ordine conſeramus. Et ſi profana illorum, quos dicis, eò usque prorumpat inſania, ut ſacroſanctam tantorum virorum ideo, quia Monachi fuerant, auctoritatem nauſeant, validiore adhuc ratione os eorum obſtruamus, ut penitus muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur adversùs juſtitiam iniquitatem in ſuperbia & in abuſione.

Omnibus Catholicis inidiotis liquidò patet, quia excepto filio hominis, qui ſuper omnes eſt, in omni humana propagine, illo Protoplaſto Adam ni- D. hil unquam ſanctius fuerit nec erit, ſcilicet qui ante transgreſſionem bonum naturaliter ſciens, malum neſciebat. Siquidem tantæ erat ſanctitatis, ut, poſtquam illo in hujus Mundi exilio procul dubio pro culpa damnato, ingenita menti ejus puritas a poſteritatis ipſius malignitate cœpit depravari, pius factor dolens ab originali Divinæ rationis dignitate facturam ſuam denobilitare, primò Patriarchas, deinde lege ex Prophetis, noviſſimè proprio Filio ſuo & ejus Evangelio, ſignis & prodigijs ejus, diſcipulorumque ejus, nec non omnium

Eccleſiæ Doctorum verbis & exemplis ad id humanum genus provocaverit, quatinus cœleſtem vitalis ſpiraculi & ſimilitudinis Dei ſublimitatem hæreditaria animi virtute velit repoſſidere. Verùm etiam cujus innatam ſanctitatem imitari debemus, Phyſicum quoque ſcientiæ ejus acumen ſtudio, quo poſſumus, ſequi non ſolùm licet, ſed & omnibus, qui practicè viventes talentum ingenij a Domino conſecuti ſunt, ab hoc exercitio ſubſiſtere fas non eſt.

Videamus autem, ſi ſapientiæ ejus plenitudini hæc, de qua agimus, diſciplina defuerit. In libro Collationum, qui maximæ auctoritatis habetur, ita ſcriptum eſt : *ab illa vera Phyſicæ Philoſophiæ diſciplina homines exciderunt, quam primus homo ille, qui univerſarum naturarum inſtitutionem e veſtigio ſubſecutus eſt, potuit evidenter attingere, & ſuis poſteris certa ratione transmittere, quippe qui Mundi ipſius infantiam adhuc teneram & quodammodo palpitantem rudemq; conſpexerat : & in quem tanta fuit non ſolum ſapientia plenitudo, ſed etiam gratia Prophetiæ Divinæ illa inſufflatione tranſfuſa, ut non ſolum* C. *omnigenarum beſtiarum atque ſerpentium furores virusque diſcerneret, ſed etiam virtutes herbarum & arborum lapidumq; naturas, ac temporum necdum expertorum viciſſitudines partiretur, ita ut potuerit efficaciter dicere : Dominus dedit mihi eorum, quæ ſunt, ſcientiam veram, ut ſciam diſpoſitionem Orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & conſummationem & medietatem temporum, viciſſitudinum immutationes & diviſiones temporum, annorum curſus & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium & iras beſtiarum, vim ſpi-* D. *rituum & conſtitutionem hominum, differentias arborum & virtutes radicum, & quæcunque ſunt abſcondita, inpromptu cognovi.* Ecce ex quàm limpidiſſimo fonte nos [ad] totius Quadruvij diſciplinam per naturale ingenium quaſi per quædam ſpiramina etiam inviti attrahimur! Ideoque omnibus, qui maligna loquuntur, planè confuſis, in nomine ejus, qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat, Aſtronomiam noſtram propoſito A. Dialogicæ confabulationis itinere percurramus.

Tum ego validiſſimis, inquam, aſſertionibus me, frater dilectiſſime, & contra adverſarios animâſti, & ne juſſis tuis ultra reſiſtere audeam, potenter obligâſti. Sed ea mercede obtempero, ut, quia ego figuris adhuc & pluribus inſtrumentis ad iſta pertinentibus graviter occupandus ſum, tu collationem noſtram litteris, quemadmodum promiſiſti, replicatam expedias &c.

Incipit Opus.

B. Igitur a Solſticijs & Æquinoctijs ordo adinventionum noſtrarum ſumit exordium : quia hominum adhuc naturalem terminum ignorans, multa fateor &c.

XLVII.

S. Bennonis, Epiſcopi Miſnenſis Liber Dictaminum.

Circ. 1077. Exmſ. Cod. Bibl. Auguſt. Guelferbit. 56. 20.

Præfatio.

Ego Benno Miſnenſis, humillimus ſervus Crucis Chriſti, D. Feuranenſium* civi, Palatij Imperatoris æquiſſimo Judici, ſalutem & petitionis affectum.

* Ferrarienſium

MAgnis & crebris tuæ dilectionis precibus fatigatus, honeſtæ petitioni denegare non audeo, quod me jam dudum Opuſculum promiſiſſe recolo. Eatenus namque tua rogatione moveor, fraternáque dilectione cogor, ut omnibus ferè deſtitutus amicis, ſi ſuper his tibi ſatisfacere, tuæque utilitati prodeſſe negligam, videar. Feci itaque non invitus, ut tum tua, tum communi omnium utilitate rationes dictandi proſaicè ex multorum geſtis in unum corpus colligerem, quibus diſciplinam rudibus, & documenta provectis breviter commodeque traderem, ut hoc duntaxat contenti Opuſculo, ad aliorum nænia & diverticula non recurrerent de cætero.

Siquis verò livor edax mordet, rodit, lacerat, de ſe in ſe nihil fructûs proſpicientes, quem ferre valeant, & ob hoc *Agimuſi* vel *Abbati** temeritatem & indiſciplinatæ doctrinæ novitatem huic introdu-

* *ita Codd.*

Digitized by Google

troductioni præponere vel parificare ſa- A.
tagant, videant, quòd non ratione du-
ctì, ſed facibus * invidiæ accenſi inde- *Cod. fa-
center proterviunt. Sic enim *Alberici* ſcibus.
Monachi, viri eloquentiſſimi, Librum vituperant, qui etſi plenè per ſingula dictaminis documenta non ſcriberet, in epiſtolis tamen ſcribendis & dictandis *f. excel-
privilegijs non injuria creditur cæteros lere.
expellere. *

Cæterùm ne in Prologis ſcribendis & nihil profuturis tempus videamur amittere, finem præfationi imponamus. Hoc tamen priùs expoſtulamus. quòd, B.
ſiqui ad hoc Opus accedentes quicquam a teneris auribus acceperint, quod diſcretum eliminari oportuerit, non ſtatim obſtrepant, ſed quid, & propter quid, diligenter conſiderent. Et hæc hactenus.

Cap. I.

Quot ſint principalia, dictaminum genera.

HÆc quidem principalia dictami- C.
num genera novimus, unum videlicet *Proſaicum*, alterum, quod vocatur *Metricum*. Metricum verò a Græco *metron* trahitur, quod Latinè *menſura* dicitur: inde *metricum*, id eſt: menſuratum dictamen Latina lingua exprimitur.

Hoc autem reperitur tripliciter: aut cum pedum menſura, & *carmen* vocatur: vel numero tantùm ſyllabarum & vocum conſonantia, & tunc *Rhythmus* vocatur: ſeu utroque immixtum, quod D.
quidem *Proſimetrum* datur cum priore, ùt ſequentia declarant exempla. *Carmen*, ùt: *Bella per Emathios.* Rhythmus, ùt hìc: Hoſtis. Herodes impie, cum càntu ſatis congruus, quia uterque reperitur octogonus. Cætera *Proſimetrum* poſſumus dicere, quando pars verſificè, pars verò profertur proſaicè, ùt exempla declarant: *Hugo patris matriſq; loco, quæ ſemper habuit, quidquid habet, quidquid valet, dat tibi libenter.* Sed de his aliàs. Nunc ad *Proſaicum* redeamus.

Cap. II.

Quid ſit Proſa, quot genera Epiſtolarum, & qui in ijs modi ſalutandi.

EST autem *Proſa* oratio a lege metri ſoluta, ut noſtra lingua interpretamur, quod partitione tali congruè dividemus, cùm aliud tantum *proſam*, aliud *proſam* & *Epiſtolam* dicemus. *Proſa tantum*, ut Opus Saluſtij & Ciceronis. *Proſa & Epiſtola*, ùt Pauli, quæ mittuntur amicis vel quibuscunque, quibus viva voce de re qualicunque non famur. Quæ quidem duabus de cauſis mittuntur, videlicet vel propter Legati inſcientiam, vel ſecretorum quandoque occultationem, maximè neceſſariam.

Tres autem invenimus ordines Epiſtolarum, ſicut tres ſunt ordines perſonarum. Aliæ namque ſupremæ, aliæ infimæ, aliæ mediocres vocantur. Quæ enim majoribus prælatisque perſonis, ſublimes: quæ ſervis vel qualibet ratione ſubjectis, infimæ: quæ æqualibus vel amicis comparibus, mediocres appellantur. In quibus omnibus ſalutationes in tertia perſona congruenter poſitas diſponamus, & ut aptiùs, quid ponatur, in- C.
telligatur, nullum ibi verbum ponatur, ſic tamen, quod, cui mittitur, per Dativum, & ejus, qui mittit, per Nominativum nomen ſcribatur.

Adjectiva præterea perſonis competentia in ſalutatione debemus addere, quibus varietatem perſonarum queamus exprimere. Aliter enim Papæ, aliter Regi loquimur, aliter Epiſcopo, aliter Abbati vel Monacho, aliter militi ſtrenuiſſimo, aliter ſocio vel amico caro, quod per ſingula currentibus, & exempla ſubſcripta rimantibus ſatis liquebit. Et quia ſalutationis ordinem ad unguem usque perduximus, ad Epiſtolas tranſeamus, & quæ cui perſona loqui, quot quoque in epiſtolis neceſſaria, & quid cui debeat anteponi, dicamus.

Cap. III.

Quot ſint partes Epiſtolæ, quid exordium, narratio, concluſio &c.

NOtandum igitur, ut ſecundam prima perſona conveniat, & quaſi ore ad os ſuam ſecum rem vel cauſam dili-

genter conferat. Cui ſi reſponſio ſcripto remiſſa fuerit, non erit competens, niſi ut unicuique vel digniori ſaltem parti reſponderit.

Præterea trina in epiſtolis eſt conſideratio, *Exordium* videlicet, *Narratio*, & ex iſtis procedens certa *concluſio*. Hæc tamen non diſtinctim ſemper ponuntur: quoniam exordium cum narratione quandoque, vel concluſio cum narratione connectuntur. Hoc autem evidenter videbitur, cum cujuſque exemplum ponetur.

Eſt autem *Exordium* juxta Tullianam diffinitionem oratio, comparans animum auditoris ad reliquam dictionem. *Narratio* quidem eſt rei geſtæ vel quaſi geſtæ explanatio. Eſt autem *Concluſio* totius orationis exitus ſive determinatio.

Iſta ſiquidem ſingula hac ratione digeſſimus: quoniam neceſſe eſt, ut Orator, qui aptè, diſtinctè, ordinatè loqui ad perſuadendum deſiderat, aliquid priùs captando exordiri ſtudeat, niſi fortè inimicum vel indignam perſonam conveniat. Secundò narrationem adijciat, tertiò Concluſionem ponat, quæ præſcriptis finem ingerat. Horum exempla ſcribendi infra.

Benivolentiam verò in epiſtolis alio & alio modo captamus. In ſalutatione quoque primò tria vel quatuor Adjectiva ad laudem ponamus. In Prologo ſive Exordio communiter, ubi vel cui mittitur, aut utrisque, vel alteri rem aptam commendemus. In concluſione etiam, ſi laudem & commendationem concludendo repetamus. De narratione nihil hìc dicatur: quoniam in ea benivolentia non captatur, ſed rem in ea propriè explanare conamur.

Cæterùm captandi modos in epiſtolis tres eſſe novimus, quarto frequenter non utimur. Aut ab eo, qui mittit, ſeu cui mittitur, captatio incipitur: vel ex ipſa re, id eſt: qui illorum alterum utrique diligenter commendando benivolentiam capient.

Sunt præterea hæc duo neceſſaria, id eſt, *cola* & *coma*, videlicet ſubſequens præcedenti non multum impar pono, quando ſcilicet diſtinctiones videntur quaſi eſſe, & ſunt ferè inter ſe compares. V. G. *Veſtræ fraternitatis & dilectionis litteræ meas ad aures usque venêre, quarum præſentiam vellem, ſi poſſem, præ oculis ſemper habere.* Hoc in epiſtola eſt neceſſarium, ſine quo inconcinnum conſtat *Proſaicum.*

Colam * verò membrum eſſe dicimus, quando diverſa vel adverſa, reſponſiva vel ſimpliciter poſitiva accidentia uni rei damus, quibus laudem vel vituperationem quandam verborum concatenatione expolitè ſignamus, quarum quaedam interrogativè invenietis, ùt ſubſequenter in exemplis patebit. Et ſunt appoſitivæ modo iſto ſimpliciter: *Eſt quippe, quem Juno potentem, Minerva prudentem, Citherea præ cæteris fecêre luceſcentem.* Vel ſic: *Eſt quippe, quem regnorum Juno magnitudine præpoſuit, literarum plenitudine Minerva edocuit, cunctis mirandum Citherea contulit. Eſt quippe, cui Juno regnorum magnitudinem, Minerva literarum plenitudinem, ſuam Venus tribuit pulchritudinem.*

Eædem tamen, ſi hoc modo proferantur, *reſponſivæ* vocantur. Sic & ſi quatuor virtutes convenientes ſive contrarias velimus ponere, mirabiles *colas* poſſumus facere hoc modo: *Eſt enim, cui diſcretionem prudentia, æquitatem juſtitia, fortitudo conſtantiam, temperantia parit modeſtiam.* Hæ aliter reſponſivè ponuntur & contrariè hoc modo: *Cum tuæ diſcretionis prudentiam, æquitatis juſtitiam, fortitudinis conſtantiam, temperantiæ modeſtiam erga meæ, ut ita dicam, * irrationalitatis ſtultitiam, injuſtitiæ nequitiam, debilitatis inconſtantiam, & audacitatis intemperantiam, benignitate & lenitate animi recordabor exhibita, ſatis ſatisq; dubito, quando & quæ potuero promereri.*

Inveniuntur quoque interrogativæ, ùt Tullius in Amicitia de Scipione: *Quid*, inquit, *dicam de pietate in matrem? de liberalite in ſorores? de bonitate in ſuos, de juſtitia in omnes?* Vel taliter: *Quis enim tanti virri notitiam non appetat, benivolentiam non deſideret, & munificentiam non concupiſcat?* Sunt autem aliæ prima ſibi contrariæ, ùt cuidam placuit in Vita S. Cæciliæ dicens: *Quod in iſto Mundo vivitur, vitandum eſt: quia humores humidant, dolores extenuat, ardores exſiccant, æres morbos dant, eſca inflant, jejunia*

* Ed. dico.

nia macerant, loci solvunt, tristitiæ consumunt, solicitudo coarcat, securitas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, frangit infirmitas, mœror consumit, & his omnibus mors furibunda succedit.

His modis duntaxat *cola* reperiuntur, quæ non nisi ad ornandum dictamen ponuntur.

Causâ vituperationis non minùs inveniuntur. V. G. *Est enim quippe, quem ira incitat, mordet invidia, odium solicitat, superbia inflat, luxuria effœminat.* Vel sic: *Verbis acerbis, factis protervis, in bonis exiguus, in malis eximius.*

Horum tamen omnium vitari oportet tœdium, nec in nostro dictamine ultra quatuor vel quinque debemus ponere. Et quoniam quæ dicenda fuerunt extrinsecus, sufficienter explicavimus, nunc salutationum varietates ponamus, & singulis singula competenter distribuamus. Priùs tamen evidenter reprehendatur, quod a quibusdam imprudentibus affirmatur, quòd nomen scilicet proprium priùs scribatur, & Adjectivum sibi competens subsequenter addatur. Sive enim adjectiva omnia præponantur, seu nomine appositio scribantur, vel adjectivorum meditati nomen interseratur, idem a nobis affirmatur valere. V. G. *Tibi Divinæ humanæq; Philosophiæ munere prædito, amico carissimo, V. amicissimus, quicquid in Mundo utilius*, vel *vitæ intemeritatem, morum honestatem plenissime. T B. suorum amicorum intimus intime dilectionis vinculum.* Vel: *Genere claro, litteris erudito T. vita moribusque fulgentissimo B. salutem & sincertatis affectum.* Et hæc hactenus. Nunc ad salutationes revertamur.

Cap. IV.

Formulæ Salutationum in epistolis.

SCiendum est itaque, si Papa Imperatori vel alicui mittat, *Servum servorum Dei* quidem se ipsum nominat hoc modo: *C. Episcopus, Servus servorum Dei, H. Cæsari Imperatori Augusto, in Christo filio, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Vel: *H. Cæsari Imperatori Invictissimo regni concordiam, inimicorum victoriam & æternitatis gloriam.* Si verò A. hostis Ecclesiæ est: *Salutem promeritus*, vel: *Salutem commeruit*, vel: *Malorum compunctione seu abrenuntiatione æquitatis & pacis dignam imitationem.*

Ad Papam: *C. Romanæ Sedis*, vel *Primæ Sedis Pontifici*, vel, *Dei gratia Patri Universali, H. C. licet indignus Romanorum Imperator Augustus, debitæ subjectionis reverentiam.*

Si Papa ad Episcopum: *C. Episcopus servus servorum Dei, V. Boemensis Ecclesiæ Episcopo, dilecto in Christo filio salutem & Apostolicam benedictionem.*

Ab Episcopo ad subditos: *V. Divi-* B. *na voluntate*, vel: *Divina gratia*, vel: *Divino nutu Boemensis Ecclesiæ V. nostro Decano Archipresbytero, fratri & dilecto filio salutem & Episcopalem benedictionem*, vel: *salutem & gratiam.*

A subditis ad Episcopum: *Reverendo ac diligendo Patri & Domino V. Böemensi Episcopo, V. suus ubique* vel: *ubicunque Clericus, omnimodam subjectionem*, vel: *quidquid Patri filius & Domino subditus servus.*

Ab Episcopo ad Episcopum: *V. pec-* C. *cator Boemensis Ecclesiæ Episcopus, B. Misnensium Coepiscopo, dilecto in Christo fratri, salutem & omne bonum*, vel: *prosperitatis cursum*, vel: *fortitudinis successum*, vel: *amoris affectum*, seu: *sinceritatis amorem.*

Iterum ad Episcopum: *summa veneratione, summæq; laudis celebratione dignissimo, Divinæ largitate munificentiæ plenissimo D. Divina gratia Misnensi Episcopo, Pastori & Dispensatori quam optimo.* Vel sic: *Venerabili & dilecto Domino V. Böemensis Ecclesiæ Præsuli sanctissimo; V. suus ubique & ubicunque Clericus* vel *Sacerdos humillimus, omnimo-* D. *dam subjectionem*, vel: *debitæ servitutis obsequium*, vel: *hujus vitæ, & si est, *gloriam*, vel: *diu feliciterq; vivere.* Vel sic: *Litteris decompto, moribus honesto, munerum largitate magnifico.* Vel: *Genere claro, solerti, pectore gnaro, moribus egregio, præmijs benignissimo A. Lundinensis Ecclesiæ Archidiaconus ejusq; confratres, salutem & reverentiam. V. Böemensis Ecclesiæ Canonicus, licet indignus, solo nomine Magister, scholaribus suis, in animo dilectissimis, scientiam penitusque benivolentiam*, vel: *perfectionis effectum*, vel: *Philosophiæ gradum*

dum ascendere, vel: *in litteris proficere, & ad meliora jugiter anhelare*, vel: *Hippocratis scientiam & Ciceronis eloquentiam.*

Ad Magistrum: *Litterarum scientia ditissimo*, vel: *prudentissimo, apprime erudito*, vel: *eruditissimo, viro eloquentissimo*, vel: *Philosophiæ documentis imbuto*, vel: *suorum minimus salutem & quicquid discipulus Magistro.*

Ad Patrem: *Venerabili ac dilecto A. I. ejus dilectus filius, perpetuum in fidelitate servitium*, vel: *quicquid peramans filius*, vel: *quicquid domino subditus servulus.*

Si verò patri ac matri & fratribus & sororibus, nec non cunctis amicis mittatur, hoc modo ordinatur, si omnibus, quibus mittitur, antepositis adjectiva pauca & cunctis communia subdantur, ita tamen, quòd alterius nominis accidentia singulis singula convenienter respondeant. V. G. *B. patri, B. matri, E. & I. fratribus ac sororibus, cunctisque amicis & notis, præ omnibus & in omnia diligendis, E. filiorum, fratrum ac nepotum minimus, amicus intimus, debitæ servitutis ac dilectionis obsequium*, vel: *quicquid utriusque vitæ felicius*, vel: *quicquid valet melius*, vel: *quicquid in Mundo carius*, vel: *utriusque hominis gaudium*, vel: *hujus successum & futuræ vitæ bravium.*

Ad amicum: *Amicorum eximio, omniq; commendatione dignissimo*, vel: *omni laudando tripudio*, vel: *vita moribusq; fulgentissimo*, vel: *familiaritatis* vel *largitatis famosissimo*, seu *amantissimo.* Vel: *E. societatis ac dilectionis satis amando*, vel: *amabili*, vel: *Reverendo fratri*, vel: *associo*, vel: *amico Karissimo*, vel: *dilecto in Christo socio, C. fratrum ac sororum intimus*, seu *minimus, Lælij & Scipionis familiaritatem*, vel: *Paradisi amœnitatem*, vel: *quicquid contrarium malo præter ipsum.* Vel sic: *Primam vocem tripudij. Tripodem cum circulo dignum vitæ cum medio grammate inciso.*

Ad Abbatem vel Monachum: *R. Cœnobij S. Mariæ Abbati* seu *Monacho sanctissimo, religione pleno.* Vel: *cœnobitæ*, seu *Abbati religiosissimo & dilecto A. in Christo Patri A. sanctæ Cæciliæ Abbati humillimo, moribus honesto, conversatione perspicuo, lingua facundissimo, jejunijs valido, orationibus assiduo, vigilijs infesso. M. Abbati clementissimo, C. Vicecomes* vel *Miles ejus fidelissimus, salutem & obsequium.* Vel aliter: *D. peccator Monachus, in Dei servitio minimus, debitam subjectionem*, vel: *Dominum dominorum in Sion*, vel: *Sabbathum post Sabbathum*, vel: *post Liæ lippitudinem Rachelis limpitudinem*, vel: *post Marthæ laborem Mariæ consolationem.*

B. Ad fratrem: *R. fratri dilectissimo*, vel: *dulcissimo, Militi strenuissimo*, vel: *ingenio provido, bello strenuo.* Vel: *G. Nobilissimo*, vel: *viro industrio, C. Parmensis Vicecomes & universus populus salutem & obsequium*, vel *Ulixis astutiam, fortitudinem Hectoream.*

Civitas ad civitatem, si inimici sunt salutatione careant: *Bononiensium Consules & populus universus Femonienſium* * *Consulibus & populo cuncto.* Vel simpliciter sic: *Bennonienses Feuronensibus antiquam restaurare amicitiam, C. restauratam confirmare.* Si verò amici sunt, sic: *Bonnonienſium Consules & universus populus Feuroniæ & omni populo salutem*, vel: *firmare pacis perseverantiam, & promissi auxilij mutuam constantiam.* Si verò quibuslibet inimicis mittatur, taliter: *Dominis, prout meruerunt, salutem.*

* *Cod.* Bononiensis

Et de salutationibus ista sufficiant. * Sciendum tamen, quòd licèt adjectiva quædam & salutationes aliquot cunctis quibusdam nominibus præfato ordine poneremus, tamen eadem alternare, & D. quibusdam quædam, quibus non dedimus, dare & mutuare possumus. Quædam namque fratri dedimus, quæ amico competunt: quædam amico, quæ fratri convenientia valemus optare. Et sic salutationes & adjectiva quædam incertum sibi locum vendicant, quod diligens lector, assiduusque dictator studiosè advertet. Nunc ad epistolas redeamus, & ubi exordium & narratio atque conclusio singillatim inveniantur, sub exemplo ponamus.

* *Cod.* suscipiant

Cap. V.

Cap. V.

Exemplà epiſtolarum, in quibus exordium, narratio atque concluſio ſingillatim inveniuntur.

AD Magiſtrum cum exordio, & narratione, & concluſione: & captatur ab auditore:

* Cod. vetz.

*Veſtræ * profunditatis ſcientiam & melliſluæ doctrinæ eloquentiam fama vulgante cognovimus, eamq; cunctis ſubtilitate inveniendi & docendi excellere pro certo credimus quibuscunque ad nos venientibus. Non invenit ſcientiam quaſi* B. *plantavit, & imbre doctrinæ cor inſcius irrigavit. Quibus verò ſciat, illam aliqua reperit rudimentis velut ſollibus excitavit, & ad perfectionem usque educavit. Quos autem non rudes ſed provectos percepit, documentis ex univerſis datis ſua profunditate firmavit. Hæc verò ſcientia tam congruenter ſingulis inſtruens ſingula nos commovit has ad vos litteras dirigere, veſtræq; manum ferulæ ſupponere, & , ut nos doceatis, ſuppliciter expoſcere. Quapropter ad veſtræ cunctiſophiæ pedes celeriter recur-* C. *rentes humiliter deprecamur, ut ſupra his noſtros inſtruiſetis, noſtrumq; ſervitium jugiter habeatis.*

loc. corrupt.

Reſponſio. Et hìc exordium cum narratione ſimiliter & per ſe, concluſione, & cum amicitiæ captatione ad diſcipulos.

C. Bononienſis civitatis Monachus & Sacerdos humillimus, ſolo nomine Epiſcopus, I. B. optandis diſcipulis ſalutem.

Ex quo veſtræ fraternitatis litteras ſæpe legendo replicavi, meum extemplo animum non mediocriter exhilaravi. Id D. *enim vos video me expoſcere, quod Divino dictante ſpiritu vobis poſſum affluenter impendere. Cæteris nempe artibus parum vel nihil utilitatis afferentibus penitus ſuperſedere, ſed huic tantùm ſolertiſſimæ diſciplinæ ſine hæſitatione volui ſtudium inceſſanter adhibere, quam tum pro mea, tum pro veſtra utilitate & amore nimio vobis inſinuare cupio. Sine ergo ulla dubitatione ad me veniatis, &, quod petitis, efficaciter habeatis.*

Aliter ad eosdem: *Veſtræ fraternitatis litteræ ſolicitudinem attulêre cum Agaudio. Satis nempe miror, & cogito, cùm de me & a me tantum dici ac peti audio, quantum ego nec cognoſco & poſtulo. Veruntamen lætor & gaudeo, quia quorum deſiderabam amicitiam, habeo: quibus Divina volente gratia taliter ſtudebo, quòd eorum dilectionem & laboris compenſationem habere merebor. Ad me ergo venire ne differatis, ut, quod honeſtè petîſtis, impetrare queatis.*

Ad patrem: Eſt captatio ab ipſa re, & eſt narratio cum concluſione ſimul.

Veſtræ paternitatis dilectionem & ingenij diſcretionem non credimus latere, nos in illa arte ſtudere, quæ cæteris ſua natura & vi, non injuria videtur eminere. Quæ quantò natura gravior, perſpicuitate ſubtilior, prolixitate diuturnior, tantò ſtipendij plenitudine, ingenij ſolicitudine, temporis longitudine inceſſanter indiget. Quapropter vobis mandamus, quatinus aliquod ſubſidium nobis mittatis, ut, in quantum hoc ſtudium cæteris eſt gravius, tantò ſtudioſiùs exercere valeamus.

Et cùm hæc Epiſtola in medio reſponſiva (ſit,) nemo tamen tam ſubtiliter exorditur, quin inter exordium & narrationem aliquam facere diſcretionem videatur. Si quis enim perſpicaciter veritatem conſideret, aut per ſe poneretur narratio, vel cum narratione conjuncta concluſio. Et de his iſta ſufficiant.

Cap. VI.

Aliud exemplum epiſtolæ, potiſſimùm reſponſivæ.

Viro induſtrio, præ omnibus & in omnia diligendo A. Bononienſi Clerico ſalutem & obſequium.

CUm immenſitatis, prudentiæ & divitiarum gloriæ, meæ parvitatis inſcientiam & paupertatis miſeriam libuit adſciſcere, & quaſi fratri amabili & amico compari amorem proprium ſine merito adjungere, me docet ultroneum benivolentiæ principium recolere, & quem tantillum amor tantus extrudere, * immeritis ſedibus firmiter annectere. Quis enim niſi mentis inops oblivioni crederet, ſervire & promereri non ſatagens, cùm natura clarus, ætate gravis, divitijs pollens, ingenio providus, lingua facundus,

meæ nativitatis ignorantiam, juventutis laſciviam, paupertatis ſarcinam, mentis imprudentiam & enormem eloquentiam non ceſſavit ab hoſtibus defendere, moribus inſtruere copijs replere, animi ſcientiam & eloquij facundiam ſtudiose docere? Quid plura? Si omnium volo recordari beneficiorum, ſufficientium ſpes videbitur abeſſe ſervitiorum. Quapropter nihil utilius agendum queo proſpicere, quàm pro benefactis Deo vobiſque grates reddere.

Cap. VII.

De diverſis modis Epiſtolarum.

ET quia de exordio, narratione & concluſione ac benivolentiæ captatione, de colis quoque & de commatis ſufficienter tractatum eſt, nunc ad diverſos epiſtolarum modos tranſeamus, & quot ſub numero poſſumus, ordinaliter ponamus. Sunt autem viginti ſex & paulò plures: & eſt primus *naturalis*, a natura principium ſumens hoc modo:

Ad patrem. *Lege naturæ & jure paterno cogitur ex ſe quisque natum diligere, ac abrutis exemplum ſumere, quæ ad tempus fœtus proprios elactant & nutriunt, quaſi ratione diſcernerent. Decet igitur vos me veſtrum filium in amore annectere, ſicq; mihi auxilium paternum dirigere, quò valeam ad meliora proficere.* * *Decet quemque Clericorum honeſtè vivere, religione uti, & aſſiduè litteris, quibus Deo ſerviat, & hominibus placeat. Quamobrem frater dilecte, te hortor & moneo, quatinus inceſſus gravitatem, vultus rigiditatem, morum honeſtatem cum religione teneas, ut hìc & illic Dominum remuneratorem habeas.*

Officialis ad Regem: *Regiæ dignitatis officium eſt, pacis inventores, juſtitiæ amatores, fidelitatis obſervatores, ſedula cum benivolentia conjungere, vel deſtructiores concordiæ, æquitatis perturbatores, infidelitatis ſectatores digna ultione repellere. Quod veſtra quidem Domûs propago reverenda ab atavis digno utens & effulgens voluit atque ſategit operari. Cæterum regna ſub veſtra ditione poſita, juſte ac miſerteorditer vos decet moderari, ut utrumque tempus, bellorum ac pacis tutè poſſit gubernari. Ad veſtræ igitur Majeſtatis pedes recurrentes de Dedone Comite, terram noſtram inquietante, ferro & igne populante, reclamamus, veſtramq; miſericordiam & dignam juſtitiam deprecamur, quatenus terræ noſtræ miſereamini, & ex illius iniquitate veſtros fideles ulciſcamini.*

(Civitas ad civitatem:) *Si cauſam, qua civitates ſunt condita, cives memoria tenerent, æqualibùs atque conſtantiùs (res) humana ſeſe haberent. Eſt enim civitas plurium ad jure vivendum hominum congregatio, ubi, quod prius faciebat vel rerum violenta ablatio, ſeu propriarum iniqua damnatio, hoc poſtea facis, vel dimittit omnibus par & ordinata ratio. Quòd ſi ratione non vivitur, bonum civitatum, principium civitatum non recolitur. Decet ergo cives cum civibus concorditer vivere, & alterum alteri juſtitiam extendere tyrannorum quoque vim vi & ratione expellere.*

Cap. VIII.

Exempla epiſtolarum a ſimili.

PEr ſimilitudinem ſimpliciter ad patrẽ, ad paſtorem vel Conſulem, concluſione parùm variata: *Sicut filij patribus, oves paſtoribus, cives Conſulibus ſubeſſe, ſic patres diligere, paſtores gubernare, Conſules defenſare coguntur, ut utrobique naturæ officijs & legibus decenter obſervatis, laude eximia dignum habeatur, quòd ratione vivatur.*

G. Paſtor egregie, me gubernare & regere vos non pigeat, quatinus mea parvitas omni tempore vobis ſubeſſe & ſervire valeat.

Similitudo ad contrarium: *Sicut perſeveranti in culpa debetur jure vindicta: ita reſipiſcentibus venia nullatenus eſt deneganda. Nam ut res illa contra ſe meritò iracundiam excitare, ſic in ſua propria dilectione ſolet concordiam provocare. Decet ergo, fili Kariſſime, commiſſa pœnitenter deſtere, quatinus, ſicut promeruiſtis obſtinacia pœnam, ſic pro cordis compunctione veniam habere mereatis.*

Aliter ſic: *Sicut iniqua volentibus nullus eſt tribuendus effectus: ſic æqua optan-*

optantibus & juſta poſcentibus nulla eſt deroganda petitio. Tuæ ergo petitioni honeſtæ annuere libens properanter cupio, quam te tam humiliter petiviſſe audio.

Aliter: *Ut ad amoris copulam terrarum cohabitatio per ſe eſt inefficax & inſufficiens ratio: ſic longa abſentia corporum nulla facit remotione affectum.*

Aliter cohortatoria. B. Gregorius in Regiſtro: * *Magnam nobis lætitiam Gloriæ veſtræ ingeſſit epiſtola, quæ æternæ vitæ deſiderium nos habere ſignavit. Sed quoniam hujusmodi (ſtudium) fugitiva Mundi ſolet gloria præpedire, hortamur, ut mentis veſtræ ſaluberrimam deliberationem res qualibet tranſitoria non revovet, nec ab incæpto tramite tam deviet, ſed magis ſuperna patriæ amor accendat, præmia manſura ſolicitent, & ad venturi judicis promiſſionem certam aſpiret ſemper, atque ex temporalibus æterna mereatur, ut ex hoc in æterna gloria eſſe, & inter cives Angelicos poſſitis adſcribi. Reducite ad animos proſperitates temporum, multitudinem hominum, pompas dignitatum, matronarum gloriam, divitiarum abundantiam. Attendite hæc omnia, ubi vel quid facta ſint. Ex hoc penſate, quam nulla ſint: quoniam qui iſta diligit, ſomnium vigilans videt. Ergo hæc recordatio magna nobis debet eſſe inſtructio, quoniam pro magno non debet diligi, quod videmus tanquam ſomnium citiſſimè annullari. Illa ergo ſunt appetenda, illa ſummopere diligenda, quæ nec inventa tranſeunt, nec adepta ſatiſcunt. Quoniam ad horum animum deſiderium Divinæ clementiæ ducit imperium, oremus ſuppliciter Omnipotentem Dominum; ut hæc nobis & velle eligendi & poſſe obtinendi tribuat, quatenus hic vivere in ſuo timore concedat, & poſt hanc vitam in Sanctorum conſortio cum gaudio recipiat.*

* Lib. X. ep. 49.

Cap. IX.

Diverſa ſchemata elocutionis Proſaicæ.

– – – denur tale: *Cunctos populos, quos noſtra regit clementia imperium, tali volumus edicto teneri, quatinus pacem viciſſim habeant, fures ac latrones ſuſpendant, infideles ac rebelles, pacem inquietantes, a noſtri imperij finibus expellant, juſtitiam ubique exerceant: quoniam ob (hoc nos) Deus voluit Romano præſidere Imperio, ut totius Orbis curam debeamus habere.*

Per abſolutionem: *Viſis tuæ fraternitatis & dilectionis litteris, magno mentis gaudio corperiſq; lætitia mea illico eſt exhilarata parvitas. Sicut enim ſitienti jam dudum dulcis eſt frigida lympha: ſic bona ſocietatis nuntius amico dilecto de terra longinqua. Quid enim tam alacrem me reddere poſſet, quam poſtquam audio ſoſpitatem, fortunæ proſperitatem, tuæq; virtutis (&) largitatis celebrem paſſim famoſitatem? Si autem me te, ut te me oportet diligere, non eſt valde mirabile, ſi gaudeo, cùm de te aliquid boni audio. Talibus igitur cùm loquor affatibus, talibusq; hortor ſermonibus, quatinus ſtudium incæptum exerceas, & bonis initijs meliores exitus habeas.*

Cauſalis. *Quoniam tuæ fraternitatis benivolentia erga me voluit amorem extendere, neceſſariò cogor dilectione alterna fraternum tibi obſequium rependere.*

Effectiva. *Quia de mea proſperitatis curſu & fortunæ ſucceſſu vos gaudere audio, & vos me diligere, meum affectare honorem non ambigo.*

Comparativa ſeu Quantitativa: *Quantò corpore ſplendidior, mente ſagacior, tantò debes cunctis eſſe ſubjectior, & Dei in ſervitio promptior.*

Commemorativa: *Inter cætera tuæ Nobilitatis atque virtutis facta egregia unum de te impræſentiarum audio, unde corpore & animo inceſſanter gaudio. Te etenim ſcholaribus dono legere, victum quoque, quibus potes, pro Dei amore tribuere meis inſonuit auribus, quod laude dignum jure commendatur ab omnibus.*

Adverſativa vel Diſtributiva: *Licèt inſignia, Clariſſime Juvenum, per morum honeſtatem evidenter appareant, ſatagere tamen ſummopere debes, ut luce Philoſophiæ ſuperaddita multò clariùs eniteſcant. Hoc enim quaſi ſpirituale bonum humanitatis mentibus ſolis eſt attributum. Vt enim Severinus, cætera, inquit, ferè caduca & imbecilla, labentia, etſi ad fortunæ vicem – – –*

Cætera deſiderantur.

LXVIII.

1077. ***Regiorum Missorum Judicium in causa quorundam bonorum Johannis Abbatis S. Justinæ Patav.***

Ex Archiv. S. Justin.

DUm in Dei nomine in civitate *Padua* in casa *Terranea* Domini *Volderici* Episcopi pro ejus data licentia in judicio residebant Dominus *Sigefridus* & *Moizo*, Missi Domini *Henrici* regis ad singulorum hominum justitias facienda ac deliberanda, & cum eis Dominus *Voldericus* Episcopus & *Albertus* Comes hujus civitatis *Patavis*, & *Vogerius* Advocatus, *Seunalericus* judex, *Oddo* judex, *Vgo* judex, *Cadalo* judex, *Odelgerius* judex, *Odelricus* judex, *Allo* judex, simulque cum eis alij boni viri, quorum nomina hæc sunt: *Penzo*, *Vitto*, *Vgo*, itemq; *Vitto*, *Frogerius*, *Adelardo*, *Bertaldo*, *Sigibaldo*, *Rozo*, *Johannes de Prerozo*, *Bernardo*, *Ermenardo*, *Attingo*, *Teuzo*, *Liuprando*, *Azo*, *Topingo*, *Martino de Zuliana*, *Donatus*, *Albertus*, & reliqui plures, quod longum est ad scribendum. In istorum omnium & aliorum multorum hominum præsentia veniens *Johannes* Abbas Monasterij S. *Justinæ* simul cum *Vberto* Advocato suo retulit, cœpit dicere, ac postulare mercedem dicens: peto vos Domini & Missi Domini mei Regis, ut faciatis nobis justitiam propter Deum & animam Domini mei Regis & vestras animas de terra, quæ est foris hujus civis *Patavis*, quæ dicitur *Valle da Mercato*, quæ simul se tenente pratum cum *Zairo* vocato, cum valle seu cum casis & hortis simul tenentibus cum prædicto *Zairo*, quod fuit antiquitus ædificium magnum: quæ omnia propria sunt de Sancta *Justina*, sicut currit strada *Silicata* de uno latere, & da strada usque ad *Flumixella* currentem ipsa jura, & ab alijs lateribus nos tenemus ex parte S. *Justinæ* in circuitu prædicto *Zairo*. De prato similiter peto mercedem de aqua fluvij *Rodolonis*, ubi dicitur supra ponte *Vicentina* ad molendinum ibi in ipsa aqua tenendum & habendum, & quod prædicta *Valle de Mercato* & prædicto *Zairo* cives hujus *Paduæ*, & sive qui intra vel foris intentionem nobis mittunt.

A. Tunc prædicti Missi Regis interrogaverunt judices, quid exinde facere debuissent. Et inquisita est causa a multis partibus, & non potuerunt cognoscere, quòd illa *Valle* & illo *Zairo* pertinuissent nisi ad Monasterium S. *Justinæ*: & cognoverunt, quòd non pertinebat illam *Vallem*, quæ dicitur *da Mercato*, & prædicto *Zairo* ad cives *Paduæ*, neque ad nullum alium nisi ad prædictum Monasterium S. *Justinæ*, sicut ipsi plures de civibus dicunt.

Tunc interrogaverunt prædicti Missi B. Regis omnes cives, si quis ex eis ausi fuissent hanc veritatem propter Deum. Et ecce tres viri de eisdem civibus præsentes, *Azo* advocatus, *Martinus de Juliana*, & *Donatus Guaragnolo* respondentes dixerunt: Nos enim propter veritatem dicentes testificamus hanc rem, & juramus propter Deum. Ad quod testimonium nullus de civibus contradixit, sed omnes tacuerunt. Tunc præsentibus sanctis Dei Evangelijs *Azo* Advocatus, & *Martinus de Juliana*, seu *Donatus de Guaragnolo* unusquisque per se juraverunt, sicut *Johannes* Abbas designavit, illa *Valle de Mercato* & *Zairo*, C. & cum omnibus in circuitu ejus, & infra illa latera, quæ dicit Abbas *da silice*, tam & *da Flumiselo*, & *da Mercato*, usque ad Monasterium, tota est propria S. *Justinæ*, quod usque in finem, sicut consuetudo est, juraverunt.

Et dixerunt Missi Regis ad judices, quid facere debent. Tunc judices omnes dixerunt sententiam legis & firmaverunt. Venite vos omnes cives & refutate in manu Domini Abbatis istam *Vallem* cum illo *Zairo*. Accedentes, quantiqué potuerunt, tangere fustem, & D. refutaverunt in manu *Johannis* Abbatis & *Volderici* Episcopi illam terram, sicut designatum est, & post miserunt bannum ex parte regis super illam totam terram, & super aquam de *Rodelone*, quam refutavit *Vgo* de *Ipolito*, & super cunctis casis & massaricijs, seu omnibus rebus, mobilibus & immobilibus, & familijs & decimis, & omnibus beneficijs, quæ habet, & tenere visa est a parte Monasterij S. *Justinæ*, & super *Johannem* Abbatem, & *Vbertum* Advocatum suum, ut, quicunque & ab hac die in antea de prædictis rebus inquietare vel molestare aut disve-

disveſtire auſus fuerit prædictum Monaſterium, aut ſuos deſervientes ſine legali judicio, agnoſcat ſe compoſiturus duo milia mancoſeos aureos, medietatem cameræ Regis, medietatem prædicto Monaſterio.

In eodem loco dimiſit *Vodelricus* virgam refutationis in manibus Domini Abbatis dicens: & ego ſimiliter prædicta terra & valle & *Zairo* refuto in Monaſterio S. *Juſtine* per me & per meos ſucceſſores ſub eodem banno, niſi tantùm, ut concedas mihi fodere de *Zairo* aliquantas petras, ut poſſim perſolvere debitum, quod habeo in *Venecia*.

Et præceperunt Miſſi Regis & judices ex hac cauſa fieri notitia. Quidem & ego *Steffanus* Notarius ex juſſio prædictorum Miſſorum & judicum ammonicione ſcripſi anni ab Incarnacione Domini noſtri Jeſu Chriſti MLXXVII. Quarto Kal. Marcius Indict. Quarta decima.

✠ Signum manu iſtis *Sigefredis* & *Moizo* Miſſi Regis *Henrici*, qui hoc ſignum crucifecerunt.

✠ Ego *Valerius* judex ibi fui.

Ego *Oddo* judex interfui.

Ego *Kadulus* juris prudens interfui.

Ego *Allo* juris prudens ibi fui.

Ego *Voldericus* Dei gracia . . . . .

LXIX.

1095. ### *Henrici IIII. Imper. Bannum in quasdam res Monaſterij S. Juſtinæ de Padua.*

DUm in Dei nomine in civitate *Patavi* in *Broilo* juſtà Epiſcopalem domum in judicio reſidebat Domnus *Ex Arch. S. Juſtin.* *Henricus*, Dei gratia tertius, Romanorum Imperator Auguſtus, adeſſet cum eo *Wbrunus*, *Veronenſis* Epiſcopus ac Cancelarius, *Bruchardus* & *Wnerius* Marchiones, *Bonefacius* Comes, *Manfredus* Comes, *Hiſnardus*, *Aldechericus*, *Vcho*, *Gumbertus* judices, *Peregrinus de Verona*, *Vbertus de Fontaniva*, *Cono*, *Gumbertus de Talſano*, *Odebrictus de Salvazano*, *Vcho de Caſule* . . . *Baronzello*, & *Cono*, *Pazuaro*, *Bernardus*, *Almenardus*, *Odo de Juſtino* judex, & reliqui plures: ibique in eorum veniens præſentia *Johannes* Presbyter & Monachus, Prior Monaſterij S. *Juſtine* cum cæteris Monachis ejusdem Monaſterij inſimul cum *Ingelero* Avocato ſupraſcripti Monaſterij, retulerunt & cœperunt dicere ac poſtulare mercedem: petimus ad vos Domne Imperator, ut vos propter Deum ac veſtra mercede, ut mittatis bandum ſuper nos & ſuper illas res, quas res *Litulfus de Cararia* hìc in veſtra præſentia nobis refudavit, ſcilicet curtem, quæ vocatur *Monteſilice* cum omnibus rebus, ad ipſam curtem pertinentibus, & ſuper illas res, quas *Milo* & Henricus, *Gregorius* ſimiliter hìc in veſtra præſentia nobis refudaverunt, ſcilicet villa, quæ dicitur *Tribano* & *Capus ſilvæ*.

Tunc cùm prædictus Domnus Imperator taliter audiſſet mercedem per judicum conſilium, que ibi aderant, & per fuſtem, quem in ſua tenebat manu, miſit bandum ſupra prædictos Monachos & ſuper eorum Avocatum, & ſupra prædictum Monaſterium, & ſupra prædictas omnes illas res, quæ ſupra jam leguntur, interdicens, ut nullus quislibet homo prædictum Monaſterium de prædictis rebus inquietare aut moleſtare vel deveſtire audeat. Qui verò hoc fecerit, ſiat ſe compoſiturum auri optimi libras centum, medietate cameræ Domni Imperatoris, & medietate a prædictum Monaſterium *S. Juſtine*.

Et inſuper miſit alium bandum, ut nullus Epiſcopus, nullúsque Abbas prædictas res audeat in beneficium alicui dare, vel per titulum pignoris alicui obligare, vel quodcunque ingenium a menſa fratrum aufferre. Qui verò hoc fecerit, ſciat ſe compoſiturum a parti publicæ auri optimi libras centum.

Finita eſt cauſa, & ac noticia per ſecuritatem ſupra ſcriptum Monaſterium S. *Juſtine* fieri amonuerunt. Quidem & ego *Johannes* Notarius ex juxione Domni Imperatoris & judicum amonitione ſcripſi anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MXCV. Secundo Calendas Junij Indict. III.

✠ Ego *Henricus* Dei gratia tertius Romanorum Imperator Auguſtus ſs.

✠ Ego *Walbrunus* Cancellarius ex juſſione Domni Imperatoris m. m. ſſ.

✠ Ego *Iſnardus* Judex ſſ.
✠ Ego *Aldegerius* judex interfui.
Ego *Vto* judex interfui.
Ego *Agichardus* judex interfui.
✠ Ego *Gumbertus* judex interfui.
Ego *Peregrinus* judex interfui.

LXX.

Idem Imp. Monaſterio Monſeenſi ablata quedam bona reſtitui jubet.

1101. P. H. In nomine Sancte, & Individue Trinitatis. *Henricus* divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus.

Ex autographo. SEmper opus Regum & Imperatorum eſſe novimus divinarum teſtimoniô Scripturarum, Eos omnibus injuriam patientibus juſtitie conſolationem exhibere, & loca Sanctorum, que ab impijs opprimuntur, pietatis ſtudiô reſpicere, & ea miſericorditer de manibus eorum eripere, ut ibi Domino ſerviatur cum jocunditate.

Quod opus ob deſiderium æterne beatitudinis & nos amplectentes Omnibus Chriſtiane fidei cultoribus, tam futuris, quàm preſentibus notum fieri volumus, qualiter nos propter Dominum, & anime noſtre noſtrorumque parentum remedium, & ob amorem & ſalutem *Henrici* Regis, dilecti filij noſtri, & ob devotam petitionem *Rudberti* Venerabilis Abbatis ejusdem loci, Cœnobium *Mainſe*, conſtructum in honore S. Michaelis Atchangeli, reſpeximus, & bona Eccleſie, que uſui fratrum, ibi Domino ſervientium, diu injuſtè ſubtracta fuerant, in preſentia Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Comitum & aliorum multorum noſtrorum fidelium, eidem loco juſtè reſtituimus, & habere perpetuò cum pace conceſſimus.

Hec ſunt nominatim bona. Decima videlicet omnium exſtirpatorum foreſti *Wiſeleburch*, quod erat in banno, & decima ſtagni ejusdem foreſti, & quid quid foreſti nondum exſtirpatum eſt in omni utilitate ſua. Et Parochia ad *Strazvvalchen*, quam Epiſcopus Ratisbonenſis in noſtra manu reddidit, & ſylva *Buobenvvanch*: & una huoba ad *Tanperch*. Vt autem hec noſtre pietatis & juſtitie inviolabilis permaneat, hanc chartam inde ſcribi facimus, eamque manu propria corroboratam impreſſione noſtri ſigilli inſigniri juſſimus.

Signum Domini Romanorum Imperatoris invictiſſimi. Henrici quarti

Erlongus Cancellarius recognovit.

Data III. Kal. Marc. Anno Dominice Incarnationis Milleſimo, centeſimo primo. Indict. XII. Regnante Henrico IV. Romanorum Imperatore Auguſto anno LII. Imperante autem XX. Anno ordinationis *Henrici* Regis inclyti filij ejus VII. Actum eſt *Ratisbone* in Chriſti nomine feliciter amen.

LXXI.

Charta donationis plurium bonorum, Monaſterio S. Lamperti, olim in Carinthia, nunc in Stiria, facta ab Heinrico Duce Carinthie.

A. 1103. P. H. OMnibus Chriſti fidelibus, tam preſentibus, quàm futuris innoteſcat, quod *Charinthie* Dux *Heinricus* pro anime ſue remedio & dilecte Conjugis ſue *Liutkarde*, & pro animabus Patris & Matris ſue *Marchvvardi* & *Liutpirge*, fratrumque ſuorum & aliorum parentum ac debitorum ſuorum, & omnium fidelium defunctorum ad altare S. *Lamperti* in ſilva ultra aquam *Theodoſiam*, Eccleſiam Sancte *Marie* in loco, *Graeluppa* dicto, ſitam, exceptis Miniſterialibus eorumque Predijs & beneficijs, cum omni Jure, quod nunc habet, & poſtea

Ex autographo authentico.

Digitized by Google

poſtea habitura erit, preſenti *Harth-*
manno Abbati cunctisque Succeſſoribus ſuis omni ſubjectione obediendum & in eadem valle *Adalbertum* Cocum, *Reginhalmum*, *Hamidei*, *Reginhalmum* cum eorum beneficijs, ſi absque liberis, ſocia ſibi conjuge progenitis, obierit, poteſtativa manu ſine omni contradictione tradidit.

Preterea mercatum *Judenpurch* cum uſu, qui *muta* dicitur, theloneo, & pretereuntium merce. Eadem traditione Eccleſiam *Wicanchircha* cum omni uſu, quem nunc habet, vel poſtmodum habebit, & eccleſiam *S. Martini Linthe* cum omnibus ad eam pertinentibus. Nec non & eandem villam cum piſcina, molendinis, piſcatoribus, paritérque ſtabulariam curtem, quam *Oci* poſſidet, excepto Wolftriglio ejusque beneficio, & vallem *Auelnice* cum Eccleſia ibidem conſtructa, & miniſterialibus hanc habitantibus *Helimperto*, *Walbrunone*, *Cadalhohe* cum alijs ſuis, excepto *Egilmundo*, cum omni utilitate ſiluis, venationibus, piſcationibus, paſcuis, pratis, cultis locis & incultis, ſalino & rudere, quod *Aric* dicitur, caſtoribus & marconibus. Eccleſiam *S. Marie* in Comitatu, qui dicitur *Murctal* & ſtabulariam curtem *Scalchdorf*, & quidquid in eodem comitatu habuit, exceptis beneficijs *Waldonis* & *Gundakari*. Parrochiam *S. Georgij* ad *Agriach*, cum uſu quem modò tenet, poſtmodumque tenebit. Tale predium, quale habuit in loco, qui vocatur *Pibertal*, Parrochiam ſcilicet *S. Andree*, & Eccleſiam *S. Margarethe* cum omnibus pertinentijs ſuis, exceptis ibi miniſterialibus ſuis, eorumque predijs & beneficijs. Saltum autem, qui *Vorſt* vulgò dicitur, cum omni uſu, quem habet, venationibus, melle, pellibus marconum, & ſaltuaribus, qui *Vorſtere* dicuntur, & fluvium *Cheinach*, cum omnibus illò pertinentibus, piſcationibus, caſtorum venationibus, & villam *Seclinge*, in qua *Diethmar* habitat, ſicut & poſſeſſa, & curtem ſtabulariam *Zedernica* cum omni jure ad hanc pertingente, & vineas ibidem ex toto inferiores & ſuperiores.

Confirmata eſt autem hec traditio ſubſcriptorum teſtimonio teſtium, qui ſunt: *Vdalſcalch* Comes, *Walt* Comes A. de *Rinna*, *Chunrat* filius *Vdalſcalci* Comitis. *VVilihalm* de *Hunnpurch*, & *Starchant* Marchio de *Soune*, & frater ejus *Vdalrich*, *Rutprecht* de *Dietrichſtain*, *Liutpolt*, *Huntheri*, *Gerhoch* de *Treueſſe*. *Poppo* de *Sedelſach*. *VValtchon* de *Lungovvi*. *Pabo* de *Suplich*. *Liutholt* de *Scunenperch*. *Otto* de *Puſtris*. *Meginhart*, *Marchvvart*, *Peringer*, *Vdalrich*, *Adalbrecht*, & in audientia aliorum quamplurimorum Clericorum ac laicorum.

Scripta eſt hec notitia Anno Incarnationis dominice Milleſimo C. III. Indi- B. ctione X. VII. Idus Januarij.

LXXII.

Clementis III. Antipapæ epiſtola ad Wratislaum primum Ducem, poſtea Regem Bohemiæ. Hortatur ad ſolvendam Sedi Rom. oblationem, & ad cujusdam ad Epiſcopatum promotionem.

circ. 1106.

Ex biblioth. S. Emmer. Ratisbon.

C Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, W. glorioſo Principi *Boëmiorum*, ac dilectiſſimo filio, ſalutem & Apoſto- C. licam benedictionem.

Tuam, dilectiſſime fili, prudentiam credimus noſſe, quantis dolis, quantis fraudibus adverſarius noſter diabolus humanum genus exagitet, quantis verſutijs eam, quam inter Angelos, & inter Deum & primum hominem ſeminavit, diſcordiam, cottidie inter Chriſtianos ſeminare laboret. Vt enim tibi veritatem fateamur, plurima jam ſæpius nobis de te ſunt relata, quæ adversùm dilectionem tuam animum noſtrum, quod Deus avertat, incitarent. Sed ipſe cordium inſpector . . eſt teſtis, nolle nos D. ſuper tua dignitate aliud, quàm deceat, vel credere, vel audire, & quod in omnibus te & deſideravimus & deſideramus proſperari. Tuus tantùm animus, unde dolemus, unde ingemiſcimus, non ea ſe erga nos caritate, ea, qua deceret, devotione habere videtur, cùm neſcimus, quo noſtro peccato, qua noſtra erga tuam dilectionem offenſione debitam beati Petri contra omnium prædeceſſorum noſtrorum religioſiſſimam inſtitutionem & exhibitionem tanto tempore detinueritis, & multotiens inde a nobis paterna affectione ammonitus vel

nos

nos, vel noſtra mandata parvi pendens prorſùs neglexeris. Sed talia tibi forſan ſunt relata. Eſt enim hodie terra perverſis delatoribus plena, quæ tuæ menti ſiniſtram, ùt videtur, de nobis iniecêre ſuſpicionem, & falſitati credulus tam inlicitè retinendi inlicita qualemcunque adeptus es occaſionem. Sed Deus novit, qualitercunque te erga nos habueris, nos ſemper te corde puro dilexiſſe, & tuam modis omnibus proſperitatem exoptâſſe. Aufer itaque, dilectiſſime fili, omnem de animo tuo, ſi qua eſt, contrarietatis rubiginem, & eam, quam nos erga te, tu quoque erga nos, habeas dilectionis ſinceritatem. Quia verò de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ injuria cum ſalute animæ noſtræ ſilere non poſſumus, adhuc te paternè admonemus, rogamus etiam & obſecramus, charitativè quoque conſulimus, ne beati Petri debitam oblationem ulteriùs retineas, ne videlicet ipſam retinendo ejus iram in te exaſperes, ſine quo aperiente nemo regnum valet intrare cœlorum. Sed, ſicut decet, debitâ eam reverentiâ dirige, ut ipſum tibi pacatum valeas invenire.

Præterea non credimus a tua excidiſſe memoria, quod dilectionem tuam & per litteras, & per nuntium tuum plurimùm poſtulavimus. Obnixè rogavimus ſuper quodam dilectiſſimo filio noſtro*, tibi equidem fideliſſimo, & ſatis noto celſitudinem tuam interpellantes, ut in illa re, quam poſtulabamus, noſtræ voluntati aſſenſum præberes. Sed nihil nobis de hac ipſa re poſtea, unde plurimùm miramur, remandâſti. Et ipſe quidem jam magnificè, ſicut dignus eſt, foret locatus, niſi hac fuiſſet exſpectatione detentus, quo, Deus novit, fideliorem tibi non poteris invenire. Hoc autem tuæ ſit notum dignitati, quòd cum Domino Imperatore, kariſſimo filio noſtro, de re iſta nondum quicquam egimus, quoniam tuæ certitudinem voluntatis hactenus expectavimus. De hoc verò certiſſimus exiſtas, quòd ſi hoc unum noſtri causâ, noſtro rogatu feceris, quicquid a nobis deinceps me & te dignum petieris, impetrabis. Quicquid igitur de hac re ſedet tuo animo, utrum videlicet noſtris tam dignis, quod non diffidimus, aſſentiaris petitionibus, nos quantocyùs effice certos. Nolumus enim tantum virum, tam utilem Eccleſiaſtico regimini, tali amodo ſuſpendio detineri. Novo quoque ſigillo, utpote evidentiori has litteras idcirco inſigniri præcipimus, ut tua etiam dignitas evidentiſſimum tuæ conceſſionis ſignum, aliquod videlicet admirationis novum in novo, quem petimus, Epiſcopo * eligendo & conſtituendo mittere dignetur.

*Felice

*Miſnenſi

LXXIII.

Wratizlai Regis Bohemiæ epiſtola ad Clementem Antipapam, quem placare ſatagit Duci Poloniæ, cui Clemens ob aſſumptam Regiam coronam iratus erat.

DOmno venerabili C., ac verè ſanctiſſimo primæ Sedis Antiſtiti, W. id, quod eſt gratiâ Dei, debitam ùt ſummo Sacerdoti ſubjectionem, & ſedulam, ùt tanto Patri, devotionem. *Indidem.*

Altiſſimus ille Deorum Dominus, qui cœleſtis militiæ ordines ita diſpoſuit, ut alter alteri præemineat, & ad obſequium conditoris minor dignitas majori pareat, ipſe in Eccleſia ſua ita diſtinxit cœlos ſuos, opera digitorum ſuorum, ut ſicut ſtella differt ab ſtella in claritate, ita alter alterum præcedat excellentiæ dignitate. Hanc autem graduum, officiorumque diverſitatem ita ad unam reducit concordiam unitas charitatis, ut, ſicut in ſanctis Angelis, ita & hìc non ſit invidia imparis claritatis. Quia ergo idem altiſſimus, vos mi Reverende Pater, conſtituit in hac arce prælationis, ut vice magni illius Petri ſitis caput totius Eccleſiaſticæ poteſtatis, jure ſe vobis inferior omnis ordo ſubmittit, meritò membrorum articulata connexio vobis, ut capiti obedit. Vnde noverit excellentia veſtra, quàm intimo affectu nos reſpicimus ſanctiſſimum Apoſtolatum veſtrum : & peculiari reverentia, & ut veſtræ ſanctitatis auctoritas inter ſeculi turbines incolumi tranquillitate componatur, cottidianam Deo orationum, & ſupplicationum offerimus inſtantiam.

Significavit autem nobis Rex *Boloniorum*, ut ita dicamus ſalva veſtri reverentia, immò humiliter implorat familiari devotione, quia offendiſſet veſtræ ſerenitatis clementiam magìs hac ſola

ſola nominis ſimplicitate, quàm alicujus importunitatis conſcientia. Et quia ſperat noſtræ humilitatis ſedulitatem ſpeciali reſpectu erga vos profuturam ſibi & utilem, deſiderio deſiderat nos pro eo porrigere dignam ſatisfactionis excuſationem. Intimamus itaque Paternitati veſtræ de eodem ſupplici veſtro, noſtro filiolo, quia quicquid in hac re factum eſt, ex præcepto filij veſtri, Domni Imperatoris, & totius regni conſenſu, & aſtipulatione definitum eſt. Nec immeritò. Quis enim in præſenti tribulatione ſe oppoſuit tot & tantis periculis pro imperiali incolumitate, pro regni ſublimitate, pro ſingulari veſtræ Apoſtolicæ Sedis reverentia & ſtabilitate? Omnis Ordo, omnis dignitas, omnis denique religio inimicorum pedibus attrita fuiſſet, niſi ejus fideli, ac fiduciali conſtantia in omnibus, & præ omnibus viriliter reſtitiſſet. Pater ſancte, hoc cogitate, id adcendite, & in hoc concordant omnia judicia, quia ſi copia ſuppeteret, ipſum fore digniſſimum ampliori honore & gratia. Non ergo loquatur Dominus noſter contra ſervum ſuum duriùs vel aſperè, quia utilis eſt ipſe Deo & Eccleſiæ, nec non Domno Imperatori, ac veſtræ excellentiæ. Imploramus igitur veſtram benivolentiam, ut hujus rei negotium in noſtram deponatis diligentiam. Quia ecce coram Deo utilem, & obedientem vobis, & eccleſiæ veſtræ habebitis eum in omni veſtri beneplacito. Qui vos prævenit in benedictione dulcedinis, ponat ſuper vos coronam æternæ beatitudinis!

LXXIV.

Henrici Archiepiſcopi Magdeburgenſis epiſtola ad Wratizlaum, Regem Bohemiæ. Gratulatur ei regiam dignitatem, rogatq, ne Benonem in ſedem Miſnenſem recipi patiatur.

DOmno W. Regi glorioſiſſimo, armis & fide erga Imperatorem noſtrum, quodque his excellentius eſt, pietate erga Deum præſtantiſſimo, H. Dei gratia Magadaburgenſis Archiepiſcopus, manu Domini auxiliari, & brachio ejus confirmari.

Indidem.

Ex quo primùm virtutum tuarum notitiâ, tamquam ſuaviſſimo odore aflati ſumus, ſemper occaſionem quærentes fuimus, qua ſtudium noſtrum erga tuum obſequium probaremus. Interim placuit Deo pro earundem virtutum merito adjutorium ſuper potentem ponere, & electum de plebe ſua exalcare, & nos revelata divinitus nobis auricula cum Samuele implevimus cornu noſtrum oleo exultationis ad ungendum electum Domini præ participibus ſuis. Parati quidem fuimus, ſed cùm non admiſſi, tractare ſupervacuum putavimus. Hoc autem pro certo ſciat dignitas tua, quia extremi non ſumus inter eos, qui faſtigium virgæ tuæ honorant & qui pro ſtatu regni tui Deum aſſiduis precibus interpellant.

Notum autem facimus excellentiæ tuæ, *Benonem* quondam *Miſnenſem* Epiſcopum, ſed in Synodo Mongontina damnatum ad nos veniſſe, perhibentem ſe a Domno Papa reconciliatum eſſe. Cujus verbis intendere indignum duximus, tum quia nullum certæ reconciliationis ſignum a Domno Apoſtolico attulerit, tum propter *Felicem* tuum, immò noſtrum, qui ejus Sedi jam Canonicè ſucceſſit. Et nunc audivimus, eundem *Benonem* per ſuos fautores modis omnibus conari de improviſo antiquæ ſurrepere ſedi. Quapropter tuæ ſit providentiæ conatum ejus anticipare, neq; dare cornu peccatori, ne eo reprobato, qui ob gratiam tui eſt inthronizatus, ille recipiatur, qui juſtis ex cauſis in Mogontina Synodo eſt damnatus. Piſtorem, ſuper quo nos rogâſti, miſimus tibi cum inſtrumentis ſuis, & munuſculis noſtris, quæ tuæ dignitati quidem non ſunt congrua, ſed tamen ſecundùm paupertatem noſtram penſanda. De cætero pro ſalute tua & pro ſtabilitate regni tui levantes orationem ad Dominum dicimus aſſiduè: *Domine ſalvum fac regem, & exaudi nos in die, qua invocaverimus te.*

LXXV.

Benedicti Abbatis Scotorum Ratisbonæ epiſtola ad eundem Regem, cui ſua pro felici expeditionis bellicæ exitu nuncupata vota nuntiat &c.

CLariſſimo Regi W. regali diademate adornato, Benedictus, Chriſti peregri-

regrinorum ſervus, cæteriq́ue omnes, qui ſunt Radispone peregrini, cuncta præſentis vitæ proſpera, & futuræ ſine fine manſura præmia. *Indidem.*

Verba legationis tuæ, dulciſſime, gratanter ſuſcepimus, & libenter, quæ poſtulâſti, implere decrevimus. Semper quidem, ùt decet, pro tua, tuorumq́ue ſalute, votiva ac fida ab omnibus fit oratio, ſed modò, cùm te in expeditionem cum exercitu exire, gentium quoque feritatem contra te inſanire audivimus, ſuper impenſum ſolitum noſtræ devotionis hoc facere decrevimus: totum Pſalterium ab omnibus cottidie implere, Miſſam etiam ad hoc pertinentem communiter celebrare; ſed & crucem cum Letania portare, jejunium quoque ab omnibus præter infirmos, tribus diebus in ſeptimana implere. Et hæc diligenter fieri decrevimus, donec auxiliante Chriſto Dominus noſter victor cum gaudio revertatur in pace. Deum, chariſſime, qui tibi tribuit honorem, time, atque ejus mandata, ut poſſis, cuſtodi. Judas Machabeus cùm perfectè timebat Dominum, cum paucis ſuperabat gentes. Gedeon quoque tribuens honorem Deo, cum tricentis tantùm viris Madianitas usque ad internecionem penè proſtravit.

LXXVI.

Ejusdem, ùt videtur, epiſtola ad eundem Regem de pijs ſuffragijs ſuis pro anima nuper defuncti filij, extremaq́; inopia, quam regia largitate ſublevari rogat.

CHriſtianæ pacis amatori clariſſimo W. humillima fraternitas, ſub levi jugo Chriſti infra Eccleſiam ſancti Jacobi militans, propriam, ac devotam orationem, ſimulq́ue æterni regni participationem. *Indidem.*

Cupientes per Chriſti veſtigia incedere, cujus vinculis vocatione noſtra obligati ſumus, cujúsque præcepta ſequentes etiam orare pro inimicis conamur, quæ tamen, teſte Deo, maximè pro vobis ſolventes die noctuq́ue pro corporis veſtri ſanitate, atque ſtabilitate regni veſtri, & maximè incolumitate animæ, Deo Omnipotenti ſupplicare nitimur. A.

Dilectum verò filium veſtrum, qui nuper peregrinoſam vitam juſto Dei judicio tranſmutavit in æternam, quomodo illum a paterna caritate veſtra, quæ inter vos apud Deum in ſempiternum ſervabitur, ſeparare poſſumus? Vnde pro certo vos ſcire cupimus, quicquid orationibus, vigilijs, Miſſarum ſollemnitatibus, elemoſynarum largitione, & pauperum cura, omnibusq́ue, quibus humana fragilitas Creatorem ſuum poteſt placere, ad perpetuam ſalutem ſibi partim nobiſcum omni tempore imploB. rare. Super hæc verò ad ſuæ æternæ felicitatis augmentum ex intimo cordis noſtri affectu centum Miſſarum ſollemnia privatim celebrari, totidemq́ue Pſalteriorum modulationes fieri in Conventu noſtro conſtituimus, ita quoque, ut Deo catervulam noſtram incolumem, indiviſamq́ue ſervante, ante diem natalis Domini hæc vota expleamus.

Quia igitur Omnipotens Deus noſtram paupertatem multociens per vos reſpexit, in quo etiam poſt Deum omnis ſpes, & ſalus noſtra eſt poſita: quaC. de ſpe modò confortati aures tantæ ſublimitatis obnixis precibus titillare præſumimus, quatenus theſaurum veſtræ largitatis levigando noſtram neceſſitatem aperiatis, pij redemptoris memoriam tenendo, qui ait: *Quod uni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis.* Valete, & ſuper Chriſti pauperes, quibus hoc anno omnia neceſſaria hujus vitæ omnino deſunt, miſericorditer reſpicite. Quid plura? Omnem miſericordiam & gratiam in vobis ſperamus. Per ipſam deprecamur vos, ut per Domnum *Albinum*, fidelem veſtrum regali veſtro præD. cepto pacificè noſtrum nuntium in * *Poleniam* deducere, & reducere dignemini. * *ita Cod.*

LXXVII.

Hersfeldenſium Monachorum epiſtola ad eundem Regem. Extrema inopia laborantes, & ab hoſtibus vaſtati, ab eo auxilium, & eleemoſynam petunt.

REgi glorioſo paupercula, & miſera *Herveldenſis* Congregatio oratione-

nes

nes ſuas aſſiduas, Deo utinam acceptas!

Ibidem. Conſideratis virtutibus tuis, quod erga Imperatorem noſtrum, & omnem Rempublicam exſtitiſti fidelis, propter quod & unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis, in ſpem inducti ſumus, non ſine fructu conſolationis, pandere tibi noſtras afflictiones. Ecce enim hac, quam nôſti, & cui ſæpe numero interfuiſti, bellicæ tempeſtatis rabie paulatim attriti, ad nihilum jam ſumus omnino redacti, dum in confinio poſiti utriusque tumultuantis populi, utrobique ſumus depopulationi (expoſiti). Hac neceſſitate compulſi, quicquid in theſauris domus Domini invenimus, vitæ conſulendo totum jam conſumpſimus, dum arcam Dei, quam calcitrantes boves inclinaverant, Eccleſiam videlicet, cui Deo auctore deſervimus, retinere cupimus, dum divinas excubias non ſponte relinquimus, dum inviti militiæ noſtræ abdicamus. Quapropter cum fiducia ad thronum gratiæ tuæ accedimus, ut miſericordiam conſequamur, & tuæ liberalitatis beneficio alicujus ſupplementi gratiam in monimentum benivolentiæ tuæ in auxilio opportuno inveniamus. Paratus eſt hanc viciſſitudinem remunerare digna remuneratione, qui & prædictis virtutibûs tuis tibi contulit ſceptrum regni, & ſedem gloriæ, adjutorium ſuper potentem ponendo, & electum de plebe ſua exaltando.

LXXVIII.

f. Ladislai. ***L.** * Cracovienſis Epiſcopi epiſtola ad eundem Wratizlaum Regem. Ut legatis ſuis ad Archiep. Colonienſem pergentibus, ſalvum præbeat conductum.*

GLorioſi nominis, vitæ quoque non inglorioſioris Regi Böemiæ, L. *Cracovienſis* Epiſcopus, ſummi Regis gratiam, & ab ipſo vitam, ſalutem, atque victoriam.

Ibidem. Etenim *Domini eſt terra & plenitudo ejus*: etenim *Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* Singulis terris, ſingulis regnis reges & dominos præfecit in judicium: quorum quidam ſanæ mentis in judicio regnant, & juſtitia, quidam verò in mentis elatione & in rapina. Sed quia tua, Domine Rex, nil aliud exercet vigilantia, niſi ſubjectorum vocetur providentia, quia judicas pauperes Domini in judicio, calumniatorem quemlibet humiliando, non eſt princeps, non eſt potens, cujus non obtineas favores & gratiam, cujus vota & ſupplicationes non procedant ad impetranda tibi ejusdem rei perſeverantiam. Quarum ſupplicationum fiducia animatus a te, Rex, ût tuus me obtinere quiddam non magnum optavi, nil quidem mihi, ſed tibi, nil meis meritis confidens, ſed tuæ Rex benigniſſime, liberalitati. Hoc enim anno tuâ gratiâ noſtram legationem proſperè direxiſti ad Archiepiſcopum *Colonienſem*, indeque redentem ad nos cum noſtra, legationé ipſius, ipſo deprecante, eâdem tuâ gratiâ remiſiſti non minùs proſperè. Nunc autem utriusque causâ, immò utriusque prece, Rex benignè, rogaris, iſtis legatis conductum dare, & ut de me fileam, Archiepiſcopi tantæ dignitatis, tam illuſtris vitæ viri causâ, quia potes, & Regem decet, dirigas viâ proſperatâ.

LXXIX.

Anonymi epiſtola ad Wratizlaum Reg. Queritur de exiguo fructu, ex ſuis litteris relato, & contra quorumdam invidiam puericiam ſuam tuetur.

Rex æterne Deus, qui conſtas finis & ortus
Rerum cunctarum per te benè diſpoſitarum,
Des *Wratizlao* Regi, ſuper omnia claro,
Ve felix vivat, ſibi cuncta nocentia vincat!

Ibidem.

SAlutis, Domine, & honoris veſtri ſtatum Dei diſpoſitione ad ſui placitum protelari. Nemo, nemo me fidelius Divinum poteſt ſuffragium deprecari. Vix, Domine, quod ſalva veſtri gratiâ dico, adhuc prorupi, qui hæc, licèt veſtri claritate indigna, nunc vobis compoſui. Sæpe namque litteras meas tum ad veſtri laudem, tum pro mei neceſſi-

tate vobis obtuli, nunquam tamen, non dico aliquem fructum, ſed nec condignum inde reſponſum habui. Sed tamen pro vero ſcio, non tantùm veſtri magnificentiam eſſe culpandam, quantum, ùt apertè dicam, recitatorum invidiam vituperandam, qui ſedulò meam vobis ſubijciendo pueritiam contendunt mihi detrahere erga veſtri miſericordiam. Sim puer, ùt ipſos fucosè ſuſurrare audio, at Deo, qui linguas infantium facit diſertas, eò magis grates refero, quòd ſui dono eruditus ego puer in præſentia ipſorum ſenum Deo & vobis ſervire non erubeſco. Sed ne vos Domine, multis verbis teneam, ſi cura vobis eſt de meo ſervitio, nulli libentiùs ſervio, ad quod maxmè impellit me cognati mei dilectio, a quo, niſi ſumma inpulſus neceſſitate invitus me ſeparabo. Quid plura?

Vos infinitæ capiatis gaudia vitæ.

LXXX.

B. Guntheri, ùt videtur, Epiſtola ad Wratizlaum Reg. ſpondet conſtantes pro ſua, & filij anima preces & ad pacem hortatur.

VEteranus ille incluſus G. amiculus glorioſiſſimi regis W., novos fructus ſibi amoris ſemper & dilectionis.

Caritatem, quam a prima veſtræ viſionis cognitione inter nos Deus conjunxerat, in vobis jam video exſtinctam. Cùm enim dilecti gnati veſtri obitum undique partibus noſtris etiam ipſo loco, in quo demoror, Deo inſtigante, ad memoriam animæ illius per nuntium benè intimare procurâſtis, mihíque ullam amoris ammonitionem mandare dedignâſtis. Sed tamen anima filij, ùt vita & anima patris, adhærebit mihi teſte Deo, ne videar adulando fallere, quod hæc ipſa erga veſtram perpetuam ſalutem ardendo in me ſuccenditur, ita ut veſtri memoria cotidie poſt Dominum Imperatorem noſtrum in conſpectu Dei inprimis a me recitetur. Idcirco rogo & obſecro vos, ne parvam ammonitionem, quam juſtus judex vobis dignè promerenti intulit, indignè ſuſcipiatis (Nam *quem diligit Dominus, caſtigat*) ſed ſemper de parvis majora vobis appropiare timeatis. Valete, & jam in ultimo ætatis tempore pacem firmate, & vigilate, ut pulſanti Domino poſſitis aperire.

LXXXI.

Wratizlai Reg. Boh. epiſtola ad Vladislaum ſeu Oladisl. Reg. Poloniæ: monet, ut Cæſari fidem præſtet, Saxonum Epiſcopis ne fidat, fratri Epiſcopo concordet &c.

GLorioſo Boloniorum Regi O. tam venerando, quàm deſiderabili, W. gratia Dei, quod eſt, dilectionem, quam pater unanimi filio, & orationis juge ſacrificium, cum intima devotione & ſervitio.

Si cardo rerum veſtrarum ſub pacis, & tranquillitatis verſatur jocunditate, nec malignantium improbitas obnubilat animi veſtri ſerenitatem aliqua læſione, gaudemus cum amicis veſtris omnibus, & ſi quid veri de nobis poſſumus promittere, ſpecialiter etiam præ omnibus. Significatum eſt autem nobis per legationis veſtræ dulcedinem, quaſi Dominus noſter Imperator comutâſſe videatur erga vos affectum animi ſui & qualitatem, nec ea ſerenitate vos arrideat ejus clementia, ut poſſitis ſperare de eo conſuetæ gratiæ, & ſaluti viciniora. Hoc equidem ecce coram Deo nec ſcimus, nec ullo modo perſentire poſſumus. Sed illud ſub Chriſti teſtimonio liquidò confirmamus: quia paucos aut nullum habet in imperio, quem majori reſpiciat gratia, & dilectionis privilegio. Vnde monemus veſtram dilectionem, ut & vos parem ei referatis fidei & veritatis viciſſitudinem, apud Deum & homines debitam conſervetis ei perſeverantiæ ſtabilitatem.

Iudidem.

Quod autem invitâſtis nos ad ſollemne charitatis veſtræ tripudium, attulit nobis cum ſumma gratiarum actione exultationem & gaudium. Sed non ſunt ea tranquillitatis tempora, ut vel velint, vel poſſint carere noſtri regni negotia. Si verò viſitaverit nos in pacis lenitate Oriens ex alto, cum omni devotione veniemus ad vos ſub obtentu veſtri honoris, & Dei ſervitio.

Relatum eſt etiam nobis, quia colloquium habueritis cum ſeductoribus illis, Saxo-

Digitized by Google

Saxonum non Episcopis, sed verè Apostatis, qui simulata pace conditionis conantur infigere aculeum duræ deceptionis. Monemus itaque diligentiam vestram, ne in promissione eorum aliquam habeatis certitudinis fiduciam: quia summa amentia est, in eorum verbis spem habere, quorum perfidiâ tociens deceptus sis.

Audivimus quoque, quia inter vos & fratrem vestrum Episcopum sit aliqua dissensionis macula: & quantum jocunditatis priorum legatio, tantum tristitiæ attulit nobis hujus amaritudinis infantia. Rogamus & obsecramus in Domino Jesu, ut Divino terrore & nostra ammonitione sopiatur inter vos omne dissensionis scandalum, donec nos sequestra pace aliquod devotionis & studij adhibemus consilium. Faciat & perficiat in vobis Deus cepta sua, adaugeat & cumuler in vobis dona sua. Neque enim hoc perficere magnum est omnipotenti dexteræ, quæ supra quàm petimus, aut intelligimus, potens est & facere.

LXXXII.

* *ab an. 1088.*

Vrbani II. P. M. * *epistola ad Gebehardum Episc. Constantiensem, ut a Reitenbuechensibus quendam Monachum Scafhusensibus Monachis restituendum curet.*

VR. Episcopus, Servus servorum Dei, venerabili fratri, G. *Constantiensi* Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex Cod. bibliothec. Benedicto-Buranæ, in 8. exarato sec. ch. XIII.

* Inter *Scafusensium*, & *Reitenbuochensium* congregationes, quare, & quàm diutina discordia fuerit, fraternitati tuæ liquidò patet. Nuper cùm *Turonis* essemus, per filium nostrum *Manegoldum*, Magistrum Scholarum pacificos eos audieramus. Communis autem filius *Gerardus*, *Scafusensis* Monachus veniens, eandem apud nos querelam replicavit: quia videlicet fratres illi Monachum reddere noluerunt. Mandamus itaque dilectioni tuæ, ut ad reformandam inter ipsos concordiam cum religiosis adhuc invigiles. Quod si modò obedire contempserint, & post nostrarum litterarum acceptionem infra dies XXX. Monachum illum, pro quo inter eos discordia crevit, *Scafusensi* abbati non restituerint, eos deinceps nostrâ sententiâ noveris interdictos. Data VII. Id. Aug. apud *Forum Cholcherij.*

LXXXIII.

Ejusdem Papæ epistola ad Odalricum, seu Vdalricum Præpositum Reitenbuechens. de eadem re.

VRbanus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filijs O. Præposito, M. Decano Reitinbochensium, salutem & Apostolicam benedictionem. *Ibidem.*

B. Jam dudum dilectionem vestram missis ac remissis litteris exhortati sumus exhortationibus, & preces adjecimus, ut cum venerabili *Scafusensium* Abbate, vel congregatione in pacem integram redire tis restituto eis fratre, quem ex eorum claustro dolosis circumventionibus eduxistis. Vos autem, quod religionem vestram minimè decuit, & preces nostras sprevistis, & auctoritatem in nobis Sedis Apostolicæ parvi pendistis. Quin etiam Deum, qui charitas est, offendistis, cùm religiosos viros ad reconcilia-
C. tionem vestram congregatos, & venerabilem *Scafusensium* Abbatem solo charitatis intuitu in conspectu vestro humiliatum irridere, & proposita præsumpsistis pollicitatione frustrari. Quam inobedientiæ & dolositatis culpam, qua deberemus austeritate persequi, vestram ipsorum prudentiam in cordis tabula legere non diffidimus. Post harum igitur litterarum acceptionem, nisi infra dies XXX. eidem Abbati satisfeceritis, Divinorum deinceps officiorum . . . .

LXXXIV.

D. *Charta restitutionis quorundam bonorum, præstanda Parthenoni S. Jacobi in Kirchberg, olim Ord. S. Bened. in Austria inferiori ad fines Stiriæ.*

NOs districtus Superioris *Marchiæ* Archidiaconus Plebanus in Pec . . , universis Christi fidelibus tam presentibus, quàm futuris, presentem paginam inspecturis, notum fore cupimus, quòd Anno Domini Millesimo, Centesimo, octavo in festo S. Andreæ Apostoli, cùm ad mandatum Speciale Reverendi in *1108. P. H. Ex autographo.*

Chriſto Patris ac Domini noſtri Archi- A.
epiſcopi *Salzburgenſis* ad Eccleſiam Conuentualem Sancti Jacobi in *Kirchberg* veniſſemus, invenimus quosdam Nobiles ibidem, ſcilicet Dominum *Rudolfum Latinum* militem, & *Vlricum .. Bernhardum* & *Liupoldum*, & quàm plures alios bona ipſius Eccleſie contra voluntatem Sanctimonialium Monaſterij Ejusdem indebitè occupâſſe, maximè cenſum ſiue res Eccleſie, que date ſunt pro lumine & ornatibus Eccleſie, & partem inferiorem Domûs Plebani, quam inhabitat, à quibus exhortationum noſtrarum diligenti officio & admonitionum vix inducti, tandem omnimodis ceſſaverunt, verentes excommunicationis ſententiam, niſi à ejusmodi deſtitiſſent, auctoritate Domini Salzburgenſis nobis in hac parte pleniùs commiſſa, in eos per Nos ſtrictiùs fulminandam.

Nos igitur, ùt dignum fuit, Prioriſſe & Conuentui Eccleſiam Sancti Jacobi procurandam luminibus, & ornatibus, & cunctis alijs neceſſarijs per ſe gubernandam, ut monaſticæ diſcipline decentia requirit, firmiter commiſimus auctoritate ipſius Domini *Salzburgenſis*, Vniverſitati fidelium diſtrictiùs mandantes, ne quis contra voluntatem ipſarum Sanctimonialium nemo de cetero ſibi quidquam juris uel poſſeſſionis ſeu occupationis uendicet in Eccleſia ſancti Jacobi vel in Cemiterio, ſeu rebus ipſius, ſiue ad lumen uel ornatum, ſeu quocunque ditulo ad eam datis uel dandis : & ne in colligendis rebus ſeu cenſu luminis uel quibuscunque alijs Collectis, uel teſtamentis ſeu precationibus, ipſe uel ſui Officiales, quos ad hoc pro tempore conſtituunt, ab aliquo impediri debeant D. uerbô uel factô, & quidquid reſiduum luminis fuerit, ad opus ponant ſui Monaſterij, ſicut tunc eis videbitur expedire, rebellibus his & contrarijs auctoritate ipſius Domini *Salzburgenſis* & Noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam per Plebanum loci arctiùs compeſcendis. Actum & datum in *Kirchberg* anno & die ſuprà ſcriptis.

LXXXV.

Paſchalis II. Papæ Epiſtolæ.

I.

Ad Fridericum Archiep. Colonienſem Approbat excommunicationem Regis ab eo factam, & ut Rom. Eccleſia ſubveniat, hortatur. circ. 1109.

PAſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri F. Colonienſi Epiſcopo, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. B.

Significavit nobis fraternitas veſtra pro ſacrilegijs, pro rapinis, pro incendijs, & pro iniquitatibus alijs in Regem vos excommunicationis ſententiam dictaviſſe. Nos illud Doctoris gentium capitulum attendentes, ubi inter cætera legitur : *ſi quis frater nominatur fornicator, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum ſumere.* Item aliud beati Johannis Apoſtoli expaveſcentes, in quo de ſimilibus continetur, quòd qui ei ave dixerit, communicat operibus ejus malignis. Illud etiam Niceni Concilij conſiderantes, ut qui ab alio excommunicatur, ab alio non recipiatur, ut & vos ita faciatis, hortantes, omnino ab ejusdem Regis nos communione ſubtraximus. Ipſe autem ſive propter hoc, ſive propter aliud, ignoramus, *Romam* venit, ſeditionem in populo concitavit, excommunicatos ab Eccleſia in communionem ſuſcepit, beati Petri fideles impugnavit, & impugnare non deſinit, patrimonium beati Petri, quæ potuit, occupavit, alia devaſtationi expoſuit. De quibus videlicet ab Anteceſſoribus noſtris, Domno *Johanne* Papa in Concilio quadraginta Epiſcoporum, & ab alijs nonnullis per longa jam tempora excommunicatio facta eſt. Ad Apoſtolorum limina & ad noſtram præſentiam venientes, poſitis in via cuſtodibus capiuntur, bonis ſuis expoliantur, nec liberam habere tranſitum permittuntur. Pro quibus in nos & in beatum Petrum agere iſta debuerit, nos neſcimus. Hæc

Ex Cod. conv. man. exarato bibl. Weſſobrunenſis.

itaque

itaque dilectioni vestræ cognita facientes, pro matre vestra, Romana Ecclesia vos monemus, ad ejus auxilium vos tanquam fratres & filios in Christo charissimos invitamus. Turpissimum enim filijs est, matrem in eorum oculis fatigari, nec auxilium ferre, cùm possint. Vestræ igitur matri succurrite, ejusque opportunitatibus cum Dei adjutorio subvenire procurate. Nos enim, quod a vobis de illo factum est, & tenuimus, & Domino præstante tenebimus.

2.

Idem Papa confirmat fundationem & dotationem Monasterij B. Bonifacij in Gvvizlina.

PAscalis Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Odberto Abbati, ejusque successoribus, regulariter substituendis in perpetuum.

In idem. Desiderium, quod ad religiosum propositum, & animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo sine aliqua est dilatione complendum. Illustris siquidem vir *Aribo* cum conjuge sua *Gvvilla*, & neptis ejus *Hadamoth* in *Babenbergensi* Parochia in fundo proprio, qui vocatur *Gvvizlina*, Ecclesiam *B. Bonifacij*, Episcopi & martyris nomini fundaverunt, quam B. Petro Apostolo, & sanctæ ejus Romanæ Ecclesiæ obtulerunt. Quam nos pro eorum devotione suscipientes, Apostolicæ Sedis auctoritate munimus, ut semper idem locus in jure proprio nostræ Romanæ Ecclesiæ sub disciplina Monastici Ordinis conservetur, & ex eo quot annis *Brizanzius* * Lateranensi Palatio persolvatur.

* *f.* Byzantius.

Præsentis igitur decreti pagina constituimus, ut, quæcunque prædia, villas, seu cætera bona prænotatæ personæ ad eundem locum contulerunt, quæcunque etiam in futurum aut per ipsos, aut per fideles alios de ipsorum jure, largiente Domino conferentur, vobis, vestrisque successoribus sub Monastica illic regula militantibus firma semper, & integra conserventur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel injustè datas suis usibus vendicare, minuere, vel temerarijs venationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione, & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Obeunte te, nunc ejus loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum para consilij sanioris vel de suo, vel de alieno, si oportuerit, collegio secundùm Dei timorem, & B. Benedicti regulam elegerint. Sepulturam ejusdem loci omnino liberam esse decernimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicati sint, nullus obsistat. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundò, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisve sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego *Paschalis*, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego *Robertus* Presbyter tit. S. Eusebij subscripsi.

Datum *Laterani* per manum *Johannis*, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Card. ac Bibliothecarij XVIII. Kal. Maij. Indict. II. Incarnationis Dominicæ anno M.C.IX. Pontificatus autem Domni Paschalis Secundi Papæ, anno X. *1108.*

LXXXVI.

S. Othonis Ep. Babenbergensis epistola ad Adelbertum Archiep. Mogunt. Gratulatur ei Archiepiscopatum, & publica in Regno pacis studia commendat. *circ. 1110.*

BEnedicto Domini A. sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopo, O. per *Ex Bibliot. Teregens.*

per patientiam Dei Babenbergenſis Eccleſiæ humilis ſervus, ſubjectionis debitæ & orationis ſuffragium & perpetuæ charitatis vinculum.

Litteras veſtras tanquam muneris votivi primitias debita cum reverentia & hilaritate ſuſcepimus, benedicentes Domino, & orantes, ut per gratiam Spiritus Sancti confirmet hoc, quod operatus eſt in vobis. Et quoniam ſalutis & honoris veſtri profectum ſanctæ charitatis ſtudio amplectimur, monemus & obſecramus vos in Domino, ut omnibus modis elaboretis pro pace reformandæ, & in ſua integritate per totum regnum B. cuſtodienda, ut officio pietatis introitum veſtrum bonum ſanctificetis, & commendetis perſonam veſtram non tantùm Deo, ſed etiam omnibus hominibus. Oportet enim, ut commendantes in omnibus exhibeamus nosmetipſos ſicut Dei miniſtros, ut non vituperetur miniſterium noſtrum. Hoc itaque vobis ſignificamus, quòd in omnibus benè eſt nobis per miſericordiam Dei, niſi quòd curia, apud nos habita, tanto nobis oneri extitit, ut de lectulo ægritudinis, gremio videlicet civitatis noſtræ, in quo confoveri debueramus, neceſſitas & inopia rerum nos ejecerit. Veruntamen ubicunque locorum manſerimus, mandatum & omne beneplacitum veſtrum nusquam diffugimus.

LXXXVII.

* *ab an. 1125.*

Lotharij II. Imper. ad Waltherum Epiſcopum Auguſtanum epiſtola: ne libertatem Monaſterij Benedicto-Burani ulterius infeſtare audeat.*

Ex Cod. Tegernſ. F. 23.

L. Dei gratia Romanorum Imperator, D. Auguſtus, W. *Auguſtenſi* Epiſcopo, gratiam ſuam & omne bonum.

Mirari ſatis non poſſumus, quòd Abbatem & fratres Burenſis Monaſterij, poſteaquam a te diſceſſimus, tantis vexâſti afflictionibus, maximè cùm ea, quæ inter vos agitabatur, cauſa, judicio & conſilio Principium fuerit deciſa, & libertas loci noſtro privilegio ac Divali juſſione renovata & roborata. Quæ res quantum Divinis & humanis legibus reſultet, prudentiæ tuæ ſatis patet. Ea- A. propter mandamus & præcipimus ſub obtentu, ut ab infeſtatione ejusdem Monaſterij omnino gratiâ veſtri deſiſtas, & libertatem diu habitam, & per nos renovatam, in nullo temerare vel diminuere de cætero præſumas. Nolumus enim, ut aliquis contra jus in ſervitutem redigatur, immò injuſtè redactus, debita per nos libertate potiatur. Idem etiam Dominus Papa approbavit, & ſub Canonica animadverſione, ne ulteriùs præſumatur, confirmavit.

LXXXVIII.

circ. 1126.

* *niſi malis* Greg. IV.

Gregorius VIII. Antipapa omnia bona & poſſeſſiones Monaſterij S. Juſtinæ Patavin. confirmat.*

Ex Archiv. S. Juſt. Patav.

Gregorius ſervus ſervorum Dei Epiſcopus, *Miloni* Reverentiſſimo Abbati Monaſterij Sanctæ *Juſtinæ* Virginis & Martyris Chriſti, & Sancti *Prosdocimi* Chriſti Confeſſoris, ſicum foris a civitate *Patavi*, in quo ipſorum & aliorum plurimorum Sanctorum corpora requieſcunt, ſuisque ſucceſſoribus in perpetuum.

C. Quia juſtè & rationabiliter veſtra humilitas noſtro Apoſtolatui reverenter poſtulavit, quatenus pro Dei amore, animæque noſtræ remedio per præſentis noſtri privilegij auctoritatem, quamque per auctoritatem Domni *Lotharij* Imperatoris Auguſti, ſpiritualis in Chriſto dilectiſſimi filij noſtri concederemus & confirmaremus, ſcilicet omnes res & proprietates prædicti Monaſterij, cujus Eccleſia *Opilius* Patricius Romanorum fundavit, ibique ejus corpuſculum in pace requieſcit in antro ejusdem Eccleſiæ ſupra duas columnas, qui etiam multa tribuit bona in eodem Monaſterio: Ideoque per præſens privilegium Apoſtolicæ auctoritatis confirmamus & corroboramus & ipſum Monaſterium cum omnibus rebus, ſibi pertinentibus tam intus civitate *Patavij* conſiſtentibus, quamque foris, ſeu in fluvio *Vodolone*, molendina quatuor, & *Eccleſiam S. Angeli* cum ejusdem villa cum decimis & quartis, atque Eccleſiam *Sancti Danielis* Martyris, & *Eccleſiam S. Juliana* Virginis & Martyris Chriſti, atque *Eccleſiam S. Matthæi* Apoſtoli, nec non villa, quæ

vocatur

vocatur *Macerata* integra cum ſervis & ancillis, cum decimis & quartis: & villa, quæ vocatur *Runco* cum omnibus ſuis pertinentijs cum decimis & quartis, ſeu *Cella S. Martini* in *Monteſilice* cum jure ſua*, & *Eccleſiam S. Salvatoris*, & Eccleſiam S. Thomei * Apoſtoli cum omnibus ſuis rebus, atque *Tribianum* & *Pernumium*, ſeu *Monte Guttuli*, atque *Inſaccum* & *Lignarium* cum ejusdem Eccleſia in honore *S. Blaſij* ædificata cum decimis & quartis: & *Eccleſiam S. Michaëlis* in honore dedicatam, & aliam *Eccleſiam*, ſimiliter in honore *S. Michaëlis* in villa, quæ vocatur *Bruzola*, ædificatam, atque Eccleſiam S. *Nicolai* in villa, quæ vocatur *Flumiſello* ædificatam, ſeu in territorio *Vicentino* caſtrum *S. Galli* cum Eccleſia *S. Blaſij* & *S. Galli* cum decimis & quartis ejusdem caſtri: ſeu totam decimam & quartam villæ, quæ vocatur *Rovolone*, & Eccleſiam *S. Gregorij* ejusdem villæ, & omnes alias res cum ſervis & ancillis atque cum decimis ubique perſiſtentibus: nec non Eccleſiam in honore *S. Juſtinæ* Virginis & Martyris Chriſti in villa, quæ vocatur *Corriza*, atque in territorio *Bononiæ* tam infra civitate, quamque foris, ſeu in falco plano, quantascunque *Opilius* Patricius Romanorum in ipſo Monaſterio emiſit, quasque a jure prædicti Monaſterij ſub penſionis nomine detinuit, & quantascunque *Flavius Ildebrandus* Excellentiſſimus Rex a jure ipſius Monaſterij ſub penſionis nomine detinuit ſimiliter, vel per quemcunque modum detinere in eodem territorio *Bononienſium* viſus eſt: ſeu Monaſterium unum in honore S. *Juſtinæ* dedicatum infra civitate *Bononia* cum area ſua, & cum omni domo cultu ſuo tam infra civitate quamque foris, cum caſis, domibus, ædificijs, & cum omnibus ſibi pertinentibus in integrum, id eſt, fundum *Trecenta* & *Sadrianum* & *Nuntianum* ſeu *Pulianum*, & *Silbamunda* & *valle de Labus* ſeu *Veterana* & *Fraxenito* & *Momoriola*, & alia *Memoriola nova*, ſeu *Vitianum*, & vico *Arcuias*, ſeu *Carpenetolo* & *Soldenicus* & *Vidicoſus*, *Pertin.* ſeu fundum *Caſſinium*, & alio *Muſianus*, & in loco *Pareteſuntiaſſex*, ſeu *Saxorias*, & *Mauriano* & *Caſiliello* & *valle Frigida*, & in fundum *Rutilianis*, terra culta & ſterile: inſimul juges triginta, & in caſale *Socioro* terram juges decem, & in fundo *Veterana* caſale, qui vocatur *Granariolo*, & fundum *Sicilianum*, & centum *Paulinis*, & in fundo *Triniano* ſeu *Quinquagintula* deſerta, & *Praxeletulo*, *Reupiſſiano* & *Mariano* & *Gaviano* & *Barbiano* ſeu *Filiolis*, & *Gabiano*, qui vocatur *Vico cæcorum*, & fundo *Columbiano* & *Granariolo*, & villa magna cum caſis & maſſaricijs, & cum omnibus ſibi pertinentibus, & fundum *Quingentula*, & *Saciero*, & *Julianus*, ſeu *Omicauri*, qui eſt ſupra naves, & caſales, qui vocatur *Laurentiacus*, atque caſale, cui vocabulum eſt *Numianus*, hoc eſt, *Liliſis* inter *Miſſianum* & *Columbianum*. Item fundo in alio loco *Socioro*, & alio fundo *Micauri*, qui eſt ſupra ripam de *Barbiano* & *Gabiano* inter *Claudia* & *Strata*. Area verò, quæ eſt in vico *Romanulo*, & fundo *Ortus* in integrum. & fundo *Sitiriano* & *Montido* & *Vindemiolo* ſeu *Marcio*, & *Arucias* cum caſale *Paulinis*, & *Roſarioſo* ſeu *Saturiorio* & vico *Fraxenito*. Ipſas omnes ſupraſcriptas res cum ſervis & ancillis, cum ſylvis & mo-
C. lendinis, aquarumve decurſibus, uſibus ac juribus, & cum omnibus ſibi pertinentibus, ſibique ſubjacentibus, ubique conſiſtentibus in integrum.

Jubemus itaque, ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Comes, aut alia quævis perſona in ſupraſcriptis rebus prædicti Monaſterij S. Juſtinæ liceat ingredi ſive per hoſpitalitatem aut per quemcunque modum, neque aliquam violentiam facere præſumat: ſed potiùs ſub beati Petri Principis Apoſtolorum prædeteſtatione * tam deſervientes, quàm reſidentes, ac ipſæ res, ſalvi & inlæſi
D. perſiſtant, omnium hominum remota controverſia.

Nam ſi quiſpiam contra hujus noſtri privilegij auctoritatem violator repertus fuerit, ſciat ſe in iram beati Petri Principis Apoſtolorum, & omnium prædeceſſorum noſtrorum, atque ſub graviſſima indignatione prædicti dilectiſſimi filij noſtri Domni *Lotharij* Imperatoris Aug. & noſtra caſurum, ſub anathematis vinculo damnaturum. Inſuper niſi a malo reſipuerit, ſciat ſe compoſiturum auriopretij multam mancoſeos duo milia, medietatem noſtro ſacro palatio,

* ita apogr.

* ita apogr.

Digitized by Google

& medietatem ſupraſcripto Monaſterio. Qui verò pro intuitu cuſtos & obſervator in omnibus extiterit, benedictionis gratiam vitámque æternam cum omnibus Sanctis ſine fine mereatur habere in ſecula ſeculorum amen.

Scripta per manum *Gregorij* Protoſcriniarij Patriarchio Lateranenſi. Dat. *Romæ* XII. Kal. Julias, anno ejus Sedis primo, & Domno *Lothario* ſecundo Indict. III. Benè valete.

LXXXIX.

Chuno Epiſcopus Ratisbonenſis, Monaſterio Monſeenſi in Auſtria Superiori, a ſe reſtaurato, quorundam Nobilium bona confirmat.

1129. aut 1130. P.H. *Ex autographo.*

IN nomine Sancte & Individue Trinitatis.

Ego *Cono* Dei gracia *Ratisponenſis* Eccleſie Epiſcopus. Cùm in Monaſterio, quod apud *Maniſe* eſt ſitum, & in honore B. Michaëlis Archangeli dedicatum, & Religionem diſſolutam, & res Eccleſie diſſipatas inveniſſem, deliberato cum fidelibus noſtris conſilio predictum locum *Cuonrado*, cuidam prudenti & Religioſo viro commiſi, cujus induſtriam, cùm recte & utiliter incederet, admonitione, exhortatione, conſilio & auxilio promovere curavi. Cùm autem locus per Divinam benedictionem & religione & rebus brevi profeciſſet, Ego non immeritò de divina operatione, & bono loci incremento gaviſus, aliqua eidem loco publicè & legitimè contuli.

Beneficium Miniſterialis noſtri *Ottonis de Steinenkirchen*, videlicet vineam unam, & domum Eccleſie contiguam, cum area & pomerio ſuo, rogatu & obtentu ipſius *Ottonis*, adſtante fratre ipſius *Heinrico*, & ceteris Miniſterialibus noſtris: Et novalia cujusdam *Riperti*: novalia cujusdam *Eskerici*, & filij ſui Sibodonis. Que ipſa cum omnibus, que à Predeceſſoribus noſtris Epiſcopis, predicto loco collata & conceſſa ſunt in Eccleſijs, in decimis, in ſylvis, in campis, cum omnibus cultis & incultis, ſubſcribente Clero, & aſſentiente populo, Pontificali auctoritate roboravi.

Et ut hec traditio, ſeu confirmatio indubitata & inconvulſa futuris permaneat temporibus, hanc ejusdem rei chartulam ſigilli noſtri impreſſione inſigniri & roborari precepimus.

Ego *Hagano* Prepoſitus ſubſcripſi.
Ego *Engelbertus* Decanus ſubſcripſi.
Ego *Prepoſitus* S. Johan. *Wolfeſal.*
Ego *Adelbertus* Parochus ſubſcripſi.
Ego *Vdalricus* Capellanus ſuſcripſi.
Ego *Heimo* ſubſcripſi.
Ego *Heinricus* Capellanus ſubſcripſi.

Teſtes hujus rei ſunt, Nobiles, Marchio *Diepaldus*, *Reinbertus defenſor* ejusdem loci, & filius ejus *Hartvvicus*. *Cuono de Megelingon*. *Vdalricus de Wolvenſtein*. *Mecelinus de Müleheim*. *Dietericus de Buongart*. *Erchenbertus de Steine*. *Heinricus de Damme*. *Godefridus de Sikelingen*. *Vdalricus de Steine*. *Altmannus de Mirkelingen*. *Bertholdus de Alteſon*. Miniſteriales *Vdalricus Vicedominus*. Frater ejus *Sigehardus*. *Hizo de Reidenbouch*, filius ejus *Cuonradus de Ouneshoven*, filius ejus *Cuonradus*. *Cuono de Beckenbach*. *Cuono de Giſolingon*.

XC.

Innocentij II. Papæ * Epiſtolæ.

* *ab an. 1130.*

1.

Ad Archiepiſcopos Remenſem, Senonenſem & Turonenſem, quos monet, ut mites ſint, & liberum injuſtè oppreſſis relinquant ad Sedem Apoſt. appellare.

Ex Bibl. Tegernſeens.

INnocentius Papa Secundus R.* Remenſi, H. Senonenſi, H.** Turonenſi Archiepiſcopis, & eorum Suffraganeis Epiſcopis. Tunc pax & charitas vice mutua ſe complectuntur, & manet indiſſolubilis in alterna dilectione ſinceritas, ſi juxta Divinæ diſpenſationis ordinem & Eccleſiæ gradus diſtinctos minores majoribus reverentiam exhibeant, & inferioribus diligentiam potiores impendant. Verùm Eccleſiaſticus ordo confunditur, ſi minores illicita ſua temeritate præſumant, vel præſidentes non conceſſa ſub remiſſione impunitatis attentant. Compago namque humani corpo-

* Reinaldo.
** Hugoni.

ex biblioth. S. Petri Salisb. ut puto.

corporis, & Divini collegij conservatur A. incolumis, si Pastores super gregem invigilent, & magis appetant pascere, quàm dominari in Clero : & subditi potius humiliter obedire, quàm a subjectione procaciter resilire. Ne igitur pars alterutra cœlestis dispensationis ordinationem pervertat, Petrus Apostolorum Princeps est in capite Ecclesiæ a Domino constitutus, ut per se & per successores suos fratres confirmet, errata corrigat, & jura sua unicuique tribuat. Inde est etiam generali lege Ecclesiæ promulgatum, ut majores causæ ad examinationem Sedis Apostolicæ devolvantur, & ut oppressiones intrepidè ad eam appellent, privilegium sibi in hoc appellandi sancta Romana reservavit Ecclesia. Quàm sit namque necessarius appellandi usus, nemo est, qui nesciat : quippe cùm judicantium iniquitatem & imperitiam corrigat. Appellatione autem interposita omnia in statu suo permaneant, & tam diu nihil erit innovandum, quam diu de appellatione ab eo, ad quem provocatum est, fuerit pronuntiatum. Cæterùm quod in laicis est culpabile, videtur in Clericis criminosum. At verò C. juxta Imperiales sanctiones si judices ordinarij provocationes æstimaverint respuendas, triginta pondo auri multantur, & assessores & officiales eorum totidem, nisi publicè restiterint, & aptis * evidenter contradixerint. Quanta igitur animadversione sit plectendus judex Ecclesiasticus, qui doctrinam matris suæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ abijcit, & privilegium beati Petri infringere nititur, parem se faciens Jesu Christo, & supra Apostolorum Sedem ascendens, vigor justitiæ in promptu habens ulcisci omnem inobedientiam non ignorat. Ex- D. hortamur itaque fraternitatem vestram in Domino, ut, quemadmodum dignitatem vestram desideratis illibatam a Sede Apostolica custodiri, ita erga subditos mites sitis, & prærogativam audientiæ in nullo imminuere aut infringere de cætero attentetis. Alioquin de tanti excessus impunitate nos judicabimur apud Dominum negligentes, tepidi, sive rei. Ex officio siquidem Apostolatus injuncta nobis est a Deo necessitas, ut majoribus honorificè providentes minora salubriter sine læsione cutemus.

* f. actis.

2.

Ad Raynaldum Archiep. Remensem : ut Archidiaconum suum in Archiepiscopum Bituricensem electum petenti populo concedat.

INnocentius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri R. Archiepiscopo, & Capitulo Remensi salutem & Apostolicam benedictionem.

Charitatis bonum est proprium, alie- *Ibid.* nis tanquam suis gaudere profectibus. Sed & particeps mercedis existit, qui bonorum operum se exhibet adjutorem. B. Quia ergo *Bituricensis* Clerus & populus pastoris solatio destituti, charissimum filium nostrum *Ma. A.* Archidiaconum *Remensis* Ecclesiæ sibi in Archiepiscopum elegerunt, universitatem vestram convenit exultare, quæ dono Divinæ gratiæ talem personam habere promeruit, quæ ad regimen tam gloriosæ ac nobilis Ecclesiæ cum magna instantia ac summo desiderio postulatur. Jamque dilectioni vestræ per Apostolica scripta rogando mandamus, & mandando præcipimus, quatenus personam ejusdem electi in nomine Domini *Bituricensi* Ecclesiæ concedatis, & qualiter eorum desiderium, qui sibi eum elegerunt in patrem & Archiepiscopum, laudabiliter impleatur, efficiatis. Data *Pisis* IV. Id. Maij.

3.

Ad Ma. A. Archidiaconum Remensem : ut Deo ad Archiepiscopatum Bituricensem vocanti obediat.

INnocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio su. Ma. Remensi Archidiacono, salutem & Apostolicam benedictionem.

Fidelis & sapiens dispensator talen- *Ibid.* tum, quod suscipit a Domino, nummularijs erogandum in fudario [non] reponit : sed potiùs pervigili studio, & summa diligentia elaborat, ut cum fructu multiplicato creditam sibi pecuniam Domino suo reconsignet. Ad hoc summus pastor, Dominus noster Jesus Christus, sicut Evangelica testatur auctoritas, B. Petro, tertiò confitenti, se eundem magistrum suum diligere, tertiò intulit : *pasce oves meas.* Unde colligitur, quia qui diligit, pascit, & qui

Digitized by Google

non diligit, non paſcit. Si ergo Dei filius, de ſecreto Patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum, ut nobis æternæ beatitudinis paſcua miniſtret, nullus Deo placens præponere debet quietem ſuam utilitati proximorum. Cæterùm in Chriſto chariſſime fili, ſcire te volumus, quoniam nobilis & gloria *Bituricenſis* Eccleſia, Pontificis ſolatio deſtituta, perſonam tuam ſibi elegit in paſtorem, & Archiepiſcopum. Vocat te Dominus, invitat Chriſtus, ut de ſua gratia tibi commiſſa præfatæ Eccleſiæ filios foveas, & ſalutaribus diſciplinis pleniùs informes. Nos igitur quoque præcipuè intereſt univerſæ Eccleſiæ Dei providere, & bonis ſtudijs opem & conſilium adhibere, electionem ad te factam roborantes, auctoritate Apoſtolica in remiſſionem peccatorum injungimus tibi, rogamus, & præcipimus, quatenus omni contradictione, & excuſatione ſummota, & tam gratum Deo miniſterium, & tam glorioſum opus aſſumas, ut Divina cooperante gratia, & tuo annitente ſtudio præfatæ Eccleſiæ prærogativa integrè conſervetur, & populo ſalubriter conſulatur.

XCI.

Brunonis Epiſcopi exulis ad Eccleſiam ſuam Argentinenſem epiſtola: ut ſui memor ſit, detque operam, ut priſtinam Sedem recuperet.

circ. 1131. ABjectus in domo Domini. Beati ſunt, qui habitant in eadem domo Domini laudare Deum in ſecula! Peccatis meis exigentibus, ea diu caſtigans

Indid. caſtigavit me Dominus. Sed ideo morti non tradidit me, quia vos humiles & timentes Deum, in quorum cordibus caritas Dei diffuſa eſt, toto Orbe terrarum per compaſſionis [affectum] dejectioni meæ ſubveniſtis, & amaritudinem doloris mei uberibus conſolationis piè lactaviſtis: alioquin defeciſſet in dolore vita mea. Memoriam itaque veſtri faciens in orationibus meis ſine intermiſſione Deum obſecro, ut in eadem menſura, qua menſi eſtis, remetiatur vobis, & det vobis gratiam pro gratia, quam impendiſtis mihi amodo, quia verbum Domini non eſt alligatum. Confido in miſericordia Dei, quando tempus miſerendi advenerit, ſuſcitari ſpiritum alicujus fidelis in vobis, qui pro Joſeph vendito a fratribus ſuggerat æterno potiùs, quam temporali Principi, ne usquequaque ſententiam injuſtæ damnationis ſuſtineam.

Novit enim, & noſſe debet univerſitas omnium fidelium Chriſti, qualiter, qui edebant panes meos, ampliaverint adverſum me ſupplantationem: qualiter nec confeſſus, nec convictus, ejectus ſum de ſede mea, non depoſitus, violentiâ pulſus, non ſententia usque in hodiernum gratiâ Dei, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritate Ordinis mei integritate, & Epiſcopalis officij retinens plenitudinem: quoniam quidem a die introitus mei poteſtatem a Deo mihi traditam nec ordine judiciario perdidi, nec voluntariè abdicavi, & Eccleſiam meam *Argentinenſem*, ut alieno paſtori ſive invaſori vacaret, nunquam dereliqui. Teſtis eſt mihi Deus, & conſcientia mea, quòd ego gloriam non quæro, ſed commiſſis mihi ovibus magis timeo. Et ſi aliqui ſunt inter vos opera manuum mearum, quos ego per manûs impoſitionem creavi, & parturivi, & parturio adhuc in Domino, illorum ſcandalo & puſillanimitati, ſpirituali affectu condoleo, pro quibus multotiens exitus deduxerunt oculi mei. Ideoque decorem domus non tam in reſtitutione mei, quàm in libertate ſpiritus veſtri reformari cupio. Scio enim oppreſſionem veſtram, ſcio jugum Pharaonis: civem ſcio & Principem Babylonis, quem ſuſtinetis timore ſervitutis, non amore charitatis. Si qua ergo libertas Spiritus in vobis eſt, ſi zelus domus Dei vos comedit, datis nobis aliquod veſtræ bonæ voluntatis indicium, ſi ſaltem tempore neceſſitatis & famis Joſeph ſuum fratres in Ægypto curent agnoſcere, cum quo injuriam pro Deo inmemori epulentur in meridie, & poſt famem verbi Dei adipe frumenti ſatientur.

XCII.

S. Leopoldus Auſtriæ Marchio quædam bona Monaſterio S. Petri Salisburgi reſtituit, eáque novis adauget.

circ. 1134. Ex autogr. P.H.

✝ IN nomine Sancte & Individue Trinitatis. Notum ſit cunctis Chriſti fi-

ſti fidelibus, qualiter *Sighardus* Comes de proprietate ſua ad *Alſam* ſita, duas *hubas* Nobili viro tradidit ad altare S. Petri ipſis Fratribus, qui ibi monaſticè viverent, perpetuo jure tenendum. Iſti ſunt teſtes: *Richer*, *Hartvvicus*, *Wezel*, *Norbertus*.

Contigit autem poſt hec, ut eadem poſſeſſio multis intervenientibus impedimentis, maximè propter remotionem loci, diſtracta & imminuta eſſent, donec hujus rei veritas Divino & humano ventilata conſilio amatoribus veritatis claruit, *Cvonrado* videlicet Venerabili Salzburgenſis Eccleſie Archiepiſcopo, *Romano Curtenſi* Epiſcopo, & *Marchioni Liupoldo*, multisque alijs perſonis probabilibus. Ammonitus itaque predictus Marchio Divino inſtinctu & ſano Conſilio Archiepiſcopi *Cvonradi*, aliorumque Deum timentium, ſicut miſericors, & totus Deo devotus, non ſolùm, que diſtracta erant, ad altare Salzburgenſis Cenobij Beati *Petri* reaſſignavit, verùm etiam conſenticnte Religioſa uxore ſua *Agnete*, & filijs ſuis de propria hereditate ſua montem ſcilicet, qui antique poſſeſioni *B. Petri* adhereret ab uno latere usque ad aliud ex tranſverſo montis per medium cacumen, pro remedio anime ſue, & uxoris, & filiorum, omniumque predeceſſorum ſuorum per manum *Bavonis de Amaranc* ad altare ſepè jam dictum delegavit, & ſub ſigillo nominis ſui inconvulſa ſtabilitate firmavit.

Hujus rei teſtes ſunt *Adalbertus* & *Liupoldus* filij ejus. *Etich de Gunthardesperch. Adalbero de Scalch*, *Pernhart de Tiſmheimin. Otto de Molin. Engilſcalch de Winkruit. Adalhoch de Wagimort.*

XCIII.

Litera Commutationis, quibus Regimarus Epiſcopus Patavienſis pro facta ſibi à Leopoldo Marchione Auſtrie Decimarum reſtitutione & ceſſione quatuor Beneficiorum, in Chatmunche & Droshe ſitorum, Eccleſie Clauſtroneoburgenſi Decimas Parochiales in his Locis tradit.

1135. *Ex autographo.* P. H.

IN nomine Sancte & Individue Trinitatis. Chriſtiane omnibus religionis amatoribus, tam futuris, quàm preſentibus notificamus, quòd Venerabilis *Princeps Marchio Liupaldus*, iniquitatem de finibus ſuis volens expellere, invaſiones, & injurias mitigare, lites & rixas ſopire, & ante omnia Eccleſias Dei ſumma cautela, & tutela munire, à Domino *Regimaro* ſancte *Patavienſis* Eccleſie Epiſcopo ſepè paternè admonitus, devotè inſtructus, humiliter rogatus, decimas parochiarum *Ninuenpurch Holarprunnen*, *Gors*, *Polan*, *Erbindorſh*, *Ruſpach*, *Miſtilpach*, *Valchinſteine*, *Liche*, *Mubliche*, *Wiedervelt*, *Major Pulca*, *Adalethe*, quas tam ipſe, quàm generoſi anteceſſores ſui ſeculari conſuetudine, non Canonico jure, poſſederant, preſentibus filijs ſuis *Adelberto* & *Liupaldo*, devoto conſenſu conſentientibus, & concordi voce factum patris eorum approbantibus, in manu prefati Epiſcopi pro ſalute & tranquillitate vite ſue, nec non nobilis thalami ſui Conſortis, & filiorum ſuorum & omnis generoſe cognationis ſue, tam preterite quàm preſentis & future, Sancte prefate Eccleſie remiſit, & remittendo filijs alienis, qui irreverentiſſimè os ſuum in celum ponunt, & lingua eorum tranſit in terram, Sanctorum inſtitutiones Patrum infirmando, & judicia eorum retractando, omnem occaſionem illicitam decimationis poſſeſſionem retinendi abſtulit. Novit enim ſatis eſſe ſecundùm Apoſtolum ad dampnationem peccatis alienis conſentire, nedum fovere eadem & defendere.

Prefatus verò Pontifex propenſiore animo diutiùs atque diligentiùs devotionem ac reverentiam, quam Deo & Beato *Stephano* Prothomartiri Illuſtris jam dictus Princeps exhibuit, pertractans, Cleri ſui caritatem, Principum ſuorum benivolentiam, populi ſui devotionem monuit, obſecravit, rogavit, quatenus Divine pietati que, humilibus dat gratiam, pro tam honeſto tanti viri facto, & pro tanto Eccleſie ſue honore & utilitate gracias referrent, promittens etiam juſte petitioni eorum ſenſum, aſſecundùm officij ſui debitum deinceps accommodare & accommodando honori & utilitati ipſorum devotè aſſurgere, precibusque & admonitionibus Prepoſiti *Hartmanni* viri Religioſi, cujus ſana exhortatione &

doctrina, & conſilio fideli, Marchio de- A.
cimas Sancte Eccleſie remiſit, domnus Pontifex rogatus & admonitus, tum pro Dei & Beate *Marie*, perpetue Virginis, devotione & reverentia, tum pro dilectione & benignitate Marchionis, & nobilis Conjugis ſue, & filiorum ſuorum, decimationem Parrochie *Nivvinpurch* Cenobio Sancte *Marie*, quod idem jam ſepè dictus venerandus Marchio religioſo affectu *Niuvvenpurch* conſtruit, conſenſu Cleri ſui & populi facta legitima & canonica tranſmutatione per manum Domini *Adalberti* Advocati, potenti manu delegavit. Prepoſitus verò dignis & fre- B.
quentibus augmentis facultates predicti Cenobij pie ſollicitudini, & diſcrete providentie ſue commiſſas, pro Deo & ſecundùm Dominum ſtudens canonicè multiplicare, quatuor virorum beneficia, *Chalmunche* ſita, & vineam ad *Droſche* ſitam, pro decimatione ſuperiùs memorata, per manum Marchionis & Advocati in manu Epiſcopi, Sancte Pataviēnſi Eccleſie absque omni contradictione delegavit.

Vt autem hec tradicio ſtabilis & firma permaneat, ſigilli ſui impreſſione ſi- C.
gnavit, & ſignando confirmavit. Hujus rei teſtes ſunt: *Adelbertus* & *Liupaldus* filij Marchionis, *Dietricus Comes*, *Adalrammus* & frater ejus *Adalbertus de Perge*. *Otto* & frater ejus *Walchun de Machlant*, *Dietericus de Adelgerispach*. *Chadolt de Hokilisdorf*, *Chunradus de Sunnilburch*, *Hadamarus de Chuphare*, *Chunradus de Wirmilaha*, *Vdalricus de Wolinſteine*, *Walchun de Grieſpach*, *Wolfhere de Tegirvvach*, *Heinrich de Huſrukke*, *Rudolfus de Pucinperch*, *Hermannus de Chechilinisdorf*, *Chadaloch de Chirichperch*, *Dietricus* D.
de Aſpach, *Rudigerus de Gruninpach*. De Miniſterialibus verò *VValchun de Marunrute*, *Arnoldus de Porinheim*, *Ebo*, *Marchvvardus de Sconenpuhele*, *Marchvvardus de Iſſanisdorf*, *Vdalricus de Merdin* & alij.

Facta eſt autem hec commutatio *Grifinſteine* anno ab Incarnatione Domini Milleſſimo centeſimo trigeſimo quinto, Indictione decima tercia, regnante *Lothario* tercio * hujus nominis Imperatore anno Imperij ejus undecimo.

* *aliàs* ſecundo.

XCIV.

Litteræ fundationis Canonie Clauſtroneoburgenſis in Auſtria, facte a S. Leopoldo Marchione.

INnomine ſumme & Individue Trinitatis, *Leupaldus* nobilis *Marchio Orientalis*, Fundator Eccleſie *Neuburgenſis*. *1136.* P. H.

Quoniam negotiijs ſecularibus impediti, Deo per nos ad ſumma placere nequimus, eos, quos ipſi placitos & maximè mundialibus ſtudijs exemptos pro- B.
bamus, diligere, congregare, confovere, ac modis omnibus eorum quieti providere debemus operam dare: hoc enim modo fit, ut & preſentis nobis vite incolumitas, temporum tranquilitas, pacis ac omnimode ſalutis proſperitas arrideat nobis, & que ipſis in futuro ſunt in celis repoſita, non usquequaque privabimur bonis. *Ex autographo.*

Igitur ego *Liupoldus* * *Marchio Orientalis* cum nobiliſſima Conjuge *Agnete*, cum unanimi omnium filiorum & filiarum mearum conſenſione, omni C.
quorumque mortalium ſopita contradictione, *Sigefridum* & *Prunricum*, qui tunc preſentes erant, cum omni familia & poſſeſſionibus, quas vel ipſe vel alij fideles tradiderant, cum Davidica devotione in ſimplicitate cordis mei letus univerſa Deo & * Eccleſie *Nivveburgenſi* (quam ipſe in honorem ſancte Dei Genitricis ſemperque Virginis Marie fundadavi) obtuli, ut fratribus ſub regula S. Auguſtini Chriſto ſervientibus in perpetuum deſerviant. In qua tradicione ſemel, bis, terque omnibus libera data facultas eſt requirendi, ſiquid ſui quis- D.
que juris recognoſceret, in omnibus his, que oblata ſunt. Sed nec vir nec mulier, qui quid contradiceret, inveniri potuerunt. * *Ita Origin.*

Proinde in conſecratione ejusdem Baſilice Domino *Chunrado* Salczeburgenſi Archiepiſcopo, & *Reginmaro* Patavienſi, noſtro Dioceſano, & *Romano* Gurcenſi Epiſcopo, cum Clero & populo, qui ea die in infinitum confluxerant, notificavi, quod locum predictum cum poſſeſſionibus ſuis Sancto Petro & Beato *Innocentio*, Apoſtolico, ipſe obtuleram

per

per manum *Volframi* nobilis viri de *Pubenkirchen* Quo legato in *Piſenſem Synodum* veniente, & coram Epiſcopis quinquaginta ſex delegata delegante, Beatus Apoſtolicus in liberam defenſionem predictam Eccleſiam ſuſcepit, & omnium unanimi Epiſcoporum, qui aderant, banno & ſubſcriptione confirmatum, pro libertate loci ejusdem nobis remiſit privilegium, quod etiam coram frequentia totius populi recitari feci. A.

Huic rei teſtificantur Comites, & quique nobiliores *Orientalis Regionis: Ottakarus* Marchio Stirienſis, *Dietericus Griſanſtaine*, *Chunradus de Pilſteine*, *Gebehardus de Piugen. cum fratre Adalberto*, & filio *Herimanno*, *Liutoldus de* Plegen, & filius ejus *Liutoldus*, *Egkebertus de Putenen*, *Sigehardus & Gebehardus* de *Purchuſin* Comites. *Adalrammus* cum Fratre *Adalberto de Pergen*, *Otto de Legenpach*, & *Hartvicus*, *Haidenricus* quoque fratres ejus, *Waltherus* de Sancto Andrea cum fratribus ſuis *Adelramo* de *Epinperge*, *Hertnico de Rudniche*, *Erneſto de Treiſmo*, *Otto* & frater ejus Walchun de Machlande, *Henricus de Simanningen*, *Rudolphus de Pekae*.

His itaque geſtis in talem ſententiam prædicti Pontifices aſſurgunt: poſſeſſiones huic tradite Eccleſie Apoſtolico privilegio communitæ ſunt. Dominus enim noſter Apoſtolicus omnem invaſorem & raptorem hujus ſubſtantie anathemate dampnavit. Vos quoque pauperes Chriſti, regulam S. Auguſtini absque proprietate ſequentes, quietos ad Dei laudes eſſe volumus. Et idcirco Domini Apoſtolici ſententiam ſectantes, &, quod cepit, perficientes, omnem invaſorem & raptorem à Domo Dei, que eſt Eccleſia ejus, perpetuo anathemate ſeparamus, qui de vita eorum temerè quicquam vel mutare, aut ſubſtantias ipſorum invadere vel diripere preſumpſerit, à die, qua Ordo illorum à generali ſynodo Apoſtolico privilegio munitus, & poſſeſſio auctoritate ſummi Pontificis eſt defenſata. Ad confirmationem omnium, que vel dicta vel geſta ſunt in hoc ſolempni negotio, hanc cartam proprio placuit inſigniri ſigillo, anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti M.C. XXXVI. Indict. XV. III. Kal. Octob. in Chriſto feliciter acta ſunt. D.

XCV.

Litteræ fundationis Monaſterij S. Crucis Ord. Ciſterc. a S. Leopoldo Auſtrie Marchione conditi.

In nomine Sancte & Individue Trinitatis.

OMnibus Chriſti fidelibus preſentis etatis & future Generationis, pax & exultatio multiplicetur in perpetuum. Acta principum vel donationes eorum, ut Venerabilibus locis firma permaneant B. & incolvulſa, utile eſt ea ſcriptis annotare utile eſt ea ſub omni cautela poſterorum memorie commendare. Inde eſt, quòd ego *Liupoldus* Dei gratia *Marchio Auſtrie* in preſenti pagina exprimendum curavi, quemadmodum ipſo, a quo omne bonum eſt, inſpirante, atque *Ottone* dilecto filio meo, qui ſe apud *Morimundum* Ordini ſubjecit Ciſtercienſi, adhortante, fratres a prefato Morimundenſi Cenobio evocavimus, & in loco, qui actenus *Satelbach* dicebatur, nunc verò ob victoriosiſſimum noſtre ſalvationis ſignum ad C. *Sanctam Crucem* vocatur, collocavimus. Quorum congaudens religioni & providens indigentie, manu poteſtativa, hoc idem annuente & petente conparticipe thori noſtri *Agnete*, & filijs noſtris *Alberto*, *Heinrico*, *Liupoldo*, *Erneſto*, tradidi Deo & Beato Marie ſemper Virgini & Fratribus, in jam dicto loco congregatis ſeu congregandis, terram circumiacentem, noſtroque juri pertinentem in agris pratis, paſcuis, aquis, ſilvis, cultis & colendis, cum terminis, quos ei circumlimitavimus, & hic annotare cenſemus.

Sunt autem, hij: ab eo loco, ubi confluunt *Satelbach* & *Svvechant* usque *Murlingen*. Abinde ſicut dirigitur via, que dicitur *via molendini*, usque ad *Priventan*, & per eandem viam, que girat *Priventan* usque ad locum, qui dicitur *Huſruch*. Et abinde iterum per predictam viam usque in *Satelbach*. Et abhinc per directum usque ad verticem, qui vulgò dicitur *Hocheche*: & ab hinc trans rivulum, qui vocatur Dormbach, contra medietatem montis, qui dicitur *Keizeruche*. Et ab hinc per viam, que

vadit

1136. P. H. *Ex autographo. Extat & apud Fongelinum: ſed hic correctiùs & cum ſigillo Fundatoris exhibetur Diploma.*

vadit ad ſilvam attinentem ad villam, que dicitur *Sichendorf.* Ab hinc ad locum, ubi oritur rivulus, qui appellatur *Marchbach*: ab hinc per viam ducentem & jungentem ſe vie, que ducit ad *Draſchirch*: & ab hinc usque ad fontem, qui oritur in loco, qui vocatur *Muochorsdorf*: & ab hinc ad montem, cui vocabulum *Ebenberch.* Ab hinc per viam deſcendentem in *Satelbach*, & per deſcenſum ejusdem fluvioli ad locum, ubi conjungitur fluvio, qui appellatur *Svvechant.*

Hanc autem noſtram donationem atque ejusdem Monaſterij conſtitutionem non ſolùm noſtre incolumitati, paci & tranquillitati, ſed etiam Parentum noſtrorum, in Chriſto dormientium, ſaluti proficere optamus & quieti, ſperantes apud divinam clementiam noſtre fragilitati aliquatenus profuturum, ſi cum ipſi fructum boni operis non facimus, eos ſaltim, qui verè Domino fructificant, ùt vitem ulmus de noſtra facultate ſuſtentamus. Verùm quò magis ac magis hec, que geſſimus, roborentur & rata firmentur, ſcriptis preſentibus teſtes & noſtrum ſigillum adjungatur.

Comes *Chuonradus de Pilſtein*, *Otto de Legenbach*, *Rapoto de Nezza*, *Sterfrit de Beccelinesdorf*, *Otto de Leusdorf*, *Vlricus de Gadmen*, *Vlricus de Sigenvelde*, *Ruodegerus* & frater ejus *Ruopertus de Sigchendorf*, *Anshalmus de Sparvvarsbach*, *Ebergerus de Adelahte*, *Hartungus de Ruhenegcke*, *Lubort de Tribansvvinchele*, *Ozo* & *Otfridus de Murlingen*, *Hartvvicus.* Facta autem ſunt hec anno ab Incarnatione Domini M. C. XXXVI. Indictione verò XIIII. anno regni Domini Lotharij VIII. Imperij verò III.

A. quàm future utilitati & quieti Fratrum Noſtrorum, Virorum Religioſorum, in Cenobijs fideliter Deo & Sanctis ejus ſervientium proſpicere: Ego *Regenmarus* humilis ſancte *Patavienſis* Eccleſie Miniſter, per hujus noſtre inſtitutionis paginam Dilectioni omnium tam futurorum, quàm preſentium notifico, qualiter dilectione & religione Venerabilis Fratris noſtri *Godeſchalci*, Abbatis Cenobij *ſancte Crucis*, nec non Fratrum ſuorum, ſub eo in vinea Chriſti pro fructu eterne vite percipiendo laborantium, inſtinctus, nec non humili ſtrenuiſſimi
B. Marchionis *Liupoldi* petitione, atque Venerande & Nobiliſſime Conſortis Thorì ſui *Agnetis*, Filie *Henrici* Imperatoris interventu, inſuper precibus filiorum eorum, ſcilicet *Alberti*, *Liupoldi*, *Henrici*, *Erneſti* exoratus, omnem Decimationem culture predicti Venerandi Abbatis & Fratrum ſuorum, inſuper omnium novalium, que in preſenti poſſident, & Deo annuente in futuro novare deberent, legitima & Canonica tranſmutatione facta, ſcilicet datis duobus manſis in concambio à predicto
C. Marchione in duobus pagis ſitis *Aleth* & *Murlingen*, & à me cum omni devotione acceptis, conſenſu Cleri & populi Noſtri potenti manu delegaverim Cenobio Sancte Crucis. Et ut hec delegatio rata, firma, ſtabilis & inconvulſa permaneat in omni poſteritate, propria manu ſubſcripſi, & ſigillo meo confirmari feci atque corroborari. Acta ſunt hec Anno Domini M. C. XXXVI. Indictione verò XIV. Anno Regni Domini *Lotharij* Octavo, Imperij verò tertio, Ordinationis autem Venerabilis *Regenmari* ſancte *Patavienſis* Eccleſie
D. Pontificis Decimo quinto.

XCVI.

Regenmarus Epiſcopus Patavienſis Monaſterio S. Crucis in Auſtria omnem decimationem proprie culture, novalium &c. delegat.

1136. Ex autographo. P. H.

IN nomine Sancte ac Individue Trinitatis. Quia charitatis compaſſio & debita Paſtoralis officij ſollicitudo exigunt neceſſarium eſſe, tam preſenti,

XCVII.

Diploma fundationis Monaſterij Celle B. Marie Virginis in Auſtria O. S. Bened. conditum a S. Leopoldo Marchione.

NOverint univerſi Eccleſiæ filij tam futuræ poſteritatis quàm præſentis ætatis, quòd ſcilicet *Heimricus* & *Rapoto* ejus germanus, filij cujusdam ingenui viri, nomine *Haderici*, urbem propriam

an. 1136. Ex Archiv. Mariacell.

priam ſuam, a parentibus ſibi traditam, *Svarzenburch* vocatam, quæ pridem antiquitus nomine alio *Nezta* vocatur, cum omnibus reditibus & appendicijs ſuis, videlicet in villis, in mancipijs, in ſylvis, in agris, in pratis, cultum & incultum, longè vel propè, libera poteſtate tradiderunt Deo & *Beatæ Mariæ* pro ſpe æterna & cœleſti remuneratione in Cœnobio, quod dicitur *Cella Sanctæ Mariæ*, poſt obitum ipſorum, vel ſi ipſi priùs mutarent ſeculum, jure perenni cederent in uſus fratrum, ibidem Deo & Sanctis ejus ſervientium. Et utrum legitimas uxores ducerent, an non ducerent, ſeu liberàs haberent, an non haberent, ſicut jam diximus, eadem beneficia in ſupradicto cœnobio penitus inconvulſa manerent. [Videlicet duæ villæ apud *Pulchauen*, *Durrenbach & Adelprehtestorf*, & ea, quæ apud *Pingen* eorum juris ſunt. Item apud *Chambe*, quæ *Hainrici* fuerunt cum eccleſia *Heiderichſtorf*. Item quæ apud *Potenbrunnen* poſſident. Item quæ apud *Willindorf* VII. manſus. Item quidquid proprietatis apud *Perendorf* habent. Sed & alia nihilominus prædia ſupradicti germani eodem fervore, ſed ſub alia conditione: ut ſi fortè hæredes legitimos procrearent, ipſi ea patrio jure poſſiderent: ſin alias, ea ùt cætera ad ſupradictam Cellam profectò ſine dubio pertinerent.] *

* *Ita hanc lacunam ſupplet ex Chronographo Clauſtroneoburg. T. I. Script. Rer. Auſtr. col. 444. qui hoc Diploma præ oculis habuit.*

Cùm autem ijdem fratres de Oratorij conſtructione, jam dudum mente habita, tractarent, ego *Leupoldus* Marchio, Divinæ mercedis intuitu, conſilio cum meis habito, hæſitantes præveni, idemque Oratorium in meo jure fundavi, eo pacto, ut ego, quoad viverem, loci ipſius, & omnium, quæ ad eum pertinent, Advocatus exiſterem ſine omni rerum exactione & perſonarum gravamine: poſt me verò, ſi quis de filijs ac nepotibus meis inpoſterum Principatum obtineret.

Hæc traditionis actio celebrata eſt in præſentia noſtra in *Nova Civitate*, in Purificatione Sanctæ Mariæ ſuper allatas prædicti loci Reliquias MCXXXVI. Dominicæ Incarnationis anno, XIV. Indictione, IV. Nonas Februarij, præſente Domino *Chunrado Salzpurgenſi* Archiepiſcopo, unacum Domino *Romano* Suffraganeo ſuo & Cöepiſcopo, & Domino *Reginmaro Patavienſi* Epiſcopo, & Domina *Agnete* Marchioniſſa, & tribus filijs ſuis *Leupoldo*, *Adelberto*, *Erneſto*, magna Optimatum circumſtante frequentia.

Et cùm eſſent hujus rei teſtes innumeri, ex pluribus ſunt pauci electi, nominatim expreſſi, aure tracti, qui & hìc habentur inſcripti. Comes *Chunradus de Pilſteine*, Comes *Leutoldus de Pleyn*, *Adelrammus de Perge* & frater ejus *Adelbertus*, *Otto de Machland*, & *Walchun* frater ejus, *Otto de Lenginbach* & B. frater ejus *Hartvicus*, *VVernhardus de Ivelbach*, *Dietmarus de Engilſcalchisvelde*, *Chunradus de Sunnelburch*, *Hademar de Chuofarne*, *VValtherus de Traiſme* & frater ejus *Hartvicus*, *Dietricus de Algerisbach*, *Starchfrid de Pecilinesdorf*, *Vdalrich de Valcheinſteine*, *Reginger de Tekkenbach*, *Dieprant de Chuſtulvvanch*.

Hæc eadem Traditio nihilominus ſecundò & tertiò apud *Tulnum* oppidum, & item apud *Sanctum Ypolitum* promulgatur & confirmatur conſenſu omnium C. Nobilium. Cujus rei ſunt teſtes totius Provinciæ Principes. Verùm ut hæc traditio firma & inconvulſa permaneat, juſſit prædictus Marchio ſui ſigilli impreſſione corroborari, anno ab Incarnatione Domini MCXXXVI. Indictione XIV. IV. Nonas Februarij.

XCVIII.

Innocentius II. P. M. confirmat fundationem Canoniæ Clauſtroneoburgenſis, factam a S. Leopoldo Auſtriæ Marchione, ipſamq; Canoniam in tutelam Sedis Apoſtolicæ ſuſcipit &c.

D. INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis filijs *Hartmanno* Prepoſito & fratribus in *Cella S. Marie Niuenburgenſis*, que in *Patavienſi* Epiſcopatu ſita eſt, Canonicam vitam profeſſis, tam preſentibus, quàm futuris, in perpetuum. *1137. P. H. ex autographo.*

Cùm omnibus Eccleſijs, & Eccleſiaſticis Perſonis debitores ex injuncto nobis officio exiſtamus, illis tamè propenſiori cura nos convenit imminere, quos ad Omni-

potentis Dei ſervitium, & obſervationem regularis Ordinis ampliùs anhelare cognoſcimus. Ideoque, Dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Eccleſiam Sancte Dei Genitricis Marie, beato Apoſtolo Petro oblatam, in qua Divino vacatis officio, ſub ejusdem Apoſtolorum Principis tutelam protectionemque ſuſcipimus, & Apoſtolice ſedis Privilegio communimus.

In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm Beati Auguſtini regulam in eodem loco noſcitur inſtitutus, ibidem futuris temporibus perpetuò conſeruetur. Bona quoque & poſſeſſiones, quas in preſentiarum eadem Eccleſia rationabiliter poſſidet, vel in futurum conceſſione Pontificum, largitione Imperatorum uel Principum, oblatione fidelium, ſeu alijs juſtis modis, auxiliante Domino poterit adipiſci, & nominatim decimas adjacentis Parrochie *Nuivvenburch*, a fratre noſtro *Reimaro*, *Patavienſi* Epiſcopo canonicè tranſmutatas, preſentis ſcripti pagina roboramus. Obeunte verò te ejusdem loci Prepoſito vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus inibi qualibet ſurreptionis aſtutia, ſeu violentia preponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, aut fratrum pars conſilij ſanioris, ſecundùm Dei timorem, & beati Auguſtini Regulam previderit eligendum, ſalvâ nimirum Dyoceſani Epiſcopi Canonica juſtitia & reuerentia.

Porrò Sacramenta Eccleſiaſtica à Dyoceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſi quidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apoſtolice Sedis habuerit, eâque vobis gratis & ſine pravitate aliqua voluerit exhibere. Alioquin Catholicum, quemcunque malueritis, adeatis Antiſtitem, qui nimirum noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur, indulgeat.

A. Devotè quoque petitioni veſtre Congregationis annuentes, preſenti Decreto ſancimus, ut nullus præfato Eccleſie Advocatus, niſi de domo & Progenie dilecti Filij noſtri Marchionis *Liupaldi*, veſtro tamen electus arbitrio, conſtituatur, dum tamen nullum gravamen vel exactio eidem loco pro ejus patrocinio inferatur. Quòd ſi ipſe inutilis prefate Eccleſie apparuerit, & ſecundò tertiove commonitus non emendaverit, liceat vobis ac veſtris, eum à procuratione hujusmodi removere, eique alium idoneum ſubſtituere.

B. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat predictam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet moleſtijs fatigare: Sed omnia integra conſeruentur, eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Ad indicium autem percepte hujus à Romana Eccleſia libertatis, unum Bizantium nobis, noſtrisque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis.

C. Si qua igitur impoſterum Eccleſiaſtica, ſecularisve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra temerè venire temptaverit, ſecundò, tertiove commonita, ſi non congruè ſatisfecerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri JESU aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri JESU

D. Chriſti, quatenus & hic fructum bone actionis percipiat, & apud diſtrictum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Ego *Innocentius* Catholice Eccle. Epſ. *SS.*



✠ Ego *Anſelmus* Pbr. Card. SS.
✠ Ego *Gregorius* Diac. Card. SS. Sergij & Bachi SS.
✠ Ego *Conradus* Sabinus Eps. SS.

✠ Ego

✠ Ego *Guido* Diac. Card. S. Adriani SS.
✠ Ego *Drogo* Oſtienſis Eps. SS.
✠ Ego *Bazifredus* pbr. Card: tit: Veſtine SS.
✠ Ego *Lucas* Pbr. Card: tit: SS. Johannis & Pauli SS.
✠ Ego *Martinus* Pbr. Card: tit: S. Stephani in Cœlio monte SS.
✠ Ego *Cryſogonus* Diac: Card: S. Mariæ in porticu. SS.

Datum *Rome* per manum *Luce* Pbrî Cardinalis, agentis vicem Domini *Aimerici* Sancte Romane Eccleſie Diac. Cardinalis & Cancellarij, II. Kal. Decembris Indict. I. Incarnationis Dominice Anno M. C. XXXVII. Pontificatus verò Domini *Innocentij* PP. II. Anno VIII.

XC.

Conradi III. Imp.* Epiſtolæ. C.

* ab an. 1138.

1.

Ad E. forte Engelbertum, Comitem Waſſerburgenſem. Minatur ei ſuam indignationem, ni ablatum Monachis Tegernſeenſibus vinum quantocyus reſtituat.

Ex Cod. Tegerns.

C Dei gratia Romanorum Rex, E. Comiti de *Waſcerburch*, gratiam ſuam, & omne bonum.

Cùm tuum eſſet, ea, quæ regni ſunt, honorare, & defenſare, non ceſſas perſequi, & deſpoliare. Dilectus noſter Abbas & regni de *Tegrinſe* conqueſtus eſt nobis, quòd vinum ei, unde fratres ſui & ipſe potari jure deberent, abſtuleris. Dolemus, & plenariè procul dubio reddi præcipimus. Sin autem: ſcias te iram Majeſtatis noſtræ incurſurum.

2.

Ad Conradum I. Abbatem Tegernſeenſem: ſe injurias Tegrinſenſi Monaſterio illatas ægrè ferre, juſſiſſeque invaſores ab ijs deſiſtere &c.

C Dei gratia Romanorum Rex, C. venerabili Abbati ſuo de *Tegrinſe* gratiam ſuam & omne bonum.

De injuria tibi a Palatino, & eccleſiæ noſtræ illata ſatis gravamur: & ſicut rogaſti, nos præcipimus, ut tua tibi dimittat, & de cœtero a tanta infeſtatione quieſcat. Præcepimus etiam *Comiti de Waſcerburch*, ut vinum tuum ſine omni contradictione reddat. Quod ſi non fecerit, judicio Principum inde tractabimus. De cœtero dilectum noſtrum Capellanum *Or.* tibi attentiùs committimus, ut pro noſtræ dilectionis, & commendationis reverentia, & ut te in omnibus exaudiamus, benefacias, & quia multum tibi poteſt, beneficium impendas. *Indid.*

D.

3.

Ad eundem. Jubet eum intereſſe curiæ, Ratisbonæ celebrandæ, unacum reliquis Imperij Principibus.

C Dei gratia Romanorum Rex Abbati de *Tegrinſe* gratiam ſuam, & omne bonum.

Satis mirari non valemus, & vehementer noſtra Regia turbata eſt Serenitas, quod curiæ præteritæ apud *Bauneberg* una cum aliis Principibus intereſſe neglexiſti: & hoc, quod jure imperij ibidem nobis facere debueras, adhuc

Digitized by Google

quasi inconsultè distulisti. Quapropter volumus, & mandando firmiter præcipimus, quatenus omni posthabita occasione in festo S. Johannis in curia *Ratisponensi* obviam nobis venire studeas, & debitum servitij ibidem plenariè persolvas. Nos enim in præsentia Principum, si quas de illatis injurijs ad nos habes deferre querimonias, benignè & misericorditer exaudiemus, & plenariam faciendo justitiam in antiqua libertate conservare curabimus.

C.

Ejusdem præceptum de loco Ehtpach, quem partim Canonicis Babenbergensibus, partim propinquis H. de Scovvenburc addiudicat.

Indid. IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis *Chunradus* Romanorum Dei gratia Rex II. Quia unxit nos Deus unctione misericordiæ suæ, judicium & justitiam debemus omnibus injuriam patientibus, ut omnia emendatione digna justi examinis censura corrigantur, & inlibata cunctis sua jura conserventur. Notum sit omnibus tam futuris, quàm præsentibus, quòd inter alia Principatus nostri judicia inveteratam querimoniam dilectissimorum fratrum nostrorum *Babenbergensium* de sua possessione, in *Ehtpach* cognominata, indiscussam ulteriùs pendere noluimus, firmiter præcipientes, ut super hac re nostræ constitutionis limitem nulla Ecclesiastica, secularisve persona transgredi præsumat. Cùm enim constiterit, quòd *Adalbero*, piæ memoriæ IV. *Babenbergensis* Ecclesiæ Episcopus, prædictam possessionem ad altare S. *Georgij* fratribus nostris dilectissimis in oblationem tradidit, ac postmodum Dux *Carinthiæ H.* impedimentum illis tale fecerit, ut eandem oblationem proprietatis jure sibi vindicâsset, & eam *H. de Scovvenburc* in stipendium militiæ, & pretium pugnæ tradidisset, & ille quoquo modo suis eam dimisisset hæredibus, novissimè super hac ipsa causa quæstione a nobis habita, communicato Principum nostrorum consiliò, decrevimus, ut prædium prætaxatum in fundis & mancipijs, & cujuslibet generis utilitatibus æqualiter per omnia divideretur, ita duntaxat, ut Dominicalia & cætera, quæ inbeneficiata non essent, cum superadditis ad æqualitatem faciendam beneficijs in unam partem vid. in usum fratrum cederent: reliqua verò in partem alteram transirent, in usum G. neptis senioris H. *de Scovvenburc*, & mariti illius R. fidelis nostri, quatenus & ipsis & uni tantùm ex hæredibus, quos similes genuerint, qui eis supervixerit, & cohæredibus major natu exiterit, in vita sua prædictam medietatem possidere liceat, ac deinde omnimodo absque contradictione in usum fratrum redeat perpetuo jure possidenda.

CI.

Egilberti Episcopi Babenbergensis epistola ad Buggonem Episc. Wormatiensem pro nepote suo V., adversus quem filius Domini Spanheimensis occasionem rixandi captabat.

circ. 1138.

Indid. DIlectissimo Domino, venerabili B. sanctæ Wormatiensis Ecclesiæ Episcopo, E. Babenbergensis gratiâ Dei, quicquid est, humile & devotum, quantum in se est, animæ & corporis obsequium.

Ante omnia gratias ago vobis tum pro me, si dicere audeo, tum pro quibus propinquitatis jure subvenire debetis, quòd secundùm gratiam, quæ data est nobis a Domino, honorem & omnia humanitatis officia piè nobis hactenus impendistis. Proinde ubera sicut matris parvuli, & portum maris petunt naufragi: ita & nos, qui post Deum de gratia vestra multum confidimus, ad sinum pietatis vestræ in necessitate recurrimus. Fidelis noster V. nepos meus, remotus a notis, & amicis, sicut vos nôstis, quasi in terra aliena expositus, nonnullis laborat angustijs. Alijs namque omissis filius Domini M. de *Spanheim*, a quo nihil expectabat nisi omnem fidem, & gratiam, nescio quo consilio adversùs ipsum occasionem videtur quærere. Fingit enim sibi quandam de castro *Brechilenheim* in posterum sollicitudinem, eâque occasione petit, ut pro communi custodia utriusque tam sui, quàm nepotis mei præsidium sibi liceat munitioni imponere. Quorsum hæc vergat

vergat intentio, vestram latere non potest discretionem. Moveant itaque pietatem vestram difficultates, quas patimur, & si fortè Dominus *Spirensis* inductus fuerit, ut fidelem vestrum V. congravet apud ipsum & apud alios quoscunque, state in defensione nostra, sicut speramus, & optimè confidimus in vobis, ut usque in finem consilio & auxilio communicando vestris gratiam, quæ data est vobis a Domino, assequamini quod dicitur: *beneficientiæ autem, & communicationis nolite oblivisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.*

CII.

circ. 1138. ***Heinrici I. an Hermanni? Abbatis Eberspergensis epistola ad quendam R. quem ad portum vitæ Monasticæ invitat.***

H. Eberspergensis Abbas cum omni congregatione Sancti Sebastiani cuidam R. ex familia ejusdem Ecclesiæ, quicquid spiritalis pater filio, Dominus servo.

Cùm jam dudum in pelago hujus seculi diro navigio fluctuans laborâsses, etiam in tot & tantis ærumnis & perturbationibus mirò modò probans navigâsses, tandem, Domino instigante in portu salutis velis credere. Ideo non cessamus Domino assiduitate orationum nostrarum ingentes grates referre. Attendo igitur, quæso, quid per quendam sapientem dicitur: *omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.* Futura prævide, præterita recordare. Intra per portam, & non alunde, ne posthac nequam apostata ùt fures & latrones detrudaris. Conversatio tua apud Deum multum prævalet, si vita tua regularem continentiam diligit, quam mens nescia tibi suggerit. Quid plura? Liberum [est] iter; ad quodcunque Monasterium velis, ingredere.

CIII.

Reginbertus Episcopus Patavienſis privilegia & jura, Canonicæ Claustroneoburgensi a suis antecessoribus concessa confirmat.

1139. P. H. *Ex autographo.*

In nomine Sanctæ Trinitatis.

Reginbertus Dei gracia *Patavienſis* Episcopus salutem Christi fidelibus. Si famulos Dei, si Ecclesias & res Ecclesiasticas debito paternitatis officio diligere, regere & conservare satagimus, id nobis & ad presentem vitam, & ad illam, quam expectamus, gloriam profuturum esse credimus. Quapropter sciendum est & memorie jugiter commendandum, quòd frater *Hartmannus, Nivvenburgensis* Ecclesie primus & Venerabilis Præpositus, ad confervandam ejusdem Ecclesie religionem & justiciam, privilegia quedam domni Innocentij Pape, & Antecessoris nostri *Reginmari* Episcopi legenda nobis obtulit: oblata ut ea nostris quoque confirmarentur litteris, communi fratrum peticione rogavit. In quibus sanè Privilegium id, quod notum est omnibus, continetur, qualiter glorioſissimus Marchio *Liupaldus*, & dilecta Conjux ejus Domina *Agnes* Romanorum, Regum filia clarissima, filijs suis Domino *Adelberto* & *Liupaldo* ceterisque fratribus eorum consentientibus, *Nivvenburgensem* Ecclesiam in honorem S. Dei Genetricis *Marie* à fundamento exstruxerint, constructam hereditate sua ditaverint, ditatam qualiter in potestatem & tutelam beati Petri Apostoli prescripto annuatim unius aurei censu tradiderint, ibique regularem vitam Sancti Augustini in eternum observandam, quasi clausulam boni operis instituerint sententiâ Episcoporum, Clericorum & Catholicorum virorum in hoc consentiente, & Apostolica auctoritate omnia in omnibus confirmante.

Nos igitur predecessorum nostrorum vestigia sequentes, specialiter domini & Patris nostri *Innocentij* Pape, per cujus sacram manum & sacerdotalem accepimus & Episcopalem benedictionem, decreta venerantes, quod statuit, statuimus: quod confirmavit, confirmamus, primùm ammonendo, exhortando, & in verbo Domini precipiendo, ut inter fratres illius loci incepta semel & susceptа regularis vita semper inconvulsa permaneat, & de die in diem spiritualibus incrementis, Deò adjuvante proficiat.

Porrò homines, agros, villas, vineas, prata, culta & inculta, quesita & inquirenda, & omnia, que per benevolenciam Marchionis, aut per alios fide-

les in utilitatem ejusdem Ecclesiæ collata sunt uel conferenda, tam nostro quàm Apostolico banno, ab omni infestatione premunimus, & insuper omnem decimationem parochiæ *Nivvenburch*, concambio stabilitam, & terciam partem decimarum ad *Adalahte*, cujus concambium est mansus unus in villa, que dicitur *Buckindorf*, & vinea aput *Chremese*, sicut ab antecessore nostro *Regenmaro* Episcopo data est, nos quoque datam, & nunquam inde auferendam esse decernimus. Hoc autem, quod Apostolicis insertum est privilegijs, fratres nostros, si fratres esse voluerint, oportet observare, ut quamvis ad Romanam Sedem respiciant, meminerint tamen Patavienſi Episcopo, in cujus parrochia positi sunt, debitam reverentiam, honorem & obedientiam exhibere. Ad hec omnia, que dicta & facta sunt, cartam hanc impressione sigilli nostri confirmamus: Immò in memoria omnium hoc impressum esse volumus, ut unusquisque Apostolicum bannum, crimen sacrilegij vinculum anathematis & perpetue dampnationis interitum timeat, si de predictis institutionibus quicquam auferat, mutet, aut minuat.

Anno Dominice Incarnationis Millesimo, Centesimo XXXVIIII. Indictione II. facta est hec descriptio, Anno Episcopatûs Domini *Reginberti* primo, Anno Domini *Chunradi* Regis secundo.

CIV.

1140. *Conradus III. Imp. Monasterium S. Svviberti Cæsarisvverdæ in suam defensionem suscipit &c.*

Ex Archiv Cæsarisvverd.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, *Conradus* Divina favente gratia Rex. Notum sit omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, nostrisque, præsentibus scilicet & futuris, qualiter nos sicut prædecessores nostri, *Arnoldus* videlicet Rex & *Ludevvicus*, nec non avus noster beatæ memoriæ *Henricus* Imperator, ob amorem Domini nostri Jesu Christi, & pro mercedis nostræ augmento, quoddam Monasterium, quod est constructum in honore S. *Petri* Principis Apostolorum, nec non & S. *Svviberti* Confessoris Christi, in loco, A. qui dicitur *Werde*, una cum fideli nostro ejusdem loci Præposito *Anselmo*, & fratribus ibidem Deo famulantibus, sub nostra constituimus tuitione & immunitatis defensione. Ideoque volumus atque decernimus, ut omnes res ejusdem Monasterij sub nostræ defensionis munimine modis omnibus consistant. Præcipientes ergo jubemus atque statuimus, ut nullus Comes, nullus Advocatus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis Reipublicæ procurator, nisi a Præposito vocatus, ad causas judiciario modo audiendas, in cellulas aut curtes aut villas seu B. reliquas possessiones, quas nunc Præpositus ejusdem Monasterij, in quibuslibet provincijs aut territorijs regni nostri possidet, vel deinceps in jus ipsius Ecclesiæ Divina pietas voluerit augeri, ingredi præsumat, nec freda aut tributa vel mansiones aut paratas vel teloneum aut fideijussores tollere, aut homines tam ingenuos quàm servos supra terram ipsius Monasterij commanentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redibitiones vel illicitas occasiones requirere, quibus in aliquo idem Monasterium sibique subC. jecti aliquod injustè patiantur incommodum. Sed liceat Præposito memorati Monasterij S. *Svviberti* res ipsius Monasterij, sive etiam sint regali confirmatione in precarijs traditæ, sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere. Et quicquid de rebus jam fati Monasterij fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione fratribus ejusdem concedimus Monasterij, addentes, ut plaustra tam fratrum quàm Præpositi pro incidentis lignis ad usus eorum sine omni contradictione in forestum nostrum *Ap* liberum habeant ingressum.

D. Præcipimus quoque regiæ Majestatis auctoritate, ut æstimationem porcorum, qui ex concessione nostra & antecessorum nostrorum traditione fratribus in Nativitate B. Mariæ Virginis persolvuntur, sicut & nobis, quæ est XII. nummorum gravis monetæ, nullus audeat imminuere. Linum verò, quod item ex concessione Regali in foresto *S. Andreæ* præfatis fratribus datur, nullius æstimationis, sed sicut hactenus, ponderis VII. librarum & probatum deinceps esse debere decernimus.

Et ut hæc auctoritas, nostris futurâque

que temporibus, Domino protegente, valeat inconvulſa manere, manu propria noſtra ſubter eam firmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Hujus actionis teſtes hi ſunt: *Adelbertus Moguntine* Sedis Archiepiſcopus. *Adelbero Trevirenſis* Archiepiſcopus. *Burgo Wormatienſis* Epiſcopus. *Embricho Wirtzburgenſis* Epiſcopus. *Sigefridus Spirenſis* Epiſcopus. *Bernardus Padelbrunnenſis* Epiſcopus. *Regenbertus Patavienſis* Epiſcopus. *Otto Friſienſis* Epiſcopus. *Fridelohus Augienſis* Abbas. *Adelod Fuldenſis* Abbas. *Conradus Dux de Cerengen*, *Adelbertus Dux Saxonie*, *Heremannus* Marchio. *Bertholfus* Comes. *Vdalricus* Comes *de Lenheb*. *Conradus de Hagen*. *Thidericus* Villicus *Aquiſgrani*. *Henricus* Mareſcalcus & alij complures. Acta ſunt hæc in curia *Franckofort* IV. Kal. Maij anno Dominicæ Incarnationis MCXL. Indict. III. regnante *Conrado* Rege Rom. II. anno verò regni ejus III. fœliciter in Chriſto amen.

CV.

Ottonis, illuſtris Viri, Diploma fundationis, dotationis & inſtitutionis Parthenonis Erlahenſis Ord. S. Bened. in Auſtria Superiore.

1142. ex alijs Monaſterij Erlahenſis chartis liquet. Ex autographo.
P. H.

In nomine Sancte & individue Trinitatis Patris & Filij & Spiritus Sancti.

EGo *Otto* conſenſu Fratris mei & conſenſu conſanguineorum meorum, *Vodalſcalchi*, & *Dieterici*, Monaſterium *Herlahenſe* in honore Sancte *Marie*, Sancti *Petri*, & Sancti *Johannis Baptiſte* conſtruximus, ſororemque meam *Giſilam* inibi Deo militaturam ſub ordine Sancti Benedicti Abbatiſſam ordinari elaboravimus, ita quidem, quòd & liberam electionem Abbatiſſe Sanctimonialibus perpetualiter inſtituimus, & mihi, nobisque ſuccedentibus Advocatie dignitatem ſecundùm petitionem Abbatiſſe, ſine aliquo prorſus ſub-advocato, ad honorem Dei & conſervationem familie cenſuimus hujusmodi libertatis auctoritatem legitimè & religiosè inchoatam, liberaliter & honeſtè obſervandam: Venerabilis Sancte Patavienſis Eccleſie Epiſcopi Eigilberti, ſuorumque ſucceſſorum amminiculo & defenſioni aſſignavimus; ut ſi fortè infelix quis inter ſucceſſores Noſtros degener & exſtraneus prefatam Eccleſiam in aliquo preſumpſerit libertatis jure dampnare, vel minorare, Spirituali gladio, Dei & omnium Sanctorum, Dominique Pape, & omnium Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, & precipuè Patavienſis Epiſcopi, cujus fideli tuicioni commiſimus, multatus erubeſcat, & ſatis faciat Deo, & prefate Eccleſie: Conſervatores verò ejusdem Cenobij cum Abraham & Iſaac & Jacob, Dei benedictione fruantur: Violatores verò in eternum cum Dathan & Abiron & Juda traditore in infernum cruciandi tradantur.

In fundationem igitur ejusdem Eccleſie tradimus Sancte Marie, & prenominatis Sanctis predia noſtra absque contradictione, Scilicet *Herla*, & omnes hereditarias poſſeſſiones circa huuc locum ſitas, *Steine*, *Waldarn*, *Grobe*, *Hengeberge*, *Wengelbach*, *Gotthinhofen*, *Paſſenze*, *Aſſcha*, *Flinsbach*, *Wernchersdorf*, *Scavervelt*, *Imeinesdorf*.

Eodem die Venerabilis Eigilbertus Epiſcopus tradidit prenominatis Sanctis quinque Hobas & duas vineas cum mancipijs. In Eccleſia quoque *Oſtheringen* terciam partem decimationis. Juxta Eccleſiam *VVolvesbach* Predium & integram decimacionem. De viginti quatuor manſis in plebana Eccleſia Sancti *Valentini*, integram decimationem. De viginti quatuor Manſis in Eccleſia *Ardaker* Predium & duas partes decimationis.

Hujus tradicionis teſtes per aures tracti, ſunt *Hartman de Herla*, *VVernhere de Staffterlarn*, *Frithel*, *Herbo*, *VVolabrich de Ardacker*, *VValchun de Perge*, *Pilegrim de Cella*, *Alram de VVilheringen*, *Vodabrich de Maclane*, *Hadamar de Herla*. *Hederich de Hederichesdorf*, *Harvvic de Heide*, *Jedune*, *Regil*, & alij quàm plures.

CVI. *Bul-*

CVI.

Bulla Innocentij Papæ II. *Qua ad preces Venerabilis Abbatis Lunalacensis Conradi, idem Monasterium in suam accipit tutelam, & protectionem, confirmatis omnibus ejusdem possessionibus & bonis.*

1142. Ex autographo. P. H.

INnocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filijs *Cuonrado*, *Lunelacensi* Abbati, ejusque confratribus, tam presentibus, quàm futuris Regularibus substituendis, in perpetuam rei memoriam.

Desiderium, quod ad religionis propositum, & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desiderijs congruum impertiri suffragium. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & B. *Michaelis Archangeli* Monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus: Statuentes, ut quascunque possessiones, quecunque bona idem Monasterium in presentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec proprijs duximus exprimenda vocabulis.

Ecclesiam *Mansee*: Ecclesiam *Steinenkirchen*, Ecclesiam *Wisilburg*; Ecclesiam *Schönau*, Ecclesiam *Strassvvalchen*; Ecclesiam *Absdorff*; Predium, quod *Counradus de Irembrechtingen*, & uxor ejus *Mechtildis* eidem Monasterio contulerunt: videlicet *Irembrechtingen*, & apud *Tettingen* curiam unam, & apud *Rattveld* mansum unum: & apud *Liugane* mansum dimidium . . . ad ipsum Predium pertinentibus . . Curtem, quam *Engelmarus*, & Soror ejus Benedicta apud *Direnek* vobis dederunt. . . fili *Cuonrade* Abbas apud *Cremisse* emisti. Obeunte verò Te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia, vel violentia preponatur, nisi quem fratres communi, vel sanioris partis consilio & assensu, secundùm Deum, & B. Benedicti Regulam providerint eligendum.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare: Sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubneratione, & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvo jure Diœcesani Episcopi canonica reverentia.

Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiovè commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sanctissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri JESU Christi; quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia æterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego *Innocentius* Catholice Ecclesie Episcopus.

✠ Ego *Stephanus Prenestinus* Episcopus.

✠ Ego *Otto*, Diaconus Cardinalis S. Gregorij ad velum aureum.

✠ Ego *Octavianus*, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere.

✠ Ego *Thomas* Presbyter Cardinalis Tit. Vestine.

Datum *Laterani* per manus *Gerardi* Sancte Romane Ecclesie Presbyteri Cardinalis, ac Bibliothecarij. VI. Idus Decembris, indictione VI. Incarnationis Dominice anno M. C. XLII. Pontificatus verò Domini *Innocentij*. II. PP. anno. XIII.

CVII.

CVII.

1143. ***Præfatio in Sermonem S. Bernhardi Abbatis Clareval. in Concilio Remensi habitum.***

Ex Cod. Cartus. Gemmic.

ROgâsti me jam sæpius, o Cultor pauperum Christi devotissime, quatenus Sermonem *Bernhardi* Abbatis *Clarevallensis* in Concilio *Remensi* habitum ad Episcopos, litteris commendatum tibi transmitterem. Quod valde difficile mihi videtur, eò quòd non solùm ante tot annos, verùm ab heri & nudius tertius audita, si non arctiùs memoriæ recondantur, facillimè oblivioni tradantur. Quindecim quippe anni transacti sunt, ex quo Synodus illa habita est.

Sed quia devictus tua fide, quæ per dilectionem jam frequenter bonum operata est in me, negare nequeo, quicquid postulaveris: rogo te per caritatem Christi, ne me ista dictâsse Sinceritati tuæ prodas, neque commendatum tibi Sermonem alieno vel invido communices: quia non verbum ex verbo, utì tunc in Sermone ista prodire sunt, sed seriem materiei vix tenere potui.

Itaque cùm consedisset sacer ille Conventus, &, ut verum fatear, præ multitudine Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Præpositorum & aliorum Clericorum penè innumerabilis, stans suprà memoratus Abbas a dextris Papæ venerandi *Evgenij*, indicto silentio sic exorsus est.

Grave est, quod injungitur mihi, videlicet ut doceam doctiores, instruam Patres &c.

CVIII.

Prologus Primus in Epistolam beati Bernhardi Abbatis ad Fratres de Monte Dei.

Ex Cod. Cartus. Gemmic.

MIserator & misericors Dominus, de via plena miseriæ & fine misericordia, miserabiles miseros miserationis virga, vel certe virga ferrea sæpiùs educit. Eductos quidem humilis conversatio innovat, & ad viam veritatis virga directionis adducit. Adductos itaque pia conversatio in via mirabili virga vigilationis deducit. Quibus denique largitor omnium bonorum non solùm red-

A. dit mercedem laborum Sanctorum suorum: quin immò dum adhuc in via immaculata ambulant, pretiosum pretium conferens, eos larga manu conducit. Quos tandem tanquam emeritos emeritoria perseverantia virgâ conservationis in gloriam Dei Patris inducit.

O miserabiles miseri, quos ipsæ miseriæ hujus miserabilis viæ & vitæ seducunt, dum ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt! O fortunati, o ter quaterque beati contemptores hujus mortalis vitæ, qui obediendo verbis Verbi Dei, quæ sunt verba vi-
B. tæ, lætantur in via mirabili deduci, quæ ducit in atria vitæ!

Via miserabilis lata via iniquitatis, extrema cujus ducunt & deducunt in atria Lethi, illos præcipuè, qui, cùm pejùs egerint, magis sunt læti. Hæc via, quæ non misericorditer, sed miserabiliter est crudelis, crudeliterque miserabiles, in ingressu est delectabilis, in processu execrabilis, in exitu damnabilis. Ingredientibus mel propinat Sophisticum, progredientibus fel & acetum, & egre-
C. dientibus insanabile venenum aspidum. Ingredientes contaminat, progredientes obstinat, egredientes exterminat. De cætero via mirabilis, scilicet via miserationis & æquitatis, est in ingressu dura, in processu dulcora, in egressu decora. Ingredientes enim tanquam aurum in fornace purificat, gradientes sanctificat, egredientes glorificat.

CIX.

Bulla Eugenij PP. III. *qua Regularis ordo Canonicorum S. Augustini*

D. *Claustroneoburgi institutus, una cum ceteris Privilegijs & immunitatibus, tam in temporalia, quam in spiritualibus auctoritate Apostolica confirmantur.*

EUgenius Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filiis *Marquardo* Preposito & fratribus in Cenobio Sancte Marie *Nivuenburgensis*, quod in *Pataviensi* Episcopatu situm est, canonicam vitam professis, tam presentibus, quàm futuris in perpetuum. 1146. *Ex Origin.* P. H.

Cùm omnibus Ecclesijs & Ecclesiasticis Personis debitores ex injuncto nobis à Domino Apostolatus officio exista-

Digitized by Google

mus, illis tamen propenſiori cura nos conuenit imminere, quos ad Omnipotentis Dei ſeruitium & obſeruationem Regularis ordinis amplius anhelare cognoſcimus. Eapropter Dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Eccleſiam Beate Dei Genitricis, ſempérque Virginis Marie, beato Petro oblatam, in quo Divino mancipati eſtis obſequio, ſub ejusdem Apoſtolorum Principis tutelam protectionemque ſuſcipimus, & Apoſtolice ſedis privilegio communimus.

Inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo Canonicus, qui ſecundùm beati Auguſtini regulam in eodem loco noſcitur inſtitutus, ibidem futuris temporibus perpetuò conſeruetur. Bona quoque & Poſſeſſiones, quas in preſentiarum eadem Eccleſia juſtè & Canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Imperatorum, largicione Principum, oblatione fidelium, ſeu alijs juſtis modis preſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec proprijs ducimus exprimenda vocabulis. Fundum videlicet & Plebem *Nivvenburgenſem* ex utraque parte fluminis cum decima & jure parrochiali, & Capellas cum ſuis pertinentijs. Similiter villas *Altentoë*, *Struphigrn*, *Rugeſtorff*, *Haſelbac*, *Sevveindorf*. *Tattendorff*, *Haduartesdorff*, *Vezendorff*, *Pirinbom*, *Eberhartesdorff*, *Pruche*, *Wilantesdorff*, *Miverlingen*, cum ceteris predijs & vineis veſtro juri pertinentibus.

Sancimus etiam, ut in capellis fundatis uel fundandis, in poſſeſſionibus veſtris nullus miniſtret ſine conceſſione veſtra. Sententia quoque â te Prepoſite uel tuorum quolibet ſucceſſorum in tuos Parrochianos Canonicè promulgata, auctoritate Apoſtolica rata teneatur. Sanè laborum veſtrorum, quos proprijs manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus omnino â vobis decimas exigere preſumat. Porrò Sacramenta Eccleſiaſtica à Dioceſano accipiatis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam atque Communionem Apoſtolice ſedis habuerit, eáque vobis gratis & ſine pravitate aliqua uoluerit exhibere: A. alioquin Catholicum quemcunque malueritis, adeatis Antiſtitem, qui nimirum noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur, indulgeat.

Sepulturam quoque loco veſtro liberam eſſe concedimus, ut eorum, qui ſe illic ſepeliri deliberauerint, devotioni & extreme voluntati, niſi fortè excommunicati, uel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva juſtitia matricis Eccleſie. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Prepoſito, vel ad Eccleſie alterius regimen tranſeunte, uel tuorum quolibet Succeſſorum, B. nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutiâ ſeu violentiâ preponatur, vel ſubſtituatur, niſi quem fratres communi conſenſu, aut fratrum pars conſilij ſanioris ſecundùm Dei timorem & beati Auguſtini regulam canonicè providerint eligendum. Addentes etiam interdicimus, ut nemini profeſſionis veſtre facultas ſit, alicujus levitatis inſtinctu, uel acrioris religionis obtentu, ſine Prepoſiti uel Congregationis licentia, de Clauſtro diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, nullus Epiſcoporum, nullus Abbatum, nullus monachorum, ſine communium C. litterarum cautione ſuſcipiat: quandiu videlicet in Eccleſia veſtra Canonici Ordinis tenor Domino preſtante viguerit. Si verò ſecundò uel tertiò vocatus redire contempſerit, liceat ejusdem loci Prepoſito Canonicam in eum proferre ſententiam.

Devote quoque petitioni veſtre Congregationis annuentes, preſenti decreto ſanctimus, ut nullus prefate Eccleſie advocatus, niſi de domo & progenie bone memorie *Liupaldi* Marchionis, veſtro tamen electus arbitrio conſtituatur, dum videlicet nullum gravamen uel exD. actio eidem loco pro ipſius patrocinio inferatur. Quòd ſi ipſe inutilis prefate Eccleſie apparuerit & ſecundò tertiove commonitus, non emendauerit, liceat uobis ac veſtris eum a procuratione ejusmodi removere, eíque alium idoneum ſubſtituere.

Decernimus ergò, ut nulli omnino hominum liceat prefatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare: Sed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione

tione conceſſa ſunt; uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis Apoſtolice auctoritate, & Dioceſani Epiſcopi Canonica juſtitia. Ad indicium autem percepte hujus a Romana Eccleſia libertatis, unum Bizancium nobis, noſtrisque ſucceſſoribus annis ſingulis perſoluetis.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve perſona hujus noſtre conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis A. honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetratâ iniquitate cognoſcat, & a Sacratiſſimo Corpore, ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri JESV Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri JESV Chriſti, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & in futuro premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego *Eugenius* Catholice Eccle Eps ſubſcripſi.

✠ Ego *Gregorius* Presbiter tituli Caliſti ss.
✠ Ego *Oddo* diac: Card: Sti Georgij ad vellus aureum ss.
✠ Ego *Guido* Pbr. Card. tt. S. Chryſogoni ss.
✠ Ego *Theodevvinus* S. Rufine Eps ss.
✠ Ego *Jmarus* Tuſculanus Eps ss.
✠ Ego *Guido* in Romana Eccleſia altaris miniſter indignus ss.
✠ Ego *Hubaldus* Pbr Card: tt. S. Crucis in Jeruſalem ss.
✠ Ego *Guido* S. R. E. indignus Diaconus ss.
✠ Ego *Guido* Diac: Card: S. Marie in Porticu ss.
✠ Ego *Johannes* Diac. Card. S. Marie Nove ss.
✠ Ego *Petrus* Diac. Card. S. Maria in via lata ss.

Data *Viterbi* per manum *Guidonis* S. Rom: Eccle Diaconi Card. & Cancellarij VI. Kalendas Januarij-Indictione X. Incarnationis Dominice Anno M.C.XLVI. Pontificatus verò Domini *Eugenij* III. PP. anno ſecundo.

CXI.

Conradi I.* Archiep. Salzburg. Epiſtolæ.

* ab. 1147.

1.

Ad Conradum Abbatem Tegernſeenſ., quem rogat, ut ſuum adventum domi expectet.

Ex bibl. Tegernſ.

C. *Salzburgenſis* Dei gratia Archiepiſcopus, C. Abbati de *Tegrinſe*, & fratribus ejus orationem cum dilectione.

Cùm nuper in locis vobis contermi-nis eſſemus, fratres, ut ad eos venirem gratiâ locum viſitandi, optaverunt. Sed quia ne adventum noſtrum impetrarent, veſtra effecit abſentia; rogamus, ut modo nos expectetis, quia ad vos venire diſpoſuimus, ſexta videlicet feria futuræ hebdomadæ.

2.

Ad Hartmannum Ep. Brixinenſem. Othonem Epiſcopum *Friſingenſem indictionem Synodi a ſe petiſſe, quam cum corporis infirmitas diſſuadeat, ejus ſupra hac re conſilium exquirit.*

VEnerabili fratri H. *Brixienſis* * Eccleſiæ Epiſcopo, C. *Salz.* Eccleſiæ Dei gratia miniſter, orationem & ſervitium utrumque devotum. * ita Cod.

Venerabilis frater noſter *Friſingenſis* Epiſcopus occaſione cujusdam appellationis coram ipſo ad nos factæ, unacum majoribus Eccleſiæ ſuæ Canonicis nuper nos adierat, & cum magna diligentia conſervandæ veritati operam exhibebat. Cæterùm his, pro quibus venerat, utrimque rationabiliter & ex conſilio & pijs laboribus terminatis conſuluit, ut cum

Digitized by Google

fratribus & Coëpiſcopis de habenda Sy-
nodo conveniremus, quatenus ipſorum annitente conſilio & pijs laboribus laborem fructu compenſaremus, & aliquid, unde mater Eccleſia incrementum acciperet, per eorum induſtriam, cooperante Domino, ſtatueremus. Cujus probabile conſilium licèt attenuati corporis imbecillitas recipere diſſuadeat, ſuadet devotio, & injuncti officij ſuper hujuscemodi negotium debita ſollicitudo. Quid autem vobis, cujus fraternis conſilijs & auxilijs uti volumus, ac debemus, ſuper his videatur his acceptis litteris, reſcribite, ut poſtmodum de die & loco opportuno, prout vobis & alijs confratribus viſum fuerit, valeamus ordinare.

3.

R. Abbatis S. Mariæ ad eundem Conradum epiſtola: ſe, quò minus indicti itineris ſocium ſe præbeat, febribus impediri.

indid. DOmino ſuo & Patri in Chriſto C. Sereniſſimo *Salz.* Metropolitanæ Sedis Archiepiſcopo, frater R. Dei gratia ad gratias *S. Mariæ*, id quod eſt, tam promptum, quàm debitum obedientiæ, orationum, ac ſervitij affectum.

Quia diuturno febrium languore detentus vix adhuc limen domus egredi valeo, non tantùm pro carnis debilitate torqueor, quantum langueo inde, quòd ab optata deſiderabilis aſpectus veſtri præſentia tam diu detineor. Peto itaque, ut alma veſtra pietas negligentiæ me excuſatum habeat, meque ab hoc itinere non deſidia, vel torpore, ſed infirmitate abſtractum intelligat. Quòd ſi per latorem præſentium, ubi Cœnam Domini, ſi vel *Salz.* vel *Friſaco* celebraturus ſitis, ſcire promeruero, Domino favente, vita comite ibi ero.

CXII.

Cujusdam A. ad C. fortè eund. Conradum, epiſtola. Scribit ſe magno ejus deſiderio videndi ardere, ut qui tam nobilis & benignus ſit.

indid. C. Domino ſuo & reverentiſſimo Patri, A. non dignus vocari filius, ſed utinam unus de ſuis ſervulis minoribus, myſticam tunicam usque ad talos, quam Joſeph inter reliquos fratres habuiſſe deſcribitur.

Dum recordor, quàm leniter, quàm miſericorditer nuper mihi verba dederitis, venit mihi in memoriam illud memorabile: *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & favum ori meo.* Dum verò per ſpeculum mentis meæ conſidero veſtrum Angelicum vultum, ſubrepit cordi meo illud Salomonis: *pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, & viſus tuus, ut viſus ſyderis*, crines tui, crines A- B. pollinis, frons & gula ſine ruga, Dei ſunt, non hominis. Quibus inſignijs venuſtatis in vobis circumſpectis exhilaratus, prout poſſum, beatifico illam veſtram beatiſſimam nutricem Minervam, quæ ſuis geminis mammillis vos nutrit, quarum unam leniter ſuggerit Martha, alteram fortiter & dulciter ori veſtro imprimit Maria: ut benè paſtus paſcatis filios veſtros paſtu lactis & panis, infirmis autem miniſtretis olera, nobis verò impendatis piſces, carnes &c.

Denique ad hoc, ut vos videam, vos C. audiam, vos comedam, invitat me Simeon hoc modo: putas videbo? putas durabo? Cogitaveram hìc multa inſerere: ſed ne oculis veſtris ingeram faſtidium, mea rauca penna ſic concludendo indicit ſilentium. Veſtra nobilitas, veſtra benignitas, veſtra dulcedo, veſtra manſuetudo, veſtra munificentia, veſtra prudentia, omnia veſtra mihi erunt in laudem, dum luna Solis patietur fraudem.

DXIII.

Eberhardi Archiep. Salzburg. Epiſtolæ. *ab an. 1147.*

1.

Ad Hartmannum Ep. Brixinenſem: ut quosdam bonorum Tegernſeenſium directores puniat, & ab inferendis injurijs coërceat. *Ex bibl. Tegernſ.*

H. Venerabili & dilecto ſanctæ *Brixienſis* Eccleſiæ Epiſcopo, E. Dei gratia *Salzburgenſis* Eccleſiæ indignus Epiſcopus, cum intima dilectione fraternæ orationis obſequium.

Fratres noſtri de *Tegrinſe* conque-

ſtione

ſtione ſæpius ſua nobis ſignificaverunt, quòd quidam pacis æmuli eis bona ſua, quæ ex traditione Comitis H. poſſidere debuerunt, violenta manu, nulla dictante juſtitia diripuerint. Vnde fraternitatem veſtram per præſentia ſcripta rogamus, quatenus æquitatis intuitu eis de illis juſtitiam faciatis, qui intra Epiſcoparus veſtri limitem poſiti ſunt, eósque Canonica coërcete juſtitia, ne eis de cætero ullam præſumant inferre injuriam.

2.

Ad H. Comitem, quem monet, ut allodium A. de Buth. Bernriedenſi Eccleſiæ, cui id ab Eccleſia Romana donatum eſt, quamprimùm reſtituat.

E Dei gratia ſanctæ *Salzburgenſis* Eccleſiæ miniſter, H. Comiti, Illuſtri viro, ſalutem & dilectionem in Chriſto.

Quia de virtute tua & nobilitate ad perſuadendum tibi, quod juſtum eſt & honeſtum, plurimum confidimus, dilectionem tuam litteris noſtris commonendam duximus. Audivimus enim, quòd allodium, quod *A. de Buth.* Romanæ Eccleſiæ, & B. Petro tradidit, & poſtea eadem ſancta ſedes Eccleſiæ de *Bernrith* ſub curatione ipſius liberè poſſidere conceſſit, violenter teneas, & communem matrem, Romanam Eccleſiam in hoc graviter offendas. Audivimus nihilominus, ſuper Dominum *Friſingenſem* Epiſcopum de hac injuria ad Regem delatam eſſe querimoniam, & ille requiſitus a Rege ſe id tibi inbeneficiâſſe negavit. Noviſſimè Dominus Rex ut ab injuria hac publicè ſe coram majoribus Eccleſiæ ſuæ Clericis & laicis immunem oſtenderet, & tibi occaſionem eandem eccleſiam infeſtandi tolleret, monuit, atque præcepit. Nos igitur, quoniam nondum aliquid ab Epiſcopo de hac re factum eſt, & Dominus Papa cauſam hanc nobis diligentiſſimè commiſit, inſtantiſſimè dilectionem tuam monemus & rogamus, quatenus intuitu juſtitiæ & pietatis, & noſtri causâ, & pro reverentia Sedis Apoſtolicæ, cujus eadem Eccleſia ſpecialis eſt & propria, ab hac injuria deſiſtas, & honori tuo, ac ſaluti conſulens, quæ violenter tenes, A. ſuprà dictæ Eccleſiæ reſtituas, & de cætero in pace & quiete poſſidere dimittas.

CXIV.

Diploma Chunradi II. Romanorum Regis, quo confirmat Clauſtroneoburgenſis Eccleſiæ Privilegia & poſſeſſiones, nominatim jus Marchiæ, vulgò Marchmutte, & opera, quæ hactenus à colonis exigebantur, ut impoſterum ad uſum dicti Monaſterij conferantur.

B. In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

1147. Ex autographo. P. H.

C *Hunradus* Dei gracia Romanorum Rex ſecundus. * Religioſis petitionibus aſſenſum prebere, & Eccleſias Dei liberali benignitate, ac benigna libetalitate honorare noſtram decet manſuetudinem. Sic enim & temporalia noſtra proſpero ſucceſſu regentur in terris, & decurſo vite preſentis ſtadio eterna beatitudine remunerari ſperamus in cœlis. Eapropter decernimus, & preſentis privilegij auctoritate corroboramus, ut quæcunque bona ſive ad poſſeſſionem regni pertinentia ſive a Duce ac Marchione *Hainrico*, fratre noſtro, nec non ab ejus predeceſſoribus, *Auſtrie* Marchionibus, Canonicis apud *Nivvenburch* Domino famulantibus tradita ſunt, quieta illis & ſine perturbatione maneant in perpetuum.

Statuimus eciam & benigna concedimus clementia, ut juſtitia illa *Marchia*, que vulgò * *Marchmutte* dicitur, & opera, quæ hactenus à Colinis exigebantur, deinceps ad uſum ejusdem Eccleſie conferantur, in omnibus reditibus, que memorata Eccleſia vel hodierna die poſſidet, vel in futurum Deo annuente poſſeſſura erit.

Prefatam quoque Eccleſiam cum omnibus ad eam pertinentibus regie Majeſtatis defenſioni clementer admittimus: & quicquid donatione ſeu conceſſione Regum vel liberalitate Principum, vel quorumlibet fidelium eò juſtè collatum fuerit, ſi quis temerario auſu conatus fuerit invadere, perturbare, ſeu quoquomodo alienare, regiam ſe meruiſſe cognoſcat indignationem.

* *Vide Critic. Ant. Pagij ad an. 1139.*

* Marchmutte, *id eſt*: pabulum, quod Marſtallo noſtro ſolvitur, *inquit Leupoldus Dux Auſtria in Diplom. an. 1181. Monaſterio Scotorum Wien. dato.* Vid. ad an. 1236.

Digitized by Google

Ve autem hujus noſtre inſtitutionis decretum debita ſubnixum ſit firmitate, litteris notari & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri precepimus, manuque propria, ùt infra apparet, corroborantes, teſtes, qui preſentes aderant, ſubter A. notari fecimus. Quorum hec nomina ſunt: *Otto* Friſingenſis Epiſcopus, *Hartmannus* Brixienſis Epiſcopus. *Heinricus* Dux & Marchio & fratres ejus *Chunradus* & *Luitoldus* Comes & alij quàm plures.

Signum Dni. *Chunradi* Regis



Romanorum Secundi.

Data VI. Kalend. Mart. Anno Dominicæ Incarnationis Mill. C. XLVII. regnante *Chunrado* Romanorum Rege II. anno VIIII. regni ejus. Actum *Ratiſpone* in Curia celebri in Chriſto feliciter. Amen.

CXV.

Epitaphia B. Chonradi Abbatis Monſeenſis & Martyris.

1.

DUx gregis & portus, & flos feliciter ortus
Poſt incrementum fructus ſubit hoc monumentum.
Hoc tranſplantatus clauſtro flos præmemoratus.
Trevir erat natus, *Sigebergenſis* Monachatu,
Attulit huc ſecum venerabile fratribus æquùm
Doctrinam, mores, virtutum quosque colores.
Quem quia ſervorum fraus conſpirata malorum
Inſontem ſtravit, gladio Chriſto ſociavit.
Ergo, quod optabas, *Martyr* modò, qui priùs *Abbas*
In Monacho Chriſti teſtis *Chuonrade* fuiſti.

1148. *Ex Cod. fol. man. ſec. XII. Bibl. Monſe.*

In alio Codice chartaceo in folio, exarato ſæculo decimo quinto poſt jam relatum epitaphium, leguntur ſequentia: Sigenbergenſi, quod ſitum eſt de *Nerdelige* tria milliaria, anno Domini 1128 Sanctus *Chunradus* eligitur, & rexit annos XX. & occiſus eſt per ſuos colonos.

B. Item *Waltherus* Abbas ſucceſſit eum, & idem rexit annos XIV.

2.

ABba fui, quantum potui, diſtracta retraxi
Jura Monaſterij, propter id interij.
Nam me ſollicitum diſpendia tollere fratrum
Abſtulit e medio ſæva manus gladio.
In ſpe ſuccidux contempſi tempora vitæ:
C. Spes ut rem capiat, qui legit iſta petat.

Ex Cod. coævo in 4. ejusd. Bibliotheca.

3.

EEcleſiæ fratrum qui rebus & utilitati
Impendit vitam, ſuſtinuitque necem,
Quem fraus & rabies, hæc prodidit, illa peremit,
Abbas Cuonradus clauditur hoc tumulo.
D. Quisquis ades, cruor inſontis fuſus moveat te:
Eliceat tibi cum precibus lacrimas.

4.

DIſpenſatorem verbi, fratrum monitorem.
Cuſtodemque gregis, nunc domus atra tegit.
Qui quia fervebat ſtudijs, quia jura colebat,
Heu!

Digitized by Google

Heu! secus ac debuit, traditus ense ruit.
Cuonradi sitis memores prece, quique venitis,
Ut succurat ei gratia larga Dei.

CXVI.

Henricus Episc. Ratisbonensis Monasterio Monseensi confert Beneficium Humersbach.

1141. Ex autogr. P. H. In nomine Sancte & individue Trinitatis.

EGo *Henricus* Dei gratia *Ratisponensis* Ecclesie Episcopus. Si nos sumus Paterfamilias ad hoc in magna sua domo, hoc est, Ecclesia dispensatores constituti, ut ad mensuram fidei singulorum indigentie consulamus. Justum est, ut etiam eorum necessitati, quorum conversatio à tumultu seculari remota est, precipuè, ut domesticis fidei pro eternis temporalia, pro Celestibus transitoria ministremus. Hac itaque juste ratione dilectis fratribus de Monasterio B. Michaelis *Mansee*, dum de terrena substantia, utpote pauperibus Christi aliquotiens succurrere necessarium duximus. Inducti precibus Venerabilis, & dilecti fratris nostri *Waltheri* Abbatis ejusdem loci, benificium quoddam dictum *Humersbach*, ob memoriam nostri, predecessorum nostrorum, prefato Monasterio, jure proprietatis contulimus. Quod videlicet beneficium quidam *Herdvvicus de Hage*, hac petitione nobis apud locum, qui dicitur * *Pechlaren*, resignaverat, ut ipsum pro remedio anime ejus, parentumque suorum sepedicto loco concederemus. Pro qua tamen spontanea resignatione predictus Abbas prenominato *Herdvvico* quasi in signum rei geste debitum duorum talentorum exsolvit.

* Pechlaren, oppidum Austriæ ad Erlaffam fluv.

Cujus rei testes sunt, *Harduch*, *Waldrich*, *Herman Hartwus*, *Marchvvart de Ochsenbach*. *Ilizo de Birchenfeld*. *Bevvolf* Prepositus Comitis *Gebhardi*. *Rudiger de Hohenstein*, *Dietrich* filius *Hardvvici de Hage*. *Eberhard de Hofberg*, *Otto de Ochsenbach*, & alij quàm plures.

Ut autem hec nostra traditio rata sit, & ne in posterum prefati fratres alicujus contradictionis molestiam super hac eadem nostra traditione paterentur, hanc inde paginam confecimus, & sigilli nostri impressione muniri jussimus. Acta sunt hec anno Christi M. C. XLVIII. Indict. XI. regnate Domino *Chunrado*, anno videlicet regni ejus XI. Pontificatûs verò nostri XVII.

CXVII.

Wolframmi Abbatis S. Lamperti in Stiria epistola ad Othonem Præpositum Ratenbuechensem. Gratias ei pro invitatione ad se agit, eidemq; cognatum suum, Clericum quemdam commendat.

circ. 1148.

In Christo Reverendo Domino, venerabili O. Rat. Ecclesiæ Præposito, W. Dei gratiâ Cœnobij S. Lamperti humilis Provisor, orationis, dilectionis & servitij devotionem. *Ex bibl. Tegernf.*

EXimiæ largitati vestræ immensas grates referimus: quia nos vocare in domum vestram dignamini. Nos enim plurimis obstaculis inhibiti dilectionis vestræ presentiam isto in tempore, ùt nostræ voluntatis fuit, adire non possumus. Sed cur vestram charitatem pridem alloqui voluimus, brevitèr insinuemus. Juvenem quemdam Clericum, cognatum nostrum Serenitati vestræ commendare desideramus, quatenus eum sub ducatu vestro per fines *Bavvariæ* transduxisse tis. De cætero Deus incolumitatem vestram dignetur custodire, atque donet talentum, vobis creditum, duplicatum reportare.

CXVIII.

Anonymi ad Waltherum, ùt videtur, Episcopum Augustanum epistola, cujus opem implorat adversùs inimicos, de pessimis quibusque eum criminantes.

indid.

Reverendo P. W. in nomine Dei nostri magnificari & in salutari suo lætari.

ALmitati tuæ, Pater & Domine, quòd scribere audeo, non est meæ præsumptionis, sed intuitus tuæ paternæ moderationis. Spero enim a tua clementia de temeritate non dijudicari pro his, quæ

Digitized by Google

quæ magna neceſſitas me cogit tuæ ad-
titulare caritati. Nam tua prudentia ad-
vertat, quòd quidam, ſicut voluerunt,
non ſicut debuerunt, me Domini noſtri
audientiæ detulerunt, & neſcio pro qua-
libus criminationibus me lapidandum
condemnaverunt. Sciunt enim hi, qui
mihi adverſantur, quàm diligenter ipſis
ſervivi, ac benignè ſervitio provexi, &
omnimodis augmentavi. Quid ergo?
His & hujusmodi cauſis me iniqui æmu-
latores injuſtè opprimunt. Inſuper &
comminantur me honoribus deprivare,
ac locum meæ humilitatis ſuis cultori-
bus dare. Vnde, Præſul amantiſſime,
adtende me penè defeciſſe atque deſpe-
râſſe, niſi ſublevet dextera miſericordiæ
tuæ. Vide & conſidera iniquitatem illo-
rum erga me, & conſolator ſpei meæ
ne elongeris a me, ac me infirmum re-
viſe, ut usque in ſenectam & ſenium
Deus non derelinquat te.

CXIX.

Petrus S. R. E. Cardinalis, Præpoſitis Canoniæ Clauſtroneoburgenſis uſum Ornamentorum Pontificalium concedit.

Circa 1150. Ex autogr. P. H.

PEr miſeratione Divina Sancte Marie in Via Lata Diaconus Cardinalis, Apoſtolice ſedis Legatus, Dilectis in Chriſto fratribus . . Prepoſito & fratribus *Nevvenburgen.* Salutem in Domino. Quia de benignitate ſacroſancte Romane Eccleſie ſemper proceſſit, ut loca religioſa oculo benigno reſpiciens, ea voluerit pro ſuis meritis honorare, idcirco nos attendentes devotionem, quam ad eandem Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, & erga perſonam noſtram habetis: Conſiderantes etiam eminentiam Eccleſie veſtre, nec non & honeſtatem atque religionem, que ibi ſecundùm beati Auguſtini regulam devotè ſervatur, ipſius Eccleſie intuitu, preſentium vobis auctoritate concedimus, ut liceat perſone tue, frater Prepoſite, de cetero baculum paſtoralem deferre. Concedimus etiam vobis, ut liceat tibi Prepoſite mulierculas de parrochia veſtra, que pro puerorum oppreſſione ab Eccleſia ſunt excluſe, ſecundùm quod illas A. videris penitentes, pro tue diſcretionis arbitrio in Eccleſiam introducere.

Preterea quia pro benedictione veſtium ſacerdotalium grave eſt vobis ſemper adire preſentiam Epiſcopi, concedimus quoque vobis, ut quotiens neceſſarium vobis fuerit, tu Prepoſite veſtimenta Sacerdotalia benedicas.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtre conceſſionis paginam in quolibet infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis ergo hanc noſtre conceſſionis paginam infringere preſumpſerit, iram Omnipotentis Dei B. & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Idem indulget Canonicis Clauſtroneoburgenſibus jus adminiſtrandi quamcunque ſibi oblatam Parochiam.

Circa 1150. Ex autogr. P. H.

Petrus miſeratione Divina S. Marie in Via Lata Diaconus Card. Apoſtolicæ Sedis Legatus, Dilectis in Chriſto fratribus . . Prepoſito & fratribus *Nevvenburgenſibus* ſalutem in Domino.

Quia ex officij noſtri proviſione decet nos Religioſorum honeſtas utilitates reſpicere, idcirco preſentium vobis auctoritate concedimus, ut ſi quando aliquis ali- C. cui veſtrûm Eccleſiam aliquam conferre voluerit, liceat ei, cui confertur Eccleſia, illam de Prepoſiti & Conuentus licentia & voluntate recipere, ita tamen, ut eam teneat ad communem Fratrum utilitatem.

Sigillo inſcriptum legitur: Petrus Sancte Marie in Via Lata Diaconus Cardinalis.

CXX.

D. *Diepoldus Epiſcopus Patavienſis Comitem Conradum de Pilſtein alioſq; Decimarum & prediorum Clauſtroneoburgenſium invaſores cœrcet.*

DEi gratia *Patavienſis* Epiſcopus. Omnibus Chriſti fidelibus.

Quoniam ſunt, qui Eccleſiam *Nevvenburgenſem*, in noſtro Epiſcopatu conſtitutam, indicimus, roboratis Apoſtolicorum & Anteceſſorum noſtrorum Privilegijs, inquietare auſu preſumunt temerario, & precipuè Comes *Chonradus de Pil-*

Digitized by Goo

de Pilſtein, qui ſe a nobis infeudatum, parte ejusdem decime in predijs ſuis *Gricendorf* aſſerit : Nos his contradicentes ejusdem Eccleſie decimas a nobis liberas & legitimo concambio, à noſtro jure exemptas pronunciamus. Et ne his aliquis in noſtra Dioceſi prorſus in aliquo obviandum eſtimet, ejusdem Eccleſie Prepoſito, fratri noſtro *Wernhero*, preſentes litteras ſcribi, & ſigillo noſtro firmari fecimus.

Conſulimus autem tam futuris quàm preſentibus, quatenus ab invaſione poſſeſſionum & decimarum ejusdem Eccleſie omnimodè abſtineant, ne, quod abſit, bannum maledicti Apoſtolicorum & Anteceſſorum noſtrorum, & Piſenis* Concilij quinquaginta & ſex Epiſcoporum, qui ejusdem Eccleſie invaſores diſtricto feriunt anathemate, incurrant.

* *f.* Piſenſis, id e: Piſani.

A. tioni interfuerunt quàm plures fidelium noſtrorum. Et hi teſtes adhibiti ſunt:

Gebehardus Comes *de Purchhuſen*, Comes *Liutoldus de Plain*. *Adelram de Champe*, *Harrovicus de Moshach*. *Perhtoldus de Wolmuthſa*. *Adelbero de Chunringen*. *Wernhardus de Riede*. *Adelbero de Purchartsdorf*. *Rapoto* & frater ejus *Heinricus* & *Otto de Gundramſtorff*. *Heinricus de Chirberch*. *Adelbero de Gunpendorf*. *Pilgrimus de Zuetele*. *Diepoldus de Alſa*. *Eberhardus de Wine*.

Differt. prev. II. §. XX. videatur.

Vt autem hac noſtra traditione apud B. ſucceſſores noſtros prefato Monaſterio omnem controverſiam auctoritas noſtra in perpetuum ſemoveat, paginam hanc inde conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione precepimus inſigniri. Anno ab Incarnatione Domini M. C. L.

CXXI.

Heinricus I. Dux Auſtriæ Montem inter Tornbach & Zemperouprehtis Monaſterio S. Petri Salisburgenſi tradit.

In nomine Sancte & individue Trinitatis.

A. 1150. ex autographo. P. H.

EGo *Heimricus* Dux *Orientis*. De ſubſtantia temporalium rerum inopiam pauperum Chriſti ſuſtentare Divina auctoritate nobis precipitur; quatenus dum illorum ſupplemus inopiam, nos, qui curis ſecularibus intendimus, tandem eorundem precibus ſuffragantibus clementia Chriſti ab hujus Mundi procelloſis turbinibus eruti ad portum optate requiei perducamur.

Eapropter ſalutis noſtre in futurum providentia animéque dulciſſime Conjugis noſtre* Dorothee & parentum noſtrorum remedium conquirentes, proprietatem quandam, que ſucceſſione anteceſſorum noſtrorum nos contigit, videlicet montem, quo quendam Miniſterialem noſtrum, Vodalricum nomine, aliquando inbeneficiavimus, ſitum inter duo Predia *Tornbach* & *Zemperouprehtis*, ad Monaſterium B. Petri *Salzburch*, precibus dilecti nobis *Heinrici* Abbatis, qui eidem Monaſterio ſpiritali regimine prelatus eſt, inducti, poteſtativa manu tradimus. Huic verò tradi-

* *ita in autographo, aliàs* Theodora. *De hac qualicunque nominis differentia Hier. Pezii Tom. I. Script. Rer. Auſtr.*

CXXII.

Traditiones ab Henrico I. Duce Auſtriæ Monaſterio S. Crucis Ord. Ciſterc. facta.

C. LIutpldus & filius ejus *Liutoldus*, *VValchun* & frater ejus *Otto*, *Fridericus* ... *Ratiſponenſis*, *Pertholdus de Toumbrumme*, *Chounradus de Hedrichisdorff*, *VVarmunt*, *Heinrich*, *Ditmar de Hnamendorff* & filius ejus. Hi ſunt teſtes de prædio *Minchindorff*, quod delegavit Dux *Heinricus* & frater ejus *Chounradus* pro remedio tam animæ ſuæ quàm parentum ſuorum ſine omni contradictione in manus Domini *Adalberti de Perge* Advocati, ad conſtruendas officinas S. Crucis, quod poſtmodum idem *Adalbertus* ſub teſtibus ſuprà nominatis ad ipſum locum delegavit &

D. teſtibus ſtabilivit in præſentia Epiſcopi *Chounradi* & Præpoſitorum *Patavienſis* [Eccleſiæ], *S. Nicolai*, Abbatisque *Formacenſis VVernardi*, & Præpoſiti *Moſmurgenſis* * *Vlrici*.

* *f.* Moſpurgenſis

Item præfatus Dux *Heinricus* & uxor ejus *Theodora* delegaverunt pro remedio tam animæ ſuæ quàm parentum ſuorum ſine omni contradictione ſuper S. Crucem debitum ſuum, quod eis annuatim perſolvendum erat de vineis, ad locum ejusdem S. Crucis pertinentibus, quæ ſunt numero viginti & una. Teſtes

Ex Cod. Monaſt. S. Crucis.

Digitized by Google

ſunt *Liutoldus* Comes, *Adelbero de Purchartstorf*, *Vlricus de Stiven*, *Ramunt de Valcheinſtein*, *Hernit de Sahſeingange*, *Pertholdus de Sicindorf*, cognomento . . . . . .

CXXIII.

Martini Comitis Vngariæ Traditiones, facta Monaſterio Chitarienſi ſeu Katharienſi.

circ. 1150. Ex biblioth. Admontenſi.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ cultoribus tam Clericis quàm laicis, quòd Rex *Bela* Inclytus in Conventu *Strigonienſi*, ubi filio ſuo *Ladizlao* communi Regni conſilio *Boznenſem* Ducatum dedit, in *Inſula Abbatiæ Moniales* ubi eſt Eccleſia Sanctæ *Mariæ*, Archiepiſcopo *Feliciano* præſidente, & cæteris Epiſcopis præſentibus, ſcilicet *Machario*, *Saulo*, *Martyrio*, *Petro*, *Waltero*, *Zacheo*, *Macelino*, & curiali Comite *Franzello*, *Matthæo* Comite, *Acus*, *Dominico*, *Philippo* Teutonico, *Dionyſio*, *Miſca*, *Nicolao Anprud. Georgio Calæenſi*, & advocatis fratribus cum patribus, quorum omnem hæreditatem *Martinus* Comes diviſerat præſente germano ſuo *Micuſa* Comite & *Alpreto* Comite, etiam *Amando* adoptivo filio ſuo, *Mercurio*, *Aprado*, *Rothardo*, *Johanne*. His nihil contradicentibus *Bela* Rex conceſſit *Martino* Comiti ad placitum ſua ordinare.

Gratiam, quam pater conceſſerat, conceſſit ſuccedens filius in regnum *Geuczha* præſente *Belos* Duce & *Hitelano* Præpoſito, *Quuchino* Præpoſito & *Calixto* & *Juliano* Comite & *Rolando*, prædium *Chitarij*, in quo Monaſterium eſt ædificatum, quod erat cum fratribus ſuis commune, cambivit mutando a filijs *Andreæ* cum parte de terra, quam habebat in *Beſchen*, non ultra aquam *Muram* ſed citra pars *Alexij* data eſt. Sed eo vivente pars *Nicolai* data eſt ſibi pro reſtauratione cujusdam hominis ſui interfecti, nomine *Plis*. Interfector *Stephanus* partem *Ypoliti* cambivit cum terra, quam habebat in *Nir*. Curiam verò illius loci tantummodo dedit uxori ſuæ cum quatuor aratris & quatuor vineis, unam in *Boc*, aliam in *Bache*, A. tertiam *Andreæ*, quartam in *Deuchar*, ea verò conditione, ut, quamdiu viveret, hæc omnia ſub poteſtate haberet: ſi autem matrimonio ducta fuerit, vel morietur, ſupradicta Monaſterio remaneant.

In eodem prædio dedit Monaſterio quatuor aratra cum duodecim manſ. Inſuper dedit homines, qui ſerviant Abbati, qualiter præceperit, quorum hæc ſunt nomina: *Craaczen*, *Nesdigz*, *Peterz*, *Alaudt*, *Czernitz*, *Nen*, *Cunad*, *VVerenc*, *Patican* cocus, *Hiva* camerarius, *Brathei* cum fratribus, *Johannus*, B. *Furten*, *Zeezza*, *Bizotelem*, *Radec*, *Fela*, *Decima*, *Boic* cum filio *Bratla*, *Matheus*, quem adquiſivit Comes in judicium: *Bolizlaus*, quem emit Comes ab illis, a quibus evenit pater ejus *Matheus*, *Penſis*, *Symeon*, *Banna*, *Berac*, *Vruc*, *Clemens*, *Duga*. Libertos verò, quos emit *Martinus* Comes a *Budrigivenſibus*, qui vocantur *Grab* & *Odmat*, quinque domos ad idem Officium, quo priùs utebantur. In hebdomada tribus diebus fœnum falcant tempore meſſis, tribus diebus metunt, equum tenent Abbati, in via ſerviunt, currum ducunt, C. equos cuſtodiunt, herbas afferunt, ligna incidunt, ignem faciunt. Coram quibus empti ſunt, nomina hæc ſunt: *Johannes* Præpoſitus, *Sydemer*, *Moſy*, *Ilis*, *Elias*, *Machabæus* filius *Laberti*, *Bas* filius *Endræ*, *Opus* Judex *Czaldenſis*, *Gregorius* filius *Gabrielis*, *Apa* filius *Sydemer*, *Ipolt* filius *Gava*, *Bolozlon* filius *Chama*, *VVeteh* ſerviens *Ipoliti*, *VVapuſſa*. *VVaſardus* pater hæc ſcripſerat. Hos dedit Martinus Monaſterio.

Alios etiam libertos dedit, qui evenerunt ſibi de interfectione *Ivonis*. Officium illorum tale eſt: per ſe ipſos tenent equum, quocunque eat dominus eorum. Currum dant cum equo & copertorio. Cacabum dant, equos ſervant, herbas afferunt, ignem faciunt, ligna incidunt, pecora ad veſcendum ducunt, ſimul in feſto S. Martini cubulum mellis dant, & unam ovem, ſex cubulos braſij, ſex annonæ, ſex currus fœni. A feſto S. Martini morantur apud dominum ſuum cum ſecuri usque Sabbathum Paſchæ. Domino ſuo domos parant. Vnus eorum ſemper eſt hebdomadarius, & ſic per ordinem ad quod-

Digitized by Google

quodcunque prædium mittantur, cum equo & curru, quicquid dominus præceperit, afferunt. Iſtorum manſiones ſunt novem.

Item dedit prædium *de Zala*, quod ſibi dedit Rex, quæſitor a Rege dominus *Præſtaldus*, *Seraphim* frater ejus. Vbi datum eſt ſibi illud prædium, interfuerunt hi proceres: *Jula*, *Salomon* Centurio, *Sas* Centurio, *Kaenez*, *Petrus*. Iſtis dati ſunt nummi in recordationem. Ibidem ſunt duo aratra cum ſex manſionibus & decem domibus, ut ſerviant Abbati, qualiter præceperit. Sed ſi Abbati placuerit, dent filias liberis, & ducant de liberis, quorum nomina hæc ſunt: *Domamer* cum duobus filijs, *Didec* cum filijs, *Radaſta*, *Draccem*, *Sadem*, *Blaſius* filius, *Grapo*, *Cace*, *Budiſſa*, *Pribizla*, *Odila*: prædium *Ferteu* cum uno aratro & tribus manſionibus: prædium *Galavi*, quod dedit Rex pro ſuo prædio, ſcilicet *Sar*, quod datum eſt Epiſcopo *Macellino*, dedit Monaſterio cum decem manſionibus, quorum nomina hæc ſunt: *Gizmond*, *Symon*, *Sduta*, *Musla* cum fratre, *Deda*, *Iſac*, *Abram*, omnes cum filijs & filiabus. Dator hujus prædij a Rege fuit *Acus* Præſtaudus Vrianus. Prædium *Hon*, quod emit a *Czalaënſibus* XC. penſis & XVI. bobus & duobus equis, dedit Monaſterio cum uno aratro & tribus manſionibus, & uno molendino. Terram verò, quam emit *a Johanne*, filio *Zlauzi* ſoror*, quarum poſuit ſervos ſuos, habitatores ſcilicet *Talkaz* cum fratribus ſuis. Cum illis habitant tales, qui dant conſtitutum reditum Abbati, & cum eis quidam nomine *Quucgen*, qui tenet Abbati equum.

Terram *Czernitz*, quam *Apa* Comes adquiſivit gratiâ regis, *Finto* mortuo, filio *Finti*, Rex dedit *Martino* Comiti. Quæſitor *Zah* Comes illam dedit Monaſterio. Terram, quam emit a *Symeone* filio *Nicholai* Comitis ultra *Dravum* centum penſis & duobus dextrarijs, dedit Monaſterio. Terram, quam habuit gratia *Stephani* Regis in *Zagrabienſi* Parochia, ſcilicet *Semeza*. Quæſitor *Georgius* Comes, filius *Saul*, Priſtaudus *Weng*, filius *Rodoan*. Illam *Neteg*, quam fecit fodi pretio DCC. penſis in *Zaccam* cum duobus piſcatoribus, & A. cum terra unius aratri, ſcilicet terram *Siroë*, dedit Monaſterio. In *Chitar* duas vineas, unam *Zoën*, alteram *S. Petri*, cum vinitoribus dedit Monaſterio. In *Beszdrad* quinque vineas cum vinitoribus: In *Treipin* unam vineam cum vinitore. Aliam, quam dedit *Zcabiszlaus*, unam in *Racolen*, unam, quam dedit *Sarlat*. Dedit Monaſterio CC. equos & CC. boves, porcos CC. oves MD. Hæc omnia cum paſtoribus. Dedit duos ſcyphos argenteos.

Præterea dedit uxori ſuæ homines, quos tali libertate donavit, ſi domina B. nuberet vel moreretur, cuicunque Nobilium vellent, liberè ſervirent: *Sarlet*, *Finto* cum propinquis ſuis *Brathei*, *Cuchetz* cum propinquis ſuis, *Bragna*, *Hainis*. Majori filiæ ſuæ dedit duo prædia, unum *Gradiſſa*. Ibi quatuor aratra, XII. manſiones, III. vineas cum vinitoribus: unam, quam emit ab uxore ſuprà, alteram, quam emit a *Domk*, tertiam juxta Curiam, XII. domos, qui ſecant fœnum, & alia operantur in curia.

CXXIV.

C. *Magdalinæ Comitiſſæ Traditio, facta Monaſterio Katharienſi ſeu Kitharienſi.* *Indidem.*

NOtum ſit omnibus, tam futuris quàm præſentibus, quatinus ego *Magdalina*, *Martini* Comitis uxor, pro animæ meæ, dominiſque mei *Martini* remedio, proque omnium meorum ſalute propinquorum, *S. Petri Monaſterio*, quod in *Katharienſi* conſtruximus prædio, prædium *Mura*, quod dominus meus *Martinus* pro dotalibus veſtibus mihi conceſſerat, ordinavimus D. cum duobus aratris & novem manſionibus, quarum nomina hæc ſunt: *Hartuigic* cum filijs ſuis absque uxore, quæ libera eſt: *Gvinvar*, *Stoiſſa*, *Atunca*, *Decemer* absque uxore, *Velen*, *Laurentius*, *Fela*, *Bioszelau*, & unum *Vhugi*, *Thomas*, & unum fabrum *Vioti*.

In eodem prædio dedi IX. ſilveſtres equos cum paſtore *Hezdigi*, & XX. porcos cum paſtoribus *Agus*, *Maradec*, & X. vaſa apum. In prædio *Ferde* dedi CLX. oves cum paſtoribus. Inſuper aliud prædium dedi in *Sagan*, quod emi XXX.

pensis de filio *Petus* Centurionis cum A. uno aratro & tribus mansionibus, quarum nomina hæc sunt : *Sudiboc*, *Seigina*, *Walcan*. Præterea duos concessi campanarios *Beke*, *Simiean*, & duos cubicularios *Paulus*, *Pudi*, & unum testorem, unum cocum *Aianduc* & IV. puellas in *Bogota*, V. vineas cum V. vinitoribus, quorum duo servi sunt, sine uxoribus, tres verò debitores. In *Rocolian* I. vineam cum vinitore, aliam in *Colos* cum vinitore. Insuper II. cortinas de pallio dedi Monasterio : unum velamen altaris de exameto, III. casulas aurifrisiatas, quarum duæ gemmis ornatæ sunt : II. aureas armillas ad calicem componendum : LXX. bisancios Romaniticos, I. marcam argenti & dimidiam, & argentum cusum, IV. lineas cortinas, III. tapecia, XX. cubitos de subtili tela.

Hos præterea servientes propriæ libertati donavi : *Moglon*, *David*, *Soludi*, *Bernei*, *Kana & Boggu* cum uxoribus & filijs & filiabus, tali donatione, ut ubicunque servire voluerint, liberè serviant. Puellas verò *Hemeci*, cui pro servitio puellam dedi, *Cusudi*, *Atagudi* cui & aliam puellam concessi, *Cepa*, *Mahal*, *Hugdi*, *Aianduc*, *Macuma*, uxorem *Alus*. C.

Altomanno filio meo dedi II. puellas *Psiacham* & *Annam*, alteram dono, alteram pro *Hemechi*. Majori filiæ meæ III. puellas dedi, *Feina*, *Finta*, *Vrancia*, grisias pelles, binas inaures electrinas, duo aurea monilia. Minori filiæ IV. puellas, *Maina*, *Menda*, *Serelmes*, *Gunte*, I. textorem *Gunvata*, armelinas pelles, electrinas inaures, duo aurea monilia, VII. equos, octavum palefridum cum sambuca & freno & lectica & D. una cortina de sindone. Vxori filij mei *Altomanni* unum monile aureum & armelinas pelles.

Hanc autem dispositionem, quam de meis proprijs, non de rebus alienis, non pro me tantùm, verùm etiam pro supra memoratis supra dictæ S. Petri Ecclesiæ ordinavi, si quis violenter avertere conatus fuerit, in communi tremendóque judicio ante Dominum coram Sanctis omnibus rationem pertimescat, anathema redditurus.

CXXV.

M. Cracovienſis Epiſcopi Epiſtola ad S. Bernardum Ab. Clarevall. quem ad converſionem Ruthenorum invitat.

circ. 1150.

B Dei gratia *Clarevallenſi* Abbati, Viro venerabili & reverendo, omni præconio digno, & merito ſanctitatis inſigni, M. ejusdem gratia *Cracovienſis* Epiſcopus, & Comes . . *Petrus*, quos facit, facere fructus. *Ex Cod. Windberg.*

Grates Deo noſtro referimus, grates ſiquidem infinitas, qui vos talem, o Ab- B. batum Decus & gloria, noſtro ſuſcitavit ſeculo, quem ſolicitudo omnium Eccleſiarum, quemadmodum vas electionis, nunquam & nusquam prætereat, quem infirmitas aliorum cogat pariter infirmari : Cujus meritis Deus Orbi bonum omne largitur immerito, cujus prece diſtrictus arbiter mitigatus ſententiam revocat, ac, ne ſtatim feriat peccatores, iram ſuſpendit, ut parcat.

Dilectus filius veſter Magiſter A. nos ex parte veſtra conſuluit, ſi quis poſſet & impios *Ruthenorum* ritus atque obſervantias extirpare. Poſſet quidem, C. Domine, poſſet, ſed ſolus ille homo poſſet, in quo potens gratia eſſet. Confidimus autem in Domino Jeſu, quòd ſi Abbas *Clarevallenſis* hìc eſſet, hoc bonum facere poſſet. Gens autem illa *Ruthenica* multitudine innumerabili ceu ſyderibus adæquata, Orthodoxæ fidei regulam, ac veræ religionis inſtituta non ſervat, non attendens, quoniam extra Catholicam Eccleſiam veri ſacrificij locus non eſt. Nec ſolùm in ſacrificio Dominici corporis, ſed in conjugijs repudiandis & rebaptizandis atque alijs Ec- D. cleſiæ ſacramentis turpiter claudicare cognoſcitur. Ita erroribus varijs, immò verò hæretica pravitate a primordio ſuæ converſionis imbuta, Chriſtum ſolo quidem nomine confitetur, factis autem penitus abnegat. Neque enim vel Latinæ vel Græcæ vult eſſe conformis Eccleſiæ, ſed ſeorſum ab utraque diviſa neutri gens præfata Sacramentorum participatione communicat. Hoc autem, Domine, totum penetrabilior omni gladio ancipiti veſtra prædicatio amputaret, ſi, ut eam viſitaretis, vobis Spiritus Sanctus inſpiraret. Nec modo in *Ruthenia*, quæ

by Google

quæ quaſi eſt alter Orbis, verùm etiam A. in Polonia & Böemia, vel communi appellatione *Sclavonia*, quæ plures provincias continet, talem ac tantum fructum tamque Deo acceptabilem faceretis, ut ab ipſo poſtmodum audiretis: *Euge ſerve bone & fidelis.* Aut certiſſimè vobis omnes, aut ferè omnes, ùt ſperamus, in auditu auris obedirent.

Dignamini igitur, pie Pater, dignamini, qui cæteras illuſtrâſtis, noſtras etiam tenebras illuſtrare. Dignamini *Sclavos* incompoſitos in via morum & B. vitæ rationibus informare. Dignamini gelidum axem veſtri præſentia viſitare, ut in adventu noſtri Abbatis frigus horridum Aquilonis, Auſtri gratiâ & Mulciberi flamine temperetur: ut inculta barbaries veſtris moralitalibus excolatur: ut homines inhumani veſtra eruditione miteſcant, ſub jugo Dominico manſueſcant. Si enim gloriâ celeberrimâ & Treicius Orpheus & Thebanus Amphion cœlo inſeruntur & aſtris, vatumque celebrantur ingenio, & poſt mortem carmine vivunt, quòd uterque ſylvas & lapides, id eſt: ſylveſtres & lapideos homines lyræ cantibus delinivit, legemque pati cögit: quantò magis nos ſperamus, C. quòd gentes efferas & immanes ſacer Abbas Chriſto conciliet, qui & præco eſt Evangelij, & lucerna in domo Domini, & Divinæ voluntatis interpres, & melior Orpheo . . & ſuperna clarus ſcientia, & cœleſti prædictus intelligentia, & omnium ferè charismatum munere inſignitus & gratia.

Quanto autem animi, quamque ardenti deſiderio ego & Comes *Petrus*, D. vir utique circa Dei cultum & Eccleſiam Religionemque devotiſſimus, veſtrum, pie Pater, præſtolemur adventum, ſolus ille nobis eſt teſtis, qui videt ſecreta cordis. Nec nos ſoli optamus abbatem *Clarevallenſem.* Simul in unum dives & pauper, nobiles & ignobiles, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus æquè deſiderant. Abbatem omnis ordo & ætas, Abbatem omnis ſexus atque omnis conditio, Abbatem omnes Poloni, omniumque vota ſuſpirant.

CXXVI.

Cunradus Epiſcopus Patavienſis renovat & confirmat fundationem Parthenonis Erlahenſis in Auſtria Superiori, factam ab illuſtri Viro Ottone, ejusq; propinquis Dieterico & Engelſcalcho.

1151. Ex autogr. P. H.

CUnradus Caeleſti gracia Patavienſis Epiſcopus fidelibus ſalutem in perpetua benedictione Domini. Domino Salvatore omnium bonorum auctore cooperante, & predeceſſores Venerabiles Epiſcopos ſic imitari, & ſucceſſores noſtros pari volumus exemplo in idipſum provocare, ut loca divinis cultibus mancipata tum noſtris impenſis adjuvemus, tum poſſeſſiones ipſas, a quibuscunque fidelibus impenſas, Dei Omnipotentis auctoritate & munimento noſtri privilegij contra omnium, quecunque dici aut fingi poterunt, improbitatem ſtabili in perpetuum tenore confirmemus. Renovantes igitur quoddam nobis oblatum feliciſſime recordationis *Egilberti* Patavienſis Epiſcopi privilegium pro inſtitutione *Erlahenſis* Eccleſie conſcriptum latificamus cunctis moderni & futuri temporis fidelibus, quòd Vir quidam nobiliter ingenuus, *Otto* nomine, una cum propinquis ſuis *Dieterico* & *Engelſcalcho* in renuntiando ſecularibus Semetipſum abnegans, facultatum ſuarum, quibus admodum pollebat, pro Dei amore, pro ſua omnium debitorum ſalvatione Beatum Petrum Principem Apoſtolorum, Sanctumque Baptiſtam Domini Precurſorem feliciſſimos conſcripſit heredes: ita quidem, ut in loco, qui *Erlach* nuncupatur, Clauſtro religioſè conſtructo, Sanctimoniales ibidem ad regularem vitam congregate, Deo devote, jugi famularentur obſequio, & locus ipſe ad titulum S. Stephani Protomartiris in manum Domini *Egilberti* Epiſcopi mancipatus, ſub ſua & omnium deinceps illius ſedis Epiſcoporum proficeret defenſione & aminiculo. Ab ipſo ejusdem loci Katholico Fundatore hec annexa eſt conditio, quòd ſi forte ſua hec inſtitutio ullius unquam violenta poteſtate deſtructa ceſſaret; hereditas ſua ad primum cognationis remearet.

Hec sunt nomina Prediorum, que idem Fundator felicissimus prefate contulit Congregationi. *Erlach*, & omnes in circuitu sitas sui Juris possessiones, hoc est: *Steine*, *Waldarn*, *Gruobe*, *Engilberge*, *Wengilbach*, *Gottenhoven*, *Palsense*, *Aschach*, *Flinspach*, *VVerenhersdorf*, *Scasaerfelch*, *Imlinmesdorf*.

Pari devotione Venerabilis Episcopus *Egilbertus* & ipse spe retributionis eterne tradidit super aram Sancti Petri in eodem loco in augmentum Prebende ancillarum Dei quinque Huobas, & duas vineas cum aliquot mancipijs. In Ecclesia *Oftheringe* terciam partem decimarum, in Ecclesia *Ardacheren* predium & duas partes decimationis. Apud Ecclesiam *Wolfspach* * predium & integram decimationem de XXIIII. mansaricijs. Deinde *Regmarus* Episcopus tradidit eidem Ecclesie tertiam partem decimationis de ipsa parrochia *Erlache*. Item ad eundem locum attinet ex donatione predicti *Egilberti* Episcopi integra decimatio de XXIIII. mansaricijs in Ecclesia S. *Valentini* sitis.

*f. Wolfspach.

Testes Investiture Domini *Ottonis* sunt infra subnotati. *Hartman de Erlach*, *Werinhardus de Stasalaren*, *Frietel*, *Aribo*, *Vdalrich de Ardachern*, *VValtchuon de Perge*, *Piligrim de Cella*, *Alram de VVillehring*, *Vdalrich de Machlant*, *Hadamar de Erlach*, *Haderich de Hadrichesdorf Hartvvich de Heide*, *Idunch*, *Regile*.

Sunt preterea & hec Prediorum nomina, eidem loco postmodum à fidelibus Xpi. in stipendium filiarum suarum pro salute animarum fidelium collata. *Lupe*, *VValinsdorf*, *Othprechtesperg*, *Sulzpach*, *Harrose*, *Halle*, *Erlosbingen*, *Hecherens*, Vinea *Opinge*, *Richpoldesvvinchl*, *Michstetten*, *Hagelin*, & III. domata ibidem sita, *Lengenbach*, *Steinvvant*, *Gruobe*, *VValdaren*, *Strasse*, *Tremenich*, *Servaren*, *VVerde*. *Hittingen Spaetimesdorf*, *Fuostendorf*, *Lohe*, *Sirniche*, Chremelise, Piela, Edelize, Flinspach, Sebiskenbruonnen, *Chalmunse*, *Dtristnicheneh*.

Nos ergo predictam congregationis institutionem noticie posterorum scripto presentis pagine, & in eandem sigilli nostri suspensione commendantes, per virtutem Sancte & Individue Trinitatis, A. per merita omnium Sanctorum, per districtam banni nostri sententiam locum illum, locique incolas, colonos & possessiones universas sub divina protectione contra omnium quascunque vexationes & molestias ponimus, nostrisque successoribus Episcopis fovenda hec universa & protegenda committimus.

Acta sunt hec in *Chrinsmuomstivre*, Anno post Incarnationem Domini Millesimo C.LI. XI. Kalend. Junij, Anno verò Episcopatus nostri IIII. Indict. autem XIIII. Epacte I. Concurr. VII.

Ego *Kadelous* Pataviensis Prepositus B. subscripsi. Ego *Adelgochus* Patavien: Decanus. Ego *Vdalricus* Prepositus S. Marie. Ego *Ruodpertus* Archidiaconus laudo. Item ego *Ruopertus* Archipresbiter laudo. Ego *Sigehardus* laudo. Ego *Adalbertus* Custos laudo. Ego *Hermanus* laudo. Ego Heinricus Scolasticus laudo. Ego *Adalbertus* Abbas S. Agapiti * laudo. Ego *Wernhardus* Forinbacensis Abbas laudo. Ego *Sigehardus* Abbas S. Marie de Gäerste laudo. Ego *Heinricus* de *Sabenich* laudo. Ego *Dithmarus* S. Floriani Prepositus laudo. Item ex Laicis testes sunt renovationis: C. *Adelrammus de Offtheringen*. *Herrandus de Werde*. *Adalber de Nuoinaren*. *Marquarth de Wesen*. *Richker de Osternahe*. *Ruodiger*, ceterique quàm plurimi.

* *i. e.* Cremifanensis.

CXXVII.

Godefridi I. Ab. Admontensis epistola ad O. olim Monachum suum, ut sibi Josephi, aliorumque Auctorum libros exscribendos mittat.

D. G. Dei gratia id, quod est, dilecto in Christo filio O. * columbam imitari Noë, quæ emissa retulit ad arcam ramum virentis olivæ. * 1153. *Ex Cod. Tegerns.*

Qui naturas ferarum didicerunt & noverunt, hoc aliqui eorum scribunt, & dicunt, quòd naturali quadam dulcedine ad illa loca frequenter habent recursum, unde primum vivendi sumpserunt exordium. Ita frater, & tu, ut emissiones tuæ sint Paradysus malorum punicorum, ad sinum matris tuæ *Admuntensis* Ecclesiæ, si non corpore, saltem animo, sæpiùs debes recurrere, de cujus fonte quicquid

quid eſt in te per Dei gratiam diſciplinæ, & ſcientiæ, cognoſceris habuiſſe. Vellem itaque, dilectiſſime, ut de famoſo illo veſtræ Eccleſiæ armario aliquid, quod apud nos non eſt, vel ſcribendum, vel a te ſcriptum, nobis transmitteres, quatenus ex veſtra abundantia noſtra ſuppleretur inopia, & per id tuæ apud nos dilectionis recaleſceret memoria. *Joſephi* opus, excidium Jeroſolymorum, & celebratum Romæ Veſpaſiani, & Titi triumphum, ſi apud vos eſt, rogo, ut diligenter, & veraciter inquiras, & nobis per aliquem ſcribendum transmittere in vera charitate non differas: quia diu eſt, ex quo apud vos eſſe idem opus veraciter audivi, ſed videre nunquam potui. Labora igitur, ut, quod ab alijs non eſt factum, a te fiat, ut tibi & a fratribus tuis gratiarum actio, & a Deo reddatur remuneratio. Vale. Dominum Abbatem, germanum tuum ex parte noſtra plurimùm ſaluta, eique ſicut bonus filius devotè obedire, & ſervire cura.

CXXVIII.

Henrici Abbatis Fuldenſis ad E. Præpoſitum S. Sola epiſtola. Jubet, ut quo in loco nunc diſciplina regularis apud ſe ſit, reſcribat.

H. Dei gratia Fuldenſis Abbas, *Sancti Sola* Præpoſito E. dilectionem ſuam cum omni bono.

Ibid. Pro nimia tua dilectione omne, quod ex te erat, ſiniſtræ relationis diſſimulavimus, & te paternè excepimus, paterniùs tractavimus, paterniſſimè remiſimus, commonentes, ut coram Deo & hominibus bona provideres, & tam pro noſtro, quàm tuo honore in reliquũ mala caveres. Hujus rei gratria fratres nobis neceſſarios, & quidem boni teſtimonij viros tibi commodavimus, ut ſtudio illorum & tuo ea, quæ deſunt, regularis diſciplinæ corrigas, horum conſilio cuncta agens, ipſis paternam in omnibus præbeas conſolationem, in hoc maximè oſtendens, quàm ſinceram ad nos habeas dilectionem.

Injunxeramus tibi, ut fratri B. apud nos retento, ſua deſtinares, & miramur, cur in tam pauca re neglegens eſſe volueris, vel per idoneum nuntium nobis intimare diſtuleris, quomodò vel in quantum priora in melius commutaveris. Volumus ergo, & præcipimus, ut ſi nos diligis, neglecta hæc omnia quàm citiſſimè ad nos deferantur, & de cætero malum inobedientiæ caveatur: Viros etiam illos, quos tu meliùs nôſti, pro beneficio quodam nobis tres marcas promiſiſſe, per te ipſum an exſolverint tempore conſtituto?

CXXIX.

Eberhardi Epiſcopi Babenbergenſis Diploma, quo Abbates Nideraltahenſes Concanonicos Babenbergenſis Eccleſiæ creat, & Miniſteriales Nideralt. privilegijs Miniſterialium Babenb. donat &c. 1151.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. *Eberhardus* Dei gratia Babenbergenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſecundus. Notum eſſe cupimus omnibus Chriſti fidelibus tam futuris quàm præſentibus, qualiter miſericordia Dei de cœlo proſpiciente per gratiam regni & Eccleſiæ Romanæ confirmationem in poſſeſſionem *Altenſis* Monaſterij introivimus, & inſidijs diaboli, qui & noſtris, & fratrum *Altenſium* profectibus invidebat, evacuatis, moribuſque cunctis, qui inde emerſerant, auctore Deo pacificatis, laborantes in ſpe, quæ non confundit, ad portum tranquillitatis pervenimus. Dominus enim *Polizlaus*, venerabilis Abbas *Altenſis* Monaſterij, inſpirante Deo, Monachorum & Clericorum ſuorum, pariterque miniſterialium honeſtiſſimo comitatu nos & Eccleſiam noſtram adijt, & in ſollemni celebritate Purificationis B. Mariæ Virginis, *Altenſis* Monaſterij ditionem nobis recognovit, & ejus inveſtituram a nobis recepit, conſentientibus univerſis *Altenſibus*, qui aderant, pro ſe & abſentibus Monachis, Clericis, & Miniſterialibus. Nos quoque prædictum abbatem, virum nobilem tam moribus, quàm genere in confratrem &, Concanonicum præ cæteris Abbatibus conſenſu totius Capituli noſtri recepimus, & eum, ſucceſſoresque ejus Abbates, nobis, & noſtris ſucceſſoribus *Collaterales* ſemper eſſe decrevimus.

Ex Archivi Nideraltahenſis autographo.

De cætero ſtatuimus, ut Monachi, Clerici,

Clerici, & Ministeriales sine disturbatione permaneant, unusquisque in suo ordine, & nulli successorum nostrorum liceat illis invitis aut tollere, quæ sua sunt, aut jura eorum, nisi in melius, ex consensu communi commutare. Quodsi advocatus hæredem non habuerit, Ministeriales ultra de justitia advocati ad neminem respectum habeant, sicut & ceteri omnes *Babenbergensis* Ecclesiæ ministeriales in contractibus nuptiarum, emptionum, venditionum & traditionum cum cæteris nostris ministerialibus æquali fœdere & societate permaneant salvo hinc inde per omnia jure Episcopi, & Abbatis. Vt autem hæc omni ævo illibata permaneant, scripti pariter & sigilli nostri auctoritate roborantes confirmamus, & constabilimus.

Testes sunt horum majoris Ecclesiæ Canonici *Vodalricus* Præpositus de ipsa Domo, *Volmarus* Decanus, *Brunno* Episcopus, *Liupoldus* Præpositus S. Stephani, *Cuonradus* Præpositus S. Mariæ, *Giselbertus* Archipresbyter, *Hermannus* & alij. Abbates: *Helmericus de S. Michaële*, *Erbo Prævviningensis*, *Hartungus Michilfeldensis*, *Hartnidus Enteflosensis*, *Gerhardus Windebergensis*. Liberi: *Adeloldus*, *VVolfpoto* & filius ejus *Fridericus*, *Regenoldus* frater Episcopi, *Fridericus de Lutenbach* & *Otto* frater ejus, *Heinricus de Otelohestorf* & frater ejus *Meingoz*, *Adelbero VVirsinc*, *Vodalricus de Caluuenberc*, *Sigeboto de VVuontengeseze*. Ministeriales: *Hermannus Shlichere*, *Pillunc*, & *Gundeloch* frater ejus, *Gotebolt de Osterhoven*, *Herdegen de VVisentovve* & fratres sui, *Eberhardus de Steine* & filius ejus, *Eberchart*, *Cuonrat* Camerarius, *Ratloch* filius *Pillungi*, *Adelbero de Burgelin*, *Heinrich de Eiske*, & alij quàm plures. Actum *Babenberg* anno incarnationis Dominicæ MCLIII. Indictione XV. IV. Non. Febr. anno regni Domini *Friderici* Regis Romanorum primo.

A. *Ejusdem epistola ad Evgenium III. P. M. qua ejus Pontificatum toti Ecclesiæ gratulatur, & persecutiones Archiepiscopi Moguntini exponit.*

Reverendissimo Domino Patri & creatori suo *Evgenio*, Summo Pontifici Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, *Eberhardus* Babenbergensis, humile opus manuum suarum, Divina & Apostolica gratia si quid est, cum universis commembris suis & confratribus, debitam in Christo obedientiam, & omnem suæ possibilitatis devotionem. *Ex Cod. S. Stephani Herbipol.*

B. BEnedictus Deus, qui universæ Ecclesiæ suæ benedixit ad introitum vestrum, & post magna luminaria firmamenti, quæ nocti præerant, extincta, luminare majus, ut præesset diei, accendit in persona Vestra. Verè etenim vestris & temporibus & meritis exortum est in tenebris lumen rectis corde. Lumen utique ad illuminationem gentium & gloriam plebis Israël, qua luce illuminati fideles in fide per dilectionem C. operantur, & infideles ad fidei unitatem in brachio Divinæ virtutis aggregantur. Quod comune gaudium universæ terræ tantò nos specialiùs attingere credimus, quantò vobis arctiori vinculo servitutis & obedientiæ subjacemus.

De cætero misericordia vestra, clementissime Pater & Domine, ante oculos nostros semper est: quia omne meritum nostrum prævenistis in benedictionibus dulcedinis. Vnde non quantas debemus, sed quantas possumus, in conspectu Divinæ Majestatis Sanctitati vestræ gratias humiliter referimus, & quicquid boni nobis est, post Deum D. vestræ Paternitati adscribimus.

Vt autem inter prospera simus humiles, adversa nobis non deesse Divina providentia disposuit, Domino *Moguntino* Archiepiscopo non judicialiter agente nobiscum, sed exitialiter nos persequente, eò quòd vestram obedientiam suæ præponimus, eò quòd in Episcopali benedictione percipienda de plenitudine gratiæ vestræ participare præsumpsimus, & de fonte potiùs quàm de rivo potare maluimus. Cujus rei immanitas usque adeò excrevit, ut Moguntini nobis servis vestris & filijs, si dicere

cere audemus, mortis periculum & Ecclesiæ vestræ minitari præsumant excidium. In his autem omnibus unicum in vobis spei nostræ refugium sumentes, a vestræ auctoritatis sententia ita pendemus, ut neque mors, neque vita a vestra nos separare possit obedientia. Omnipotens Deus dies vestros in sua pace disponat, & ad consolationem omnium fidelium temporum vobis tranquillitatem concedat.

CXXX.

Conradi I. Abbatis Tegernseensis * Epistolæ.

**fl. 1151.*

1.

Ad Conradum III. Imp. Rogat, ut Othonem Episcopum Frisingensem a nova in suum Monasterium inducenda disciplina cohibeat.

Ex Cod. Tegernf.

C. Regi Romanorum invictissimo ac Domino suo, dictus Abbas *Tegrinsensium* Cœnobitarum, debiti obsequij devotionem, & cum subditis pervigilem curam orationum.

DEus consolationis & pacis de cœlo prospexit misericorditer super filios hominum, viduis & orphanis tribulatisque corde Serenitatis vestræ magnificentiam exhibens in auxilium. Nam Divina cooperante clementia vestri reginiinis labore ac pia devotione sancta Ecclesia in unitatem pacis & concordiæ est redacta, & in peregrinationis vestræ tempore pro Christi amore habitat libertati dedita. Gratias itaque Deo agimus, quantum audemus, qui in bono proposito vos confortavit, & ut de cætero confortare, & bonum, quod per vos maximè operatus est, & per alios fideles cooperatores vestros in perpetuum conservare dignetur, clementiam ipsius jugiter exoramus.

Proinde quia sanctæ Ecclesiæ Catholicæ pacem præstitistis, de miserationis vestræ immensitate non parùm præsumentes, licèt indigni, tanquam membra ad caput respicimus, & velut commissi suo Domino conquerentes, sub alas almitatis vestræ confugimus. Locus noster quamquam appendicijs ad eum pertinentibus ablatis, vestræ Regali di-

A. gnitati subditus, a Domno Frisingensis Ecclesiæ Episcopo nostro de quadam immutatione impetitur, qui privilegijs antiquorum regum prædecessorum vestrorum *Ottonis*, & aliorum potentialiter libertati deditus dinoscitur esse. De qua re turbati & contriti supplicantes quærimus clementiam vestram, ne nos, vestræ ditioni subditos in tribulationibus relinquatis, sed per bajulum harum litteras vestro sigillo signatas sibi mittatis, & de inlatis usque in præsentiam vestri quiescere faciatis. Omnipotens Deus de excelso sancto suo super vos & super nos B. miseros prospiciat, & cum principibus populi sui vos in hac vita solium gloriæ tenere concedat, & post hujus vitæ longa ac felicia tempora in electorum suorum regum numero sine dono gratiæ constituat.

2.

Ejusdem ad Papam epistola. Rogat, ut Palatinum Comitem ab inferendis injurijs & damnis sua auctoritate abstineat.

REverentissimo Domino & Patri primæ Sedis almo Pontifici, C. Dei C. gratia humilis minister Cœnobij B. Quirini, tam devota quàm debita obedientiæ & precum obsequia.

Quia omnis rerum examinatio sub auctoritatis vestræ pendet arbitrio, vocem querelosam tribulationis nostræ, vestræ profundimus sanctitatis dominio. Igitur *Palatinus Comes* provinciæ nostræ ad Apostolicam Sedem nobis tendentibus, res Monasterij sibi potenter subjugavit, & ne aliqua nobis de his partibus stipendia conferantur, nisi conditionaliter, penitus mandavit. Hujus rei gratia genua flectimus ad vos, Patrem D. & Dominum, quatinus justitia vestra & Apostolica auctoritate ipsum ab hujusmodi facinore arceatis, & nos ab instanti oppressione eripiatis.

3.

Ad Canonicos Patavienses. Falsum esse, eorum Canonicum O. in suo Monasterio Monachum professum fuisse.

DOminis ac fratribus universis *Patavienses* Ecclesiæ Canonicis, C. Dei

gratia de Monaſterio S. Quirini Abbas, A. cum omnibus confratribus ſuis orationem ſine intermiſſione, cum intimæ devotionis affectu.

Veritas juxta quendam ſapientûm *per ſe patet.* Benè autem inquit, quia *ſolet frequenter vento ſiniſtræ relationis obnubilari* : ſicut nuper audivimus apud vos de Canonico Eccleſiæ veſtræ, videlicet O. quædam contraria veritati ventilari, cujus etiam rei audivimus quibusdam fratribus noſtris, dum in partibus veſtris eſſent, occaſionem imponi, qui tamen illud modis omnibus ex bona B. conſcientia pernegant. Quapropter rogamus, ſi quis velit aliqua contumelioſa & ficta dicere in perſonam ejus, non nos in argumentum voluntatis ſuæ trahat : quia nos potiùs, quòd & verè debuimus in celebri Capitulo Domini noſtri, *Friſingenſis* Epiſcopi, circa ingreſſum ſuum aſtricti verbo Domini ab eodem Epiſcopo animarum noſtrarum, nullo debito Monaſticæ vitæ apud nos obligatum eſſe, coram Clero & populo & multis abbatibus & regularibus Præpo- C. ſitis judiciario Ordine atteſtati ſumus. Quidam enim æmuli ſui tunc etiam invidia graſſante famam ejus latenter corrumpere conati ſunt. Videbantur autem hujusmodi confingere in eum, eò quòd ab incunabilis in loco noſtro nutritus eſſet. Cujus rei ſeries hæc eſt. Patruus ejus quidam de Prælatis noſtris, hodie vivens, ſuſcepit illum infantem, fovit, atque nutrivit, ſicut multi apud nos usque in hodiernum diem, & in alijs clauſtris regularibus nutriuntur, qui tamen nullo vinculo obedientiæ tenentur. Peccatum ergo eſt, hominem innocen- D. tem falsò calumniari, quod ille antiquus noſter hoſtis, qui ab initio mendax fuit, in cordibus hominum ſtudet operari. Commendamus autem vobis eum, pro ipſo ſupplicantes, ut nihil ſiniſtrum in hunc modum, quod verè debetis, de eo credatis: ſed potiùs causâ noſtri omniû, utpote de melioribus miniſterialium Eccleſiæ parentibus progenito benè faciatis.

4.

Ad Conradum I. Archiepiſc. Salzburgenſ. ut Monaſterium ſuum recipiat in gratiam, in quam jam receptum eſt ab Ottone Epiſc. Friſingenſi.

C Reverentiſſimo & amantiſſimo Domino & Patri, *Salzpurgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopo, C. humilis abbas in cœnobio S. Quirini, cum univerſis confratribus, orationes & obedientiam in Chriſto devotiſſimam.

Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui volens nos conſolari in tribulatione noſtra, tantæ pietatis & honeſtatis Paſtorem & Rectorem provinciæ noſtræ miſericorditer ſublimando præfecit, in cujus dulcedinis & gratiæ lacte velut uberibus matris ſpecialiter nos refecit. Hujus rei & donationis habentes experientiam pro apellatione Romanæ Sedis in celebri Synodo veſtræ Sanctitatis, veſtram ſubnixè interpellamus reverentiam, quatenus veſtro nutu & conſilio valeat relaxari, quem conſtat omnes afflictos velle conſolari. Nam Epiſcopus noſter *Friſingenſis* nos & locum noſtrum in gratiam antiquitus habitam recepit, & ſi quid gravaviminis nobis intulerit, non ſua, ſed perſonæ veſtræ auctoritate ſe feciſſe aſſerens, totius mali nos inmunes ſe excuſavit. Proinde negotij noſtri ſumma in veſtro pendet arbitrio, nósque locum noſtrum, & de his, quæ prælibavimus, quid ſit agendum, Paternitatis veſtræ committimus judicio.

5.

Ad Monachos VValt : ut fratrem VV. bis perjurum ad frugem & ſervandam Domino ſuo fidem adducant.

C Dei gratia Abbas *Tegrinſenſis*, fratribus *Walt.* devotionem ſerviminis cum inſtantia orationis.

Ordinatione divina, quotquot ſumus ad vitam prædeſtinati, quamvis indigni, juſtitiam & veritatem diligendo unanimiter in domo Domini ſperamus converſari. Hinc ſubnixè ſupplicamus, hortando, ut W. fratrem veſtrum, bis perjurum factum reſipiſcere faciatis, & ad ſerviendum Domino ſuo W. venire jubeatis,

beatis, vel saltim ipsius licentiâ quodammodo ad serviendum vobis retinea-tis.

6.

Ad C. Ducem. Rogat ut servum Per. ex potestate VVatonis de Gekkenpuit vindicatum, Domino suo restituendum curet.

C. Duci, & Principi nobilissimo, C. humilis Abbas *Tegrinsensis*, orationes & obsequium.

Fideli nostro *M.* de *Ma.* virum quendam, nomine *Per.* inbeneficiavimus, qui cuidam fideli nostro *VV.* de *Gekkenpuit* adhærens extitit. Quem petimus, ut de manu prædicti *VVatonis* eripiatis, [&] debitum famulatum Domino suo impendere faciatis.

7.

Ad Ministeriales suos: ut consuetam, & expeditioni sue necessariam pecuniam mittant, & opem ferant.

C. Dei gratia Abbas *Tegrinsensis* P. Sacerdoti, & Ministerialibus, ac universæ familiæ salutem & omne bonum.

Miramur valde, legationem nostram tam scriptis, quàm dictis persæpe vobis destinatam, in nullo profeciſſe, sed quasi contemptam habuisse. Nunc itaque, sicut jam sæpe rogamus, rogandóque præcipimus omnibus per nos inbeneficiatis, & ministerialibus, & Camerarijs nostris, ac universæ familiæ, ut solitam & debitam opem expeditionis nobis persolvant. Si qui verò obstinati & rebelles huic jussionis nostræ debito contraierint, ex die, quo præsentes litteras acceperint, per alios quatuordecim dies *VVaringuvve* se nobis præsentent, ut secundùm quod justitia dictaverit, de hoc nobis respondeant.

CXXXI.

Eberhardi Abbatis S. Gregorij in Tiroli epistola ad Conradum abb. Tegernseensem: ut matrimonium cujusdam hominis, ad Episcopi forum jam delatum, impediat.

Ex Cod. Tegernſ.

C. Domino suo, venerabili abbati S. Quirini, E. ultimus servorum S. A. Georgij, orationis & servitij tam devotum, quàm debitum affectum.

Multum apud humilitatem nostram & auctoritas & præceptum vestrum valeret, si causa talis esset, quæ specialiter nostro judicio subjaceret, & quæ jam jamque ad Dominum Episcopum non pertineret. Iste namque, de quo agitur, puellam, quam mater ejusdem ex sacro fonte susceperat, duxit uxorem. Vnde, dum in nostra audientia pulsatus obedire nollet, ad Domnum Episcopum perlatus est, & ibi judicandus remansit. Vestræ ergo dignitatis cura B. agat cum eo, ut ab illicito matrimonio se subtrahat, & sic nostræ intercessionis opem vestræ Paternitatis respectu coram Domino Episcopo, quamcunque possumus, merebitur.

CXXXII.

Monachorum S. Petri Salisburg. epistola ad Conradum abbatem Tegernseens. Remittunt W. forte Werinherum, Monachum, cujus mores & doctrinam deprædicant.

C. DOmino C. Abbati Reverendo, & omni honore amplectendo, cunctisque sibi in Christo filijs, sub signis B. Quirini militantibus, pusillus grex S. Petri, orationis sinceritatem, & obsequij veritatem. *indid.*

Quod fama probitatis, & exemplo pietatis in omni loco bonus Christi odor estis, gratulamur, & ne aliquid sinistri ab Aquilone vobis aspiret, viribus totis reluctamur. Quia enim in ramis charitatis, in qua vos fundati statis, nos utcunque hæremus, non nostra tantùm, D. sed quæ vestra sunt, quærimus, quatenus ibi pleniter inveniamus, quod in nobis minus habuerimus. Fratrem hunc vestrum, immò & nostrum W., Domino Archiepiscopo, & venerabili abbate nostro absentibus, a quibus eum reservandum accepimus, pavidi & invidi vel ad horam remmittimus, nec remitteremus, nisi quòd eum a Paternitate magisterij vestri quantocyus rediturum credimus. Denique humiliter, & honestissimè nobiscum demoratus, propriæ fraternitatis, quanta sit disciplina, conversatione ac doctrina nobis declaravit &

operibus, ipsiusque Monasterij jucundissimam deinceps familiaritatem nostris impressit cordibus.

CXXXIII.

Rolandi Cardinalis ad eundem epistola: ut E. cuidam beneficium de Thalmehusen integrum servet & confirmet.

Indid.

R Dei gratia tit. S. Marci Presbyter Cardinalis, licèt indignus, C. eadem gratia *Tegrinensis* Monasterij abbati salutem, & dilectionem.

Præsentium latoris E. & scholastici B. socij relatione cognovimus, liberalitate animi vestri, & consilio fratrum vestrorum beneficium de *Thalmehusen* a manu vestra sibi esse collatum. Quod quidem ei firmiùs & solidiùs conservari postulando rogamus; quatenus super his nos sibi prodesse experimento cognoscat, & a nobis similia vobis & amicis vestris repetere possitis.

CXXXIV.

S. Scholastici epistola ad eund. Conradum. Probat meram calumniam esse, quòd Orthebum, sibi commendatum, non egregiè instruxisse dicatur.

Indid.

C Cunctis opibus pretiosiori, & o- C. mnibus, quæ desiderantur, excellentiori, S. in salutari Dei nostri lætari, & in nomine ejus magnificari.

Misericordia & veritas tua præcedunt faciem tuam. Sed beatus ille servus, quem, cùm venerit Dominus ejus, invenerit velle suum facientem. In quo quia semper optabam, vehementer insudare toto mentis annisu, doleo quosdam oleo peccatoris impinguatos, tibi sub persona mea haud veraciter adpropiare, dicentes, *Orthhebum*, per gratiæ tuæ almitatem sustentatum, ab omni studio me eum disjunxisse, & nunquam aliquod disciplinæ studium illi imposuisse. Talia dum dicunt, mihi te subvertere quærunt. In quibus opto adimpleri verba Psalmigraphi, *in verticem eorum iniquitas ipsorum descendat*, quoniam locuti sunt adversùm me mala pro A. bonis, & odium pro dilectione absque meis meritis mihi exhibuerunt. Testis est mihi Deus, quàm diligenter ob gratiam tuam in illo esudaverim. Etiamsi ille interrogatus audiretur, veritate comperta malodici mendaces inveniren-tur, quibus satagentibus illud in me video adimpleri: ego laboravi, & alij laborem intraverunt. Et illud Virgilij:

Hos ego versiculos feci, tulit alter honorem.
Sic vos non vobis, vellera fertis oves.
Sic vos non vobis mellificatis apes.

CXXXV.

Idem ad Eundem. Agnoscit amplitudinem beneficiorum in se collatorum, suique animi ingrati vitium, quod emandare spondet.

Indid.

C Super mel & favum dulciori, omni- C. bus in Christo præstantiori, S. intimæ mentis affectu licèt vilis, quantum valet servitus puerilis.

Tuâ jam dudum, mea provocante insipientia, dilatâ clementiâ non immeritò mea magnificata est indigentia, utpote qui vanitati deditus justis Domini, monitisque magistri nolui obtemperare. Saltim discam, quàm durum sit contra stimulum calcitrare. Nam interdum æmulorum invidia sub persona mea ad iracundiam te provocante, & maximè mea culpa te ad hoc incitante, paterna correptione per te iterum, iterumque sum admonitus. Et licèt non emendaverim, non me publicâsti, sed ut pater filium ad emendationem misericorditer reservâsti. Quid multa? Omnia beneficia, quæ non solùm servos & subditos & similes, & ut ita dicam, amicos D. condecent, mihi recordor impensa: Sed jam doleo timens per exacerbationes multas, quibus te persæpe fatigavi, suspensa. Sed pater filium post dissipatam substantiam revertentem, & in patris pietate confidentem non solùm benignè suscepit, sed & anulo ac stola prima vestivit. Et dominus eum militem magis diligit, qui post fugam reversus fortiter hostes premit, quàm eum, qui nunquam fugit, nihil tamen viriliter gessit. Sic omnis agricola eam terram magè

magè petit, quæ poſt ſpinas & ſaxa fructum ubertatis protulit, quàm quæ nunquam ſpinis dedita varò fructum reddit. Qua de re cedat ira clementiæ, immò fatuitas mea ſapientiæ, ne me ovem erroneam per devia & ſentes vitiorum ſinas vagare, ſed more veri paſtoris proprijs humeris ad gregem digneris reportare, & ut me vulneratũ & ſemivivũ ùt Sacerdos & Levita non tranſire, ſed ùt pius Samaritanus non dedigneris medicare.

CXXXVI.

indid. *W. fortè Werinheri, Monachi Tegernſeenſis ad Conradum abbatem ſuum epiſtola, de beneficijs ſibi ab eo impenſis, ac repentina animi averſione, quam ut dimittat, nec ſuſurronibus aures faciles ne præbeat, precatur.*

C Domino & Patri, W. cottidianæ A. orationis vigilantiam, & fidelis ſervitutis conſtantiam.

Quotieſcunque, Domine mi, ad animum revoco, quantum me aſtrictum hucusque habuiſtis in veſtræ paternitatis vinculo, afficior præ nimio mentis gaudio. Sæpe enim mecum revolvo, qualiter me a pueritia foviſtis in miſericordiæ & clementiæ gremio, fotumque lacte affectionis, paneque ſalutiferi dogmatis roborâſtis, roboratum quoque ad normam veſtræ converſationis omni modo inſtituiſtis. Vnde nequeo mirari ſatis, ubi vel qualiter offenderim oculos veſtræ majeſtatis. Quæ antea tantæ clementiæ vinculo colligâſtis, nunc ſoluto, immò rupto vinculo alienâſtis. Hoc autem eò potiſſimùm dico, quia dum vobis aſtiti in proximo, virga depoſitâ baculum correptionis ſuſcepi more inſolito in tantum, ut nunc converſus ſuſcipiam gladium vibratum, arcum tetenſum & paratum. Vultus autem valde fuit immutatus. Sed teſtis mihi eſt Deus, eum non offendiſſe ullus meus recens reatus. Scio & ſum certus, cœlum terræ commiſceri priùs, quàm vos a ſtatu cæptæ clementiæ erga me inmutari penitus. Dubium non eſt, Domine mi, de ſede majeſtatis veſtræ paululum vos deſcendiſſe, & aures veſtras vobis adulanti, mihi detrahenti præbuiſſe, qui ut reſpuatur, a vobisque eliminetur, ejulando, geniculando oro in Domino, ut quisquis is eſt, qui ſperat mihi inferre ſcandalum, cognoſcat veſtræ almitatis nullo modo poſſe violari ſigillum. Verum quidquid horum apud vos impetravero, mihi reportet veſtra clemens relegatio, ut deterſa nube triſtitiæ clareſcere incipiam ſplendore lætitiæ. Iſtum legatum miſi vobis ſatis aptum, ut ſatis excuſet, vos iraſcique recuſet. Verſibus his tribus per virtutes notularis:

B. *Nobilis es gemma, magnatum nobile ſtemma,*
Et vir linguoſus, ſapiens, nimis ingenioſus,
Nobilis & forma, virtutis & inclyta norma,
Non poteris fari, neque dictari, nec orari.

CXXXVII.

A. Scholaſtici Brixinenſis epiſtola ad Conradum abbatem Tegernſ. Celebrat ejus laudes, & domicilium in Monaſterio Teg. quærit. *indid.*

C Gratia Dei abbati S. Quirini, A. Scholaſticus Brixinenſis nomine non opere, locum habitationis in æterna beatitudine.

Quis ſim, & quid velim, ex eo, quem ad vos miſi, cognoſcetis. Vos autem, o Pater orphanorum, ſolamen deſolatorum, tanquam lucerna candelabro ſuperpoſita omnibus lucetis: quia probitas veſtra permixta ſanctitati administrat vobis inextinguibile oleum charitatis. Vnde incidit, quòd veſtræ Paternitati dicere audeo, videlicet, ut deferam montes fericatis, & tranſmigrem ad amœna loca veſtræ pietatis. Nunc ergò Philoſophiæ quem dulciſſima mater educavit dulciter dulci lacte ſeptem pediſſequarum, aperite precanti os ſapientiæ, & notificate, ſi in theſauris veſtræ clementiæ invenietur mihi locus miſericordiæ. His cor præbete precibus. Semper Valete.

CXXXVIII.

Indid. *Anonymi Monachi epistola ad ad eundem: ut sibi librum Philonis tantisper utendum præbeat.*

C. Abbati venerabili miser frater devotas orationes.

Dominus dicit: *Date mutuum nihil inde sperantes.* At nos id, quod a vobis mutuari volumus, non sine lucro vestro, & nostro reddemus. Rogamus igitur in charitate *librum Philonis* nobis ad horam præstari.

CXXXIX.

Dietramcellensium Canonicorum epistola ad eundem. Petunt ad se remitti A. Canonicum suum, qui mera petulantia, & disciplinæ tædio Tegrinam auffugerat.

Indid. VEnerabili *Tegrinsensium* Abbati C., simulque universo collegio sibi commisso, pusillus grex S. Martini certitudinem serviminis & devotionem oraminis.

Ut decet filios obedire parentibus, ita ipsos non exasperare inordinatè illos. Quod ideo intulimus, cupientes nos haberi pro filijs, scientes vos diligi a nobis ùt patres. Provoluti enim pedibus vestris querimonias in conspectu vestro fundimus super transfuga illo inquietissimo A. nihil apud nos operante, sed curiosè agente, & discordias inter fratres seminante, nec non Evangelicis dictis contradicente. Obstinaverat enim se coram *Juvavensium* Archiepiscopo, probaturum, vanum esse mundum, & ea, quæ in eo sunt, relinquere, & Dominum Salvatorem arrepta cruce sequi. D. Insuper multos blasphemijs, opprobrijsque lacessivit, quibusdam etiam plagas intulit. A quibus omnibus non ùt percussorem & hæreticum, sed ùt fratrem charissimum corripuimus. Sed ipse incorrigibilis extitit, ac fugam indecentem arripuit. Proinde flebilibus vocibus imploramus, ut ipsum in locum, ad quem consecratus, & in quo Canonicam vitam professus est, redire cogatis, & vitam moresque in melius mutare jubeatis. Quod si renuerit, sciatis eum Ecclesiasticæ communione indignum, & divinæ ultioni in extremo subijciendum examine. Ad nostrarum miseriarum consolationem per multorum annorum curricula conservet vos divina misericordia.

CXL.

Indid. *Conradi Abbatis Nideraltahensis ad Conradum Abbatem Tegernseensem epistola. Ejus consilium, & opem petit in miserrimo Monasterij sui statu, quem inundationes aquarum angent.*

B. C. Abbati venerabili & fratri in Christo, fratribusque sub se degentibus, C. humilis *Altahe* minister, cum grege sibi coadunato, quicquid valet oratio, obsequium, & fraterna dilectio.

Si unum in Christo sumus, sicut debemus, nulla nos locorum separabit diversitas, quin conjungat in unum vera & perfecta Christi charitas: *Si enim compatimur, & conregnabimus.* Nobis ergo & vobis, quia semper erat cor C. unum & anima, una semper religio, moveat vos, ùt confidimus, nostra cottidiana tribulatio, exterorum impetitio, religionis nostræ eheu! hactenus laudabilis mutandæ comminatio. Pro his ergo fraternitatis vestræ dilectioni literas nostras dirigimus, consilium quærimus, auxilium in Domino petimus, ut, si qua in vobis est, ùt scimus, Divini consilij prudentia, nobis in angustia positis vestra paterna compassione fiat cognita. Agite fratres dilecti in Christo, agite pro statu religionis nostræ, & pro vestro laborantes satagite: quia sic olim in Domino compacti eramus, ut D. ab invicem nullo modo divelli queamus.

Sunt & alia, de quibus fraternitatem vestram commonemus. Novit dilectio vestra, quantis impulsionibus aquarum locus noster coarctetur, eversionemque nobis ipsa inundatio cottidie minatur, & ni avertat misericordia Dei, ædium nostrarum maxima sumus damna passuri. Hyemali etenim proximo tempore, quod solito plus asperum inhorruit, pars quædam ædificij nostri glaciali inundatione corruit. Pesimus ergo, & in Domino

mino obſecramus, ut per parochiarum A. veſtrarum plebes veſtra commoneatur, ut auxilio ipſius, & oblationibus fidelium utcunque poſſint, clades noſtra & inundatio ipſa ſedetur.

CXLI.

Adriani IV. P. M. epiſtola ad Clerum Auguſtanum. Declarat Chonradum Ep. Auguſt. innocentem eſſe, gravisq; pœnæ ejusdem delatores condemnat.*

ab an. 1154.

Ex coævo Cod. fol. Biblioth. Weſſobrunenſis.

ADrianus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei dilectis filijs Clero, & Præpoſito *Auguſtenſi*, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Venerabilis frater noſter *Chunradus* Epiſcopus veſter pro illa controverſia & diſcordia, quæ inter eum & Canonicos ſuos, & quosdam Monachos agebatur, cum altera parte noſtro ſe conſpectui præſentavit, & hinc inde rationes & allegationes per nos ipſos, & fratres noſtros diligenter audivimus.

Poſt longam verò diſputationem eorum, auditis, & ſuſceptis teſtibus ex parte prædicti fratris noſtri, deficientibus adverſarijs ejus innocentiam ipſi plenè cognovimus. Inde eſt, quòd ab eorum impetitione omnino abſolvimus, & eosdem adverſarios ſuos omnes ab omni officio Divino ſuſpendimus, addentes, ut cuncti, qui in hac infamatione fuerunt, diſcalceatis pedibus infra octo dies poſt reditum ſuum per quamcunque portam Epiſcopus voluerit, ad Ec-D. cleſiam majorem veniant, a prædicto fratre noſtro pro ſua præſumptione veniam poſtulantes. Qua ſatisfactione ſuſcepta ipſe eis miniſteria divina reſtituat. Hanc verò pœnam adverſarijs ejus duximus infligendam. Illi verò, qui in tentationibus ſuis cum eo permanſerunt, habeant Apoſtolicam benedictionem & gratiam. Data *Beneventi* VIII. Idus Junij.

CXLII.

Henrici *Ducis Bajoariæ & Marchionis Auſtriæ Diploma, quo Is pratum quoddam proprietatis ſuæ Zemeruoprehtis vocatum, cum conſenſu conjugis ſuæ* Theodoræ, *Henrico Abbati & Conventui Monaſterij S. Petri, quod Salisburgi eſt, Solenniter donat.*

In nomine Sancte & Individue Trinitatis. *1156. Ex autogr. Archivi San Petrenſ. P. H.*

B. EGo *Heinricus* Dux *Bavvarie*, & Marchio *Auſtrie*. Si de rerum terreſtrium abundantia, divinitus nobis conceſſa, inopie pauperum Chriſti ſubvenire ſtuduerimus, abundantiâ, que eſt in turribus Jheruſalem, nos ipſorum interventu a Deo ditari confidimus.

Hac ergo confidentia & precibus dilecti nobis Abbatis *Heinrici* Monaſterij S. Petri, quod *Salzpurc* ſitum eſt, inducti: Scientes etiam, quòd pie memorie pater noſter *Liupoldus* Marchio Fratres illius Cenobij dilexerit, & Pre-C. dium *Dornpach* dictum, eis contulerit, pratum quoddam proprietatis noſtre *Zemeruoprehtis* vocatum, & predicto Predio ſatis vicinum, conſenſu dilectiſſime Conjugis noſtre *Dorothee* * prefato Monaſterio tradidimus. Huic autem traditioni, in *Wiennenſi* Civitate a nobis facte, interfuerunt de fidelibus noſtris *Otakarus* Styrenſis Marchio. *Rapoto* Comes de *Ortinperc*, *Gebohardus* Comes de *Purchuſin*, Advocatus ejusdem Monaſterij. *Chuonradus* Comes de *Halle* & filius ejus *Chuonradus*, *Heinricus* Comes *Scalah*. *Ekkebertus* Comes de *Butino*. *Liutoldus* Comes *de Pleigin* & filius ejus *Liutoldus*. *Adelbertus de Perge*. *Walchuon de Mahlant*. *Werinhardus de Jugilpach*. *Werinhardus de Idana*. *Chadoldus de Harroze*. *Werinhardus de Riede*. De Miniſterialibus noſtris *Adalbero de Purchartisdorf*. *Adalbero de Chuonirinc*. *Vodalricus de Stivina*. *Hartungus de Rubinekke*. *Otto de Levvisdorf*. *Poppo de Gruonipurc*. *Chuonradus Friunt*. *Werinhardus de Rabinſteine*. *Adelbertus de Horne*. *Adelbero de Cumpindorf*. *Hartnidus de Sahſingangi*. *Vodalricus de Su-*

* *aliàs* Theodoræ.

de Survirngin & frater ejus *Ruodigerus*. *Vodalricus* Eſil. *Marcevvardus de Hakkingin.*

Ne autem aliquam impoſterum Fratres ab heredibus vel Succeſſoribus noſtris de terminis ejusdem prati ſuſtinerent controverſiam, ſequenti die poſt traditionem factam comitantibus nos *Liutoldo* Comite & filio ejus *Liutoldo*, *Adeberto de Perge*, *Adalberone de Purchartisdorf*, *Vodalrico de Stivina*, *Werinhardo de Rabinſteine*, & alijs multis de Miniſterialibus noſtris, certos ipſius prati fines in preſentia Abbatis & fratrum ejus deſignavimus, per hoc eosdem fines certos facientes, quòd Abbati dedimus poteſtatem extirpandi ligna, que in ipſo prato ſuccreverant, ſecundùm deſignationem finium a nobis factam.

Vt autem hec noſtra Donatio ſtabilis in perpetuum & inconvulſa permaneat, paginam hanc inde conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Anno Dominice Incarnationis M.C.LVI.

CXLIII.

Heinrici I. Auſtriæ Ducis Diploma Primum Fundationis Abbatiæ Monaſterij B. V. Mariæ ad Scotos Viennæ Ord. S. Benedicti.

1158. ex autogr. P. H.

IN nomine Sancte & Individue Trinitatis. Ego *Heinricus* Dei gratia Dux *Auſtrie*, univerſis Chriſti fidelibus tam preſentibus, quàm poſteris, preſens ſcriptum inſpecturis ſalutem, de polliticis obſervantiam, & fidem in omnibus ſinceram. Ad viam ſalutis tendit, qui ea, que ad glorificandum Dei Filium pertinent, utpote facultas expoſcit, promovet, advertens, quòd ab eo ſemper, cui plus committitur, plus exigitur. Quare etiam expedit, ut quilibet è temporalium ſufficientia in laudem Dei & Sanctorum egentibus ſubſidia prebeat, ut eorum orationibus ſuffultus, & Sanctorum ſuffragijs confiſus, ſuorum remiſſionem valeat percipere delictorum.

Inde eſt, quod manifeſtum fieri volumus univerſis, quòd ex multiformi gratia Spiritus Sancti inter alias noſtri Patrocinatûs Eccleſias Abbatiam in honorem Dei, & laudem ſue Genitricis glorioſiſſime Virginis *Marie*, dein commemorationem Beati *Gregorij* in predio noſtro fundavimus, in territorio ſcilicet *Flavie*, que à modernis *Wienna* nuncupatur. Quamobrem noſtrum propoſitum & devotionem minimè latere volentes, univerſitatem preſentium ac futurorum, ac precipuè noſtrorum dilectorum ſucceſſorum, quòd ſub monaſtica Regula ad eandem noſtram fundationem novellam ſolos elegimus *Hybernienſes*, eò, quòd relatione Religioſorum, & de certa ſcientia novimus ipſorum laudabilem ſimplicitatem, favente Domino ac in Xpo Patre noſtro *Eberhardo Salzburgenſis* Eccleſie Archiepiſcopo, nec non Domino *Conrado* Fratre noſtro, Venerabili *Patavienſi* Epiſcopo, ſtatuentes ipſos in loco predicto commorandos, Deo ac intemerate Virgini ſtabiliter immutabiliterque, ac etiam robore noſtre auctoritatis perpetuò obſequendos: Tradentes utique locum jam nominatum cum omni plenitudine poteſtatis, cum univerſis rebus, mobilibus & immobilibus, cultis & incultis, ac decimationem coquine noſtre, quam à capitulo *Nevvenburgenſis* Eccleſie cognoſcimur abſolviſſe. Villam quoque in *VVirechperg* cum adjacentibus predijs, ad uſus & ſubſidium ſuſtentationis, Abbati & Conventui ejusdem noſtre fundationis deputavimus irrevocabiliter perpetuò poſſidendas. Advertentes inſuper, qualiter à nobis patrona digniſſima laudabiliùs venerari, juſtitiam civilem, ſervos & ancillas eidem noſtre fundationi preſtare dignum duximus & mancipare. Volentes etiam ac firmiter ſtatuentes, ne qui de colonis, mancipijs, ac alijs de attinentibus jam dicto Abbati & Conventui, pro requirendo judicio, ad nos vel Judices noſtros trahi debeant aut valeant, niſi pro ſanguinis judicio quò ad perſonarum decapitationem, & membrorum mutilationem diſcernitur pertinere, ſed premiſſarum cauſarum actiones coram Abbate vel ſuo Officiali pleniùs terminentur. Nec Judices ſeculares pro hujusmodi exceſſibus de rebus aut poſſeſſionibus talium hominum intromittere ſe audeant, aut preſumant, ſed ſimul mobiles & immobiles predicto Abbati & Conventui deſtinentur. Donantes

nantes inſuper talem ſepè memorate Ecclesie libertátem, ut in Abbatis electione noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum non interſit, ceu ſub Jure Fundatoris vel Patroni preſentia, petitio vel preceptum: Preſentis privilegij teſtimonio alius gentis Monachorum ſeu alterius profeſſionis Fratrum ſubſtitutionem penitùs excludentes, ſed ipſi in loco, & locus ipſis perpetuò maneat incommutabilis & inconvulſus.

Ceterùm utique in die conſecrationis Cimiterij ex ſincera benevolentia Domini ac Fratris noſtri *Chunradi*, Patavienſis Epiſcopi, & ex libera permiſ- B. ſione *Herbergeri* Plebani, & totius Cleri *VViennenſis* obtinuimus, ut circa ſitum Monaſterij â foſſato Curie noſtre usque ad Eccleſiam Sancti Joannis in *Als*, ſimulque usque ad locum, ubi ſe rivus, qui nominatur *Als*, recipere videtur in fluvium Danubij, hujusmodi habitatoribus territorij, liceat ſe cum noſtre Curie familiâ, hoſpitibus etiam & peregrinis in ſepulturis, ac aliàs omnia, ſicut in parochiali Eccleſia apud fratres Monaſterij, Eccleſiaſtica recipere Sacramenta. Veruntamen, ne quis de indulta hujusmodi gratia noſtre fundationis tam ſolemni piam Matrem Eccleſiam ſuo jure reputare valeat defraudatam, poſſeſſiones quasdam in ſtrata lanarum, que vulgariter dicitur Wollzeill / tradere in recompenſationem duximus premiſſorum eidem Plebano, ùt patet in inſtrumentis per nos ſibi preſtitis & confirmatis.

Eodem ſiquidem die ſepè dictam fundationem noſtram magis ac magis promovere cupientes, Sancte Marie in Littore, Sancti Petri, Sancti Rudberti, ac Sancti Pancratij infra muros oppidi capellas, capellam quoque Sancti Cho- D. lomanni in * *Loup*, & Sancti Stephani in *Chrembs*, ac etiam Sancte Crucis in *Tulna*, in *Pulka* & in *Eggendorf* parochias, quarum Patronatus ad nos plenè dignoſcebatur pertinere; tradidimus mera libertate, quidquid juris habere videbamur in jam dictis capellis & parochijs, ſub regimine Abbatis & Conventus conſiſtendum. Statuimus etiam ac robore noſtre auctoritatis confirmamus, ut quicunque metu ſue perſone pro commiſſo quocunque delicto intra ſepta Clauſtri profugus venerit, cuipiam ex- A. trahere non liceat, vel auſu temerario ei manus imponere violentas. Si quis verò huic noſtre ordinationi contraierit, reus Majeſtaris debite animadverſioni ſubjacebit. Porrò ne vel alicujus preſumptio vel ſe ingerens oblivio hunc noſtre donationis, inſtitutionisque infringere valeat tenorem, eum per preſentem paginam noſtrâ impreſſione roboratam, notum facere decrevimus poſteritati. Datum *Wienne* anno ab incarnatione Domini Milleſimo, centeſimo, quinquageſimo octavo. Indictione X. Teſtium nominibus adjunctis.

Heinrici de Sancta Cruce Ciſtercienſis Ordinis, *Herchenfridi* Medlicenſis & *Joannis* Chotvvicenſis Eccleſiarum Ordinis S. Benedicti Abbatum. De ordine Nobilium: *Liutoldi* Comitis *de Bleien*, *Engelberti*, Comitis de *Görs*, *Adelberti de Berga*, *Walkuni de Chlam*, *Vdalrici de Bernegge*, *Dieterici de Algerſpach*, *Bernhardi de Vilpach*, & *Heinrici* filij ſui, *Dietmari de Algiſt*, *Ottonis de Rechperch*. De ordine verò Miniſterialium, *Bernhardi de Lanzendorff*, *Alberonis de Burchersdorff*, *Heinrici de Miſtelpach*, *Chalhohi de Tulbingen* & C. Fratribus ſuis, *Alberoni & Irenfridi*, *Vdalrici de Tribanſvvinkel*, *Ortolfi* Camerarij. De ordine Capellanorum: *Marquardi de Nivvenburch*, *Rudberti de Munſter*. Prepoſitorum *Herandi de Dreskirchen*, *Heinrici de Polan*, *Peregrini de Zvvetel*, *Dieterici de Miſtelbach*, *Petri*, *Philippi*. Facta ſunt hec *Theodora* Venerabili Ducisſa favente, annuentibus quoque filijs ejus *Leupoldo* & *Heinrico*, nec non *Agneta* filia ipſius.

CXLIV.

Alexandri III. P. M.*

* ab an. 1159.

I.

Ad Fridericum I. Imperatorem. Miſſa ſibi auxilia majori detrimento ac oneri, quàm commodo & uſui fuiſſe. Itaque ut ſibi magis fida auxilia quamprimum mittat, & ipſum hæreticorum fontem exſiccet, hortatur.

A Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectiſſimo F. Romanorum Imperatori Aug. ſemper ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

POſtremæ litteræ, quas per peditem noſtrum veſtri magnificentia transmiſit

* nunc Laa.

miſit imperij, plurimum Sereniſſimæ dulcedinis habuêre, ſed inter duas clauſulas utilitatis omnino nihil, ſed majori fructu diuturna diffidentiæ præbentes. Vna enim nuntios transmittendos a curia, quæ a quarto decimo Kal. Novembris celebrari debuit : altera Marchiones omnes cum minoribus invitatos ad auxilium noſtrum pollicebantur venturos. Porrò venit ad nos N. cum ſeptuaginta pene militibus, qui ferè per quinque dies nobiſcum moratus, ſumpto pretio Judæ Scariothis, ſine licentia recedens plus nobis intulit debilitatis, quàm virium noſtris præſens vel abſens abſtulerit inimicis : amicos noſtros præſens potiùs impedivit, quàm præſens vel abſens noſtris nocuerit adverſarijs. *Fridericus* autem, poſtquam *Chunradi* adventum præſenſit, apud nos dignum reliquit memoria. Dum in exercitu eramus, quid facere conaretur, cum litteris frequenter invitatus & nuntijs, nihil boni reſpondiſſet, & ſuis potiùs commodis, quàm noſtris inhiare videretur (de quo plurimi fidelium aliud autumabant, quàm noſtra velit moderatio deſignare) exitus rerum ſatis intentionem cordium demonſtravit. Sed nodum quærit in ſcirpo, qui fidem ſperat in illo, cujus nunquam habuit dilectionem. In hoc fallimur potiſſimùm. Neque enim nobis non eſt inutile. Neque enim credimus, quòd veſtra putet diſcretio, nos de veſtra parte aliquid habere præſidij, cùm nobis omnibus plus nocuerit, quàm juviſſe exiſtimatur. Inde nobis tot pericula, tot anguſtiæ quot & quanta ſcribere nequimus. Et dum putamus evadere, auxiliorum penuriâ & conſumendo tempora in graviora dilabimur juxta vulgi proverbium : *expectando, expectando tranſijt tempus.* Ne quando dicite : quæ ſit tanta ſævitia, unde manſuetudini veſtræ talis potuit impietas contingere, quod noſtri voluiſtis obliviſci nunc in tantis porrigere manum periculis, ut mirentur omnes, & vos ipſi criminentur inimici, ut aliud tractare affirmetur, atque aliud lingua proferre, unde terror fidelibus, & hoſtibus audaciæ fomenta parantur? Teſtis noſtræ altiſſimus eſt conſcientiæ, cujus intuitus omnium ſecretorum rimatur arcana. quòd pro veritate, fidei defenſione, clementiſſime fili, nihil eſt nobis ſub ſole carius. Illa patimur, quæ intoleranda videntur : Ne locum victoriæ hæreticorum ſuperſtitio reperiat, aut veritas mendacio ſuccumbat, vel ſanctorum Patrum auctoritas deſtruatur, aut veſtri dignitas imperij, quod ad juvamen regiminis Eccleſiæ Deus inſtituit, in nihilum redigatur. Non veſtra turbetur gloria, nec ulla conſumat deſperatio : quia ſi velociter veniretis, vel ſubſidium mitteretis contrarium hoſtibus, Divina opitulante gratia, certiſſimè potiremur [victoria]. Dilectionem * veſtram fidei ſinceritate non dubitamus fili glorioſe, quòd erga plurimos pro juſtitiæ veritate conſervanda vos pugnare didicimus. Si quis fluvium velit decurrere, priùs fontem oportet eum ſiccare. Fontes hæreticorum ſecunda Babylonia deſignatur. Annitendum eſt igitur, *Romam* omnium malorum originem perſecutionum ignibus exſiccare, ut per orbem terrarum gurgites in omni nationum genere deſinant redundare, qua ſubjecta levius, quàm putetis, cætera ſedabuntur, qua furente continuis reliqua diſcordijs vexabuntur.

2.

Ad Rectores Marchiæ de pace cum Imperatore Friderico, quæ nunquam confirmanda ſit, niſi ipſis pariter conſulatur.

A Servus ſervorum Dei, dilectis filijs, Rectoribus Marchiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Intelleximus ex litteris, quas veſtra nobis devotio deſtinavit, quomodo Imperator non dubita fingere inter nos & ipſum pacem eſſe firmatam. Sed quicquid dicat ipſe, quicquid dicant & alij, illud volumus vos pro certo tenere, quòd inter nos & eundem Imperatorem pax non eſt juramento vel ſcripto firmata, quamquam inter nos & ipſum diu ſit de pace tractatum. Licèt autem *Maideburgenſis* Archiepiſcopus, O. Cancellarius, *Warmatienſis* electus, & Protonotarius Imperatoris ad nos ab eodem Imperatore pro pacis reformatione transmiſſi apud nos multum inſtarent, ut pacem Eccleſiæ redderemus, nunquam tamen nos potuerunt inducere, ut pacem Eccleſiæ ſine veſtra & regis *Siciliæ*, & alio-

& aliorum adjutorum Eccleſiæ vellemus recipere. Et ideo ut commodiùs de pace noſtra & veſtra tractent, ad partes veſtras, quantumcunque labor ſit ætati noſtræ contrarius, diſpoſuimus adjunctis nobis nuntijs ejusdem regis in perſona propria laborare. Vos itaque viriliter agite, & in Domino confortamini, ac veſtro pio propoſito perſiſtentes, donec pax conſummet ſocietatem veſtram, in eodem propoſito propenſiùs ſolidandam, certi pariter & ſecuri, quòd pax firmata non eſt, nec auctore Deo firmabitur ſine veſtra.

3.

Ad Præpoſitos Salzburgenſem & Gurcenſem, de impedito adventu Henrici Cardinalis. Falſum eſſe, ſe depoſitionem Adalberti Archiep. Salzb. intendiſſe &c.

Ex Cod. Windberg.

A. Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filijs *Salzpurgenſi* & *Gurcenſi* Præpoſitis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUm toties replicetis oppreſſiones & anxietates, quibus Eccleſia veſtra affligitur, vobis ſuper his mentis affectu compatimur & condolemus: & ſi non verbo veſtro ac conſilio fratrum veſtrorum ſeu conſcientia vos inveniſſemus, quod vobis ſuper tantis laboribus & preſſuris conſilium & auxilium poſſemus impendere, toto deſiderio impendiſſemus. Nam in eo ſumus deſiderio & propoſito conſtituti, ut eidem Eccleſiæ, quam in devotione S. Petri & noſtra ita ſolidatam atque firmatam [videmus], ut neque ventorum turbine, nec tempeſtatum procellis a ſuæ potuerit conſtantiæ virtute divelli, pro noſtri officij debito gratanti animo velimus intendere, & his, quæ ad incrementum & conſervationem ejus pertineant, promptam diligentiam adhibere. Totius namque humanitatis & rationis videremur obliti, ſi tantæ devotionis eſſemus immemores, & oblivione aliqua prætermitteremus moleſtias & perſecutiones, quas pro amore juſtitiæ immobili firmitate noſcitur pertuliſſe.

De cæterò licèt nobis ſignificaveritis, quòd dilecto filio noſtro H. Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, plenam ſecuritatem inveniſſetis, quo tutè poterat & ſecurè ad prædictam Eccleſiam accedere, ipſe tamen longè aliter nobis ſignificavit, quòd, cùm uſque ad *Tarviſium* perveniſſet, & ibi per dies aliquot expectâſſet, nec vos nec alios obviam habuerit, qui ei ſecurum ad deſtinatum locum commeatum præſtarent: & Rectores Marchiæ dubitantes & timentes, ne ſine ipſis cum F. dicto Imperatore pacem componeremus, eidem Cardinali prohibuerunt, ne ultra progrederetur.

Præterea nuntij venerabilis fratris noſtri A. *Salzpurgenſis* Archiepiſcopi coram nobis & fratribus noſtris conſtanter propoſuerunt, quòd ei litteras noſtras, quibus illi mandaveramus, ut ad vocationem Cardinalis veniret, nullatenus reddideritis, ſed per *Bavvariam*, *Boloniam* & *Boëmiam*, *Germaniam* & *Vngariam* publicè feceritis prædicari, quòd depoſitionem & ejectionem prædicti Archiepiſcopi omnino intenderemus. In quo utique gravati ſumus & plurimùm turbati, & non modicum eſt honeſtati noſtræ detractum, & fama noſtra lacerata apud multos, qui fortè aut intentionem noſtram ignorabant, aut detrahendi & inſultandi nobis libenti animo materiam & occaſionem quærebant. Adjecerunt inſuper, quòd Archiepiſcopus nulla ratione potuiſſet habere ducatum, & quòd Prælati non valuiſſent ad Eccleſiam illam tutè accedere, ſed unus ex eis, qui majori ſe credebat patrono fretum, ſpoliatus fuiſſet in reditu, & inhoneſtè ſatis & indecenter tractatus.

Suggeſſerunt quoque, quòd litteras, quas pater ejus a prædicto Imperatore obtinuit, recipere noluerit, ſed omnino earum abhorruerit adimplere tenorem, volens in fide Katholica & devotione Eccleſiæ ac noſtra firmiter permanere. Pater ejus non ea conſideratione jam dictas litteras, ſicut dicitur, impetravit, quòd ipſum vellet a Katholica unitate recedere, ſed ut Imperatoris animum inquireret, & ejus expreſſiùs cognoſceret voluntatem, per quod daretur [intelligi], quòd Imperator non tantùm quæreret & concupiſceret, quòd Eccleſiam *Salzpurgenſem* ordinaret, ſed ut ab obedientia & devotione Romanæ Eccleſiæ fieret aliena. Sanè cùm uni nuntiorum præfati Archiepiſcopi, qui

adhuc præſens erat, propoſuiſſemus, A. quòd Archiepiſcopus ornamenta Eccleſiæ cuidam ſortilegæ & incantatrici delegâſſet, id omnino negavit, & falſum prorſus aſſeruit. Et quia ſcripta veſtra varia & diverſa intendimus, cùm vos ſub uno ſigillo ex parte totius Capituli & Prælatorum *Salzpurgenſis* Archiepiſcopatus contra eum ſcribitis, & nuntij Archiepiſcopi multorum, & eorum ferè Prælatorum ſcripta ſub ſigillis ſingulorum affirmaverint, cum omni inſtantia noſtram auctoritatem poſtulantes, nos ei non poſſumus nec debemus noſtrum B. denegare auditum, vel cauſam illius alijs judicibus committere. Quippe qui noſtrum elegit examen, & apud nos, ſiqui voluerint eum . . ſolummodo poſtulat judicari. Neque vos debetis ei obedientiam & reverentiam debitam ſubtrahere, ſed devoto animo & humili ſpiritu exhibere. Data . . II. Id. Junij.

4.

Ad Hartmannum Ep. Brixinenſem : ut C. *quosdam Tegernſeenſium prædiorum invaſores, ni ablata illico reſtituant excommunicet.*

BRixienſi Epiſcopo. Significaverunt nobis dilecti filij noſtri Abbas & fratres de Monaſterio S. Quirini, quòd cùm nobiles viri H. & D. Comites quædam allodia eorum Monaſterio pia devotione dediſſent, quidam parochiani tui ea per violentiam occupârunt, & adhuc in ſuæ ſalutis periculum detinere contendunt. Quoniam igitur ſacris Dei D. Eccleſijs propenſiùs convenit nos adeſſe, & inſolentiam compeſcere malignorum, ſi quando in eorum bona auſu temerario debachantur, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus, ſi res ita ſe habet, detentores allodiorum ipſorum ſtudioſè moneas, & diligenter inducas, ut ea memoratis fratribus ſine difficultate reſtituant, & in pace dimittant. Si verò monitis tuis acquieſcere fortè noluerint, eos contradictione & appellatione remota vinculo excommunicationis aſtringas, & usque ad dignam ſatisfactionem ſicut excommunicatos faciat evitari.

5.

Ad Othonem I. Ep. Friſingenſem : ut in cauſa prædij, ab Ottone Comite Palatino reddendi, Monachis Tegernſeenſibus faveat.

OFriſingenſi Epiſcopo.
Ad noſtrum ſpectat officium, venerabilia & religioſa loca diligere, & eorum rectores tam per nos ipſos, quàm per fratres noſtros Epiſcopos caritate debita confovere, quatenus & Deus honorificetur in nobis, & Eccleſiarum pax atque tranquillitas, quantum facultas noſtra ſubpetit, conſervetur. Ideóque dilectos filios noſtros C. Abbatem, & fratres *Tegrinſenſis* Monaſterij, qui ſub B. Petri, & noſta defenſione conſiſtunt, fraternitati tuæ duximus commendandos, rogantes, ut eos diligas, & honores, & de querimonia decimarum & cujusdam prædij, quam habent adversùs O. Palatinum Comitem, cùm apud te conqueſti fuerint, debitam eis juſtitiam facias, & locum ipſum in ſua libertate manu teneas & defendas. Data *Signiæ* XVI. Kal. Decembr.

6.

Ad Eberhardum Archiepiſcopum Salzb. ut Comitem Ottonem tam diu excommunicatum habeat, dum de ablatis Monaſterio Tegernſ. decimis, eidem ſatisfaciat.

S*Alzburgenſi* Archiepiſcopo.
Ex parte dilecti filij noſtri abbatis *Tegrenſenſis* adversùs nobilem virum, *Ottonem*, Comitem Palatinum, iteratam nuper querelam accepimus, qui quasdam decimas, quæ ad jus commiſſæ ſibi Eccleſiæ, ſicut aſſerit, ſpectant, ipſi per violentiam auferat, & reddere contradicat. Nos igitur quia in ſua juſtitia ei deeſſe nec poſſumus, nec debemus, per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatinus eundem Comitem diſtrictè commoneas, ut vel decimas ipſas Eccleſiæ ſuprà dictæ reſtituat, vel in tua præſentia debitam ſuper hoc eidem Eccleſiæ juſtitiam faciat. Quòd ſi neutrum horum facere voluerit, ipſum vinculo excommunicationis ſubijcias, & tam diu ſub eodem vinculo eum teneas religatum, donec alterum ſupradictorum adimplere cogatur.

7. *Ad*

7.

Ad eundem: ut Ottonem filium Ottonis Comitis Palatini adigat ad præstandam pro illata injuria satisfactionem Ottoni Ep. Frisingensi, aut nolentem excommunicet, fratrésque Monasterij Tegernſ. sibi commendatos habeat.

E. Salzpurgensi Archiepiscopo.

Ex parte venerabilis fratris nostri O. *Frisingensis* Episcopi adversùs *Ottonem*, filium *Ottonis* Palatini Comitis, gravem querelam accepimus, qui eum, dum Missarum sollemnia celebraret, gravibus contumelijs afficeret, & reverentia Dei postposita inhonestè tractavit: quod quàm grave, & quàm districta sit animadversione plectendum, eorum, qui rectè sapiunt, discretio non ignorat. Ne igitur tantus excessus in Ecclesia Dei remaneat impunitus, & flagitiosis hominibus in Ecclesiasticas personas sæviendi facultas præstetur, per præsentia scripta fraternitati tuæ mandamus, quatinus prædictum *Ottonem* districtè commoneas, ut de tanto excessu prædicto fratri nostro condignam satisfactionem exhibeat. Quòd si monitis tuis obedire contempserit, ipsum *Ottonem* excommunicatum denunties, & excommunicationis sententiam tam diu serves, & facias firmiter observari, donec de tanto excessu Deo & Ecclesiæ condignè satis faciat.

Præterea nihilominus fraternitati tuæ mandamus, quatenus dilectos filios nostros Abbatem C. & fratres *Tegrinsenſis* Monasterij pro B. Petri & nostra reverentia in suo jure manuteneas, & defendas, & de querimonijs suis, quas tibi ostenderint, debitam eis justitiam facias. Data *Signiæ* XI. Kal. Decemb.

8.

Ad Albertum Episc. Friſing. Scribit se ejus adventûs fama vehementer gavisum, spondetq; omnem benevolentiam, & humanitatem.

A. Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri A. Episcopo *Frisingensi* salutem & Apostolicam benedictionem.

Antiqua familiaritas, & sincera devotio, quam te circa matrem tuam, Sa-

A. crosanctam Romanam Ecclesiam, & specialiter circa personam nostram exhibere comperimus, nos ad amorem tuum ferventem inducit, & ad exhibendam tibi gratiam & honorem vehementer accendit. Inde est, quòd nos audito, te velle ad præsentiam nostram accedere, gaudio gavisi sumus, & personam tuam libenter videbimus, & in eo, quod decuerit, honorare, Domino largiente, curabimus & honestè tractare.

9.

B. *Ad Monachos Biburgenſes. Mandat, ut Abbatem ſuum Heinricum, a Petrenſibus electum, eisdem concedant.*

A *Lexander* Episcopus servus servorum Dei, dilectis filijs, *Biburgensis* Monasterij fratribus, salutem & Apostolicam benedictionem. *Ex Cod. S. Petrensi Salisb. fol. S. 42. coæva manu.*

Dilecti filij nostri, fratres Monasterij S. Petri *Salzp.* transmissa nobis supplicatione rogârunt, ut sibi dilectum filium nostrum H. abbatem vestrum, quoniam de consortio illorum assumptus, &

C. inter eos nutritus fuit, in Abbatem concedere deberemus. Vnde, quoniam, sicut ex litteris venerabilis fratris nostri C. Archiepiscopi *Salzp.* accepimus, in ipsum omnium vota concordant, & sicuti ipsi faciles in illo vobis concedendo fuerunt, sic & vos eis in hoc assentire debetis, universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus prafati Monasterij fratribus jam dictum abbatem, cùm [ab] Archiepiscopo & ab eis requisitus fuerit, concedatis, & in aliam personam idoneam & honestam pariter conveniatis, quæ vo-

D. bis præesse possit & prodesse, & Monasterium, auctore Domino, providè gubernare. Data *Beneventi* * 1167. *VIII. Kal. Decembr.* *recentiori manu.

10.

Ad Heinricum Abbatem Biburgenſem; ut ad Abbatiam S. Petri Salisburg. transeat.

A *Lexander* Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio *Heinr. Biburgen.* Abbati, salutem & Apostolicam benedictionem. *Indidem.*

Dilecti filij noſtri, Monaſterij S. Petri *Salzp.* transmiſſa nobis ſupplicatione rogârunt, ut te ſibi in abbatem atque Magiſtrum, quoniam de conſortio illorum aſſumptus, & inter eos nutritus fuiſti, concedere deberemus. Vnde, quoniam, ſicut ex litteris venerabilis fratris noſtri C. Archiep. *Salzpurgenſis* accepimus, in te omnium vota concordant, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus, cùm ab eodem Archiepiſcopo, & a fratribus præſcripti Monaſterij fueris requiſitus, ad idem accedas, & ejus curam & regimen indubitanter aſſumas: fratres quoque illius Monaſterij, in quo modò exiſtis, ab obedientia tua prorſus abſolvas, ut alium ſibi in Abbatem, idoneum & honeſtum valeant providere. In his quoque tibi omnino præcaveas, ne de rebus ipſius Monaſterij, niſi de licentia fratrum fuerit, aliquid tecum asportes. Datum *Beneventi* * 1167. *VIII. Kal. Octobr.*

*recentiori manu.

II.

Ad Adelbertum Archiep. Salzburg. Falſum rumorem eſſe, qui ſuum ab eo animum averſum eſſe nuntiavit. Ceterum ad ſe in Langobardiam veniat, juſtam ſententiam auditurus.

Ex Cod. Tegernſ.

A Dei gratia Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectiſſimo fratri A. *Salzburg.* Archiepiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Significavit nobis vir H. fidelis & familiaris tuus, fraternitati tuæ firmiter aſſeveratum fuiſſe, nos adversùm te tantam indignationem gerere, ut omnino ad depoſitionem tuam intendere videamur, & laborare. Quo audito mirati ſumus, & turbati, & neſcimus, unde hujusmodi tibi de nobis potuerit ſuſpicio provenire, cùm te diligamus, ſicut venerabilem fratrem, & ſinceræ charitatis brachijs amplexemur. Verùm cùm in eo ſimus loco & officio, quamquam immeriti, providente Domino, conſtituti, ut ſingulis debeamus, quæ juſta & recta ſunt, providere, & non aures Apoſtolicas juſtitiam quærentibus obdurare, non debet tibi mirum exiſtere, nec tu minus de gratia noſtra debes præſumere, ſi te ad præſentiam noſtram vocavimus, volentes cognoſcere, & videre, ſi vera ſunt, quæ de te auribus noſtris noſcuntur intimata. Quapropter confidenter & ſecurè omni dubitatione ſepoſita in *Longobardiam* ad [noſtram] præſentiam accedas: quia nos perſonam tuam libenter videbimus, & benigniùs te audiemus, & tibi, quantum nobis Dominus dederit, juſtitiam tuam ſtudebimus conſervare, & in cauſa tua judicium juſtum proferre.

I 2.

Ad eundem: ut quosdam Tegernſeenſis apud Salinas allodij invaſores aut ad reddenda ablata, aut ad juris ſui probationem, etiam intenta excommunicatione adigat.

S *Alzburgenſi* Archiepiſcopo A. ſalutem & Apoſt. ben.

Ex quæſtione Abbatis & fratrum S. Quirini auribus noſtris inſonuit, quòd H. C. & eorum filij quoddam jam prædium dicti Monaſterij, poſitum in loco *Salinarum* per violentiam occupatum, indubitanter detinent. Quoniam igitur jura religioſorum locorum cogimur ex noſtri officij debito conſervare, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus memoratos viros ſtudioſè moneas, & inducas, ut præfatis fratribus allodium prædictum ſine difficultate reſtituant, vel in præſentia tua juſtitiæ non differant plenitudinem exhibere. Si verò neutrum horum commoniti fecerint, ipſos ad alterum exequendum noſtra & tua auctoritate, occaſione & contradictione ceſſante per excommunicationis ſententiam cogere non poſtponas.

indid.

I 3.

Ad Eberhardum Præpoſitum Dietrammcellenſem: ut Abbati Tegernſ. certum de quadam eccleſia penſum perſolvat, aut in judicio Epiſcopi Friſing. negationis ſuæ rationem reddat.

A Dilecto filio E. Præpoſito *Cellæ de Dietrammi.* A. felicis memoriæ prædeceſſore noſtro *Vrbano* Papa eſt inſtitutum, & usque ad hæc tempora ab his, qui ei ſucceſſerunt, obſervatum, ut Clerici, qui Parochiales Eccleſias Monachorum detinent, Diœceſano Epiſcopo de

de cura animarum, Abbati & Monachis de temporalibus debeant reſpondere. Tu verò, ſicut nobis aſſeritur, ſuper Eccleſia, in fundo dilecti filij noſtri *Tegrinſenſis* Abbatis fundata, & ad jus ſuæ Eccleſiæ pertinente, ſecundùm antiquam, & rationabilem conſuetudinem eidem abbati in temporalibus renuis reſpondere. Quocirca per Apoſtolicam ſententiam tibi præcipimus mandando, quòd vel ea, quæ de Eccleſia ipſa memoratus Abbas conſuevit habere, ſine ulla contradictione exſolvas, vel plenam exinde juſtitiam in præſentia dilecti filij noſtri *Frinſingenſis* Epiſcopi eidem abbati, cùm ab eo propter hoc fuerit evocatus, exhibeas.

14.

Ad Cardinales in Langobardiam Legatos: Quid hactenus ſpei dederit Friderici Imp. nuntijs de pace Eccleſiæ acturis. Jubet, ut Langobardos in fœdere confirment &c.

A Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbytero, & *A. S. Theodori Diacono Cardinali, Apoſtolicæ Sedis legatis.

*Ardicioni.

Pro tractata pace, de qua in *Lombardia* & in alijs locis verbum fuerat motum, nuntios F. dicti Imperatoris, videlicet *Madeburgenſem* Archiepiſcopum, C. Cancellarium, *Warmatienſem* electum, & A. Protonotarium ejusdem Imperatoris recepimus, inſtanter & conſtanter firmantes, eundem Imperatorem circa pacem ferventiſſimum gerere animum, & voluntatem. Qui cùm vehementer apud nos inſtitiſſent, ut ad pacem inter Eccleſiam & Imperatorem complendam intenderemus, nec poſſent obtinere, quòd ſine *Lombardis*, aut ſine Rege *Sicilie*, vel *Conſtantinopolitani* Imperatoris pacem ad plenum & ad ſolidum ſtatueremus, tandem ne videremur pacem fugere, quam toto mentis affectu deſideramus, vel materiam calumniandi præbere, diſpoſuimus ad inſtantiſſimam ipſorum nuntiorum petitionem ad partes *Lombardie* adpropinquare, ut ſecuriùs, & liberiùs tractatum poſſimus pacis habere. Condiximus etiam, ut Regi *Sicilie* per litteras noſtras ſignificaremus, quòd ſine tarditate nuntios ſuos dirigeret, qui pacis tractatui intereſſent. Ideoque prudentiam veſtram monemus, mandamus, atque præcipimus, quatenus rectores & Conſules ſocietatis *Lombardie* ſollicitare & monere curetis, ut ad quem locum ſecuriùs applicare poſſimus, & liberiùs & honeſtiùs de pace tractare, nobis ſine dilatione ſignificet, & interim ſocietatem & unitatem ſuam, ne ullum poſſitis obſtaculum ſuſtinere, conſolidet & confirmet. Vos verò voluntates & animos ipſorum inveſtigetis pleniùs, & nobis, quicquid apud eos inveneritis, & quid conſilij inde ſit, voluntatis noſtræ ſollicitudini cum omni feſtinantia ſignificetis, & ad corroborationem & conſervationem prædictæ unitatis invigiletis.

15.

Ad Eberhardum Archiep. Salzburg. Ut Gerhoho Præpoſito Reicherſperg. ſilentium ſuper quibusdam de fide diſputationibus perſuadeat & imponat.

Ex Cod. Admontenſi.

A *Lexander* Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri E. *Salzburgenſi* Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm dilectus filius noſter Magiſter G. Præpoſitus de *Richersperge* ſuas nobis litteras deſtinâſſet, in quibus capitula quædam continebantur, quæ eo, & alijs decertantibus in quæſtionis ſcrupulum devenerunt, nil certi ſuper eisdem capitulis duximus reſpondendum: quia niſi eum & alios coràm poſitos audiremus, non fuit viſum nobis ſuper eis tam facilè proferre ſententiam, & cujusvis partis tantùm rationibus allegatis aliam inauditam & indefenſam præcipti judicio condemnare. Verùm quoniam nullas utilitates cognoſcimus ex hujusmodi diſceptationibus provenire, & potiùs poſſent inducere ſimplices in errorem, quàm aliquid emolumenti conferre, qui utique paſcendi ſunt velut aſinæ juxta boves, Præpoſito prædicto conſuluimus, & modis omnibus perſuaſimus, ut ſuper hujusmodi diſputationibus, quæ de fide ſunt, tam ipſe, quàm altera pars de cætero nulla ratione procedant, ſed profanas novitates verborum modis omnibus evitantes ſecundùm ſimplicem veritatem, à Beato Athanaſio ab Eccleſia generali receptam, & juxta aliorum aſſertiones

tiones Patrum in doctrina Catholicæ fidei ambulent, & his contenti terminis, quos posuerunt Patres nostri, nihil ultra, citraque progredi præsumant. Quocirca Fraternitati Tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus prædictum Præpositum & cæteros ab hujusmodi ulteriùs disputationibus, præsertim in publicis conventibus, abstinere instanter ex tua, & nostra parte moneas, & omni cum districtione compellas. Data *Senonibus* undecimo Kalendas Aprilis.

16.

Ad Gerhohum Præpositum Reichersbergensem, cui silentium super ijsdem de fide disputationibus imponit.

Indid. ALexander Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Magistro G. Præposito de *Richersperge* salutem & Apostolicam benedictionem.

Sinceræ mentis integritatem, & integram devotionem, quam te, & fratres tuos circa Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, & specialiter circa personam nostram credimus laudabiliter exhibere, diligentiùs attendentes, fervens propositum & promptam gerimus voluntatem honori & incremento vestro libenter intendere, & gratum nobis est quotiens nuntiorum opportunitate susceptæ possumus vos Apostolicis litteris visitare. Inde utique fuit, quòd & alia vice nostra vobis scripta transmisimus. Et nunc etiam per latorem præsentium alia nihilominùs destinamus, ex quorum tenore scire te, & ipsos volumus, & in veritate cognoscere, quòd vos sicut speciales & devotos Ecclesiæ filios sincera in Domino charitate diligimus, & in quantum cum Deo & honestate possumus, personas vestras intendimus & cupimus honorare.

Quantò autem majori circa vos vinculo charitatis adstringimur, & ad honorem & profectum vestrum propensiùs aspiramus, tantò libentiùs ea tibi suggerimus, quæ ad salutem animæ, & ad honestatem corporis cognoscimus pertinere. Sanè super illis capitulis, quæ te & alijs decertantibus in quæstionis scrupulum devenerunt, quæ utique nobis tuis litteris innuisti, nil certi duximus respondendum, *& cætera, ut supra in litteris scriptis ad Archiepiscopum.* Nos enim Venerabili fratri nostro *Salzburgensi* Archiepiscopo dedimus in mandatis, ut te & illos ab hujusmodi ulteriùs disputationibus, præsertim in publicis conventibus, abstinere moneat multipliciter, & compescat, ne hujusmodi verborum novitate corda rudium & simplicium seducantur, & in erroris, quod absit, semitam incidere compellantur. Data *Senonibus* undecimo Kalendas Aprilis.

17.

Ad Fratres Cartusiæ Seitzensis, quos, ut sanctè ac ad Ordinis sui normam vitam exigant, hortatur.

Alexander Episcopus, Servus servorum Dei, dilectis filijs, Abbati & fratribus Cartusiensibus *in Valle S. Johannis* morantibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex Arch. Seitz. CUm Divina inspirante gratia Mundo & pompis ejus penitus abrenuntiantes, in districtæ religionis habitu soli Domino elegeritis militare, decet vos divitias seculi & blandimenta respuere, tribulationes, angustias & paupertates patienti animo sustinere, ut eorum participes effici mereamini, quibus dictum est: *beati pauperes spiritu, quoniam ipsi possidebunt terram:* Ideoque discretionem vestram per Apostolica scripta monemus attentiùs, & exhortamur in Domino, quatenus religionem & honestatem Ordinis vestri & clausstri custodiam incessanter, sicut convenit, observantes, ita operibus charitatis studeatis diligentiùs insudare, quòd exinde creatori vestro possitis meritò complacere, & æternæ retributionis præmia, auxiliante Domino promereri. Nos enim dilectum filium nostrum, Nobilem Virum *Otocharum Marchionem Styrensem*, per nostra scripta attentè rogavimus, ut vos propensiùs diligat, manuteneat & honoret, & vobis in faciendis domibus vestris consilium conferat & auxilium opportunum. Datum *Venetijs* in *Rivo* alto II. Kal. Aprilis.

18. *Idem*

18.

Idem confirmat omnia bona, poſſeſſiones, & privilegia Monaſterij SS. Aniani & Marini in Rot ad Oenum fluvium.

A *Lexander* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filijs *Herpordo Rotenſi* Abbati, ejusdémque fratribus tam præſentibus, quàm futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incurſus aut eos a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, ut præfatum Monaſterium, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri, & noſtra protectione recipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes, ut quascunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem Monaſterium in præſentiarum juſtè & Canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu alijs juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis.

Rota videlicet, in quo ipſum Monaſterium ſitum eſt, cum eccleſia, decimis, terminis, & appendicijs ſuis. In parochia *Chemeringen* cum eccleſia *S. Pancratij*, decimis & appendicijs ſuis. *Paſtetten*, *Ottingen*, *Asken*, *Niuvarn* cum eccleſia ejusdem loci, decimis, terminis & appendicijs ſuis. *Volkmariſtorff* cum vineis & agris vinitorum. *Erigolteshuſen* cum inveſtitura Eccleſiæ ejusdem loci, decimis, terminis & appendicijs ſuis. Prædium, quod dicitur *Rota*, quod adjacet flumini *Glane* cum inveſtitura eccleſiæ, deciminis, terminis, & appendicijs ſuis. *Harte*, *Bruintal* manſum apud *Truchteringen*, *Helpfendorf*, *Tuntinhuſen*, *Warte*, *Veriſtetten*, *Durholz*, *Walshe*, *Cholenthal*, *Billerſe* per totum cum inveſtitura eccleſiæ, decimis, terminis, & appendicijs ſuis. In *Luichental Stigen*, *Wiſinthſvvanch*, *Griescinovve*, *Grantovve*, *Barne*, & quicquid Comes *Cuno* a *Strich* usque ad *Jochperch* habuerat præter unam manſionem apud *Wiſinchſvvank*, quam filiæ ſuæ ad portandum tradiderat. Apud *Halle* patellam ſalis, & locum patellæ. In *Stubeia* duos manſos. In *Bibetal* ſtabularem curiam. Ad *Flones* duos manſos. Ad valle in monte, qui dicitur *Ritino*, quinque manſos. Ad *Suſſan* in *Bozen* curiam & vineas. Ad *Poblice* & in ipſa villa curiam & vineas. In *Karinthia* caſtrum, quod dicitur *Vrſen*, & circa caſtrum LX. manſos. Juxta *Moram Flachſaha*, juxta *Liesnichte Meihhenſtein*. In Marchia juxta *Rabam* fluvium *Chuninberge* cum terminis, & appendicijs ſuis. In Oriente *Breitenovve*, *Souarzaha*, *Luitpranſtorf*, *Snozindorf*, *Hederiſchevverde*. Juxta Danubium verſus Hungariam *Viſchkegemunde*, *Chrunbinuzbonne* cum terminis & appendicijs ſuis. Vltra *Chambe*, *Cheſtingen*, & *Nezvveringen* cum inveſtitura Eccleſiæ, decimatione, teloneo, terminis & appendicijs ſuis. Juxta flumen, quod dicitur *Naba*, *Vnricheſtorf*. Curiam *Ratiſpone* juxta S. *Caſſianum* cum atrio per circuitum, & ædificijs. In *Suevia* villa, quæ dicitur *Eſſingen*.

Sepulturam quoque loci illius liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati ſint vel interdicti, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia parochialium eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, ſuppreſſa voce, non pulſatis campanis, divina officia celebrare. Prohibemus inſuper, ut nulli fratrum veſtrorum poſt factam in eodem loco profeſſionem aliqua levitate ſine Abbatis ſui licentia fas ſit de clauſtro diſcedere; diſcedentem verò absque communium litterarum cautione audeat retinere, niſi obtentu arctioris religionis. Sanè novalium veſtrorum, quæ proprijs manibus vel ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus a vobis decimas præſumat exigere. Obeuntè verò te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia

lentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum pars ſanioris conſilij ſecundùm Dei timorem, & B. Benedicti Regulam prævideriut eligendum.

Decernimus ergo, ut nulli hominum omnino liceat præfatum Monaſterium temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ authoritate, & Diœceſanorum Epiſcoporum Canonica juſtitia. Ad indicium autem hujus, a Sede Apoſtolica perceptæ protectionis Byzantium aureum nobis, noſtrisque ſucceſſoribus annuatim perſolvetis.

Si quæ igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honorisque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem, eidem loco jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego *Alexander* Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus SS.
Ego *Huba. Hoſtienſis* Epiſc. SS.
✠ Ego *Joh.* Presbyter Card. SS. Jo. & Pauli tit. Pamachij ſſ.
✠ Ego *Joh.* Pres. Card. tt. S. Anaſtaſiæ ſſ.
✠ Ego *Joh.* Pres. Card. S. Marci SS.
✠ Ego *Theod.* Pres. Card. S. Vitalis tt. Veſtinæ ſſ.
✠ Ego *Hugo* Presb. Card. tit. S. Clem. ſſ.
✠ Ego *Ard.* Pres. Card. tit. S. Crucis in Jeruſalem ſſ.
✠ Ego *Matthæus* Presb. Card. tt. S. Marcelli ſſ.

A. ✠ Ego *Jac.* Diac. Card. S. Mariæ in Coſmedin ſſ.
✠ Ego *Ardicio* Diac. Card. S. Theodori ſſ.
✠ Ego *Laborans* Diac. Card. S. Mariæ in Porticu ſſ.

Dat. *Laterani* per manum *Alberti* S. R. E. Cardin. & Cancellarij II. Non. April. Indict. XII. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXVIIII. Pontificatus verò PP. *Alexandri* PP. III. anno vigeſimo.

19.

B. *Idem confirmat poſſeſſiones, privilegia & omnia bona Monaſterij Formbacenſis in Boiaria.*

ALexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filijs *Henrico* Abbati *Formbacenſis* Monaſterij, ejusque fratribus tam præſentibus, quàm futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Officij noſtri nos hortatur authoritas pro Eccleſiarum ſtatu ſatagere, & earum quieti, & utilitati, auxiliante Domino impoſterum providere. Dignum namque eſt, & honeſtati conveniens eſſe dignoſcitur; ut, qui ad Eccleſiarum regimen aſſumpti ſumus, eas a pravorum hominum nequitia tueamur, & Apoſtolicæ ſedis, ac B. Petri patrocinio muniamus. Ea propter, dilecti filij in Domino, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum *Formbacenſe* Monaſterium, a bonæ memoriæ Comitibus *Eckeberto*, & *Vdalrico*, cognato ſuo pia liberalitate fundatum, & Eccleſiæ Romanæ oblatum, quod ad jus & proprietatem B. Petri, nullo mediante, pertinere dignoſcitur, ad exemplar felicis recordationis, prædeceſſoris noſtri, *Innocentij* Papæ, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes, ut, quascunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem Monaſterium in præſentiarum juſtè & Canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu juſtis alijs modis, præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis.

Ex Archiv. Monaſterij Formbac.

Locum

Locum ipſum, in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentijs ſuis. Eccleſiam in *Munichvvalt* cum poſſeſſionibus, juréque Parochiali. Parochiam in *Neunkurchen* cum decimis, & moneta, & omni utilitate, quæ inde poterit provenire. Eccleſiam in *Buttn* cum decimis. Eccleſiam *Engelbresdorf* cum decimis, juréque Parochiali. Eccleſiam S. Martini in *Formbach* cum decimis & poſſeſſionibus, juréque parochiali. Eccleſiam in *Eholfing* cum decimis & poſſeſſionibus. Eccleſiam *Anteſin* cum decimis juréque parochiali, & prædia *Gravendorf*, *Rorebach*, *Wienvvare*, *Radelingen*. Quicquid etiam juris eadem Eccleſia ex devotione prædictorum Comitum *Eckeberti* & *Vdalrici*, nec non *Hermanni* fratris ejus habere debet, ſpecialiter ligna, paſtum, ædificia, & quæcunque adjacentis foreſtiæ utenſilia, vobis nihilominus confirmamus.

Chriſma verò, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſeu baſilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a *Patavienſi* ſuſcipiatis Epiſcopo, ſi quidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apoſtolicæ Sedis habuerit, & ea vobis ſine pravitate, & exactione aliqua exhibere voluerit. Alioquin liceat vobis Catholicum adire Antiſtitem, qui noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur, indulgeat. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Obeunte verò te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi ſubreptionis aſtutiâ, ſeu violentiâ præponatur: niſi quem fratres communi aſſenſu, vel fratrum pars conſilij ſanioris, ſecundùm Dei timorem & B. Benedicti Regulam providerint eligendum. Electus autem non aliter, niſi baculo de altari accepto inveſtiatur. Simili quoque modo Advocatus de genere prædictorum Comitum magis idoneus communi fratrum arbitrio & electione conſtituatur: quin etiam, ſi inutilis apparuerit, eundem amovendi, & ejus loci alium eligendi liberam habeatis facultatem.

Decernimus ergo, ut nulli hominum omnino fas ſit, præfatum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare: ſed omnia integrè ſerventur, eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis Apoſtolicæ auctoritate, & in præſcriptis eccleſijs Diœceſanorum Epiſcoporum Canonica juſtitia. Ad indicia autem hujus, a Romana Eccleſia perceptæ libertatis, nobis noſtrisque ſucceſſoribus Bizantium unum annis ſingulis nomine cenſus perſolvetis.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundò, tertiove commonita, niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacro corpore ac ſanguine Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine Divinæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego *Alexander* Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus SS.

✠. Ego *Joh.* Presb. Card. SS. Joh. & Pauli tit. Pamachij ſſ.

✠. Ego *Johannes* Presb. Card. tit. S. Anaſtaſiæ ſſ.

✠. Ego *Hubaldus Hoſtienſis* Epiſc. ſſ.

✠. Ego *Jac.* Diac. Card. S. Mariæ in Coſmedin ſſ.

✠. Ego *Theod.* Presb. Card. S. Vitalis tit. Veſtinæ ſſ.

✠. Ego *Petrus* Presb. Card. tit. S. Suſannæ ſſ.

✠. Ego *Vivianus* Presb. Card. tit. S. Stephani in Celio Monte ſſ.

✠. Ego *Gratianus* Diac. Card. SS. Coſmæ & Dam. ſſ.

✠. Ego *Ramericus* Diac. Card. S. Adriani ſſ.

✠. Ego *Matthæus* S. Mariæ Novæ Diac. Card. ſſ.

Data *Laterani* per manum *Alberti* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Card. & Cancellarij IV. Cal. April. Indict. XII. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXIX., Pontificatus noſtri Domini *Alexandri* PP. III. XX.

CXLV.

Friderici I. Imperatoris Epiſtolæ.

I.

Ad Abbatem Campidonenſem : ut ad explendam mille marcarum ſummam, in negotium Eccleſiaſticæ pacis expenſam, ipſe X. marcas perſolvat.

circ. 1160. FDei gratia Romanus Imperator, & ſemper Auguſtus, fideli ſuo Abbati Campidonenſi, gratiam ſuam & omne bonum.

Exhibit. Tegernſ. Noverit tua diſcretio, quòd ad firmam Eccleſiæ unitatis conſummationem in illo pacis tractatu, per viros magnos & diſcretos pluribus laboribus, & expenſis compoſito, ordinatum eſt, ut ab Eccleſiaſticis Principibus per terram Teutonicam mille marcarum ſumma perſolvatur. Quare tibi ad ſolvendum decem marcæ tantùm ſunt aſſignatæ. Mandamus ergo dilectioni tuæ, monentes & præcipientes, quatenus ipſas, occaſione remota, in octava Paſchæ *H. de Bretice* in potidem * Colonienſi de puro argento perſolvas.

* ita Cod.

2.

Ad Eberhardum Præpoſitum Dietramcellenſem : ut cum ſuis vel Abbati Tegernſ. fundatori in temporalibus ſubſit, aut de loco recedat.

FDei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus E. Præpoſito & reliquis fratribus de *Cella S. Martini*, gratiam ſuam & omne bonum.

Certiſſimè compertum habemus, quòd Eccleſia veſtra ope & induſtria *Tegrinſenſis* Monaſterij, inſtitutionis, atque fundationis primordia acceperit, & in fundo ſupradicti Monaſterij laudabiliter inſtituta in religione, & temporalium rerum copia ſatis profecerit. Verùm quia proſperis ſuccedentibus bonæ inſtitutionis ſpecies per inſolentiam ſæpe decorem amittit, inde eſt, quòd pro bono opere Abbati nunc & Monaſterio debitam ſubjectionem denegatis, & quaſi alieni fundatoribus veſtris in omnibus reſultatis. Vnde quia *Tegrinſenſis* Monaſterij injuria, noſtra eſſe cognoſcitur, præcipiendo vobis mandamus, ut a tantæ præſumptionis auſu penitus deſiſtatis, & in omni d ſpenſatione ejusdem domus ad Abbatem reſpectum habeatis, vel de loco, qui noſtri juris eſt, recedatis.

3.

Ad Dietramcellenſes Canonicos : ut a ſua inſolentia deſiſtant, debitamq; reverentiam & obedientiam Abbati Tegernſ. exhibeant, ni omni gratia Imperatoria cum maximo ſuo damno velint excidere.

AUdivimus, & in veritate comperti ſumus, quòd Eccleſia veſtra, quæ *Cella S. Martini* appellatur, de fundo, & in fundo matris Eccleſiæ S. *Quirini* ſit fundata, & de prædijs ejus atque elemoſynis, ibidem pertinentibus, dotata ſit, & honeſtè ac ſufficienter ditata. Vnde cùm vos Eccleſiæ B. *Qutrini* tanquam matri veſtræ, cujus ubera ſemper ſuxiſtis, de cujus elemoſynis cottidie vivitis, debitum honorem recognoſcere deberetis, & dignam obedientiam cum omni ſubjectione exhibere, vos tantorum ingrati beneficiorum, & indulta vobis gratia abutentes, filia contra matrem, & filij contra patrem cornua ſuperbiæ & rebellionis erexiſtis, nihil honoris, nihil gratiæ, nihil dominationis ei recognoſcere cupientes. De qua præſumptione dolemus, & plurimùm indignamur, quod & omnibus curiæ noſtræ Principibus meritò ſcimus diſplicere. Eapropter cùm tantam temeritatem veſtram juſtè punire, & in vos dignam atque ſeveram vindictam exercere deberemus, nos ex conſueta clementia vobis adhuc parcentes, & dignam ſatisfactionem pro tantis exceſſibus expectantes, mandamus univerſitati veſtræ, & ſub obtentu gratiæ noſtræ,

nostræ, atque sub pœna rerum & per- A.
sonarum vobis districtè præcipimus, quatinus a tanta insolentia statim in præsenti resipiscatis, plenamque justitam dominij & honoris, & obedientiæ, atque subjectionis Ecclesiæ S. Quirini, & dilecto nostro Abbati, domino vestro, ita plenariè recognoscatis, & exhibeatis, quòd. quemcunque vobis secundùm Deum de jure suo Præpositum præfecerit atque statuerit, vos absque omni contradictione recipiatis, & honoretis, diligentiùs præcaventes, ne talis ulteriùs querela ad nos revertatur.

4.

Ad Rupertum Abbatem Tegernseensem. Rogat, ut sibi Librum Missalem, & Lectionarium a suis scribendum curet.

F Dei gratia Rom. Imperator & semper Augustus, fideli suo R. Abbati de *Tegrinse* gratiam suam, & omne bonum.

Audivimus, quòd boni sint Scriptores in claustro tuo, & nos valde indigemus libro *Missali*, & *Lectionario*. Mandamus itaque dilectioni tuæ, affectuosè rogando, quatinus sicut nos diligis, & de te benè confidimus, *Missalem* nobis scribi facias, & in alio volumine *Epistolas* & *Evangelia* secundùm ordinem Clericorum.

5.

Ad Eundem. Mandat & rogat, ut litem, de quorundam domo motam, dimittat.

F Dei gratia Rom. Imperator, & semper Augustus, R. Abbati de *Tegrinse*, gratiam suam & omne bonum. D.

Mandamus dilectioni tuæ, attentè rogantes, quatenus homines ministeriales Ecclesiæ R. & A. de domo illa, pro qua hactenus eos in causam sæpius traxisti, sepositâ omni querimoniâ, & occasione cujusvis controversiæ in pacis quiete dimittas, & domum eandem, quam de ratione possidere debent, liberè permittas.

6.

Ad eundem: ut W. Ministeriali suo certum beneficium, ut promisit, concedat.

F Dei gratia Romanorum Imp. & semper Augustus, venerabili de *Tegrinse* Abbati, gratiam suam & omne bonum.

Recordari debet discretio tua, quod pro ministeriali nostro W. diligenter rogavimus, ut beneficium suum, quod a patre suo hæreditario jure ad ipsum pertinere debet, pro justitia, & pro nostra B. dilectione ei concederes. Hoc autem quia adhuc, nescio, qua occasione vel ratione facere distulisti, nunc iterum rogando præcipimus, ut eidem W. beneficium suum concedere non differas, & id agas, ne ille ultra ad nos conquerendo redire compellatur.

7.

Ad Eundem: ut a petenda ecclesia Gamundensi desistat, eamq; cuidam H. potius impetrare laboret.

F Dei gratia Romanorum Imp. & semper Augustus, fideli suo Abba- C. ti de *Tegrinse*, gratiam suam, & omne bonum.

Mandamus dilectioni tuæ, quàm intimè postulantes, quatenus a petitione, quam fecisti pro Ecclesia *Gamundensi*, pro nostro amore desistas, ipsamque petitionem in H. convertas, & verbum suum pro obtinenda Ecclesia studeas promovere, quòd ipse tuum juvamen & nostram intercessionem apud te sibi sentiat profuisse.

8.

Ad eundem: ut generali Curiæ, Ratisbonam indictæ, interfit.

F Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Abbati de *Tegrinse*, gratiam suam, & omne bonum.

Quia Deo auctore omnia in *Italia* gloriosè peregimus, sani & incolumes redeuntes, terram *Teutonicam* propter absentiam nostram diversis hinc inde malis perturbatam, ad bonum pacis & tranquillitatis reformare intendimus. A *Bavaria* itaque incipientes, ut maxi-

ma, quæ in ea exorta ſunt, mala eradicemus, & ad pacem eam revocemus, curiam generalem *Ratisbonæ* a feſto S. Michaëlis ad XIV. celebrandam indiximus, cui te intereſſe ſub obtentu gratiæ noſtræ præcipimus.

9.

Ad eundem. Vt Lu. de Lochuſen in ſuum conſortium & clauſtrum recipiat.

F Dei gratia Rom. Imperator, & ſemper Auguſtus, dilectis ſuis, Abbati de *Tegrinſe* & toti Capitulo, gratiam ſuam & omne bonum. B.

Quia perſonas veſtras, & Eccleſiam veſtram toto affectu diligimus, eò expeditius, quod optamus, a dilectione veſtra impetrare confidimus. Rogamus itaque benivolentiam veſtram, quatenus * *Lu. de Lochuſen*, ſororem A. fidelis noſtri, in clauſtrum veſtrum, & in fraternitatem, & conſortium veſtrum pro noſtro amore ſuſcipiatis, & integram præbendam ei faciatis adminiſtrari, in omnibus Eccleſiæ veſtræ negotijs remunerationes condignas a nobis ſemper recepturi.

* an Ju?

10.

Ad Heinricum Comitem de Wolfratesbuſen. Commendat ei graviter Monaſterij Tegernſeenſis, cui Abbatem nuperrime præfecit, commoda.

F Dei gratia Rom. Imperator, & ſemper Auguſtus, H. Comiti de *Wolfra.* Gratiam ſuam, & omne bonum.

Antiquorum Regum ſeu Imperatorum veſtigijs inhærentes, venerabilibus locis, ad honorem regni, & decorem Eccleſiæ laudabiliter inſtitutis, gratiam atque protectionem indeſinenter impendere debemus. Vnde te ſcire volumus, quòd Monaſterio de *Tegrinſe* apud *Nurenberc* coram magna frequentia Principum Abbatem, quem communis electio fratrum delegerat, noſtra auctoritate præfecimus, & eundem cum omnibus eidem Monaſterio pertinentibus, ſicut dilectum & fidelem noſtrum majori providentia & frequentiori alacritate A. diligere, curare, atque tueri intendimus. Sanè quia jam diu compertum habemus, multis vexationibus, eundem locum priſtini ſtatus honorem & reverentiam penè amiſiſſe, negligentiam tuam quidem in hac parte culpare poſſemus: ſed magis nunc induſtriam tuam commonemus, ne ulla ex te violentia obſiſtat, quin fratres Monaſterij rebus procurandis fideles & religioſas perſonas provideant officiales ſuos, non tuo arbitrio, ſed quos ipſi aptos judicaverint. Tu verò in procuratione exteriorum ſic te gerere ſtudeas, ut noſtram reverentiam adcendas, ut & locus, qui ſpecialiter de jure regni eſt, ex tua procuratione profectum accipiat, & fidelis adminiſtratio tua apud nos meritum & gratiam obtineat.

11.

Ad Odalricum, Vdalricum, ſeu Vodalricum Patriarcham Aquilegienſem: ut nuntio Ducis Saxoniæ ſalvum conductum præſtet.

C. F Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus, dilecto Principi ſuo *Vo.* Patriarchæ *Aq.* gratiam ſuam, & omne bonum. Rogamus tuam dilectionem, quatenus *Lupertum*, nuntium cognati noſtri, Ducis *Saxoniæ* usque *Nuenberc* ſecurè conducas.

12.

Ad Eundem: ut cauſam Cu. de Attenes per ſe ipſe dijudicet, eiq; quocunque modo finem imponat.

D. F Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus, O. Patriarchæ Aquil. gratiam ſuam & omne bonum.

Negotium *Cu. de Attenes* compoſuiſſemus, ſi ocij opportunitatem habuiſſemus. Sed magnis hoc tempore, ùt nôſti, rebus impediti, de his non poteramus nos intromittere, nec adhuc poſſumus, niſi contingeret, quod ad *Venetiam* veniremus. Vnde dilectioni tuæ mandamus, & attentè injungimus, quatenus ipſum negotium vice noſtra aſſumas, & illud aut juſtè, vel amicabiliter ita termines, quòd illum non oporteat denuo ad nos pro hac cauſa reverti.

13. *Ad*

Digitized b

13.

Ad Eundem : ut causam & negotia sua sibi probè habeat commendata.

F Dei gratia Romanorum Imp. & semper Augustus, dilecto fideli suo O. Patriarchæ Aquil. gratiam suam, & omne bonum. Grates agimus tuæ dilectioni pro devotione, quam nobis frequenter exhibuisti, monentes, & affectuosè rogantes, ut causam nostram & negotia ita studiosè promoveas, sicut de te confidimus.

14.

Ad eundem. Rogat, ut creditores ad pecuniam sibi mutuò dandam conciliet.

F Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, dilecto suo O. Patriarchæ Aquil. gratiam suam, & bonam voluntatem.

Dilectionem tuam attentissimè rogamus, ut, quemadmodum fidelis noster Cancellarius ex parte nostra te monuit, adjuves nos diligenter, quòd pecuniam alicubi mutuò acquiramus, quoniam ea nunc indigemus. Scias autem indubitanter, quicquid nobis præstiteris, aut præstari feceris, quòd nos inde plenam securitatem tibi faciemus, & creditoribus, quòd id pro datis inducijs, & conditionibus bona fide reddemus : & in nulla re gratius nobis facere poteris.

15.

Ad eundem. Gratias agit pro studio procurandi pacem Ecclesiæ, & ut in eo perstet, hortatur.

F Dei gratia Romanorum Imp. & semper Augustus, dilecto Principi suo O. Aq. Patriarchæ, gratiam suam, & omne bonum.

Grates tuæ benignitati plurimas referimus, quòd negotium Ecclesiæ ad laudem Dei, & gloriam Imperij laboras promovere, & privatis negotijs nostris incessanter contendis insudare. Tuam itaque prudentiam instanter commonemus, quatenus laudabilibus cœptis tuis te non pigeat insistere, donec rem a bono principio ad finem perducas meliorem. Pro certo enim tibi constare A. cupimus, quoniam super hac tua devotione tempore & loco opportuno tuæ fidelitati plenè respondere curabimus.

16.

Ad eundem : ut causam Ci. & ejus controversiam de feudo ac proprio ipse decidat.

F Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, dilecto suo O. Patriarchæ Aquil. gratiam suam & omne bonum.

Rogamus discretionem tuam attentè B. monentes, & præcipiendo consulentes negotium fidelis nostri Ci. quatenus tam de feodo, quàm de proprio suo benignè & amicabiliter cum ipso componas, aut secundùm hominum tuorum sententiam id justo judicio definias ita clementer & rationabiliter, ut querimoniam nobis denuo proferre eum non oporteat: quoniam nos ei in sua justitia, si causa ad nos fuerit reversa, æquitatis suffragio cogimur subvenire.

17.

Ad eundem : ut quantamcunque pecuniæ vim potest, suo nomine apud Venetos mutuam accipiat. C.

F Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, O. Patriarchæ Aquil. gratiam suam & omne bonum.

Dilectionem tuam attentissimè commonitam & exoratam esse volumus, quatenus quantumcunque pecuniæ apud Venetos accredere potes, nobis intuitu amoris nostri accredi facias. Ad cujus rei promotionem fidelissimos nostras G. Cancellarium, & *H. de Duse* dilectioni tuæ destinavimus, ut ab ipsis, & alijs principibus nostris, seu etiam a H. fororio tuo, omnia, quæcunque de persolvenda pecunia desideras, exposcas, & accipias securitatem per juramenta, seu quocunque modo volueris. Et in hoc siquidem gratissimum nobis obsequium majestati nostræ exhibebis. D.

18.

Ad Eundem : Ut ad Concilium Ravennæ celebrandum accedat.

F Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, dilecto & fideli

deli suo O. Aquil. Patriarchæ, gratiam suam & omne bonum.

Sicut dudum per litteras nostras dilectioni tuæ mandavimus, ita per nuntium tuum iterum te certificamus, quod Concilium in festo beatæ Mariæ purificationis apud *Ravennam* indubitanter est celebrandum. Dilectioni tuæ, de qua benè confidimus, mandamus monentes, & attentè rogantes, quatinus assumptis tecum Prælatis tui Principatus, & cæteris religiosis, ac prudentibus & discretis viris, quoscunque habere poteris, remota omni occasione ad prædictum Concilium venias, sciens, quòd in tam arduo Ecclesiæ negotio præsentiam tuam necessariam habebimus. De allodio, de quo nobis scripsisti, libenter te manu tenere curabimus, quia Ecclesiæ quæque meliora cupimus.

19.

Ad eundem, de suo constanti erga unitatem Ecclesiasticam animo, deq; Concilio Ravennæ celebrando, cui Patriarcham adesse jubet.

F Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, dilecto suo fideli OO. Patriarchæ Aquil. gratiam suam, & omne bonum.

Sicut liquidò universis Imperij principibus & fidelibus constat, ad sopiendum scisinatis periculum perseveranter intendere non cessamus, ab eo, inquam, tempore, quo id ad inficiendum corpus Ecclesiæ universalis primum cæpit pullulare. Pluribus itaque vijs hinc inde prætentatis hactenus, consentientibus tandem nobis utrimque tam Domini G. Papæ, quàm ejus, quem *Alexandrum* nominant, partem foventibus, universos Imperij Ecclesiasticos Principes proximè ad Concilium evocavimus. Intervenientibus autem necessarijs & ferè inevitabilibus impedimentis terminum ejusdem Concilij communicato utriusque partis consilio prorogare decrevimus, præsertim ut his, qui de remotis terræ spatijs venturi sunt, prudenti provideremus remedio. Noverit itaque tuæ fidelitatis dilectio, quoniam eliminato universo scismatis errore, pax & unitas Ecclesiæ reformata tam juramentis, quàm scriptis, hinc inde figil- A. latis, inconvulsa firmitate roborata est, quæ utique in Concilio *Rav.* in conversione S. Pauli celebrando præsente utriusque partis principali Capite toti Ecclesiæ promulganda est. Ad hujus ergo venerabilis Concilij conventum tuæ prudentiæ præsentiam exhiberi desiderantes, fidelitati tuæ in bona fide confidimus, & præcipiendo mandamus: quatenus, si priùs non potes, saltem in conversione S. Pauli omni dubitatione remota *Ravennam* venias, quia tuæ prudentiæ consilium in hoc salutari negotio perficiendo necessarium habemus.

B.

20.

Eidem: gratias agit pro constanti erga se, Imperiumq; studio, ac nullum non favorem eidem, ejusq; Ecclesiæ spondet.

F Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, dilecto Principi suo O. Aq. Patriarchæ gratiam suam, & omne bonum.

Fides tua circa nos & Imperium, re-
C. rum effectibus multipliciter probata, sicut a majestatis nostræ consideratione nunquam est aliena, ita cùm opportunum tibi fuerit, a condigna remuneratione apud clementiam nostram nequaquam invenietur inanis & vacua. Cognovimus sanè per dilectos Principes nostros C. *Mag.* & *Ph.* Colonienſem Archiepiscopos, quos in *Venetias* pro tractatu pacis direxeramus, quod circa honorem nostrum & Imperij promovendum fideliter laboraveris. In quo licèt, sicut prædictum *Mag.* ex parte tua nobis referentem accepimus, labori tuo facultas optata defuerit, non tamen minus diligentiæ tuæ debitas grates exsolvemus. Præsentiam tuam in tractatu tam ardui negotij sicut ejus, de cujus experientia plurimùm confidimus, cum reliquis Principibus nostris libenter habuissemus. Verùm cognito per Dominum *Mag.* impedimento tuo nullatenus molestum habuimus aut grave. De reliquis autem negotijs tuis dilectionii tuæ per dilectos Principes nostros C. *Mag.* & *Phi. Col.* Archiepiscopos & *Cad.* Imperialis curiæ Cancellarium respondimus: si quidem nostræ voluntatis propositum viva voce significabunt. Vo-

D. lumus

lumus namque Ecclesiam tuam tum pro devotionis tuæ intuitu, tum pro ipsius sinceritate, quam nobis, & Imperio semper exhibuit, diligere, ac imperiali clementia, cùm necessarium habuerit, manu tenere.

21.

Eidem: jubet, ut quantocyus ad se advolet.

F. Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, dilecto fideli suo O. Aquil. Patriarchæ, gratiam suam & bonam voluntatem. Sicut per *Magd.* Archiepiscopum dilectionem nostram, ita & per scripta præsentia tuæ dilectioni rogantes mandamus, quatenus omni mora remota, quantocius poteris, ad nos venire non differas.

22.

Idem quædam bona, Monasterio Windbergensi in Bavaria collata, confirmat.

1160. *Ex Cod. Windb.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, *Fridericus* Divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Sicut sacra Divæ memoriæ Principum coruscat auctoritas, æquitatis primæ post cultum Dei gradus proximus est, venerabilibus locis & eorum ministris reverentiam exhibere. Hoc intuitu, rogatu quoque & interventu dilecti & fidelis nostri *Eberhardi*, *Babenbergensis* Episcopi, cuidam Ecclesiæ suæ ditionis, *Windebergæ*, in Episcopatu *Ratisponensi* fundatæ in honore B. *Mariæ* perpetuæ Virginis & Ordine fratrum *Præmonstratensium*, in suis necessitatibus imperiali remedio subvenire curavimus, quædam bona imperialia, quæ patruus noster *Heinricus*, Illustris Dux *Austriæ*, & ab ipso vasalli ejus in beneficio possidebant, consensu eorum illi Ecclesiæ conferentes, eisque vicissim, prout ratio poscebat, congruenter commutationis jure bona præfatæ Ecclesiæ restituentes ordine subnotato.

Prænominatus equidem patruus noster resignavit nobis curtem *Frukesdorf*, quam *Engelscalcus de Berendorf* habebat in feodo, & duos mansos cohærentes monti *Windberg* ad plagam occidentalem, quos *Theodericus de Adelgeresbach* ab ipso Duce, secundariò autem ejus nomine *Adelbertus* & *Gozpoldus* fratres de *Novedorf* feodaliter tenuerunt, ipsis consentientibus & collaudantibus. Nos verò in idipsum pro more citantes & constituentes Advocatum nobis *Fridericum* Palatinum Comitem de *Witelinespach*, per manum ejus tradidimus *Pertholdo* Comiti de *Bogen*, patrono & advocato suprà nominatæ Ecclesiæ curtem, & mansos prælibatos in proprietatem Ecclesiæ transtulimus: ab ipso autem *Babenbergensi Eberhardo* & Advocato *Pertholdo* recepimus Imperio per manum *Friderici* Palatini Comitis bona hæc: Mansum unum *Aschа*, & unum *Wincere*, & unum *Muchental* pro curte *Frukesdorf*, pro mansis autem duobus unum mansum *Regenoltestorf*, & unum *Odrukesbuhele*, & unum *Radebuhele*, ac sic æstimatione hinc inde habita pro consensu partium & permutatione completa concessimus in beneficium Duci, quæ de bonis Ecclesiæ receperamus. Prædictam autem Ecclesiam cum his, quæ ordine permutationis in sortem ei obvenerunt, in nostram tuitionem recipientes unacum alijs bonis suis justè & legitimè acquisitis vel adquirendis præcipimus, ut nullus in personis aut rebus suis eam molestare præsumat. Quòd si quis ausu temerario contra hanc Imperialis nostri edicti paginam ire præsumpserit, Dei Omnipotentis & nostram indignationem incurrat, & centum libras auri optimi componat, medietatem cameræ nostræ, & medietatem pro sua offensa prædictæ Ecclesiæ.

Ad perpetuam autem hujus rei certitudinem & auctoritatem hanc ipsam paginam sigilli nostri impressione & testium, qui prædictæ commutationi interfuerunt, inscriptione communiri præcepimus, quorum nomina hæc sunt: *Fridericus* Dux, filius *Conradi* Regis, *Otto* Palatinus Comes de *Witelinespach* & frater ejus *Fridericus*, *Henricus* Præfectus urbis *Ratispona*, *Liutoldus*, Comes de *Bleien*, *Marcwardus de Grumbach*, *Adelbertus de Trubentingen*, *Hermannus de Yselden*, *Regengerus de Erichespach*.

Signum Domini *Friderici* Romanorum Imperatoris invictissimi.

Ego *Reinaldus Colonienſis* Ecclesiæ

electus, & Italiæ Archicancellarius recognovi.

Datum in curia *Papiæ*, ubi confirmatus eſt *Victor* Papa, Id. Febr. Indict. VIII. anno Dominicæ Incarnationis MCLX. regnante *Friderico* Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno regni ejus VIII. Imperij verò V.

CXLVI.

Vdalrici * Patriarchæ Aquileienſis Epiſtolæ.

* *aliàs* Odalrici, Volderici, Vlrici *&c.*

1.

Ad Fridericum I. Imperatorem. Quærit, quid ſibi agendum, cùm Venetias adveniens audierit, locum & tempus Concilij mutatum eſſe. In fine quædam de H. Comite de Francenhuſe.

INclyto & glorioſo Domino ſuo F. glorioſiſſimo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, O. Dei gratia Aquil. Eccleſiæ Patriarcha, devotum cum orationum inſtantia ſervitium.

Ex bibliot. Tegernſ. Placuit excellentiæ veſtræ pacem Eccleſiæ Dei firmatam, ſcriptis quoque ac juramentis hinc inde ſigillatis eſſe corroboratam nobis ſignificare, & ad Concilium ſuper ipſa promulganda *Ravennæ* celebrandum in proxima Purificatione S. Mariæ nos vocare. Vnde nos juxta vocationis veſtræ mandatum iter arripientes, unà cum venerabilibus fratribus noſtris Epiſcopis, aliiſque Eccleſiæ noſtræ Prælatis ac religioſis viris, nec non & fidelibus noſtris ad idem venerabile Concilium proceſſuri *Venetiam* intravimus. Sanè ibi cognoſcentes, Dominos Cardinales, *Hoſtienſem* vid. Epiſcopum, & *Reinerium* ad vos acceſſiſſe, vosque unà cum ipſis de loco & tempore memorati Concilij audientes aliter diſpoſuiſſe, rei veritatem ſuper his conſequi cupientes, præſentium latorem majeſtati veſtræ transmittimus, affectuosè ſupplicantes, quatenus quid ſuper Concilio cum præfatis Cardinalibus veſtra ſtatuerit ſerenitas, ſacris apicibus veſtris nos certificare dignemini.

Ad hoc clementiæ veſtræ ſignificamus, quòd, cùm in itinere ad vos veniendi eſſemus, Comes *H. de Francenhuſe* ſe nobis ex inopinato adjunxit, humiliter expoſtulans, ut eum ad præſentiam veſtram adduceremus, & in recuperanda gratia veſtra eum interventu noſtro juvaremus. Quid igitur ſuper hoc ſerenæ voluntati veſtræ ſedeat, ſacris litteris veſtris nos certificare dignemini.

2.

Ad O. Præpoſitum Luvenſem, de expeditione ſua militari in Karinthiam paterni caſtri liberandi causâ, & itinere Tridentino, cujus eum Comitem eſſe cupit.

VO. Dei gratia ſanctæ A. Eccleſiæ Patriarcha, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, dilecto in Chriſto fratri, & conſanguineo ſuo præcordiali O. venerabili R. & *Luvenſi* Præpoſito, cum ſinceræ dilectionis affectu ſalutem.

Cùm nuper a Curia utriusque Principis, ſicut jam tibi ſignificavimus, proſperè veniſſemus, & poſt multos, & magnos labores aliquantulum quieſcere vellemus, ex improviſo legationem patris & matris noſtræ accepimus, ut ad liberationem caſtri eorum, quod miniſteriales Ducis obſederant, cum militia properaremus. Quo audito ſtatim alijs omnibus ſepoſitis militiam, quantam potuimus, congregavimus, & in *K. proceſſimus. Te verò ad nos tunc non vocavimus, quia te apud S. eſſe audivimus; & labori tuo parcere voluimus. Verùm cum Villacum veniſſemus, comperto, quod apud Ju. eſſes, charitatem tuam ad nos venire feciſſemus, ſi aliquam in partibus K. moram facturi fuiſſemus. Ad hoc diſcretionem tuam ſcire volumus, quòd cùm nos prædictum caſtrum expugnatum, & ab inimicis occupatum inveniſſemus, non fuit de conſilio fidelium noſtrorum, ut ad recuperandum ipſum in præſentiarum procederemus, & nos obſidione implicaremus, ad quam imparati veneramus. Ad terram itaque noſtram reverſi, capitulum proximo die poſt feſtum omnium Sanctorum Aquilegiæ, ſicut jam tibi ſcripſimus, habere, ac inde verſus Tridentum iter arripere decrevimus. Quia verò te comitem ejusdem itineris, ſi fieri poteſt, libenter habere vellemus, dilectionem tuam rogamus obnixè, quatenus ad idem capitulum venias, & verſus Tridentum una nobiſcum procedas.

* Karinthiam.

3. *Ad*

3.

Ad eundem : ut neptem suam ex fratre, H. de Villa Alta despondi patiatur, aut si id improbet, sententiam animi ad se perscribat.

V Dei gratia sanctæ A. Ecclèsiæ Patriarcha, Apostolicæ sedis Legatus, dilecto in Christo fratri, & consanguineo suo O. venerabili R. & *Lunensi* Præposito, cum sincera dilectione salutem.

Meminisse debet dilectio tua, qualiter dilectus fidelis noster *H. de Villa alta* filiam quondam fratris tui in uxorem sibi B. dari summo studio jam dudum expetijt. Audiens autem, quod filio Comitis S. jurata fuisset, verbum quodammodo dimisit. Quod quia minimè factum esse comperit, rursus ad priorem instantiam redijt, & cottidie nobis, ut idem negotium promoveamus, diligentiùs rogando insistit. Quia igitur in hoc facto te inconsulto procedere nec volumus, nec debemus, præsentem tibi nuntium direximus, rogantes & consulentes, quatenus eidem facto assensum præbeas, & ad effectum perduci velis, C. attendens, quòd magnum commodum, nec parva utilitas per hoc fratri memoratæ puellæ consurget : quia idem H. modica dote contentus existet, nec eundem puerum pro aliquo fatigabit. Nobis quoque per hoc potiùs astringetur, & devotior cum omnibus amicis suis efficietur. Si igitur hoc tibi placuerit, nobis rescribas, & litteris tuis hoc W. de H. significes. Sin autem : quam intimè rogamus, quatenus dilectissimo consanguineo, & vicedomino nostro, & eidem H. apud S. congruo tempore occurras, & quo tempore fieri possit, nobis intimare studeas. D.

4.

Ad eundem. Sibi ex litteris Imperatoris nihil de Concilio, ultramontanis indicto constare : Cæterùm de eo, Papa, Imperatore, horumq; partibus rumores varios esse.

VO. Dei gratia sanctæ A. Ecclesiæ Patriarcha, & Apostolicæ Sedis Legatus, dilecto in Christo fratri, & consanguineo suo karissimo O.R. & *Lun.* A. Ecclesiæ venerabili Præposito cum sincera dilectione salutem.

Accepimus, quòd sanus & incolumis in K. versus partes nostras redieris, & in proximo ad nos transire proposueris. Lætati sumus ergo in his, quæ dicta sunt nobis. Verùm de Concilio, ultramontanis indicto, super quo nos consuluistis, fraternitati tuæ significare dignum duximus, quòd nec nobis, nec fratribus nostris Coëpiscopis, nec etiam alicui Episcoporum *Lombardiæ* vel *Venetiæ* inde aliquid per Dominum Papam, vel Imperatorem de prædicto est mandatum.

Sanè ex tenore litterarum Domini Imperatoris, quas venerabili fratri nostro G. Episcopo, nec non & Prælatis *Salzburg.* Ecclesiæ direxit, de prædicto Concilio primò cognovimus : sed nullam inde certitudinem tenentes, diversas super hoc opiniones & dubia habemus. Nuper namque nuntios quàm plures de *Verona*, & alijs partibus recepimus, per quos rei veritatem investigare laborantes, nihil inde certi cognoscere potuimus. Per *Wecelonem* verò *de Camino*, qui nuper *Bononia* redijt, didicimus, quòd *Magdeburgensis* Archiepiscopus, & *W.* Episcopus, quorum mandato & consilijs Dominus Imperator in infirmitate super negotio Ecclesiæ se jure, ut fertur, jurando suppositit, Romanam Curiam pro pacis reformatione adierint, & una cum Domino Papa Dominum Cancellarium, qui *Firmam* civitatem nuper destruxit, ad se dimisso exercitu venire fecerint. Quorum consilium, quo fine claudatur, Catholici certant, & adhuc sub judice lis est. Præfatus enim W. apud *Ferrariam* venerabiles fratres nostros, J. & A. Cardinales invenit, quos litteras ac mandata Domini Papæ recepisse nobis retulit, ita ut nos & M. & R. Archiepiscopos & Suffraganeos nostros in unum convocent, & E. quia in partem cesserunt Imperatoris, unà nobiscum excommunicent. M. quoque & Lon. exercitum contra C. & P. in præsentiarum moverunt.

Noscat itaque discretio tua, quòd nos in præsentiarum in *Lombardiam* nec occasione Concilij, nec alia de causa ire decrevimus, sed te quàm citiùs fieri possit, videre cupimus. Scias autem, quia si un-

gitized by Google

ſi usque ad Dominum Papam procedere volueris, nos de itinere tuo, prout commodiùs & honeſtiùs poterimus, diſponere ſtudebimus.

5.

Ad eundem. Monet, ut valetudini diligentiùs ſtudeat. De varijs rebus inter Papam, Imperatorem, Epiſcopos &c. geſtis.

VO. Dei gratia ſanctæ A. Eccleſiæ Patriarcha, & Apoſtolicæ Sedis legatus, dilecto in Chriſto fratri, & conſanguineo ſuo præcordiali, O. venerabili R. & *Lun.* Præpoſito, cum ſincera dilectione ſalutem.

Fraternitati tuæ ſignificare dignum duximus quòd nos negotijs noſtris, & Eccleſiæ noſtræ in utraque curia, Domino adjuvante, laudabiliter promotis, jam ad propria per Dei gratiam ſani, & incolumes remeavimus, ubi a Clero & populo recepti ſumus omni cum gaudio, & honore condigno. Certum autem tenemus, quòd nocturna & diurna balnea, quibus abuti conſueviſti, corporis tui ægritudinem diutiùs prolongaverint. Veruntamen, quod ſanitatem, largiente Domio, recuperare incepiſti, plurimùm gaudemus, & ut perſonæ tuæ cautius ſolito tam in diætis, quàm in aliis providere ſtudeas, per omnia optamus, tibiéque fideliter conſulimus.

De cætero diſcretionem tuam ſcire volumus, quòd ſi nuntius tuus, qui A. primo ad nos pervenit, in curia Principum nos inveniſſet, negotia tua & Eccleſiæ tuæ, nec non & negotium Domini W. apud utrumque Principem libenti animo promovere ſtuduiſſemus. Quod quia factum non eſt, non noſtræ negligentiæ, ſed potiùs impoſſibilitati adſcribere debes.

Ad hoc diſcretioni tuæ innoteſcat, quòd nos venerabilem fratrem noſtrum A.* quondam S. Archiepiſcopum ad petitionem Domini Papæ, quousque de alio Archiepiſcopatu, vel honeſto Epiſcopatu, prout ſibi & nobis benignè promiſit, & firmiter laudavit, in proximo ei provideat, in curam noſtram recepimus, eumque nobiſcum honeſtè habemus, & tractamus. M. R. nobiſcum A. venit, cui bonum equum donavimus, & eum honeſtè dimiſſum, ad A. Dominum Papam per terram remiſimus, qui ſanè ad Dominum W. hoc tempore nequaquam eſt venturus.

De itinere noſtro verſus *Marchiam* nihil certi dilectioni tuæ adhuc ſignificare poſſumus. Nos enim proximo die poſt feſtum omnium Sanctorum generale capitulum *Aquil.* indiximus, & exinde in *Trid.* auctore Domino proficiſci decrevimus, ubi, ſi fieri poſſit, Dominum W. libenter conveniremus. Nos quidem dilectiſſimum fratrem noſtrum S. *Tridentinum* Epiſcopum apud Domi- B. num Papam, & Dominum Imperatorem cum magno labore ſtabilivimus. Regalia utique de manu Domini Imperatoris recepit, & ſic in pace factus eſt locus ejus. Ad Eccleſiam quoque ipſius, quæ occaſione ſciſmatis jacturas ſuſtinuit, ad petitionem ipſius Epiſcopi nos accedere promiſimus.

De diſcordia, quæ inter milites de Su. exorta eſt, toto corde dolemus, & ſi fieri poſſet, pro hac ſedanda, & pace inter eos reformanda in propria perſona illuc veniſſemus. Verùm quia venire non poſſumus, te rogamus attentiùs, C. quatenus eandem diſcordiam modis omnibus mitigare ſtudeas, & ut usque ad adventum noſtrum quieti maneant, efficias. *Aquil.* cum miniſtris noſtris diſpoſuimus, ut quatuor ſaumas vini, & duas ſalis tibi tribuant.

6.

Ad Drudonem Epiſc. Feltrenſem de dilatione Concilij, ab Alexandro III. indicti &c.

V Dei gratia, ſanctæ A. Eccleſiæ Patriarcha, Apoſtolicæ ſedis Legatus, dilecto & venerabili in Chriſto fratri D. *Feltrenſi* Epiſcopo cum ſincera di- D. lectione ſalutem.

Cùm a Domino Imperatore, prout tibi ſignificavimus, ad Concilium vocati eſſemus, dilectioni tuæ conſuluimus, ut ad ipſum pro receptione regalium nobiſcum accederes. Quando verò nunc in procinctu itineris *Venetiam* intrâſſemus, accepimus, *Oſtienſem* Epiſcopum, & *Ricard.* adjuvante Domino Imperatore aliter de loco, & tempore Concilij ſtatuiſſe, unde nuntios noſtros ad Imperatorem & Cardinales pro inquirenda per litteras rei veritate direximus, quos proximo

* *Adelbertum Archiep. Salzb.*

proximo Purificationis festo reversuros A. expectamus. Secundùm igitur quod per eos cognoverimus, charitati tuæ significabimus. Tu tantùm in prædicto festo tuum nobis nuntium dirigas.

7.

Ad H. Ducem Karinthiæ : se in voluntate ejus honores, & commoda amplificandi perstare &c.

V*O.* Dei gratia sanctæ A. Ecclesiæ Patriarcha, & Apostolicæ sedis Legatus, dilecto fideli suo H. inclito Duci B. *Ka.* cum sincera dilectione salutem.

Sicut nuntijs, & viva voce tibi quondam promisimus : sic & adhuc in ejusdem bonæ voluntatis proposito perseverantes idem tibi offerimus, quòd, in quibus secundùm honorem nostrum possumus, personam tuam diligere, & honorare volumus. Civitatem inter nos & te super feudo, quod repetis, positam & statutam a memoria tui non credimus excidisse. Sed quod tunc tentaveras, adimpleri non potuit. Nam quia in morte Marchionis de *Ac.* quædam nobis sunt evacuata, statim in reditu nostro, Deo volente, de Curia, effectui mancipare intendimus.

CXLVII.

Ariberti Ep. Vicentini, ùt videtur, epistola ad Voldaricum Patriarcham Aquileg. de cujusdam appellatione a sua sententia in causa matrimonij.

Ex Cod. Tegernseensi.

REverendo Patri, ac Domino O. D. sanctæ Aq. Ecclesiæ Patriarchæ, & Apostolicæ sedis Legato, A. utinam eadem gratia V. Episcopus, licèt indignus, cum omni devotione reverentiam.

Cùm causa matrimonij inter filiam O. de Plou., & filium quendam tertij filij *Mathei de Sc.* coram me verteretur, pars viri dicens se prægravari, ad vestram appellavit audientiam. Vnde ipsam ad vestræ sanctitatis pedes his apostolis dimitto.

CXLVIII.

E. epistola ad eundem. Rogat, ut ab appellatione sua in causa electionis Episcopi Veronensis desistat.

REverendo Patri, ac Domino *Vo.* *indid.* Dei gratia sanctæ Aq. Ecclesiæ Patriarchæ, & Apostolicæ Sedis Legato, E. ejus fidelis intimus, cum sincera dilectione devotissimum famulatum.

Apud vestræ dilectionis sanctitatem aliquid me posse impetrare, ac pro amicis meis preces porrigere ferè omnes patenter fatentur. Nec ego ab eorum sententia vestri gratiâ dissentio. Sic enim in vestræ discretionis suffragio, ceu in me ipso confido. Quocirca preces, quas possum, super causa & appellatione, quam pro electione *Veronensis* Ecclesiæ Canonicorum ad Dominum fecistis Apostolicum, probitati vestræ confidenter porrigo, & ipsam attentiùs exoro, quatenus ipsam appellationem intuitu mei amoris dimittatis. Quia, ut relatum est mihi, nuper ipsa electio concorditer dicitur esse facta, ut inde dignas gratias mihi super hoc valeant exhibere. Sicut enim mihi, & amicis meis gratum est, & acceptum, quòd, quicquid eis dilectionis in eorum causa per vestras litteras huic præsentium latori afferetis, mihi in magnum commodum reputabitur.

CXLIX.

Gerardi Ep. Paduani epistola ad eundem Voldaricum. Mittit ei judicandum, qui uxorem a se dimissam recipere recusat.

SUo Patri, ac Domino *Vo.* Dei gratia *indid.* Aq. Patriarchæ, Apostolicæ Sedis Legato, G. *Pad.* Episcopus licèt indignus, debitam cum subjectione reverentiam. Quidam parochianus meus, *Jor.* nomine, qui uxorem suam dimiserat, cùm eum ad eam reaccipiendam cogere vellem, ad audientiam vestram appellavit. Ego verò nihil ampliùs procedens hos apostolos sibi tradidi.

CL.

Idem ad eundem. Cur Ravennatensi Concilio interesse non potuerit?

Indid.

SUo Domino *Vo.* Dei gratia S. Aquil. Ecclesiæ Patriarchæ, & Apostolicæ Sedis Legato, G. eadem gratia *Paduanus* Episcopus, omnimodam cum subjectione reverentiam.

Rectores *Marchiæ*, audito, quòd Episcopos vestros, ut vobiscum *Ravennam* procederent, invitavissetis, communicato consilio tam Clericis, quàm laicis, specialiùs autem mihi, & alijs *Marchiæ* Episcopis, ne hoc in tempore *Ravennam* adirent, interdixerunt. Verùm quia indignationem populi vehementem incurrere expavi, licèt invitus & dolens, mandato vestro, ùt affectabam, satisfacere nequivi. Et hoc est, quòd sanctitati vestræ humiliter supplico. & supplicando exoro, quatinus hoc contemptui non ascribatis, nec aliquid sinistri super hoc mihi imputetis. Dulcissimum enim mihi est, personam vestram & honorem diligere, & mandatis vestris, ùt ex- C. pertò novistis, cupientissimè obedire.

A. non minimam dignitatem consecutum. Igitur si me vilem ostenderem, si etiam ultra, quàm facultates suppetant, honorificentiùs me non haberem, vobis essem dedecori, & mihi pudori. Noveritis Pater igitur reverentissime, me penè medietatem eorum, quæ Presbyter M. mihi attulit, in debito solvendo consumpsisse, atque optimum Clericum, a quo singulariter instruor, in proprijs expensis habere, & Doctorem meum, nomine *Bernardum*, * cujus notitia tanquam speculum in Romana refulget curia, de mei, tanquam de proprij filij societate gaudere. Hinc est, quòd vestram Paternitatem diligenter exoro, quatenus, cùm tempus habueritis congruum, me ad memoriam reducatis, cùm meam exaltationem ex vobis pendere certo certius cognoscatis. Meas res, sicut consuevistis, in custodia habete, ac præfatum Presbyterum M. mihi fidelissimum, respicite, eumque, quòd solitam mihi servet fidem, gratias de præteritis agentes flagitate.

B.

* *vid. Num. CLVIII.*

CLI.

Epistola cujusdam H. ad eundem. Rogat, ut sibi Parisijs operam litteris danti pecuniâ adsit, & M. Presbyterum sibi commendatum habeat.

Indid.

VEnerabili Patri, ac Domino *Vo.* Dei gratia sanctæ Aq. Ecclesiæ Patriarchæ, & Apostolicæ Sedis Legato, *H.* omnino suus omnimodam cum subjectione reverentiam.

Et temporis gravitas, & vestræ famæ dignitas me inopinatas facere compellit expensas. Sunt enim Parisius omnia valde cara venalia, & tanta est ibi studiosorum copia, quòd summa difficultate possunt reperiri hospitia. Propter hoc itaque non modicè mea bursa gravatur. Sed ad istud gravamen vestræ nobilitatis existimatio admodum cooperatur. Est enim communis omnium opinio, & hoc verbum ex ore profluit, omnium me vobis sanguine valde de propinquo esse conjunctum, & a vobis

CLII.

Hucbaldi Ep. Ostiensis ad eundem Vodalricum epistola. Plenam patere securitatem Imperatorem accedendi, tametsi consultum sibi videatur, insalutato Papa nihil suscipere.

VEnerabili in Christo Patri & amico O. gratia Dei *Aq.* Patriarchæ, *Huc.* eadem gratia *Hostiensis* Episcopus, salutem & sinceram dilectionem. *Indid.*

D. Quia securitatem a Domino Imperatore & suis, & a *Lombardis*, sicut nuntij vestri, qui præsentes aderant, viderunt, & audierunt, omnibus ad colloquium Domini Papæ, sive ad curiam ipsius Imperatoris pro facto pacis venturis plenam recepimus, erit in beneplacito vestro de cetero, quantum ad securitatem, ad Dominum Imperatorem accedere. Sed vestræ prudentiæ examinandum, considerandumque relinquimus, utrum expediat vobis non viso seu salutato Domino Papa, qui venturus modò est, vel, sicut certi sumus, venturus in proximo, hoc facere.

Quod

* *Cod.* ſciturí. Quod rogâſtis, ſcitote, * quòd honori, A. & commodis veſtris deſideranter intendimus, & *Tarviſinis*, prout rogâſtis, litteras noſtras direximus & mandatum.

CLIII.

Lavazolenſis Eccleſiæ epiſtola ad eundem Patriarcham: ut duos fratres ad reſtituendum manſum compellat.

indid. REverendo Patri, Domino Patriarchæ.

Ego *Comitiliaus*, *Jacobus*, *Matthæus*, *Johannes*, & omnis *Lavazolenſis* Eccleſiæ populus miſericordiam, & benignitatem veſtram ſuppliciter deprecamur, & deprecando conquerimur de R. & V. fratribus, filijs *Alimani de Ceneta*, qui plebi noſtræ de *Lavazola* manſum unum in *Ceneta*, quem propinqua noſtra in teſtamento Eccleſiæ dedit, violenter detinent. Quapropter Sanctitatem veſtram humiliter exoramus, quatenus Dei causâ prædictæ Eccleſiæ juſtitiam facere dignemini.

CLIV.

Rectorum Lombardiæ & Marchiæ epiſtola ad eundem: Vt Ravennam ad imperatorem, promulgandæ pacis gratiâ ne accedat.

indid. REverendo Patri, ac Domino *Vo.* Dei gratiâ Sanctæ *Aquil.* Eccleſiæ Patriarchæ, & Apoſtolicæ Sedis Legato, Rectores *Lombardiæ*, & *Marchiæ* promptum in omnibus & per omnia famulatum.

Nuper accepimus, unde non modicum admiramur, quod ad vocationem Domini Imperatoris *Ravenam* ire propoſuiſtis. Paternitati etenim veſtræ indecens ad pacem firmatam ad illum ire, arbitramur. Inde eſt, quòd vobis tanquam pio Patri ac Domino conſulimus, & ex injuncto nobis officio mandando interdicimus, ne ad eum ulla ratione ire præſumatis, cùm hoc ipſum contra Apoſtolicam majeſtatem, & eam, quam erga nos exercere tenemini, procul dubio ſit pietatem.

CLV.

M. Inſininenſis Abbatis epiſtola ad eundem: ut ad perficiendum Monaſterij ſui ædificium Aquilegienſem plebem, ejusque largitatem ſibi liceat implorare.

DOmino ſuo O. digno & venerabili Aquil. Eccleſiæ Patriarchæ, M. dictus *Inſininenſis* Abbas, & congregatio fratrum ſuorum, devotas, & cottidianas orationes in Domino cum debito & fideli obſequio. *indid.*

Plurimorum exhortatione, præcipuè B. tamen veſtri, ſi recogitare volueritis, Domine mi, Monaſterium noſtrum, etiam vetuſtate penè conlapſum deiecimus. Novum autem cum Dei adjutorio ædificare jam nunc incepimus. Cujus etiam muri non vili lapide, ſed . . opere hoc anno aliquantulum ſuccreverunt. Quod ergo ex debito plurimum confidimus, de gratia veſtri præſentem latorem, fratrem noſtrum mittimus vobis cum reliquis noſtris, ut, ſicut conſuetudinis eſt Eccleſiarum, ſi benè vo- C. bis ita placuerit, cum Prælatis Eccleſiarum veſtrarum commendetis, ut per plebes fidelium regionis veſtræ aliquod ſolatium nobis per vos acquirere poſſit.

CLVI.

Polenſis Civitatis epiſtola ad eundem: Vt apud Imperatorem id efficiat, ne injurijs Venetorum penitus ſuccumbat.

VEnerabili in Chriſto Patri, & Domino *Vo.* Dei gratia ſanctæ Aq. *indid.* Eccleſiæ Patriarchæ, & Apoſtolicæ Sedis D. Legato *Polenſes* Conſules & populus, cum debita devotione fidele ſervitium.

Benignitati veſtræ notum fore cupimus, quòd nos adventum Domini Imperatoris, & præſentem curiam in feſto S. Helenæ divulgatum fuerat, expectantes ibidem Legatos noſtros deſtinare parabamus, & Dei auxilio, & veſtro de oppreſſionibus, quas a *Venetis* ſuſtinemus, vid. de fidelitate, quam a nobis aſſiduè depoſcunt, & de exercitu, quem nobis tanquam ſubditis ſuis inponunt, evadere per Imperialem miſericordiam ſperabamus. Cæterùm ex quo Curiam præ-

Digitized by Google

præfatum terminum prævenire cognovimus, nec tam subitò nos posse ad hoc præparari persensimus, præsentes litteras ad vos mittere decrevimus, rogantes, quatenus Dei amore & honore vestro pro nobis, secundum quod sapientia vestra conveniens existimabit, apud Dominum Imperatorem intercedatis, & si constiterit, *Venetos* gratiam ejus fore adeptos, vel in eo permanere proposito, de thesauris Ecclesiarum vestrarum & de supradictis gravaminibus, quæ nobis inferunt, ejus deposci misericordiam non omittatis: De nobis procul dubio credendo, quòd rebus & personis vestro semper honori & servitio devotissimi existemus.

CLVII.

Rainerij Cardinalis ad eundem epistola. De securitate seu commeatu, quem omnibus ad Concilium venturis liberum fore Imperator & Lombardi jurârunt.

Indid. VEnerabili fratri, & amico præcipuo O. Dei gratia Aq. Patriarchæ, R. eadem gratia sancti Georgij ad velum aureum Diaconus Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legatus, salutem, & sinceri amoris constantiam.

Dilectionis vestræ litteras grauanter accepimus, quibus visis, & intellectis vehementer gavisi sumus. Volumus quidem pro honore vestro fortes existere, & vestræ Ecclesiæ negotia tanquam specialis amici nostri, prout honori vestro expedire noverimus, semper portare: & ideo ea, quæ ad honorem & profectum vestrum spectare noveritis, fiducialiùs nobis significare & committere poteritis. Quæ autem cum Imperatore, & Lombardis fecerimus, prudentiam vestram latere nolumus. Securitatem namque Imperator cum suis Principibus Domino Papæ, & toti curiæ, & omnibus ad curiam venientibus, in eundo & redeundo jure jurando firmavit. Quam securitatem similiter Lonbardi nuper apud *Placentiam* amicis, & inimicis, ad colloquium venientibus, nobis jure jurando firmaverunt. Præterea prudentiam vestram monemus, quatinus ea, quæ nobis Dominus *Hostiensis* consulendo mandavit, sicut vestro honori expedire cognoscitis, faciatis.

CLVIII.

Salomonis Episcopi Tridentini epistola ad eundem Patriarcham. An sibi ad Concilium inditum accedendum sit, nec ne? In fine apprimè eidem commendat Abbatem S. Laurentij.

Indid.

EXcellentissimo & pio Patri *Vo.* sanctæ *Aquil.* Ecclesiæ Patriarchæ reverentissimo, Apostolicæ Sedis Legato, S. Dei & sui gratiâ *Tridentinæ* Ecclesiæ Episcopus, tam devotæ, quàm debitæ obedientiæ reverentiam.

Magnitudo piæ consolationis & protectionis vestræ, eò quòd non dereliquistis nos in diebus malis sine adjutorio, non patitur nos a vestra laude, & gratiarum actione cessare. Nec unquam a vestræ misericordiæ vestigijs, ubi prostrati jacemus, discedemus, donec a laqueo venantium, & a verbo aspero, quod timemus, vestra obstetricante manu potentiæ ad vestræ gloriæ cumulum eruamur. Quod quidem tantò securiùs a vestra pia paternitate obtinere speramus, quantò secundùm multitudinem misericordiæ vestræ singulari & gratuita dignatione in hoc, quod officio videmur, creati sumus. Non enim decet Reginam *Aquilegiensem* Ecclesiam, quæ in vestitu deaurato ecclesijs Patris, ut ei placeat, & decorem ejus concupiscat, repræsentanda est in candido suæ varietatis amictu, quo circumdata est, aliquam diminutionem habere, vel ultimam vestimenti sui fimbriam, licèt terræ proximam negligere. Verùm postquam, quod misericorditer speramus, pio Patri notificavimus, quid a serenissimo Domino nostro A., summæ Sedis Episcopo, nobis in mandatis datum sit, vobis significando subjungimus, vid. ut in Concilio, quod in Italia, Deo propitio, ab eodem celebrandum est, vultui gloriæ ejus præsentemur. Nos igitur nolentes in tanto processu, nisi ad nutum vestrum pedem movere, quid nobis consulatis, vel de nobis velitis; utrum vobiscum venire debeamus, an non?

non ? tanquam a Deo dato conſilij Angelo requirimus, & ut nobis omnem de nobis voluntatem veſtram ſignificetis, connixè rogamus. A.

Interea pro venerabili fratre noſtro *Sancti Laurentij* Abbate, præſentium latore, in cujus vita, quaſi in ſpeculo, imperfectum noſtrum videmus, ut eum pro Deo in noto vobis negotio apud noſtrum Apoſtolicum adjuvetis, & auxilium veſtrum, ſicut cœpiſtis, usque in finem dignanter impendatis, humiliter rogamus. Quicquid enim illi perit, in Eccleſiæ noſtræ, & noſtrum redundat B. detrimentum.

CLIX.

Si. Abbatis & Zenonis Veronæ epiſtola ad eundem. Commendat ei quendam Scholarem, quem injuſtè a ſuo Prælato e domo ejectum, in priſtinum locum reſtitui cupit.

indit. REverentiſſimo, ac ſanctiſſimo Patri, & Domino O. Dei gratiæ Sanctæ Aq. Eccleſiæ Patriarchæ, *Si.* eâdem gratiâ Cœnobij *S. Zenonis* humilis diſpenſator, reverentiam & omnimodam obedientiam. C.

Cùm conſtet celeberrime Pater ac Domine, vos totius *Marchiæ* providentiam, nec non & gubernationem, Deo dante, digniſſimè poſſidere, certum eſt, ſingula veſtri membra ad veſtræ pietatis ſinum debere confugere, & ab ea conſolationis ſuffragium confidenter poſtulare. Inde eſt, Paſtor cariſſimè, quòd veſtræ paternitati notum fieri cupio, quòd præſentium lator, bonus & honeſtus, ac bene morigeratus Scholaris, & nobis a pueritia notus, cùm quandam in veſtra jurisdictione haberet eccleſiam, ſuus Prælatus absque calumnia eum de domo compulit exire. Rogamus itaque, benignitatem veſtram, quatinus, ſi vobis placet, noſtris precibus motus, ſecundùm quod ratio dictat, eum reſtituatis, & exinde ſuam ac ſui ſacerdotis rationem audiatis. D.

CLX.

Wichmanni Epiſcopi Magdeburg. ad eundem epiſtola de optimo Imperatoris erga eum animo, & negotio pacis, quam perfectam proximè fore non dubitat.

indit. DIlectiſſimo amico ſuo *Vo.* venerabili *Aquil.* Patriarchæ, W. Dei gratia ſanctæ *Magd.* Eccleſiæ Archiepiſcopus, orationis, & intimæ dilectionis obſequium.

Pro antiqua dilectione & honeſtatis veſtræ notitia, in qua vos ſincerè diligimus, litteris veſtris & percepta ſanitate veſtra plurimùm gaviſi ſumus, & ad videndum vos, & ad colloquendum, & jocundandum vobiſcum iter verſus *Venetiam* acceperamus. Sed tempeſtuoſa maris commotione præpediti procedere non valentes, *Revennam* reverſi ſumus. Hoc enim, quod viva voce ex parte Domini noſtri, ſereniſſimi Imperatoris vobis præſentialiter ſignificare debuimus, litteris veſtris dilectioni veſtræ . . . quòd adventus veſter Domino Imperatori gratiſſimus exiſtit, & quòd ipſe ſuper negotio Eccleſiæ, pro quo vos vocamus, & veniſtis, vobiſcum conloqui deſiderat. Vnde affectat, ut circa *Ra.* alicubi juxtà mare ei occurratis. Pro multa benignitate, quam litteræ veſtræ continebant, intimè vobis gratificantes, ſignificamus, quòd felix negotium pacis ita firmatum eſt, quòd de ipſius plenaria conſummatione dubitare non poſſumus.

CLXI.

Magiſtri Bernardi epiſtola ad eundem, qua tum ejus, tum Nepotis, Pariſijs ſtudentis laudes celebrat.

indit. VEnerabili Patri, & cariſſimo Domino *Vo.* Dei gratia ſanctæ *Aquil.* Eccleſiæ Patriarchæ & Apoſtolicæ Sedis Legato, Magiſter *Ber.* * ſinceræ devotionis famulatum.

Quantò Aquilegienſis Eccleſia clariori ſemper fama reluxit, & nomine & ampliori ſurſum evecta eſt poteſtate & gratia, tantò in ea Patriarcharum gloria major refulſit, & quaſi ſtella matutina ſuper

* *vide Num. CXL VIII.*

Digitized by Google

super alias Ecclesias clariùs micuit. Nunc verò, Deo gratias, orto in ea jam sole tantò fratrum numerus amplitudine sublimiùs irroratur, quantò in tam nobili & excellentissimo Patriarcha cœlestis benedictione dulcedinis prævenia dignoscitur, ut sicut Patrum nomen in principij claritate & ampliatione vocabuli gestat sic quoque virtutibus insignis præ alijs clarior existat, & Patriarchatus gratiam, quam repræsentat in nomine, præ participibus suis cunctis in opere offerat & sermone. Hæc sunt, Pater, festa Paschalia, quæ me & alios viros scholasticos, qui famam & gloriam nominis vestri meremur audire, ardentiùs excitant, & ad obsequium vestrum per omnia totos exponunt. Ad hæc etiam viam nobis parat, & semitam demonstrat Dominus H. nepos vester, in quo velut in speculo celsitudinis vestræ imago relucet, cujus apud nos conversatio dulcis, vita generosa, studium est admirabile, per quem in odorem unguentorum vestrorum currere postulamus pariter & affectamus, & utinam quandoque mereamur!

B.

CLXII.

Diploma Secundum Fundationis Abbatiæ Monasterij B. V. Mariæ ad Scotos Viennæ Ord. S. Benedicti, datum ab Heinrico *Duce Austriæ.*

1161. Ex autogr. P. H.

IN nomine Sancte & Individue Trinitatis, Ego *Heinricus* Dei gratia Dux Austrie. Quoniam de conscientie securitate tanquam de proprie meritis innocentie presumere nullatenus audemus, ad orationes Sanctorum, utpote certissima hujus mundane patrocinia peregrinationis indubitanter confugimus. Inde est, quòd inter ceteràs nostri patrocinatus Ecclesias, quas vel nostrorum pijssima devotio predecessorum fundavit, vel nostre munimine auctoritatis protegendas conservandasque reliquit, Abbatiam ad honorem Dei, & in veneratione glorioſissime Virginis *MARIE*. & in commemoratione beati *GREGORIJ* fundavimus in predio nostro & territorio, videlicet *Favie*, que à modernis *Wienna* nuncupatur.

Extat & apud Ludewig. T. IV. Reliq. MSS. pag. 244. sed mendosè.

Qua in re devotionis nostre intentionisque propositum, & ejusdem nostri propositi formam volumus minimè latere presentium seu futurorum fidelium universitatem, & precipuè nostrorum dilectionem successorum, quòd cùm ex diversarum gentium moribus diversis, non modicam Sepenumero contingat surrepere multiformitatem animorum, & ex eadem dissensiones, nos in istius novelle institutione plantationis, tortiones, invidie, & murmurationum collisiones, monastice unanimitati penitùs inimicas, omnimodis prevenire volentes, solos elegimus *Scottos*, eò, quòd & nostra experientia & Religiosorum potissimùm relatione noverimus laudabilem eorum simplicitatem, quos quidem favente Domini *Eberhardi Salzburgensis* Archiepiscopi, ac Domini & fratris nostri Chuonradi, Venerabilis *Patavienſis* Episcopi beneplacito in supra nominato loco, Deo & Beatissime Virgini *Marie* & sancto *Gregorio* sub regula monastice professionis in perpetuum famulari stabiliter immutabiliterque nostre robore auctoritatis statuimus.

C.

Hunc itaque locum tradimus cum omni legitime plenitudine potestatis, & integra potestate libere ordinationis possidendum atque regendum, cum universis mobilibus & immobilibus, cultis & incultis, que ad usus & providentiam *Scottorum* a nobis sive ab alijs fidelibus concessa sunt, vel concedenda, *Sanctino*, Scotto, Venerabili Abbati, nec non religiosissimo *Scottorum* monachorum Conventui, nulla penitus interposita conditione pertinente ad petitionem seu preceptum fundatoris de electione Abbatis sive substitutione monachorum vel fratrum, vel de exteriori ordinatione reddituum, seu Prediorum sive officiorum vel officinarum. Verùm sicut omnis interiorum, ita & exteriorum tota providentia in *Scottorum*, Abbatis videlicet & monachorum arbitrio, & libera ordinandi potestas in perpetuum consistat.

D.

Porro ne vel cujuspiam temeritas vel se aliquatenus ingerens oblivio, hunc nostre institutionis donationisque tenorem valeat immutare, eum per paginam presentem nostra roboratam impressione notum

notum facimus poſteritati. Si quis verò predicte traditionis ordinationisque modo contraire tentaverit, publice proſcriptionis animadverſioni ſubjaceat. Data *Wienne* anno ab incarnatione Domini Milleſimo, centeſimo ſexageſimo primo, decimo Kalendas Maij teſtibus adhibitis, de ordine nobilium *Engelberto* Comite *de Gorz*, *Liupoldo* Comite *de Blaien*, *Vlrico de Berneke*, *Adalberto de Berge*, *Walchuono de Chlamme*, *Dietrico de Algerſpach*, *VVernhardo de Jllbach*, & *Heinrico* filio ſuo, *Ottone de Rehperch*, *Dietmaro de Ageſt*. De ordine verò miniſterialium, *Alberone de Burchartſtorf*, *Heinrico de Miſtelbach*, *VVernhardo de Lancendorf*, *VVernhardo de Rabenſteine*, *Vlrico de Tribanswinchel*, *Chalhoho de Tulbingen* & fratribus ejus *Alberone* & *Frinfrido*, *Heinrico do Hage*, *Ortolfo* Camerario. De ordine Capellanorum, *Marchwardo* Prepoſito de *Niumburch*. *Ruodberto* Prepoſito de *Munſtuire*, *Pilgrimo de Zwetel*, *Herrando de Draſchyrche*, *Heinrico de Bolan*, *Dietrico de Miſtelbach*, *Philippo*, *Petro*.

Facta autem ſunt hec *Theodora* Venerabili Duciſſa ſavente, annuentibus quoque filijs ejus *Liupoldo* & *Heinrico*, nec non & filia ejus *Agneta*.

Sigilla hujus Diplomatis preferunt ſequentia nomina: Manegoldi Patavienſis Epiſcopi, *VVolfkeri* Patriarche, *Sigehardi Ipolitenſis* Prepoſiti & *Patavienſis* Epiſcopatûs Archibresbiteri, *VVezcilonis Chotwigenſis* Abbatis, *Theoderici Niwenburgenſis* Prepoſiti.

CLXIII.

Diploma Confirmationis Abbatie B. V. Marie ad Scotos Vienne Ord. S. Benedicti, ab Heinrico *Duce Auſtrie fundate.*

1161. ex autogr. P. H.

IN nomine Sancte & Individue Trinitatis, *Hainricus*, Dei gratia Dux *Auſtrie*, Univerſis fidelibus ſalutem in perpetuum. Pia & ſalubris eſt intentio, qua quiſque ad ſerviendum Deo movetur, & ad benè agendum intentam habet voluntatem. Que quidem voluntas in levioribus perſonis & ijs, quibus rerum non ſuppetit facultas, ſufficit, & eſt meritoria (quippe cùm voluntas pro facto reputetur) in magnatibus verò & univerſis, quibus copia rerum & auctoritas agendi quidlibet, amminiculatur, hec eadem laudabilior eſt, & majorem habet efficaciam, cùm ipſi hoc, quod per bonam voluntatem concipiunt in mente, ad exſequendum in opere habeant facultatem. Nobis igitur vniverſis Principibus, quibus plus eſt commiſſum, ut & plus a Nobis exigatur, expedit, ut bonam voluntatem & opera caritatis abundantiùs quàm ceteri ad univerſos extendamus, maximè tamen ad Religiosos & Monaſtice profeſſionis viros, quò ſecularia negocia poſtponentes, ad obſequia divina & cultum Religionis obſervandum, propenſiori cura & benevolentia fovere debemus & amplecti.

Pietatem itaque anteceſſorum noſtrorum, quam circa Eccleſiam accurata ſollicitudine jugiter intendere conſueverunt, imitari cupientes, univerſas Eccleſias, precipuè tamen eas, quarum fundatores ipſi exſtiterunt, pro poſſe manutenere & promovere intendimus, etſi non plura eis conferendo, ſaltem ab anteceſſoribus noſtris, & alijs, ipſis collata, patrocinatus noſtri defenſione eisdem conſervando. Cùm autem nos quosdam exules & ſimplices, *Scotos* videlicet, divine pietatis intuitu collegiſſemus, *Wyenne* in predio noſtro libere fundationis jure eos collocavimus, monaſterium ibidem in honore beate ac glorioſe Dei genitricis *Marie*, & beati *Gregorij* eisdem conſtruendo, & redditus ad ſubſidium ibidem Deo famulantibus eisdem *Scotis* benigna devotione donavimus, quos in preſenti pagina exprimi juſſimus, unà ſepulture & aliorum, quam eſſent habituri, juſtitiam aſſcribendo.

Decimam coquine noſtre: duas parrochias, *Pulca* videlicet & *Echendorf* cum attinentibus: & *Capellas Wiennenſes*, Capellam *ſancti Pancratij*, & capellam beati *Petri*, & Capellam *beate Marie*, & Capellam beati *Rudberti*: Et in *Chremſe* capellam beati *Stephani*: In *Tuln* capellam Sancte *Crucis*, & unum manſum; Capellam beati *Cholomanni* in *Loup*: In *Wirochperge* XII. manſus cum attinentibus: In *Eberſtorff* XII. manſus & unum dominicale: In *Ladendorff*

dorff XVI. manſus cum attinentibus : In *Hypelinsdorf* XVIIII. manſus cum attinentibus : In *Gribt Sanſteten* curiam villicariam cum attinentibus : In *Ruſpach* curiam villicariam, & unum manſum cum attinentibus : In *Erpurch* juxta *Falchenſtein* VIIII. manſus cum attinentibus. In *Fuldramsdorf* V. manſus : In *Svvechent* II. manſus : In *Wolfpeizzingen* I. man : In *Houmat* V. manſus. Nos quoque & omnem poſteritatem noſtram, univerſam familiam noſtram, in eodem Monaſterio ſtatuimus ſepeliri.

Hujus rei teſtes ſunt Comes *Hainricus de Schala.* Comes *Chunradus de Pilſtein.* Comes *Leupoldus de Plaigen. Otto de Lengenpach. Vlricus de Aſparn, Otto de Aſchaun. Eberhardus de Rudrich. Albero de Chunringen* & filius ejus *Hadmarus*, & frater ejus *Rapoto* caſtellanus de *Medlich*, & *Rapoto* filius ejus, & *Otto de Purcharchsdorf. Wernhardus de Ravvanſtein. Vlricus* dapifer. *Berhtoldus de Ivvanſtal. Hainricus de Miſtelbach. Irnfridus de Gnamendorf*, & alij quàm plurimi.

Acta ſunt hec coram Illuſtri Conjuge noſtra *Theodora* Duciſſa *Auſtrie* & filijs noſtris *Liupoldo* & *Heinrico*, nec non & filia noſtra *Agnete*. Hanc autem ſupradicte donationis ac noſtre confirmationis paginam preſentem ſigilli noſtri impreſſione corroboravimus, ne aliquis noſtrum factum retractare audeat vel mutare. Data *Vienne* anno ab Incarnatione Domini M. C. LX. primo. X. Kal: Maij.

CLXIV.

Diploma Hainrici Ducis Auſtrie, quo Eccleſiam Clauſtroneoburgenſem, tamquam locum ſepulture ſuorum Parentum in ſuam protectionem ſuſcipit, confirmando omnia privilegia, & jura, ipſi Monaſterio hucusque conceſſa, nominatim verò jus ad nutum eligendi & removendi ſubadvocatum.

1162. ex autogr. P. H.

IN nomine Sancte & Individue Trinitatis.

Hainricus Dei gracia Dux *Auſtrie*, *Marquardo* Venerabili *Nivvenburgenſis* Eccleſie Prepoſito & Succeſſoribus ſuis in perpetuum. Omnibus quidem Eccleſijs in Ducatu noſtro conſtitutis debitores ſumus, ut eis defenſionis graciam vigilanter & fructuosè impendere curemus : ſed principalem protectionem & ſpecialem patrocinij providentiam debemus *Nivvenburgenſi* Eccleſie, ubi requieſcunt in Chriſto cariſſimi parentes noſtri. Optantes ergo per graciam Dei cum eisdem parentibus noſtris optinere requiem ſempiternam, diligentiſſimè ſatagere volumus, ut locus ſepulture ipſorum perpetua pace gaudeat, religione polleat, laudibus Dei jugiter mancipetur.

Omnia igitur ejusdem Eccleſie privilegia, que pro ejus libertate & quiete munienda, uel â patre noſtro uel Romanis Pontificibus impetrata ſunt, ſimulque privilegium, quod dedit eidem Eccleſie Auguſte memoriæ Romanorum Rex *Chunradus*, Dominus & frater noſter uterinus, ſicut inconvulſa hactenus conſervavimus, ita usque in finem tam a nobis ipſis, quàm a filijs noſtris conſervari volumus. Quia verò plerisque Eccleſijs multa gravamina per importunitatem ſubadvocatorum eveniſſe cognovimus, ne ſimilia contingant Eccleſie, ubi Kariſſimi progenitores noſtri ſibi ſepulture locum elegerunt, precauere volumus. Ideoque veſtigijs Patris noſtri inherentes immobili firmitate ſtatuimus de ſubadvocatis, ut nullus, niſi ad arbitrium Prepoſiti inſtituatur. Qui ſi fortè inutilis apparuerit, vel aliquod gravamen Eccleſie intulerit, itidem ad voluntatem Prepoſiti removeatur, ſicut hactenus a Patre noſtro & a nobis obſervatum eſſe cognoſcitur.

Sciat ergo omnium tam preſentium, quàm futurorum univerſitas, quòd, ſicut nec a Patre noſtro, nec a nobis aliquis umquam prefate Eccleſie ſubadvocatiam hereditario uel beneficiali jure optinuit, ita nec in poſterum a nobis, uel ab heredibus noſtris optinere poterit. Vt autem ſcripti hujus tradicio rata & inconvulſa permaneat in perpetuum, Sigillo noſtro inſigniri fecimus. Datum *Wienne* Anno Incarnationis Domini M. C. LXII. regnante Romanorum [Imperatore] Friderico.

CLXV.

CLXV.

cire. 1164.

Elogium Gebehardi, Secundi Abbatis Windbergensis in Bavaria, Ordinis Præmonstrat.

extant hi versus ad calcem Codicis Windberg. quo liberi Conf. S. Aug. continentur.

HIc homo te quære, si te cupis ipse videre.
Hìc contemplaris, in quantis conmacularis.
Sordes discretas hìc quælibet invenit ætas
Vitæ præsentis, casum plerumque sequentis.
Hoc Opus est a te, Pater *Augustine* beate
Clarè prolatum, proprium te flente reatum,
Quo diversorum varias species vitiorum,
Quæ commisisti, plenè satis exposuisti.
Ecce Deo gratus Doctor jam præmemoratus,
Fortis agonista Christi, qui protulit ista,
Post tenebras lumen suadet per mentis acumen,
Et peccatorem vocat ad vitam meliorem
In se damnando, quod fecit prævaricando,
Vt nos damnemus, vitiosum quicquid habemus
Extirpando mali germen sub dogmate tali:
Vt nova cultura faciamus germina pura.

Propter Opus tale, quod Opus decus est speciale,
Et propter multa, quibus hæc sunt mœnia fulta,
Sunt enarrandi *Gebehardi*, Patris amandi
Egregij mores consignandique labores.
Hic locus a fundo sub eo pastore *Secundo*
Per celerem saltum muris excrevit in altum.
Ne morer in multis, a Patre pio benè cultis,
Jam breviter dico sudore quod egit amico.
Intus sive foris, quod habet locus iste decoris,
Ille ministravit, & lucra loco cumulavit.
Ergo labore pari studeant opus hoc imitari
Huic succedentes, meritum sibi par facientes,
Tamque Patris clari prece non cessent memorari
A. Post hunc viventes, ejusque labore fruentes
Optent semper ei, locus ut detur requiei
A Salvatore Mundi. Cessante labore
Lector dicat amen, nostrum supplendo precamen.

Aliud.*

** Habetur ad finem Cod. Windb. in quo extant Epistola S. Bernardi.*

HOc Opus haud grande nec inutile, Lector amande,
Larga manus largi Patris implevit *Gebehardi*.
En *Gebehardus* ego, qui nunc in corpore dego
B. Viribus orbatus, exhaustus, debilitatus,
Post breve de Mundo migrans, hoc consilium do
His (amor est) quorum mihi pars non nulla laborum,
Quos domus ista regit, ubi me mors dura subegit,
Collectis rebus per nos nostrisque diebus.
Vtere turba rudis, si non nova commoda cudis,
Parce modò partis alienæ viribus artis,
Et quæ collecta tibi sunt non absque labore
C. Noli neglecta quorundam spargere more.
Quale sit & quorum tempus cum germine morum,
In quo versaris, erras, si non meditaris.
Vndique versantur, & cuilibet insidiantur
Artes, mille doli. Falli fuge, fallere noli,
Atque tuis memor precibus memor esto tuorum.

CLXVI.

D. ### *Otacer, Marchio Styriæ, fundat & dotat Cartusiam Seitzensem.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, *Otacer* Marchio de *Styria* Divina favente Clementia. Ego *Otacer* Marchio de *Styria* omnibus præsentis & futuri temporis Christi fidelibus memorandum trado; &, vt nubem oblivionis omnibus ejus detergam, privilegium inscribi jubeo, & impressione sigilli mei corroboro: qualiter ordinem *Cartusiensis* heremi in *Marchia* meæ dilectionis transplantaverim.

1165. Ex Archiv. Seitzensi.

Igitur ad laudem Omnipotentis Dei, & Virginis perpetuæ Dei Genitricis Mariæ, votum deſiderio animi diu prælibatum, Divina cooperante gratia, feliciter conſummavi. Et, ut voti celeriùs compos fieri potuiſſem, miſſis legationibus, Apoſtolicam clementiam interpellavi, quatenus ipſius auctoritate interpoſita, monendo, rogando, & exhortando in Domino, Patres ſanctos prædicti Ordinis ad petitionem meam inclinaret : Sicque tanto fretus patrocinio cœptum opus per Dei miſericordiam tandem elaboravi.

Eſt pagus, qui vulgo dicitur *Gunvvitz*, in Patriarchatu *Aquilegenſi*, vbi ſitum eſt prædium, eminentioribus montibus circumſeptum, antedicto Ordini aptiſſimum, quod à *Liupoldo*, miniſteriali meo, legitimo concambio conquiſivi, retribuens ei quatuor villas iſtas, *VVides*, *Malchen*, *Chobilenlach*, *Lonke*, & manſum vnum *in VVindisken Gratze*, ſibi & vxori ſuæ, & liberis ſuis, in jus & proprietatem hæreditariam. In quo prædio in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctæ Genitricis ipſius, perpetuæ Virginis Mariæ, & ſancti *Joannis Baptiſtæ*, omniumque Sanctorum, reverentiſſimi Ordinis cellam fundavi; & prædium cambitum ibidem ſuper Altare potenti manu legavi cum omnibus ſuis vſibus & appenditijs ad idem pertinentibus, quæſitis & inquirendis, cultis & colendis, paſcuis, piſcationibus, aquis, aquarumque decurſibus.

Poſui præterea terminos illius cellæ, ſicut aquæ & nives decurrunt ab apicibus montium vsque in vallem ipſam in parte vna, & in parte altera vsque ad prædium *Gurcenſis* Eccleſiæ. Et tale dedi præceptum, ne quis terminos Heremitarum ibidem inhabitantium venationibus, piſcationibus, vel paſcendis gregibus, vel lignis ſuccidendis, neve ullis tumultuoſis acceſſionibus contemplatores Dei inquietare, vel Ordinem illorum perturbare præſumat. Si quis verò hujus noſtræ conſtitutionis edictum recognoſcens, contemptor temerarius extiterit, Advocati loci, ſi liber vel miniſterialis eſt, decem libras componat : ſi de ordine plebeio eſt, XXX. ſolidos perſolvat. Hujus etiam conſtitutionis meæ ſeriem nulli ſucceſſorum meorum liceat infringere. Volo etiam, & omnimodis interdico, ne Patriarcha vel aliquis Epiſcoporum poteſtatem habeat immutandi Ordinem Cartuſienſem in loco memorato. Quòd ſi Ordo prædictus cauſis intervenientibus, quod Deus avertat, in eodem cœnobio aliquando non fuerit, prædium idem in uſus meos vel hæredum meorum redigatur.

Ad confirmationem hujus traditionis & legationis meæ teſtes ſubſcripti ſunt per aurem tracti. Ego *Otacer* Dei gratia Marchio de *Styria*, *Heinricus* Pris, *Erchenpertus* gener ejus *Liupoldus de Hoheneke*, & filius ejus *VVerardus*, *Alram*, *Richerus*, *Gotſchalch*, *Otto*, *VVulvinch*, *Otto*, *Dietmar*, *Alber*, *Vlrich*, *Ortolf*, *Vlrich*, *Liutvvin*, *Vlrich*, *Irvan*, *Liutolt*, *Marchart*, & alij quàm plures.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXV. *Alexandro* III. Apoſtolicæ Sedi præſidente, *Friderico* Imperatore regnante, *Vdalrico* in Cathedra *Aquilegenſi* præſidente, *Baſilio* Priore in Heremo Cartuſienſi, *Beremundo* Priore loci hujus exiſtente feliciter. Amen.

CLXVII.

Eberhardi Epiſcopi Babenbergenſis & Gerhohi Præpoſiti * Reichersbergenſis de gloria & honore Filij Hominis, Chriſti, Epiſtolæ amœbææ.

* *ab anno 1133. ad 1168.*

I.

Eberhardi Ep. Babenb. epiſtola ad Præpoſitos Salzburg. & Chiemſeenſem. Dolorem ſuum de obitu Eberhardi Salzb. Archiep. declarat, eiſq; ſua adverſus Gerhohum ſcripta examinanda transmittit.

Ex Cod. Admontenſi coævo.

EBerhardus Dei gratia *Babenbergenſis* Eccleſiæ qualiscunque Miniſter, Venerabilibus & in Chriſto plurimùm Dilectis Fratribus & Amicis *H. Salzburgenſi*, *D. Kimiſſenſi* Præpoſitis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.

In commemoratione Beatiſſimi Patris, ac Domini Noſtri Archiepiſcopi *Eberhardi* jugiter in mentem venit, immò à

mò à memoria noſtra non recedit, quod diviſo à ſe Domino ſuo, & curru igneo ſubvecto vernaculus & individuus ille comes Prophetæ poſt eum clamavit dicens: *Pater mi! Pater mi! currus Iſraël, & auriga ejus.* Nunquid enim magnus iſte Sacerdos noſter, qui in diebus ſuis placuit Deo & inventus eſt juſtus? Currus enim fuit, dum neceſſitates & infirmitates alienas, præſertim onera peccatorum & inopiam pauperum paterna conſolatione & compaſſione ſublevavit. Quaſi diceret: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Vel nunquid non auriga fuit, qui credicos ſibi rexit, & direxit in viam veritatis exemplis pariter & documentis? Oculus fuit cæco, & pes claudo. Manus ejus non eſt averſa ab ullo paupere, cum quo cordi erat jocari, corri- * *ita Cod.* xi, * & tandem ab invalida manu exuperari. Inſuper ut omnibus omnia fieret, etiam ſupra legem, non contra legem, halitum leproſi & tactum lepræ non abhorruit. Quid ultra? Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Sed conſummatus in brevi explevit tempora multa. Et quidem ſicut ſcriptum eſt: *Malitia remanentium meretur, ut hi, qui prodeſſe poterant, feſtine ſubſtrahantur.* Atqui memorabilis ille Aſſecla Prophetæ magnificam duplicis ſpiritus habuit conſolationem, nobis autem in tranſitu Viri Sanctiſſimi præter luctum nihil amplius derelictum eſt, niſi fortè digni eſſemus apud Deum tanto ſublevari patrocinio. Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex, cui vivere Chriſtus, & mori eſſet lucrum. Propoſitum quidem nobis erat feſtinare ad videndum eum, ſed, proh dolor! peccatis noſtris exigentibus extremum hoc beneficium precipiendæ ab eo benedictionis nobis divinitùs denegatum eſſe lamentabiliter, & inconſolabiliter conquerimur.

Deniqúe ſcripta quædam cauſis urgentibus, prout videre & cognoſcere poterit diſcretio veſtra, ad ipſum Patrem & Dominum noſtrum dilectiſſimum direxeramus. Sed quia nec illa ad eum in carne ſuperſtitem pervenerunt properante Deo educere ipſum de medio iniquitatis, idcirco ut noſtræ ad ipſum devotionis, ſuaéque ad nos gratiæ in his ſaltem aliquod memoriale remaneat, vobis potiſſimùm tanquam proximioribus ejus debitô tam carnis quàm ſpiritus, ea deſtinavimus ſub eadem examinis & correctionis lege, atque ad eandem cenſuram, quam ab ejus auctoritate expectare debueramus, litteris Domni *Gerhoi*, tanquam præjacente materia opuſculi ſubſequentis, in fronte præfixis. Conſolemur invicem. Pater noſter piiſſimus intravit in gaudium Domini ſui. Ipſe autem Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis conſoletur vos, & abſtergat omnem lachrymam ab oculis veſtris.

2.

Gerhohi Reicherſpergenſis epiſtola ad Adamum Abbatem Eberacenſem, adversus errores Folmari Præpoſiti Trieffenſteinenſis.

DOmino A. Venerabili Abbati *Eberacenſi* frater G. de *Richerſperge* devotas orationes cum fideli obſequio.

Nuper venit in manus meas Epiſtola Domino meo Salzburgenſi deſtinata. &c. *Integram in Bibliotheca Patrum Colonienſi habes Tom. XIII. pag.* 346.

3.

Eberhardi Ep. Babenberg. ad Eberhardum Archiep. Salzb. epiſtola contra Gerhohum, Divinitatem in Sacramento altaris aſumentibus vorari, ac Chriſtum qua hominem Patri æqualem eſſe aſſerentem.

BEatiſſimo Patri & Domino *Eberhardo* Sanctæ *Salzburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopo E. *Babenbergenſis* per patientiam Dei, ſi quid eſt, id ipſum totum, quod eſt in eo, ſine quo nihil eſt.

Qamvis ſcribere non vacet mihi, cui vix etiam ſpirare conceditur propter innumeras & varias ſæcularium, proh dolor! negotiorum occupationes, neceſſitate tamen cogente, quæ legem non habet, contra legem, quam mihi de non ſcribendo indixeram, rupi aliquantulum ſilentium, & illud taciturnitatis meæ propoſitum. *Qui enim famam negligit, crudelis eſt.* Schedulæ Domini G. quibus jam omnes penè anguli terræ hujus repleti ſunt, non præterierunt me, neque intactum reliquerunt

runt apud alios, nescio si & apud vos, ubi tamen non solùm credo, sed & scio, & certus sum, quòd non invenerit locum, aut inveniat aliquid, quod contrarium sit mihi, ne dicam veritati, quod animus ille vester non possit recipere, qui & charitatis, & veritatis, & totius puritatis domicilium est.

Præfatus noster Scriba doctus inter alia, quæ non sunt hujus temporis, scripsit quibusdam fratribus quasi solus ipse Propheta sit in Israël, in collatione mecum habita turbatum se fuisse animo, eo quòd Christum *vassallo* comparaverim. Salva pace sua, licèt sapiens & doctus satis sit, in hoc neque sapientis, neque docti, nec etiam viri boni usus est officio, qui & proximo suo maledixit, & ea, quæ intra nos dicta sunt, aliter quàm dicta fuerint, interpretando suo se prodidit indicio, quòd non ad ædificationem charitatis, sed potiùs ad destructionem in corde mihi & corde locutus est. Cùm enim ejusdem periculi sit utrumque, plus minusve justò sentire de Christo, ipso fratre nostro proponente in doctrina sua, quod ab his dissonat, quæ Catholica Ecclesia & tenet, & concinit laude Symbolica de Christo: *Æqualis Patri*, &c. admiratus sum, & licèt minùs doctus & sapiens communi, ut verbis suis parceret, nec sic ablactaret nos, ut tam à solido cibo, quam ab ipso pijssimo latere Matris Ecclesiæ divelleret, cùm idem & lac parvulorum, & solidus perfectorum cibus sit. Magis autem ac magis eo laborare in suis probationibus, cùm adduceretur ab eo ad inprobandam veritatem ipsius Veritatis testimonium: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, & cætera huic similia, ad denegandum, quòd inde ei confici videbatur, videlicet, quòd Christus esset æqualis Patri, secundùm quod homo est, similitudo proposita est à me de *vassallo* & *Domino*. Qui quamvis eandem rem qualibet tòtaliter possideant, & non minùs habeant alter altero, minor tamen est alter altero. Non aliter comparavi Christum *vassallo*, neque vasallum Christo, nisi, ùt prædictum est, ad specificandum quodammodo, quod Beda ait: *Quidquid habet filius Dei per naturam, dedit assumpto homini habere per gratiam.* Quod A. ipsum etiam ei in quodam *Apologetico*, contra hujusmodi ineptias conscripto, ostendi, multa per similitudinem explanari, non tamen omnino rem rei comparativè coæquari. Longè namque aliud est exempli similitudine vel parabola aliquid agere, & aliud est rem rei in eo, quod est, esse vel non esse coæquando assimilare. Hac de causa quod scripsi, scripsi tunc, & scribo etiam nunc vestræ paternæ discretioni, ut me excusatum habeatis super hujusmodi enormitatibus, & hæc qualiacunque vestro potissimùm atque omnium, qui veritatem diligunt B. & intelligunt, judicio certis legibus emendationis subijcio, sciens in humanis adinventionibus nihil tam perfectum, quod perfectius esse non possit, nec tam benè dictum, quod melius dici non possit, vel ab æmulis incrustari aliqua ex parte finistra interpretatione, ad sensum dicentis aut scribentis non accomodata.

Fundamentum aliud, sicut ait Apostolus, *nemo potest ponere*, Deo gratias, *præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Qui ex hoc Mundo C. transiturus ad Patrem, novissimè Sacramentum Corporis & Sanguinis sui, quod Sacramentum omnium Sacramentorum, commendans discipulis suis, hoc modo ait: *Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum.* Huic fundamento stabili & immobili Sancti Patres superædificantes exemplis & documentis aurum & argentum, & lapides pretiosos multis auctoritatibus erudierunt & roboraverunt Sanctam Catholicam Ecclesiam, ita ut in Civitate Dei non desit murus, nec antemurale, & jam ampliùs alia doctrina non sit necessaria. Sed quicunque etiam Angelus de Cœlo aliud docuerit, scilicet contrarium Evangelio, anathema sit. Verumtamen quia inimicus homo non cessat jugiter superseminare Zizania, & oportet illa crescere usque ad messem, diligentissimè præcavendum est, ne quis per ignorantiam vel negligentiam falsa pro veris recipiat.

Quamobrem non doctoris aut correctoris auctoritatem usurpantes, sed commonitoris officio pro modulo nostro fungentes quædam ejusmodi, quæ nos & alios reverberant, in scriptis quorumdam fratrum nuper reperta, ad Vestræ

ſtræ Sanctitatis cenſuram trutinanda & eliminanda perferre decrevimus : & id quidem non ad noſtram gloriam, non ad fratrum, quorum ſcripta ſunt, verecundiam aut injuram. Si enim ad Vos tanquam ad ſapientem Architectum recurritur ſuper his, quæ ad decorem domûs Dei ſpectant, verè dignum & juſtum eſt : quia Vobis & merita vitæ, & theſauros ſcientiæ contulit Deus præ multis participibus veſtris. Scripta quædam Domni *Gerhoi* Abbati Eberacenſi directa usque ad nos pervenerunt, in quibus, ut verum fateamur, unà cum ipſo Abbate & alijs quibusdam fratribus quamplurimùm ſcandalizati ſumus propter verba cujusdam fratris, quem ipſe non immeritò reprehendit, nimis incautè poſita, cujus hæc verba erant in epiſtola Vobis transmiſſa : *Ego igitur in ſacroſancto Myſterio ſicut ſpiritalis uvæ meraciſſimum ſanguinem ſub vini ſapore ac ſpecie bibere me quidem, ſed ſolum ac purum ſine carne non dubito : ita ſolam & puram carnem Chriſti ſine oſſibus, ſine membris corporalibus, immò humani corporis plenitudine ſub panis ſapore ac ſpecie manducare me credo, nec me Filium hominis, ſed carnem Filij hominis manducare confiteor.* Inſuper & de pixidula Euchariſtiali, videlicet Corporis Domini, & alijs quibusdam in ipſo contextu litterarum, quas Vobis direxerat, nimiùm exceſſiſſe viſus eſt, quaſi minus in Euchariſtiali quàm in ſpacioſo Altari Corpus Domini comprehendi poſſit. Rogati autem à quibusdam Religioſis, ut contra aliquid ſcriberemus ad ædificationem ſaltem quorumlibet parvulorum, quibus lacte opus eſſet, non ſolido cibo, revolvimus animo illud Evangelicum, quod de peccato ſcandali ſpecialiter intelligendum eſt : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum intra te, & illum ſolum*, fratremque illum, qui talia ſcripſerat, per Domnum A. Venerabilem Abbatem de *Ebera* vocavimus ad nos, præſertim quia manus imponere Presbyterij à nobis, licèt indignis, ante aliquot annos acceperat. Auctore itaque Deo, & velociter currente ſermone ejus frater ille ab errore viæ ſuæ revocatus eſt. Qui ad ſe reverſus quantum deſipuerat, tantum reſipuit ab eo, quòd carnem ab oſſibus & ſanguine, & ſanguinem ab oſſibus & carne diviſerat in Corpore Domini, occaſione, ùt ait, horum verborum : *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quia in ſermone diviſa, ùt credidit, etiam in re ipſa diviſim accipienda nimis ſimpliciter intellexerat.

Inſuper quia ſcriptum reperit, videlicet in quibusdam ſententijs : *Integer Chriſtus ſumitur in utraque ſpecie, ſed illa Perſona, in qua ſunt tres illæ naturæ*, videlicet Divinitas, anima & caro, *& tamen in ſolum corpus Chriſti tranſit panis ille materialis : ſicut inter Chriſtus in cruce, & tamen ſola caro vulnerata fuit.* Quàm autem ineptè ſit hæc prædicti fratris in corpore & ſanguine Chriſti diviſio, & Eccleſiaſticæ veritati contraria, Beatus Auguſtinus evidentiſſimè declarat dicens : *Quando Chriſtus manducatur, vita manducatur : nec quando manducatur, partes de illo facimus.* Item : *Unusquisque partem ſuam accipit. Per partes manducatur, & manet integer.* De jam dictis igitur & cæteris ineptijs, & ſcriptorum ſuorum exceſſibus fraternè commonitus, &, Deo gratias, emendatus eſt conſiderata potiſſimùm auctoritate : quia *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis* licèt non ſolam carnem aſſumpſerit [ſine] anima, ſed animam humanam ſimiliter cum corpore. Item : *Accipite & comedite : Hoc eſt corpus meum, quod* vel exoſſatum, vel exſangue credere maximæ incredulitatis & abſurditatis eſt. Item ſanguinem æſtimare ſine corpore, qualis eſt ſtillans de corpore, aut manans è vulnere, paris amentiæ eſt : quia tale ſumitur à nobis, quale eſt. Quale autem ſit, declaravit, cùm poſt reſurrectionem dixit : *Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Et teſtimonio veritatis magnus ille Prætco ipſius veritatis Beatus Hilarius ſuccla-mat hoc modo : *De naturali in nobis Chriſti veritate, quam dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtulte atque impie dicimus. Ipſe enim ait : Caro mea vere eſt eſca, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius*

ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt, & hæc accepta atque hauſta id efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Quibus verbis ſufficienter oſtenditur, quid Sacramentum, quid res Sacramenti, quis etiam effectus ipſius Sacramenti ſit. Quæ tria principaliter in hoc Sacramento requirenda ſunt.

His atque alijs Sanctorum Patrum auctoritatibus commonitus frater ille, facilè acquievit omnibus, quæ Catholica ſentit Eccleſia, &, Deo gratias, verbum Dei, quia in terram bonam cecidit, coaluit, & fructum attulit in patientia. Promiſit enim coram *Eberacenſi* Abbate & alijs Religioſis, ſcripti ſui, quod revocari non poterat, retractationem cum hac emendatione, ut de cætero non ponat in Cœlum os ſuum, & de tam ardua re ultra vel nihil, aut fortè ſi neceſſè fuerit, parcius ſcribat & cautiùs his duobus evitatis, ſcilicet falſitate ſenſùs & verborum novitate. Hactenus hæc.

Nihilominùs autem ſilentio prætereire non poſſum aliud quoddam offendiculum, quod in eisdem invectivis Domni G. Præpoſiti invenimus. Sumpta enim auctoritate de Paſchalis Agni typica immolatione ad convincendum eum, quem diviſorem Chriſti nominat, intra cætera ſic ait: *At nunc in vero Agno, qui tollit peccata Mundi, caput cum pedibus, Divinitas videlicet cum tota Humanitate voratur: quia Chriſtus integer in Altaris myſterio manducatur.* Quis invenit iſta? Quis audivit talia? Quantò rectiùs cum Propheta diceret: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis?* Quicunque ſenſus ejus in verbis iſtis ſit, verba ipſa nimis incircumciſa, & ab uſu, & conſuetudine ſcholæ chriſtianæ videntur aliena, cùm dicat Apoſtolus: *Profanas verborum notas devita.* Si enim Dominus Noſter Jeſus Chriſtus ad evitandum horrorem ſub ſpecie panis & vini hoc Sacramentum commendare curavit, quare nos de re tam ineffabili loquentes verborum horrorem pariter & errorem non evitemus? Dictu enim & auditu horrenda nimis videntur hæc verba: *Divinitas ſimul voratur & Humanitas.* Credere, quòd Chriſtus in Altari integer ſumitur, rectè offerre eſt: ſed proprietates utriusque naturæ in Chriſto ab invicem non diſcernere, non eſt rectè dividere. Sanè quod in Agno typico præfiguratum eſt, adimpleri intelligitur in his, qui Divinitatem & Humanitatem cum noſtris infirmitatibus in Chriſto intelligentes ſine corpore mentis, ùt ait Beatus Gregorius, veſtigia ipſius Chriſti fide ſectantur & opere. Verba autem hæc, ſcilicèt: *Divinitas ſimul & Humanitas voratur*, hac auctoritate non videntur roborari. Cautè in talibus incedendum eſt, ne tam dicendi quàm ſapiendi ſobrietatem excedamus. In dicendo quidem multa, ſed in ſcribendo plurima & graviſſima ſunt pericula docente ac dicente Beato Hilario: *Non eſt humano aut Sæculi ſenſu in Dei rebus loquendum, nec per violentam aut impudentem prædicationem cæleſtium dictorum ſanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perverſitas eſt. Quæ ſcripta ſunt, legamus, & quæ legerimus, intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur.* Corpus Chriſti & ſanguis in Altari conficitur, & ſumitur & diſtribuitur ſecundùm ſpeciem Sacramentalem, ita ut ejusdem menſæ participes idoneos in id ipſum, & æqualiter omnes percipiant, quantum ad rem Sacramenti, velut in Manna Cœleſti ſecundùm Apoſtolum: *Qui multum habet, non abundavit, & qui modicum, non minoravit.* Secundùm effectum autem, quantum quisque credit, tantum comedit Auguſtino Auctore: *Viquid paras ventrem & dentem? Crede & manducaſti.* Unde in complendo oramus dicentes: *Ut quæ nunc viſibili Sacramentorum ſpecie gerimus, certa rerum veritate capiamus.* Quæ omnia ad effectum & ſpiritualem modum percipiendi reſpiciunt, quæ ſolis juſtis conveniunt. Sacramentaliter autem & realiter ſecundùm veritatem corporis Chriſti, quod de Virgine natum eſt, & in ara crucis immolatum, æquè omnes digni & indigni percipiunt, alij in vitam, alij in mortem.

Ad propoſitum redeuntes, & hinc inde, in quantum poſſumus, perſcrutantes non invenimus uſpiam: *Divinitas ſimul voratur tota & Humanitas.* Legimus utique: Paſſus eſt Deus, non Deitas,

tas, perſona videlicet Filij Dei, non illa natura, quæ illi cum Patre & Spiritu Sancto una & eadem eſt inſeparabilis & indiviſibilis. Aries immolatur. Iſaac patris gladio abducitur. Quod ſumitur in ſpecie panis, corpus Chriſti : quod in ſpecie vini, ſanguis Chriſti eſt : nec tamen aliud in una, aliud in altera, ſed idem Chriſtus in utraque, Deus, inquam, verus & homo verus, Ipſe, in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei abſconditi : ipſe, qui eſt Dei virtus & Dei ſapientia : ipſe, in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Frequentiùs autem ſumitur ob redivivas tentationes duplici in ſpecie : quia ipſe eſt animarum & corporum refectio atque redemptio. Et hoc eſt, utrumque, tam liminare quàm ſuperliminare linire ſanguine Agni, eodem etiam in modum crucis medijs aſpero in poſtibus. Nusquam adhuc invenio : *Deitas paſſa eſt*, *Deitas crucifixa*, *Deitas oblata*, *Deitas vorata*. Sed quia verba Sapientis velut clavi in altum defixi ſunt, ne ſuper verticem nos extollere videamur, doceri potiùs volumus, quàm alium ex infirmitate ſenſus noſtri judicare. Verumtamen hoc neque à Magiſtris didicimus vel à Sanctis Patribus, neque doceri poſſe credimus, quod *Divinitas ſimul voretur & tota Humanitas*. Cùm etiam Beatus Auguſtinus dicat : *Quia Chriſtum fas vorari dentibus non eſt, voluit Dominus Jeſus panem & vinum in myſterio verè carnem ſuam & ſanguinem conſecratione Spiritûs Sancti potentialiter creari, & quotidie pro Mundi vita immolari.* Sileant, immò pereant omnes rationes, & omnia argumenta philoſophica, ubi de fide agitur. Id credamus, id ſequamur, quod ipſe Chriſtus docuit, ut non noſter ſenſus in nobis, ſed jugiter ejus præveniat effectus. Fides enim non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Omnis humana ratio deficit, ubi virtute Dei, & ſermone Dei operatorio tanta fit rerum permutatio, ut de pane corpus Chriſti, & de vino ſanguis Chriſti fiat atteſtante Beato Ambroſio in Libro de Sacramentis : *Vides, quàm operatorius ſit ſermo Chriſti. Si enim tanta vis eſt in ſermone Chriſti Domini Jeſu, ut incipiant etiam eſſe, quæ non erant : quanto magis operatorius eſt, ut ſint, quæ erant, & in aliud commutentur ? Non erat corpus ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi, quia jam corpus Chriſti eſt.* Vbi cum aliud prorſus videatur, & aliud ſit, non tamen aliquid ibi fallaciæ, vel illuſionis eſt, vel in phantaſia vel in præſtigio, ſed omnia vera & non ficta : & non ſolùm ſenſus humani infirmitas ibi non fallitur, ſed tam ipſe ſenſus, quàm ratio & intellectus exuperatur. Quod ne impoſſibile videatur ei, qui Omnipotens eſt, audi Hilarium : *Non ſubjacet*, inquit, *naturæ legibus, à quo legem omnis natura ſortitur.* Non ergo ſine cauſa inquit Apoſtolus : *Videte, ne quis vos ſeducat per prophetiam & inanem fallaciam ſecundum elementa hujus Mundi.*

Item aliud offendiculum in litteris eisdem eſt in eo, quod ait *de verbo carnis*. Hìc utique aut animus erravit aut calamus. Sed quia ſuper hoc Hilarium appellavit, ad Hilarium veniamus, cujus in Pſalmo LVIII., unde ſe munit, hæc verba ſunt, & non alia : *Si verè verbum caro factum eſt, & verè nos verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit ?* Igitur evidentiſſimè aut *verbum carnem*, aut *carnem verbi* potiùs, quàm *verbum carnis* dici convenit & auctoritate præmiſſa & ratione hac : quia non *caro verbum*, ſed *verbum carnem* aſſumpſit. Nos itaque credimus & confitemur, quòd verbum Dei Patris eſt, quod à Patre procedit. Caro verbi eſt, quam ipſum verbum à Patre procedens aſſumpſit. Qualiter autem *verbum carnis* dicendum ſit, cum à ſolo Patre procedat, nec à carne aſſumptum ſit, ipſe viderit. Nos ſine auctoritate graviori recipere non præſumimus. Item non ſine cauſa inquit Apoſtolus : *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.* Verba enim peregrina & inuſitata ponere, ubi de fide Chriſti, & Sacramentorum ejus agitur, hoc eſt alijs, quàm MARIÆ, pannis Chriſtum involvere. Propheta mittendus a Domino humiliter ait : *Neſcio loqui,*

loqui, quia puer ego ſum. Amicus etiam & familiaris confabulator Domini ex ipſa & in ipſa collatione Domini impeditioris, & tardioris linguæ ſe eſſe confitetur. Ille etiam, quo inter natos mulierum non ſurrexit, Domino atteſtante, major, ait: *Qui poſt me veniet, ante me factus eſt, cujus non ſum dignus ſolvere* corrigiam calceamentorum ejus. Et unde hoc Scholaſticis iſtis, ut in fronte novitates ſuas adinveniant, & non recipientes eas omnes dijudicent?

Illud enim ſuper omnia mirabile dogma videtur, & nova quædam hujus temporis traditio de *æqualitate Filij hominis & Dei*, quaſi Chriſtus æqualis ſit Deo ſecundùm quod homo eſt: quia legunt: *Dedit illi Deus nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, & propter certas auctoritates conſonans huic & conſimiles. Cujus Evangelij conditores vel etiam aſſertores, ut paucis convenire liceat, ſcire velimus, quo ſenſu velint dicere: *Chriſtus æqualis eſt Deo, ſecundùm quod homo eſt.* Quòd ſi Chriſtum æqualem Deo dicunt, ſecundùm quod homo eſt, ac ſi dicatur: Chriſtus, *qui homo* eſt, æqualis eſt Deo, ſubintelligendo non eſſe æqualem Deo ſecundùm humanitatem, ſed ſecundùm Divinitatem, aliter hìc dicendum erat, videlicet: *Chriſtus æqualis eſt Deo, ſecundùm quod Deus eſt.* Nulli enim Catholico dubium, quin Chriſtus & Deus ſit, & homo ſit. Sed æqualem eſſe Deo ex altero habet, videlicet, quòd Deus eſt: ex altero non habet, videlicet quòd homo eſt. Vniverſaliter enim & ipſe homo aſſumptus, & alia quævis creatura non ex ſe habet eſſe vel aliquid eſſe, quod vel naturæ eſt, vel gratiæ, ſed ab eò, quod eſt, & qui eſt, qui & ait: *Ego ſum, qui ſum.* Igitur omne, quod eſt, ab eo eſt: & ideo minus eſt, quod per creationem ab eo eſt. Quod enim & naturaliter ab eo eſt, qui Pater eſt, unum cum ipſo & conſubſtantiale, & per omnia coæquale eſt, ut in perſonis proprietas, & in eſſentia unitas, & in majeſtate adoretur æqualitas. Quæ æqualitas, & ſi filij hominis eſt, non tamen ex eo, quod filius hominis eſt, ſed ex eo, quod filius ipſe hominis eſt filius Dei.

Et quia ſemel cœpimus, adhuc his ampliùs eosdem conveniamus. In omni A. comparatione videndum, quid cui comparetur, & ſecundùm quid alterum alteri comparetur. Cùm ergo Chriſtus æqualis eſſe Deo dicitur, vel ipſum Deo comparas ſecundùm quod homo eſt, vel ipſum Deo comparas, ſecundùm quod Deus eſt. Si ſecundùm quod homo eſt, Deo comparas, ut dicas: Chriſtus æqualis eſt Deo ſecundùm quod homo eſt, nihil falſius. Si ſecundùm quod Deus eſt, comparas hoc modo: Chriſtus æqualis eſt, ſecundùm quod Deus eſt, nihil verius, æqualitate tamen perſonarum non ſecundùm relationem, ſed ſecundùm B. ſubſtantiam accepta. Et ſic ad fontem eundem ſemper recurrimus dicendo: *Æqualis Patri ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem:* Quia nec majorem minuit aſſumptio, nec minorem conſumpſit glorificatio. Sed ne gradiamur in magnis, neque in mirabilibus ſuper nos, velut clypeis in unum conſertis auctoritatum quaſi contenſa nos certe * muniamus.

f. acie.

Primo loco ait ipſe, qui eſt Veritas: C. *Pater major me eſt.* Idem Dominus Noſter Jeſus, quid de ſe ipſo, quid de Spiritu Sancto dixerit, cùm datus eſt ei liber Iſaiæ Prophetæ, videamus: *Spiritus Domini ſuper me, eo quòd unxit me.* Et Propheta ait: *Vnxit te Deus Deus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Hoc & in ipſo vocabulo exprimitur, quod eſt *Chriſtus*, videlicet *unctus.* Minor autem â majore ungitur. Cùm ergo & Pater ungat, & Spiritus Sanctus ungat, minor eſt Pater Deo & Spiritu Sancto Chriſtus ſecùndum humanitatem unctus, & ſe ipſo ſecundùm quod Deus D. eſt, minor eſt ſecundùm id, quod homo eſt. Semper ergo Chriſtus, videlicet ex quo eſt unctus, id eſt ab Incarnatione ſemper Deus & homo, ſemper ergo minor Deo ſecundùm quod homo. Semper Chriſtus æqualis Deo ſecundùm quod homo.* Putas, ſine cauſa dictum eſt: *Super quem videris Spiritum Dei deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat?* Nunquid hodie Spiritus Dei ſuper eum non manet? Hoc etenim unguentum in capite manens & non deficiens deſcendit â capite in barbam, & â barba usque in oram veſtimenti. Hoc eſt oleum, quod

* *mendum.*

non

non deficit, ſed ſtetit, quando viduæ vaſa defecerunt.

Item : *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.* Vnde Auguſtinus contra Maximum : *Deus Pater & Deus Chriſti eſt & Pater. Sed Deus Chriſti ſecundùm humanitatem*, id eſt : quia Chriſtus eſt homo & natus ex fœmina. *Vnde in Pſalmis dicitur : De ventre matris meæ Deus meus es tu, oſtendens Patrem eſſe Deum ſuum, quia homo factus eſt. Homo enim de ventre matris natus eſt, & ſecundùm hominem de Virgine natus eſt Deus, ut non ſolùm Pater illi eſſet, qui eum de ſe ipſo genuit, ſed etiam ei eſſet Deus, quem de ventre matris hominem creavit.* Adverte quod dicit : *Creavit*, & non : *genuit.* Quia etiam nos, cùm peccatores eſſemus, voluntariè genuit, ſed non niſi verbo veritatis. Sed ei naſci fuit, quod nobis renaſci : quia non in iniquitatibus conceptus eſt ſicut & nos, ſed ab omni labe immunis Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi. Vnde ſequitur : *Qui ergo Pater eſt Filio ex utero ſuo, de ventre matris Deus ejus eſt non de ſuo. Vnde ipſe Dominus ait : Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum & cætera.* Idem in eodem : *Valde rationabiliter & Patre minor eſt homo Chriſtus, & Patri æqualis eſt idem ipſe Deus Chriſtus.* Pulchrè autem Apoſtolus de Sacramento Conjugij tractans : *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum eſt, dico autem in Chriſto & in Eccleſia.* Quod latius ediſſerens alibi ait : *Caput mulieris vir, caput viri Chriſtus, caput autem Chriſti Deus.* Quod cùm Sancti Patres pluribus modis exponant, Beatus Auguſtinus de Trinitate ſic exponit : *Si Deus omnia tria ſimiliter hìc intelligitur, quomodo Caput Chriſti eſt Deus, id eſt : Caput Chriſti eſt Trinitas, cùm in Trinitate ſit Chriſtus, ut ſit Trinitas ? An quòd Pater eſt cum Filio, & Spiritu Sancto, caput ejus eſt, qui ſolus eſt Filius ? cum Filio enim & Spiritu Sancto Pater Deus, Deus eſt, Filius autem ſolus homo factus eſt. Secundùm quam humilitatem ejus etiam eo major eſt Pater, & ſecundùm hoc verè dicitur : quia quod illi cum Patre & Spiritu Sancto unum eſt, caput ſit hominis mediatoris, quod ipſe ſolus eſt.*

Ambroſius de Fide ad Gratianum Imperatorem libro quarto : *Sit juxta humanam conditionem caput Chriſti Deus. Non dixit : caput Chriſti Pater, ſed : caput Chriſti Deus : quia Divinitas utpote creatrix caput eſt creaturæ. Et benè dixit : Caput Chriſti Deus, ut & Divinitatem Chriſti ſignificaret & carnem, hoc eſt Incarnationem in Chriſti nomine, in Deo autem unitatem Divinitatis & magnitudinem poteſtatis. Eo usque autem caput Chriſti Deus ſecundùm incarnationem dictus eſt, ut & ut caput viri Chriſtus ſecundùm incarnationem dictus ſit.* Et infra : *Eſt autem caput Chriſti Deus, ubi ſervi, hoc eſt, hominis, non Dei forma tractatur. Sed nihil præjudicat Dei Filio, ſi ſecundùm veritatem ſimilis ſit hominibus, qui Divinitate cum Patre unum eſt. Non enim poteſtas hac interpretatione minuitur, ſed miſericordia prædicatur.*

At nunc rogo vos omnes, qui diligitis Dominum, attendite, & invocetur nomen Domini ſuper nos, ut non falſitas veritati præjudicet, ſed lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, ad agnoſcendam veritatem cordis noſtri tenebras illuminet. Inſipiens honorificentia eorum, qui hanc injuriam Deo inferunt, & non Deo tantùm, ſed etiam homini, ut Filium hominis æqualem Deo faciant, ſecundùm quod homo eſt. Magnopere ſe tuetur auctoritate Ambroſij de Fide ad Gratianum Imperatorem Capitulo, quo tractatur de ſubjectione Filij, cujus Capituli initium tale eſt : *Subjectum itaque Imperator Auguſte, quemadmodum debeamus accipere, conſideremus.* Sed quia littera occidit, ſpiritus autem vivificat, verba Ambroſij tantò obſcuriora, quantò diviniora, non perfunctoriè à quibuslibet legenda ſunt, ſed diligentem & intelligentem lectorem deſiderant. Ad majorem igitur tantæ auctoritatis evidentiam principalis intentio ipſius Auctoris intuenda eſt. Contra hæreticos enim diſputans, qui minorem Patre filium aſſerebant, etiam ſecundùm quod Deus eſt, auctoritatem Apoſtoli, quam inferebant ad probandam Filij ſubjectionem

nem ſecundùm quod Deus eſt, Beatus Ambroſius determinat, & probat validiſſimè, auctoritatem illam referendam eſſe non ad ſubjectionem Filij ſecundùm quod Deus eſt, ſed ſecundùm quod homo eſt. Cujus diſputationis & argumentationis ordo talis eſt. Colligit enim plura ſubjectionis genera, quæ paſſim in Sacra Scriptura inveniuntur, & hæc omnia à Filio Dei removendo, quod nullum eorum convenit ei, ſecundùm quod Deus eſt, infert, quod reliquum eſt, ad humanam ſcilicet naturam referendam eſſe ſubjectionem dupliciter, videlicet tam in capite quàm in membris, & tam ſecundùm carnem quàm ſecundùm animam. Ad ædificationem verò auditorum & majorem evidentiam ipſa ſubjectionum genera compendiosè perſtringere operæ pretium judicavimus. Subditur enim vanitati creatura, mulier viro, poteſtati, qui ſub poteſtate eſt, ſervus domino. Charitativa etiam ſubjectio eſt. Vnde: *Subjecti invicem in timore Chriſti.* Et execrabilis illa ſubjectio, quam Sabelliani & Marcionitæ aſſerebant, quòd Filius in Patrem refundatur, quod ſpecialiter improbat. Creaturæ quoque ſubjectio ad Creatorem ſubjectio ſolius voluntatis, quæ non diverſa eſt in Patre & Filio, ſed eadem. Cunctis his generibus ſubjectionis à Filio Dei ſecundùm Divinitatem remotis conſequenter & convenienter infert auctoritatem Apoſtoli de ſubjectione Filij ad Humanitatis naturam referendam eſſe, ſicut prædictum eſt. Quam ſubjectionem Beatus Ambroſius auctoritate ſua confirmat prædictis quædam inſerendo, & in fine capitulum ipſum ſub hac ſententia concludendo, quòd homo Deo ſubijciatur. Ait enim: *Cùm ſubijciendus eſſe dicatur in tempore diſpenſationis, ergo ſuſceptæ, non perpetuæ infirmitatis erit illa ſubjectio, maximè, cùm ſempiterna Dei virtus non poſſit ſtatum mutare pro tempore, nec Deo Patri ex tempore ejus poteſtati accedere.*

Non itaque glorientur adversùm nos ex hac auctoritate, qui dicunt Dominum Jeſum ante paſſionem ſubjectum fuiſſe Deo Patri, & nunc poſt paſſionem & reſurrectionem nec ſubjectum eſſe, nec ſubijciendum: quia quod dicit Ambroſius: *Suſceptæ, non perpetuæ A. infirmitatis erit illa ſubjectio*, parti eorum non favet, ſed contra hæreticos dictum eſt, qui æternam in Filio Dei infirmitatem aſſerebant, ùt ſupra explanavimus, ſecundùm quos perpetua Dei eſſet infirmitas, ſi perpetua eſſet ſubjectio. Fur non venit, niſi ut furetur. Sed nemo ſic furetur hanc auctoritatem, ut demendo præcedentia omnia & ſubſequentia dicat ſolummodo: *Suſceptæ, non perpetuæ infirmitatis erit illa ſubjectio*; quaſi tunc tantùm ſubjectus, cum adhuc eſſet mortalis, & modò non, cùm immortalis & impaſſibilis.

B. Item infra: *Nondum ſubjectus eſt Chriſtus, cujus adhuc membra non ſunt ſubjecta. Cùm autem fuerimus non multa membra, ſed unus ſpiritus, tunc & ipſe ſubjectus erit, ut per ipſius ſubjectionem ſit Deus omnia in omnibus.* Item infra: *Subjectio itaque obedientiæ mortis, mors aſſumptionis humanæ, aſſumptionis ergo humanæ erit illa ſubjectio. Nequaquam igitur Divinitatis infirmitas, ſed diſpenſatio iſta pietatis eſt.* Item infra: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Maledictus, quia* C. *noſtra maledicta ſuſcepit: ſubjectus quoque, quia ſubjectionem noſtram ipſe ſuſcepit, ſed in ſervilis formæ aſſumptione.* In fine autem vim ſententiæ concludit his verbis: *Secundùm carnem ei omnia ſubjecta tradentur, ſecundùm quam & à mortuis ſuſcitatus eſt. Et ſecundùm animam humanam ac rationabilem ſubjectionem Domini jure plerique interpretantur, quia ſcriptum eſt: Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? Animam dixit, non Divinitatem. Et ut ſciremus, quia Dominus per Prophetam de ſuſceptione naturæ locutus eſt humanæ, addidit:* D. *Vsquequo adijcietis ſuper hominem, ſecundùm illud quod ait in Evangelio: Quid me quæritis interficere hominem? Et addidit: Verùtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in ſiti, ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.* Judæi enim reportante Juda pretium recipere noluerunt currentes in ſiti amentiæ: quia ſpiritalis potùs gratiam recusârunt. Hæc eſt piæ ſubjectionis interpretatio. Etenim cum Dominicæ Paſſionis hoc munus ſit, utique in quo paſſus eſt, in hoc erit ſubjectus in nobis. Vnde conſtat, quòd ſi in natura

ta humana paſſus eſt, ergo & in ea ſubjectus eſt in nobis: quia & Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, id eſt: in humana natura. Vnde & Mediator dicitur Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus. Neque enim ſubijciemur, niſi per ejus ſubjectionem, ſicut nec reſurgemus niſi per ejus reſurrectionem. Ipſe enim Pontifex factus eſt futurorum bonorum, per quem acceſſum habemus ad Deum. Vel numquid modò poſt reſurrectionem non habemus acceſſum ad Deum per eum? Subjectus itaque & ipſe eſt per noſtram ſubjectionem, qui caput noſtrum eſt, & nos, qui membra ejus ſumus, ſubijciemur Deo Patri per ſubjectionem ejus, & ipſi ſubijciemur & ſecundùm quod Deus eſt, & ſecundùm quod homo eſt: quia Redemptor noſter eſt, & Deus ſubjecit omnia ſub pedibus ejus, ſicut & fecit, quæ futura ſunt. Nonnunquam enim capiti quod membrorum eſt, & viciſſim membris datur, quod capitis eſt. Nimirum eadem virtute inhabitationis ſuæ in nobis per unitatem naturæ conſidemus & nos in cœleſtibus nunc per eum, qui ſedet ad dexteram Patris, ut Ambroſius ait: in futuro autem & ſedes ſedebunt in judicio, & nos, qui membra illius capitis ſumus, non ſolùm ſedebimus, ſed etiam poſſidebimus præparatum nobis regnum ab initio Sæculi. Vnde Ambroſius: *Sic in illo ſedebimus ad dexteram Patris, non quia cum ipſo ſedebimus, ſed quia ſedebimus in Corpore Chriſti.*

Numquid ergo minor non eſt, qui inter ſumma & ima medius eſt? Quin potiùs per illud admirabile Incarnationis commercium Dei & hominis adimpletur ineffabile conſortium. Leo Papa: *Niſi eſſet verus Deus, non afferret remedium: ſi non eſſet homo verus, non præberet exemplum.*

Eſt & alia adhuc ejusdem rei probatio, quia ſcriptum eſt: *Qui etiam interpellat pro nobis.* Et ne quis dixerit, quia *& ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, poſtulat ſpiritus, quia poſtulare nos facit: interpellat autem Filius, quia ſuæ incarnationis ſacramento pro nobis intervenit, ipſe Judex & Advocatus noſter ſemper æqualis Patri ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem. Et ſemper eſt *Emanuel*, quod eſt: *nobiſcum Deus.* Nobiſcum in ſuſceptione noſtræ naturæ, nobiſcum in ſubjectione, nobiſcum in glorificatione: quia & ipſe Deus, & nos Dij. Sed ipſe Deus ſecundùm plenitudinem Divinitatis, nos verò Dij ſecudùm participationem beatitudinis. Quod Beatus Leo Papa ſic proſequitur: *Ecce Virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel, quod eſt interpretatum: nobiſcum Deus. Hic enim mirabilis Sacræ Virginis partus verè humanum, vereq́ divinam unâ edidit prole naturam: quia non ita proprietates ſuas tenuit utraque ſubſtantia, ut perſonarum in eis poſſit eſſe diſcretio. Nec ſic creatura in ſocietatem ſui Creatoris aſſumpta eſt, ut ille habitator, & illa eſſet habitaculum: Sed ita, ut natura alteri altera miſceretur. Et quamvis altera ſit, quæ ſuſcipitur, altera verò quæ ſuſcipit, in tantam tamen virtutem convenit utriusque diverſitas, ut unus idemq́ ſit filius, qui ſe & ſecundum quod verus eſt homo, Patre dicit minorem, & ſecundum quod verus Deus eſt, Patri profitetur æqualem.*

Et ne quid de noſtro dicere videamur, audi Hilarium: *Ne ſe quisquam Vnigenito per ſubſtantiam Divinitatis exæquet. Sit nobis ille & frater, & particeps ſecundùm quod Verbum caro factum habitavit in nobis. Immò, quod Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus eſt, ſit nobis ſecundum ſervos & communis Pater, & communis Deus.* Has auctoritates velut in unum corpuſculum redigere ſtuduimus, ut & faciliùs poſſit memoriæ commendari, & Catholicæ veritati difficilius quis poſſit refragari, quatenus omnibus quaſi ſub oculo poſitis in promptu, & de copia eſſet electio contra eos, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent. Si quæ verò ex dictis Hilarij, quæ ſupra hominem ſunt, prædictis adverſari videntur, primò dicimus, quod quemadmodum Hilarius à lectione ſimpliciorum fratrum procul eſt teſte Hieronymo, ita & â noſtra interpretatione. Verumtamen quia parati eſſe debemus omni poſcenti rationem reddere de ea, quæ in nobis eſt, fide, non ad exponendum Hilarium, ſed ad reſpondendum his, quæ fortè objici poſſunt,

possuat, pro viribus intendamus, firmiter animo retinentes, & in quantum possumus, exequi cupientes adjuvante Domino Doctrinam hanc Beati Gregorij: *Cauta manu operantis id agendum est, ut dum spina tollitur, spica nutriatur.*

Videtur valde contrarium supradictis, quod ait Hilarius in libro nono: *Si nativitas hominis naturam novam inulit, & humilitas formam demutavit sub assumptione servili, nunc donatio nominis, formæ reddit æqualitatem.* Item: *Glorificaturus Filiũ Pater major est, glorificatus in Patre Filius minor non est. Aut quomodo minor est, qui in gloria Dei Patris est? Aut numquid Pater major non est? Major utique Pater est, dum Pater est, sed Filius, dum filius est, minor non est. Nativitas filij Patrem constituit majorem, minorem filium esse nativitatis natura non patitur.* Item libro undecimo: *Naturæ nostræ corporis natura Paterna Divinitatis invecta.* Et infra: *Adepturus in omnibus ex subiectione, quod Dei est, ne ex parte Deus sit, sed totus Deus. Non alia itaque subjectionis causa est, quam ut omnia in omnibus Deus sit nulla experte terreni corporis residente natura.* Et post pauca: *Dum homo & Deus, iam Deus totum est. Denique id, à quo omnia pendent, datum est nomen, quod est super omne nomen, & Jesus est in gloria Dei Patris.*

Omnia hæc ad unum sensum respiciunt, ideoque facilior exitus erit, eo largiente qui sapientiam præstat etiam parvulis. Quid enim, si dicat Hilarius: Domine vim patior, responde pro me? Quid verò si imperet Dominus Paulo, ut respondeat? Dicet utique de Christo: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Arbitratus est enim Christus, non rapinam esse se æqualem Deo. Sed unde? *Cùm in forma Dei esset.* Ex hoc profectò, non ex alio. Quid ultra moramur? *Oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam.* Propheta ille magnus sine honore erat in patria sua, quem in propria venientem sui eum non receperunt. Granum ergo illud frumenti cadens in terram mortuum est, & ideo singulariter, & solum non remanens multum fructum attulit. Datum est ei nomen, quod est super omne nomen. *Nomen à notione* dicitur. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Ab hominibus ùt homo tantùm habitus est ante passionem. Discipuli etiam quia non credebant in eum ùt postmodum, relicto eo fugerunt. Æstimatus est cum descendentibus in lacum. Quàm inglorius erat, quàm nullius nominis erat! Resurexit à morte, illico datum est ei nomen, quod est super omne nomen meritô passionis, & per fidem, & suæ Divinitatis cognitionem exaltatus a terra omnia traxit ad se ipsum. Siquidem ab initio incarnationis inhabitavit in homine illo plenitudo Divinitatis corporaliter, sed carne velatur, & in ipsa passione obscuratus quodammodo ille Sol justitiæ, in resurrectione radios suæ Divinitatis expandit, & datæ sunt ei gentes in hæreditatem, & termini terræ in possessionem acceptis clavibus mortis & inferni: & sic intravit per passionem & resurrectionem in gloriam suam, ut sedeat ad dexteram Patris conregnando, & in potioribus ejus bonis quiescendo, non solùm hujus nominis honorificentiam adeptus, ut credatur Deus, sed etiam immortalitatem & impassibilitatem secundùm carnem consecutus, nulla ex parte terreni corporis in eo residente natura, ùt ait Hilarius, non abjecto corpore, sed ex subjectione, videlicet priore, translato. Et sic jam Deus totum est, id est: totum Divinum, ùt præmissum est. Quod etiam in quodam *Apologetico* nostro adbreviavimus. Ecce filius ille fabri, sed totius fabricæ Mundi fabricator, quanti nominis modò sit effectus, indicat: quia missis Apostolis ad prædicandum, in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Et ne quis dubitet super his, audiat Augustinum: *In qua forma crucifixus est, in ea exaltatus est, & in ea donatum est ei nomen, ut cum ipsa forma servi nominetur Unigenitus Filius Dei. Hinc illi donatum est nomen ùt homini, quod jam habebat idem ipse Deus.* Nomen ergo istud tunc datum per manifestationem, non tamen alienum, sed jam ante inditum, & per ascensionem, & adventum Spiritus Sancti confirmatum,

Digitized by Google

tum, & quotidie per fidem accrescens in nobis, in ultimo adventu consummabitur, quando in nomine Jesu flectetur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum, & confitebitur omnis lingua quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Non minoris itaque, sed ejusdem gloriæ sicut nunc in re, ita tunc erit in omnium cognitione Jesus Christus, qui cum Patre unus est Deus. Atque hoc ordine complebitur gloria & clarificatio nominis ipsius, qui ipse homo cum Patre unus est Deus, unius gloriæ, sicut unius essentiæ.

Non obijcias hìc, quincunque sanæ doctrinæ adversari volueris, quod & Deus glorificatus est. Non enim nec se ipsum glorificavit, nec Deum ùt ait Hilarius, sed Deus in eo glorificatus est & in Deum. Quod non mirum, cùm etiam in resuscitatione Lazari glorificatus sit Deus in homine, licèt tamen longè aliter. Plenariæ igitur donationis reddit illi formæ æqualitatem & glorificatus major, & glorificatus non minor: & Pater dum Pater est, major, filius autem dum filius est, non minor, & tantum esse datum est homini huic, quantus ipse Pater est. Omnia hæc diversis respectibus sicut dicta sunt, ita & determinanda, ut unicuique tribuatur, quod suum est & glorificanti & glorificato Patri & Filio, danti & suscipienti, Deo & Homini. *Omnis* enim *gloria*, ùt ait Hilarius, *non Verbo sed homini acquirebatur.* Sic itaque & glorificanti & donanti, & Patri & Deo sua deferetur auctoritas, & homini Christo secundùm ea, quæ hominis sunt subjectionis humilitas, & secundùm ea, quæ Dei sunt, cum Deo coæqualitas. Quæ omnia Beatus Augustinus de verbis Domini explanat hoc modo: *Deus Christus æqualis est Patri, tantus est quantus ille, talis est qualis ille. Hic est, quod ille, non hic est, qui ille: quia ille Pater. Hic filius, sed hic est quod ille: quia ille Deus & ille, ille omnipotens & ille, ille immutabilis & ille, & sic de cæteris.* Æqualis ergo Patri, sed dico minor Patre sed humaniter. Si quis altitudinem cisternæ hujus altiùs fodiendo aperire, & non operire voluerit, si ceciderit in eam bos aut asinus, de pretio jumentorum tenebitur.

4.

Eberhardi Episcopi Babenb. epistola ad N. in qua ulterius sententia Gerhohi de gloria & honore filij hominis, Christi, impugnatur, ostenditurq; Concilium Ephesinum eidem haud patrocinari.

CUm & rei magnitudine, & multis occupationibus exsuperati alijs vacare, & vobis ultra omnino non, esse disponeremus, litteræ Domini G. supervenerunt. Quibus post excusationem quorundam verborum, in quibus posuisse visus est in Cœlum os suum, satis patienter respondet litteris, quas ei necessitate coacti direxeramus, Insuper etiam consensit quibusdam, quæ non solebat ante concedere, prout nobis visum est. Etenim auctore Deo & verbis Domini: *Ascendo ad Patrem meum & patrem vestrum & cætera*, his, inquam, verbis Domini & expositione Beati Augustini super hunc locum dicentis in persona Christi *Deum meum, sub quo & ego homo sum*, commonitus est & inclinatus usque ad nos, ut Christum secundùm hominem & creaturam & Deo subjectum ùt creaturam creatori suo concedat. Sed adhuc longè distat à nobis: quia nec Deum concedit esse Dominum, nec ipsum Christum secundùm hominem ita subjectum tanquam Domino sed tanquam filium Patri & creaturam creatori suo.

Hac ratione sententiam roborat, quòd Christus nec ante resurrectionem, nec post resurrectionem *Dominum* nominat, sed *Deum*, aut *Patrem* solummodo. His ergo perspectis & auctoritatibus canonicis & Divinis diligentiùs consideratis quasi deliramenta visa sunt verba hæc, & tamen non negligenda, neque silentio prætereunda propter incautos & minùs exercitatos, ne in laqueum, aut in foveam cadant, & gravissimum licèt ignoranter periculum incurrant. In his namque ignorantia neminem excusat, sed ignorans ignorabitur. Tanta enim & talis morbi occasio, si sine contradictione tranquillitate diuturna potita foret, morbum induceret gravissi-

viſſimum, & ſic ſilentio confota pravitatis fortè aliquo tempore erumperet in regulam. Ideo talibus non convenit alludere, ſed antequam convaleſcant, tanquàm parvulos ad petram allidere neceſſe eſt. Quamvis autem non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris, tamen fraternæ commonitionis & correctionis gratiâ, licèt aridum & exſangue ſit, quod dicimus, cum vidua illa, quæ duo minuta obtulit, quantum poſſumus, in gaziophylacium offerre decrevimus. Præſertim cùm hujusmodi maculoſæ varietates ad judicium illorum referendæ ſint, quorum labia cuſtodiunt ſcientiam, & qui in lege Domini meditantur die ac nocte.

Quàm ſtabile, vel potiùs quàm fragile ſit fundamentum, ſuper quod hic homo ſapiens ædificat, ex hac parte apparet. Quia ſi nihil aliud autenticum eſt, niſi quod Dominus Jeſus ante reſurrectionem vel pòſt locutus eſt in propria perſona, ad antiquum chaos redibimus, ut ſine lege ſimus & Prophetis & ſine omnibus, quæcunque præter verba Domini ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Quàm abſurdum hoc ſit, nemo ſenſatus eſt, qui non videat. His ergo ſpretis quæ frivola ſunt, veteris ac novi Teſtamenti ſequamur auctoritates. Ad hæc autem improbanda cum inopes nos etiam copia faciat, de multis pauca proferamus: Ait Moyſes: *Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus de fratribus veſtris, tanquam me, ipſum audietis.* Quis verò ille eſt, qui loquitur, & cui loquitur in Propheta Dominus: *Tu autem Domine, miſerere mei, & reſuſcita me, & retribuam eis.* Numquid Joannes Baptiſta eſt iſte, qui reſurrexit à mortuis, aut Elias, vel Jeremias, aut unus ex Prophetis? Irriſione potiùs quàm reſponſione digna ſunt hujusmodi vaniloquia. Sed quia ſermo talium ùt cancer ſerpit, etiam his reſponderi oportet: quia luce clarius eſt nos in illa periculoſa tempora jam deveniſſe, quæ Apoſtolus inſtare prædixit, quando homines juxta deſideria cordis ſui *coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus.* Monſtri ſimile potiùs quàm veri ſimile eſt, Omnipotentem eſſe *Deum* alicujus creaturæ, & non eſſe *Dominum.* Auguſtinus in Sermone ſuper: *Non conturbetur cor veſtrum*: *Agnoſcamus geminam ſubſtantiam Chriſti Divinam ſcilicet, qua æqualis eſt Patri, humanam, qua maior eſt Pater. Utrumque autem non duo, ſed unus eſt Chriſtus.* Et poſt pauca: *Licèt unam perſonam in Chriſto credamus, duas tamen ſubſtantias, id eſt: naturas fatemur, Divinitatis ſcilicet & humanitatis, aſſumptricis & aſſumptæ, creatricis & creatæ. Quæ tamen ſubſtantiæ non ſunt confuſæ, ſed unitæ, atque in una eademq́ perſona inſeparabiles, & in ſua ſemper proprietate manentes.* Quid evidentius auctoritate Iſaiæ Prophetæ? *Rorate Cæli deſuper & nubes pluant juſtum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem, ego Dominus creavi eum.* Liquidò apparet, quòd ex creatione Dominus eſt Chriſti ſecundùm quod homò eſt, & ſi perſeverat creatio in Chriſto, perſeverat & dominium in Creatore.

Vt autem ſecuriùs incedamus, aliunde petitis utamur argumentis. Auguſtinus in prædictis Sermonibus contra eos, qui creaturam aſſerebant Filium Dei etiam ſecundùm Divinitatem, in directa ratione ſic utitur: *Si creatus eſt, utique & ſervus eſt: quia omne, quod creatum eſt, neceſſe eſt, ut Creatori deſerviat.* Nos autem eadem ratione directa, quantum ad propoſitum noſtrum, utentes dicimus: Si filius hominis creatus eſt, utique & ſervus eſt. Sed creatus eſt, ſicut prædictum eſt in Iſaia: ergo & ſervus eſt, & neceſſe eſt, ut deſerviat ſicut creatura creatori ſuo. Confidenter ſecundùm Auguſtinum dicimus, quia *pulvis noſter iam incorruptibilis ſactus ſedet ad dexteram Patris*: cujus utique pulveris ſicut creator & Deus: ita Dominus eſt Pater. Sicut ipſe Auguſtinus alio loco declarat ſuper Verſum: *Et tu Domine, Domine ſac meum. Pater*, inquit, *adiuvat filium, in quantum Deus hominem, propter formam ſervi, cui homini Deus, & cui in forma ſervi etiam Dominus eſt Pater.* Qui Dominus ejus ab Angelo prædicitur, daturus ei ſedem David Patris ejus. Hinc ille ſervus, in Zorobabel præfiguratus, ſicut in Aggæo legitur: *In die illo aſſumam te Zorobabel, fili Salathiel, ſerve meus, & ponam te quaſi ſignaculum: quia ego elegi te, dicit Dominus.* In libro Sapientiæ omnes paginæ hujusmodi plenæ ſunt,

itized by Google

ſunt, ut eſt illud : *Domine Deus meus exaltaſti ſuper terram habitationem meam.*

Ad Epheſinum Concilium mittit non ſolùm nos, ſed & omnes, qui audent de Chriſto dicere : *Æqualis Patri ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem.* Sed non fallitur Propheta, (dum) ait : *Foderunt foveam, & inciderunt in eam.* Vbi enim capere vult, ibi capitur, ùt his verbis Sancti Epheſini Concilj primi declaratur : *Sed neque Deum aut Dominum Chriſti Verbum Dei Patris aſſerimus, ne iterum manifeſtius in duos dividamus unum Chriſtum filium, & Dominum, & in crimen ſacrilegij incidamus Deum illi ſe ipſum facientes & Dominum. Vnitus quippe, ſicut ſuperius diximus, Deus Verbum carni ſecundùm ſubſiſtentiam Deus eſt omnium & Dominator univerſitatis, verumtamen nec ſervus eſt ſibi ipſe nec Dominus : quia ineptum eſt, vel potiùs impium hoc ſentire vel dicere. Quamvis enim Deum ſuum Patrem dixerit, cùm Deus ſit etiam ipſe natura & de illius eſſentia, tamen nullatenus ignoramus, quod manens Deus homo quoque factus ſit, qui ſub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis exiſteret : ipſe verò ſibi quomodo vel Deus poterit eſſe vel Dominus ? Ergo ſicut homo, quantum decenter exinanitionis menſuræ congruit, ſub Deo ſe nobiſcum eſſe diſſeruit. Hinc etiam quodammodo * ſub lege factus eſt, quamvis ipſe promulgaverit legem, & Legislator ut Deus extiterit. Quod menſuræ exinanitionis Chriſti, quæ ex tribus ſtatibus hominis diſcretè colligitur, non neceſſitatis, ſed ſolius voluntatis eſt.* His verbis Concilij primitus ab errore Neſtoriano revocamur, ne unum Chriſtum filium & Dominum in duo dividamus, Verbum & Chriſtum ab invicem, quantum ad perſonam, ſeparantes, & Verbum Dei Patris Deum & Dominum Chriſti aſſerentes, quod eſſet eundem ſibi crimine ſacrilego Deum & Dominum facere, cùm & Verbum Deus ſit, & Chriſtus ſecundùm veritatem fidei Deus & homo ſit. Deinde ab eo loco, ubi dicitur : *Vnitus quippe & cætera*, in fide Catholica roboramur, ut credamus indubitanter, in una perſona Chriſti duas eſſe naturas, alteram Verbi, & alteram carnis, Dei videlicet & hominis, & hominem ſub Deo exiſtere juxta debitam legem naturæ humanitatis, hoc eſt : ut ſubſerviat creatura creatori ſuo : & hanc diſpenſationem *non neceſſitatis eſſe, ſed voluntatis* eò videlicèt modò, quomodo Legislator ſub lege factus eſt. Sic illud profundum illæſi tranſibimus Deo adjuvante, ubi & elephas natat, & agnus ambulat, involutiones illas ſophiſticas non metuentes, quæ diverſa relatione minùs cautos decipiunt. Quocunque enim modo pronuncietur, ſive negando, ſive interrogando, idem ſibi Deus & Dominus, vel Dominus & ſervus eſſe non poterit, hoc eſt, de una perſona Chriſti, Dei & hominis duæ perſonæ non poſſunt fieri, ſicut ſenſit Neſtorius, unam videlicet eſſe perſonam Verbi quaſi Domini, & aliam perſonam hominis aſſumpti quaſi ſervi, quem purum hominem Chriſtum appellavit. Qui error auctoritate Concilij deſtruitur, & fides Catholica roboratur, unam videlicet perſonam Chriſti in duabus, & ex duabus conſtare naturis, quarum altera ſubſervit alteri, ùt præmiſſum eſt in verbis Concilij.

Si placet fratri & Seniori noſtro, hac ratione Symbolum Athanaſij Symbolo Epheſini Concilij adjuvabitur potiùs, quam evacuetur, ut poſſimus ſalva pace ejus dicere ſemper in id ipſum : *Æqualis Patri ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem.* Præſumptuoſum ſatis eſt judicare & condemnare omnes nos, qui utramque naturam illius gygantis geminæ ſubſtantiæ audemus ab invicem diſcernere, *non tamen confundentes perſonas neque ſubſtantiam ſeparantes.*

Quàm inane ſit univerſum, quod dicitur ſive de eo, quod Chriſtus jam Dominũ non habeat altiorem ſe ſecundùm quod homo eſt, ſive de eo, quod dicitur, quòd formã ſervi tantùm retinuerit, & jam ſervus non ſit Domini & creatoris ſui, multis auctoritatibus probari poteſt. Auguſtinus ſuper : *Non conturbetur cor veſtrum. Forma*, inquit, *ſervi acceſſit, non forma Dei receſſit. Hæc eſt aſſumpta, non illa conſumpta. Propter hanc dicitur : Pater major me eſt, propter illam verò : Ego & Pater unum ſumus.* Et poſt pauca : *Hæc eſt forma ſervi, in*

* *Cod.* quomodo.

qua Deus filius minor eſt non Patre ſolo, ſed etiam Spiritu Sancto. Neque id tantum, ſed etiam ſe ipſo: quia idem ipſe in forma Dei major eſt ſe ipſo. Idem in libro primo de Trinitate: *Et etiam ſe ipſo minor factus eſt Chriſtus formam ſervi accipiens. Nec enim ſic accepit formam ſervi, ut amitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri, & ut in forma ſervi, & ut in forma Dei idem ipſe ſit unigenitus filius Patris.* Iterum id ipſum in Actibus Apoſtolorum evidentiſſimè declaratur Petro ita dicente: *Certiſſimè ſciat omnis domus Iſrael, quod & Dominum eum, & Chriſtum eum Deus fecit hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis.* Secundùm id ergo, quod factus eſt Chriſtus, minor eſt etiam ſe ipſo in natura Divinitatis conſiderato, in qua eſt æqualis Patri, & in qua omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Si quis verò tanta ſenſus laborat inopia, ut hæc ei non ſufficiant, ad eam, quæ latiſſimè patet, Beati Auguſtini doctrinam ſe convertat, & velut antidotum contra omnia hæreticorum venena deguſtet. Ait enim in libro primo de Trinitate capite decimo: *Contemplabimur Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, cùm mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus tradiderit regnum Deo & Patri, ut jam non interpellet pro nobis mediator & ſacerdos noſter filius Dei & filius hominis, ſed & ipſe, in quantum ſacerdos eſt aſſumpta propter nos forma ſervi, ſubjectus ſit ei, qui illi ſubjecit omnia, & in quantum Deus eſt, cum illo nos ſubjectos habeat in quantum Sacerdos nobiſcum illi ſubjectus ſit. Quapropter cùm filius ſit & Deus & homo, alia ſubſtantia homo in filio, quàm filius in Patre, ſicut caro animæ meæ alia ſubſtantia eſt ad animam meam, quamvis in uno homine, quàm anima alterius hominis ad animam meam. Cùm ergo tradiderit regnum Deo & Patri, id eſt: cùm credentes & viventes ex fide, pro quibus nunc mediator interpellat, perduxerit ad contemplationem, cui percipiendæ ſuſpiramus & gemimus, & tranſierit labor & gemitus, jam non interpellabit pro nobis tradito regno Deo & Patri.*

Iterum infra: *Quid eſt: A Patre exivi, niſi non in ea forma, qua æqualis ſum Patri, ſed aliter in aſſumpta creatura minor apparui? Et quid eſt: Veni in hunc Mundum, niſi formam ſervi, quam me exinaniens accepi, etiam peccatorum, qui Mundum iſtum diligunt, oculis demonſtravi? Et quid eſt: Iterum relinquo Mundum, niſi ab aſpectu dilectorum Mundi auferam, quod viderunt? Et quid eſt: Vado ad Patrem, niſi doceo me ſic intelligendum a fidelibus meis, quomodo æqualis ſum Patri? Hoc qui credunt, digni habebuntur perduci a fide ad ſpeciem, id eſt: ad ipſam viſionem, quò perducens dictus eſt tradere regnum Deo & Patri. Fideles quippe ejus, quos redemit ſanguine ſuo, dicti ſunt regnum ejus, pro quibus nunc interpellat. Tunc autem illic eos ſibi faciens inhærere, ubi æqualis eſt Patri, non jam rogabit Patrem pro eis: ipſe enim, inquit, Pater amat vos. Ex hoc enim rogat, quo minor eſt Patre, quo verò æqualis exaudit cum Patre.* Item in libro eodem capite decimo tertio: *Niſi idem ipſe eſſet filius hominis propter formam ſervi, quam accepit, qui eſt Filius Dei propter formam Dei, in qua eſt, non diceret Paulus Apoſtolus de Principibus hujus Seculi: Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Ex forma enim ſervi crucifixus eſt, & tamen Dominus gloriæ crucifixus eſt. Talis enim erat illa ſuſceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. Quid tamen propter quid, & quid ſecundùm quid dicatur, adjuvante Domino prudens & diligens & pius lector intelligit. Nam ecce diximus: quia ſecundùm id, quod Deus eſt, glorificat ſuos, ſecundùm hoc utique, quod Dominus gloriæ eſt. Et Dominus gloriæ crucifixus eſt: quia rectè dicitur: Et Deus crucifixus eſt, non ex virtute Divinitatis, ſed ex infirmitate carnis. Sicut dicimus: quia ſecundùm id, quod Deus eſt, judicat, hoc eſt, ex poteſtate Divina, non ex humana, & tamen ipſe homo judicaturus eſt, ſicut Dominus gloriæ crucifixus eſt.*

Ecce quàm planè & quàm planè omnis illa quæſtio deciſa eſt, quæ inter nos & fratrem noſtrum vertitur de Chriſto quomodo æqualis Patri, quomodo minor Patre vel Spiritu Sancto, vel etiam ſe ipſo, quomodo nobiſcum ſubjectus Deo,

Deo, & quomodo cum Deo subjectos nos habeat, quomodo etiam secundùm naturam Divinitatis exaudiat, & quomodo rogando, & interpellando pro nobis debitam honorificentiam Deo secundùm naturam Humanitatis exhibeat, licèt hoc quibusdam scriptis ad nos directis noster Scriba doctus sub nomine *Latriæ*, hoc loco inusitato, contradicat, asserens nos & alios quoslibet sapientes, & Beato Augustino, ùt præmissum est, consentientes diversitatem Deorum introducere, unum cui *latria* solùm debeatur, alterum verò qui & latriam debeat superiori, & cui latria ab omni reliqua creatura debeatur. Nos autem Catholicæ fidei veritatem sequentes dicimus: Alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, sed non alius Deus Pater, alius Deus Filius, alius Deus Spiritus Sanctus. Quin immò Pater & Filius & Spiritus Sanctus unus est Deus, & tamen solus Filius homo factus est. Vnde ipsi tam ea, quæ Dei sunt, aptè conveniunt, ùt est crucifigi, Deo subjici, rogare, interpellare, & è converso resuscitare, subjectos nos habere, exaudire, judicare, quando venerit in gloria sua cum Angelis suis.

Cùm ergo hæc cuncta, quæ dicimus, tanta veritate subnixa sunt, plures amodo jam auctoritates & rationes adducere contra prædictam novitatem vel potiùs vanitatem superfluum videtur, & idcirco minus necessarium: quia litteris ad eum directis copiosius, quantum temporis dictavit opportunitas, prætaxatis adinventionibus ejus respondimus. Quod si adhuc ampliùs vellemus insistere, dies priùs nos quàm copia rationum & auctoritatum defereret. Verumtamen ad evidentiam præmissorum operæ pretium duximus, in fine opusculi quædam annectere, quæ superiora illuminent. Quæ tamen non quasi de Cathedra loquentes nostra auctoritate depromimus, sed quasi in adjutorio Christi nobiscum in humilitate Spiritûs residentes consocios & condiscipulos & coadjutores cohortamur, & commonemus, quatenus & scientibus ad memoriam suppeditent & ignorantibus ad scientiæ quantulamcunque ædificationem.

Leo Papa Flaviano Patriarchæ Constantinopolitano: *Non dicimus, quòd Beata Virgo MARIA hominem sine Deitate concepit, qui creatus à Spiritu Sancto postea sit susceptus a verbo, quod Nestorium prædicantem damnamus.* Item post pauca: *ab initio illo, quo in utero Virginis Verbum caro factum est, nihil unquam inter Divinam, humanamq; substantiam divisionis extitit.* Item idem Maximo Antiocheno Episcopo: *Catholica fidei petra, cujus nomen Beatus Petrus Apostolus sumsit a Domino, nullum recipit ad impietatem vestigium, & Nestorium anathematizat, qui Verbi carnisq; naturam in Beatæ Virginis conceptione sejungens, unumq; Christum in duos dividens aliam Deitatis, & aliam Humanitatis voluit esse personam, cum omnino unus idemque sit, qui & secundùm sempiternam Deitatem de Patre est natus sine tempore, & secundùm veram carnem de Matre est natus in tempore.* Ex his liquidò apparet, & qualiter Nestorius unum Christum in duos diviserit, Dominum & Servum, quod sacrilegum, & ineptum, & impium erat dicere & omnino impossibile. Et ideo his verbis, quæ præmissa sunt de Concilio, error Nestorij damnatur, & fides Catholica robaratur.

Sed impedimenta multa nascuntur propter diversas auctoritates & violenter à proprio sensu ad alienum detortas, quod est velut ignem alienum offerre, & in filiorum Aaron, Nadab, & Abiu damnationem incidere. Vnde autem hoc malum in Ecclesia Dei proveniat, Leo Papa signanter exprimit in epistola ad Flavianum Episcopum contra Euticen: *Quid iniquius quam impia sapere, & sapientioribus doctioribusq; non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad agnoscendam veritatem aliquo impediuntur obstaculo, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas litteras, nec ad Evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt, & ideo Magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt.* Quam enim eruditionem de sacris Novi & Veteris Testamenti paginis aquisivit, qui nec ipsius quidem Symboli initia comprehendit, & quod per totum Mundum omnium regenerandorum * voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur? Sic quidam fratres, quibus cupimus & oramus, ut ignoscat Deus, quia nesciunt, quid faciunt,

* *Cod.* regnandorum.

ciunt, in sacra Scriptura, ubi vasa mortis sunt, sibimetipsis retiacula nectunt, & suis retibus capiuntur, dum obscuritatem & subtilitatem scriptorum ad plenum non intelligunt, dubia pro certis, & quandoque falsa pro veris, & nociva pro his, quæ profutura erant, recipiunt. Qui dum ignorantiam confiteri erubescunt, & ipsi laborant, & alios ducunt secum in eandem tentationem. Quod vitium tergiversationis & multiloquij Papa Cælestinus Nestorio, qui semper nobis quasi lupus in fabula est, improperat in epistola ad eum directa sic dicens inter cætera: *In his â nobis investigatus, deprehensus & tentus es quodam multiloquio labefactari, dum vera involvis obscuris, rursus utraque confundens vel confiteris negata, vel niteris negare confessa. Sed in epistolis tuis apertam non tam de fide nostra quam de te tulisti sententiam volens de Deo Verbo aliter quàm fides omnium, disputare. Ecce quæ tuarum sunt beneficia novitatum.*

In his, quæ præmissa sunt, exponendis, bonisque ac malis ab invicem discernendis invocetur nomen Domini, & unusquisque in suo sensu abundet ipso Auctore, qui sapientiam præstat parvulis. Hoc solum velut occulta fide conspicuum & declaratum â nobis esse sufficiat, quod clypeo Ephesini Concilij tutus esse non poterit, quisquis Symbolum Athanasij impugnare, vel ab eo discordare voluerit in eo, quod ait: *Æqualis Patri* & cætera. Et nos igitur novitates omnes cavere & evitare studeamus prout omnium orthodoxorum suadet auctoritas. Hæc vobis, Pater, scribere nos, agresti licèt stilo, necessitas illa compulit, quam ab initio exposuimus. Insuper necessitati studium hujus voluntatis accessit, ut Auctoritas vestra dictis nostris utcunque commonita nostræ imperfectioni limam suæ correctionis apponat, ut in sermone nostro binc inde non sit: *Est & non*, sed *Est tantum* in illo sit, & unanimes possimus habitare in domo Dei, & longè fiamus ab illo regno, de quo scriptum est: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, & domus super domum cadet.*

Ad evidentiam præmissorum duodecim capitulis Ephesini Concilij Cyrillo A. præsidente promulgatis totidem blasphemias Nestorij subter annotavimus.* **desunt in cod.*

5.

Gerhohi Præpositi Reichersperg. ad Abbatem Windbergensem epistola. Nuntiat ei, quid in Collatione, cum Eberhardo Ep. Babenbergensi super sententia sua instituta, se actum & dictum fuerit.

AMico amicus amicitiam fidelissimam.

Vulgare proverbium est: *In necessitate amicus probatur.* B. Item: *Non est personæ, sed prosperitatis amicus, quem fortuna tenet mitis, acerba fugat.* Vt igitur amicitia inter nos hactenus habita, nunc in imminenti necessitate firma probetur & vera, in ipsius amicitiæ veræ vera charitate rogo Vos tanquam amicus amicum, ut si fortè Dominus *Babenbergensis* Episcopus fecit, aut facit mentionem collationis inter nos habitæ, cùm essemus in domo sua, ut etiam de hac non sitis ignarus, scitote, quòd in prima mea defensione, qua fidem Catholicam nitebar defendere, nemo mihi C. affuit, sed qui juxta me erant mihi consentiendo, steterunt â longè per silentium, & vim faciebant, qui quærebant animam meam. Quibus tamen neque ad horam cessi, sed auctoritates multas illis ingerendo neque victor, neque victus ab illo conflictu discessi cantando, quæ tunc imminebat, *Sextam* meam, cujus initium: *Defecit.* Dominus Episcopus velut jocando arripuit contra me, quasi ego *defecissem* in ipso conflictu. Sed ego è contrario in ipsa Psalmodia mea glorians *defecisse animam meam* non D. à salutari, sed *in salutari* meo, cùm cætera, ut hora tunc urgebat, silenter ceciniſſem, quia festinabatur ad mensam, illud manifestè cantans auribus adversariorum ingessi: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Pro fabulis quippe habui & habeo, quod homo in Deum assumptus, cui datum est *nomen, quod est super omne nomen*, ita *ut in nomine ejus flectatur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*, negatur esse in gloria sibi data danti

cœ-

coæqualis. Cùm, ut ſubtiliores & majores taceam Expoſitores mihi conſentientes, hoc ipſum plano ſermone affirmat Venerabilis Presbyter Beda in Homilia ſuper Evangelium : *Facta ſunt Encænia.* Illic namque illud exponens: *Pater quod dedit mihi, majus eſt omnibus.* Idipſum quod affirmo, affirmat, videlicet homini datam gloriæ totius cum Patre ſuo æqualitatem, licèt minor ſit confitendus Patre increato ſecundùm creatam & paulo minùs ab Angelis minoratam humanitatem. Legite, ſi placet, & idipſum in Homilia capitulum. Legite quoque Hilarium noſtræ aſſertioni per omnia conſonum, in quo etiam invenietis manifeſtam ſolutionem dicti, quod mihi oppoſuiſtis de his, quæ habet Pater vel in ſe, vel ſub ſe. Quæ omnia ſibi aſſerit Filius â Patre ſuo data.

Quod cùm dicerem & ego priùs dictum â Chriſto, ubi dicit : *Omnia mihi tradita ſunt â Patre meo.* Item : *Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt*, vos dixiſtis, prout memini, Patrem nihil habere in ſe, quod Filio ſuo dederit, cùm ſimplex natura Patris non habeat aliquid in ſe niſi ſe. Vtrumque autem, ſcilicet, Quod eſt, & quod habet Pater in ſe, non ſub ſe, idem Sanctus Hilarius docens in octavo libro de Sancta Trinitate dicit inter cætera : *Deus immenſæ virtutis vivens poteſtas, quæ nusquam non adſit, nec deſit usquam, ſe omne per ſua edocet, & ſua non aliud quàm ſe eſſe ſignificat, ut ubi ſua inſint, ipſe ineſſe intelligatur. Non autem corporali modo cum alicubi inſit, non & ubique eſſe credatur, cum per ſua in omnibus eſſe non deſinat. Non autem aliud ſunt, quàm quod ipſe eſt, quæ ſua ſunt.* Item in eodem : *Non humano modo ex compoſitis eſt Deus, ut in eo aliud ſit, quod ab eo habetur, & aliud ipſe ſit, qui habeat, ſed totum quod eſt, vita eſt, natura ſcilicet perfecta, & abſoluta, & infinita, & non ex diſparibus conſtituta, ſed vivens ipſa per totum.* Claret in his dictis, alijsque Patrum documentis licenter de Patre dici : *Et quod eſt, & quod habet*, cùm & ipſe filius dicat : *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo.* Vnde miror vos contradixiſſe mihi dicenti, Quòd *Omnia, quæ habet Pater in ſe & ſub ſe, dedit filio.* De quibus loquens Ambroſius in Lucam exponens illud : *Omnia mihi tradita ſunt â Patre meo*, dicit inter cætera : *Si omnia dedit, æternitatem, majeſtatemq; transfudit.* Idem in eodem: *Quod*, inquit, *evidentius Divinæ generationis indicium, quàm quod de generatione Chriſti dicturus ipſum Patrem præmiſit loquentem : Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui ? Cùm dicit : In quo complacui, non aliena in filio ſed ſua laudat.* Hæc dicente Sancto Ambroſio noſtra illi conſonat aſſertio, qua Chriſtum, videlicet hominem, divinitus tam ab homine genitrice, quàm â Deo genitore genitum prædicamus omnibus divitijs Paternæ Majeſtatis, etiam ſecundùm quod homo eſt, eſſe divitem, non ſicut dives eſt aliquis *vaſſallus*, omnibus divitijs Domini ſui ditatus, ſed ſicut dives eſt hæres, qui cùm ſit Dominus omnium paternarum divitiarũ, tamẽ ſub tutoribus & actoribus eſt usque ad præfinitum tempus â patre.

Proinde in prænotato conflictu graviter me offendit, quòd homo in Deum ſic aſſumptus, ut ſit Deus, *vaſſallo* fuit aſſimilatus â Domino Epiſcopo. Cujus tandem conſilijs potiùs quàm diſputationibus inclinatus conſulente idipſum Domino Archiepiſcopo, laudavi, ut ſcripta mea diligenti conſideratione pertractarem, & recapitularem Beati Auguſtini exemplo, qui librum Retractationis compoſuit, in quo â ſe dicta quædam dilucidavit, quædam temperavit, quædam excuſavit. Quem & ego promiſi me imitaturum, non tamen, ùt quidam falſiloqui dicunt, recognoſcendo in ſcriptis meis aliquid hæretico ſenſu dictum, etiamſi ab hæreticis novis Neſtorianis & Fotinianis valeat in pravum ſenſum detorqueri, ſicut ab eisdem verba quædam Sancti Evangelij detorquentur in pravum ſenſum perverſorum dogmatum, de quibus modò non eſt dicendum per ſingula. Perſtringimus tamen ex his aliqua in *opuſculo*, * quod hortatu prædictorum Dominorum meorum Epiſcoporum cœpi, & nondum conſummavi. Hoc autem, cùm Deo favente conſummavero, & non ſolùm Pontificali ſed & Apoſtolica cenſura examinatum ipſis quoque inimicis

* *Videtur loqui de Opere ſuo de gloria & Honore Filij Hominis a me T. I. Parte II. Theſauri publicato*

micis legendum propoſuero, credo placebit bonis, etiamſi diſpliceat malis.

Beda : *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus eſt. Majus autem omnibus quod mediatori Dei & hominum homini Jeſu Chriſto Pater dedit, hoc eſt, ut ſit unigenitus ejus Filius gignenti nec naturâ diſſimilis, vel virtute inferior, vel tempore poſterior. Quam videlicet æqualitatem ipſe Dominus in Divinitate habuit, priusquam Mundus fieret à Patre, ipſe in humanitate ex tempore incarnationis accepit.*

6.

Eberhardi Ep. Babenbergenſis ad Gerhohum Præpoſitum Reicherſpergenſem epiſtola. Graviter in eum invehitur, quòd ſua dicta ſeciorem in partem acceperit & vulgaverit : ampliúsque oſtendit, hominem in Chriſto minorem ac inæqualem eſſe Patri.

E Dei gratiâ *Babenbergenſis* Eccleſiæ qualiscunque Miniſter Domino G. Præpoſito de *Richerſperge*, non plùs ſapere quàm oportet ſapere.

Sicut audivimus, ita & vidimus : Et in his, quæ Venerabili & Dilecto Fratri noſtro Abbati de *Windeberge* ſcripſiſtis, oculata fide perſpeximus, quòd prædicatis, & diſſeminatis de nobis ſiniſtra, quæcunque poteſtis, aliter, quàm veſtrum deceat Sacerdotium, quæ ſilentio præterire non poſſumus. Vnum eorum hoc eſt, quòd quaſi nos blaſphemantes Filium Dei, & adulterantes verbum Dei, ùt quidam faciunt, dixerimus ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum *vaſſallum* Dei Patris, quod per Dei miſericordiam longè eſt & ab ore, & â corde, & â conſcientia noſtra, & â propoſito noſtro procul ſemper fuit aliquid novitatis inducere, inſtruente & jubente Apoſtolo *profanas verborum novitates devitare.*

Si placeret veſtræ majeſtati, alia condimenta & munimenta dictorum atque ſcriptorum veſtrorum quærere poſſetis, quàm hujusmodi commenta, in quibus maledicitis ſurdo, & coram cæco ponitis offendiculum. Sed quare detraxiſtis ſermonibus veritatis ? Verbis ad increpandum compoſitis ſubvertere nitimini amicum, qui vos dilexit : quia dilectione dignum credidit, & ſe viciſſim rediligi, ac non ſolùm famam noſtram, ſed & aliorum, qui & dignitate & meritò vitæ longæ nos præcedunt, inſuper & eorum, qui licèt ordine & officio minores, vitâ tamen & ſcientiâ potiores multò nobis ſunt, incruſtare conamini. Quos apartè notatis, ubi dicitis in litteris veſtris de quibusdam : *Steterunt â longè per ſilentium.* Et de alijs : *Vim faciebant, qui quærebant animam meam.* Meliùs faceretis & conſultiùs, ſi operam daretis, ut ſermo veſter ſale ſapientiæ & diſcretionis conditus ædificaret infirmos, & nævo careret ſuſpicionis, detractionis, & irriſionis. Quod ſi ritè meminiſtis conferentibus nobis ad invicem & jucundantibus, & charitativè tractantibus ſine contentione & æmulatione ſuper verbo hoc, quod dicere ſoletis : *Chriſtus æqualis eſt Patri ſecundum quod homo eſt*, cùm hoc uſitatis allegationibus veſtris adſtrueretis : *Quia omnia ei tradita ſunt â Patre :* Et quia *ei datum eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen :* Et quia *inhabitat in eo omnis plenitudo Divinitatis corporaliter :* Et *ipſe eſt Dei virtus, & Dei ſapientia :* Et quia *ipſe eſt in gloria Dei Patris.* Conſequenter ùt vobis viſum eſt, ſed non cohærenter, prout verum eſt, intuliſtis : *Ergo Chriſtus æqualis eſt Deo Patri ſecundum quod homo eſt.* His omnibus ſanè & Catholicè determinatis, & illatione repudiata multis ex Evangelio, & Sanctorum Patrum auctoritatibus, ex abundanti tamen quadam ſimilitudine argumentum veſtrum falſificavimus, licèt nulla egeret falſificatione propter ipſam falſitatis evidentiam & incohærentiam eorum, quæ poſita fuerunt cum eo, quod illatum eſt. Simile autem falſificandi & argumentandi gratiâ introductum hoc erat : Jure civili is poſſidet, cujus nomine poſſidetur, ejusdemque rei & vaſſallus & Dominus poſſeſſor eſt. Quidquid unus poſſidet, & alter poſſidet : ergo vaſſallus Domino æqualis in poſſeſſione eſt ? Secundùm hominem dico. Abſit. Alius enim poſſeſſor principalis, alius ſecundarius eſt. Vnus enim ſuo nomine poſſidet, alius autem alieno, ejus videlicet, qui principalis poſſeſſor eſt. Et quamvis totum poſſideat, quod Dominus, non tamen æquale poſſeſſionis dominium

minium eſt inter vaſſallum & Dominum. Sed non abſolutè, nec per ſe, ſed explanandi & verbi gratiâ tunc â nobis dicta ſunt & ruminata ſecretiùs ſine declamatione & lite. Et ſi fidem ſecreti ſervare nolletis, tamen ſi noviſſetis legem modumque falſificandi, forſitan aliter judicaretis. Falſificandi enim modus hic talis eſt, ut non res rebus per omnia coæquiparemus, ſed rationes rationibus comparantes ex adverſo dicta per diſſimilium ſimilitudinem refellamus.

Equidem alia comparationis proprietas eſt, alia directæ locutionis ſimplicitas. Vniverſaliter autem quàm multa & varia ſimilitudinum genera ſint, dinumerare per ſingula prolixum nimis & ſuperfluum eſt. Sed ut quædam ad majorem evidentiam in medium proferamus, ſcriptum eſt: *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum. Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut Magiſter ejus.* Ergo Magiſter diſcipulus, & diſcipulus Magiſter erit? Nequaquam. Aliter: *Jeruſalem, Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Ergo Chriſtus gallina eſt? Quin immò non minùs gallina non eſt quàm vaſſallus, & econtra. Ampliùs: *Sicut fulgur coruſcans de ſub cœlo, ſic erit adventus filij hominis.* Numquid ergo fulgur erit filius hominis? Minimè. Denique ut omne os obſtruatur, ad expreſſam & præcipuam omnium ſimilitudinum ſimilitudinem veniamus: *Quales Pater, talis Filius*, ergo Pater filius, vel filius Pater eſt? Secundùm vos ſint omnia hæc inconvenientia, non ſecundùm veritatem, neque ſecundùm nos, qui eam ſequimur, ut etiam dies Domini vel & ipſe Dominus ex improviſo veniens fur vocari dicatur in Evangelio: quia ſcriptum eſt: *Dies Domini ſicut fur ita in nocte veniet.* Sciendum enim, quod quamvis res ad invicem aliqua ſimilitudinis ratione conferantur, non tamen ab his, quorum nomina ſunt, ad res alias vocabula transferuntur. De hujusmodi ſat dictum ſapienti.

At verò ſummatim quæ dicta ſunt, recolligamus. Nihil aliud vel tunc vel etiam nunc dicere intendimus, quàm quod omnis Divina clamat auctoritas: quia *quod filius Dei habet per naturam,* A *filius hominis habet per gratiam.* Vnde neceſſariò conſequitur, quod non æqualis eſt Deo ſecundùm quod homo eſt ipſo teſtante, cujus Evangelium & teſtimonium non erubeſcimus: *Pater*, inquit, *major me eſt.* Ante paſſionem quidem hoc. Vt autem nullus tergiverſandi locus remaneat circa hoc, in quibus paulò minùs minoratus eſt ab Angelis, quo minùs poſt reſurrectionis gloriam prædicta ſerviat auctoritas, poſt ipſam reſurrectionem Mariæ dictum eſt: *Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum,* B *Deum meum & Deum veſtrum. Patrem* utique ſecundùm Divinam, *Deum* ſecundùm humanam appellans naturam. Ergo & poſt reſurrectionem ſicut & ante *Deus ejus, & Dominus ejus eſt.* Vnde etiam: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt.* Qui tamen & thronus ejus eſt, & ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis. Qualiter autem hoc, qui habet aures audiendi audiat, & quid ſecundùm quid dicatur, intelligat. Scientibus enim legem loquimur.

Vos autem Evangelium, quod tra- C ditis, neque ab homine accepiſtis, neque per hominem didiciſtis, niſi fallimur, ſed utrum per revelationem Jeſu Chriſti, ipſe novit, & vos videritis. Riſum feciſtis de nobis, & facitis de *vaſſallitate* Chriſti aliter, quàm veſtram deceat prudentiam. Non imputetur, & non requiratur â vobis hoc: *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus.* Neque veniat ſuper vos illud: *Qui deridet, deridebitur.* Mihi autem pro minimo eſt, ut â vobis judicer, aut ab humano die. Miſerum ignorantiæ refugium, & imperitiæ ſolatium ſeu diſſimulatio eſt cachinnus inſipientium, qui dum ratione ſe deficere præſentiunt, more vulpium, quod vobis non ſervit, obganniunt: Quæ tamen etſi foveas habent, plerumque tamen capiuntur, & pereunt: Quarum pellis utilis, caro mortifera. Hactenus hæc. Ipſe quidem Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Propheta ſe vermiculo comparavit. Sed & ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit etiam ſe ipſum usque ad mortem, mortem autem crucis.

Digitized by Google

Ipſe ovis, ipſe leo, ipſe petra, & alijs multis nominibus in ſacro appellatur eloquio. Verumtamen abſit â nobis, ut aliquo exinanitionis ejus intuitu quodlibet nomen adinventitium ex ſenſu noſtro vel figurato vel non figurato ſermone audeamus ei attribuere, vel quemlibet ex his puſillis, qui in eum credunt, ſcandalizare.

Excluſo igitur & anathematizato *Vaſſalli* nomine Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum corde credimus, & ore confitemur, ſicut in Symbolo regenerationis accepimus: *Æqualem Patri ſecundùm Divinitatem, minorem Patre ſecundùm humanitatem.* Vnde Beatus Hilarius: *Manens*, inquit, *in forma ſervi, qui manebat ante in Dei forma, homo Chriſtus Jeſus locutus eſt: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.* Ecce adhuc Chriſtus in forma ſervi etiam poſt reſurrectionem ſecundùm Hilarium veſtrum. Aut ne figurata laude vos percuti putetis, & noſtrum dicamus & veſtrum. Qua in re ut nullus dubitationis ſcrupulus remaneat, audite & intelligite, quid dicat Auguſtinus ſuper eundem locum Evangelij: *Vade & dic fratribus meis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. Non ait: Ad Patrem noſtrum, Aliter ergo meum, aliter veſtrum. Naturâ meum, gratiâ veſtrum. Deum meum & Deum veſtrum. Neque hìc dixit: Deum noſtrum, ergo & hìc aliter meum, aliter veſtrum. Deum meum, ſub quo & ego homo ſum, Deum veſtrum inter quos, & ipſum mediator ſum.* Non ſurdis auribus audiendum, quod dicitur: *Sub quo & ego homo ſum.* Sed etiamſi fuerint velut aſpides ſurdæ & obdurantes aures ſuas, oportet, ut audiant ipſum Chriſtum clamantem: *Deum meum*, & Auguſtinum ſuccinendo conclamantem in perſona ipſius Chriſti: *Sub quo & ego homo ſum.* Subjectionem audis, naturam audis remanentem poſt reſurrectionem ſola naturæ infirmitate abſorbeam. Quid ampliùs deſideras? Quid adhuc egemus teſtibus? Sed cùm abundans cautela non noceat, ſuccedat Auguſtino Beatus Gregorius ſuper eundem locum: *Aſcendo ad Patrem meum* & cætera: *Quia ego homo, Deus mihi eſt: quia vos ab errore liberati eſtis, Deus vobis eſt.* Apparet hìc eadem naturæ, & ſubjectionis minoritas: quia non Divinitatis Deus eſt, ſed ſubjectæ ſibi humanitatis.

Quia hos Auctores ſequimur nihil de nobis præſumentes, & propter evitandam ſubverſionem aliorum nihil novi ſine certa auctoritate recipientes, exacuiſtis in nos linguam ùt gladium acutum. Sed conſiderate: quia qui gladium acceperit, gladio perebit. Qui non habebat uſum armorum, fundâ Goliam proſtravit, ſed ſuo ſibi * gladio jugulavit. Vt igitur veſtris amodo armis utamur, licèt extorquere clavam de manu Herculis difficile ſit, *Hæredem* eum eſſe conceditis, quia negare non poteſtis: ſed quomodo hæres paternæ conſtitutionis & gratiæ prærogativa ſicut ait Apoſtolus: *Quem conſtituit hæredem univerſorum*, ſecundùm quod homo eſt: *per quem fecit & Sæcula*, ſecundùm quod Deus eſt. Quia quamvis cum Patre omnia poſſideat ſecundùm Divinitatem, ſecundùm humanitatem tamen eſt *hæres* conſtitutus ſecundùm illud: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam* & cætera. Vnde Joannes Chryſoſtomus: *In hoc quod dixit hæredem, humilitatis demonſtravit indicium.*

* ita Cod.

Ad ultimum quod de Beda introducitis ad probandum filium æqualem eſſe Patri, ſecundùm quod homo eſt, manifeſtè contra vos eſt, cùm non aliud dicat datum eſſe homini niſi ut ſit Deus, qui Vnigenitus ejus Filius gignenti ſimilis, nec naturâ diſſimilis, vel virtute inferior, vel tempore poſterior: Quod de Chriſto ſecundùm, quod homo eſt, conſtare non poſſet. Quod verò ſequitur: *Quam* videlicet æqualitatem, *ex tempore incarnationis accepit*, ſimiliter intelligendum eſt, videlicet ſecundùm quod ipſe homo in unitate perſonæ â Deo aſſumptus minor omnino confitendus eſt Patre increato non ſolùm ſecundùm creatam, & paulò minùs ab Angelis minoratam humanitatem, ut in litteris veſtris dicitis, ſed etiam ſecundùm ipſam eandem humanitatem jam nunc poſt reſurrectionem & aſcenſionem glorificatam: minor, inquam, confitendus eſt, nec minùs ex provectu Divinitatis, ſecundùm quod homo eſt, ſubjectus

jectus : alioquin ingratus videretur, & gratiam non habere pro gratia. Cùm autem paris ſit culpæ in his, quæ ad fidem ſpectant, falli poſſe, & fallere, hortamur, monemus, & obſecramus vos in charitate ejus, quem ipſa charitas de cælo ad terras depoſuit, ut providendo bona non ſolùm coram Deo ſed etiam coram hominibus ita dicta & ſcripta veſtra modificetis, ut nemo ſcandalizetur aliqua involutione, & diſſimili verborum acceptione vel tranſpoſitione, ut in ſimplicitate fidei Chriſtianæ ambulantes idipſum dicamus omnes : *Æqualis Patri ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem*, unam in Chriſto perſonam, duas naturas confitentes. Quarum proprietates evidenter diſtinguit Beatus Ambroſius his verbis : *Volvi & revolvi Divinam Scripturam, & Filium Dei nusquam adoptivum inveni. Sed ſicut Chriſtus, in quantum Deus eſt, naturaliter habet, ut ſit naturalis Dei Filius, & ſit Deus, ita in quantum eſt homo, per gratiam habet, ut ſit idem Dei Filius naturalis.*

Si quid obſcurius occurerit, ùt ſunt multa verba Hilarij, ad ſanum intellectum retorqueatur, ut non res verbis, ſed rebus verba ſubſerviant. Quod in uno ſaltem ſpecificare ut liceat, venia prolixitatis indulta propter eos, qui adhuc ſimiles nobis ſunt, ut lacte potiùs indigeant quàm ſolido cibo, in libro undecimo, ubi agitur de ſubjectione, de traditione regni, de fine, ſic ait Beatus Hilarius : *Quantò brevius, tantò obſcurius. Homo & Deus, jam Deus totum eſt.* Ac ſi dicatur : Vna perſona Dei & hominis, totum videlicet hoc ex duabus & in duabus conſtans naturis Deus eſt. Totum autem nec integraliter, nec alio quolibet modo, ùt loqui ſolemus, uſualiter accipiendum eſt, ſed ſingulariter & ineffabiliter. Quia tanto fœdere duæ naturæ in unum coiêre perſonam, ùt Leo Papa innuit, ut viciſſim alterum dicatur de altero, & utrumque verum ſit dicere : *Homo eſt Deus, & Deus eſt homo immortalis, impaſſibilis.* Leo Papa : *Utrumque Deus de potentia ſuſcipientis, utrumque homo de humilitate ſuſcepti tenet ſine defectu proprietatem ſuam in utraque natura : & ſicut formam ſervi Dei forma non adimit : ita A. formam Dei ſervi forma non minuit.* Omnes fideles, qui ſcripta hæc, ſtylo licèt inculto exarata legere vel audire non deſpexerint, commoniti ſint & communiti, quantum in nobis eſt, ut in omni locutione, qua dicitur : *Secundùm quod Deus eſt, ſecundùm quod homo eſt*, caveant, & diligenter ſtudeant advertere, quò reſpiciat, quod dictum eſt, utrùm ad perſonam, an ad naturam, vel fortè aliquando ad cauſam, & ita determinent hoc, & alia his ſimilia, ut a tramite & a regula fidei Catholicæ non recedant. De *quantum in hoc*, vel *ex hoc*, & *in eo*, vel *ex eo* & cæteris hujusmodi ſimiliter judicandum. De ſimilibus enim idem judicium. Semel hæc dicta ſufficiant. B.

7.

Gerhohi Præp. Reicherſpergenſis epiſtola ad Eberhardum Epiſc. Babenberg. Reſpondet breviter ad priorem ejus epiſtolam, nuntiatq; ſe plenum Opus de controverſa quæſtione perſcripſiſſe.

C. SEreniſſimo Domino ſuo E. *Babenbergenſi* Epiſcopo frater G. de *Richerſperge* devotas orationes cum fideli obſequio.

Litteras veſtras gratanter accepi, acceptas diligenter perlegi, perlectas memoriæ commendavi eò attentiùs, quòd in eis animadverti eam ſapientiam, quæ ſuaviter & fortiter diſponit omnia : quia fortitudo increpationis mixta ſuavitate diſcretionis vehementer meam parvitatem commonuit, ne rebus ad ſimilitudinem inductis arbitrer aſſignandam proprietatem ſignificationis, ut verbi gratiâ quia furi Dominus in Evangelio ſeu fulguri aſſimilatur, ideò fur aut fulgur eſſe putetur. Vnde quod veſtra prudentia in quadam ſimilitudine *Vaſſalli* nomen Chriſto aſſimilavit, non ita mihi ſuaſiſtis intelligendum, quaſi Chriſtus officio Vaſſalli fungatur. Sciatis ergo, quòd non ita ſapui, immò non ita deſipui, ut à vobis putaverim hoc ſentiri, quamvis pro ſimilitudine quadam in collatione fraterna introduxeritis nomen *Vaſſaldi*. Sed quia intellexi ex occaſione illius collationis murmurare quosdam, quaſi ego ibidem confeſſus, D

aut convictus fuerim de indubitabili hæreſi, ad Dominum Abbatem *Windbergenſem*, veſtrum fidelem, pro mea excuſatione, non pro veſtræ honeſtatis infamatione quædam ſcripſi, quibus etiam improbationem *Vaſſaldi* breviter interſerui, quod ulteriùs in ſcriptis meis iterare libenter cavebo, quia vobis grave ſentio. Ex occaſione autem illius veſtræ collationis mea ſcripta diligentiùs pertractando potiùs, quàm retractando ſcrutatus *opuſculum* peregi ad perſonam Domini mei *Salzburgenſis*, quod ab ipſo lectum Domino *Brixienſi* miſi legendum, cogitans etiam veſtræ diſcretioni mittere idipſum conſiderandum, & ſicubi videbitur, limandum.

8.

Ejusdem ad eundem epiſtola. Falſum eſſe, ab ſe eum in curia Imperatoris fuiſſe diffamatum. Reditus ad controverſam Quæſtionem, in qua magno ſibi præſidio Concilium Epheſinum eſſe arbitratur.

SErenissimo Domino ſuo E. Venerabili *Babenbergenſis* Eccleſiæ Antiſtiti Frater G. de *Richerſperge* devotas orationes cum fideli obſequio.

Dilectus filius noſter *Joannes* Capellanus Domini mei Archiepiſcopi veniens à Vobis intimavit mihi, graviter Vos erga meam parvitatem commotum, eò quod ex relatione aliquorum inſinuatum ſit Vobis, me coram Domino Imperatore ſiniſtrè locutum de Vobis, &, unde magis moveremini, de Domino Archiepiſcopo. Fateor, quod juſta eſſet erga me indignatio, ſi eſſet verum, quod dictum eſt Vobis. Ne autem putetis verum, quod falſum eſt, ab ipſo Auguſto Vobis Clementiſſimo cognoſcere poteritis, me non aliud vel aliter dixiſſe, quàm nunc Vobis confiteor.

Cùm ſiniſtrè delatus ei fuiſſem ab illo *Folmaro*, qui quaſi follis amarus amara de me ſeminaverat, quique velut meretrix infauſta Domino Imperatori velut alteri Salomoni ſuggeſſerat mortuum ſuum eſſe meum, & meum vivum eſſe ſuum, quaſi ego Dei honori, atque ipſius Auguſti coronæ Imperiali derraxerim in ſcriptis meis, quod ipſum feciſſe palam eſt legentibus profanum ejus libellum, Domino meo Archiepiſcopo miſſum, ſicut è regione manifeſtum eſt legentibus mea, me ita non ſapere, ùt ille de me diſſeminavit, mittens circumquaque ſua figmenta, quæ dicit & ſcribit *hæreſes* eſſe *Gerhohi*: Cùm, inquam, ſic delatus fuiſſem in curiam Imperialem, iſte quoque ſermo exijt inter Capellanos Curiæ, aliosque multos fratres, quòd vos me conviciſſetis de manifeſtis hæreſibus, & coarctâſſetis ad confeſſionem hæreſium. Quod non ita eſſe novit veſtra pietas, qua exhortante promiſi me ſcripta mea diligentiùs inſpecturum, & ſi quod in eis invenirem, offendiculum, Beati Auguſtini exemplo planandum. Quod etiam facere ſtudui in opuſculo, quod noviter perfectum juidicio Domini mei Archiepiſcopi & veſtro paratus ſum ſupponere, atque ipſius Romani Pontificis, cùm opportunum fuerit tempus, tempeſtate, quæ nunc ſævit, imperante Domino ſedatâ.

Cùm ergo talia fuiſſent in Curiam ſeminata, quæſitum eſt â me, an hæc vera eſſent. Negavi dicens, eſſe quidem vos adverſarium mihi in ſententia ſicut multi litterati, ſed non ita crudeliter, ut me judicaretis hæreticum. Tunc interrogante Auguſto: Vtrumne Dominus meus Archiepiſcopus eſſet mecum, an contra me? dixi neque pro me neque contra me illum eſſe. Vnde rogo ſuper accuſatione iſta habeatis me excuſatum, neque Vobis indignum ſit vel grave, quod hæreſis notam repuli, & adhuc repello â me, qui cupio eſſe ac dici Catholicus, etſi pauper ac modicus, paratus in Chriſti patientia ferre multa convitia præter notam Schiſmatis & hæreſis. Nam hæreticum eſſe, ac dæmonium habere penè ſunt paria, neque in talibus habenda eſt patientia, ut ſi fuerint objecta, non refellantur. Cætera opprobria ſunt ferenda exemplo Chriſti, qui cùm diceretur homo vorax, potator vini, ſeductor, Samaritanus, amicus publicanorum, tacuit quaſi homo non habens in ore ſuo redargutiones, cùm potuiſſet hæc omnia falſificâſſe, ac negâſſe. At cùm diceretur habere dæmonium, non tacuit, ſed reſpondit dicens: *Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonerâſtis me.* Exemplum dedit nobis,

nobis, ut & nos ita faciamus patienter ſufferendo, quod aſſimilamur aſpidi ſurdæ & obduranti aures ſuas, vel Goliæ ſuo gladio feriendo, vel etiam vulpi foveas habenti, & alijs monſtris, ut non inde moveamur ad iram, ſed ad compaſſionem talia de nobis credentium & dicentium. Verùm ſi hæreſim, ſcilicet errorem in fide pertinaci animoſitate defenſum quis objiciat, licèt unicuique rectè credenti, & id, quod credit, confitenti dicere: Non ſum hæreticus, & ego peſtilentiæ hujus dæmonium non habeo, & honorifico Deum, & vos inhonorâſtis me. Omnis quippe Catholicus honorificando Chriſtum honorificat Deum: quia Chriſtus Deus eſt. *Creditis*, inquit, *in Deum, & in me credite. Conſequens enim eſt*, ait ſuper Joannem Auguſtinus, *ut ſi in Deum creditis, & in me credere debeatis, quod non eſſet conſequens, ſi Chriſtus non eſſet Deus.* Eſt autem Chriſtus homo unctus & perfectus Deus & perfectus homo, etiam in forma ſervi Dominus altiſſimus, non habens altiorem ſe Dominum, licèt ipſe, in quantum eſt homo, ſuper ſe vel potiùs in ſe habeat Deum, cui dixit in cruce: *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me.* Quem etiam poſt reſurrectionem dicit *Deum ſuum*: Dei videlicet nomine ſignificans altiſſimam Divinitatem, cui ſubjecta ſerviunt omnia creata, cui etiam ſervivit in Chriſto humanitatis creatura exinanitâ in eo Dei formâ, non ut non eſſet, ſed ut occulta eſſet, quoniam ibi abſcondita erat fortitudo ejus, quando ante faciem ejus morientis ivit mors: abſcondita, inquam, non adnichilata. Similiter ubi abſorpta morte in victoria forma ſervi exinanita eſt, non ut non ſit, ſed ut optimè ſit, videlicet non jam ſerviendo ſed dominando. Quisquis ei Dominum conſtituit altiorem ſe, videat unde hoc probet, quod in ſcripturis veritatis nusquam invenitur. Nam Deum quòd ſuum dicat poſt reſurrectionem, ſed nec ante, nec poſt reſurrectionem dicit Deum ſuum eſſe *Dominum* ſuum: *Confiteor*, inquit, *tibi Pater Domine Cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Dominum Cœli & terræ dicit Patrem, non Cœli & terræ, ſed ſuum, & rectè: A. quia non idem eſt Dominum eſſe & Patrem Deum, cùm alterum ſit relativum ad filium, ſive ad filios, alterum verò ad ſervum ſive ad ſervos. Quia ergo perpetuum eſt in Chriſto, ut ſit filius, rectè nunc & in æternum Deus aſſeritur eſſe Pater ejus. Item quia perpetuum in Chriſto, ut ſit creatura, rectè creator Deus aſſeritur Deus ejus. Verùm quia non eſt in eo perpetuum, ut ſerviat, cum ſervituti ejus dominium ſuccedat, non qualecunque ſed ſummum exinanita forma ſervi, non ut non ſit, ſed ut dominetur in tota Republica Dei Patris.

B. Quisquis in Chriſto vel Deum hominis Dominum, & ſervum vel hominem Dei ſervum prædicat, Chriſtum ſecat in duos, Dominum & ſervum contra Epheſinum Concilium, quod utinam Vos penſaretis ex integro cum epiſtolis & geſtis & ſententijs eidem inſertis. Credo, quòd ſicut Hilarium dicitis & veſtrum & noſtrum, ſic idem Concilium diceretis & noſtrum & veſtrum, & tam Hilario, quam prædicto Concilio conſentientes idipſum diceremus, & ſaperemus piè in-

C. terpretando ſubjectionem, qua licèt filius maneat & permaneat in æternum ſubjectus gratias illi agendo ſecundùm naturam humanam, gratis in eo exaltatam, & gloriâ divinâ glorificatam, tamen æquale immò idem cum Patre Deo habens dominium, non ultra eum nominabit vel recognoſcet Deum ſuum, ſicut eum recognoſcit Deum ſuum & Patrem ſuum: Deum ſuum, ſub quo eſt homo: Patrem ſuum, cum quo eſt unus Dominus ipſe homo.

Claret, ſicut putamus, non ſurdis au-

D. ribus nos audiſſe illud Auguſtini: *Deum meum, ſub quo ego homo ſum.* Commonemus & nos parvuli celſitudinem veſtram, ut ſicut nos audimus ex commonitione veſtra, ſub quo, ita & vos audiatis, cum quo & in quo, aſſerentibus multis auctoritatibus Evangelicis & Apoſtolicis, quòd cum Patre atque in Patre ſuo aſſumptus homo conſummatâ ſuæ virtutis obedientiâ potentiſſimè dominatur, vivit & regnat in æternum. Quia ùt ait Apoſtolus: *Conſedit in dextera ſedis magnitudinis in excelſis tantò melior Angelis effectus*, haud dubium, quin in ea natura, in qua eſt factus,

quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.

9.

Eberhardi Ep. Babenberg. ad Gerhohum Præp. Reicherſp. epiſtola. Explicatur doctrina Concilij Epheſini, aliorumq; tum Doctorum tum Sacræ Scripturæ verba, quæ Gerhohus pro opinione ſua ſtabilienda adduxit.

EDei gratiâ *Babenbergenſis* Eccleſiæ vocatus Epiſcopus, Venerabili fratri G. Præpoſito de *Richerſperge* idipſum ſapere in alterutrum ſecundùm Jeſum Chriſtum. Principium litterarum veſtrarum, ubi de maledictis vos excuſatis, ſicut mel dulce eſt, noviſſima verò amara ſunt velut abſynthium vel aceтum felle permixtum, ubi nos quaſi Epheſino Concilio contrarios notatis, minùs fraternè ſalva charitate veſtra, dictum ſit. Sed abſterſo & excuſſo nunc iſto pulvere multas grates referimus benevolentiæ veſtræ, quod cùm aliquantulum diſcordes eſſemus, in charitate fraterna ſubmonuiſtis, & magnopere invitâſtis nos ad convivium epularum veſtrarum hoc eſt: ad Epheſinum Concilium. Hilari itaque vultu & læto animo accedimus, eò alacriores utique, quò & ſecuriores, quantum ad fidem, utinam operantem per dilectionem! confidentes, quòd pro nobis eſſe debeat, & non contra nos quidquid appoſitum fuerit aut propoſitum. Vos Scripturam adimpleviſtis: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput ejus.* Vtinam carbones iſti vivi urentes & non conſumentes congerantur ſuper capita noſtra, ut ignis charitatis & lumen veritatis exardeſcat in nobis! Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis. Videamus non tantùm, quid verborum ſuperficies redoleat, ſed quid intimi ſaporis guſtus nobis ab intus renuntiet. Veſtrum Epheſinum Concilium (ſuper nos enim eſt, ut *noſtrum* dicamus, niſi quemadmodum fides Catholica *noſtra* in communione fidelium contra Neſtrorium habitum eſt, ùt Canon ipſius Concilij indicat, qui ita repe-

A ritur: *Incipit Canon Sancti Epheſini primi Concilij, habitus contra Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui purum hominem ex Sancta MARIA Virgine natum aſſeruit, ut aliam perſonam carnis, aliam faceret Deitatis, nec unum Chriſtum in Verbo Dei & carne ſentiret, ſed ſejunctim alterum Filium Dei, alterum Filium hominis prædicaret. Cui Synodo vice Sancti Cæleſtini Papæ præſedit Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus*, & cætera ſequentia Sancti Concilij.)

B Sed jam ad ea veniamus, quæ vos ex Symbolo ejusdem Concilij quaſi contraria nobis denocare ex ſenſu litterarum veſtrarum percepimus, & graviter, prout oportebat, accepimus. Quorum textus ſubnotatus eſt, ubi præſcribitur Neſtorio, quid abdicare vel abjurare debeat: *Sed neque Deum aut Dominum Chriſti Verbum Dei Patris aſſerimus. Ne iterum manifeſtius in duo dividamus unum Chriſtum filium & Dominum, & in crimen ſacrilegij incidamus Deum illi ſe ipſum facientes & Dominum. Vnitus quippe ſic, ut ſuperius diximus, Deus*
C *verbum carni ſecundum ſubſtantiam Deus eſt omnium & Dominator univerſitatis. Verumtamen nec ſervus eſt ipſe ſibi nec Dominus. Quamvis enim Deum ſuum Patrem dixerit, cùm Deus ſit etiam ipſe naturâ, & de illius eſſentia, tamen nullatenus ignoramus, quòd manens Deus homo quoque factus ſit, qui ſub Deo juxta legem naturæ humanitatis exiſteret. Ipſe verò ſibi quomodo vel Deus poterit eſſe vel Dominus? Ergo ſicut homo, quantum decenter exinanitionis menſuræ congruit, ſub Deo ſe nobiſcum eſſe diſſeruit, hoc etiam modo*
D *ſub lege factus eſt, quamvis ipſe promulgaverit legem, & Legislator ut Deus exſtiterit.*

Ad has, ùt credimus, epulas invitâſtis nos, quaſi contra nos ſint, quæ præmiſſa ſunt. At nos iſto Cœleſti Manna libenter veſcimur, ut ariditas animæ noſtræ aliquatenus ſaginata non ponat amarum dulce, & dulce amarum, habito certo moderamine diſcretionis, quid non credendum, vel quid credendum ſit. Credere, quòd Deus verbum Dei & Dominus Chriſti ſit, Neſtorianum virus eſt. Si quis autem hoc credit, manife-

nifeſtiſſimè in duo dividit unum Chriſtum Filium & Dominum, & ſe ipſum Dei Verbum Deum ſibi facit & Dominum. Sed ipſe Deus ſibi nec ſervus eſt nec Dominus: quia omnia inconvenientia ſequerentur ex illo errore Neſtoriano, ſi quis Deum Verbum diceret eſſe & Dominum Chriſti, ſcilicet Dei & hominis.

Illud verò non ſurda aure prætereundum, ſed firmiter retinendum eſt, quod dicitur: *Nullatenus ignoramus, quod manens Deus homo quoq; factus ſit*, & cætera. Evidenter enim homini aſſignatur, ut *ſub Deo* ſit utpote *Domino*, quod ſuperiùs remotum eſt â Deo, & comprobatum, quòd Deus ſub Deo eſſe non poſſit, & quòd ſibi Deus nec ſervus eſſe poſſit nec Dominus. Quapropter aptè concluditur: *Ergo ſicut homo, quantum decenter exinanitionis menſuræ congruit, ſub Deo ſe eſſe nobiſcum diſſeruit, hoc etiam modo ſub lege factus eſt, quamvis ipſe promulgaverit legem, & Legislator ut Deus exſtiterit.* Si ergo nos Verbum Dei Patris diceremus Deum vel Dominum eſſe Chriſti, de Verbo & carne duas perſonas facientes, qui ſenſus hæreticus eſt, & Capitulo ſexto prædicti Concilij condemnatus, ſine dubio contra Symbolum, & contra fidem Catholicam graviſſimè peccaremus, manifeſtiùs in duo dividentes Chriſtum, quàm illæ hæreſes, quæ ibi ante hunc locum articulatim & ſigillatim dampatæ ſunt. Quia cùm omnes communiter Chriſtum dividant, tamen ſecundùm illa priora membra ab incarnatione Deus non negatur homini unitus quoquo modo: ſecundùm Neſtorium autem homo purus de Virgine natus, & poſtmodum ſuſceptus affirmatur â Verbo quaſi Deo & Domino creatore ſuo, & ita Chriſtus Deus & homo unus & idem in perſona ſectus ſecundùm eum in duos, Dominum videlicet & ſervum ſibimetipſi & Deus eſſet & Dominus. Quod ineptum & impium eſſet credere. Et ſi nos eodem modo Chriſtum divideremus, foras deberemus proijci abſque dubio. Sed nos annuente Deo neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes, non ita dicimus, ſicut Neſtorius dixit, aliam eſſe perſonam Verbi, aliam Chriſti, A. & Verbum eſſe Deum & Dominum Chriſti. Sed hoc dicimus, Quòd Verbum Patri coæternum, & homo temporaliter aſſumptus una perſona eſt, Deus videlicet & Dominus noſter Jeſus Chriſtus *æqualis Patri ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem*: ſicut ipſe, qui veritas eſt, ait: *Pater major me eſt.* Hæc eſt antiquitas fidei Chriſtianæ, cui manus injicere execrabile eſt. Certum eſt enim, quàm pernitioſæ ſint ſententiarum novitates ſecundùm Cœleſtinum Papam, B. quæ de vanæ gloriæ amore deſcendunt.

Reſpicite ergo & attendite, & dijudicate, ſi nos contra Concilium Epheſinum Chriſtum in duo ſecamus, dum inſeparabiliter unam perſonam Verbi aſſumentis, & hominis aſſumpti credimus & confitemur, & naturam â natura ita diſtinguimus, quòd altera major, ſicut prædictum eſt, & ſicut tota univerſalis Eccleſia & tenet, & concinit hoc modo: *Qui licèt Deus ſit & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.* Fidelis ſermo. Qui loquitur mendacium, de pro- C. prio loquitur. Ne putetis nos de proprijs loqui ea, quæ dicimus. Si fortè non habetis blaſphemias Neſtorij, quærite, & invenietis ita pravè & impijſſimè eum ſenſiſſe de Verbo Patris, quòd Deus & Dominus Chriſti fuerit quaſi alterius perſonæ, quam priùs creaverit, & poſtea ſuſceperit, & ſic duæ perſonæ fierent, quemadmodum duæ naturæ ſunt, una perſona ſuſcipientis, & altera perſona ſuſcepta. Vnde & blaſphemiam illam, quæ reſpondet per contrarium præmiſſo Capitulo Epheſini Concilij, tali fine concludit maledicus, & D. maledictus ille Neſtorius, ac ſi Deus Verbum manens in illa poſtmodum ſuſcepta perſona ita locutus ſit de ea velut de Sanctuario ſuo: *Solvite templum hoc, & poſt triduum reædificabo illud.* Ac ſi diceret: Ego habitator habitaculum propria virtute ſuſcitabo, quod per ſe inpotens eſt. Sic ab invicem non diſcutimus nos Verbum & carnem ſicut Neſtorius, ut Verbum Deum & Dominum, & Creatorem dicamus Chriſti, & ipſum Chriſtum alium in perſona ab ipſo Verbo, Domino & Creatore ſuo, quod eſſet evidentiſſimè in duo ſecare

Chri-

Chriſtum. Sed hanc impiam diviſionem deteſtantes ſimul cum ea & omnes illas hæreſes monſtroſas reprobamus, quæ abdicandæ ibi Neſtorio præſcribuntur vel benignitate, vel dignitate, vel auctoritate, vel collatione aggregativa, vel connexione quaſi per partes conſtitutiva, vel participatione, vel inhabitatione unum eſſe Chriſtum cum Deo. Omnibus autem erroribus execratis nos colligentes in eo, & cum eo, qui dicit: *Qui non colligit mecum, diſpergit*, ſimpliciter dicamus, Vnum Chriſtum eſſe Deum & hominem ſemper in idipſum, minorem confitentes eum ſecundùm humanitatem Deo, æqualem autem Deo, ſecundùm quod Deus eſt. Quod non eſt unam & eandem perſonam in duos dividere, ſed duas naturas arcano quodam ineffabili Divinæ operationis in unam perſonam conſociatas diſcernere: quia *unus Dominus, una fides, unum Baptiſma.* Paulus Apoſtolus non in duo ſecuit & ſe & omnes, quando dixit: *Etſi exterior homo noſter corrumpitur, interior tamen renovatur de die in diem*: Sed quæ in uno homine erant, ab invicem diſcrevit. Sic ergo quilibet hominum ſecundùm hominem interiorem & exteriorem ſe ipſo major, & ſe ipſo minor eſt diverſis reſpectibus, nec idcirco unus homo plenus, ſed unus homo duplicis naturæ eſt. Quid ergo mirum, ſi & nos in Chriſto ea, quæ Chriſti ſunt, diſtinguimus, naturam videlicet divinam & humanam? Non eſt hoc Chriſtum in duo ſecare, ut ſæpè dictum eſt, ſed naturam â natura diſtinguere. Non eſt noſtrum ſuper hujusmodi vobiſcum quaſi contentioſum funem trahere, aut aliud quàm Chriſti gloriam quærere. Vincat Chriſtus in nobis, vincat juſtitia, vincat veritas Fidei, adversùs quam portæ inferi non prævalebunt. Hæc eſt enim illa glorioſa victoria, quæ vincit Mundum, fides noſtra.

Ex jam dictis conſtat, ùt credimus, omnibus ſanè ſapientibus, quòd nos Chriſtum non diſſecamus, & Epheſino Concilio contrarij non ſumus. Angelus autem magni conſilij inſpiret vobis, ùt vos Deum Patrem Omnipotentem non deponatis de ſede Majeſtatis ſuæ, & eum ſibimetipſi non detrahatis dicendo A. eſſe Deum & non Dominum creaturæ ſuæ, videlicet hominis aſſumpti, quod prorſus eſſet contra Epheſinum Concilium. Concordatis, Deo gratias, nobiſcum in eo, quòd jam poſt reſurrectionem Chriſtum ſubjectum Deo Patri conceditis & creaturam, ſecundùm quod homo eſt, quæ per omnia vos concedere ante non intelleximus. Sed quid valet inter nos concordia iſtorum, ſi adhuc perſeveraverit tanta diſcordia in nobis, ut nos Patrem Deum & Dominum Chriſti dicamus, ſecundùm quod ipſe homo eſt, & vos Deum ejus tan- B. tùm concedatis & non Dominum? Minima quævis diſtantia maximam facit diſſonantiam, ſi proportionalis non fuerit. Primò dicimus quia rota in medio rotæ eſt Vetus Teſtamentum in Novo, & Novum in Veteri: quia alterum continetur in altero. Et hæc ſunt duo labia Sponſæ ſibi conſonantia. Quid ergo refert, ubi reperiatur hic vel ibi? tantùm ut inveniatur certa auctoritas eorum, quæ tenemus, & dicimus. Si Chriſtus ante reſurrectionem vel poſt C. reſurrectionem non dixit omnia, non præjudicat veritati eorum & auctoritati, quæ Prophetæ protulerunt vel Apoſtoli, vel eorum Succeſſores: quia idem utriusque Teſtamenti Auctor eſt teſte Apoſtolo: *Multifariam, multiſq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimis diebus iſtis locutus eſt nobis*, & cætera. Et ſemper iteratur, & reiteratur? *Os enim Domini locutum eſt.* Et cætera his ſimilia. Novum propriè Teſtamentum eſt. Teſtimonia ſunt dicta Prophetarum. Morte teſtatoris teſtamentum confirmatum eſt, teſtibus præmiſſis corroboratum: alioquin te- D. ſtamentum inofficioſum videretur, quod nullum haberet teſtimonium. *Si crederetis Moyſi, crederetis utique & mihi*, dixit Chriſtus. Intrepidè ergo teſtes veritatis ſequimur. Et fortè Veritas omnia dixit in propria perſona Chriſti, ſed nos intelligere aut non poſſumus, aut nolumus ſecundùm Auguſtinũ ſuper Joannem, cùm ipſe Chriſtus dicat: *Omnia, quæcunque audivi â Patre meo, nota feci vobis.* Quando Deum dixit, ſatis declaravit & Dominum, ſed vos forſitan noluiſtis advertere. Quapropter audite, quid ipſe dicat: *Non me videbitis amodò, donec dicatis:*

Digitized by Google

dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Audite David, audite pueros clamentes: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Ipse & Dominus, & à Domino missus. Agnoscite eum, quem Simeon agnovit *Christum Domini*, de quo responsum accepit non ab alio quàm à Spiritu Sancto.

Vidimus equidem, & benè vidimus secundùm gloriationem litterarum vestrarum, quàm benè intellexeritis illud in Augustino: *Sub quo & ego homo sum.* Vellemus tamen aliquantulùm melius intellexisse vos. Cùm enim subjectum concedatis in natura humana ùt creaturam Creatori suo, quare non ùt Domino? Quid timebatis ab illo negotio perambulante in tenebris hæresis Nestorianæ, ne idem sibimet esset Deus & Dominus? Jam timendum non est: quia comminutum est illud caput viculi, & in cineres redactum, Deo gratias. Quamobrem sicut vos dixistis nobis, si ritè meminimus, *Videte, an bene intellexerimus Augustinum*: Ita nos æqua lance remetimur vobis multùm pacificè: audite, & intelligite Christum loquentem in Propheta, de se confitenter dicente: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. Exurge, inquis, & intende judicio meo Deus meus, & Dominus meus in causam meam.* Sic Christus agnus ille occisus ab origine Mundi. Et quid Augustinus? *Exurge, & intra judicium mecum Deus meus, & Dominus meus, non in pœnam meam, sed in causam meam: non in id, quod mecum habet latro commune, sed in illud quod Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Martyrem non facit pœna, sed causa.* Item: *Et tu Domine fac mecum propter nomen meum.* Super quem locum Augustinus ait: *Pater quippe adjuvat filium, in quantum Deus hominem propter formam servi, cui homini Deus, & cui in forma servi etiam Dominus est Pater.* Cùm dixeritis vos nusquam in scripturis veritatis hoc inveniri, videte, an hæc scriptura veritatis sit.

Si objicitis, quod Altissimus altiorem se non habet: Quia canimus Christo: *Tu solus Dominus, tu solus Altissimus*: Cavendum est, ne offendatis in petra scandali. Gygas enim ille geminæ substantiæ est, altitudine Divinitatis tantùm excedens hominem assumptum, ut & Deus & Dominus ejus sit: & quantùm ad hoc, *solus Dominus, solus Altissimus* est Christus, à Patre & Spiritu Sancto essentialiter indivisus. Sicut in prædictis locis, sic & in alijs pluribus in eodem Propheta Deus & Dominus Christi Pater vocari reperitur. Item in Isaia Propheta: *Hæc dicit Dominus: Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Quòd in Evangelio mutato nomine dicitur: *Ecce puer meus*, neminem moveat: quia translatio translationi non præjudicat, cùm & centurio dicat: *Puer meus jacet in domo paralyticus*, puerum vocans servum usitato more loquendi. Quid ultrà petitis?

Si dicitis: quia Christus nec ante resurrectionem, nec post resurrectionem invenitur Patrem appellasse *Dominum*, ideo negatis eum esse Dominum suæ creaturæ, videte, quid dicatis. Vocando enim Deum, Dominum quoque professus est, cùm non possit esse Deus alicujus, cujus non sit Dominus. Quia quamvis diversis respectibus dicatur idem Deus & Dominus, neutrum tamen excedit alterum, & propriè & singulariter accepta nomina hæc uni soli conveniunt ex quo & in quo, & per quem omnia. Unde est illud: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Aliter autem acceptis vocabulis *sunt & Dij multi, & Domini multi.* Enim verò omnes paginæ Sacræ Scripturæ plenæ sunt, qualiter & Deus in Domino, & Dominus intelligatur in Deo. Verbi gratia: *Hæc dicit Dominus.* Et item: *Ego sum Deus vester.* Et Deus in Domino, & Dominus in Deo intelligitur. Si non vultis credere mihi, credite saltem Prophetis, & ipsi Moysi: & si non vultis credere Moysi, credite saltem Angelo, & videbitis veritate mihi, quæ dicimus. *Ave MARIA*, inquit Angelus, *gratiâ plena, Dominus tecum*, id est: Deus. Unde Petrus Alexandrinus Episcopus, Damnator Arrij: *Verbum caro factum est; & habitavit in nobis*, scilicet ex quo Angelus Virginem salutavit dicens: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Dominus tecum dixit Gabriel, quod est Deus, demonstrans carnem futuram, juxta quod

quod scriptum est : Spiritus Sanctus superveniet in te. Denique cùm Christi nomina sint Dei in Hebræo plena mysterio, numquid omnibus his nominibus privavit Patrem filius, quia non omnibus his invenitur eum appellâsse in Evangelio ! Miramur, nec satis admirari possumus, cùm Deum Christi dicatis, quare Dominum Christi non recipiatis, cùm istorum nominum vim ex dulia & latria, quæ vobis satis nota sunt, evidenter possitis perpendere, cùm latria Deo, dulia Domino conveniat, non Domino soli, qui est Deus, sed & Angelis & hominibus suo modo deferenda. Qua autem ratione vos utimini à Christo ad Patrem, eâdem à simili uti possemus & nos à discipulis ad Christum, ne quibuslibet aliis vocabulis appellaremus Christum quàm eis, quibus discipuli leguntur usi fuisse in Evangelio, quæ Salvator ipse comprehendit : *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Numquid ergo Deus eorum, & noster non erit, quia non dixerunt : *Magister, & Deus, & Domine?* Aut nisi in Domino Deum intellexissent, utique correpti fuissent sicut & ille, qui dixit ei : *Magister bone.* Sed quia ille Deum non credidit, & simpliciter Magistrum appellavit, isti verò Dominum vocando in Domino etiam Deum intellexerunt, jure laudem istorum recipit inquiens : *Bene dicitis.* Illum verò redarguit dicens : *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus.* Ac si diceret : Quia Deum me non credis, impiè me & non rectè bonum Magistrum confiteris. Hac ipsa ratione Dominus noster Jesus Christus privabitur suo speciali nomine, quod est *tetragrammaton*, quod dicitur interpretatum : *Principium passionis vitæ ipse.* Quorsùm autem diligens illa nominum & Prophetica inculcatio evanesceret : *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis?* Si diligentiùs considerare velletis auctoritatem illam, undè vos munitis: *Confitear tibi Pater, Domine Cæli, & terræ*, non diceremus aliud nisi : *Pax vobis* : quia dicendo : *Pater*, filium Dei se confitetur : Dicendo : *Domine Cæli & terræ*, suum Dominum confitetur, secundùm quod ipse homo & creatura A. Dei est. Nomine enim *Cæli & terræ* universa creatura comprehenditur : quia *in principio creavit Deus Cælum & terram.* Et : *qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Aut ergo homo assumptus nomine Cœli & terræ includitur, aut non erit creatura, nisi dicatur tunc nova creatura à Deo facta, quando Filius Dei carnem assumpsit, quod Deus avertat à cordibus fidelium : quia hoc esset resuscitare hæresim Valentini, qui Valentinus Marcionis discipulus Christum de Virgine nihil corporis assumpsisse, sed per eam quasi per fistulam B. transisse asseruit, & tunc inanis esset fides redemptionis nostræ, & alium Messiam expectare deberemus. Quod autem Christus de substantia terræ sit, secundùm quod homo est, exinde probatur : quia *veritas de terra orta est*, & : *qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes.* Augustinus ait : *Christus dicitur Adam, & novissimus Adam dicitur : quia de eadem materia est.* Similiter cùm dicit : *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, utriusque naturæ professio est. Et divinæ in eo, C. quod dicit *Pater*, & humanæ in eo, quod spiritum in manus ejus commendat: quia & Deus & Dominus ejus est. Vode & ipse versiculus ab ipso Jesu Christo in cruce canonizatus, in persona ejus à Propheta tali fine concluditur : *Redemisti me Domine Deus veritatis.* Recordamini, cujus verba sint in Actibus Apostolorum : *David enim dicit in eum : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* Ejusdem rei testimonijs totus liber Sapientiæ plenus est. Si his derogatis, quia nec ante resurrectionem, nec post resurrectionem Chri- D. stus ea dicit, per hoc adimitis auctoritatem ipsi Domino nostro Jesu Christo dicenti : *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Et iterum : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.*

Amodo de forma servi inquirendum: quia dicitis, quòd Christus formam tantùm servi retinuerit post resurrectionem, quasi negando, eum servire sub inquisitione, quid serviat? *Christus exinanivit se ipsum formam servi accipiens in simili-*

militudinem hominum factus & cætera: non tamen ut formam sine re, aut similitudinem sine veritate susciperet. Ad nos enim similitudo respicit, sed veritas nihilominus in ipso est. Unde Augustinus: *Formam servi, id est: naturam servi accepit in suam Deus ille personam, atque ita hominum factor in similitudinem hominum factus est* & cætera. Quæ rerum veritas in ipso non est abolita in resurrectione, excepta mortalitate, & cæteris hujusmodi, quæ sunt pœna peccati. Quia tunc verè ante faciem ivit mors, ùt vos dicitis, & sicut Propheta prædixit. Quod autem de exinanitione formæ servilis introducitis, satis superfederi poterit, ùt nobis videtur: quia exinanitio ad humilitatem respicit, servilis autem formæ demutatio ad glorificationem & exaltationem. Sed his omissis ad hæc redeamus, quòd Christus suæ dispensationis obedientiâ completâ per gloriam resurrectionis & ascensionis exaltatus sedet ad dexteram Majestatis in excelsis Deus verus, & homo verus, æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem. Hoc credimus, & confitemur, & contra hanc fidem Romanæ & Universalis Ecclesiæ auctoritate corroboratam nullam novitatem, vel etiam antiquitatem recipimus. Si quid autem quæstionis emerserit, sequimur institutionem Sedis Apostolicæ, Decretum Cœlestini Papæ: profundiores difficilioresque partes ingruentium quæstionum, quas latiùs pertractârunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere. Satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod oportuerit præfixis sententijs esse contrarium.

Nec quisquam hoc æstimet, quòd pristinæ subjectionis, & obedientiæ servitutem Christo dicamus incumbere, cùm etiam Apostolis dictum sit: *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Et alibi dicatur: *Jam non est servus, sed filius:* Ubi timoris illius servitus denotatur, quem charitas foras mittit, quæ servitus longè à Christo est, & fuit semper. Sed hoc tantùm dicimus, quòd legibus humanis solutus legi Dei solummodo subjectus est, quæ lex æterna est. ut secundùm Augustinum serviat omnis creatura Creatori suo. Lex quidem illa temporalis obedientiæ tunc finem accepit, quando dixit: *Consummatum est*, ubi & vetus noster homo simul crucifixus est cum illo. Sed lex universæ creaturæ, quam præmisimus, quam & ipse suscepit pro nobis, non quia debuit, sed quia voluit, adhuc statum habet, & perseverat immobilis. *Christus* ergo *resurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur: quod enim vivit, vivit Deo:* Secundùm Augustinum *post summum tempore suo Augusto redditum* B. *se ipsum caput cum membris reddens Deo.* Non ergo subjacet illi maledicto, quod ab Achan sumpsit initium, non Moysi, non Augusto tenetur Cæsari, nec sub ea nota servitutis est, qua decalvatus, & cum impiis reputatus est, nec etiam parentibus subditus est. Omnibus enim legibus humanis jam solutus est legis ille lator, qui sub lege factus erat, præter illam, quæ declarata est, nostræ conditionis humilitatem absque peccato, & pœna peccati, solus utique *inter mortuos liber*, qui tanquam filius caput cum cor- C. pore manet in domo in æternum, excluso illo servo, qui non manet in æternum.

Adoretur ergo Christus, Deus & homo, & serviat suo modo, secundùm quod creatura Creatori suo. Elevatis enim oculis ad montes, unde veniat auxilium nobis, semper ad id revertimur: *Cùm tradiderit regnum Deo Patri, tunc & ipse subjectus erit ei, qui subjecit si omnia. Subjectus erit, secundum quod homo est,* ùt ait Augustinus, cum corpore suo, quod est Ecclesia *illi, qui subjecit ei omnia*, hoc est, Divinitati. Si D. autem quæris, quid vel in quo serviat? Accipe. Quid servit Petrus? quid Paulus? quid spiritus & animæ justorum? quid Angeli & Archangeli? quid Cherubin & Seraphim? Non est, qui dicat: *Fodere non valeo, mendicare erubesco.* Vis scire quid: Audi: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Vis scire quomodo? *Omnis spiritus laudet Dominum.* Quod specialiter ad Christi personam respiciendo Propheta idem his verbis expressit: *Concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea:*

Domine Deus meus in æternum confitebor tibi. Auguſtinus : *Quid eſt : in æternum confitebor tibi? In æternum laudabo te.* Hæc cauſa finalis, hoc totum illius vitæ negotium, hoc illud holocauſtum, quod in ultimo feſtivitatis die offertur, & votum quod redditur Domino in Jeruſalem, quando collaudabit Jeruſalem Dominum, caput cum corpore ſuo ſabbatizans ab omni opere ſervili in illo ſabbatismo, ei ſoli, qui poſuit fines ejus pacem, & adipe frumenti, ſe ipſo videlicet convivas exſatians. Vis ergo ſcire ſecretum hoc, quid modò ſerviat Chriſtus? Interpellat pro nobis, & reſpicit Dominus in faciem Chriſti ſui. Auguſtinus. Adhuc dubitas, an ſerviat Chriſtus? Audi, quanquam ſerviat. Scabellum pedum ejus eſt. Vnde : *Adorate* etiam *ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt.* Totum autem hoc ſervire Deo, regnare eſt. Dixi vobis jam pridem, & audiſtis teſte Beato Hieronymo ſuper Pſalmos : Quia idem & ſedet in throno Majeſtatis, & thronus eſt, & ſcabellum pedum eſt. Si ultra quæris, primum reſpondeo : quia *poſuit tenebras latibulum ſuum.* Si magis & magis inſtiteris, dico tibi cum Propheta : *Hic labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in noviſſima eorum.* Et cum Apoſtolo : *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Hæc eſt confeſſio Petri dicentis : *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, cum quo, & in quo, & per quem, & apud quem idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus vivit, & regnat cum Spiritu Sancto in ſæcula.

19.

Gerhohi Reſponſio ad præcedentem Eberhardi Epiſtolam. Prolixe explicat, quomodo homo in Chriſto jam ſervus non ſit conditione, licèt talis ſit genere naturæ. Quædam de modo adorandi hominem in Chriſto &c.

Dilectiſſimo Domino ſuo E. Venerabili *Babenbergenſis* Eccleſiæ Epiſcopo, frater G. de *Richerſperge* devotas orationes cum fideli obſequio.

Ludens in orbe terrarum ab æterno æterna Dei Sapientia tunc maximè pro deliciis habet eſſe cum filijs hominum, quando Eccleſia, vel quæque etiam rationalis, vel fidelis anima Verbi Dei ſponſa invenitur plena deliciis juxta illud in Canticis : *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, & innixa ſuper dilectum ſuum?* Talis nimirum, ni fallor, eſt anima veſtra lectioni ſacræ intenta, & in ſcripturis veritatis exquirens veritatem. Hinc eſt illa veſtra patientia, qua ſuſtinetis modicum quid inſipientiæ meæ, ſed & ſupportaſtis me paſſillum, cùm ſitis vos magnus in Eccleſia & in regno Princeps ac Dominus Principum. Supportatis tamen me, ſicut dixi, eadem, quæ inquiritis vos, inquirentem, & ad hoc ſummo ſtudio nitentem, ut, ſicut vos hortamini, idipſum dicamus & ſapiamus. Quod ex parte nunc fieri gaudemus, cùm Vobis placet Epheſinum illud Capitulum, quo prohibemur cum Neſtorio dividere Chriſtum in Dominum & ſervum, quaſi Verbum increatum creati, & præ ſuis participibus uncti hominis ſit Dominus, ut jam dictus Neſtorius docuerat. Contra quem prædicta Synodus Epheſina ſic intonat : *Si quis dicit Deum aut Dominum eſſe Chriſti ex Deo Patre Verbum, & non magis eundem confitetur ſimul Deum & hominem, utpote facto carne Verbo ſecundùm ſcripturas, anathema ſit.* Quia ergo ſapit vobis iſtud capitulum, ſapiat neceſſe eſt, unum & indiviſum eſſe Dominum Verbi & hominis Verbo uniti, quod totum eſt Chriſtus, unus Dominus cum Patre ſuo ac Spiritu Sancto. Licèt enim de Verbo filio dictum ſit : *Pluit Dominus à Domino*, non tamen duo Domini ſunt Pater Dominus, & filius Dominus, quomodo non duo Dij Pater Deus, & filius Deus.

Nempe, ùt Vos intelligere innuitis, & verum eſt, non aliud eſt Deo eſſe Deum, & aliud eſſe Dominum, quando utrumque abſolutè dicitur in deſignationem Divinæ ſubſtantiæ. Quando autem nomen *Domini*, quod eſt relativum, refertur ad ſervum, non poſſumus acquieſcere, hominem aſſumptum, jam dominantem in regno Dei Patris, habere ſuper ſe Dominum, vel ipſum dici oportere *ſervum Domini* alicujus, nunc maximè, poſtquam intravit in gloriam ſuam, in dominium ſuum dicente ad eum Patre : *Sede à dexteris meis*, quod

quod idem est, ac si dixisset: Coregna, & condominare mihi. Sequitur enim: *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Proinde quod in Scripturis Propheticis Christus dicitur *servus*, aut Pater *Dominus* est, rectè arbitramur ad illud tempus referendum, quo iste homo novus, cùm esset Dominus omnium, tamen sub tutoribus & actoribus erat, nihil differens à servo, usque ad præfinitum tempus à Patre. At ubi finito servitio successit regnum æternum ab Angelo Matri ejus prænuntiatum, jam non dico eum *servum*, sed *Dominum*, habentem cum Patre suo indivisum dominium, licèt manente in eo essencia servilis formæ, quæ tamen servilis obedientiæ modò jugum non portat, sed in Deo & cum Deo regnans dominatur summo dominio, jam transacto illo tempore sessionis illius, in qua fatigatus ex itinere sedit super fontem, largitus aquam vivam, reprobatâ prius aquâ non vivâ, quam, qui biberit, sitiet iterum. Non autem semper illic sedit, sed surrexit, ulteriùs non ita sessurus: quia nimis exaltatus jam non habet necesse dicere, quod dixit in illa sua fatigatione: *Exurge*, inquit, *& intende judicio meo Deus meus & Dominus meus in causam meam.* Hoc ipsum pertractans Augustinus, ut commemorâstis, ad idem tempus refert, quo fatigatus ex itinere invocavit Deum suum & Dominum suum tanquàm creatura Creatorem, & servus Dominum, cujus nunc in servitio & obedientiâ fatigatus erat ex itinere. Sed nunc sedens & quiescens ad dexteram Dei Patris Omnipotentis in æternum quidem recognoscet eum *Deum* suum, utpote factorem, à quo factus est ex semine David secundùm carnem, & *Patrem* suum, utpote generationis suæ Divinæ Auctorem, & humanæ Operatorem simul & Auctorem. Sed non recognoscet illum *Dominum* suum: quia transacto servitio summum cum Patre suo habet dominium indivisum in utraque natura.

Quia ergo, ùt dicitis, de nobis miramini, cùm *Deum Christi* dicamus, quare *Dominum Christi* non recipiamus, ecce habetis causam. Quia videlicet quod factum est in ipso, semper erit factum recognoscens Deum factorem suum. Quod autem secundùm formam A servi observavit mandatum juxta illud: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, jam totum est præteritum, ex quo ipse transivit ad Patrem formâ servi glorificatâ & clarificatâ ea claritate, quam expetiit ipse adhuc servus: *Clarifica me*, inquit, *Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priùs quam Mundus esset, apud te.* Quod exponente Hilario sic est intelligendum, ut id, quod de tempore erat, gloriam ejus, quæ sine tempore est, claritatis acciperet, quæ scilicet illa est claritas, quam Verbum priùs habuit. B Hac igitur claritate indutâ, servi essentia & forma non est ita exinanita, ut non esset, vel semetipsa fieret inferior, sed glorificata, ut se ipsa facta sit superior. Unde approbamus, quòd vestra prudentia sigillavit hoc in litteris nostris dictum, quod forma servi exinanita sit, non ut non sit, sed ut optimè sit, videlicet non jam serviendo, sed dominando. Quia ergo vocabulum exinanitionis fecit vobis offendiculum, licèt non induceret sensum pravum, cavebo tamen ulteriùs illud iterare, utens in hoc C vestra emendatione seu correptione.

Liceat autem & nobis, obsecro, quædam modestè tangere, quæ nostram humilitatem in vestris ad nos scriptis offendunt, aut sua ambiguitate dubios reddunt. Dicitis, & constanter affirmatis Deum Patrem hominis assumpti Deum & *Dominum* exillere, & non id quidem solùm de tempore dispensatoriæ humilitatis, sed & hodie jam, videlicet eidem homini assumpto servitutem quandam æternam assignatis. Hoc igitur est, quod nostram parvitatem offendit, eò quod sicut Deum Patrem assumpti in Deum hominis *Dominum* esse dicendum, ex quo sedit in dextera sedis magnitudinis in excelsis, in scripturis Canonicis non invenimus, ita & servitutem jam glorificato assignari non invenimus. Nam quod in Propheticis libris vel ille *Dominus*, vel hic *servus* dici invenitur, tempore dispensatoriæ humilitatis assignandum ipsa verba, & verborum circumstantiæ innuunt, ùt est illud: *Exurge & intende judicio meo Deus meus, & Dominus meus in causam meam*, quæ tempori & causæ passionis congruere dubium non est. Simul quoque perpendat prudentia vestra,

quod, cùm *Dei* & *Domini* nomen pro uno & eodem accipiendum in Deo asseratis, hominem assumptum, ni fallor, dicitis in Dominum quoque assumptum, ita ut unus cum verbo assumente Dominus sit, apud vos, & apud omnes constare debere, maximè cùm & Apostolus hoc indubitanter asserat dicens: *Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos ex ipso, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Qui cùm se testetur venisse in nomine Domini, quod & pueri clamaverunt dicentes: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, Pronomen possessivum neque ab ipso, neque à pueris additur, ut dicatur in nomine Domini *sui* venisse, sed tantùm *in nomine Domini.* Aliàs dicit: *Ego veni in nomine Patris mei.* Et ex hoc sanè intelligi potest *in nomine Domini* Pater figurari, qui & in Lege Moysi dixit: *Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat te semper*, & cætera usque: *Et est nomen meum in illo.* Sed quia non dicit: *Ego veni in nomine Domini mei*, sicut dicit: *Ego veni in nomine Patris mei*, rectiùs mihi videntur sensisse, qui *in nomine Domini* totam Trinitatem potiùs, quàm solam Patris personam intellexerunt. Quia sic venit ille benedictus in nomine Domini, ut ei conveniat nomen Domini æquè ùt Patri & Verbo, & Spiritui Sancto, cum quibus tribus assumptus in filium benedictus ille homo unus Dominus est, ita ut sit unus illorum trium: quia homo assumptus non adauxit numerum personarum. Habet ergo nomen Domini, & est nomen Domini in illo, non ut sit Dominus vel Deus inter illos, qui nuncupativè dominantur Dij vel Domini multi, sed omnino super illos Dominus Omnipotens in summo totius Trinitatis dominio: quia homo assumptus cum Verbo, quod illum assumpsit, non duo Domini sed unus est Dominus. Vnde licèt sit *Gigas gemina substantia*, tamen cavendum videtur, ne Verbum Dei Deus, quòd in Concilio, ùt vos prudenter animadvertistis, negatur Dominus Christi Jesu hominis uncti, aliquomodo asseratur esse Dominus hominis assumpti: quia nihil est aliud homo in Deum assumptus, quam homo in Deum unctus, cui assumi fuit ungi: quia non priùs assumptus, & postea unctus credicur, sed ipsa ejus assumptio fuit ei regalis unctio, qua prorectus est in Regem Regum & in Dominum dominantium, ità ut neque in se, neque supra vel extra se habeat alciorem se Dominum, qui hominem illum assumptum in gloriam reputet servum suum, cùm adoretur ab omnibus Deo servientibus Angelis & hominibus beatis.

Absit autem à nobis aliud de vestra prudentia æstimare, quàm ut assumentis & assumpti indivisum dominium asseratis, sicut Patris quoque & Vnigeniti dominium & regnum indivisum est. Absit etiam hoc de vobis æstimare, ut, cùm Pater & filius & Spiritus Sanctus unus Dominus, & unum singulare trium dominium sit, extra illud singularis dominij consortium, in quod assumptus est, hominem collocetis. Non enim simul stare possunt, ut in singularis illius dominij consortium sit assumptus, & in fide nostra sit extra vel infra collocandus. Assumptionem verò hanc in singularis dominij consortium ad nostræ humilitatis formam sive naturam pertinere dubium non est. Nam Verbum ab illo singulari dominio numquam destitit. Et hæc quidem assumptio secretiori sacramento in nativitate facta est, manifestiùs autem in assumptione ipsius in Cœlum famulantibus Angelis coram omni Cœlesti Curia facta & celebrata est, quemadmodum Evangelista Marcus testatur dicens: *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in Cœlum, & sedet à dexteris Dei.* Et Lucas Evangelista: *quia cœpit*, inquit, *Jesus facere, & docere usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est.* Et Angeli ajunt: *Jesus, qui assumptus est à vobis in Cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum.* Quia igitur in fide vestra, simul & nostra, in illud unicum & singulare dominium in nostri generis forma, quæ utique in ipso *forma servi* dicitur, est assumptus, quomodo convenire potest, ut in eadem forma, in qua ill singulare dominium est assumptus, sit in æternum servus? Nam formam quidem servi nos in ipso in æternum permansuram dicimus, sed per id, quod dicimus

formam

formam servi, non servilis conditionis indignitatem, sed naturæ nostræ, qui conditionales servi sumus, in ipso veritatem exprimimus. Et quidem servilis conditio si in ipso æternaliter esset, æternam quoque fore servitutem necessarium esset. Sed absit à nobis, ut magnum illud pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, servilis conditionis humiliate deformemus, ita ut vel tunc, cùm in carne ministravit, quemadmodum ait: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*, servili conditione, & non potiùs filiali dilectione hoc fecerit. Hoc autem & ipse confitetur dicens: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei.* Non ait: Mea servilis conditionis, sed *meus*, ait, *cibus est*, quomodo si diceret: Filialis in me dilectionis est, ut faciam voluntatem Patris mei.

In facili & brevi vestræ æstimo prudentiæ persuasum iri, ut ne Christum, quamvis in forma servi, id est, in natura nostri generis sit, sub servili conditione, qua omnis creatura Creatori obnoxia est, vel in eo, quod homo est, collocetis: Nisi, quod absit, & quod ego de vestra prudentia non crediderim, etiam unici & naturalis filij nomen & dignitatem simul ab eo in eò, quod homo est, velletis abstrahere. Hæc enim simul se non patiuntur, ut & naturalis atque unicus Patris in eo, quod homo est, filius sit, & in eodem conditionalis servus.

Quòd autem Christus etiam in eo, quod homo est, communis creaturæ vocabulo non censeatur, etiam Patrum documenta nos instruunt, in quibus Beatus Ambrosius præcipuus est, cujus verba sunt hæc in libro primo de Trinitate: *Probemus*, inquit, *creaturam non esse Dei filium. Audivimus enim in Evangelio Dominum mandasse discipulis: Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui universam creaturam dicit, nullam excipit. Et ubi sunt, qui creaturam Christum appellant? Nam si creatura esset, sibi mandaret Evangelium prædicari, & subjectus esset vanitati: quia testante Apostolo: Omnis creatura vanitati subjecta est. Non igitur Christus creatura est, sed creator, qui docenda A creaturæ discipulis mandat officium. Arrij hæc fuisse perfidia legitur, ut Christum creaturam confiteretur: idcò effusa sunt Arrij viscera, atque crepuit medius prostratus in faciem, ea, quibus Christum negaverat, fœda ora polluens.* Hæc verba tanti Patris, quoniam auctoritate Evangelica simul & ratione subnixa sunt, pro duobus nobis, vel tribus testibus esse possunt, quòd Christus, homo videlicet in Deum unctus & assumptus, quamquam rectè dicatur, & sit *nova creatura*, utpote homo secundùm Deum creatus in justitia & sanctitate veritatis; tamen communis creaturæ vocabulo censeri non debeat, ne videlicet ipsi Evangelium prædicandum sit, ac ne vanitati subjectus deputandus etiam in eo, quod homo est. B

Ista quoque in hunc sensum ratio concurrit, quòd si Christus, quod utique nomen est unctio in Deum hominis, creaturæ communi vocabulo censendus esset, servitus ei, quæ *latria* dicitur, & soli Deo debetur, indebita esset. At hoc Ephesina Synodus non patitur, ut homo à Verbo assumptus ab una Verbi adC oratione separetur. Augustinus quoque de adoratione scabelli: *Nemo*, inquit, *carnem Christi manducat, nisi prius adoret.* Florus quoque in Decadis de adoratione scabelli: *Non dividitur*, inquit, *ab adoratione, quod conjunctum est unitate.* Et plura in hunc modum in dictis Patrum reperiuntur, quæ & hominis adorationem indicant, simul etiam adoratores hujusmodi de idolatria excusent, eò quòd non purus homo, sed Verbo unitus adoretur.

Sunt verò nostri temporis quidam, quorum Folmarus, ille Christi & noster adversarius est unus, qui malam sibi D partem delegerunt dicentes, Verbo *latriam*, homini verò *duliam*, sed majorem tamen quandam speciem *dulia* deferendam. Hoc autem est, hominem illum Divinitate sua nudare, & cum Pilato atque Judæis tale quid dicere: *Ecce homo!* Hæc enim Græca illa nomina, *latria* videlicet & *dulia*, ut à Patribus, Græcæ linguæ peritis, didicimus, à se differunt, quòd servitus soli Deo debita *latria* est, *dulia* verò servitus, qua sibi homines invicem deserviunt sive pares paribus, sive minores majoribus, sive

sive etiam majores minoribus. Hoc autem ita esse ex Græcorum probant codicibus. Nam ubi nos legimus in Epistolis Pauli : *Spiritu ferventes, Domino servientes*, Græci legunt : *Latreventes*. At verò ubi nos legimus : *Per charitatem servite invicem*, Græci codices *Dulevite* habent inscriptum. Tantum quoque nominum illorum significatio inter se discreta apud illos est, & apud nos esse debet, ut nunquam *latria* ad aliam, præterquam soli Deo debitam servitutem significandam adaptari debeat. *Latriam* quippe Deo exhibemus, non inter omnia, sed super omnia ipsum adorando, & super omnia ipsum diligendo, eique sacrificando, & thurificando, atque in ipsum credendo, quod nulli creaturæ, quæ non aliud quàm creatura est, exhiberi debet : quia nullus quantumlibet sanctus homo vel Angelus tali veneratione colendus est, ut vel sicut Deus adoretur, & ex toto corde, ac tota mente diligatur, vel ei sacrificetur, vel thurificetur, vel in eum credatur, licèt ei vera dicenti sit credendum. Vnde homo, qui dicit : *Creditis in Deum, & in me credite*, innuit se ultra omnes creaturas Deum esse colendum potiùs *latria* quàm *dulia* : Quia dulia non ad aliam servitutem præter eam, quam rationalis creatura sibi invicem exhibet, rectè adaptatur. Vnde inter peritos hujus discretionis proverbium est : *Latreus est, duleus non est : Duleus est, latreus non est.* In qua enim servitute quis *latreus* est, *duleus* esse non potest, & è converso, eò quod *latria* Creatori, *dulia* creaturæ exhibeatur.

Hoc autem dico condolens illis, qui nescio, unde inducti homini in Deum assumpto *duliam* sive majorem speciem dulix, hactenus inauditam, & non *latriam* docent exhibendam. Magni enim sunt etiam hi scholasticis disciplinis valde exercitati, sed minoris in hominis Christi Divinitatem, quàm oporteat, fidei. In Petri enim Longobardi Glossis in Psalterium de adoratione scabelli simul & in Sententijs ejus hoc invenitur, & Augustini quidem dictis in glossis adscriptum, & quasi ipsius sit, continuatum. Sed aliter esse facile inveniunt Tractatum Augustini de scabelli adoratione perquirentes. At hoc non dicimus, ut vestram in hunc sensum adduci posse timeamus prudentiam, sed quòd quædam in dictis vestris ambiguitas sit, unde hic sensus ab aliquibus concipi posset. Dicitis enim, quod laudabile est, Christum vos sub Verbo quasi Domino suo non ponere, ne Deus sub Deo, vel Domino sit, sed tamen hominem sub Deo quasi Domino suo constituitis. Servitium quoque ei æternum, eidem Domino & Deo suo exhibendum, satis divinum describitis. Sed quia servitus apud nos Latinos, interdum verborum inopes, æquivocum est, & ad eam servitutem, quæ *latria* est, soli Deo debitam, & ad eam, quæ *dulia* est, qua sive conditionales, sive per charitatis debitum alterutrum servi existimus, adcommodatum, eò quòd non habeamus diversa nomina diversarum servitutum : Hæc est, Domine mi, ambiguitas illa, quæ nos sive alios, vestra legentes, ambiguos reddere possunt, quamnam servitutem homini in Deum assumpto assignetis, an videlicet eam, qua & Angeli, Cherubin & Seraphim serviunt? Hos enim & vos in exemplum illius servitutis inducitis. Quorum quidem servitium valde divinum est in æternum laudare Deum factorem & illuminatorem suum, beatificantem & conservantem se. Sed tamen quoniam servitus illa *latria* est, non satis videtur homini illi convenire, qui super omnia Deus est benedictus in sæcula, & cui ab omnibus nobis pariter & ab Angelis *latria* potiùs est exhibenda, quàm ut ipse eam Deo suo vel Domino suo tanquam creatura simplex Creatori exhibeat.

Quòd si dixerit quis, quod à Vobis alienum arbitror, ipsum in eo, quod homo est, Deo suo debere *latriam*, quæ sibi à nobis utpote Deo nostro justè exhibetur, valde incongruum & hoc est. Hoc enim Deorum diversitatem induceret, unum cui *latria* solùm deberetur alterum verò, qui & latriam deberet Deo superiori se, & cui latria ab omni reliqua creatura deberetur. Nam quòd latriam non solùm Verbo, sed & homini indivisè debeamus, jam olim in Concilio memorato diffinitum est. Proinde hunc sensum à Vestra prudentia valde alienum æstimo, siquidem & latriam homi-

hominem Deum Patri suo debere hactenus inauditum. Si verò aliam servitutem, quæ *dulia* dicitur, quam æquales interdum exhebent æqualibus, homini in Deum assumpto adscribitis (Nam conditionalem servitutem confessus throni paterni simul & filij privilegium non admittit) vocis quidem novitas displicet, quòd quælibet ex tribus personis, quorum unum & indivisum est dominium, alteri servus sit ei, & serviat, maximè servitutis Christi dispensatoria servitute completa, ex quo dixit: *Consummatum est:* Sensus verò stare posset, si verbis Evangelio consonis diceretur, verbi gratia: *Meus cibus est*, ait ipse Filius, *ut faciam voluntatem Patris mei*, non ait: *Ut serviam Patri meo.* Item: *Quæ placita sunt ei, facio semper*, non ait: *Serviam ei semper.* Quia enim Filius, qui, quod est, ex patre est, justum quidem est, ut in omnibus & voluntatem Patris faciat, & Patri tanquam suo principio deferat. Quia verò & Filius consubstantialis est, debito servitutis non tenetur, maximè nunc sacco servitutis ejus conciso, & lætitia jucunditatis â Patre circumdatus, ut gloria ejus eidem Patri cantet in æternum. Quid est gloriam ejus Patri cantare, nisi tam gloriosum & inclytum habere Filium, æternam Patris gloriam existere? Si enim *gloria patris*, ùt ait Salomon, *filius sapiens* est: quantò excellentior est gloria Patris Dei habere Filium, qui ipsa Dei sapientia, & Dei virtus sit?

Quòd si dicitis: Quoniam & cùm resurrexisset â mortuis, adhuc Patrem *Deum suum* appellaverit, de quo Augustinus: *Sub quo & ego homo sum*, perpendat prudentia vestra, quando hoc dixerit, adhuc videlicet ad Patrem ascensurus, quando videlicet talem se discipulis exhibuit foris, qualis apud eos erat intus. Jam enim sibi apud Patrem erat, Pascha videlicet peracto, quo transierat ex hoc Mundo ad Patrem, sed discipulos paulatim, & non saltu quodam subitò eòdem provocare habebat, videlicet sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans. Itaque non se subitò ab eis abrupit, ut diceret: *Ascendo ad Patrem meum, Deum vestrum.* Sed: *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum & Patrem vestrum*, A. *Deum meum & Deum vestrum*, mediatorem videlicet se exhibens, parvaque inter se & nos distinctione facta secum nos trahere gestiens, quemadmodum & ipsa ejus resurrectio non subitò, sed paulatim, & per incrementa discipulis manifestata est. At nos partem eloquiorum cœlestium non sic aspicere oportet, ut ea, quæ aliàs æquè manifestè de æqualitatis ejus confessu, de claritate sibi postulata, quam habebat, antequam Mundus fieret, de omni potestate sibi tradita inveniuntur dicta, negligamus. Simul ea legamus, & simul teneamus. Homo B. enim adhuc sub Deo genere naturæ, non generis conditione servili est, sed idem ipse filius cum Patre nativitatis natura & naturæ nostræ privilegio singularis celsitudinis est. Nec puto Augustinum inter hominem & Deum dividere, cùm dicat ipse in libro primo de Trinitate, Hominem illum sine Deo intelligi non posse, eò quòd unus sit ipse homo, qui & Deus, sed eum, quem nunc diximus, sensum exprimere voluisse. Simùl cùm animal illud quatuor facierum sit homo & vitu- C. lus sub Deo, leo & aquila cum Deo est, & ita stabit apud nos etiam nunc inconvulsus ille fidei articulus sive hoc, sive illo modo: *Æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem* salvô utriusque naturæ uno dominio, in quo nulla, ut credimus, divisio est.

Veneramur sanè assertiones Patrum dicentium: *sed neque Deum aut Dominum Christi Verbum Dei Patris asserimus, ne iterum manifestiùs in duos dividamus unum Christum filium & Dominum.* Et post pauca: *Nullatenus*, ajunt, *ignoramus, quòd manens Deus, homo quoque factus sit, qui sub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis existeret: Ipse verò sibi quomodo vel Deus poterit esse vel Dominus? Ergo sicut homo, quantùm decenter exinanitionis mensura congruit, sub Deo se nobiscum esse disseruit, quomodo etiam sub lege factus est, quamvis ipse promulgaverit legem, & legislator ut Deus extiterit.* Hæc Patrum dicta Vos Reverendissime Domine satis cautè scripto vestro inseruistis, & in his fortiter animadvertistis, quòd maneos Deus homo quoque factus sit, qui sub Deo existeret, & sub

& ſub Deo ſe nobiſcum eſſe diſſeruit, ubi Patrem ſuum dixit eſſe Deum ſuum. Vellemus autem & hoc Vos attentiùs perpendiſſe, vel adhuc perpendere, quòd non alio modo ſub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis extitiſſe aſſeritur, quàm eo modo, quo etiam ſub lege factus eſt, quamvis ipſe promulgaverit legem, & legislator ùt Deus extiterit, ſub qua nimirum ſicut homo fuit non utcunque, ſed *quantùm decenter exinanitionis menſuræ congruebat.* Menſura verò illius exinanitionis terminum tunc habuit, quando aſſumptus homo in gloriam ſuam divinam intravit, in qua licèt genere naturæ humanæ ſub Deo ſit, quæ ſuæ humanitatis Creatorem agnoſcit, non tamen ſervili conditione, ùt Angeli & homines beati, ſubeſt illi, ſed conregnat, & condominatur ei datâ ſibi omni poteſtate in Cœlo & in terra. Datâ, inquam, ſibi non in Divinitate, in qua ſemper habuit hanc poteſtatem, qua Omnipotens erat cum Patre, ſed in humanitatis natura, in qua claritatem factus homo accepit, quam habuit, priusquam Mundus fieret apud Deum Patrem.

Perpendat quoque adhuc attentiùs prudentia veſtra, ſi placet, apud Neſtorium Chriſtum non fuiſſe nomen hominis Dei, ſed nomen puri hominis, in quo Deus tanquam in templo ſuo habitaverit, & cujus Verbum inhabitans Dominum dixit, unde & Beatam MARIAM non *Theotochon*, ſed *Chriſtotochon* dici voluit, ne idem Neſtorius, ut vobis viſum eſt, Verbum Dominum Chriſti, id eſt: Dei & hominis faceret. Patribus verò Concilij, apud quos conſtabat Verbum Chriſtum, & Chriſtum Verbum eſſe, ineptum atque impium viſum eſt, eundem ſibi ſervum & Dominum dicere. Sicut verbi gratia ineptum eſſet in me rationale, quod ego ſum ſenſibilis, quod eſt in me quodque.* Item ego ſum Dominum dicere, hoc enim eſſet me in duos dividere, ſicut ille quoque Chriſtum in duos diviſit. Sciebant verò ijdem Patres, quòd Chriſtus Patrem ſuum etiam Deum ſuum dixerit, cùm tamen Verbum Deus carni unitum Deus omnium & Dominator univerſitatis ſit. Quod etiam ſic dicunt. Quamvis enim Deum ſuum Patrem dixerit, cum ſit Deus etiam ipſe natura & de illius eſſentia, tamen nullatenus ignoramus, quòd manens Deus homo quoque factus ſit, qui ſub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis exiſteret. In quibus verbis apparet eos Deum ſub Deo, id eſt: filium in eo, quod homo eſt, ſub Deo Patre debita naturæ lege humanitatis recognoſcere, non autem ſentire, vel dicere, quòd Verbum Deus homini Deo Deus ſit, cùm potiùs ipſum ſit homo, quàm ut homini Deus ſit. Hunc etenim ſenſum potiùs execrantur dicentes: *Ipſe verò ſibi quomodo vel Deus poterit eſſe vel Dominus?* At vos, Domine mi, in ſubſequentibus Epiſtolæ veſtræ dicitis: *Gigas ille geminæ ſubſtantiæ eſt, altitudine Divinitatis tantùm excedens hominem aſſumptum, ut Deus & Dominus ejus ſit.* Quæ verba, quantùm ad faciem dictorum, vel ſenſum, qui ex eis prima facie concipitur, parùm aut nihil diſtare videntur ab his dictis vel ſenſu, quem Patres execrantur. Quid enim aliud eſt altitudo Divinitatis in illo gigante geminæ ſubſtantiæ, niſi Verbum Dei Deus homo & ipſum in homine? Dicere autem Chriſtum in eo, quod Deus Verbum eſt, ſibi homini Dominum, perpendat prudentia veſtra, an â Patribus prohibitum non ſit.

Enim verò nec totam Trinitatem hominis aſſumpti Deum vel Dominum dici debere ratio ſinit. Sic enim etiam ipſe ſibi Deus & Dominus fieret, cùm homo Verbum unus ex tribus ſit. At nos hunc ſenſum â veſtro corde credimus alienum, ac proinde, ſi placet diſcretioni veſtræ oportere cautionem adhiberi, ne in dictis veſtris valeat id concipi, quod, ùt credimus, non ſentitis.

Hoc veſtræ ſublimitati, Domine mi, fiducialiùs ſcripſi credulitatis meæ ſimplicitatem vobis pandendo, ſperans me in his unâ vobiſcum & cum univerſitate Eccleſiæ colligere, & vobiſcum id ipſum ſapere, exceptô, quod ſervitutis nodum vel nomen nunc in Domino meo Jeſu Chriſto non libenter admitto. Nam quòd latriam ipſe vel in eo, quod homo eſt, Patri deferat, tam longe â veſtro quàm â meo ſenſu alienum confido, eò quòd ab omnium fidelium ſenſu debeat eſſe alienum. Quod ſi hæc noſtra ſenſa veſtræ Sanctitati complacent, date aliqua

In vitioſi cod.

aliqua ſigna erga nos pacis & clementiæ. A. Simul perpendat prudentia veſtra, non ſatis eſſe ad conterendum caput vituli Neſtorianæ Hæreſeos duas in Chriſto perſonas non dicere, cùm & hoc multi alij ante ipſum & poſt ipſum non dicerent, tamen in hoc pravitatis illius conſortes, quòd hominem illum non ſubſtantivè Deum, ſed per inhabitationem tantùm Dei Deum eſſe dicebant. Vnde Magnificentia Veſtra convertat gladium veſtrum in locum ſuum, convertat ad eos, qui dicunt, hominem illum non naturâ ſed habitu Deum exiſtere, & ſimiliter Deum non naturâ ſed habitu dici & eſſe hominem, qui dicere non dubitant nihil aſſumptum eſſe Deum : Qui dicunt hominem illum non eſſe latria ſed dulia venerandum, & eò non contineri dilectionem, quæ in eum habenda eſt, mandatô, quo præcipimur Deum toto corde, tota anima, & tota mente diligere, ſed potiùs illô, quo proximum ſicut nos ipſos diligere jubemur. Parcat gladius veſter civibus, & comprovincialibus, atque in adverſarios convertatur. Nos enim ſumus & ſemper eſſe cupimus cives atque domeſtici Dei ſimul & Veſtri, habentes nimirum una vobiſcum grandem fiduciam in illa interpellatione Chriſti, quam licèt Vos interpretemini eſſe quandam ſervitutem ejus, nobis magis complacet approbare ac tenere ſenſum Beati Gregorij qui in Moralibus libro vigeſimo ſecundo exponens illud Apoſtoli : *Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, immò qui & reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, ait : *Vnigenito enim Filio pro homine interpellare eſt apud coæternum Patrem ſe ipſum hominem demonſtrare : eique pro humana natura rogaſſe, eſt eandem naturam in Divinitatis ſuæ celſitudinem ſuſcepiſſe. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, ſed miſeratione : quia quod damnari in electis noluit, ſuſcipiendo liberavit.*

II.

Reſponſio Eberhardi ad antecedentem epiſtolam. Probat, Chriſtum quà hominem creaturam & ſervum eſſe etiam poſt aſcenſionem in cælum. Quæ ſit menſura exinanitionis in Chriſto &c.

E Dei gratia Babenbergenſis Eccleſiæ vocatus Epiſcopus, Domino G. Præpoſito de Richerſperge, rectè offerre & rectè dividere.

Litteras veſtras nobis directas, ubi accepimus, in continenti nec perſpicere, B. nec advertere poteramus utpote ſolliciti & turbati erga plurima. Poſtmodum autem conſideratione habita cùm in eis plus cavillationis, quàm rationis invenerimus, & quamvis aſſertio veritatis inter nos & vos prioribus litteris ſatis declarata ſit, pauca tamen ſuperaddere curavimus propter inprobitatem ad abolendum penitùs, ſi quid adhuc nebulæ ſupereſt, ipſo Auctore, qui de tenebris juſſit ſplendeſcere lumen. De verbo quidem ad verbum reſpondere propter prolixitatem C. & ſuperfluitatem incongruum duximus, ſed ad ea tantùm, quæ magis animum pulſare videntur, quatenùs ex quibusdam dictis alia non dicta intelligantur.

Miramur, ſed nec ſatis admirari poſſumus ſuper doctrina, & reſponſis veſtris, quòd totiens dicta veſtra variatis, & quaſi fluctuando eadem modò negatis, modò conceditis. Inſuper quaſi non legeritis, aut non intellexeritis litteras noſtras, non reſpondetis ad objecta vobis, ſed alia quædam longè aliena â verbis & â ſenſu noſtro proponitis, & D. inpugnatis aërem quaſi verberando. Et quidem modò formam ſervilem, modò formæ ſervilis eſſentiam in Chriſto poſt reſurrectionem & aſcenſionem remanſiſſe dicitis, modò dicitis de Chriſto, quòd in æternum Patrem recognoſcet Deum ſuum, modò id ipſum denegare videmini, ubi dicitis : *Perpendat prudentia veſtra, quando hoc dixerit : Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum : Adhuc videlicet aſcenſurus ad Patrem, quando talem ſe exhibuit diſcipulis foris, qualis apud eos erat intus.* Item alibi dicitis : *Enimverò nec totam Trinitatem hominis*

hominis aſſumpti Deum vel Dominum di-ci debere ratio ſmit. Qualiter hæc ſcripta veſtra inter ſe conveniant, vos videritis. Nobis videtur, quia *eſt & non* in ſermone veſtro eſt, & non ſolùm in his, ſed & in alijs quàm plurimis. Prophetícas ſcripturas & alias, quæ de humanitate & humilitate Chriſti ſunt, illi tantùm tempori adaptatis, quod fuit ante reſurrectionem Chriſti. Atqui non ſolùm ante reſurrectionem ſed & poſt reſurrectionem hoc, quod ſequitur, Chriſto convenire teſtatur Ambroſius de Trinitate, & quem pro vobis eſſe putatis, contra vos eſt, ita exponens: *de ventre matris meæ Deus meus es tu. Cum dicit: De ventre matris meæ Deus meus es tu, ex illo Deum ſibi eſſe ſignat, ex quo de ventre matris jactatus eſt.* Si ergo ex tunc ſemper Deus ejus eſt ſine præſcriptione temporis, debet ei ſemper, quod Deo ſuo, & quod creatura Creatori ſuo.

Et ne hoc nomen *Creaturæ* vos ſcandalizet in Chriſto, ſecundùm quod homo eſt, attendite poſt illam auctoritatem, quam vos introducitis de Ambroſio ad probandum, quòd Chriſtus *creatura* dicendus non ſit, attendite, inquam, quid in conſequentibus dicat Ambroſius: *Imperiti*, inquit, *legant totum, & intelligant.* Et addit: *Diſcant, quemadmodum dictum ſit: Dominus creavit me. Non dixit: Pater creavit me, ſed Dominus creavit me. Caro Dominum agnoſcit, gloria Patrem ſignat, creatura noſtra Dominum confitetur charitas Patrem novit.* Præcedentia verò ejusdem capituli, quibus Ambroſius probat non eſſe creaturam filium Dei, & Chriſtum non vocandum eſſe creaturam, huic loco non ſunt contraria. Ibi etenim tantùm de Divina natura agitur contra Arrianos, aſſerentes filium Dei ſecundùm Divinitatem creaturam eſſe, hìc verò agitur de humana. Longè quippe aliud eſt: *Ex utero ante luciferum genui te.* Et aliud: *Dominus creavit*, vel *poſſedit me initium viarum ſuarum.* Itemque: *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Quarum utriusque naturæ differentiam in eodem contextu ſic idem exprimit Ambroſius: *Videmus magnam inter creaturam & Dominum eſſe diſtantiam: quia ſervitus creatura eſt, Dominus autem ſpiritus eſt: ubi autem ſpiritus Domini ibi libertas.* Huic & Auguſtinus concinit ſuper *Non turbetur cor veſtrum*, hoc modo argumentando contra Arrianos: *Si creatus eſt, utique & ſervus eſt: quia omne, quod creatum eſt, neceſſe eſt, ut creatori deſerviat.* Et ipſe quidem indirecta ratiocinatione uſus eſt ad probandam Filium Dei, ſecundùm quod Deus eſt, non eſſe creaturam. Nos eandem ratiocinationem directè ad propoſitum noſtrum utentes ſimiliter dicimus: Si filius hominis creatus eſt, utique & ſervus eſt: ſed creatus eſt, ùt in Iſaia legitur: *Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant juſtum* & cætera. Et poſt pauca: *Ego Dominus creavi eum.* Conſequenter igitur & ſervus eſt, & neceſſe eſt, ut deſerviat ſuo modo ſicut creatura creatori ſuo. Hæc, ſi placet, auctoritatis verba & rationes patienter accipite, & ab his ſaltem non abhorreatis, ſi nos & noſtra deſpectui habetis. Hæc enim veſtigia humiliter ſequentes de Chriſto dicimus ea, quæ vos improbatis, ſcilicet quòd Chriſtus, ſecundum id, quod Deus eſt, creator eſt, & ſecundùm hoc, quod de muliere factus eſt, creatura eſt, & cætera evidenti rationis neceſſitate his cohærentia.

At ne illud fortè remordeat, quod dictum eſt: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et: *Vanitati creatura ſubjecta eſt, non volens*, quaſi & Chriſto Evangelium prædicandum fuerit, & Chriſtus vanitati ſubjectus ſit: De priori quidem ad Gregorium ſine verecundia confugimus dicentem poſt alia: *Omni creaturæ prædicatur Evangelium, cùm ſoli homini prædicatur.* Quod ſi quis acriùs inſiſtens dicat: quia Chriſtus homo eſt, ſibi quoque Evangelium mandâſſe prædicandum, viderit talem eſſe modum loquendi, qualis eſt hic: *Chriſtus pro omnibus guſtavit mortem.* Numquid ergo & pro ſe? Abſit. Quia Pontifex iſte non habuit neceſſitatem offerre priùs pro ſua, deinde pro populi ignorantia. Similis modus locutionis eſt: *Deus creavit omnia*, & *Cælum tegit omnia*, nec tamen vel Deus ſe creavit, vel Cœlum ſe tegit. De reliquo, quod prætmiſſum eſt: *Vanitati creatura ſubjecta eſt non volens*, ne fortè & Chriſtum, ſecundùm quod creatura eſt, vanitati ſubjectum

jectum esse concedi oporteat, ita respondemus : Quia subijci vanitati illi propriè creaturæ convenit, quæ ingemiscit, & parturit usque adhuc, & universaliter omni quod sub sole est. Christus autem & secundùm hoc, quod homo est, non sub sole est, sed super solem est, & super omnem creaturam, quamvis & ipse in sole posuit tabernaculum suum, & portaverit nobiscum pondus diei & æstûs permanens ipse sol justitiæ, cum sole & ante lunam in generationes generationum in gloria Patris, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Sed & Angelici Spiritus & animæ justorum per gratiam Dei jam sub hac vanitate non sunt.

Proinde cum dicitis : *Christus in eo, quod est homo, communis creaturæ vocabulo non censetur*, volumus in Christo sanè vos intelligere, ne fortè sentiatis, sicut quidam hæretici corpus Christi non de nostra communi materia factum : Quod absit, ut credamus de vobis. Id namque non solùm Ambrosio contrarium, qui ait in præmissis, quòd nostra creatura est, sed Augustino dicenti, Quia *pulvis noster jam incorruptibilis factus sedet ad dexteram Patris*. Item Beda : *Ut corpus quod de communi humani generis terra nascendo susceperat, resurgendo jam super terrena omnia sublevatum cœlesti virtute indueret.* Boëtius quoque de natura & persona contra Nestorium, & Eutychen validissimè hoc ipsum impugnat, probans secundùm præmissum errorem hæreticorum falsas esse omnes Prophetias, & irritas omnes promissiones Patribus factas, specialiter Abrahæ, & semini ejus. Si verò hoc dicere intenditis, quod Gregorius ait, Corpus Christi post resurrectionem ejusdem quidem esse naturæ, sed alterius gloriæ : Sensus quidem sanus est, sed alijs verbis, quam à vobis posita sint, explanandus fuerat.

In illa vero auctoritate Ambrosij, quam induxistis his verbis : *Probemus Christum creaturam non esse*, non agitur de humana natura, sed de Divina contra perfidiam Arrianorum, qui filium Dei secundùm Divinitatem creaturam esse asserebant.

De dulia & latria satis dilatatis phylacteria, & magnificatis fimbrias dicendo : *Dulens est, & latrens non est*, & hujusmodi. Sed quia minùs autenticum est, quod à Græcis vos accepisse dicitis, licèt magna sit vestræ religionis auctoritas, eadem facilitate contemnitur, quàm probatur : & idcirco ea velut obelo digna silentio interim præterimus, his contenti esse volentes, quæ à Sanctis Patribus nobis tradita sunt.

Hoc autem silere non possumus, quod viris scholasticis circa hoc versando derogatis, & subsannatis, aliter quam vestram deceat religionem & prudentiam. Imperitis enim id moris est, ut alijs derogando suam quantulamcunque aut venditent scientiam, aut tegant, seu potiùs detegant imperitiam. Eorum autem, quos sale hujusmodi respergitis, quidam adhuc in carne superstites, cùm ætatem habeant, ipsi pro se loquantur, & loquentur, ni fallimur, quorum ignorantiæ tantò faciliùs venia præstatur, quantò ipsi se promptiores exhibuerunt ad correctionem. Erroris etenim causa deterior fit, dum tegitur. Sed si Græcia secunda apud vos est, minùs appareret, ni forsitan aut præmaturè de schola Græca exieritis, aut tardè nimis accesseritis. Aut quomodo factum est, ut illud vinum bonum servaretur usque adhuc, & non primò etiam allatum sit vobis velut Architriclino, ut differentiam naturæ atque personæ id est οὐσίας, atque ὑποστάσεως cognosceritis ? Quod nimirum cognitu permaximè necessarium est. Sed ad hanc notitiam proprijs descriptionibus, & vocabulorum subdivisionibus pervenitur, quibus magis Græci quàm Latini abundant. Hic tamen in tenebris nemo ita ambulet, ut in simplici Divinitatis essentia aliquàm æstimet per hoc diversitatem, cùm idem sit Deus & Deitas, Sapiens & Sapientia, Omnipotens & Omnipotentia : quia quæ de rebus prædicantur, talia sunt, qualia subjecta permiserint. Et per omnia idem est Deo esse quod hoc esse, quæ altioris sunt propositi.

Si verò hæc, quæ præsentis sunt negotij, id est, naturæ ac personæ differentiam diligentiùs considerare velletis, profectò in scriptis vestris nulla erroris nebula quemlibet involveret, ubi de Christi persona agitis in duabus, & ex duabus constante naturis. Sed hoc in

Digitized by Google

dictis veſtris & vobis & alijs impedimento eſt, quòd non diſcernitis, quid ſequendum, quid dicendum vel accipiendum ſit. Nam interdum cùm de his agitur, quæ ſecundùm unitatem perſonæ conveniunt, naturam obtruditis, & è converſo cùm de naturæ diverſitate agitur, ad perſonam tranſilitis, & juxta hoc & nobis injuriam facitis ea nobis imponendo, quæ nec dicimus, nec ſentimus, ut in eo, quod de gigante geminæ ſubſtantiæ diximus, & de Concilio Epheſino. Etenim ubi dictum eſt, quòd hominem aſſumptum altitudine Divinitatis tantum excedat ùt Deus, & Dominus ejus ſit, per *ejus* non ad perſonam ſed ad naturam fit relatio: non quòd extra eum ſit Deus, ſed *ipſe ſibi quomodo vel Deus erit vel Dominus*, ſecundùm unitatem perſonæ dictum eſt, non ſecundùm diverſitatem naturæ, quæ apertè oſtenditur, ubi dicitur: *Qui ſub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis exiſteret.* Sicut & ibi præmiſſum eſt: *Manens Deus, homo quoque factus eſt.* Sic ergo nobiſcum ſub Deo, quantum ad naturæ noſtræ participationem. Hoc etiam: *Quomodo ſub lege factus eſt*, hìc potiùs ad Apoſtolum, quàm ad veſtram doctrinam recurrere volumus: Dicit enim: *Factum ex muliere, factum ſub lege.* Vbi profectò menſura exinanitionis exprimitur, quod & naturam noſtram ſuſcepit, & naturæ miſeriam, quantùm ad pœnam, non quantùm ad culpam. Et ſecundùm hanc miſeriæ noſtræ ſuſceptionem *ſub lege factus* eſt ipſe Legislator, quando legem adimplevit, cùm legi nihil deberet, voluntate tamen, non neceſſitate. Hæc eſt menſura illa exinanitionis, & legalis ſubjectionis modus, qui decebat Filium Dei, ſicut ipſe ait Joanni: *Sic enim decet nos adimplere omnem juſtitiam.* Aptè itaque ab eo, quod Dominus dixit: *Decet*, Patres Concilij ſubdiderunt *Decenter*, ita dicentes: *Quantùm decenter exinanitionis menſuræ congruit.*

Hac diverſitate naturæ in unitate perſonæ conſervata ſecundùm auctoritatem Concilij homo ſub Deo etiam nunc eſt, nec ipſe tamen ſibi vel Deus, vel Dominus eſt, ſicut ſentit Neſtorius, tam in re errans quàm in nomine, purum A. videlicet hominem ſecundùm ſe natum de MARIA Virgine Chriſtum appellans, & Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum unum filium & Dominum, qui ſecundùm veritatem fidei unus eſt perſonaliter, in duos diviſit, *Dominum* videlicet & *ſervum*, quaſi unus duo eſſent, alius Deus, & alius homo, quem ſequi hoc eſſet ſacrilegij crimen incidere: quia nec Deus ſine homine, nec homo ſine Deo in perſona Chriſti poteſt vel debet accipi, quod in quolibet homine perſimile videri poteſt. Nullus hominum in B. duos poteſt dividi, ſed ea, quæ ſunt in homine, ex quibus conſtat homo, intellectu potiùs, quam actu dividuntur, ita ut anima, dum eſt in corpore, corpori dominetur, nimirum rationabile, quod vos eſtis, ſicut in litteris veſtris eſt, Dominus non eſt ſenſibilis ejus, quod in vobis eſt, & quod vos eſtis. Verumtamen ſi ratio ſenſualitati non dominatur in vobis, videte, patremfamilias domûs veſtræ habeatis. Cùm autem aliud ratio, & aliud ſenſualitas ſit, unus eſt tamen homo, vel anima ra- C. tionalis ex uno, ſenſibilis ſive ſenſualis ex altero. Vnde quidam ait: *Animum rege, qui nì paret, imperat: hunc frænis, hunc tu compeſce catenis.* Liceat & hìc aurum de luto extrahere.

De verbis Concilij ſentimus, ſicut prædiximus, doctoribus non præjudicantes, veſtra tamen non per omnia recipientes, quæ de menſura exinanitionis dicitis, ubi menſuram & modum & terminum à Sanctis Patribus præſcriptum, in quibusdam ibi dictis excedit, ut in his verbis veſtris apparet: *Menſura exinanitionis terminum tunc habuit, quando aſſumptus homo in gloriam ſuam* D. *Divinam intravit.* Quaſi tunc omnis menſura exinanitionis terminum acceperit. Quod ſi eſſet, jam Deus homo non eſſet. Doceat vos, quæ recta ſunt, ea, quæ doctrix eſt omnium, ſapientia. Perfectus autem Deus, perfectus homo unus eſt Chriſtus ſalvâ per omnia utriuſque proprietate naturæ, ut non magis Neſtorij quàm Eutychis errorem devitemus, quorum alter, id eſt: Neſtorius, ut ſæpè jam dictum eſt, ſicut duæ ſunt naturæ in Chriſto, ita duas perſonas, Dei & hominis eſſe impiè credidit: alter verò, id eſt; Eutyches, ſicut una eſt perſona,

ſona, ita unam naturam ex duabus confuſam falsò reputavit, dicens perſonam Chriſti ex duabus, non in duabus conſtare naturis. Sed inter hæc devia medio loco eſt via, quæ eſt Chriſtus in unitate perſonæ ex duabus & in duabus conſtans naturis ſimpliciter, incompoſitè, & ineffabiliter. Hac itaque diſcretione habita inter naturam & perſonam nullum, adjuvante Deo, incurremus periculum in eo, qui eſt lapis offenſionis, & petra ſcandali ſecundùm doctrinam Beati Auguſtini, ſic dicentis in ſupradicto ſermone *Non turbetur cor veſtrum. Hæc eſt forma ſervi, in qua Dei Filius minor eſt non Patre ſolo, ſed & Spiritu Sancto: neque id tantùm, ſe etiam ſe ipſo.* Qua ipſa diſcretione duplicis in Chriſto naturæ non pluralitatem Deorum inducimus, ſicut vos per colorem occupationis, quò nimiùm abundatis, ſatìs inciviliter, ne dicamus hoſtiliter, nobis imponitis: neque ſejunctim, quantùm ad perſonam, Deum & hominem ab invicem dividimus: nec *coadorandum* hominem Deo tanquam diverſum in perſona dicimus, ſicut in Concilio Epheſino ſcimus prohibitum, quia *con* ſyllaba diverſitatem ſubinnuit, ſed coadoratur, & conglorificatur, ſicut & conregnat Deo Patri in unitate perſonæ, quæ filius eſt, unus & idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus indiviſum & perpetuum habens dominium. Nec enim admittendum, quod propter aſſumptam humanitatem Trinitas aucta ſupercreverit, ut Quatrinitas fieret, dum, ùt Boëtius ait, Homo additur ſupra perfectum Deum, ſed unam eandemque perſonam numerum Trinitatis explere piè credendum eſt. Dum enim hominem ineffabiliter Deus induit aſſumendo naturam, nec perſonam mutavit, nec Trinitatem adauxit.

Sed neque hoc aliquando diximus, quòd una perſona in Trinitate duabus deſerviat, ſed potiùs totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales, humana tamen natura non abolita vel pereunte, ſed in ordine ſuæ ſubjectionis juxta debitam legem naturæ humanitatis perſeverante. Atque hoc modo, ſicut æqualis Patri ſecundùm Divinitatem eſt filius: ita non ſolùm fuit, ſed etiam & erit ſemper ab incarnatione minor Patre ſecundùm humanitatem. Qui aliter crediderit, vel docuerit, apud eum inconvulſus non conſtabit Catholicæ fidei articulus. Ne ergo dixeritis amodo, fratres Reverendiſſime, ſub ambiguitate hoc vel illo modo, ſed ſimpliciter eo modo, quo tenet Catholica Eccleſia: *Æqualis Patri ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem*, ùt dicit Auguſtinus de Trinitate libro primo, capite undecimo: *Cognita regula intelligendarum ſcripturarum de Filio Dei, ut diſtinguamus, quid in eis ſonet ſecundùm formam Dei, in qua eſt, & æqualis eſt Patri: Quid ſecundùm formam ſervi, quam accepit, in qua minor eſt Patre, non conturbabimur tanquam contrarijs ac repugnantibus inter ſe ſanctorum librorum ſententijs. Nam ſecundùm formam Dei æqualis eſt Patri & Filius & Spiritus Sanctus: quia neuter eorum creatura eſt, ſicut jam oſtendimus: ſecundùm formam autem ſervi minor eſt Patre, quia ipſe dixit: Pater major me eſt. Minor eſt ſe ipſo: quia ſe ipſum eximanivit.* Quid ultra nobis & vobis? Hanc regulam ſervate, & omnia ſalva erunt.

Quod verò ſubinfertis: *Salvo utriuſque naturæ indiviſo dominio*, amphibologicum eſt, & audientium ſive legentium animos magìs dubios reddit. Cùm vel hoc videatur exinde poſſe intelligi, quòd utraque natura, Divina & humana, æquè digna ſit, quod credere infidelitatis eſt. Vel quòd perſona Chriſti indiviſibiliter ex duabus, & in duabus conſtans naturis unus ſit Deus, unus ſit Dominus, quod pietatis & fidei Catholicæ ſacramentum eſt. Characterem ergo fidei Catholicæ tota devotione veneramur & amplectimur, ſenſum verò huic contrarium deteſtamur. De cætero monemus Charitatem veſtram, ut ſi nobis vel alijs parcere non vultis, ſaltem Beato Auguſtino parcatis, cujus retractationibus aliam ſuperinducitis retractationem de eo, quod in perſona Chriſti dixit: *Sub quo & ego homo ſum*, quaſi dicere debuerit: *Sub quo & ego homo fui.* Et cùm dixit: *Cui in forma ſervi etiam Dominus eſt Pater*, quaſi præſens pro præterito poſuit. Hæc tantùm arrogetis vobis, ut Hilarium, Ambroſium, Gregorium, Hieronymum, Bedam, & alios Sanctos Patres in his, quæ

quæ ſimiliter ab eis dicta ſunt, uno & eodem modo corrigere debeatis, quaſi ampliùs vobis, quàm omnibus illis revelatum ſit. Reverendis denique Patribus Epheſini Concilij non præjudicetis, quaſi noluerint, aut neſcierint dicere: *Quamdiu*, pro *Quomodo*, ubi dixerunt: *Quomodo ſub lege factus eſt*, quod vel invidia eſſet, vel ſupina ignorantia. Eſto, utut vobis liceat Sanctorum Patrum ſcripta corrigere, & ambiguè dicta ad ſenſum veſtrum accommodare, quid dicetis ad hæc, quæ Auguſtinus in libro Sententiarum Proſperi dilucidè ſcribit ita dicens: *Non mirum eſt dicere Apoſtolum etiam in futuro Sæculo Patri filium ſubjectum futurum, ubi ait: Tunc & ipſe ſubjectus erit illi, qui ei ſubjecit omnia, quando filio forma humana menſura eſt, qua ſemper major eſt Pater?* Liceat ergo nobis cum Auguſtino credere & confiteri, quod & ipſa Veritas per ſe dixit: *Quia Pater major me eſt.*

Magìs autem movet nos, quòd Evangelij & ipſius Domini verba invertitis, quaſi veritas in corde & corde locuta ſic dicendo *Patrem Deum ſuum*, cùm non eſſet Deus ſuus poſt reſurrectionem ſecundùm vos, tanquam aut Humanitas in Chriſto abolita ſit, aut in Patre potentia Divinitatis imminuta. Quomodo ergo diceret Veritas: *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum*? Ad hæc enim vobis objecta nobis reſpondendo hæc verba intuliſtis: *Perpendat prudentia veſtra, quando hæc dixerit, adhuc videlicet ad Patrem aſcenſurus, quando videlicet talem ſe diſcipulis exhibuit foris, qualis apud eos erat intùs.* Et poſt pauca: *Itaque non ſe ſubitò ab eis abrupit, ut diceret: Aſcendo ad Patrem meum, Deum veſtrum, ſed: Aſcendo, inquit, ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.*

His dictis cùm de conſeſſu æqualitatis, & de claritate à Patre poſtulata, & omni poteſtate donata ſubnectitis, id probare nitimini, [ùt] videtur, quòd poſt reſurrectionem & aſcenſionem Pater non fuerit Deus aſſumpti hominis, ſed ante, cùm ipſe Chriſtus ageret cauſam aſſumpti hominis dicens: *Eloy, eloy* & cætera. Ad hoc primò dicimus, A. Quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus poſt reſurrectionem quidem *finxit ſe longiùs ire*, ita ut *fingere* pro *componere* accipiamus, & viſus eſt diſcipulis in via effigie talem ſe utique exhibendo foris, qualis apud eos erat intus. Sed quòd ita in re non fuerit, quemadmodum in ſermone dixit: *Deum meum & Deum veſtrum*, credat Judæus Apella. Supra enim contra hoc ſatis dictum eſt. Et quidem audiſtis, & ſatis intelligere potuiſtis, cùm Iſaias legeretur: *Ego Dominus creavi eum*, & *de ventre matris meæ Deus meus es tu*, qualiter Am- B. broſius proſecutus ſit. Audite & hoc: *Sapientia ædificavit ſibi domum* & cætera. Et niſi puer, qui natus eſt nobis, à Deo creatus fuiſſet, nos recreati non eſſemus, neque renati fuiſſemus, niſi ipſe de matre natus fuiſſet. Et tamen omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: quia hic eſt Verbum caro factum. Proinde in eo, quod ultimo vel quaſi penultimo loco litterarum veſtrarum ſubjungitis, chaos magnum inter nos & vos firmatum eſt. Nimirum hìc ſeries verborum veſtrorum eſt: *Enimverò nec totam Trinitatem hominis aſſumpti Deum vel Dominum dici debere ratio ſuit*, ſubjuncta ratione ſecundùm C. vos, quæ ratio non eſt, videlicet, hæc: *Sic enim etiam ipſe ſibi Deus & Dominus fuerit.* Cùm autem incarnationem Chriſti tota Trinitas operata ſit, cujus opera inſeparabilia ſunt, patet, quia tota Trinitas Deus & Dominus ejus eſt, quod creavit, licèt à ſolo Verbo in ipſa creatione aſſumptum ſit. Nec tamen ideo ipſe ſibi Deus vel Dominus fiet; quia in prioribus de natura aſſumpta agitur, hìc autem de perſona, quæ in duas D. dividi non poteſt, ùt in ſuperioribus ſatìs explanatum credimus. Hæc diutiùs ventilare, hoc eſt palpare tenebras in meridie, &, ùt vulgò dici ſolet, nodum in ſcirpo quærere. Hic autem præmiſſus litterarum veſtrarum finis, cui tam Veteris quàm Novi Teſtamenti contradicit auctoritas, multùm à ſuo diſcordat principio, ubi dicitis: *in æternum recognoſcet eum Deum ſuum.*

Vt ergo finem loquendi omnes audiamus, ait Chriſtus in Propheta: *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.* Quod idcirco ad memoriam revocamus,

vocamus, quia prætermissum est â vobis, sed quo animo ignoramus, cùm illud, quod præcedit, exponeretis sic: *Vt cantet tibi gloria mea.* Non quod homo assumptus cantaret canticum illud Deo, sed quod illa gloria hominis assumpti cantaret, hoc est: Canticum esset Deo sacco mortalitatis jam concissa juxta illud: *Gloria Patris est filius sapiens.* Sed quid sequitur? *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.* Quod Augustinus exponit: *In æternum laudabo te.* Hujus laudis ineffabile melos, hanc supercœlestem harmoniam, quæ omnem sensum Angelorum & hominum exsuperat, destruere, non est aliud, quàm ipsum Deum denegare, & terram cœlo coæquando, omnem compagem corporis Christi destruere. Hanc beatissimam humanæ naturæ servitutem, quæ verè libertas est. (*ubi enim spiritus Domini, ibi libertas*) Christo attribuimus nos, & non aliam, immò non nos, sed Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, & cæteri Sancti Patres, & tota Novi ac Veteris Testamenti auctoritas. Sicut Beatus Ambrosius breviter explanat auctoritatem Prophetæ introducens & exponens: *Evertisti testamentum servi tui* & cætera: *In quo utique servum dixit nisi in carne?* Et post pauca: *Mea ergo susceptione servus, sua Dominus potestate est.* Si ergo caro permanet, permanent & jura carnis Divinæ Majestati debita. Ne autem ansas calumniæ quæritando habeatis in verbo, quod *Servitus* dicitur, non est hæc servitus illa, qua secundùm primam vocis originem ab hostibus capti â *servando servi* dicti sunt, qui vel timore pœnali, vel etiam ad oculum serviunt, & unde multiplices personarum & rerum servitutes exortæ sunt. Sed nec illa servitus, quæ passione Crucis & morte consummata est, ubi pertransiens ministrabat etiam nobis, sed potiùs illa præclara, & gloriosa, & nunquam finem habitura subjectio, quam & Apostolus signanter exprimit, & Augustinus eleganter exponit in libro contra Maximum, ubi dictum est: *Tunc & ipse filius subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia.* Nam de Spiritu Sancto, qui nullam suscepit creaturam ad unitatem personæ suæ, quamvis se per subjectam A. creaturam visibiliter & ipse sive per columbæ speciem, sive per linguas igneas sit demonstrare dignatus, nunquam dictus est Spiritus Sanctus adorâsse Patrem, nunquam minor dictus est Patre. Ad horam quippe apparuerunt illa. Christus autem, qui humanam non ad horam sumpsit effigiem, in qua hominibus appareret, ac deinde species illa præteriret, sed in unitatem personæ suæ manentem invisibili Dei forma accepit visibilis hominis formam, & non solùm natus est in ea de homine matre, verùm etiam crevit in ea, & manducavit & bibit, & dormivit in ea, & occisus est in B. ea, & resurrexit in ea, & ascendit in Cœlum, & sedet ad dexteram Patris in ea, & ad judicandos vivos & mortuos venturus est in ea, & in regno suo ei, qui illi subjecit omnia, erit subjectus in ea.

Cui subjectioni clarificatio ejusdem naturæ non præjudicat sic actu completa suo tempore, sicut ab æterno fuit in prædestinatione. Vnde inter alia plurima de clarificatione dicta sic ait Beatus Augustinus super Joannem: *Quidam* C. *putaverunt sic intelligendum, tamquam natura humana, quæ suscepta est a Verbo, converteretur in Verbum, & homo mutaretur in Deum: immò si diligentius, quod opinati sunt, cogitemus, homo periret in Deo. Non enim quisquam existimatione hominis, vel duplicari Dei verbum dictus est vel augeri, ut aut duo sint, quod unum fuit, aut amplius sit, quod minus fuit.* Vbi tanta est auctoritatis evidencia, quare appenditis argentum vestrum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?

In fine litterarum vestrarum ad prin- D. cipium quæstionis recurritis dicendo, tam â nostro, quàm â vestro, & omnium fidelium sensu alienum, quòd assumptus homo latriam Deo exhibeat, ut admiratione nominis, hoc loco inusitati, horrore quodam veluti larva parvulos sensu peterreatis, & errare faciatis eos in invio, & non in via, & tam certas, & tam evidentes, ut præmissæ sunt, non sequantur auctoritates. Scimus, quòd flexo poplite Christus non adorat Deum, neque dicitur ei: Veni, & venit: neque ut servo: Fac hoc, & facit. Verumtamen secundùm quid,

hoc est, quæ sunt Dei, redde Deo. Quia sicut ait Beatus Augustinus in libro de Trinitate : *Sicut Pater ad filium dicitur relativè : ita & Dominus ad servientem creaturam.* Illud Divini Mysterij secretum humani eloquij excedit facultatem. Veriùs enim cogitatur, quàm dicitur, & verius est, quàm cogitatur. Nunc clamamus ad Dominum : Abba Pater. Ibi linguæ cessabunt, & tamen omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Instantis est temporis ad cultum Dei ab hominum reverentia distinguendus uti hac vocabulorum differentia Dulia & Latria. Sed ibi non solùm in capite nostro, quod est Christus, verùm etiam in membris ejus longè aliter se res habet, & habitura est.

Hæc piè considerantes Viri doctissimi & egregij aliorum Doctores ad inquisitionem veritatis, quoad licet, pertingere cupientes, aliquando secundùm opinionem diversorum, aliquando secundùm veritatis & auctoritatis assertionem locuti sunt, & ad doctrinam aliorum scriptis suis indiderunt. Equidem Magister Petrus, quem vos de sensu vestro judicatis, qui hoc, quod breviter in Psalmis attingit de adoratione scabelli, ubi duliæ & latriæ facit mentionem, pleniùs in sententijs suis exequitur, ubi primitus quæstionem proponendo, & de ea disputando, utrum eadem sit adoratio Humanitati, ei Deitati exhibenda, præmittit quorundam opinionem, quòd caro & anima Christi non latria, sed quadam superiori specie duliæ sit veneranda. Quâ sententiâ non approbatâ aliorum supponit sententiam de una adoratione hominis & Dei, & eam Joannis Damasceni, & Beati Augustini auctoritatibus corroborat. Quas etiam supponere curavimus. Nec prolixum videri debet, quod tam necessarium est, ne in scriptis tanti Doctoris ex verbis vestris potiùs, quàm ex suis cuiquam scandalum generetur, cùm dicta ejus & aliorum aut non intelligitis, aut molesta interpretatione depravatis inter personam & naturam nullam servando differentiam. Joannes Damascenus : *Duæ sunt,* inquit, *naturæ Christi, ratione & modo differentes, unitæ verò secundùm hypostasim. Unus igitur Christus est, Deus* A. *perfectus & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu una adoratione cum incontaminata carne ejus, non inadorabilem carnem dicentes. Adoratur enim in una Verbi hypostasi, quæ hypostasis generata est, non creaturæ venerationem præbentes. Non enim ut nudam carnem adoramus, sed ut unitam Deitati ad unam hypostasim Dei Verbi duabus reductis naturis. Timeo carbonem tangere propter ligno copulatum ignem. Adoro Christi Dei mei simul utraque propter carni unitam Deitatem. Non enim quartam appono personam in Trinitate,* B. *sed unam personam confiteor Verbi & carnis ejus.* Item Augustinus : *Dicunt hæretici, filium non naturâ esse Deum, sed creatum. Quibus respondendum est: quia si filius non est Deus naturâ, sed creatura, nec colendus est omnino nec ut Deus adorandus dicente Apostolo : Coluerunt & servierunt creaturæ potius quàm Creatori. Sed illi ad hoc replicabunt, & dicent : Quid est, quod carnem ejus, quam creaturam esse non negas, simul cum Divinitate adoras, & ei non minùs quam Divinitati deservis? Ego Dominicam carnem, immò perfectam in* C. *Christo humanitatem ideo adoro : quia à Divinitate suscepta & Deitati unita est, non ut alium, sed unum eundémq; Deum & hominem filium Dei esse confitear. Denique si hominem separaveris à Deo, illi numquam credo nec servio, velut si quis purpuram vel diadema regale jacens inveniat, numquid ea conabitur adorare? Cùm verò ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurret, si ea cum Rege quis adorare contempserit. Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam, vel nudam sed Divinitati unitam, scilicet unum Filium, Deum* D. *verum, & hominem verum si quis adorare contempserit, æternaliter morietur.* Idem super Psalmum nonagesimum octavum, ubi dicitur : *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est : Sciendum, quia in Christo terra est, id est caro, quæ sine impietate adoratur. Suscepit enim terram de terra : quia caro de terra est, & de carne MARIÆ carnem accepit. Hæc sine impietate à Verbo Dei assumpta adoratur à nobis : quia nemo carnem ejus manducat, nisi priùs adoret.* Sed *qui adorat, non terram*

ram intuetur, ſed illum potiùs, cujus ſcabellum eſt; propter quem adorat.

Cùm ergo ex præmiſſis luce clariùs conſtet, quid vel Chriſtus, ſecundùm quod homo eſt, Deo debeat, vel quid nos ipſi Deo & homini debeamus, vanum eſt de nomine hoc loco, ùt jam dictum eſt, inuſitato quærere, vel contendere, utrum latria ſit, vel latria non ſit illa prænotata hominis aſſumpti ſubjectio, & debita illa reverentia, quâ Deum tanquam Creatorem & Glorificatorem ſuum recognoſcit & diligit, & ſine intermiſſione interpellat pro nobis. Quod totum diffinire vel comprehendere, ſicuti eſt, ſuper hominem eſt. *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* Nam & Paulus audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quæ omnia ad plenum noſſe vita æterna eſt, in qua cognoſcimus ſicut & cogniti ſumus. Aut quomodo ineffabile illud & inæſtimabile ſecretum in filio Dei ſecundùm Divinam & humanam naturam penetrare poſſemus, quod omnem ſenſum & Angelorum & hominum exuperat, cùm nec illud explicare valeamus, quod nunc ſumus ſervi Filij Dei, & quod adhuc per gratiam expectamus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe? Si quid ergo reſiduum fuerit igni comburere, nolumus ultra vobiſcum rixari de Chriſto: quia nec otij noſtri eſt nec ordinis vel officij, præſertim cùm ipſe dicat in Jeremia: *Va mater mea! quare me genuiſti virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra?* Quòd Væ ſuper eos erit, qui paſſim de Chriſto diſputantes legem naſcendi, moriendi, reſurgendi ſtatuunt Chriſto pro ſenſu & arbitrio ſuo potiùs quàm ſecundùm regulas fidei. Perſuaſum itaque nobis eſt, & animo decretum de talibus ultrà vobis nec ſcribere, nec à vobis ſcripta recipere, ne fortè de perſpicuis quaſi de dubijs quæſtionantes, omnibus, qui ſanæ mentis ſunt, inſani videamur juxta illud Marciani Imperatoris à Papa Leone confirmatum. *Extremæ dementiæ eſt in medio & perſpicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim præter veritatem repertam aliquid ulteriùs diſcutit, mendacium quærit.* Ex Concilio A. Epheſino: *Cavemus de Chriſto dicere: Propter aſſumentem veneror aſſumptum, & propter inviſibilem adoro viſibilem. Horrendum ſuper hoc etiam illud dicere: Is, qui ſuſceptus eſt, cum eo, qui ſuſcepit, connuncupatur Deus. Qui enim hoc dicit, dividit in duos Chriſtos eum, qui unus eſt, hominem ſeorſum in parte, & Deum ſimiliter in parte conſtituens. Evidenter enim denegat unitatem, ſecundùm quam non aliter cum altero coadoratur, aut connuncupatur Deus, ſed unus intelligitur Chriſtus Jeſus Filius Dei unigenitus una ſervitute cum propria carne venerandus.* B. Ex eodem Concilo Capitulum Octavum: *Si quis audeat dicere aſſumptum hominem coadorandum Deo Verbo, & conglorificandum, & connuncupandum Deum tamquam alterum cum altero, (nam Conſyllaba ſemper adjecta hoc cogit intelligi) ac non potiùs ſupplicatione veneratur Emmanuel, unamq; ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum eſt, anathema ſit.* Cautus Lector intelligat hæc dicta eſſe contra hæreticos, unum Chriſtum in duas perſonas dividentes.

C.

12.

Gerhohi ad Alexandrum III. Pap. epiſtola. Nuncupat ei Expoſitionem ſuam Pſalmi CXXXI. denuntiat Petrum Lombardum, & reformationem Eccleſiæ commendat.

SUſcipe Alme Pater *Alexander* Papa munuſculum de manu mea, qui Dei gratiâ dicor Præpoſitus Cœnobij *Reicherſpergenſis.* Munuſculum, inquam, non aurum vel argentum: quia talia mihi non abundant, ſed expoſitiunculam ſuper decimum tertium Canticum graduum, cujus tibi opto ſenſum convenire, ubi dicitur: *Inimicos ejus induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.* Nonne inimici tui ſunt, qui confabulationibus peſſimis alios corrumpunt, maximè ij, qui docent contra fidem Petri Apoſtoli confitentis Chriſtum filium Dei vivi, cùm de illo ſentirent homines aliter alijs dicentibus eum Eliam, alijs Jeremiam, aut unum ex Prophetis, quorum nullus erat vel Deus Altiſſimus, vel Altiſſimi filius unicus, ùt homo hic præ ſuis participibus

D.

unctus, qui est Christus filius Dei vivi, ac proinde credendus & confitendus est verus Deus, ita ut & homo Deus, & Deus homo verè nominetur in significatione illius personæ, quæ Deus est & homo.

Ad hæc & contra hoc inimici, tandem confundendi, solent objicere ac dicere alicui dicenti hominem illum Deum : *subjectâ* vel *suppositâ*, inquiunt, *personâ verum dicis, suppositâ naturâ mentiris.* Dumque inquiruntur, quam rem personam nominent? ad Verbi assumentis se significationem adstringunt, ut hominem assumptum à Divinitatis, in qua natus est, naturali forma & gloria simul & personæ significatione penitùs excludant. Item qui dicunt hominem illum Deum, vel è converso, tropo inquiunt, accidentalitatis verum loquuntur. Dumque tropum accidentiæ, quid nominent, inquiruntur, tropum accidentiæ se ajunt dicere solere, ubi prædicatum non redditur causæ, ut si dicat quis coloratus intelligunt.*

* *ita mendosè cod.*

Atnos homine illo in Deum assumpto & nato in locutione suppositio credimus eum simpliciter propriè ac verè Deum prædicandum ac pronuntiandum esse, sicut Evangelistæ, Apostoli simul & Prophetæ docuerunt, nullaque figura ad exponendum, quæ plana sunt, opus esse, quemadmodum ajunt tropo comitantiæ, tropo accidentiæ, vel ratione consortij. Quantùm enim in assertione fidei nostræ tropis addideris, tantùm simplicitati ac veritati propriæ locutionis detraxeris.

Item alius nominatus Magister in Sententijs suis ait : *Christum, in quantum homo est, sicut nos diligere debemus, ejusdemq; secundùm hominem dilectio illo continetur mandato, quo proximum diligere jubemur sicut nosmetipsos, quem etiam secundùm hominem magis quam nos, sed non quantùm Deum diligere debemus : quia in quantum est homo, minor est Deo.* Item idem in Glossis Psalterij in hunc versum : *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est,* ait inter cætera : *Videndum est, quid nos jubeat adorare, cum dicit : Adorate scabellum pedum ejus. Terram scabellum pedum ejus esse dicit alibi Scriptura his verbis : Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Ergo terram jubet nos adorare : quia est scabellum pedum ejus? Sed alibi dicit Scriptura : Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Sed sciendum est : quia in Christo terra est, id est caro, quæ sine impietate adoratur. Suscepit enim de terra terram : quia caro de terra est, & de carne MARIÆ carnem accepit. Hæc sine impietate à Verbo Dei assumpta adoratur à nobis : quia nemo ejus carnem spiritaliter manducat, nisi prius adoret.* Et hæc, quæ de verbis Augustini sumpta, Catholicè dicta sunt, quibus jam dictus Magister dicta sua subjecit adorationis modum determinans : *Non dico*, inquit, *illa adoratione carnem Christi adorandam, quæ latria est, quæ soli Creatori debetur, sed illa, quæ in dulia dignior est. Dulia enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur, quæ duas species habet, unam, quæ indifferenter omnibus, alteram, quæ soli humanitati Christi exhibetur.* Hæc Petrus in Glossis Psalterij simul & in sententijs suis dicere ausus est. Sed & alij licentia disputandi de Christo adeò abusi sunt, ut dicere non dubitaverint in hac locutione : *homo est Deus*, nullam rem dici Deum, sed aliquid Deo unitum. Item : *Christus est Deus*, & : *ego principium*, pro parte totius vera est. Item : *Christum, cum sit nomen personæ compositæ tertiam in Trinitate personam non esse, eò quòd nihil nisi simplex in Trinitate sit.* Item alij nomen tantùm Verbi assumentis Christum dicunt per hominem quasi per instrumentum fuisse locutum.

Hæc autem omnia & multa in hunc modum in eorum notulis vel opusculis invenimus. Et non quidem jam sufficit eis in scholis discolis inter disputandum, vel sententias proferendo talia dicere, quin etiam in Conventibus Ecclesiasticis, in multitudine Cleri coram Episcopis talia clamitantur impunè, Christum videlicet in eo, quod homo est, Dei Patris filium non esse aliter quàm unum ex nobis, ac proinde nunc quoque glorificatum in gloria non æquali gloriæ Paternæ, sed in quadam inferiori & minori esse. Et quamvis quidem omnes homines & Angelos in gloria supergressus etiam

etiam in eorum fide ſit, Patri tamen nec A. ſenſus adhibitus. Tunc, ſi Deo placuerit, Imperiali Majeſtate ad concordiam bonam inclinata, videbimus Arcam ſanctificationis Dei per te quaſi per legitimum Sacerdotem juſtum in requiem ſuam introduci ludente ac ſubſiliente Domino Imperatore quaſi altero David coram Arca Domini, quam, ſicut ab eo intellexi, optat introduci cum gaudio, & totius regni tripudio in requiem ſuam, liberatam videlicet ab Allophylis & eductam de templo Dagon, reprobatis nimirum ipſius Dagon & Mammon Sacerdotibus, prout in figura contigit, quando illos & eorum Principes Deus percuſſit in poſteriora approbrium ſempiternum dando illis, & Arcam ſuam committendo Sacerdotibus Levitici generis. Quod ita fieri orat ſpiritus gemitibus inenarrabilibus, quoties canitur in Eccleſia : *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tua. Sacerdotes tui induant juſtitiam & ſancti tui exultent.* Magna utique tunc erit exultatio Sanctis cernentibus talia, qui etiam priùs, quàm fiant, ea futura credentes & ſpe gaudentes exultant in cubi- C. libus ſuis, exultant in Rege ſuo, ſicut ego puſillus aliquando exultavi pro modulo meo in Rege meo Chriſto, qui per Antiſtites Apoſtolicæ Sedis me non ſemel confortans lætificavit, ſicut agnoſci poteſt ex litteris ab illa Sede ad me & pro me directis, quibus confortabar in certamine pro lege Dei mei certans. Qualiter autem certanti mihi adſtitit beatæ memoriæ Papa Eugenius, in Ejus epiſtola videri poteſt, cujus textus ita ſe habet:

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto filio G. Richerſpergenſi Præpoſito ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Scripta Dilectionis tuæ benignè recepimus, & ſervorem tuæ religionis ex eorum inſpectione manifeſtè cognovimus. Concaluit enim cor tuum intra te, & in meditatione tua exardeſcit ignis. Ignitum quoque eloquium tuum vehementer. Super his itaque, quòd contra peſſimas novitates, commotiones quoque, quæ contra Eccleſiam Dei & perſonas Eccleſiaſticas oriuntur, te zelo charitatis exardeſcere cognoſcimus, paterno affectu gaudemus, & devotionem tuam in Domino collaudamus. Verùm quoniam bonum eſt incipere, ſed multò

etiam in ſapientia, nec in ſcientia, nec in potentia, nec in ullo bono æqualis ſit, aut æquari unquam poſſit. Inſuper verò & anathema ab uno talia dicentium (duo enim erant ſoli hæc dicentes, & aliter ſentientes) nimis ſuperbè ac feſtinè prolatum eſt. Et audita quidem ſunt hæc in facie Conventûs Eccleſiaſtici præſente Archiepiſcopo Salzburgenſi, alijsque tribus Epiſcopis, & â nemine contradictum eſt præter â duobus fratribus meis uterinis, quorum unus eſt Magiſter *Rudigerus*, pridem *Auguſtanæ* Eccleſiæ, nunc verò *Nivvenburgenſis* Cœnobij Decanus, alter verò frater *Aaron** tunc Decanus in Cœnobio mihi commiſſo. Qui audientes Natalibus Chriſti & gloriæ detrahi, nimis indoluerunt, & prout tempus dictavit, contradixerunt, etiam Patrum teſtimonia ſecum & pro ſe, immò cum Chriſto & pro Chriſto facientia in medium proferentes. Audita ſunt autem & hæc in facie illius Conventûs, itemque â nemine contradictum. Inſuper verò & adjunctum eſt in hac de fidei controverſia non Scholaſticorum, ſeu Scholarium, de ſcholis diſcolis v. nien- C. tium, recipiendas determinationes contra Orthodoxos Patres, inter quos non adverſa, ſed interdum diverſa ſentientes maximè de fide Catholica, ſi quid natum fuerit, quæſtionis, referendum eſt ad Succeſſores Petri Principis Apoſtolorum, pro cujus fide, ne deficeret, Chriſtus orans obtinuit, eumque ad fratres ſuos confortandos ita confortavit in fide, ut portæ inferi non prævaleant adversùs eam. Vnde ſuper ipſum & ſuper Succeſſores ejus efflorebit ſanctificatio Domini, qua ſanctificatus non dubitatur, D. qui legitimus ejus Succeſſor legitimè agnoſcitur ſubordinatus : quod de Te, *Alexander* Papa, credunt fideles, hunc de Tuo Apoſtolatu ſperantes fructum, ut Arca ſanctificationis Dei, videlicet Sancta Eccleſia, ſurgente in Te Domino, per Te introducatur in requiem ſuam, cooperante nimirum concordia inter Sacerdotium & regnum, quod ſperamus in proximo futurum, ſi fuerit illud Concilium, quod ex ore Imperatoris audivimus *in Longobardia* celebrandum, ſi tamen â Te, *Alexander* Papa, tuisque fidelibus ad id colligendum fuerit con-

* *Cod.* Aaron toen

meliùs conſummare, Dilectionem tuam in Domino commonemus, ut in bono propoſito firmiter perſeveres: quia Nos perſonam tuam tanquam litteratum, & religioſum virum paterna charitate diligimus, & in quibus ſecundùm Deum poſſumus, honorare & manutenere volumus. Data Sutrij decimo ſeptimo Kalendas Julij.

Ante hunc Romani Pontifices *Honorius*, *Innocentius*, *Cæleſtinus*, *Lucius* etiam ipſi mihi viriliter aſtiterunt, & in hujus rei teſtimonium ſcripta ipſorum penès me ſunt. Sed poſt obitum felicis Eugenij non eſt inventus ſimilis illi, ſic mihi aſſiſtens ùt ille. Nam & conjugium quoddam poſt votum vidualis continentiæ contractum, quod ad meam relationem ipſe caſſaverat, poſt ipſum *Anaſtaſius* Papa firmavit, per quod mihi multas contrarietates excitavit. Cui Tu eo tempore Cancellarius affuiſti, nec per omnia, ùt audivi, poteras eum temperare in ſuis motibus, licèt fueris ei baculus invalidæ ſenectutis in multis illi opportunus utpote homo manſuetus & benè oculatus, ac proinde manſueto David conſimilis. Vnde inter cætera mei laboris opuſcula elegi Tuæ Manſuetudini offerre Canticum iſtud, in quo Tibi aliquotiens innovetur mentio David, *& omnis manſuetudinis ejus.*

Incipit Expoſitio Cantici : *Memento Domine David* & cætera usque in finem Pſalmi.

His de Pſalmi expoſitione dictis ad Te *Alexander* Papa converſus eâ fiduciâ Tibi loquor, qua Te confido ideo præ multis conſortibus tuis unctum, quia dilexeris juſtitiam, & oderis iniquitatem, priùs etiam quàm ſic unctus fueris. Quantò magis ergo nunc oleo lætitiæ perunctus diligere debes juſtitiam, & odiſſe iniquitatem? Habeas igitur odio hanc iniquitatem, quòd Arca ſanctificationis Dei non habet requiem nunc in ſuo tabernaculo, ubi eidem præſident Sacerdotes & Miniſtri tales, quales erant filij Heli Sacerdotis, qui, ùt refert Scriptura, dormiendo cum mulieribus excubantibus ad oſtium Tabernaculi, & per faſcinulam tridentem raptando carnes crudas, ad ſe non pertinentes, adeò facti ſunt infames, ut propter eos detraherent homines Dei ſacrificio. Quos, quia pater ipſorum non dignè corripuit, iniquitas domûs ejus neque victimis, neque muneribus expiari potuit, ſed ira Dei ſuper eam ſic excanduit, ut repelleret tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, ubi habitavit in hominibus. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Acceſſit quoque ad inflammationem iræ Dei, quòd Arcam Sanctam, quæ debebat intra Sanctuarium Dei cuſtodita ſervari, exportaverunt in caſtra, ubi erat pugna inordinata utpote ſine Duce ac Principe legitimo, qualis fuerat Joſue, B. qui ordinatè pugnavit orante pro ipſo in monte Sancto Moyſe juncto ſibi Aaron & Hur. Sed pugna filiorum Heli nimis fuerat inordinata, & eis malè ceſſit, licèt Arcam Dei, cui non benè miniſtraverant, apportari fecerint.

Non audeo ad plenum litteris exprimere, quanta illius exordinationis hoc tempore, immò hac tempeſtate inveniatur ſimilitudo, ita ut Arca Dei non habeat requiem nunc in illo ſuo excellentiſſimo tabernaculo, dico autem in C. Eccleſia Romana, cui quaſi alter Aaron præfuerat Petrus Apoſtolus in ſe, ac ſuis diu Succeſſoribus, quorum vel ſanguine purpurata, vel Confeſſoribus illuſtrata eſt Romana Eccleſia. Sed poſtquam ab eorum doctrinis & exemplis deviatum eſt in tantum, ut Romanis Pontificibûs contra Cives Romanos & alios hoſtes bella inordinata moventibûs Arca Dei non potuerit habere quietem in Vrbe Roma, de ipſius inquietudine univerſa turbata eſt Eccleſia. Cùm eſſem *Viterbij* apud ſanctæ recordationis Papam *Eugenium*, & ille familiari alloquio mihi retuliſſet de ſua vexatione, in qua *Tiburtinis* contra Cives Romanos favens multas pecunias expenderat, & tandem ſatis miſeram pacis compoſitionem feciſſet, ego reſpondi : Licèt ſit miſera pretiô multô coëmpta pax iſta, melior tamen eſt quàm pugna veſtra: quia cùm Romanus Pontifex præparat ſe ad bellum per milites conductos agendum, videor mihi videri Petrum evaginantem gladium ferreum. Sed cùm ei ſic pugnanti vel pugnaturo non benè cedit, videor mihi audire Chriſtum , & Petro dicentem : *Mitte gladium tuum in vaginam.* His â me dictis, & ab illo

illo Sancto Pontifice benignè acceptis, non ſenſi eum ulteriùs evaginâſſe gladium ferreum, ſed gladium ſpiritûs, quem rectè movendo Sancto Samueli fuit aſſimilatus, non parcendo Agapitis, ac cæteris Amalechitis, hoſtibus Iſraël, quorum nonnullos apud eum captos velut in ſuſta concidit. Novit hoc tota Germania, in qua duos magnos Archiepiſcopos humiliavit, *Moguntinum* videlicèt & *Colonienſem* pecuniâ eorum ſpretâ & reprobatâ : ideo in diebus Ejus requies data fuit Eccleſiæ Romanæ, ſed non adeò plena & perfecta, ut ad eam perficiendam Samuelis zelô non indigeat Sancta Eccleſia, in qua abundantibus ſcandalis adhuc homines detrahunt ſacrificio Dei.

Quæro igitur ſalvâ gratiâ Tuâ, quoniam in ſpiritu & virtute Samuelis aliquis creditur contra mala imminentia ſuſcitandus, an Tu ſis ille, an alius exſpectandus? Cujus rei veritas licèt inpoſterum ex fructibus ſecuturis ad plenum cognoſcendum ſit, at nunc per flores, qui fructus parturiunt, ex parte cognoſcitur, ſi â Te, cùm ſis dignitate inter mortales Altiſſimus, non deſpicitur admonitio â me puſillo ad Te directa, non auſu temeritatis, quod abſit, ſed auſu illius charitatis, quæ cùm non gaudeat ſuper iniquitate; congaudet autem veritati, fuaſit me parvulum ad Te Magnum aliquid ſcribere pro veritate contra iniquitatem. Auxit quoque fiduciam meam, quòd Tu me ac fratres meos uterinos præveniens in benedictionibus dulcedinis, litteris Tuis ad nos directis mandâſti nobis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem, promittens etiam Tui Apoſtolatûs gratiam ſic mihi exhibendam, ſicut ab Antecеſſoribus Tuis in gratia fui habitus, prout nôrunt Domini Cardinales nonnulli, quibus notus fui. Quod autem nunc pro veritate contra iniquitatem ſcribens elegi Samuelis exemplum ſuggerendum Tibi, hac de cauſa ſcias factum, quia Tibi opto in fine Apoſtolatûs Tui, cùm de hac vita eris egreſſurus in requiem Domini, ubi eſt Arca ſanctificationis, videlicet quem Pater ſanctificavit & miſit in Mundum, ſic poſſe gloriari in Domino in veritate, ſicut ille gloriatus eſt in Domino coram filijs Iſraël dicens : *Ecce preſto ſum, loquimini de me coram Domino & Chriſto ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem ſi de manu cujusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, reſtituamq; vobis. Et dixerunt : Non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicujus quippiam.* Sic te poſſe gloriari, *Alexander* Papa in Domino, hoc eſt, in veritate circa finem Tui Papatus, Ille Tibi concedat, qui potens eſt omnia facere, ſuper quàm petimus, aut intelligimus, cui honor & gloria nunc & in æterna ſæcula. Amen.

13.

Idem ad Henricum, S. R. E. Cardinalem, cui Expoſitionem Pſalmi LXIV. miſiſſe ſe ſcribit. Cur in Franciam proficiſci non potuerit. De adverſariorum ſuorum multitudine ac inſidijs &c.

DOmino H. Venerabili Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Presbytero ad titulum Sanctorum Nerei & Achillei frater G. de Richerſperg devotas orationes cum fideli obſequio.

Memor eſto verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Nam cùm fuiſſes *Auguſtæ* in domo fratris mei R. una cum Domino *Jacintho* Cardinali Diacono, tu mihi promiſiſti, ſicut meminiſſe potes Dominum R. tunc Cancellarium, nunc favente Dei clementia in Apoſtolatûs aplce ſublimatum ſic te ad mei notitiam, & gratiam præparare, ut ejusdem pietatis oculo me reſpiceret, qua me reſpexerunt ſui Antecеſſores, quibus hortantibus, & confortantibus nonnulla opuſcula dictavi, per quæ non ſolùm Chriſti gloria magnificaretur magnificante anima mea Dominum, & exultante ſpiritu meo in Deo ſalutari meo, ſed etiam illius ignominia detegeretur, qui ſub velamine pietatis jam myſterium operatur iniquitatis. Feci hoc, prout juvante Deo potui in tractatu ſexageſimi quarti Pſalmi, quem propria manu beatæ memoriæ Papæ Eugenio porrexi, quemque Tibi *Auguſtæ* item dedi. Feci etiam hoc in *Opuſculo de laude fidei*, quod exhortatione tua cœptum & perfectum Domino *Jacintho* Cardinali, cùm eſſet in Curia Domini Papæ *Anagniæ*, ita fuit

fuit â nuntio, qui Te illic non invenit, commissum, ut Tibi hoc daret quasi fructum petitionis tuæ, qua diligenter expectans â me, ut Tibi exponerem illud Salomonis : *Mulierem fortem quis inveniet?* Si ergo hoc ab illo accepisti, benè : sin autem, vel ab ipso hoc require, vel â me illius rescriptum exige per litteras, quas committere poteris præsenti nuntio.

Nec mireris, quod meam personam, senio debilitatam, non præsentavi Domino Papæ aut Curiæ : quia de regno Teutonico in regnum Franciæ, etiam si possem venire, tutum non est mihi multis me observantibus & captantibus aliquid, unde mihi turbent gratiam, & excitent offensam Principis, cujus ira mihi est cavenda, in quantum fieri salvâ Dei gratiâ potest. Nuper enim contra me irritatus per mendacia quorundam, vix placatus fuit mihi, excusante me apud Ipsum Domino Frisingense ac suo Clero, simulque alijs Principibus, quòd non essem, ut ei fuit relatum, gloriæ Imperiali adversarius, pariterque, ùt inimici disseminaverant, gloriæ Christi contrarius. Mihi enim quasi alteri Naboth falsò impingebatur blasphemia in Deum & Regem, ac proinde illius exemplo judicabar lapidandus à Capellanis Imperialibus, rei veritatem ignorantibus. At ubi prædictus Episcopus cum alijs, veritatem scientibus, me sufficienter excusavit, gratiâ Dei favente ipse Augustus adeò mihi fuit placatus, ut multa mecum privatô colloquiô tractaret, quæ, si audetem scripto committere, magna ex parte, ùt credo, Vobis placerent. Audietis tamen aliquando, si Deo disponente continget me ore ad os loqui Vobis in illo celebri Conventu, quem futurum speramus, prout â Legatis Domini Papæ, videlicet Papiense, ac Trecense Venerabilibus Episcopis, ùt credo, jam audistis.

Nolo autem Vos ignorare, Vos dico, scilicet Dominum Papam & Dominum *Jacinthum* ac Te, aliosque mihi clementes Dominos Cardinales, quòd multùm sunt multiplicati, qui tribulant me, multique insurgunt adversùm me dicentes animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus. Neque verò nova mihi est hæc adversitas, quoniam plùs quàm triginta jam annis pugnando bestias ipsas habui & sustinui adversantes, meque si fieri potuisset, in errorem inducere cupientes, ut dicerem malum bonum, & bonum malum, lucem tenebras, & tenebras lucem, dulce amarum, & amarum dulce in scriptis meis approbando, quod ipsi, & idem improbando, quod ipsi valenter, ùt gloriantur, literati. At ego, cùm fuissem primò scholasticis exercitationibus utcunque imbutus, postquam transivi ad Ecclesiasticæ religionis exercitia, multas Magistrorum sententias quasi aquas turbidas fastidivi, & ad aquas Syloë, quæ fluunt cum silentio, me favente gratia Dei contuli, quibus, proùt mihi donatum fuit, etiam alijs per scripta mea propinatis quasi ad aquas contradictionis multos contradictores habui, â quibus per Successores Petri liberatus, & defensus habui materiam & causam frequenter canendi canticum graduum, quod sic se habet : *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël* & cætera usque : *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Perveni autem canendo & exponendo, atque utinam & ascendendo ad illum gradum, in quo canitur : *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Cujus nimirum Cantici expositionem dulcis famæ *Alexandro* Papæ, Te mediante, suggero legendam : quia poterit innotescere Illi per eam, quæ sentio de statu Ecclesiæ ad meliora instaurando, de Incarnationis Dominicæ Sacramento, de homine in Deum assumpto & nato, atque Divinæ virtutis gloria & honore coronato, in quibus duobus maximè contradictores habeo asserentibus aliquibus hominem Deo unitum non esse Dei unicum Filium, neque ipsum in gloria Dei Patris ita esse honorandum, ut adoretur adoratione, quæ latria dicitur, sed eâ, quæ vocatur dulia. Quorum assertionibus auctoritates Patrum contrarias, & nostræ assertioni consonas in unum studui colligere, primò in *opusculo ad Papam Adrianum* dictato, & Eidem, cùm esset *Beneventi* præsentato. Deinde super in opere de sacrificio, quod in sartagine coquitur, ad Archiepiscopum Salzburgensem *Eberhardum* destinato. Quod si fuerit in

Aposto-

Apoſtolica Sede perſpectum, puto, placebit placentibus Deo : quia non ſemel comperi placuiſſe in ea, quæ favente Dei gratia ſcripticavi contra malas abuſiones, & pravas novitates, quibus, ut Tu nôſti, non ſemel obſtiti, & adhuc, proùt Deus donaverit, obſiſtere paratus ero tantò promptiùs, quantò ſenſero me inſtantiùs animari, & confortari â Succeſſore Beati Petri.

Sed dicit aliquis : Jam ſatis eſt, quod alij meliores & ſanctiores, nihilominus & doctiores invenerunt, & ſcripſerunt. Illicitum eſt, temerarium eſt adijcere aliquid ad ea, quæ à nominatis, Catholicisque Viris dicta ſunt, atque ita faſtidium legentibus facere augendo multitudines Commentariorum. Ad hæc inquam : Nimirum Sanctarum ſpatioſus ager Scripturarum omnibus Chriſti confeſſoribus communis eſt, & tractandi illas nulli jure negari poteſt licentia, dummodo ſalva fide, quod ſentit, dicat, aut ſcribat. Quisnam rectè indignetur, eò quòd in eadem poſſeſſione poſt unum aut duos puteos, quos foderunt Patres præcedentes, plures proprio labore fodiant filij ſuccedentes ? Denique Iſaac & alios puteos fodit præter illos, quos foderant ſervi Patris ſui Abraham, quos illo mortuo olim obſtruxerant Phyliſtim. Nam poſtquam & alios rursùm fodit, appellavitque eos iisdem nominibus, quibus antea Pater vocaverat, ſequitur Scriptura, & dicit : *Foderunt in torrente, & repererunt aquam vivam.* Item : *Foderunt & alium.* Ac deinceps : *Profectus inde fodit alium putеum.* Itaque juxta hanc regulam nobis quoque concedant poſt illos puteos, quos foderunt, id eſt, poſt illos tractatus, quos tractaverunt Patres & priores noſtri, & alios fodere puteos proprij vomere ingenij, dummodo vivam & nos aquam reperire poſſimus, quæ nulli noceat bibenti, nulli ſcandalum vel errorem faciat legenti, niſi fortè alicui Proditoris Judæ ſubpari & conſimili, cui bonus odor boni unguenti fuit malus, quia ipſe malus : quomodo & noſtra bona, & benè dicta bonisque lectoribus, qualis erat ſanctæ memoriæ Papa *Eugenius*, placentia, malis & malignis videntur mala. Qui & dicunt : Vt quid perditio hæc pergameni & temporis, dum ſcribuntur, quæ non A. leguntur, aut ſi leguntur, non placent legentibus contra ea indignantibus & frementibus ? Contingat mihi audire contra tales vocem Chriſti per ora Succeſſorum Petri : *Quid moleſti eſtis huic mulieri : opus bonum operata eſt in me ?* Muleri quippe infirmæ ac peccatrici, ſed pœnitenti magis cupio aſſimilari ungendo pedes & caput Chriſti, venerando ſcilicet ipſius humanitatem cum Divinitate pari adorationis cultu, quàm ſuperbis illis Rabbitis eorumque diſcipulis, qui latriam Verbo in carne manenti & duliam aſſignant ipſi carni, cùm ſit caput B. Agni Paſchalis cum pedibus vorandum, nullâ diſtantiâ penitùs admiſsâ in adoratione, quâ non homo propter Deum quaſi alter propter alterum eſt adorandus, ùt voluit Neſtorius Hæreſiarcha, ſed homo in Deo, & Deus in homine adorandus adoratione una, ùt Epheſina Synodus affirmavit dicens : *Si quis audet dicere aſſumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, & conglorificari, & coappellari Deum ut alter alteri* (Co enim ſemper adjectum hoc intelligi cogit) *& non magis una adoratione honorificat Emmanuel, & unam ei glorificationem* C. *defert, ſecundùm quod factum eſt caro Verbum, anathema ſit.*

Vt autem prudentia tua intelligat, non leviter moveri prænotatas quæſtiones, animadvertere ſubſequentes epiſtolas ad duos magnos viros, ſcilicet Dominum meum *Salzburgenſem* Archiepiſcopum, & Dominum *Bambergenſem*, ut ſi aſſertio noſtra â Sede Apoſtolica fuerit approbata, Eisdem ſcribatur â Domino Papa & â Curia, ſi fieri poteſt, aliqua commonitio confortans illos ad aſſiſtendum mihi, & reſiſtendum ſchoD. laribus, indiſciplinatas quæſtiones movere ſoltis non tantùm in ſcholis, verùm etiam in Eccleſiaſticis Conventibus.

14.

Idem ad Hyacinthum ſeu Jacinthum S. Rom. Eccle. Cardinalem. Vt Cardinales ad controverſiam, de gloria & honore Filij hominis motam, attentos faciat.

DOmino *Jacintho* Venerabili Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Diacono ad titulum Sanctæ MARIÆ in

Mm Cosme-

Cosmedin Frater G. de *Richerſperge* de- A.
votas orationes cum fideli obſequio.

Ea, quæ ſcripſi Domino Papæ, ſic legere dignemini tanquam Vobis ea ſcripſerim: quia cùm ſitis magnum in Eccleſia Romana membrum, quod capiti ſcripſi, non puto â Vobis alienum. Rogo etiam, ut per induſtriam veſtram cæteris Dominis Cardinalibus innoteſcant ea, quæ in quæſtione verſantur, quatinus ad hoc fiant intenti, ne in diebus noſtris reſuſcitentur Hæreſiarchæ Fotinus & Paulus Samoſatenus atque Neſtorius, necnon & Bonoſus, quorum doctrina peſtifera in ſcholis diſcolis adeò B.
crebreſcit, ut jam plures magiſtrorum, & diſcipulorum indiſciplinatorum garriant adversùs fidem Catholicam dicentes: *Nihil aſſumptum Deus aut Omnipotens. Eſt autem*, inquiunt, *caro & anima, rationalis ſcilicet homo aſſumptus, cui etſi data ſit magna potentia, non tamen data eſt, vel dari potuit Omnipotentia, quam nulla capit, aut capere poteſt creatura.* Nos autem credimus homini aſſumpto in Deum dicenti: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terra.* Item: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Quæ teſtimonia C.
Evangelica Sancti Patres ita exponunt, ut omnipotentia & omnia bona, quæ Verbum Dei Deus habuit per naturam, contulit homini aſſumpto per gratiam. Quæ nimirum gratia, ſicut ait Beatus Auguſtinus, homini aſſumpto facta eſt quodammodo naturalis: quia eam non natus promeruit, ſed naſcendo accepit, non ad menſuram ſicut Angeli vel homines beati, quorum nulli ſic eſt gratia data in naturam verſa, ut nunquam potuerit, aut poſſit peccare. Homo verò in Deum aſſumptus naſcendo accepit, ut D.
peccare non potuerit, & omnia, quæcunque vellet, potuerit, quod erat & eſt Omnipotentia ſumma, qua in Filio Dei ditata eſt natura humana. Cujus Omnipotentiæ, quia quamplures detrahunt, Sanctam Romanam Eccleſiam divina gratia ſuſcitet contra obloquia talium. Et qui Vos in Eccleſia Romana gratiâ Dei plurimùm valetis, cavete, ne ſitis ingratus gratiæ Dei, ſed per ipſam reſiſtite hoſtibus ejus.

15.

Idem ad Alexandrum III. P. M. Rogat, ut, quid in controverſia de Gloria & honore Filij Hominis ſentiat, reſcribat. De quibusdam Opuſculis ſuis ad Curiam Romanam miſſis &c.

A *Lexandro* Divinâ favente clementiâ Sedis Apoſtolicæ Almo Pontifici Frater G. de *Richerſperge* cum Petro vincere, cum Petro regnare.

Scripta Dignationis Veſtræ, quibus me, ac fratres meos uterinos clementer ſalutâſtis per fratrem *Witer.* Monachum B. *Morimundenſem* gratantiſſimè accepimus, gratias magnas agentes Almitati Veſtræ, quod, cùm nihil adhuc ſcripſerimus Vobis, dignatus fuiſtis nos prævenire in benedictionibus dulcedinis, mihi ſpecialiter promittendo, quòd velitis me in gratia eadem [habere] in qua me habuerunt Anteceſſores veſtri. Vt ergo ſciatis, qualiter Illi me habuerunt, legere dignemini ſcripta noſtra in Curiam per latorem præſentium miſſa. Quibus lectis & perſpectis ubi videbor adjuvandus, adjuvate, ubi emendandus, emandate maximè in duobus ca- C.
pitulis, de quibus nunc agitur quæſtio, duobus diſputatoribus mea ſcripta lacerantibus ob hoc maximè, quòd in eis aſſeritur aſſumptus homo eſſe Deus Dei Filius naturalis, & eſſe Altiſſimus in ſumma gloria Dei Patris, licèt minor Patre ſecundùm humanitatis naturam, non tamen minor ſecundùm datam eidem homini Omnipotentiam, & omnimodam Paternæ celſitudinis gloriam. Illis verò econtrà certantibus negatur homo aſſumptus eſſe Deus, eſſe Dei naturalis filius, eſſe Omnipotens, eſſe Altiſſimus. Jungitur verò illis tertius quidam *Fol-* D.
marus, hominis aſſumpti & natalibus & gloriæ adeò derogans, ut neget eum adorandum adoratione, quæ latria dicitur, quem nos Epheſino Concilio freti affirmamus adorandum, utpote unicum Dei Omnipotentis Omnipotentem Filium in natura tam exaltata quàm exaltante, tam glorificata, quàm glorificante, tam ſanctificata, quàm ſanctificante Altiſſimum, licèt minorem Patre ſecundùm humanæ naturæ conditionem, tamen non minorem ſecundùm ejusdem naturæ provectionem.

In qua

In qua controverſia quia Dominus meus Archiepiſcopus elegit ſibi ſilentium, videlicet exſpectans Apoſtolicæ auctoritatis in alterutram partem aſſenſum, Sanctitas Veſtra non gravetur & illi, & mihi ſcribere, quod videbitur, ne ſub Veſtro Apoſtolatu Apoſtolica Sedes laceretur. Nam quòd meam famam lacerant, &, ſicut fertur, etiam lacerandam expoſuerunt in Curia veſtra, ego parvipenderem, ſi Chriſtum non tangerent contra illud: *Nolite tangere Chriſtos meos.* At illi tangunt Chriſtos ejus, immò & Chriſtum Altiſſimum. Quem qualiter prædictus *Folmarus* tangendo laniet, in ipſius conſiderari poteſt epiſtola, cujus reſcriptum Vobis monſtrabitur, ſi vultis. Cui licèt ſatis reſponderim, congruere tamen puto Apoſtolatui Veſtro, ut & Vos aliquid ſcribatis contra eam, vel Domino meo Archiepiſcopo, vel Domino *Ada* Abbati *Eberacenſi*, quibus ille prædictam deſtinavit epiſtolam.

Idem quoque in alio ſcripto ſuo Domino meo Salzburgenſi tam multa & profana, tamque horribilia contra meam perſonam finxit mendacia, ut niſi ille me, ac meam doctrinam Sanctorum doctrinis conſonam plenè cognoſceret, induci potuiſſet in ſuſpicionem ſiniſtram de me, ſicut Capellani Domini Imperatoris per illum inducti ipſum Auguſtum fecerunt graviter mihi offenſum, usque adeò, ut neceſſarium mihi fuerit excuſari apud Ipſum de multis mendacijs in ejus Curiam ſeminatis, quæ fortaſſe quoque in Curiam Veſtram ſeminata ſunt, fruſtra tamen, ut credo: quia non eſt illa Curia ſimilis arundini vento agitatæ. Ad quam non egui eatenus litteris commendatitijs utpote notus Pontificibus, & Dominis Cardinalibus, atque in gratia eorum non ultimus. Nunc verò libenter obtinuiſſem ad Vos litteras Domini mei Archiepiſcopi, niſi quòd ipſe ultra decem dietas remotus non potuit conveniri. Ab alijs autem nolui epiſtolas petere: quia quaſi alter Nicodemus nocte facio, quod facio, ſed diem ſpero & expecto. Eſſe namque in proximo, ut aſpiret dies, & inclinentur umbræ, cùm ſint multa indicia, etiam hoc auroram diei prænuntiat, quod, ùt fama refert, Legati à Veſtro Apoſtolatu quæruntur in Græciam de fide inſtruenda. Vellem igitur, ſi Veſtræ Majeſtati placeret, eosdem Legatos conſiderâſſe *libellum noſtrum contra Græcorum errores*, quem antehac miſi in Curiam illic examinandum, & ſi placeret, propalandum, cujus etiam nunc miſi reſcriptum Vobis & Dominis Cardinalibus inſpiciendum, ſi placeret, remota nimirum erga me puſillum Veſtra & Illorum ſuper hoc indignatione, Quòd, cùm ſim parvulus, de magnis rebus audeo loqui & ſcribere, atque in his veritatem inveſtigare, & inveſtigatam approbare: ſicut & de Veſtri Apoſtolatûs introitu ſcriptis inveſtigavi, & inveſtigatam approbavi veritatem, paratus eandem confiteri coram Regibus & Principibus, prout eam & modò novi, & adhuc ex fructibus ejus me ſpero perfectiùs cogniturum.

16.

Idem ad Collegium S. R. E. Cardinalium de varijs, quibus nuquam non jactatus eſt, procellis, & in quibus ſemper ſibi Apoſtolicam Sedem fuiſſe præſidio gloriatur &c.

DOminis Cardinalibus Frater G. de *Richerſperge* devotas orationes cum fideli obſequio.

Cogor in ſenectute meâ reminiſci ex parte laborum juventutis meæ, illorum præcipuè, quibus, cùm anxiaretur cor meum, in petra exaltavit me Dominus conſolidando me in fide Petri per Succeſſores Petri. *Prima petit campum dubiâ ſub ſorte duelli pugnatura fides*, ait quidam prudens verſificator. Ego autem non dubito, ſicut initium certaminis, ita & finem ſpectare ad fidem, tamdiu pugnaturam donec ſpecies illi ſuccedat, nec jam ſit ambulandum per fidem cernentibus ipſam ſpeciem. Cujus viſio nunc occultatur, ut ipſa fides magìs ac magìs exercitata inde habeat meritum, quòd ei humana ratio non præbet experimentum. Quanquam tamen ſecundùm rationem fidei de fide liceat ratiocinari, non ſecundùm ſapientiam hujus Mundi, quam ſtultam fecit Deus, à cujus deceptione monet Apoſtolus cavere dicens: *Videte, ne quis vos ſeducat per Philoſophiam & inanem ſallaciam ſecun-*

ſecundùm traditiones hominum, & non ſecundùm Jeſum Chriſtum, quoniam in ipſo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Hac Philoſophia decepti à ſinceritate fidei multi aberraverunt ante noſtra tempora, quorum fatuitas per Catholicos Doctores confutata non debet ulteriùs ad quæſtiones revocari. Sed quia non quieſcit ſerpens antiquus, antiquas illum non piget fraudulentias renovare, ſicut ego multotiens expertus ſum, cùm anxiaretur cor meum inter hoſtes fidei, quibus me anxiantibus in petra exaltabar, dum in fide Petri magìs ac magis exercitabar aſſiſtentibus mihi Succeſſoribus Petri ad tuendam & tenendam fidem Petri.

Primus in hujusmodi certamine adſtitit mihi beatæ memoriæ *Honorius*, cùm in ejus curia fuiſſet Magiſter *Luitolfus* inter Magiſtros Franciæ. Hic dum adſtruere conaretur, Chriſtum, ſecundùm quod homo eſt, hominis quidem filium eſſe naturalem, ſed Dei Patris filium adoptivum: & ego è contrario adſtruerem, non ad hominem aſſumptum pertinere adoptionem, quod filius Dei eſſet, prædictus Papa *Honorius* adſtitit mihi concitatus ad hoc ipſum per quendam libellum à quodam Canonico Lateranenſi, valenter literato, ipſi porrectum, & à me perlectum, in quo diligenter fuit inveſtigatum, quæ differentia eſſet inter filios optatos, quos etiam proprios & naturales dici conſtat, & filios adoptatos filijs naturalibus minimè coæquandos. Tunc ergo refutato adoptionis vocabulo in Chriſto Dei & hominis proprio & naturali filio, ego in petra exaltatus, & in fide Petri per ſucceſſorem Petri firmatus ab urbe redij cum lætitia, certum tenens, verum eſſe, quod Petrus de filio hominis hominibûs errantibûs ipſe non erraverit dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.*

Iterum alia vice, cùm eſſem Romæ, [&] quidam Lateranenſis Canonicus nomine *Adam* noviter de ſcholis Magiſtri *Petri Abaiolardi* egreſſus, conabatur adſtruere Chriſtum ex parte Deum, & ex parte hominem eſſe, quem ego totum Deum, & totum hominem credidi, propter quod & locutus ſum, eò quòd homini Divinitas innata, & Deo eſſet humanitas unita in unam ſubſiſtentiam, A. in unum panem vivum, in unum electorum, in unum Mediatorem Dei & hominum, Sancta Romana Eccleſia mihi adſtitit, meamque fidem fideliter approbavit in tantum, ut cùm poſteà prædictus *Adam* factus Apoſtata iviſſet in Apuliam, diceret mihi unus Cardinalium, rectè illum pro ſua perfidia relictum à Chriſto. Cui ego reſpondi: Benedictus Dominus meus Jeſus Chriſtus, qui mihi totus eſt Deus non dimidius, ùt ille voluit. Qui quoniam ſemi-Deum coluit non habens verum Chriſtum, totum Deum, totum hominem, B. jure derelictus eſt illius poteſtati, qui eſt Pater mendacij. Me autem ſui gratiâ meus Dominus Jeſus Chriſtus totus Deus, totus homo conſervavit in meo propoſito, potens etiam conſervare me usque in finem ſine crimine in fide illa, quam confeſſus eſt Petrus, cui portæ inferi non prævalebunt. Ecce ſecundo cùm anxiaretur cor meum, in petra exaltavit me Dominus.

Tertia vice in ſchismate *Petri Leonis*, cùm Sacerdotes in ſchiſmate ſacrificantes affirmarem non habere corpus Domini, eò quòd in Lege Domini prohiberentur carnes agni efferri foras, C. quæ in una domo ſunt comedendæ, quæ domus una univerſalis Eccleſia eſt, in qua, cùm quis culpa exigente privatus officio Sacerdotali, non poſſit conficere verum ſacrificium, ſacrificando videlicet præter officium, multò minùs extra Eccleſiam ſacrificans offerre valet panem vivum, de quo Sancta vivit Eccleſia, mortuis omnino ab illa præciſis culpa tali exigente, quam nec debet, nec poteſt intùs Eccleſia tolerare. O quantos in hac ſententia contrarios habui! Sed aſſiſtente mihi tunc Romano Pontifice beatæ memoriæ Papa *Innocentio* ſic triumpho potitus, in petra fui exaltatus, ut flumen D. illiſum domui meæ non eam potuerit movere.

Longum eſſet enumerare, quàm ſæpè, cùm anxiaretur cor meum, in petra exaltavit me Dominus per Succeſſores Petri *Honorium*, *Lucium*, *Cæleſtinum*, quibus exhortantibus, & confortantibus non ſolummodo loquendo, ſed etiam ſcribendo abuſionibus & novitatibus pravis obviare ſtudui, ex quibus multas in unum congeſſi primò in *Expoſitione*

Digitized by Google

ſitione Pſalmi ſexageſimi quarti, quam præſens dedi ſanctæ recordationis Papæ *Eugenio*, quam etiam poſtea dedi Domino *Henrico* Cardinali Sanctorum Neri & Achillei, approbatam ſatis ab ipſo Papa *Eugenio*, cui & alia tunc ſcripta miſi, quæ quàm fuerint Ei acceptabilia, Ejus conteſtatur Epiſtola, cujus hic textus eſt:

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto filio G. *Richerſpergenſi* Præpoſito ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Scripta devotionis tuæ benignè ſuſcepimus &c.

Conſonant huic epiſtolæ aliæ quoque ad me, ac pro me directæ â Sede Apoſtolica, quarum pluribus prætermiſſis duas adhuc annectam, ut in ore duorum vel trium Sedis Apoſtolicæ Pontificum ſtet pro me verbum teſtimonij boni, quod infringere nituntur juniores tempore Scholaſtici & ſcholares, per omnia illis conſimiles, de quibus ait Beatus Job : *Nunc autem deriderent me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.* Nempe optimi canes, benè latrantes, erant prænotati Apoſtolicæ Sedis Pontifices, quorum iſtæ ſunt epiſtolæ.

Cæleſtinus Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto filio G. *Richerſpergenſi* Præpoſito ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Super tribulantibus & anguſtijs, quas pro veritatis, & juſtitiæ aſſertione dilecti filij noſtri G. Diaconi Cardinalis atteſtatione te ſuſtinere accepimus, paterna tibi affectione compatimur, & in quibus ſecundùm Deum poſſumus, opem tibi & conſilium libenter impendimus. In quibus tantò majorem patientiam te oportet habere, quantò certius eſt, tuam induſtriam eas- D. dem perſecutiones pro defenſione juſtitiæ ſuſtinere. Scis enim, nec novum eſſe, nec inſolitum, quòd juxta Apoſtolum, qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur ab impijs & diſſimilibus. Quos Dominus in Evangelio conſolatur beatitudinem æternam illis repromittens : *Beati*, inquit, *qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Nos tamen pro debito officij noſtri æmulis tuis obviare, & cenſura Eccleſiaſticâ eos cohibere volumus. Vnde per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatinus proximâ Dominicâ, quâ A. legitur : *Ego ſum paſtor bonus*, noſtro te conſpectui repræſentes, ut per te ipſum cauſa pleniùs cognita quieti & tranquillitati tuæ providere, & ſicut dilecto filio opportunè tibi ſubvenire valeamus. Datum *Laterani* ſexta Kalendas Februarij.

Lucius Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus C. *Salzburgenſi* Archiepiſcopo & R. *Gurcenſi* Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Venientem ad Apoſtolicam Sedem dilectum filium noſtrum G. *Richerſpergen-* B. *ſem* Præpoſitum paterna benignitate ſuſcepimus, & pro religione & honeſtate ſua perſonam ejus honorantes cum gratia Sedis Apoſtolicæ ad propria remiſimus. Ipſum itaque Veſtræ Fraternitati attentiùs commendantes per præſentia ſcripta mandamus, quatinus ſicut hactenus obtentu ſolius religionis & honeſtatis ejus feciſtis, pro Beati Petri & noſtra reverentia de cætero ipſum honoretis, & diligatis, & in neceſſitatibus opem ſibi, & conſilium tribuatis.

C. Beatæ quoque memoriæ Papæ *Adriano* miſi *opuſculum contra novitates & abuſiones pravas* contextum. Ad quod licèt nihil reſponderit ſcripto, at tamen dicto illud approbavit, mihique ſalutem & Apoſtolicam benedictionem dicto ſimul & ſcripto mandavit, neque aliquid in ſcripto meo reprobavit. Exinde aucta mihi fiducia loquendi & ſcribendi contra novos Fontinianos, Paulianiſtas, & Neſtorianos atque Bonoſianos, de ſcholis diſcolis venientes, aliqua dixi, & ſcripſi. Et ideo contra veritatis jacula, in illos â me directa, ipſi multa contra me diſſeminaverunt mendacia, partim, quæ dicimus, pervertendo, partim quoque novas & inauditas confingendo calumnias, quibus longè lateque diſſeminatis, & etiam in Curiam Apoſtolicam, ſicut & in Curiam Imperatoris, delatis, cùm alij pro me, alij contra me ſentiant, & loquantur, nunc flantes venti eloquentiæ ventoſæ venientes ab Aquilone graviter me turbarent concutientes domum fidei meæ, ſi non ab Auſtro veniſſent & venirent venti meliores. Fama quippe ad me pervenit, quòd in Romanam Curiam ſiniſtrè delatus â quibusdam Cardinalibus ita ſim

addictus, ut unus ex illis dixerit Nuntio Domini mei Archiepiſcopi *Salzburgenſis*, mirari ſe nimiùm, quòd ipſe me ſuſtineret hominem graviter infamatum de magnis erroribus. Sed & hoc inſinuavit mihi fama, nonnullos Cardinales me cognoſcentes, & in Curia ſatis acceptos meliora de me loqui. Sicut etiam in Curia Domini Imperatoris quidam pro me loquuntur, quidam verò contra me, ut loquelis oppoſitis quaſi ventis contrarijs imminente periculo compellar clamare, Jeſumque dormientem ſuſcitare, qui ſurgens imperet ventis & mari, ut fiat tranquillitas magna, non ſolùm tempeſtate hac ſpeciali, ſed etiam tempeſtate generali ſublata, ſchismatis malo mitigato, quatinus nautæ univerſalis Eccleſiæ, quorum Vos Domini Cardinales eſtis præcipui, non errent cum diſcipulis putantibus phantasma eſſe Chriſtum ſuper mare ambulantem : ſed cum Petro & ipſi ambulent ſuper mare in iſta quarta vigilia noctis, cui vicina creditur dies illa, dies iræ, dies calamitatis, & miſeriæ, dies magna & amara valde, in qua homo, cui datum eſt omne judicium, ſe oſtendet Omnipotentem Deum contra illos falſiloquos, qui eum negant Omnipotentem in eo, quod homo eſt. Quem quia ego & fideles mecum ſentientes fatemur Omnipotentem in eo, quod eſt homo, licèt non ex eo, quod eſt homo, ſed ex eo, quòd in Deum natus, & ſumma Divinitatis virtute atque claritate magnificatus eſt, infamamur quaſi erronei, cùm potiùs errent illi, qui hoc negant, quod univerſalis credit Eccleſia, & omnis confitetur lingua, quòd videlicet Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, licèt minor ſecundùm naturam creatæ ſuæ humanitatis, tamen non minor, ſecundùm naturam innatæ ſibi Divinitatis, & datæ ſibi omnis poteſtatis juxta illud : *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terra.* Quæ nimirum poteſtas cùm ſit increata tamen homini in Deum nato & ſecundùm Deum creato in juſtitia & ſanctitate veritatis ita plenè data eſt, ut ſit Omnipotens æquè ùt Pater ejus, operando æquè potenter per Verbum in ſe incarnatum, quomodo Pater ejus per idem Verbum de ſe natum : quia Verbum caro factum non eſt in carne infirmatum, ſed & teſta carnis igne Divinitatis ita eſt conſolidata, ut non ſit minùs fortis quàm Divinitas ipſa, cui eſt unita unitione mira per conceptionem, & conglorificata per Aſcenſionem, gloriâ & honore Divinitatis altiſſimæ homine coronato & conſtituto ſuper omnia, ut ſit ſuper omnia, non inter omnia Deus benedictus in ſæcula.

A.

De cujus hominis gloria & Omnipotentia opuſcula quæ ſcripſi, quæque nunc in curiam legenda miſi, dignemini Vos Domini Cardinales legere, mihique ſignificare, quid de Vobis me oporteat ſperare, non quod in homine confidam, ſed in Domino, cui & dico pſallens : *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem* & cætera usque in finem Pſalmi : Quoniam ecce peccatores, de quibus in eodem agitur, intenderunt arcum ſuum contra me, paraverunt quoque ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent me in obſcuro, detrahentes videlicet mihi occulto ſuſurrio, quod putant apud Vos prævalere : quia ſciunt me ſenio & morbis debilitatum, non ita ùt priùs, poſſe curijs intereſſe.

B.

Sed Verbum Dei non eſt alligatum : quia ubi præſentari non poſſum per corporis præſentiam, Deo juvante præſentabor in ſpiritu orans & pſallens mente ac ſpiritu. Quod ùt efficaciter in me ac per me fiat, præſtet homo in Deum natus, & in thronum Dei Patris exaltatus, atque ipſius Dei Patris teſtimonio commendatus.

C.

Scitis autem Vos Domini Cardinales, quòd, ſi teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt : quia teſtificatus eſt de Filio ſuo. Nam *tres ſunt*, ait Joannes, *qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Primò quæritur, cur non dixerit Pater & Filius, ſed *Pater*, ait, *Verbum, & Spiritus Sanctus.* Ad quod dicendum : quia non ſolùm nobis tres illi teſtes teſtimonium dant, quod ſimus nati ex Deo, ſicut propoſuerat dicens : *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit Mundum :* Et ſicut in fine capituli, *qui credit*, inquit, *in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe :* Verùm & ipſi, immò principaliter ipſi Domino Jeſu teſtimonium dant, quia ipſe eſt Chriſtus, vel quia Chriſtus eſt veritas. Quod & ipſe de ſe ipſo teſtatus eſt dicens : *Ego ſum*

D.

via,

tia, & veritas, & vita. Quo teſtimonio ipſum Verbum non eguit, quod ab æterno veritas & vita fuiſſe nec Prophetas, nec etiam Philoſophos, maximè Platonicos latuit, ſed homini aſſumpto, quòd vita & veritas ſit Verbi aſſumentis, neceſſarium fuit teſtimonium. Ne igitur occaſio porrigeretur hæreticis dicturis duos eſſe filios, alterum filium Dei, & alterum filium hominis, de illo homine, qui pependerat in cruce ac mortuus eſt atque ſepultus, teſtificationem conferens noluit dicere, quia teſtimonium dant ei *Pater & Filius*, cùm ipſe in utraque ſubſtantia, Dei & hominis, unus ſit filius, ſed, *Pater & Verbum*, inquit, *& Spiritus Sanctus.* Nam revera non filius filio, ſed Verbum aſſumpto homini teſtimonium dat, quòd ipſe, qui negatus & reprobatus eſt quaſi falſus teſtis dicentibus Judæis: *Tu de te ipſo teſtimonium dicis, teſtimonium tuum non eſt verum*, ipſe, inquam, ſit & veritas, & virtus, & ſapientia Dei: Cujus rei teſtimonium non altera Chriſti perſona alteri Chriſti perſonæ, ſed altera Chriſti ſubſtantia alteri Chriſti ſubſtantiæ dat. Quomodo, ais, teſtimonium dat hoc Verbum ſibi unito homini? Ut multa præteream, quæ noſtram excedunt infantiam, in eo teſtimonium dat, quòd præcedens de ore ſibi uniti hominis non minùs fuit efficax ad operandum, quæcunque voluit, quàm de ore Patris olim prodiens ad operandum, quæcunque illi dixit, & facta ſunt. Verbi gratiâ: *Dixit Deus* Pater: *Fiat lux*, & factum eſt ita. Item dixit homo iſte hominibus: *Vos eſtis lux Mundi*, & factum eſt ita. Igitur quàm potenter Deus Pater dixit, & dicendo fecit de tenebris lucem ſplendeſcere in creatione Mundi, tam potenter fecit homo hic de tenebris lucem ſplendeſcere in reſtauratione Mundi. Pater imperavit aquis dicens: *Congregentur aquæ in locum unum, & appareat arida, & factum eſt ita.* Homo hic imperavit ventis & mari, & obedierunt ei. Dixit leproſo: Mundare, & factum eſt ita. Dixit Regulo: Filius tuus vivit, & factum eſt ita. Similiter in omnibus, quæ, ut fierent, voluit & dixit, factum eſt, quod voluit & dixit, nec de ore ipſius egrediens Verbum fuit vel eſſe potuit aliquando irritum ſecundùm ipſius teſtimonium dicentis: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.*

Porrò adverſus inimicos ejus Judæos, qui eum quaſi mendacem reprobaverunt, vel iſtud ſufficiat, quia dixit de illis: *Et cadent in ore gladij, & captivi ducentur in omnes gentes*, atque ita factum eſt. Igitur ſecundùm Verbi teſtimonium Jeſus Chriſtus eſt Omnipotens, omnia, quæcunque vult faciens. Eodem Verbo quoque Pater ejus omnia, quæ voluit, fecit: quia Verbum humanatum non eſt in homine infirmatum, ſed contulit homini omnem plenitudinem virtutum usque adeò, ut homo iſte rectiùs dicatur Virtus & Sapientia quàm virtuoſus & ſapiens. Vnde Apoſtolus: *Nos*, inquit, *prædicamus Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Chriſtum*, inquit, non Verbum. Nam de Verbo Dei nemo dubitat, quin ſit virtus & ſapientia Dei, ſed de Chriſto, de homine uncto, de homine in Deum aſſumpto & nato, quia dubitari poterat, quòd eſſet virtus & ſapientia Dei, ipſum Verbum Dei ſonans per Apoſtolum veridicum ſuæ carni, homini videlicet ſibi unito perhibet verum teſtimonium virtutis & ſapientiæ, quam non habet ſicut alij Sancti accidentali dono, ſed eſſentiali bono, quo nemo bonus niſi unus Deus.

Inter omnia verò teſtimonia Verbi hoc Eccleſiæ Dei ſapit jucundius, ubi ſuam carnem teſtatus eſt panem vivum dicens: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Hunc enim panem, ſicut legitur, ſignavit Deus, non dubium, ſigillo ipſius Divinitatis, ita videlicet, ut ſicut ipſa Divinitas eſt cibus Angelorum vivificans & beatificans eos, ita caro Verbi ſe dignè participantibus hominibus vitam conferat & beatitudinem. Quocirca rectè cenſuit Epheſina Synodus, carnem Verbi vivificatricem credendam & dicendam contra Neſtorium, hoc negantem, & inter alias blaſphemias evomentem, quòd caro, quæ in Altari ſumitur, non dicenda eſſet caro Domini, ſed hominis. Quia verò contra hunc ejus errorem aliàs plura diximus, nunc ſimus contenti de carne ſua ipſius Verbi teſtimonio, de quo, cùm multa loquatur Sanctus Hilarius in octavo libro de Sancta Trinitate, cui placet, legat,

legat, quæ dicta sunt ab illo Doctore orthodoxo, contexente illic non tantum Verbi testimonium, sed etiam Corporis & Sanguinis testamentum testatoris morte à Deo confirmatum, ut nulli Scholasticorum, aut scholarum liceat superordinare aliud. Sicut enim fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus: ita etiam testimonium aliud nemo potest ordinare præter id, quod sanguine Christi est firmatum: *Hic est*, ait, *sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hic est sanguis, qui, ùt Apostolus ait, *emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.* Quod quia sanguine hircorum aut vitulorum immò nec sanguine omnium Sanctorum fieri potuit, sanguis Domini ad hoc fuit necessarius. *Sanguis* inquam *Domini*: quia homo Dominus est, cujus in sanguine purpuratur & purificatur tota Ecclesia eodem redempta & potata, nec non ipsius testamento hæres Dei, cohæres autem Christi effecta.

Quomodo autem Pater dat huic testimonium? Primum dicendo: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* De hoc Patris testimonio in opusculo ad beatæ memoriæ Papam Adrianum plura diximus, quæ nunc repetere non putamus necessarium. Sed hoc non videtur prætereundum, quod ipse Jesus ait: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Item: *Pater*, inquit, *in me manens ipse facit opera.* Item: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Semper itaque audiendo illum Pater in faciendis operibus magnis, quæ nemo alius fecit, maximè verò ipsum resuscitando à mortuis, testimonium illi perhibuit, quod verum de semetipso locutus sit dicendo: *Ego in Patre, & Pater in me est.* Item: *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est.* Dicta hæc exponens Venerabilis Beda Presbyter ait: *Majus autem omnibus, quod Mediatori Dei & hominum Jesu Christo Pater dedit, hoc est, ut sit Unigenitus filius ejus in nullo gignenti vel naturâ dissimilis, vel virtute inferior, vel tempore posterior. Quam videlicet æqualitatem ipse Dominus in Divinitate habuit, priusquam Mundus esset, apud Patrem ipse in humanitate ex tempore incarnationis accepit.* Item super hunc locum: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra*, dicit idem Beda: *Non hoc de coæterna Patri Divinitate, sed de assumpta loquitur humanitate, quam suscipiendo minoratus est paulo minùs ab Angelis, & in qua resurgendo à mortuis gloria & honore coronatus est & constitutus super opera manuum Patris.* Item cum dicit: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Si de Patre suo hoc loquens mentitus fuisset, non eum virtus divinorum operum comitata fuisset, neque Pater illi semper affuisset*, sicut ipse dicit: *Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum* & cætera.

Nihilominus etiam Spiritus Sanctus testimonium dat huic homini, quòd sit Christus, vel quod sit Dei filius, Dei virtus: quia videlicet, quemadmodum dixit: *cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum Veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis*, sic factum est, & fit, & fiet usque in finem Sæculi. Hi tres testes in Cœlo testimonium dant, & hi tres unum sunt. Non hi tres unus, sed *hi tres unum sunt*, inquit, tres in personis, unum in substantia, & unum est illorum trium testimonium: quia homo Jesus, qui putabatur filius Joseph, sit filius Dei æque Omnipotens ùt Pater ejus. Nam de Omnipotentia ejus etiam illis testibus est credendum, qui ei testimonium dant in terra, scilicet spiritus, aqua, & sanguis. Etenim spiritus, videlicet anima rationalis, quam in cruce posuit, quamque, cùm voluit, iterum sumpsit, nullatenus infernum spoliare, seu Paradisum latroni aperire potuisset, nisi Omnipotens fuisset. Aqua etiam & sanguis de latere ipsius profluens invisibilem Pharaonem cum suo exercitu non suffocâsset, aut suffocare potuisset, si Divinæ virtutis Omnipotentia caruisset.

Hæc cœlestia & terrestria testimonia, immò unum testimonium trium in Cœlo, & trium in terra testificantium Fotinus minimè attendit, qui hominem de Virgine genitum negavit Deum. Paulus quoque Samosatenus eodem errore cæcatus & ipse docuit ab homine Divini-

Divinitatem, & â Deo alienam eſſe humanitatem, ita ut nec Deus homo, nec homo Deus verè diceretur, quamquam Deus in homine illo pleniùs habitaverit, quem Virgo genuit quàm in cæteris Sanctis. Neſtorius quoque ſecutus Fotinum, hominem diviſit â Deo, negans Virginem genuiſſe Deum. Contra hos Beatus Hieronymus in expoſitione Jeremiæ dicit: *Si maledictus eſt omnis homo, qui confidit in homine, Paulus autem Samoſatenus, & Fotinus, quamvis Sanctum, & cunctis excelſum virtutibus prædicent Salvatorem, tamen hominem confitentur: ergo maledicti erunt ſpem habentes in homine. Quod ſi objectum nobis fuerit, quod & nos credamus in eum, qui dixit: Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem locutus ſum vobis, quam audivi â Deo, reſpondebimus illud Apoſtolicum: Etſi Chriſtum aliquando juxta carnem cognovimus, ſed nunc jam non novimus. Si enim mors abſorpta eſt in victoria, quare non carnis humilitas, quæ propter humanam ſalutem aſſumpta eſt, in Divinitatis tranſierit Majeſtatem, ut fecerit utraque unum, & non adoremus creaturam, ſed Creatorem, qui eſt benedictus in ſæcula.* Quia ergo docente Hieronymo, cùm Chriſtus adoratur, non creatura ſed Creator adoratur, obmuteſcant, qui docent hominem non eſſe adorandum latria, ſed ſicut ajunt, ſolâ duliâ. Obmuteſcant, inquam, â ſtultis & indiſciplinatis quæſtionibus, quibus obvians Beatus Ambroſius in Lucam dicit: *Cùm Paulus judicaverit ſe nihil ſcire niſi Chriſtum Jeſum, & hunc crucifixum: Petrus nihil aliud niſi Filium Dei putaverit confitendum, nos quando & quomodo natus ſit, humanæ infirmitatis contemplatione rimamur. Scivit Paulus, quòd iſtis quæſtionibus magis offendiculum quam ædificationis profectus eſſet, & ideo judicavit nihil ſe ſcire niſi Chriſtum Jeſum, & hunc crucifixum. Scivit Petrus, quòd in Filio Dei omnia ſint, omnia enim Pater dedit filio. Si omnia dedit, æternitatem, majeſtatémq; transfudit.* Hæc Ambroſius.

At iſti diſputatores importuni, qui nihil credere noverunt vel volunt, niſi quod intellectu & ratione valent comprehendere, non ceſſant â quæſtionibus A. indiſciplinatis, niſi auctoritas Apoſtolica illis modum ponat. Quod qualiter fieri debeat, Veſtra perſpicax prudentia, non per nos inſtruenda, cùm ſimus potiùs nos minimi per Vos magnos inſtruendi & conſtringendi ad antiquos terminos fidei. Pro quibus tenendis, & minimè transgrediendis nos parvuli tantò fiduciàliùs certabimus favente Chriſto, quantò evidentiùs Apoſtolica nobis aſſiſtet auctoritas, prout mihi puſillo catenus adſtitit, ſicut in præmiſſis epiſtolis â Sede Apoſtolica miſſis, ac pro me faciens B. tibus apparet. Magis autem in ſcriptis Romanorum Pontificum Leonis & Gregorij, cæterorumque jam cum Deo regnantium firmiſſimum fuit mihi, & eſt refugium, ſicut in epiſtola quadam expreſſi, cujus hic textus eſt:

Innocentio Divinâ favente Clementiâ Sedis Apoſtolicæ Antiſtiti frater G. ſuæ Sanctitatis qualiscunque ſervus devotas orationes cum obedientia. Domine refugium Tu factus es nobis in Domino, qui, priusquam fierent montes, aut formaretur orbis terræ, Te prædeſtinavit C. nobis pium Patronum contra violentias impiorum. Puto enim, ſi non eſſet nobis Apoſtolicæ Sedis aſylum, jam redacti eſſemus ad nihilum per iniquas potentias impiorum. Sed Tu Beate Vir, qui non ſolet abire in conſilio impiorum, nec ſedet in cathedra peſtilentiæ, ſed in cathedra poteſtatis Apoſtolicæ, per Tuæ pietatis eximium affectum factus es nobis refugium, immò æterna Chriſti pietas, quæ regnat in corde Tuo, facta eſt nobis turris fortitudinis â facie impiorum, qui nos afflixerunt, & affligunt. *Petro Leonis* tyrannizante multa ſumus paſſi ab ejus fautoribus, quando vidimus impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut cedros Libani. Sed tranſivi, & ecce non erat. Hæreſes autem ſunt: quia eas oportet eſſe Apoſtolo aſſerente. Inter has laboravimus, & adhuc laboramus. Nam pro eo, quòd aliquando ſcriptis ac dictis confutavimus hæreticum ſenſum quorundam aſſerentium: Chriſti corpus extra Eccleſiam etiam ab Excommunicatis confici *, niſi Tu Pater mihi tunc fuiſſes in refugium, hæretici me damnâſſent quaſi hæreticum. Sed quia reſiduum bruchi parata eſt comedere locuſta, ſuccedunt malis mala. Nam de ſu-

* *admittit alibi Gerbohus id confici quoad eſſentiam, non quoad fructum.*

mo putei abyssi, ùt Joannes in Apocalypsi prævidit, nunc exierunt locustæ, videlicet plures discipuli *Petri Abaiolensis*, affirmantes hominem de Virgine sumptum non esse Deum, sed ipsius Dei singulare habitaculum, in quo cùm habitet omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, non tamen dicunt ei convenire nomen Deitatis, ùt Deus dicatur, nisi figurativa locutione quà continens pro contento, vel contentum pro continente nominamus. Etenim figurativa locutio, si habens pro habito nominatur, quod plerumque solet fieri, vti manufactum templum vocamus Ecclesiam, propterea quod habet vel continet Ecclesiam id est: justos in ea convocatos. Et in Evangelio ubi dicitur: *Credidit ipse, & domus ejus tota*, familiæ datur nomen domûs: quia familia habet, vel continet domum. Ita inquiunt figurativa est locutio, quando vel homini Deum in se habenti assignamus nomen Dei, vel Deum in homine manentem dicimus hominem. Nos autem quia Deum propriè hominem, & hominem Deum prædicamus, ne fortè in vacuum curramus, Tibi fater, per latorem præsentium super hac quæstione missimus tractatum, quem si Tua approbat auctoritas, iterum cantabo, quod & antea cantavi: *Domine refugium* Tu *factus es nobis*, non quòd confidam in Te mortali homine, sed in Petro, immò in petra, cujus fortitudini prævalere non poterunt portæ inferi. Contingat ergo mihi etiam nunc, & quamdiu vixero, jucundari assiduè psallendo: *Domine refugium* Tu *factus es nobis* & cætera usque in finem Psalmi.

17.

C. Cardinalis ad Gerhohum epistola. Laudat ejus doctrinam, monetq; ut de subtilioris argumenti rebus coram rudibus ne disputet.

C Dei gratiâ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis Reverendissimo suo G. Magistro salutem, & dilectionem.

Scientiam, & sanam doctrinam vestram Romana Ecclesia à longo tempore & cognovit, & utpote canonicarum Scripturarum auctoritate vallatam modis A. omnibus comprobavit. Nosque etiam, qui frequenti vobiscum disputatione contulimus, hoc idem sensimus, & sentimus. Ideoque super eo, quod vulgari sermone de persona vestra in Curia nostra referebatur, non modicè mirabamur, nec unquam animum ad credendum induximus. Nunc autem quia scripta vestra per fidelem nuntium vestrum vidimus, legimus, & cognovimus, quæ à vestris æmulis dicta sunt, vana penitùs reputamus. Consulimus autem Dilectioni Vestræ, ut collationes hujusmodi in populari frequentia facere B. nulla ratione cures, ne occasione vobis obloquentium, quod absit, populus in errorem inducatur.

18.

Hyacinthi Cardinalis ad Gerhohum epistola. Scribit, Papam controversiæ de Gloria & honore filij hominis, ut optaverat, intentum esse, simulq; docet Alexandrum ab universa Ecclesia paucis exceptis, legitimum Pontificem haberi.

C. HYacinthus Dei gratiâ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis Plurimùm in Christo dilecto amico suo Magistro G. de *Richersperge* salutem, & sinceram in Christo dilectionem.

Vestræ charitatis litteras cum omni benignitate recepimus, & his, quæ in eis continebantur, diligentiùs inspectis cum Domino Papa super eis satis contulimus. Qui licèt multis intendere habeat, tamen quæstioni vestræ succinctè respondit. Nos tamen non sine magna ferimus admiratione, quod ita serò & Domino Papæ, & nobis scripsistis. D. Quippe nullatenus credens menti vestræ discretionis posse suaderi, quòd Octaviani intrusio, qui absque alicujus electione sive Cardinalium sive non Cardinalium diabolico ausu se ipsum inmantare præsumpsit, Domini Papæ electioni canonicè celebratæ valeat derogare, præsertim cùm ab omnibus Regibus, qui Christiano nomine censentur, uno solo excepto sit approbata ab omnibus, etiam Principibus tam sæcularibus quàm Ecclesiasticis regni Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Hispaniæ, Siciliæ, Hungariæ, Græciæ & Orientis, à Romanis etiam

etiam & omnibus ferè Italicis. Si qui autem eorum cum Octaviano sentiunt, sine spiritu Dei ducti, sed potiùs Imperatoris timore coacti hoc faciunt.

Cùm igitur Dominus noster sibi honorem non assumpserit, sed magis à fratribus vocatus sicut Aaron à Moyse fratre suo, vos qui spiritu Dei agimini, pro Ipsius & Ecclesiæ fidelitate murum inexpugnabilem vos debetis constituere. Vestram itaque in Domino attentiùs sollicitamus charitatem, quatinus ad Ecclesiæ pacem omnifariè intendentes vestram voluntatem nobis confidenter velitis aperire : quia, in quantum cum Deo poterimus, vobis curabimus satisfacere.

19.

Idem ad Ottonem I. Episcopum Frisingensem. Tuetur Hilarium adversùs quendam non nominatum auctorem, qui volebat, ab illo traditum fuisse, corpus Christi non esse glorificatum ultra cæterorum Sanctorum corpora, nec humanam in Christo naturam in accepta gratia excedere excellentiam cujuslibet angeli.

Ex Cod. Admont.

VEnerabili *Frisingensis* Ecclesiæ Antistiti O. Frater G. de *Richersperge* devotas orationes cum fideli obsequio.

Nuper venit in manus nostras quidam libellus Vestræ prudentiæ destinatus, tamquam à Vobis examinandus & approbandus. Qui cùm de doctrina Magistri *Gilberti* sit contextus, qualem in glossis ejus deprehendimus, & reprehendimus in scriptis, quæ antehac Vobis, & vestris misimus, in fine suo tamquam scorpionis cauda venenum diffundit longè perversius quàm umquam in præteritis hæresibus de Christo habitis legerimus. Etenim Arriani, Fotiniani, Apollinaristæ, Bonosiani ac cæteri hæretici, qui Christo detraxerunt, eum licèt Patri supponentes, Angelis tamen excellentiorem docuerunt. Nam etiam de Sancta Ejus Genitrice hoc Sancta credit & celebrat Ecclesia, quòd super choros Angelorum sit exaltata, in qua pura humanitas agnoscitur glorificata. Novitas verò istius doctrinæ suadet credendum de homine, quem Pater sanctificavit & misit in Mundum, quòd corpus ejus non A. sit glorificatum ultra cæterorum corpora Sanctorum, nec ipse in gratia, quam accepit, excedat excellentiam cujuslibet Angeli.

Ad hujus pestiferæ doctrinæ sensum confirmandum putant se habere patronos magnos Hilarium & Augustinum. Dicit enim Hilarius libro undecimo de Sancta Trinitate : *Cùm igitur hæc terrenorum corporum origo in habitu potioris excedat, & conformis gloriæ Dominici corporis fiat Deus in forma servi repertus, ut qui nobis formam glorificati corporis sui tribuit, ipse corpori suo nihil ultra possit quàm nobis ac sibi commune præstare?* B. Hæc dicta Hilarij præcedentibus & subsequentibus collata sensum habent Catholicum, nostræque assertioni per omnia consonum. Hoc evidenter clarere in nostris codicibus, diligenter emendatis, ubi sententia præmitta, cùm sub interrogatione legitur, sine errore intelligitur. Tale est illud in Apostolo ubi, cùm dicitur : *Quis accusabit adversùs electos Dei?* Subnectitur : *Deus qui justificat?* Quod si legatur interrogativè, ùt oportet, dicatúrque : *Deus,* C. qui justificat? intellectus bonus omnibus capientibus eum generatur. Si verò affirmativè, sensus est errore plenus. Ita nimirum cùm dicit Hilarius de Christo : *Ut qui nobis formam glorificati corporis sui tribuit, ipse corpori suo nihil ultra possit quàm nobis ac sibi sit commune, præstare*, si legatur interrogativè, ùt oportet, sensum generat Catholicum : quia sub interrogatione acriùs negatur, quod dicitur : Ne videlicet Christus ita infirmus putetur, ut, qui nobis formam glorificati corporis sui tribuit, ipse corpori suo nihil ultra possit quàm nobis, ac sibi sit commune, præstare. Quis enim D. valeat æstimare quanta suo corpori contulit, quæ Sanctorum corporibus conferri penitùs est impossibile? Cujus enim Sancti corpus verè est cibus, vel uno eodemque tempore invenitur in locis pluribus? Quod unquam corpus quantumlibet glorificatum illi corpori comparabitur in gloria, de quo dicitur : *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ?* Sive enim per aquilas intelligas virtutes Angelicas, sive sanctas animas, in illius corporis vultum desiderant prospicere, quod quasi corpus so-

lare lumen dat lunæ, ut ſit perfecta in æternum, cùm directè ſine terrenæ umbræ interpoſitione, quæ ſolet animabus in carne manentibus aliquando eclipſin facere, aſpicit illius vultum, licèt corporeum, tamen ſuper omnia corpora Sanctorum, quorum claritas comparatur ſtellis, clarificatum claritate, quam habuit Verbum apud Patrem, priusquam Mundus fieret. Si enim, cùm in monte transfiguratus apparuit, reſplenduit facies ejus ùt ſol, quantò magis nunc in monte celſitudinis paternæ ſicut ſol lucet in virtute ſua, qualis ejus facies Joanni demonſtrata in Apocalypſi patenter illum diſtinguit â Sanctis alijs, qui fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum? De nullo quippe illorum legitur, quòd fulgeat, ſicut ſol lucet in virtute ſua, cùm quisque illorum ſit fulſurus in virtute non ſua, ſed illius, qui tunc erit omnia in omnibus, cùm totus Chriſtus erit Patri ſubjectus in ſuis membris omnibus. Solus autem ſol juſtitiæ in ſuo ſolari corpore deterſa mortalitatis nube fulgebit in virtute ſua, clarificatus videlicet gloria Patris & ſua. Intravit quippe in gloriam ſuam.

Suam dico, non alienam: quia gloriam Divinæ Omnipotentiæ, quam Chriſtus in humanitate accepit, in Divinitate ſua æternaliter habuit, & habet. Neque enim Divinitatis gloria, potentia, ſapientia, benignitas æterna, immenſa ſic data eſt homini aſſumpto, ut ablata ſit Verbo: quia Verbum carofactum ſic dedit homini aſſumpto gloriam totam, quam habuit, ut eam totam retinuerit. *Sacramentum hoc magnum eſt*, ait Apoſtolus, *quod manifeſtatum eſt in carne, creditum eſt Mundo, aſſumptum eſt in gloria.* Quæ nimirum gloria Verbi eſt per naturam, ſed hominis aſſumpti per gratiam, quoniam & ipſa talis aſſumptio facta eſt per gratiam. Senſiſſe hoc Sanctum Hilarium ſatis invenient, qui diligenter legunt illum. Legitur enim apud illum: *gloria omnis non Verbo, ſed carni acquirebatur.* Et alibi: *Profectò ei, quod accepit, ejus claritatem expoſtulat, unde non deſtitit.* Et iterùm: *Ut id, quod de tempore erat, gloriam ejus, quæ ſine tempore eſt, claritatis acciperet.* Et alia hujuſcemodi apud eum inveniuntur, per quæ confutari poſſunt, qui errorem ſuum dictis ejus adſtruere præſumunt pervertendo ea in ſenſum pravum, quod in multis locis faciunt, de quibus non eſt modo dicendum per ſingula: quis piget iterare ſæpius dicta, & Eccleſiæ Romanæ præſentata ejuſque Pontificibus *Innocentio*, & *Eugenio* inſinuata & ab Eis approbata, utpote antiquis Pontificum Romanorum doctrinis conſona.

Et quidem de Hilario non mirum, quod illius dicta tamquam obſcura depravant. Verùm de dictis Auguſtini, ab eis depravatis, valde miramur, ſive per inprudentiam, ſive per inpudentiam acciderit, quòd ſententia illius apud eos errorem genuit, ſi tamen ab illo, & non potiùs â Patre mendacij conceperunt ſenſum hunc falſiſſimum, quo affirmant, hominem aſſumptum in unam Trinitatis perſonam non excedere dignitatem Angelicam. Ut autem evidentiùs fiat, quæſtionis verba Petri diſcipuli Epiſcopi *Gilberti* ponamus. Contra nos enim ſcribens dicit inter cætera: *Conſtat Chriſtum Patre ſecundum humanitatem ſemper minorem eſſe, cùm in illa, quam nominamus humanitatem, natura non excedat, ut ait Auguſtinus, excellentiam Angelorum, quod jam corpori ſuo præſtitum eſt commune ſibi & nobis.* Et paucis interpoſitis ait: *Cùm*, inquam, *hæc corpori ſuo præſtitit, gloria ſibi ſit & nobis communis, qualiter corpus ſuum in eadem gloria ſit Deo Patri æquale, inveſtigare otij eſt non induſtriæ, cùm etiam Auguſtinus dicat in Sermone Capite ſeptimo ſuper Joannem: Unigenitus autem cùm ſit Dominus omnium, procul dubio eſt Dominus Angelorum natura, qua Deus eſt, non Angelis ſed Patri potiùs æqualis, gratia verò, qua homo eſt, non excedit excellentiam cujuslibet Angeli.* His Auguſtini dictis quaſi pro argumento habitis proſequitur ſuæ textum argumentationis dicens: *Audiant* * *Auguſtinum Chriſtum in gratia humanitatis non eſſe Angelis excellentiorem, & corpus ejus in gratia, quod habet, Patri æquale eſſe aſſeverantem. Nempe ſi dixiſſet in natura, qua homo eſt, non excedit Angelorum excellentiam, forſan aliqua eis dimitteretur tergiverſandi facultas. Quod tamen propterea nos induxiſſe intelligant, quoniam arbitramur hoc*

* Cod. audiunt.

hoc ſaltem eos poſſe intelligere, quòd aliud A. *eſt natura, quæ ſpectat ad creationis auctoritatem, & aliud gratia, quæ pertinet ad donantis largitatem. Si enim idem intelligitur eſſe gratiam, qua homo eſt, & naturam aſſumptam, citra ſignificationem profeſſionis videbitur locutus auctor, cùm ea natura ſuit antè citra excellentiam Angelorum. Qui profectò ſi conformis eſſet in ſui corporis gloria Deo, nihil haberet, quod ultra poſſet corpori ſuo præſtare præter illud, quod jam præſtitit.*

In his argumentationibus cùm pro minimo ſit mihi, ut ab eis judicer, qui B. datam Chriſto gloriam Divinam immenſam contrahunt ad menſuram dignitatis Angelicæ, cui etiam Sanctos homines æquandos credimus : tamen quia ferre non poſſumus Auguſtini dicta ſic ab illis depravari, ut ipſe putetur conſentaneus eorum errori, non piget hìc ipſa ejus verba inſerere. In Sermone quippe Capite ſeptimo ſuper Joannem diſtinguens inter Vnigenitum Dei filium & membra ejus, filios ſcilicet adoptivos ait : *In filio nos Pater diligit : quia in ipſo nos elegit ante Mundi conſtitutionem. Qui enim diligit Vnigenitum, profectò di-* C. *ligit & ejus membra, quæ adoptavit in eum per eum. Nec ideo pares ſumus Vnigenito filio, per quem creati & recreati ſumus : quia dictum eſt : Dilexiſti eos ſicut & me. Neque enim ſemper æqualitatem ſignificat, qui dicit : ſicut illud, ita & illud, ſed aliquando tantùm quia eſt illud, eſt & illud, aut quia eſt illud, ut ſit & illud. Ita & hoc loco dilexiſti eos, inquit, ſicut & me dilexiſti. Quod aliud nihil eſt, quàm dilexiſti eos, quoniam & me dilexiſti. Non enim membra filij non diligeret, qui diligit filium, aut alia cauſa eſt diligendi mem-* D. *bra ejus, niſi quia diligit filium, ſed diligit filium ſecundùm Divinitatem : quia genuit illum æqualem ſibi. Diligit eum etiam ſecundùm id, quod homo eſt : quia ipſum Vnigenitum Verbum etiam caro factum eſt, & propter Verbum eſt ei chara Verbi caro. Nos autem diligit, quoniam ſumus ejus membra, quem diligit. Quapropter incomprehenſibilis eſt dilectio, qua diligit Deus neque mutabilis.* Et paucis interpoſitis ait : *Cùm igitur eorum, quæ fecit, nihil oderit, quis dignè poſſit eloqui, quantum diligat membra Vnigeniti ſui, & quantò amplius ipſum Vnigenitum, in quo condita ſunt omnia viſibilia & inviſibilia, quæ in ſuis generibus ordinata ſunt, ordinatiſſimè diligit. Membra quippe Vnigeniti ad Angelorum Sanctorum æqualitatem gratiæ ſuæ largitate perducit. Vnigenitus autem cùm ſit Dominus omnium, procul dubio eſt Dominus Angelorum naturâ : quia Deus eſt non Angelis ſed Patri potiùs æqualis : gratiâ verò quia homo eſt, quomodo non excedit excellentiam cujuslibet Angeli, cùm ſit una perſona carnis & Verbi ?*

Hìc notandum eſt furtum Gilbertinorum. Nam cùm interrogando dicat Beatus Auguſtinus : *Quomodo non excedit excellentiam cujuslibet Angeli ?* adverbium interrogativum de medio verborum ejus furati ſunt, & conſtanter ejus verbis affirmant, quod ipſe per interrogationem vehementiùs negat. Dicunt illi de Chriſto : *Non excedit excellentiam cujuslibet Angeli*, quod ſentire omnino hæreticum eſt, quodque docere diabolicum ; quia ſicut diabolus mendax eſt & pater mendacij, ſic doctores iſti pariunt mendacium in cordibus auditorum, eorum permaximè, qui, quoniam charitatem veritatis non receperunt, mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, & tali mendacio, quo non eſt pejus mendacium, cùm videlicet contra fidei Chriſtianæ veritatem quis docet pertinaciter falſitatem. Quid enim falſius eò, quod ipſi dicunt, Chriſtum ſecundùm quod homo eſt, vel ſecundùm gratiam, quam in eo habet, quod homo eſt, non excedere dignitatem cujusque Angeli ? Quid autem verius eò, quod docet Beatus Auguſtinus interrogando ſic dicens : *Quomodo non excedit excellentiam cujuslibet Angeli, cum ſit una perſona carnis & Verbi ?* Quod idem eſt, ac ſi dicat : revera excedit excellentiam cujuslibet Angeli. Quæris quantum excedat ? Audi Apoſtolum : *Tantò*, inquit, *melior Angelis effectus, quantò præ illis differentius nomen hæreditavit. Cui enim dixit Angelorum : Datum eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen ?* De hoc nomine homini à Deo Patre dato, & eidem in gloſſis Magiſtri Gilberti ſuper

Apoſtolum denegato ſub titulo cujuſdam *Ambroſij* Monachi, cognomento *Audberti*, aliàs tanta ſcripſimus ad Vos & veſtros Clericos valenter litteratos, ut hìc videatur ſuperfluum dicta repetere, cùm prædictus Epiſcopus *Gilbertus* tunc fuerit per Vos & veſtros erga me veriſimiliter excuſatus, quòd non ita ſenſerit, ùt ille Ambroſius, cujus ideo fortè ſententiam poſuit: quia eam in gloſſis antiquioribus poſitam invenit. Sed iſti ejus diſcipuli, qui gloriam & gratiam naturæ humanæ in Dei filium aſſumptæ abſque menſura datam, redigunt & contrahunt ad menſuram gloriæ vel Sanctorum hominum depravando Hilarium, vel Sanctorum Angelorum depravando Auguſtinum, ſicut in præmiſſis apparet, niſi compeſcantur, faciunt, ut in memoriam redeat iniquitas Magiſtri eorum in conſpectu Domini, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus Pontificibus antiquis & novis contraria eſt hæc doctrina tam perverſæ novitatis.

Argumenta verò eorum ſatis mirari non poſſumus, in quibus Arrianorum dogmata ex parte ſuſcitari deprehendimus: Aiunt, enim ad dignitatem & gloriam Majeſtatis quàm plurimùm pertinere, quòd quis remunerat obedientem, exaudit interpellantem, poſtulanti ſubijcit omnia, ſubijcit ſub pedibus, offerentem benedicit, nemo prorsùs niſi non Catholicus, qui ignoret ùt gentilis, qui neget ùt Judæus, qui demutet ùt Antichriſtus, audeat infitiari. Etenim tanquam Sacerdoti magno, cujus origo â Patre, inenarrabilis dedit Pater benedictionem omnium gentium. Quis autem major eſt, qui benedicit, an qui benedicitur?

Aſſertiones iſtæ quondam fuerunt Arrianorum, filium Patre minorem aſſerentium, & â Sanctis Patribus rationabiliter illis obviatum eſt, eò quòd obedientia voluntaria, non coactitia pro ſalvandis hominibus exhibita homini ſic obedienti magis deputatur ad gloriam quàm ad ignominiam. Denique propter hoc Deus illum exaltavit, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: propter hoc ſubjecit omnia ſub pedibus ejus. Hæc ipſa obedientia fuit poſtulatio, in qua fuit dignus exaudiri pro ſua reverentia, *pro ſua*, inquam, *reverentia*, in quo nulla fuit culpa, quemque ſic poſtulare non coëgit neceſſitas propriæ miſeriæ, ſed pietas miſericordiæ hoc exegit, ut ſic perdita reſtauraret. Quod utique opus reſtaurationis non eſt minus opere creationis. Immò venerabilius eſt, quòd per hominem reſurrectio mortuorum, qui vitam demeruerunt, quàm quod per Verbum creatio vivorum, qui nihil boni meruerunt. Quia mirabilius eſt vitam reſtitui mortuis, qui mortem ſempiternam meruerant, quàm vitam dari eis, qui nihil meruerant. Eſto tamen, ut, cùm per ſuam obedientiam omnia ſubjecerit Patri, ut ſit Deus omnia in omnibus, tunc & ipſe Patri ſit ſubjectus (quod, ſicut aſſerit Auguſtinus, ideo dicitur, ne humana ſubſtantia, quantumlibet glorificata putetur in Divinam ſubſtantiam commutata veriſibilitate naturæ, quem ſenſum Sancta Eccleſia damnavit in hæretico Euthycete) Eſto, inquam, ut ſit in æternum Patri ſubjectus homo Deus, Dei filius, numquid tamen iſta ſubjectio pia & voluntaria deputanda eſt illi ad ignominiam? Abſit. Dicit enim Sanctus Ambroſius in libro quinto ad Gratianum Imperatorem: *Sicut in Chriſto per carnem, quæ eſt pignus noſtræ ſalutis, ſedere nos in Cæleſtibus Apoſtolus dixit, utique non ſedentes: ſic & ille per noſtræ aſſumptionem naturæ dicitur ſubjectus in nobis.* Item: *Scriptum eſt: quia cum mortui eſſemus peccatis, convivificavit nos in Chriſto, cujus gratia eſtis ſalvati, & ſimul ſuſcitavit, ſimulq; fecit ſedere in Cæleſtibus in Chriſto Jeſu. Agnoſco ſcriptum, ſed non ut homines ſedere ad dexteram ſibi patiatur Deus, ſed ut in Chriſto ſedere: quia ipſe omnium fundamentum eſt, & ipſe eſt caput Eccleſiæ, in quo communis ſecundùm carnem naturæ prærogativam ſedis cæleſtis emeruit. Sicut ergo nos in illo ſedemus per corporeæ communionem naturæ: ita & ille, qui per ſuſceptionem noſtræ carnis maledictum pro nobis factus eſt, cùm maledictum utique in benedictum filium Dei non cadat: ita, inquam & ille per obedientiam omnium erit ſubjectus in nobis, cùm gentilis crediderit, cùm Judæus agnoverit, quem crucifixit, cùm Manichæus adoraverit, quem in carne veniſſe non credidit, cùm Arrianus Omnipotentem con-*

confeſſus fuerit, quem negavit, cùm poſtremò in omnibus fuerit ſapientia Dei, juſtitia, pax, charitas, reſurrectio. Concluſionem igitur totius abſolutionis breviter colligamus. Vnitas poteſtatis opinionem injurioſæ ſubjectionis excludit. Idem : *Quod ſi quæris, quemadmodum ſit ſubjectus in nobis, ipſe oſtendit dicens : In carcere eram, & conveniſtis ad me. Infirmus eram, & viſitaſtis me, in eo infirmus, in quo ſubjectus.*

Hæc dicente Ambroſio rectè intelligamus filium Patri ſubijciendum in membris, cùm peracta & conſummata fuerit ſubjectio membrorum ipſorum. Quòd ſi etiam in ſuæ perſonæ humanitate futura eſt illa ſubjectio, quam conſequitur, ut ſit Deus omnia in omnibus, non tamen arbitranda eſt injurioſa, ſed glorioſa. Nam in ipſa quoque Divinitate legimus filium Patri ſubjectum, nec tamen ideo minorem vel inferiorem putandum vel habendum. Hinc in exemplo fidei, Sirmio ab Orientalibus contra Fotinum ſcriptæ, inter cæteros errores etiam hic error damnatus eſt, quo putatus eſt aut filius Patri non ſubjectus, aut ſi ſubjectus, minimè coæquandus. Dicunt ergo Patres jam dicti Concilij : *Si quis Dominum & Deum Patrem & filium, quia Dominum â Domino, duos dicat Dominos, anathema ſit. Non enim ita exæquamus vel comparamus filium Patri, ut ſubjectum non intelligamus, neque enim deſcendit in Sodomam ſine Patris voluntate, neque pluit ex ſe, ſed â Domino, auctoritate ſcilicet Patris, nec ſedet in dextera â ſemetipſo, ſed audit Patrem dicentem : Sede ad dexteram meam.* De hac ſententia Synodali tractans Hilarius dicit inter cætera : *Non comparatur, nec exæquatur filius Patri, dum ſubditus per obedientiæ obſequelam eſt, dum pluit Dominus â Domino, dum ad dexteram Dei conſedit, dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati ejus, qui ſe miſit, obſequitur. Sed pietatis ſubjectio non eſt eſſentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem efficit naturam, cùm per id, quod innaſcibilis Pater Deus eſt, & Vnigenitus filius Dei Deus ſit, Deus tamen unus ſit, & ſubjectio filij doceatur & dignitas, dum ei ipſi non niſi filius nuncupandus ſubjicitur. Quòd cùm Dei Patris ſit, tamen ex naturæ ſibi ſit nomen habens non alieni, ſed ejus, cujus & filius eſt, & ſit Patri & obſequio ſubjectus & nomine, ita tamen, ut ſubjectio nominis proprietatem naturalis atque indifferentis teſtetur eſſentiæ ſic loquente Hilario de Filij ſubjectione in ſua Divinitate non diminuta per ſubjectionem coæqualitate, in qua & is, qui ſubijcitur, & is, cui ſubjicitur, unus Deus altiſſimus adoratur.* Et nos ejus tenendo veſtigia eisdem penè verbis affirmamus, quòd pietatis ſubjectio non eſt gloriæ diminutio, nec religionis officium degenerem facit naturam humanam in Vnigenito Dei Filio, cùm per id, quod innaſcibilis Pater Deus eſt, & filius Virginis idemque filius Dei Patris Deus ſit Divinitate Verbi aſſumentis, homini aſſumpto plenariè data & innata, ita ſcilicet, ut non ex adoptione, ſed ex natura filiationis vocetur & ſit filius Dei Patris, Deus & ipſe nominandus æquè ut Pater ſuus, nomen habens non alieni ſed ejus, cujus & filius eſt, & ſit Patri & obſequio ſubjectus & nomine, ita tamen, ut ſubjectio nominis proprietatem naturalis atque indifferentis teſtetur eſſentiæ, qua homo aſſumptus Deus eſt æquè ut Verbum aſſumens, & Pater Verbum gignens atque Spiritus Sanctus de Patre ac Verbo procedens, non duplicata vel triplicata Divinitate, quæ in ſumma ſemper manet ſimplicitate, ſive de homine, cui plena data eſt, prædicetur juxta illud Iſaiæ : *Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi,* ſive de tribus perſonis unius Trinitatis collectim enuntietur. Sicut enim Patris & Filij & Spiritûs Sancti una eſt Divinitas : ita Verbi aſſumentis hominem, & hominis in Verbum aſſumpti eadem una eſt Divinitas, uti nuper ſcripſimus Venerabili Patri Vniverſalis Eccleſiæ Papæ *Adriano.* Sed cùm ei ſcriberemus, nondum ad noſtram notitiam venit iſta, contra quam nunc agimus, doctrina de gloriæ in homine aſſumpto hac menſura, qua coæquatur Angelis ipſe, qui eſt Dominus Angelorum non ſolùm in Divina eſſentia, in qua ipſos creavit Angelos, ſed etiam in humana, in qua Patri obediens ipſorum numerum redintegrans implevit ruinas,

ruinas, conquassavit capita in terra multorum de torrente in via bibens, propterea exaltavit caput. Ideo enim jure jurando fecit illum Dominus crescere in ea natura, in qua potuit crescere, in qua etiam, ut cresceret, ac non Judæorum Deus tantùm, sed & gentium Deus esset, benedictio est omnium gentium data illi.

Habet hìc occasionem contradicendi adversarius, ùt supra notavimus. Quis, inquit, major est, qui benedicit, an qui benedicitur? Nonne secundùm Apostolum major est, qui benedicit? Hìc, ne contra Philosophos apud se sapientes videamur velle philosophari, simpliciter eis ostendimus, quòd etsi major sit, qui benedicit, quàm qui benedicitur, interdù tamen ipse benedictus jam accepta benedictione non est minor, imò aliquando & major eo. Nam si Episcopus annuente ac permittente Archiepiscopo benedicit aliquem in Episcopum, quoniam & hoc licet fieri secundùm censuram Canonum, nonne is, qui ante benedictionem fuit minor, suscepta benedictione benedicenti fit æqualis? Item: Aliquis in Archiepiscopum electus, & ab aliquo suffraganeorum ceteris cooperantibus benedictus, etsi ante benedictionem fuit minor benedicente, tamen jam benedictus non minor, sed major est habendus. Ergo præmissum illud Apostoli dictum sic est intelligendum, ut non generet intellectum absurdum, fideique sanæ contrarium. Nam benedictus ille homo, qui venit in nomine Domini, sic est â Patre cooperante Spiritu Sancto benedictus, ut sit non inter omnia, sed *super omnia Deus benedictus in sæcula.* Proinde accepta benedictione tanta non est minor homo benedictus Deo se ita benedicente, ut sit super omnia Deus benedictus. Hac benedictione donatum est illi nomen, quod est super omne nomen, ante cujus donationem verè natura humana minor Divinâ fuit, sed in filio Dei nomine summo glorificata latenter in conceptione, patenter in ascensione sic est magnificata, ut ejus magnitudo sit immensa, quæ non molis dilatatione, sed virtutis immensitate pensanda est, maximè postquam donatum est ei nomen, quod est super omne nomen, sic est manifestatatum Mundo, ut A. in omnem terram exierit sonus Apostolorum contestantium, quòd, sicut à summo cœlo egressio ejus, ita occursus ejus usque ad summum ejus.

Etsi ergo major eo fuerit Pater summus ante benedictionem, tamen ipse jam per Patris benedictionem & glorificationem provectus usque ad summum, non est in gloria sibi data minor dante habendus, cùm jam omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Vnde Hilarius libro nono de Trinitate ait: *Si igitur donantis auctoritate Pater major est,* B. *numquid per doni confessionem minor Filius est? Major itaque est donans, sed minor iam non est, cui unum esse donatur. Si non hoc donatur Jesu, ut confitendus sit in gloria Dei Patris, minor Patre est: si autem in ea gloria donatur ei esse, in qua Pater est, habes & in donantis auctoritate, quia maior est: & in donati confessione, quia unum sunt.* Item: *Major Pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur, ut reddat: filius minor non est, dum gloriam resumit apud Patrem.* Item: *Glorificaturus filium Pater major est, glorificatus in Patre filius* C. *minor non est.* Hæc dicente Sancto Hilario nos eidem consona sentiendo possumus dicere: Benedicturus filium Pater major est, benedictus â Patre filius minor non est, maximè illa benedictione, qua sic benedictus est, ut veniret in nomine Domini, hoc est, ut nomen Domini sit nomen ejus, non eo modo, quo est multorum dominorum, siquidem sunt Domini multi, ac proinde nominantur Domini, sed eô modô, quo nomen Domini congruit soli Deo regnanti & dominanti super omnia dominatione Divina, quam semper habuit D. Christi Divinitas, quámque Patre benedicente accepit ejus humanitas, ut in forma quoque servi haberet nomen Domini & veniret benedictus in nomine Domini.

Hac benedictione dulcedinis præventus est ab æterno, quando prædestinatus est homo filius Dei futurus, *filius* dico, non ùt cæteri secundùm gratiam adoptionis, sed in virtute secundùm spiritum sanctificationis, qua eum Pater sanctificavit in eo ipso, quod Pater ejus dici & esse volens, gloriam Vnigeniti

Digitized by Google

nitì dedit illi ſicut & benedictionem omnium gentium, ſcilicet ut ſit Deus non Judæorum tantùm, ſed & omnium gentium dedit illi, & teſtamentum ſuum confirmavit ſuper caput ejus. Caput enim illius hominis taliter benedicti & ſanctificati eſt Deus, vel ſi magis dici placet, ipſa ejus Divinitas, ſine qua ſi quis hominem illum intelligit, tale eſt, ac ſi hominem alium ſine ſuo capite, quod in eſſentia ejus eſt principale, hominem æſtimet eſſe poſſe. Principale primi hominis, qui factus eſt in animam viventem, fuit mens intellectualis. At ille, cùm in hoc honore eſſet, non intellexit, nolentque intelligere, ut benè ageret, ſuum caput nimis deturpavit: quia intellectuale ac rationale ſuum depravavit, ſicut etiam adhuc imitatores ejus deturpant caput ſuum velato capite orando, id eſt, inter orandum ſenſibilia potiùs quàm intelligibilia Dei dona deſiderando. Tale velamen ſuper cor Judæorum terrena potiùs, quàm cœleſtia bona deſiderantium, eſt poſitum, & ideo claritatem vultûs Chriſti, ſolis juſtitiæ, ſplendentis Divina claritate, qui eſt homo ſecundus homini primo incomparabiliter præferendus. Principale namque ſecundi hominis, qui factus eſt in ſpiritum vivificantem, non eſt mens intellectualis, ſed Divinitas ſuperintellectualis, ſine qua ſi quis illum cogitat, tale eſt, ac ſi hominem alterum ſine ſuo principali cogitet eſſe hominem, quod eſt impoſſibile. Proinde, qui hominem, in Dei perſonam aſſumptum, ſine ſua Divinitate cogitant, ipſi, quantum in ipſis eſt, ipſum capite ſuo privant falſo intellectu, quoniam verè id fieri non poteſt. Vnde Auguſtinus in ſexto libro de ſancta Trinitate: *Quomodo caput Chriſti Deus, id eſt, caput Chriſti Trinitas, cùm in Trinitate ſit Chriſtus, ut ſit Trinitas? An quod eſt Pater cum filio caput Pater eſt ei, quod eſt ei ſolus filius? Cum filio enim Pater Deus: ſolus autem filius Chriſtus eſt, maximè quia jam Verbum caro factum loquitur, ſecundùm quam humilitatem ejus etiam major eſt Pater, ſicut dicit: Quoniam Pater major me eſt, ut hoc ipſum Deum eſſe, quod illi cum Patre unum eſt, caput ſit hominis mediatoris, quod ipſe ſolus eſt. Si enim mentem rectè dicimus principale*

A. *hominis, id eſt, tamquam caput humanæ ſubſtantiæ, cùm ipſe homo cum mente ſit homo, cur non multò congruentius multoque magis Verbum cum Patre, quod ſimul Deus eſt, caput eſt Chriſti, quamvis Chriſtus homo niſi cum Verbo, quod caro factum eſt, intelligi non poſſit?* Item libro ſecundo: *Aſſumptus eſt homo, in qua forma ipſius Dei Verbi perſona præſentaretur, non ut haberet Verbum ſicut alii Sancti Sapientes, ſed pra participibus ſuis, non utique quod amplius habebat Verbum, ut eſſet quam cæteri, excellentiore ſapientia, ſed quod*
B. *ipſum Verbum erat. Aliud enim Verbum in carne, aliud Verbum caro, id eſt, aliud Verbum in homine, aliud Verbum homo. Caro enim pro homine poſita eſt in eo, quod ait: Verbum caro factum eſt.* Item libro IV. exponens illud Sapientis: *Emitte Domine ſapientiam de Sede magnitudinis tuæ. Aliter* inquit, *mittitur, ut ſit* in homine, aliter miſſa* * edit. cum
eſt, ut ipſa ſit homo. In animas enim ſanctas ſe transfert, atque amicos Dei & Prophetas conſtituit, ſicut etiam implet Sanctos Angelos, & omnia talibus miniſteriis congrua per eos operatur.
C. *Cùm autem venit plenitudo temporis, miſſa eſt, non ut impleret Angelos, nec ut eſſet Angelus, niſi in quantum conſilium Patris annuntiabat, quod & ipſius erat, nec ut eſſet cum hominibus aut in hominibus, hoc enim & antea in Patribus & Prophetis, ſed ut ipſum Verbum caro fieret, id eſt: homo fieret.*

Idem libro primo: *Quia forma Dei accepit formam ſervi, utrumque Deus & utrumque homo, ſed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem. Neque enim illa ſuſceptione alterum eorum in alterum converſum atque*
D. *mutatum eſt. Nec Divinitas quippe in creaturam mutata eſt, ut deſiſteret eſſe Divinitas, nec creatura in Divinitatem, ut deſiſteret eſſe creatura.*

His Auguſtini dictis diligenter perſpectis apparet, hominem Deo, & Deum homini ſic unitum in una Trinitatis perſona, ut hæc ipſa hominis cum Deo unitio ſit illa ſanctificatio, qua Pater illum ſanctificavit, & miſit in Mundum, & illa benedictio, qua idem homo venit benedictus in nomine Domini Rex Iſrael,

quem Deus Pater benedixit in æternum, ut regni ejus non ſit finis, quomodo nullus eſt finis æternitatis. Hinc eſt, quod etiam priusquam natus puer ſciret vocare Patrem vel matrem, ſicut in Iſaia legitur, ipſo regnante, ac terram ſuam defenſante ablata eſt fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum. *Voca*, inquit, *nomen eius, accelera, ſpolia detrahere, feſtina prædari: quia antequam ſciat puer vocare patrem & matrem, auferetur fortitudo Damaſci & ſpolia Samariæ*: quia videlicet contra tribum Juda, de qua naſciturus erat iſte puer, Damaſcus per puerum hunc necdum natum defenſa eſt ab illis tribus Juda & Jeruſalem, ſpoliatâ Samariâ & Damaſco per Regem Aſſyriorum, qui Samariam deſtruxit, & Damaſcum ſibi ſubjugavit, ac taliter humiliavit, ut non poſſet prævalere domui David, in qua puer iſte regnavit, antequam haberet patrem optivum & matrem Virginem. Benè igitur vocatum eſt nomen ejus *accelera, ſpolia detrahere, feſtina prædari*: quia mira fuit acceleratio, mirabilis feſtinantia pueri hujus ante nativitatem ſuam præliantis, hoſtesque ſuos deſpoliantis. Erat itaque per ſacramentum unitatis in Verbo regnante ſuper omnia homo tunc aſſumendus, & nunc aſſumptus in Deum Dei filium. Propterea teſte Apoſtolo Chriſtus in deſerto tentabatur. *Neque tentemus*, ait, *Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt.* Oſtendens Chriſtum, licet necdum natum, jam tunc in deſerto fuiſſe tentatum. Lege Hieronymum de hoc Sacramento unitatis in ſermone de aſſumptione Beatæ MARIÆ ſatis copioſè diſputantem, & affirmantem auctoritate Scripturarum, Deum homini concorporatum & hominem Deo coæternum, cùm tamen nec ininitiabilis ſit homo, nec nomen corporis aut proprietas conveniat ſpiritui ſummo. Quid me interrogas de hominis in Deum æternum aſſumpti æternitate? interroga Hieronymum, qui affirmat hominem Deo coæternum. Conſentit verò ei Beatus Ambroſius in Lucam exponens illud: *Omnia mihi tradita ſunt á Patre meo. Si omnia*, inquit, *dedit æternitatem majeſtatemq; transfudit.* Proinde argumentare, quantum velis, ut homini detrahas æternitatem & immenſitatem cui á Patre ſuo tradita ſunt omnia: Ego magis fidem habeo [verbis] Verbi ipſius dicentis: *Omnia mihi tradita ſunt á Patre meo.* Item: *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus eſt.* Dictum hoc exponens Venerabilis Presbyter Beda dicit in Homelia: *Majus autem omnibus, quod mediatori Dei & hominum homini Jeſu Chriſto Pater dedit, hoc eſt, ut ſit Vnigenitus eius filius in nullo gigneuti vel natura diſſimilis vel virtute inferior vel tempore poſterior. Quam videlicet æqualitatem ipſe Dominus in Divinitate habuit, priusquam Mundus eſſet apud Patrem, ipſe in humanitate ex tempore incarnationis accepit.* Audis æqualitatem Patris Verbo innatam & homini datam, quem Verbum Dei Patri coæquale ſibi univit? audis hoc in antiqua Homelia per Eccleſiaſticos Conventus jam diu celebriter vulgata & recitata, & nos arguis quaſi de nova doctrina, cùm nihil docemus, quod non in ſcriptis Patrum Antiquorum ſcripturas exponentium oſtendamus? Oſtende tu vel unum Doctorem Catholicum tibi conſentaneum in illo ſenſu tuo, quo hominem in Deum aſſumptum negas Deo conformem factum, quod tu putas docuiſſe Hilarium, cùm ille doceat contrarium. Ait enim libro nono de Trinitate: *Id enim homini acquirebatur, ut Deus eſſet: ſed manere in Dei unitate aſſumptus nullo modo poterat niſi per unitatem Dei in unitatem Dei naturalis evaderet, ut per hoc, quia in natura Deus Verbum, Verbum quoque caro factum rurſum in natura Dei ineſſet, atque ita homo Jeſus Chriſtus maneret in gloria Dei Patris, ſi in gloria Verbi caro eſſet unita, rediretq; tunc in natura paterna etiam ſecundum hominem unitatem Verbum caro factum, cùm gloriam Verbi caro aſſumpta tenuiſſet.* Et infra: *Vt enim in unitate ſua maneret, ut manſerat, glorificaturus eum apud ſe Pater erat: quia gloria ſua unitatem per obedientiam diſpenſationis exceſſerat, ſcilicet ut in ea natura per glorificationem rurſus eſſet, in qua ſacramento erat Divinæ nativitatis unitus, eſſetq; Patri apud ſemetipſum glorificatus, ut quod apud eum ante habebat, maneret, neque abalienaret ab eo forma Dei natu-*

naturam forma servilis assumptio, sed apud semetipsum glorificaret formam servi, ut maneret in Dei forma: quia qui in Dei forma manserat, idem erat in servi forma, & cum servi forma glorificanda esset in Dei forma, apud eum ipsum glorificanda erat, in cuius forma forma servilis habitus erat honorandus.

Hæc dicente Hilario patet non eum sensisse, quòd corpus Domini, Domino conforme non sit, cùm non alia de causa corpus Domini dicatur, nisi quia Dominus incorporatus sive incarnatus per corpus carnis suæ vitam operatur hominum credentium, sicut Divinitas Angelorum lumen incircumscriptum videntium, quod quia homines videre non possunt, credendo salvi fiunt, & vitam æternam habebunt per Christi carnem, quam Sancti Angeli habent per ejus Divinitatem. Vnde autem carni, ut conferat manducanti se vitam æternam, nisi quia in consortium naturæ Divinæ assumptam habet vitam in se manentem? Vnde Hilarius libro octavo de corpore Domini: *In Christo Pater, & Christus in nobis unum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille Christus est, nosq; verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus: quia Pater in eo est, & ille in nobis, quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit unitatis?* Et infra: *Qua autem in nobis naturalis hæc unitas sit, ipse ita testatus est: Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum in me manet, & ego in eo. Non enim in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, eius tamen in se assumptam habens, qui suam sumpserit.* Item: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat carnem meam, & ipse vivit propter me. Quomodo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem vivimus. Hæc ergo vitæ nostræ causa, quòd in nobis manentem per carnem Christum habemus, victuri per eum ea conditione, qua vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundùm carnem per eum vivimus, id est, naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundùm spiritum in se Patrem habeat, cùm vivat ille per Patrem? Hæc autem idcirco à nobis commemorata sunt: quia voluntatis tantùm intra Patrem & filium unitatem mentientes, unitatis nostræ ad Deum utebantur exemplo, tamquam nobis ad filium & per filium ad Patrem obsequio tantùm ac voluntate unitis, nulla per sacramentum carnis & spiritus naturalis communionis proprietas indulgeretur, cùm etiam per honorem nobis datum filium, & permanentem in nobis carnaliter filium etiam in eo nobis corporaliter & inseparabiliter unitis mysterium veræ ac naturalis unitatis sit prædicandum.*

Videtis Lectores benevoli, quantum virtutis divinæ Hilarius prædicet inesse carni Christi non solùm divinitus viventi, sed etiam se manducantes vivificanti? Quod nimirum nullatenus fieri posset, si natura inferior superioris virtutem non accepisset in Christo. Vnde item Hilarius de Synodis ait: *Conservatur dignitas Divinitati, ut in eo, quod Verbum caro factum est, ut caro potius hoc inciperet esse, quod Verbum. Alioquin unde carni in operibus virtutes, in monte gloriam, in cogitationibus humanorum cordium scientiam, in passione securitatem, in morte vitam?* Idem libro undecimo de Trinitate: *Hæc humanæ beatitudinis fides vera est, Deum & prædicare Verbum, & carnem confiteri, neque Deum nescire, quòd homo sit, neque carnem ignorare, quod Verbum sit. Cùm autem contra naturam sensus nostri Deus manens homo nascitur, iam non est contra naturam spei nostræ, ut natus homo Deus maneat, cùm potior natura in inferiorem nata fidem præstet, inferiorem naturam in naturam posse nasci potiorem.* Idem in eodem: *Id enim homini acquirebatur, ut Deus esset, sed manere in Dei unitate assumptus nullo modo poterat nisi per unitatem Dei in unitatem Dei naturalis evaderet, ut per hoc, quod in natura erat Deus Verbum, Verbum quoque caro factum rursùm in natura Dei inesset, atque ita homo Jesus Christus maneret in gloria Dei Patris. Si in gloriam Verbi caro esset unita, rediretq; tunc in naturæ Paternæ etiam secundum hominem unitatem Verbum caro factum, cùm gloriam Verbi caro assumpta tenuisset.*

His Hilarij dictis cautè pensatis appe-
ret, quod alibi dicit, *Inferiorem naturam superioris à se potiorisq; naturæ virtutem non consequi*, sic intelligendum, ut præmissis ejus testimonijs de natura & virtute Divinitatis, quam inferior Christi natura plenariè consecuta est, non sit contrarium. Pertractemus nunc illud ejus capitulum, quod nobis objicitur quasi nostræ sententiæ contrarium, immò & ipsius Hilarij præmissis dictis, ut putatur, minimè consonum. Dicit in libro de Synodis: *Conclusi hæretici Scripturarum auctoritatibus hoc solùm tribuere solent filio, ut Patri tantùm virtute similis sit, adimant autem ei similitudinem naturæ, stulti atque impij, non intelligentes, nomini ex naturæ similitudine similitudinem esse virtutis. Neque enim aliquando inferior naturæ superioris à se, potiorisq; naturæ virtutem consequitur. Aut quid hæc asserentes de Omnipotente Deo Patre profitebuntur, si virtuti suæ virtus naturæ inferioris exequatur? Non potest negari, quin filius Dei idem possit, cùm dixerit: Quæcumque Pater facit, eadem filius facit. Sed similitudini virtutis naturæ similitudo succedit, cùm dicit: Sicut enim Pater vitam habet in semetipso, ita & filium dedit vitam habere in semetipso. In vita naturæ & essentiæ significatio est, quæ sicut habetur, ita data docetur ad habendum. Tenet ergo vitæ similitudo virtutis similitudinem. Similitudo enim virtutis non potest esse dissimilis naturæ. Atque ita necesse est, ut essentiæ similitudo virtutis similitudinem consequatur: quia sicut ea, quæ Pater facit, eadem filius facit similiter: ita sicut habens vitam Pater, sic & habendam filio dedit vitam. Condemnatur ergo impia professionis temeritas, quæ virtutis similitudinem confitens dissimilitudinem ausa sit prædicare naturæ, cùm principalis spei nostræ fides sit indifferentem in Patre & filio Divinitatis substantiam confiteri.*

Dictæ hæc sunt adversùs Arrianos, filio Dei etiam secundùm superiorem ipsius essentiam denegantes æqualitatem & similitudinem Divinæ naturæ, cùm faterentur ei similitudinem virtutis esse. Contra hos in Synodo congregatis Orientalibus Episcopis data est hæc sententia: *Si quis in filio Patris similitudinem secundùm essentiam quidem ipso filio revelante per hæc quæ dicit: Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso, juxta efficaciam autem per ea, quæ docet: Quæ enim Pater facit, eadem & filius facit similiter, solam secundùm efficaciam similitudinem condens, juxta essentiam verò, quod est principalissimum fidei nostræ, filium fraudet quasi semetipsum fraudans cognitione* perpetuæ vitæ, quæ est in Patre & filio, anathema sit. Hanc Synodalem sententiam confirmans Hilarius dicit ea, quæ superiùs posuimus, nihil tangens de Mysterio Incarnationis, vel de humana Filij Dei natura, quæ in superioribus ejus dictis, jam superiùs præmissis, & in multis argumentis, ejus libris de Trinitate insertis, ita ostenditur glorificata, ut non sit aliud ejus gloria, quàm virtus & essentia Divina. Sicut enim Deus Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso, & ipse filius una cum Patre dedit carni suæ vitam habere in semetipsa, non tamen à semetipsa, sicut nec ipse filius habens vitam sibi data in semetipso, habet à semetipso. Hinc est, quòd carnem suam pro sæculi vita fatetur datam, quam, *qui manducat, habet vitam æternam*, ait ipsa Veritas. Unde Synodus Ephesina carnem Christi vivificatricem confessa damnavit sub anathemate hoc ipsum negantes.

Quid ergo, ais, est, quod Hilarius dicit: *Neque aliquando inferior naturæ superioris à se, potiorisq; naturæ virtutem consequitur?* Si enim Caro Verbi vivificat ad vitam æternam beatos homines, quomodo ipsum Verbum vivificat beatos Angelos? Virtus & efficacia Divinæ operationis videtur data carni contra Sententiam Hilarij hoc negantis posse fieri. Ad quod respondeo: Quia sic intelligenda sunt hæc Hilarij dicta, ut alijs ejus dictis non sint contraria. Dicit enim in libro nono de Trinitate: *Deus in filio hominis glorificato glorificatum Deum glorificat in sese: in filio hominis Dei gloria est, & gloria Dei gloria filij hominis. Deus glorificat in sese, homo non per se utique glorificatur: neque rursus qui in homine glorificatur, Deus licet gloriam accipiat, tamen aliud ipse quàm Deus est. At verò cum glorificato filio hominis*

hominis glorificans Deum Deus glorificat in se, invenio naturam glorificati in gloriam naturæ glorificantis assumi. Affer nunc, quisquis es, hæretice flexioſæ doctrinæ tuæ volubiles quæſtiones, quæ cùm ſe nodis ſuis illigent, in nullo tamen hærendi moleſtiam continebunt. Filius enim glorificatur, & glorificatur in homine Deus, & glorificatum eum in homine glorificavit in ſeſe: Chriſtum enim Deus natum hominem clarificat in ſeſe. Reddidit enim in ſe Chriſto gloriam, quam apud ſe habuit, & cùm in forma Dei aſſumptio formæ ſervilis aſſumitur in ſe, glorificatur glorificatus in homine Deus, qui ante nativitatis diſpenſationem in ſeſe erat & per formam Dei & per naturam nativitatis unicus. Nativitas enim non novæ neque alienæ naturæ Deum fecerat, naturalis filius Patri naturali generatione ſubſtitit. Et cùm per nativitatem hominis glorificatur in homine in naturæ gloriam, rurſum in ſe clareſcit, cùm Deus clarificat, cùm in naturæ Paternæ gloriam ab ea per diſpenſationem evacuatus aſſumitur.

Concludit autem audaciſſimum furorem impietatis tuæ fides Apoſtolica, ne qua licentia liberæ intelligentiæ evageris, cùm ait: *Et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jeſus in gloria eſt Dei Patris.* Quem enim Pater in ſeſe glorificavit, in ejus gloria confitendus eſt. Quem in ſe Pater glorificavit, in his non dubiò intelligendus eſt eſſe, in quibus Pater eſt, cùm & in ſe eum glorificaverit, & in gloria ejus ſit confitendus. Non enim hic tantummodo in gloria Dei eſt, ſed in gloria Dei Patris eſt. Neque glorificavit gloria exteriore, ſed glorificavit gloria in ſeſe, in eam eum, quæ ſua eſt gloria, reſumendo, & ea gloria, quam apud eum habuit, eum & apud ſe glorificat & in ſeſe. Atque ita inſeparabilis à fidei hujus conjunctione intelligitur etiam ſub hominis humilitate ſic dicent: *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.* Cùm ſine Chriſto ſolo Deo Patre cognito vita æterna non ſit, & Chriſtus glorificatus in Patre ſit: Nonne in his dictis Hilarij ſatis apparet, quòd inferior natura in Chriſto ſuperioris naturæ virtutem & gloriam accepit per gratiam, quam conA. ſequi non poſſet, niſi gratis in ipſius naturæ ſuperioris naturæ virtutem aſſumeretur: quia non eſt hoc in viribus ejus, quod infra eſt, ut conſurgat in ſuum ſuperius, vel capiat virtutem ejus per ſe, vel à ſe. *Non* enim *poteſt homo accipere à ſe quidquam, niſi fuerit ei datum deſuper*, ait Joannes Baptiſta, & hoc teſtatur Joannes Evangeliſta. Vnde nec in filio Dei potuit homo accipere à ſe quidquam, niſi fuiſſet ei datum deſuper. Accepit tamen ſibi deſuper datum *nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, ſimulque cum nomine ipſius nominis virtuB. tem. Cujus virtutis ipſe ſibi conſcius ait: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Item: *Pater, quod dedit mihi, majus omnibus eſt.* Item: *Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittere peccata.* Item: *Nemo poteſt rapere de manu mea.* Item: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra.* Datum quippe hoc eſt homini, quod æternaliter fuit Verbi: Verbi gratiâ, ut nemo poſſit rapere de manu ejus, ut ſit omnipotens in cœlo & in terra ex virtute ſibi data, quam natura humana ſuis viribus conſequi non potuit, ſed Deus eam illi dare C. voluit, & potuit, qui & membra ejus virtute divina ditavit juxta promiſſum ipſius dicentis: *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos.* Item: *Vos autem ſedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Virtus hæc membris diſtributa ſecundùm menſuram donationis Chriſti data eſt, non ad menſuram ipſi Chriſto, id eſt, homini uncto Sicut Petrus Apoſtolus ait, *unxit Deus virtute.* Vel ſicut Pſalmiſta dicit: *Oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis*, ita ut ſimilitudo virtutis in homine uncto & ungente Deo ſit D. plenaria, non ablatâ, ſed translatâ naturâ inferiore in ſuperioris virtutem & gloriam. Quod non potuiſſet fieri, ſi natura inferior non eſſet capax virtutis & naturæ ſuperioris, ùt aurum ſeu ferrum capax eſt ignis, & igneæ virtutis, & corpus beſtiale animæ ſenſualis, humanum verò animæ rationalis.

Sed opponitur nobis, quod Hilarius dicit: *Similitudini virtutis naturæ ſimili-*
tudo ſuccedit. Item: *Similitudo virtutis non poteſt eſſe diſſimilis naturæ, atque ita neceſſe eſt*, ait, *ut eſſentiæ ſimili-*

tudo virtutis similitudinem consequatur. Hoc proponente Hilario licet fideli ejus auditori seu lectori assumere: sed homo, per quem affirmante Apostolo est resurrectio mortuorum, & ipsius hominis caro, quæ vivificat, divinæ habet virtutis efficaciam: consequens est ergo, ut cum divinæ virtutis similitudine similitudinem quoque habeat essentiæ divinæ, sine qua caro non prodesset quidquam ad vitam æternam conferendam. Præterea notandum: quia de diversis personis unius Divinitatis, non de diversis naturis unius personæ in hoc loco ait Hilarius, ostendens virtutis & naturæ similitudinem indissociabilem, præcipuè in Deo, ubi sicut ipse ait, *similitudo proprietas est, proprietas æqualitas est, æqualitas nihil differt*: æqualitas autem naturæ non potest esse nisi una. Verùm aliàs, ùt ostensum est, agens de unius personæ in Trinitate duabus naturis ita demonstrat ab altera natura glorificata alteram gloriâ, sicut ait ipse, *non exteriorem, sed in sese Deo glorificante hominem*, ut sit absurdum fingere hominem Deo in alio aliquo assimilatum quàm in eo, in quo & Verbum Patris Patri est consimile simul & æquale, in divina scilicet essentia seu gloria seu virtute, seu omnipotentia seu bonitate vel sapientia, quæ omnia in Deo unum sunt, immò unum sunt, quod unum simplex, immensum & æternum totum est homini assumpto in una Trinitatis persona datum per nomen, quod est super omne nomen [quodque] existens in Divinitate sibi data æternaliter habuit, sed in ipso Incarnationis mysterio temporaliter accepit, quando ipsa Divinitas per hoc est homini data, quod est incarnata, cùm Verbum caro, id est: homo factum est. Accepit ergo ipse homo, quod habuit Deus, scilicet ut sit Deus Omnipotens, tanta Divinitatis & Omnipotentiæ coæqualitate ac similitudine, ut Verbi assumentis, & hominis assumpti ad Deum Patrem prorsus eadem sit æqualitas & similitudo. Nempe ùt verbis utamur adversariorum, unum & idem esse, in quo verè æqualia sunt, quæ aliunde constat esse diversa, necesse est. Cùm ergò Patris ingeniti, & filij ejus unigeniti & amborum doni simulque hominis hoc dono concepti & sanctificati, atque in unam personam Trinitatis assumpti sit una Divinitas, qua & Pater Deus, & filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & Spiritu Sancto conceptus homo Deus nominatur, rectè de his omnibus una æqualitas prædicatur, quorum una Divinitatis essentia, vel natura cognoscitur & virtus eadem.

Etenim carnis vel humanitatis nomine, cum de ipsius Divinitate, quam accepit, agitur, totam substantiam humanam, quæ est anima rationalis, & caro simul juncta, significamus: ut ibi: B. *Verbum caro factum*, id est, homo *factum est*. Et: *videbit omnis caro salutare Dei*, id est, omnis homo, ne vel carni soli, quæ non homo, sed hominis pars est, vel humanitati, quæ non homo, sed hominis forma est, hanc similitudinem vel æqualitatem cum Deo tribuamus, ùt putat adversarius, crebrò utens, immò abutens contra nos istis nominibus, cùm nos non carnem solam, vel humanitatem solam, sed hominem Deum, Deo Patri non adoptatum, sed natum in filium naturalem & consubstantialem gignenti coæquatum prædi- C. cemus in Divinitatis essentia & natura, quam nascendo accepit, ut sit Deus, & in potentia, qua omnia, quæ vult, potest, ut Pater Deus, & in claritate, quam petijt, & accepit in carne, quamque habuit in Divinitate, priusquam Mundus fieret. *Clarifica*, inquit, *me apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam Mundus esset, apud te. Apud te*, inquit, non sub te, quod est in dextera sedis magnitudinis, in qua est coæqualitas claritatis,

Contra hoc objicit adversarius: Si Christus in gloria corporis sui Patri æqualis est, & si nos, sicut testatur Hilarius, eidem gloriæ corporis Christi futuri sumus conformes, Deo nos futuros æquales qualiter ipsi inficientur, ab eis audire expectamus. Respondemus: Nusquam nos prædicâsse futuros æquales Deo. Neque enim id futurum speramus, neque hoc exinde consequitur, quòd similitudo nobis & conformitas Christi promittitur: quia multa inveniuntur similia & conformia, quæ non sunt æqualia. Sic imago vultûs hominis in alterius hominis pupilla conspecta invenitur per omnia ipsi vultui similis, attamen

attamen æqualis non eſt, quoniam ſimilitudo ad qualitatem, ſed æqualitas pertinet ad quantitatem, quæ inter ſe differre non ignorat, qui Ariſtotelis prædicamenta noverit, inter ſe longiùs diſtincta quàm unius prædicamenti ſpecies vel genera. Non eſt igitur conſequens, ſi qua ſunt conformia, vel ſimilia, eadem æqualia eſſe. Non ergo miramur illum Philoſophum caligare in divinis & ſupernaturalibus, qui neque in naturalibus ea ſentit, quæ veritas habet. Quàm falsò autem Hilario adſcribatur, quòd Chriſti & noſtri corporis talem aſferat conformitatem, quam ſit neceſſe conſequi coæqualitatem, verbis ejus conpetentiùs quàm noſtris oſtendemus. Poſt eam denique ſententiam, quam falsò à falſatoribus putatur affirmare, quod Chriſtus, ſecundùm quod in forma ſervi glorificatus eſt, Deo conformis non ſit, quodque corpori ſuo nihil ultra poſſit quàm nobis ac ſibi commune præſtare, paucis interpoſitis aperiens, quid ſenſerit, ita dicit: *Noſtra hæc lucra ſunt & noſtri proſectus, nos ſcilicet conformes effici gloriæ corporis Dei. Caterum Vnigenitus Deus licèt & homo natus ſit, non tamen aliud, quam Deus omnia in omnibus eſt. Subjectio enim illa corporis, per quam, quod carnale eſt, in naturam ſpiritûs deveratur, eſſe Deum omnia in omnibus cum, quem præter Deum & homo eſt, conſtituet.* His Hilarij dictis claret ſententiam ejus præcedentem nimis detruncatam & depravatam, qua putatur affirmare, quod negat, & negare, quod affirmat. Affirmat enim hominem glorificatum in Deo eſſe conformem Deo, & nos futuros corpori ejus conformes, non tamen coæquales. Non ergo rapinam arbitratur homo eſſe ſe æqualem Deo, qui in forma Dei ſibi data & innata eſt, qua & ſpecioſus eſt præ filijs hominum, non inter omnia, ſed ſuper omnia Deus benedictus in ſæculâ. Amen.

20.

Idem ad Henricum Ducem Saxoniæ & Bavariæ, quem ad defendendam Eccleſiam Dei propoſito Sanctorum & Regum & Ducum exemplo hortatur.

GLorioſo & Victorioſo *Bavariæ* ac *Saxoniæ* Duci H. frater G. de *Richerſperge* devotas orationes cum fideli obſequio. *indid.*

Quousque, Princeps nobiliſſime, tuâ fraudabor notitiâ ſimul & gratiâ tali tam familiari, qualem in conſpectu Patris tui habui, qui me puſillum licèt, tanta Principis gratia & amicitia indignum, dignatus eſt habere inter gratos, & amicos, non eos, qui dilexerunt ſua, non ipſum, ſed eos, qui ſincerè dilexerunt ipſum? Inde illi familiares collocutiones mecum de ſalute animæ ſuæ, de ſtatu & honore Sanctæ Dei Eccleſiæ. Nam de ſæcularibus ad ipſum pertinentibus illi abundabant conſiliarij, filij hujus ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua, quemadmodum tuæ quoque Nobilitati nobiles abundant adſtipulatores, quorum prudenti conſilio tractes negotia mundana. Mihi verò de ſalute animæ tuæ, de ſtatu & honore Sanctæ Dei Eccleſiæ Tibi aliqua ſuggerere ſuggeritur à Spiritu illo, ùt credo, qui ſuggerit nobis omnia, quæcunque dixerimus utilia, ſalubria, & vera. Et quippe Spiritus veritatis, qui docet omnem veritatem, & quæ ventura ſunt, annuntiat in ſe credentibus, ut & ipſi annuntient ea ſe audire volentibus. Iſte nimirùm Spiritus veritatis in ſcripturis veritatis annuntiavit bona & mala per Reges ac Duces bonos vel malos Eccleſiæ Dei eventura, quæ jam partim, ſicut audivimus, ita & vidimus in civitate Dei noſtri, dum exemplo David Regis, Ezechiæ ac Joſiæ Regum bonorum, ſimiliterque Ducum bonorum ſanctorum Machabæorum Judæ, Jonathæ, Simonis quidam Reges ac Duces templum Dei, quod eſt Eccleſia, honoraverunt, & exemplo Salomonis ædificaverunt, vel etiam coronis aureis ornaverunt faciem templi ſublatâ inde ſpurcitiâ ſpiritalis Antiochi.

Verumtamen fæx ejusdem ſpurcitiæ nondum eſt exinanita. Propterea tales duces optamus, qualis fuit Judas Machabæo-

chabæorum Dux egregius, & prædicto Antiocho Regi penitùs contrarius. Nam ille templum Dei profanavit, iste mundavit, & coronis aureis ornavit: ille Sacerdotium vendidit, iste venditorem expugnavit, & emptores de Sacerdotio exterminavit: per illum ceciderunt multi de populo, per istum facta est lætitia magna in populo. Dum Te studiosè intento ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum pax est in populo. Per amplius autem & perfectius laude dignum est, quod concordiam inter Sacerdotium & regnum studes confirmare, pro qua causa diligentiùs peragenda Te vocante, Te mediante venerunt Legati Apostolicæ Sedis tamquam cives Apostolorum illuminare patriam, portantes pacem. Sed ipsi non invenerunt in via pacem: quia inciderunt in manus prædonum crudelium, contra quos, O Princeps Nobilissime, utendum Tibi est ea potestate, quam Tibi Deus contulit ad vindictam malefactorum. Verumtamen quia in omnibus pavenda & cavenda est ira Dei Omnipotentis, quæ omnino est ineffugibilis, hoc tuæ prudentiæ fidelissimè suggero, ut in ducendo exercitu, cimiteriis & Ecclesijs Deo sacratis tutelam provideas, atque à pauperum vexationibus, & oppressionibus milites & scutiferos, quantum prævales, compescere studeas, ne lætitia magna, quæ Dei gratia favente per Te facta est in populo, vertatur in tristitiam, quod Deus avertere dignetur, qui & Tibi vindictas justas exercenti semper sit propitius, & inimicis tuis inimicus. Cætera Celsitudini Tuæ per meam parvitatem suggerenda, si tamen dignaberis me audire more paterno, in tempus opportunum reservo.

21.

Idem ad Arbonem seu Erbonem Abbatem Prunsingensem, quem hortatur ad mitigandum Episcopi Ratisbonensis, qui cives suos universim ob quorundam crimen excommunicaverat, animum.

Ibidi.

VEnerabili *Brevinensis* * Cœnobij Abbati A. frater G. de *Richerspergе* devotas orationes cum fideli obsequio.

* *Ibidi:* Prislingensis

Ecclesia Ratisbonensis tanquam civitas super montem posita non potest abscondi: quia est alcum candelabrum, in quo posita lucerna, sive clarè, sive non clarè lucear, multis erit conspicua. Scitis verò, qui in tabernaculo Dei vasa candelabri aurea erant, videlicet infusoria olei, & emunctoria. Scitis etiam, quid ista significent. Vnde non doctoris, sed monitoris officium scribendo vobis mihi assumo, qui Ecclesiæ illi, quæ me diu aluit, quæque me in Sacerdotem promovit, eam fidelitatem debeo, ut si quis in ea scandalizatur, & ego urar: si quis infirmatur, & ego infirmer. Audiens igitur Ecclesiæ illius non modicam perturbationem, non possum non turbari, atque si locorum distantia non impediret, velle vobis cæterisque in ea spiritalibus Viris adesse præsentialiter ad sedandum offendiculum perturbationis hujus, quod excommunicatione Domini Episcopi exortum, sic est mitigandum vel temperandum, ut ubi zelus ejus nimiùm fuerit incensus vel accensus, vos, qui spirituales estis, tanquam infusoria de auro charitatis fabrefacta illius flammam per olei affusionem temperetis: Vbi autem linum fumigans ipsam flammam nimis obscurat, vos ut aurea emunctoria decerpatis, quod decerpendum videbitur vobis, in spiritu lenitatis agentibus cum ipso Domino Episcopo, quem ego in veritate diligo, & libenter honoro, pro cujus etiam dilectione atque honore nunc scribo vobis, ut ipsius nobilitati suggeratis, ne à patruo suo, viro, ùt nostis, tam virtute quàm genere nobilissimo inveniatur in aliquo degenerare agendo aliquid præproperè, vel inconsultè. Poterat enim super tanto negotio incipiendo consuluisse Dominum & Patrem suum Archiepiscopum, cæterosque sibi fidelissimos, si tamen vestra prudentia id consuluisset, eò quòd inter suos domesticos non inveniset consilium sufficiens, quod ego vix possum credere, si modo se voluisset consilijs vestris, aliorumque suorum fidelium credere. Nunc autem quos non consuluit de initio, saltem consulere non graventur de fine bono, & de discreto judicio, quo non totus populus involvatur, sed innocens à nocente, justus ab injusto justè discernatur, & erga ipsos quoque nocentes tanto misericordiùs

diùs agatur, quantò evidentiùs apparet, eos, qui Eccleſiam dehonoraverunt manus violentas immittendo in virum falſarium, pauperes fuiſſe, ac fame nimia vexatos illud poëticum elogium incidiſſe : *Neſcit plebs jejunia timere.* Honorabiliores autem illius Vrbis cives & maxima populi multitudo innocens invenitur ab illo ſacrilegio, quod in Eccleſia eſt commiſſum, quamquam plures poſt commiſſum ſacrilegium ſe miſcuerunt ſacrilegis paucis ad perpetrandum homicidium. Cùm ergo duo crimina illic perpetrata ſint, ſacrilegium & homicidium, de utriusque perpetratoribus, nominatim perquiſitis, poterat fieri competens judicium, quod non involveret totum illius civitatis populum, niſi fortè populus ipſe voluiſſet criminoſos ipſos contra juſtitiam defendere: Sicut quando Gabonitæ criminoſos paucos defendendo meruerunt involvi omnes pariter in uno damnationis judicio. Non eſt autem credibile, omnes Cives Ratisbonenſes ita deſipere, ut ſe manifeſtè opponant juſtitiæ. Vnde conſulendum eſt Domino Epiſcopo, ne involvat juſtum cum impio. Cætera videntur in codice deeſſe.

A.

22.

Idem, ut videtur, ad Sanctimoniales Admontenſes, quibus illud Pſalmi L. ut juſtificeris in ſermonibus tuis, exponit.

Chariſſimis in Chriſto Sororibus Admontenſibus Frater G. devotam orationem & perpetuam in Chriſto dilectionem.

Ex Cod. Monſeenſi.

JOcundiſſimis veſtris inquiſitionibus non potui ad plenum ſatisfacere coactus eundi feſtinatione. Quam tamen feſtinationem forſitan Deus punivit, qui iter meum aliquantulum impedivit, & volentem a vobis feſtinare propè vos aliquamdiu tenuit. Si ergo propter vos vapulavi, quia forſitan plurimum a vobis feſtinando peccavi, ſpero mihi Deum per vos poſſe placari, ſi pro me orabitis : quod id ipſum rogo ut faciatis, atque hoc ſcriptum in recompenſationem ſuſcipiatis pro eo, quod minus dixi, quàm congrueret ſanctiſſimis inquiſitionibus veſtris.

Quæſiviſtis o chariſſimæ, de his ſermonibus Domini, in quibus juſtificandus eſt Deus juxta illud : *ut juſtificeris in ſermonibus tuis.* Noveritis ergo, quia ſermones iſti ſunt promiſſiones ipſius, ùt nos ex parte tetigimus. Hoc autem eſt cautiſſimè notandum, & hoc fuit vobis per nos determinandum, quoniam aliæ ſunt promiſſiones Dei, quas adimplet, ut ipſe juſtificetur. Juſtum quippe eſt, ut, quod verax promiſit, nunquam falſificetur. Aliæ verò ſunt promiſſiones ipſius, quas etiam ſi non adimpleat, juſtus tamen & verax ipſe permanet in his ipſis promiſſionibus, quas non adimplet. Vt autem evidentius fiat, quod dicimus, diverſitates promiſſionum Dei diſtinguamus. Aliqua Deus promittit *conſtanter* : aliqua verò *conditionaliter.* Conſtans fuit illa ejus promiſſio, qua dixerat ad David : *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Et iterum : *Juravi David ſervo meo, usque in æternum præparabo ſedem tuam.* Conditionalis autem fuit illa promiſſio, qua dictum eſt Salomoni : *Si ambulaveris in vijs meis, & cuſtodieris præcepta mea & mandata mea, ſicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos.* Item dictum eſt Judæis : *ſi volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.*

B.

C.

Quod cùm ita ſit, quæcunque Deus conſtanter promiſit, ita neceſſe eſt impleri, ut, ſicut impoſſibile eſt Deum eſſe & fieri mendacem, ſic impoſſibile ſit, aliquam de conſtantibus Dei promiſſionibus eſſe vel fieri inefficacem, etiamſi omnino videantur eſſe contra naturam, quæ Deus promiſit per conſtantiam. Sicut fuit contra naturam, ut Sara inveterata & ſterilis de veterano Abraham conciperet : quod tamen quia Deus conſtanter promiſit, omnino adimpleri neceſſe fuit. Promittenti autem Deo credidit Abraham, & hoc ipſum credere reputatum eſt ei ad juſtitiam : quia videlicet credidit Deo poſſibilia, etiam quæ videbantur contra naturam. Fidem hanc prædicat Apoſtolus in eo, quòd ipſe Abraham non eſt infirmatus in fide, & non conſideravit corpus ſuum emortuum & emortuam vulvam Saræ, ſciens,

D.

quia, quæ Deus promiſit, potens eſſet & facere. Quicunque hanc fidem imitantur credendo Dei promiſſionibus, ipſi computantur inter filios Abrahæ, & affirmante Apoſtolo, quoniam ſunt ex fide, benedicentur cum fideli Abraham.

Vsqueadeo autem ſolus Deus eſt verax, & omnis homo mendax, ut nulla unquam promiſſio facta ſub conditione, per hominem ſervanda, inveniatur completa, quia videlicet ſemper irrita inventa eſt conditio, quam Deo homo debuit, ſicut patet in Salemone, cui Deus longos dies promiſit ſub tali conditione, ſi ipſe ambularet in vijs Dei, ſicut ambulavit pater ejus. Quia ergo ipſe non inſtitutionem conditionalem tenuit ambulando in vijs David, ſalva ſua veritate Deus illi longos dies denegare potuit: quod & factum eſt. *Cum enim jam eſſet ſenex, depravatum eſt per mulieres cor ejus, ut ſequeretur Deos alienos, nec erat cor ejus perfectum in Domino Deo, ſicut cor David patris ejus. Dixit itaque Dominus Salemoni: quia habuiſti hæc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum & præcepta mea, diſrumpens ſcindam regnum tuum* &c. Dicta hæc Dei manifeſtam ſignificant abbreviationem dierum Salemonis, quamvis poſtea per pœnitentiam ſalvatus credatur a nonnullis, quod tamen certam non habet auctoritatem in Scripturis.

Judæis etiam, quibus dictum eſt: *ſi volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis*, juſtè denegata ſunt bona terræ, qui Dominum noluerunt audire.

Attamen ſciendum eſt, in hujusmodi conditionalibus promiſſionibus, quòd ſi conditionis vis non in homine, ſed in Deo ponitur, ipſa conditionalis promiſſio æquè ùt conſtans promiſſio ſub tanta veritatis neceſſitate conſtringitur, ut inevitabile ſit, quin adimpleatur. Vt illud: *ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum.* In his dictis verax quidem Deus conditionaliter promiſit, [&] vim conditionis in ſe ipſo poſuit, & ideo nihil adimplendum ab homine exſpectavit, ſed ipſe totum, quod dixit, adimplevit. Ipſe namque prout voluit, eſt exaltatus a terra, & nunc trahit ad ſe omnia ſive per gratiam, omnia electa ſua ſcilicet membra, ſive per potentiam omnia tam reproba A. quàm electa: quoniam ipſe ad ſe glorificandum nunc ordinat, & in fine judicaturus eſt omnia.

Semotis nunc illis promiſſionibus, quæ ſub conditionibus quaſi dubitativè promittuntur, dum per ipſam pactionem quædam ab homine quaſi merita requiruntur, in quibus meritis perſolvendis omnes homines mendaces inveniuntur, nos in illas Dei promiſſiones anchoram ſpei mittamus, quas in ſola Dei promittentis veritate conſtare non dubitamus.* Cùm enim impoſſibile ſit B. Deum mentiri loquentem, multò magis inpoſſibile eſt mentiri Deum jurantem. Eſt ergo in ſe conſtantiſſima veritas, cui nunquam poterit accidere & incidere aliqua falſitas. In hac Dei promittentis conſtantiſſima veritate volens nos Apoſtolus conſolidare in epiſtola ad Hebræos ita dicit: *homines enim per majorem ſui jurant, & omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem eſt juramentum. In quo abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, C. quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habeamus animæ tutam ac firmam, & incedentem ad interiora velaminis, ubi præcurſor pro nobis introijt Jeſus ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.* Revera hic eſt *Pontifex* in æternum, qui ſuarum promiſſionum inconvulſibilem veritatem nobis *pontem fecit* ab his miſerijs in ſuam æternitatem. Cùm enim ſit ipſe juſtificandus in ſuis ſermonibus, neceſſe eſt illum inveniri veracem in ſuis D. firmis promiſſionibus.

Vt autem nos ex multis Dei promiſſionibus paucas colligamus, eas contenti ſumus ponere, quas facile poſſitis memoria retinere. Quando ad Deum dicitis: *ut juſtificeris Domine in ſermonibus tuis*, ſubauditur: *miſerere mei.* Sermones conſtantiſſimarum promiſſionum hi ſunt: *Ecce ego ipſe requiram oves meas, & viſitabo eas, ſicut viſitat paſtor gregem ſuum. Quod perierat, requiram: quod abjectum fuerat, reducam: quod confractum fuerat, conſolidabo: & quod pingue & forte, cuſtodiam.*

* Cod. dubitare.

diam. Multas in hunc modum desiderabiles promissiones invenietis in extremitatibus Prophetarum, quas contenti sumus illic requirendas & colligendas demonstrare: quoniam nos delectat ad præsens eas partim promissiones commemorare, quas ipsa Veritas incarnata ore proprio dignata est promulgare, ut nos habeamus, unde illum constringamus, & exemplo Jacob luctando teneamus, quoadusque benedictiones omnes, quas ipse verax promisit, illi extorqueamus per fortissimam fidem, qua credimus eum in sermonibus & promissionibus suis esse veracem. Dixit autem Jacob ad Deum: *non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Quod idem est, ac si dixisset: non desistam credere, flere atque rogare, donec obtineam benedictionem, quam tu verax promisisti Abrahæ patri meo. Sic iste Jacob in fortitudine fidei suæ directus cum Angelo flevit & rogavit eum, sicut Osee Propheta testatur, qui luctamen Jacob quasi exponens hoc indicat, quia cum Deo luctans *flevit & rogavit eum.* Res mira! *Flevit & rogavit*, ut benedictionis verbum fieret, quod tamen indubitanter credidit, quia fieret, quoniam constabat illi,* quòd Deus verax promissor mendax fieri non posset. Attamen, ùt dixi, *flevit & rogavit*: quia nimirum id ipsum, quod Deus promittit, summis precibus, intimis fletibus a se vult exigi, & velut per quoddam luctamen obtineri. Unde ut fidelium preces atque fletus excitet aliquando, quasi more luctantis, dum eum ex fide promissionum tenemus, quodammodo excutit se de manibus nostris, aliquid evenire sinens, quod videatur obviare ac repugnare suis promissionibus. Sic factum est in conjugio Isaac, qui ordinante Deo sterilem accepit uxorem. Cujus nimirum sterilitas videbatur effectum Divinæ promissionis impedire. [Et] quia promissum fuerat semen Abrahæ per Isaac dilatandum, poterat quasi securus de Dei promissione dormivisse Isaac & neglexisse uxoris fœcunditatem. Sed non ita fieri oportuit: quia ipsam suam promissionem seu etiam prædestinationem Deus a se precibus & desideriis obtineri disposuit. Hoc sciens Isaac deprecatus est Dominum pro uxore sua, eò quòd esset sterilis. Et exaudivit eum A. Deus, deditque conceptum Rebeccæ. Sine dubio tam iste Isaac, quàm filius ipsius Jacob luctatus est cum Deo, promissionis effectum quodammodo precibus extorquens ab eo.

Sic o dilectissimæ filiæ regum, filiæ Patriarcharum, cum Deo luctantium, & vos luctamini cum Christo precibus & desideriis ac lachrimis per fidem extorquendo ab ipso, ut adimpleat nostris in diebus, quicquid adhuc restat adimplendum de suis promissionibus. Promisit autem ipse dicens: *ego si exaltatus fuero a terra, omnia trahem ad me ipsum.* B. Et ecce nos adhuc trahimur multotiens ab ipso post nostrum desiderium. Dicamus ergo illi: ecce tu exaltatus es a terra: trahe itaque nos post te & ad te, *ut justificeris in sermonibus tuis.* Tu dixisti de ovibus tuis loquens: *ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Da ergo nobis frui te vera vita de die in diem abundantiùs, id est: ita ut semper præcedentem tuæ dulcedinis fructum superet sequens, fiatque præcedente, quantumlibet abundante semper C. abundantior, ut tu *justificeris in sermonibus tuis*: quia non solùm promisisti ovibus tuis, ut vitam habeant, sed *ut abundantiùs habeant.* Non dixisti: abundanter, sed *abundantiùs*, per quod sempiternum vitæ bonæ, vitæ felicis incrementum intelligimus & speramus, quoadusque ad illud abundantissimum bonum perveniamus, quo nihil est abundantius. Sic Petrus & Johannes ac cæteri Sancti vitam habuerunt abundantiùs, videlicet semper augmentum capiendo ac scandendo de bono in melius. *Cetera desunt in Codice, foliis aliquot incerta manu exsectis.* D.

* Cod. constanter illi

23.

Idem ad N. suam in Christo filiam. Ejusdem Psalmi L. verba: ut vincas, cùm judicaris, eidem enarrat.

ROgas, & rogando cogis, filia in Christo charissima, ut, quomodo Sororibus Admontensibus aliqua scripsi de illa justificatione Dei, qua dicitur in sermonibus suis justificari juxta illud: *ut justificeris in sermonibus tuis*, etiam tibi aliquid scribam de illa Dei victoria, *Indic.*

de qua Deo dicitur : *Et vincas, cùm Amere* ponitur, ùt illic : *judica me Deus, & discerne causam meam.* Adam pater noster post peccata sua Deum judicare & discernere, ita ut Deo justitiam, sibimet autem culpam assignaret, atque ita inter justum & injustum dijudicaret atque discerneret, [noluit], sed potiùs culpam suam in Deum refudit ac retorsit, cui dixit : *Mulier, quam dedisti mihi sociam* &c.

Hic operæ pretium est animadvertere legitimum tenorem victoriæ. Neque enim est victoria, nisi ubi superatur pars adversaria. Verbi gratia : quantumcunque sit fortis Imperator vel miles aliquis, victor non potest nominari, quamdiu ei nullus resistit, qui ab eo debeat vinci. Si autem aliquis restiterit, & hic victus & superatus fuerit, per victum vincens victoris nomen habebit, victoriæque titulum obtinebit cum tantò majori gloria, quantò fortior visa fuit pars adversaria. Ponamus ergo, ùt talis Imperator vel miles promisisset se aliquam terram defendere, atque in hujusmodi promissione vellet justus & verax perseverare. Contra quem si veniret fortis armatus, furtimque terram illam intraret & vastaret, nisi ipse fortior superveniens illum vinceret, non justificaretur in suis sermonibus, immò videretur fallax & injustus, quamdiu prævaleret ille fortis armatus.

Ita nimirum Deus, Imperator fortissimus, in sui tuitionem ac defensionem susceperat Regem David, quem elegerat secundùm cor suum : cui etiam juraverat, quòd de fructu ventris ipsius poneret super sedem ejus. In hoc maximè juramento Deum optavit David justificari & verificari dicens : miserere mei, *ut justificeris in sermonibus tuis.* Verùm quia juxta increpationem Nathan Prophetæ, quæ in titulo Psalmi hujus notatur, peregrinus, qui ad eum venerat quasi fortis armatus, ad hoc machinas peccati construxerat, ut juramentum & sermo Dei falsificaretur, & ita quodammodo Deus, qui est veritas, a mendacio vinceretur, dum Divina promissio propter peccatum non impleretur, quasi plus de Dei gloria, quàm de sua salute solicitus David optat ipsi Deo victoriam ad superandam iniquitatem suam ad excludendum fortem armatum, qui tam diu custodivit illic atrium suum, quam diu David non agnoverat proprium reatum. Peccati autem perfecta recognitio fuit illius fortis expugnatio & ejectio. Tunc verò cauta est peccatorum recognitio, quando in peccatorum confessione Deus judicatur, hoc est, discernitur. Interdum namque *judicare* pro *discer-*

Imitantur hunc Adam filij multi, qui in suis peccatis vel exemplo ipsius culpant fragilitatem suam quasi mulierem sibi a Deo sociatam : & quod est iniquius, exemplo Evæ accusant serpentem, hoc est : diabolum ad suimet excusationem. David autem non sic : immò se solum agnovit culpabilem ac mendacem, Deum verò confessus est veracem dicens : *Ecce enim veritatem dilexisti.* Jure itaque apparuit Deus victor, victus autem diabolus, quoniam ipse victor a victo est dijudicatus, & veraci judicio separatus. Adam verò Deum & diabolum, veritatem & mendacium in uno negotio confudit, quando culpam, cujus diabolus incitator extitit, etiam Deo assignavit, qui mulierem, per quam deceptus erat, illi associavit. Ideo quodammodo se passus est invincibilis Deus vinci, dum per diabolum ejectus est de paradiso, quem ipse posuerat in Paradiso.

Sed nunc diabolus, qui se victorem gloriabatur, ex illorum pœnitentia & confessione Deo triumphante revincitur, ac per eos superatur, a quibus Deus in suis sermonibus justus & verax & victor esse judicatur, dum ei peccatum hominis nullatenus assignatur. O quàm gloriosa est ista victoria, ubi triumphante veritate vincitur mendacium & culpa quasi per gladium ancipitem, dum non solùm de se, sed etiam de Deo profitetur homo veritatem, confitendo scilicet se mendacem, Deum autem veracem ! Confessus est David se mendacem dicens : *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Confessus est quoque Deum veracem dicens : *ecce enim veritatem dilexisti.* Tali judicio Deus judicatus vicit mendacium, & ipse fortior exclusit fortem armatum, liberans ab illo atrium suum, id est : cor David primitus & divini-

tus

tus electum, ſed a diabolo poſtea invaſum.

Sed & hoc modo rectè Deus judicatur, hoc eſt, diſcernitur, cùm ipſe, qui eſt veritas, in homine veraciter arguente peccatum ſeu mendacium arguere judicatur, & ob hoc ipſe arguens tanquam Deus amatur & honoratur; quoniam in illo, ùt dixi, Deus arguere judicatur. Sic David cùm eſſet Rex magnificus & inclytus, Nathan Prophetam reverenter audivit, eique tanquam Deo humiliter obedivit, quoniam in ipſo mittentem honoravit. Sic idem David Semei, maledicentem ſibi patienter audivit: quoniam illum a Deo, ut ſibi malediceret, miſſum intellexit, & ideo in miſſo, quantumlibet impio mittentem honorandum judicavit, quando filios Sarviæ pro illo increpavit. Non ita fecerat Saul rex impius & ſuperbus, qui a Samuele increpatus, eò quod non impleverit verbum Domini, rebellis extitit, & ipſum redarguentem, immò in redarguente Deum falſificare ac ſe juſtificare præſumpſit dicens: *immò implevi verbum Domini, & adduxi regem Agag Amalech* &c. Puto, quòd iſte Deum in homine non dijudicavit, & ideo non in Deo veritas, ſed mendacium, id eſt, peccatum triumphavit: quoniam in Propheta ſe redarguente Deum inhonoravit, dum ejus increpationi procaciter contradixit.

Igitur unusquisque noſtrûm & ab adverſario in via, id eſt: a ſacra Scriptura, & ab aliquo Doctore & benigno ſeu etiam maligno redargutore increpatus de aliqua culpa, recognoſcat & honoret veritatem, & ſic emittat humilem confeſſionem, ut vincat veritas, cùm judicatur, & judicata honoratur: vincatur verò & excludatur mendacium, quod peſſimè ac potiſſimè regnat in excuſatione & defenſione peccatorum. Senſui noſtro concordat illud, quod Apoſtolus dicit: *qui indignè manducat, judicium ſibi manducat, non dijudicans corpus Domini.* Sicut enim corpus Domini non ſalutem, ſed damnationem percipienti operatur, cùm ipſum corpus Domini non dijudicatur, id eſt: non diſcernitur aut honoratur: ſic & ipſa veritas, quæ Deus eſt, cùm non dijudicatur, opus victoriæ non operatur, ſed quaſi patitur ſe vinci, ùt A. ſupra de Adam & de Saule exemplificavi, quorum uterque ad excuſandas excuſationes in peccatis contemptor extitit ſe increpantis veritatis. Et ideo rectè orat David dicens: *non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſationes in peccatis.* Imitemur nos iſtum David humiliter pœnitendo, & culpam noſtram non Deo, ſed nobismetipſis tribuendo, atque veritatem nos redarguentem diligendo, ut vincat in nobis ipſa veritas impugnantem nos mendacij nebulam: ſicut Sol iſte viſibilis vincit B. nebulam, quando radijs ſuis perfringit ac diſſipat eam. Sic factum eſt in David. Fuit enim Deus David bona promittens quaſi Sol oriens, cujus radijs poterat jocundiſſimè frui, ſi nullius peccati nebula interveniſſet, quæ illud promiſſum videbatur impedire, quo dictum erat: *de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Et alibi: *juravi David ſervo meo, usque in æternum præparabo ſedem tuam, & ædificabo in generationem & generationem ſedem tuam.* Interveniente verò peccati nebula ſplendida veracis C. Dei promiſſio impedita fuiſſet, niſi quod Deum decuit ita in ſuis ſermonibus juſtificari, ut non poſſet per mendacium ſuperari. Omne namque peccatum rectè dicitur mendacium tanquam veritati oppoſitum.

Dico autem nunc ſpecialiter illam veritatem, qua Deus verax propoſuit ac præordinavit hominum felicitatem non ſolùm perſonaliter ùt in David, ſed etiam univerſaliter, ùt apparet in hominis creatione dicente veraci Deo: *faciamus hominem ad ſimilitudinem & imaginem* D. *noſtram.* Hoc enim Dei propoſitum comprehendit numerum omnium electorum, quos ipſe præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Si ergo præſcitos & præordinatos vocaret, juſtificaret & magnificaret, nullius peccati nebula interveniente, verè faceret omnem hominem ad imaginem & ſimilitudinem Divinam, & haberent electi Divinarum promiſſionum diem clariſſimam, ſplendente in omnibus hominibus Divinæ imaginis & ſimilitudinis claritate. Nunc autem quia peccati nebulam, totam terram tegentem Sol juſtitiæ ſic abominatur, ut juſtè videatur

ſplendorem ſuum debere detrahere : quoniam in ſpeculis humanorum cordium, valde ſordentium, non poterat imaginis ſuæ ſimilitudinem formare niſi primitus deterſa ſorde, quæ tanta eſt, ut videatur diligentiam detergentis poſſe ſuperare, rectè dicit peccator & penitens homo : Miſerere mei DEus detergendo ſordes meas. Quibus deterſis fiam capax tuæ ſimilitudinis : & ſic tu *juſtificeris in ſermonibus tuis*, quibus dixiſti. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem* noſtram : Et ſi peccata in me operantur tui diſſimilitudinem, Tu operando ſimilitudinem vince peccatorum meorum & magnitudinem & multitudinem. Vince peccata mea ſicut vincit rex tyrannum. Vince ſicut vincit ſol denſitatem nebularum. Vince ſicut medicus forticudine medicinarum. Vince ſicut vincit ſpiſſitudinem ſordium, qui crebra terſione de materia ferruginoſa facit ſpeculum. Vince, cùm judicaris. Quoniam Tu talis DEus à me dijudicaris eſſe, ut tibi cùm volueris, aſſit tam omnipotens poſſe, quòd vinci non poſſit noſtrorum peccatorum & magnitudine & multitudine, quin tandem conſtituas homines omnes electos in tuæ imaginis conformitate, ſicut propoſuiſti, cùm dicebas : *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Amen.

24.

Idem ad quasdam Sanctimoniales, forte Admontenſes, de fidei robore ac puritate exemplo Centurionis Evangelici.

Eidem

KAriſſimis in Chriſto Sororibus Fr. G. devotas orationes.

Aliquando vobis loquens & ſcribens formavi & ſuggeſſi vobis, quantum DEus dignatus eſt præſtare, verba & ſenſum orationum, quas ad DEum mitteretis tamquam incenſum ſuaviſſimi odoris. Sed poſtea nolens vos eſſe puſillæ fidei, quoniam puſillitas fidei multum obſiſtit orationis exauditioni, cœpi donante DEo vos ad magnam fidem informare, cui omne, quod rectè optatur, eſt coram DEo impetrabile. Probat hoc ille centurio cujus magnam fidem Dominus ammirans ait. *Non inveni tantam fidem in Iſraël.* In hoc autem erat magnitudo fidei ejus laudabilis, quòd non opus eſſe arbitrabatur, ut corporali præſentia veniret ad ſanandum puerum ægrotum ſemper & ubique præſens ordinator omnium rerum : quas ordinat non ſicut operator extrinſecus ordinat opus, verbi gratia molendinum ſive alicujus domûs ædificium, ſed ſicut intrinſecus & immobilis ac tenax vigor earumdem rerum.

Imitetur hunc Centurionem ſpiritus & animus noſter habendo ſub ſe, non ſuper ſe milites, id eſt, varias cogitationes, B. vel in bono vel in malo militantes, & dicat huic, id eſt, malæ cogitationi : *Vade & vadit : Et alij*, ſcilicet bonæ cogitationi dicat : *Veni & venit : & ſervo ſuo*, id eſt, corpori, quod caſtigat & in ſervitutem redigit, confidenter dicat ipſe animus : *fac hoc*, ſcilicet utile opus aliquod, *& facit*. Perpendat quoque ipſe animus tamquam diſcretus Centurio, quia *ſub poteſtate* divina *conſtitutus*, ita & cogitationibus & corpori ſuo imperat, ut nullo ad hoc internuncio indigeat : Quoniam per tacitum voluntatis C. nutum & mala cogitatio fugatur, & bona advocatur, atque corporis pene tota motio regitur nutu mentis voluntario ſine quolibet internuncio.

Verùm quomodo Centurioni tunc famulantur, quos habet ſub ſe, ſi ipſe, cùm ſit ſub prætoria & imperatoria poteſtate conſtitutus, obediens fuerit ſuo ſuperiori, cui ſi inobediens & rebellis fuerit, rebellionem quoque in ſubditis ſuis inveniet contra ſe, quam diu ipſe noluerit ſuperiori obedire : Ita & noſter animus quaſi centurio DEO Regi ſempiterno ſubjectus, illi obediendo erit po- D. tens, illum contemnendo fiet inpotens, ut etſi dicat malo militi *vade*, non vadat, ſed neque ſuimet ipſius poteſtatem habeat. Ceterùm nos agimus de bono centurione ſub poteſtate ſui ſuperioris obedienter conſtituto, & ideo potenti & valido. Talis igitur animus ſub poteſtate divina benè diſpoſitus ad exemplum evangelici Centurionis ita poterit ſecum argumentari : Si ego interior homo, ſub poteſtate inviſibilis regis conſtitutus, ita cogitationes in me & ſub me militantes rego, ut totum hoc regimen fiat intrinſeco quodam imperio, cui neque

neque cogitatio, neque ulla reſiſtere poteſt corporis motio : Quantò magis invictæ virtutis auctor & inſuperabilis imperij Rex ac ſemper magnificus triumphator ſecretiſſimo & intrinſeco ſuæ voluntatis nutu & adverſæ dominationis vires reprimit, & noxia depellendo (ſicut ego malas cogitationes depello per ipſius auxilium) ſalubria facit adeſſe, ſicut ego bonas cogitationes cum volo facio adeſſe. Nonne ſicut ego nulla mobilitate locali diſcurro, ſed infra me manens mobilitates cogitationum & ſenſuum ſeu membrorum ſumma facilitate ſine internuncijs diſpono : Verbi gratia cùm volo, ut ſe pes moveat, fit, quod volo, ſentitque pes ipſe mei regiminis præſentiam & potentiam exhibendo ſuam obedientiam, ita ut non ſit mihi neceſſe ut ego animus ad pedem mei corporis vadam & mittam, quoniam ipſe mei nutus perſentit ſibi præſentem ſibique intrinſecus inſitam efficaciam, quoniam ego ſpiritus illi præſto vitam, mihi à meo ſuperiori tibi etiam interiori præſtitam : Nonne, inquam, ſimiliter, immò multò ſuperexcellentiùs DEus in ſe manens omnino ſtabilis dat cuncta moveri, multò ipſe præſentior extremiſſimis creaturis, quàm ego creatus ſpiritus corporis mei etiam intimis membris ? Si ego qualiscumque centurio ſub illius poteſtate conſtitutus dico ſervo meo, id eſt, corpori meo : *fac hoc & facit* (dico autem non ſono vocis ſed nutu voluntatis) quantò magis ille quæcumque voluit, fecit in celo & in terra & in omnibus abyſſis ubique totus ita præſens, quemadmodum ego animus & anima membris corporis mei ſingulis totus & tota ſum præſens? Et ſi ego non ſcindor in partes, ita ut pars mei ſit in uno oculo corporis mei & pars in altero, quoniam partes diviſivas non habeo : Quantò magis ille ſic eſt unus individuus DEus, ut non ſit ejus altera pars in cœlo, altera in terra, quoniam pleni ſunt cœli & terra majeſtatis gloriæ ipſius?

Cur itaque ô Salvator ubique præſens dicis mihi pro puero meo roganti : *Ego veniam & curabo eum* ? quò venias, qui ubique es ? quomodo intres ſub tectum meum, quem cœli cœlorum non capiunt ? Fortè venias ſecundùm carnis carnalem præſentiam ? Sed *caro non prodeſt quidquam.* Non per divinitatem ſibi inſitam, quæ divinitas cùm ſit ubique, ſufficit mihi tuum velle, ſufficit mihi tacitum voluntatis tuæ imperium. Quæ voluntas ut etiam foris innoteſcat, *dic verbo & ſanabitur puer meus.* Tu enim es Verbum, per quod facta ſunt omnia, non quod deſinit prolatum, ſed quod permanet natum. *Dixit* enim Pater tuus, *& facta ſunt* omnia. *Dixit*, hoc eſt, æternum Verbum genuit : non ſicut carnalis pater gignit filium, ſed ſicut prudens animus gignit prudens conſilium, quod conſilium in animo, & ab animo genitum ſicut non poteſt ab ipſo animo ſeparari, ſictu non potes à Patre tuo ſeparari. Nam etſi conſilium vocalem ſermonem induat, ut foras ad audientium & intelligentium mentes procedat, nihilominus tamen in gignente animo permanet etiam cùm per ſermonem ad aliorum mentes procedat, cúmque ipſum conſilium ſeſe aliorum intellectibus inſerit, illum tamen, à quo genitum eſt, non relinquit. Sic Tu ô Jeſu æterni Patris æternum Verbum ſive conſilium, licèt humanam ſubſtantiam induens foras proceſſeris, cum Patre tamen & in Patre unum atque idem permanens, ab illo nusquam & numquam recedis : Quoniam Tu & ille non duo eſtis Dij ſed Vnus Deus, cujus eſt hoc dictum. *Cælum & terram ego impleo.* Abſit, ut ego homo ſub poteſtate conſtitutus te tam immenſum, tam ineſtimabilem ſub tectum meum coartem : quod facerem quodammodo, ſi te in tua divinitate ulla forma circumſcriptum æſtimarem.

Eſt autem circumſcriptum, quicquid extenſum in longum, latum & altum ipſius longitudinis, latitudinis & altitudinis aliquem habet terminum. At Tu ſine longitudinis locali dimenſione attingis à fine usque ad finem, hoc eſt, ab exordio creaturarum usque ad finem earum, ſine latitudine locali complecteris omnia loca, & ſine locali altitudine ſuperexcellis omnia non ſolum viſibilia ſed inviſibilia. Tu gyrum cœli circuiſti ſine locali mobilitate, Tu celorum contines thronos, Tu abyſſos intueris, Tu montes ponderas, Tu terram palmo concludis, Tu nusquam includeris. Et ego me dignum æſtimem, ut intres ſub tectum

rectum meum? Abſit à me talis cogitatio, talis opinio, ut te circumſcriptibilem aut formatum ullatenus æſtimem, quoniam Tu es ante omnem formatum DEum, ſicut dicis : *Ante me non eſt formatus DEus.* Potiùs id credam, quod Tu ſis forma informans omnia formoſa. Nam ideo terrenus homo, quem aſſumpſiſti, formoſus eſt præ filijs hominum, quòd Tu forma æterna, pulchritudo ſempiterna illum præ ceteris inhabitas, ut eum ſpecioſum forma præ cunctis exhibeas, dum in tantum tibi humanam naturam aſſocias, ut Tu in homine aſſumpto unus Chriſtus, unus Rex, unus pontifex, unus idemque ſecundùm aſſumptam humanitatem exhibeas te viſibilem, inviſibilis permanendo ſecundùm divinitatem ubique præſentem.

Dic igitur *verbo, & ſanabitur puer meus.* Dic potenti voluntatis imperio, & hoc ipſum imperium pronuncia verbo, ne putetur caſu accidiſſe ſalus puero meo, ut tu glorificeris audito hoc miraculo, ut credaris ubique præſens eſſe, ut agnoſcatur imperium tuum inſeparabile, quod nulla locorum interjectio poterit intercipere : quoniam ſicut es ubique, ſic regnas ubique : nec tibi eſt aliud eſſe, aliud regnare ſicut regibus terræ, quorum eſſentia fuit, priusquam eorum potentia. Tua verò potentia non eſt aliud quàm tua eſſentia : & ideo ſicut eſſentia tua confert eſſe omnibus, quæ ſunt : ita regnum tuum eſt regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione, nec eſt, qui reſiſtat in regno tuo voluntati tuæ.

Nam & ego homo, homo, non DEus : *homo* fragilis, non DEus immortalis : *homo* initium habens, Tu DEus initio & fine carens. *Homo* ſum, hominis, immò mortalium hominum filius. Tu filius hominis, id eſt, incorruptæ genitricis. *Homo* ſum peccatis gravatus. Tu DEus & homo ad purganda peccata ſolus idoneus. *Homo* ſum natus non de Virgine intacta, ſed de muliere corrupta : *homo* ſum, cinis ſum, vermis ſum. *Homo* ſum, ut dixi, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miſerijs, qui quaſi flos egreſſus conteror, & fugio velut umbra, numquam in eodem ſtatu permanens. Et tamen *habeo ſub me milites*, milites & ſervos, & obediunt mihi, cùm ego non ſim liber omnino. Sub poteſtate quippe conſtitutus ſum, Centurio ſum, non Rex, non ſaltem tetrarcha ùt Herodes aut Pilatus, ſed *Centurio*, ſub tetrarcha conſtitutus. *Et habeo ſub me milites.* Et *dico huic : vade & vadit, & ſervo meo : fac hoc & facit.* Quantò magis tuæ majeſtati, tuæ voluntati, tuæ juſſioni obedient omnia per te creata, per te hactenus gubernata & deinceps gubernanda, in te ſubſiſtentia : Quoniam ſi tu non ſuſtentares omnia, in nihilum utpote de nihilo facta caderent, & ſubſiſtere non valerent? Tu ſuperior omnibus, Tu ſubterior, Tu interior, Tu implens, Tu circumplectens omnia, eſſe præſtas entibus, quod eſt & lapidum : Vivere viventibus, quod eſt homini commune & arboribus : Sentire ſentientibus, commune cum animalibus : intelligere intelligentibus, hominibus & Angelis. Incommutabilis, indiviſibilis, inlocalis, intemporalis, inviſibilis, incomprehenſibilis in tua divinitate, ſolo verbo poteris puero meo, corpori meo, ſpiritui meo, cuilibet cariſſimo meo ſalutem reſtituere ac reſtitutam conſervare. Ideo ſufficit tibi, licèt omnia ſcienti, breviter dicere : *Domine puer meus jacet paralyticus in domo & malè torquetur.*

Audiens autem Jeſus miratus eſt. Miratur fidei magnitudinem, qui non miratur totius Orbis amplitudinem : & quoniam fidei magnitudo placuit, poſtulatis acquievit, flexus ad miſericordiam non verborum multitudine, ſed fidei magnitudine. *Sicut credidiſti*, ait, *fiat tibi.* Magnificè, mirificè, inconcuſsè credidiſti, qui me hominem parvulum cernens, DEum ubique præſentem, ubique omnipotentem proteſtaris, dum pro ſalute pueri tui reſtituenda ſolum verbum meum ſufficere arbitraris. Ergo *ſicut credidiſti, fiat tibi.*

O Domine Jeſu qui ſedes in dextera Patris, interpellans pro nobis, pontifex factus in æternum! Da nobis tantam fidei puritatem, quanta ſufficit ad videndam nunc in ſpeculo ſcripturarum & creaturarum tuæ Majeſtatis claritatem : quatenus qui jam te ex fide cognoſcimus, usque ad contemplandam ſpeciem tuæ Celſitudinis perducamur, ducente nos bono Spiritu tuo in terram rectam, cum quò ſpiritu & ſempiterno Patre tibi ſit in tuis electis & prædeſtinatis gloria, & contra omnes inimicos victoria, viventi, regnanti & dominanti per omnia
& in omnia ſæculorum ſæcula.
Amen.

FINIS Partis I. Tom. V.

CODICIS
DIPLOMATICO-
HISTORICO-
EPISTOLARIS

TOM. V.

PARS II.

Ab Anno Christi MCLXX. usque ad MCCCVIII.

Digitized by Google

I.

Heinricus I. Auſtriæ Dux traditionem prædiorum, a Bertholdo de Phiſſemunt Monaſterio Beatæ Mariæ Scotorum Viennæ factam confirmat.

In nomine Sancte & Individue Trinitatis.

Anno 1170. *Ex autogr.*

HEinricus DEI gratia Dux *Auſtrie*, univerſis Chriſti fidelibus preſentibus & futuris, ſalutem in Domino. Quoniam divina providentia ceteris præfecit potentes, dum mitiùs provident, ſubditos opprimunt potenter. Intelligimus autem talibus neceſſarium eſſe, ut per alimoniam provideant, ne fortè tormenta potenter patiantur. Hac nimirum providentia de gente ſimplici & humili elegimus atque collegimus Monachos *Hibernienſes*, ex quibus Abbatiam fundavimus in territorio noſtro *Wiennenſi*. Huic autem nove plantationi noſtre de bonis noſtris tam mobilibus quàm immobilibus facultatem, prout potuimus, ad prebendas & officinas collocandas contulimus. Contulerunt etiam & alii exemplo noſtro & auctoritate & vineas & agros, inter quos Dominus *Berchtoldus de Phiſſemunt*, plebanus prædia univerſa, quæ tunc poſſidebat, ſuper altare B. *Marie* præfato Monaſterio noſtro absque omni contradictione liberè dedit ac delegavit, hoc interpoſito tenore, ut idem *Berchtoldus* & alius duntaxat ſolus ſucceſſor ipſius, predicta predia, quam diu illi duo viverent, poſſiderent, & talentum unum annuatim pro eisdem prediis Monaſterio redderent: quibus duobus defunctis predia ſupradicta liberè & expeditè, remota omni reclamatione transirent in poſſeſſionem & uſus Monaſterii noſtri.

Nos autem hec omnia recognoſcente Illuſtri Conjuge noſtra *Theodora* Duciſſa *Auſtrie* præfatam donationem ac delegationem cum prediis ſuſcepimus in perpetuam protectionem ac Patrocinium noſtrum & ſucceſſorum noſtrorum in preſentia omnium Miniſterialium noſtrorum

Hujus autem rei teſtes ſunt Comes *Heinricus de Schala*, Comes *Chunradus de Pilſtain*, Comes *Leupoldus de Pleigen*, *Otto de Lenginbach*, *Ulricus de Aſparts**, *Otto de Aſchaim*, *Heberhardus de Rudnich*, *Albero de Chunringen* & filius ejus *Hademarus* & fratres ejus *Raboto* Caſtellanus de *Medelich*, & *Rapoto* filius ejus, & *Otto de Purchartsdorff*, *Wernhardus de Rabanſtain*, *Ulricus Dapifer*, *Bertholdus de Juvanſtal*, *Heinricus de Miſtelbach*. *Hiernfridus de Gnannendorf* & alii quàm plurimi.

* *Forte* Aſparn.

Hanc autem ſupradicte donationis ac noſtre confirmationis paginam preſentem ſigilli noſtri impreſſione corroboravimus, ne vel is, qui dedit ac delegavit, vel alius, quod in preſentia noſtra factum eſt, mutare audeat vel retractare. Acta ſunt hec anno ab Incarnatione Domini M. C. LXX. Indict. III.

Digitized by Google

II.

Ruperti, primùm Decani, poſt Abbatis Tegernſeenſis Epiſtolæ.

I.

Ad quendam Canonicorum Præpoſitum de electione Mengoti in Præpoſitum Dietrancellenſem, quam improbat &c.

Ex Cod. Tegernſ. DEcet fideles Religioſas perſonas, cùm ad gradum honoris invitantur, introitum & exitum ſuum, ordinemque vocationis ſuæ diligenter attendere & noviſſima providere. Siquidem ſignificamus dilectioni veſtræ, quòd fratres de *Cella S. Martini* Domnum *Mengotum*, Canonicum Eccleſiæ veſtræ, quem olim objectione criminum impudenter abjecerunt, nunc mutatis animis ad locum regiminis, unde expulſus eſt, facta electione revocare contendunt. In quo facto aut judicis culpatur ignavia, aut illorum arguitur inſolentia. Si enim judex cognitione habita falſis, & iniquis delationibus illum concitari deprehendit, ergo contra ipſum ſententiam tulit. Si verò de poſtfacto dolus criminatorum apparuit, quare poenam non irrogavit? Sanè ſi in illorum conſcientia fuit, omnem illam criminalem actionem, quam contra ipſum moverant, veritate ſubnixam fuiſſe, quomodo nunc eligunt, cujus damnationis auctores fuerunt? Rurſus, ſi ad exequendum, quod intenderunt in ejus deſtitutione, apertè ſe peccâſſe nunc confitentur, quomodo & hoc Eccleſia recipiet, & novæ aſſertioni fidem habebit? Quia ſi verum crederetur, & Eccleſiam perperam feciſſe convinceretur, quæ alios inſtituit, & eos, qui ex tunc ſederunt, ac decceſſerunt, gravis nota involveret. Unde rogamus dilectionem veſtram, ut fratrem veſtrum non fatigetis, nec tot quæſtionibus hominem ingurgitetis. Locus ille temporaliter Monaſterio noſtro adtinet, & ſi Epiſcopus vel fratres absque noſtro reſpectu eum evocaverint, inutile erit, & effectum non habebit.

2.

Ad N. de eadem electione.

indid. PErlatum eſt ad nos, quòd fratres de *Eccleſia S. Martini* conſilio & juſtione Domini Epiſcopi, *M.* Præpoſitum elegerint, quem ipſi, qui ſe nunc electores conſtituunt, coram Epiſcopo criminaliter conventum, judicio & ſententia Eccleſiæ, dignitate eadem (privari) fecerunt. In quo facto primùm miramur, ſi rei judicatæ juxta ſtatuta Conciliorum ſtandum eſt, qualiter nunc lata ſententia abſolutionem habere mereatur, quæ tunc condemnationem habuit, eſto quòd illi criminatores potiùs, quàm accuſatores fuerint. Hoc comperto judicis erat, ipſos ad vindictam expoſcere, nec in eis verbum electionis ponere: quia ſecundùm leges Divinas & humanas criminatores ad vindictam poſcit ſimilitudo ſupplicii. Rurſus quam vim habet, ſi electio ab his celebrata eſt, qui in facie Eccleſiæ verbum nunc variare videntur? Dicunt enim, quòd proprium criminatoris eſt, falſa crimina ſe tunc ſcienter ingeſſiſſe, & omnem illam criminalem actionem mendaciter in eum texuiſſe. Cùm itaque Dominus noſter Epiſcopus minùs juſta conſideratione ad injuriam & contumeliam noſtram electionem à talibus receptam ratam habere velit, nos ſuperioribus capitulis inſpectis eam nullatenus approbatione dignam judicamus.

3.

Charta memorialis de ſubjectione Monaſterii Dietrancellenſis ſub Monaſterio Tegernſeenſi, Ruperto Abbate.

QUæ à Fundatoribus venerabilium locorum, ſeu Eccleſiarum religiosè inſtituta ſunt, ut futuris temporibus convaleſcant, & majorem firmitatem habeant, dignum eſt, ea litteris mandare: ne quod venerabiliter inſtitutum eſt, vel oblivio deleat, vel incuria pravorum hominum ſubvertat. Unde cunctis fidelibus innoteſcere cupimus, quod Abbas Monaſterii S. Quirini, nomine V. ex conſilio & conſenſu totius congregationis, atque minſterialium in allodio ejusdem Monaſter locum, qui *Cella beati Martini* dicitur laudabiliter inſtituit, fideles & religioſi, perſonas ibi collegit, Ordinem ſecunduas regul amm *indid.*

regulam B. Auguſtini inſtitutum perpetuis ibi temporibus inviolabiliter obſervari conſtituit, quæcunque oblatione fidelium, largitione Pontificum, liberalitate Principum eadem Eccleſia conſequi potuiſſet, uſibus fratrum deſervire conceſſit. Poſſeſſiones etiam, quibus ipſe eandem Eccleſiam inſtituit, & auxit, perpetuo ei jure firmavit. De inſtitutione verò Præpoſiti ita ordinavit, ut obeunte Præpoſito pari & unanimi voto omnium fratrum, vel ſanioris partis Præpoſitus eligatur, electus verò Abbatem ſupra dicti Monaſterii adeat, inveſtituram de temporalibus ab eo recipiat, omnem reverentiam Abbati exhibeat.

Cùm igitur eadem Eccleſia primo tempore fundationis in ſtudio & diſciplina Canonici Ordinis optimè profeciſſet, & ſtudio atque induſtria eorum, qui primi propoſitum artioris vitæ ibidem aggreſſi ſunt, plurimùm adaucta eſſet, ſuccedentibus proſperis, & illis jam ſeneſcentibus plerique morte decederent, pauci ſuperſtites remanerent, adoleſcentes, qui pro eis ibi ſurrexerunt, ad tantam inſolentiam proruerunt, ut contra Monaſterium S. Quirini, matrem videlicet prædictæ inſtitutionis calcaneum erigerent, & antiquæ inſtitutioni ex toto contradicerent. Illi igitur, cùm ex diffidentia cauſæ ad ſeculares judices confugerent, & ibi contra Abbatem ſupradicti Monaſterii litem proponerent, ipſe Abbas, R. nomine, auctoritate Canonum, & numero teſtium ſufficientiſſimè inſtructus, in omni loco, quo ipſi ſe favorem conſequi ſperabant, victos & confutatos incæptæ liti præſtito juramento, & datis dexteris renunciare coëgit; ubi nihilominus modum atque tenorem primæ inſtitutionis in omnibus exſecutioni mandare pro ſe, & Eccleſiæ jure jurando ſpoponderunt. Geſta ſunt hæc in loco, qui S. dicitur, ſub præſentia Domini R. Abbatis, & Comitis Per. de Andehs, aliorumque virorum illuſtrium, & ſapientum octava Kal. Martii, feliciter amen.

4.

Ad C. Decanum Dietramcellenſem: ut R. cognatum ſuum adverſùs æmulos tueatur.

indid. R Dei gratia Abbas *Tegrinſenſis*, C. Decano de *Cella S. Martini*, gratiam ſuam, & omne bonum.

Venit ad nos cognatus veſter, Domnus R., & quæ mala ſibi à Domno F. cæterisque æmulis ſuis cottidie inferantur, audientiæ noſtræ patefecit, in tantum, ut etiam à loco iſto depellere conentur. Rogo ergo vos, ut adverſarios ejus ab hac injuria arceatis, ipſumque ſub veſtra defenſione habeatis, uſque dum tempore præfinito nos conveniatis.

5.

Ad Adalbertum Abbatem S. Emmeramni, dolet exuſtionem ejus Monaſterii, rogatque, ut fratrem H. apud Tegernſeenſes manere permittat.

DOmino A. venerabili Abbati Sancti Emmerammi, R. nullis exigentibus meritis *Tegrinſenſis* dictus Abbas, frequens orationum cum dilectione obſequium. *indid.*

Divinæ diſpoſitio providentiæ volens compaginari ſibi corpus Eccleſiæ in unitate fidei, & dilectionis, ſtatuit, ut, ſi gaudeat unum membrum, congaudeant omnia membra: ſi verò aliquod eorum doleat, per unionem charitatis cætera ejusdem moleſtiæ ſtringantur nodo. Unde & nos, qui ſpiritali cenſemur nomine unà vobiſcum nimiùm exuſtione veſtræ dolemus Eccleſiæ. Sed cùm ſcriptum ſit: *flagellat Dominus omnem filium, quem recipit*, ideo verba Divinæ humiliationis ſuſcipienda ſunt absque offenſa ullius contradictionis, quatenus eum ſua monente gratia nos, ut B. Job, hic & in futuro exaltet tempore viſitationis. Proinde apud aures ſinceriſſimæ veſtræ dilectionis intentio noſtræ valeat orationis, quatenus fratrem veſtrum H., quem ſecundum petitionis noſtri parvitatem nobis transmiſiſtis, quandoquidem tantis ac talibus anguſtiis conſtringimini, ſalva gratia veſtræ dulcedinis nobiscum commanere ſinatis.

6.

Ad C. Comitem, cui pro beneficiis gratias agit, & in cauſa Engilſcalchi obſequelam ſpondet.

CNobiliſſimo Comiti, R. Dei gratia *Tegrinſenſis* Abbas, fideliſſimum *indid.*

mum cum intimis orationibus obsequium.

Debitas vestræ Serenitati pro collatis beneficiis gratias ago, nec à servitute vestra ullatenus divelli potero. Legationem verò vestram pro negotio Domini *Engilscalchi* lætus accepi. Et quia eidem verbo vos applicare curâstis, & magnam in vobis fiduciam habens, prudentiæ vestræ consiliis obedire statui: Nos quidem & diem, & locum in quinta feria Ascensionis *Salzpurch* condiximus, quem declinare nolentes obsecramus, ut si eum illò venire noveritis, mihi denuntietis, quatenus ei illic occurrens universa pro statu omnium nostrorum honoris secundùm vestrum consilium determinemus.

7.

Ad Othonem Præpositum Reitenbuchensem: ut Romæ det operam, ne infula Pontific. sibi auferatur, Monasteriumve interdicta subdatur, &c.

indid. O. Dilecto germano suo, R. humilis minister S. Quirini, cum omni congregatione sibi credita, devotum obsequium cum intimis orationibus.

Vehementer admiramur, & ultra quàm credi potest, perturbamur, cùm tam sincero dilectionis affectu simus uniti, nullas salutationis vestræ litteras tanto tempore suscepisse, ut de incolumitate & prosperitate ex debito consolari potuissemus. Nos verò charitati vestræ insinuamus, quòd cognatus noster G. *Frisingæ* publicavit locum nostrum Pontificali insula, & minorum Ordinum collatione, Apostolica auctoritate sublatum esse. Quæ relatio quantum gloriæ nostræ detrimentum pariat, si ad effectum fuerit perventum, discretio vestra noverit. Et ideo rogamus & nos & omnis congregatio nostra, ut memor plenæ fraternitatis & intimæ societatis vobis collatæ, & cum omni devotione vivo & defuncto exhibendæ pro his laborem expendere curetis, & ne Divinum officium tam personæ Abbatis, quàm totius Monasterii interdicatur, nobis confirmari & justitiam parochialium ecclesiarum nostrarum, per Dominum Papam Eugenium recognitam & confirmatam, nobis privilegio restaurari, & nos & locum nostrum specialiter sub Apostolica tuitione haberi obtineatis. Quæcunque verò in his expenderitis, nos cum omni congregatione nostra vobis digna cum omni affectu pro cordis vestri desiderio aut beneficio, aut pecunia plenè rependere noveritis.

Negotium pro prædio nostro in loco Salinarum vobis notum esse, non dubitamus, quod jam seculari judicio obtinuimus. Sed H. & C., & filii eorum nos in eodem prædio violenter deprædantur, & ut litteras excommunicationis eorum ad Præpositum ejusdem loci nobis obtineatis, obsecramus. Ecclesiam vestram *Forstariet* Dominus Episcopus Præposito de *Pollingen* post discessum vestrum in beneficium tradidit. De reliquiis verò Sanctorum apud Dominum Patriarcham etiam rogamus, ne oblivioni tradideritis.

8.

Ad eundem. Commendat ei legatum suum, quem in Monasterii causa Romam mittit, eique pro ope orationes addicit.

R. Dei gratia *Tegrinsensis* Abbas, O *indid.* Præposito dilecto cognato suo, devotum obsequium cum intimis orationibus.

Legatum nostrum, præsentium latorem pro negotiis Ecclesiæ nostræ ad Dominum Apostolicum direximus, quæ providentiæ vestræ diligentissimè committimus, obnixè flagitantes in respectu consanguinitatis, & obtentu servitii nostri cum Domino Patriarcha necessarium ei adjutorium in negotiis nostris apud Dominum Apostolicum tum per vos, tum per familiares vestros in Romana curia impendatis, ut dum desiderium nostrum ad effectum pervenerit, specialis vestri memoria per orationum frequentiam apud nos in perpetuum habeatur.

9.

Ad eundem adhuc privatus. Se mandato Abbatis retentum fuisse, quo minus ad eum inviseret.

O. Patri, & fratri in Christo beatis- *indid.* simo, *Retenb.* Ecclesiæ Prælato, R. indignus vocari filius, aut frater, humillimæ orationis obsequia.

Quia sagittis acutis caritatis cor vestrum DEUS vulneravit, vulnerandoque virtutum incrementis solidavit, anima mea

præ

Digitized by Google

præ omnibus divitiis vos in spiritu vehementi desideravit. Sed quia diversis singulos motibus fortuna solet compellare, legatione vestra percepta lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, quamquam in domum vestram, ut voluistis, minimè liceret intrare. Nam Dominus Abbas, sapienter sibi & nobis providens, ad præsens secundùm petitionem vestram me timuit vobis destinare, sciens, me nondum rebus expertum tantorum, qui conveniunt ad vos peritiæ. Simpliciter occurrere non posco, quem tamen in omnibus sciatis vobis velle obtemperare. Si enim me, ut confido, immò scio, vere diligitis, per præsentium latorem litteris apud Dominum meum licentiam veniendi ad vos impetrate, certumque tempus vos inveniendi expressum insinuate. Jam quia finem postulat littera, duo in vobis Minervæ ubera lacte geminæ dilectionis appeto distenta, utpote in cujus mihi comparatione Mundus totus vilescit, & de gloria & honore auditui meo gaudium & lætitia jugiter accrescit.

10.

Ad Marchionem quendam pro familia S. Quirini, quam defendi rogat se absente.

SEreniſſimo Marchioni, R. Dei gratia *Tegrinſenſis* Abbas cum universa congregatione credita debitum obsequium cum instantia orationum.

Nobilitati vestræ sæpius querimoniam protulimus, quia A. & R. de N. Ecclesiæ nostræ familiam adversùm nos sibi vendicaverunt. Nos verò extra provinciam manentes, quia ad designatum diem pro eadem causa venire nequivimus, quàm intimè flagitamus, ut eandem familiam sub defensione vestra habeatis, & certum nobis diem in loco, quem adire valeamus, præsignare dignemini.

11.

Ad Conradum Epiſcopum Patavienſem. Ut O. Canonicum adversus eos, qui eum Monachum fuisse mentiuntur, tueatur.

CDomino, & Præsuli Sanctissimo, & Venerabilibus universis Canonicis *Patavienſis* Ecclesiæ, R. humilis minister, omnisque cœtus *Tegrin.* Collegii, frequentiam orationum, & intimæ servituris affectum.

Quia virtutum vestrarum fragrantissimè redolens odor nostram copiosiùs respersit audientiam, Serenitatis vestræ perturbationi non mediocriter condolemus, quòd fax quædam veteris infamiæ nondum exinanita, adversùs Clericum nostrum O. quasi de fonte iniquitatis emanavit, quæ asserens ipsum vinculo Monasticæ obedientiæ apud nos connexum, Canonicæ justitiæ & cohabitationi ejus vobiscum obviare nitebatur. Quæ causa priùs quidem mota, frequenter adversùs eum grassabatur. Sed quia Canonica pulsatione cavit, & ipse nunquam obligatus fuit vinculo obedientiæ & Monasticæ professionis, jure cassabatur. Ea propter si quem meretur in conspectu vestro effectum petitio nostra, supplicamus Clementiæ vestræ, quatenus præfatum Canonicum blandè & misericorditer manu teneatis, & de persona ipsius vocem suspicionis ulteriùs non audiatis.

12.

Ad Albertum Ep. Frisingenſem. Docet, Canonicos Dietramcellenſes se Monasterio penitus subdidisse, nec deinceps Præpositum agnoscere velle, nisi quem Abbas Tegernſ. investierit.

A. DEI gratia Frisingensis * Ecclesiæ venerabili electo, R. Monasterii Sancti Quirini minister humilis, orationis, & obsequii munus cum omni devo- * Cod. Patav.

tione & reverentia.

Serenitati vestræ gratias agimus, quòd tanta benignitate nos, & fratres nostros respexistis, & fratres de Ecclesia S. Martini, quæ speciali jure Monasterio nostro pertinere videtur, cùm à recto exorbitarent, & ad resultandum nobis apud vos favorem quærerent, fortiter repressistis. Sane reverentiæ vestræ notum esse cupimus, eosdem fratres in termino, quem nos cum Comite P. super eandem quæstionem habuimus, ante nostram præsentiam venisse, & pro temeraria contradictione humiliter veniam postulâsse, ubi omnem actionem & litem hujus quæstionis data fide refutaverunt pro se, & pro eadem Ecclesia hoc spoponderunt, & eum, qui nunc pro tempore electus est Præpositus, vel quicunque futuris temporibus essent eligendi, completa electione pari & unanimi voto omnium fratrum, vel sanioris partis, illico ad Abbatem Monasterii

Digitized by Google

naſterii noſtri recurrere debeant, & ab eo inveſtituram temporalium requirere, & niſi certa cauſa exſtiterit, quæ impediat, jus fundi atque poſſeſſionis ſolemniter recipere. Facta hac diffinitione, & roborata publica atteſtatione virorum illuſtrium & ſapientum, qui præſentes aderant, de electione ejusdem Præpoſiti ex gratia & benignitate aſſenſum præbuimus, & eum ad eandem Eccleſiam à veſtra benignitate dirigi diligentiſſimè poſtulamus, ſi quidem ea, quæ ſuperiùs diffinita ſunt, fideliter exequi voluerit.

13.

Ad R. Abbatem. Ut fratrem Chunonem in gratiam recipiat.

R. Venerabili Abbati, R. humilis miniſter S. Quirini fidele obſequium cum intimis orationibus.

Quoniam quidem petitionibus noſtris pium ſemper aſſenſum præbuiſtis, ad interpellandum Paternitatem veſtram pro aliorum neceſſitatibus humilitati noſtræ fiduciam dediſtis. Unde pietatem veſtram quàm intimè flagitamus, ut miſericordiam judicio ſuperexaltetis, & fratrem veſtrum *Chunonem*, partim ad nos ex propinquorum affinitate ſpectantem, obtentu ſervitii noſtri in gratiam recipiatis.

14.

Ad Bertholdum, ſeu Pertholdum, ut videtur, Comitem de Andechs, de turbis Dietramcellenſibus, & ut in electione novi Præpoſiti cautè procedat.

E Gregio, atque illuſtri viro B. Comiti de *Andeſe*, R. Dei gratia de Monaſterio S. Quirini dictus Abbas devotas orationes, & ſervitium.

Novit Serenitas veſtra, quòd fratres de Cella S. Martini, ex quo Monaſterio noſtro, à quo fundationis ſuæ ſumpsêre principium, obluctari cœperunt, ex tunc apud ipſos & divinæ religionis inſtitutio perdidit ſtatum, & res temporale profectum. Inde eſt, quòd Eccleſia, quæ adverſus auctorem ſuæ plantationis irreverenter caput erexit, in ruinam & lapſum omnimodis devoluta, nec cauſam ſuæ deſtructionis adtendit, & vitium, quo averſa eſt, adhuc in his, qui reſidui ſunt, fovere non deſinit, ut rectè in ea impletum videatur, quod in Job dicitur: *ego vidi ſtultum firma radice, & maledixi pulchritudini ejus ſtatim.* Patrem ſuum ſenem bonæ memoriæ E. benè & laudabiliter ibidem converſatum pro arbitrio ſuo abjecerunt, alium ibi ad noſtram contumeliam nobis contradicentibus inſtituerunt, quem nos quidem in celebri conventu, ubi Epiſcopus *Friſingenſis* aderat, omnium petitionibus, & veſtro favore victi ſolemniter inveſtivimus, qui illico ab eisdem fratribus injuriam paſſus, fratre *C. de Veldolvingen* id actitante, id ex parte veſtra experente, absque noſtro reſpectu projectus eſt. Unde quoniam veſtro favore & clementia abuſi, & nobis obluctati ſunt, & conſilium electionis, quod in præſentiarum ab ipſis celebrandum eſt, difficile & valde perplexum reddiderunt, oportet & vos in rebus Eccleſiaſticis cautè decernere, & abundanti cautela, & majori providentia modum hujus actionis informare.

15.

Ad eundem epiſtola Tegernſeenſium de invaſoris cujusdam violentia, quem ut ne audiat, contendunt.

P. Illuſtri Comiti, Advocatoque Sereniſſimo, univerſalis fraternitas in B. Quirini Cœnobio conſtantiam orationis corde promptiſſimo.

Experta bonitas veſtræ ſinceritatis dat nobis ſpem, fiduciamque vos quærere in tempore neceſſitatis. Siquidem reticere, ac ſilere nequimus, ſed magis conquerere compellimur, quòd quidam ſe uſurpans in locum miniſterialium beati Quirini in ſpatio progreſſionis Domni Abbatis noſtri causâ utilitatis noſtræ in Orientem, manſum, quem in præſentiarum veſtrarum ſub interdictu amiſit, ſpoliavit, & veſtram judiciariam æquitatem, Domnique Abbatis noſtri ſuper hunc manſum juſtitiam annihilavit. Super hæc, Domine, unanimes veſtram interpellamus clementiam, & ut nulli ſuper hæc & cætera alia adulatori adhibeatis veſtram audientiam, donec clementia concedat nobis DEI reverſionem ab Italia veſtram. In his, et hujusmodi vix veſtrum præſtolamur adventum, quia pene nos noſtraque omnia, quæ regimine juris veſtri ſunt

Digitized by Google

ſunt aſſignata, per multorum audaciam ſunt eliminata.

16.

Ad R. Abbatem, cui ob liberandi depoſiti ſtudium gratias agit, & eum, quid ſibi porro agendum ſit, conſulit.

R. Patri venerando, R. cum univerſa congregatione S. Quirini debitam obedientiam cum devotis orationibus.

Debitas Paternitati veſtræ gratias agimus, quòd ſecundùm petitionem noſtram pro denariis ad recipiendum depoſitum noſtrum tantopere laboràſtis. Nos verò hujus rei causâ cellerarium noſtrum *Ratispone* transmiſimus. Sed fœnerator XIV. talenta, quorum Comitem O. pro eodem depoſito ſibi debitorem atteſtabatur, exceptis uſuris, à nobis exigebat, quod & miniſterialium ſuorum adteſtatione verum eſſe cognovimus. Hæc verò Paternitati veſtræ ſignificare congruum duximus, & quid de his vobis videtur, per legationem veſtram nobis inſinuetis, obſecramus.

17.

Ad Voldaricum Patriarcham Aquileg. cui commendat fratrem pro privilegiorum confirmatione Romam tendentem.

VO. reverentiſſimo ſanctæ *Aquil.* Eccleſiæ Patriarchæ, R. humilis Miniſter S. Quirini *Tegrinſe* cum univerſa congregatione ſibi credita tam devotum, quàm debitum obſequium cum frequentia orationum.

Divinæ pietatis providentia multorum ſaluti conſuluit, dum ſuper terrenæ nobilitatis excellentiam in tantum vos ſpiritali gloria & honore coronavit, ut omnibus prudentiæ veſtræ innitentibus neceſſarium pro modulo deſiderii eorum adjutorium impendere valeatis. Hac ergo ſpe & fiduciâ per veſtræ conſanguinitatis fratrem noſtrum præſentium latorem, ad Dominum Apoſtolicum à nobis directum, Paternitati veſtræ commendamus, & committimus, obnixè flagitantes, ut conſilio, & auxilio veſtro negotium noſtrum ad effectum perducatur, ut, dum locus noſter, veſtrâ munificentiâ præditus, neceſſariis privilegiis munitus fuerit, ſpecialis veſtri memoria apud nos, & omnes ſucceſſores noſtros habeatur, & orationum ſincera devotio vobis in perpetuum exhibeatur.

18.

Ad Pertholdum Comitem Iſtriæ. Ut Dominum D. coërceat, eumque ad ablatorum reſtitutionem adigat.

PEr. Sereniſſimo Marchioni *Hiſtriæ*, R. DEI gratia *Tegrinſenſis* Abbas cum univerſa congregatione ſibi credita devotum obſequium cum intimis orationibus.

Neceſſariam pro rapina annonæ noſtræ, quam Domnus D. annuatim perpetrat, coram prudentia veſtra jam ſæpius querimoniam protulimus, ſed nondum aliquod à vobis judicium obtinere valuimus. Rogamus itaque, ut pro remedio animæ veſtræ, proſpectu juſtitiæ, nobis bona noſtra reddi faciatis. Sin autem, Divinum judicium ſuper hac injuria & publicis & privatis orationibus & querimoniis nos implorare noveritis.

19.

Ad G. Legatum Apoſtolicum. Ut negotia ſui negotia ſibi habeat commendata.

G Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Legato, R. humilis Eccleſiæ S. Quirini miniſter cum omni congregatione ſibi credita, devotum obſequium cum intimis orationibus.

Pietatem veſtram meminiſſe credimus, quia vice Domini Apoſtolici iter noſtrum *Romam* relaxâſtis, & excuſatos nos habere ſpopondiſtis. De his verò tam devotas, quàm debitas vobis gratias agentes obnixè flagitamus, ut negotia noſtra, (quæ) per legatum noſtrum vobis inſinuantur, benignè animadvertatis, & opem nobis pro data vobis ſapientia in omnibus impendatis.

20.

Ad Alexandrum III. R. P. Exponit injurias, Monaſteriis non exemptis ab Epiſcopis Diœceſanis inferri ſolitas, ejusque gratiam has contra implorat.

SAnctiſſimo Domino, & Patri A., Divinâ gratiâ univerſalis Eccleſiæ ſum-

mo Pontifici, R. de Monaſterio S. Quirini Abbas cum univerſo collegio, ibidem DEO militanti, cum orationum frequentia, & fideli obedientia debitæ ſubjectionis ſervitium.

Sicut fidelibus perſonis & viris, religiosè converſantibus, ad obtinendum perfectionis meritum primæ Sedis obedientia & gratia valde eſt neceſſaria: ita locis venerabilibus, ſecundùm ordinem & regulam beati Benedicti laudabiliter inſtitutis, ne primæ fundationis glorioſa inſtitutio depereat, ejusdem ſacroſanctæ matris inceſſanter eſt expetenda defenſio. Sæpe enim accidit, ut loca, quæ devotione fidelium, & munificentia Principum, & largitione Regum & Imperatorum ad ſtatum digniorem profecerunt, ab Epiſcopis, in quorum diœceſi ſunt, injuriam, & non modicam indignationem ſuſtineant, ubi in fundo Monaſterii Eccleſiæ erectæ ſunt, & Sacerdos ad arbitrium & electionem Abbatis & Monaſterii inſtituendus eſt, Epiſcopus in hujusmodi debitum reſpectum neque Abbati, neque Monaſterio obſervat. Rurſus Epiſcopus aliquis iniquæ dominationis aſſultu indebita ſervitia à locis ſacratis exigit, & in tantum contra fideles, & religiosas perſonas exardeſcit, ut dum indebitæ exactionis effectum ſortiri non poteſt, etiam divina non verecundetur ſubtrahere, & interdicere. Sanè etiam obeunte aliquo viro illuſtri, ſeu Principe, qui decedens allodia Monaſterio legitimè contulerit, quibus placuerit, ſacrilego auſu ea ſibi vendicant, & Epiſcopi, in quorum diœceſi demorantur, id ad animum non revocant, neque debitæ diſtrictionis examen de hujusmodi impendunt. Super his omnibus, reverentiſſime Pater, veſtri Apoſtolatus gratiam interpellamus, & quidquid ad hujus moleſtiæ calumniam declinandam hi, quos miſimus, à veſtra Sanctitate expetierint, ut clementer indulgeatis, & divinæ miſerationis intuitu nobis in hac parte ſubveniatis, humiliter rogamus, & omni genere devotionis & ſervitii ſemper promereri parati ſumus. Legatus veſtræ Sanctitatis, Domnus G., qui in domum noſtram deſcenderat, inbecillitate noſtra conſiderata mandatum de adeundo Concilio nobis relaxavit, & indemnitatem honoris & officii ſe nobis obtinere ſpopondit.

21.

Ad Othonem Præpoſitum Reittenbuch. de damno ex dilato ejus adventu. Commendat ei cognatam ſuam.

Litteris veſtræ fraternitatis acceptis gravi ſum mœrore perculſus, tum quia ſpe & fiducia pro negotio meo in vobis poſita tam inopinatè ſum deſtitutus, tum quia legatos meos, adventum noſtrum de die in diem exſpectantes, in magno ſcio dolore conſtitutos, & omnibus inutiliter expenſis, tandem infecto procul dubio negotio redituros: ſiquidem in Feſto Purificationis Sanctæ Mariæ *Veronam* venientes, adhuc *Romæ* conſiſtunt, adventum, credo, veſtrum præſtolantes, ne totum laborem vanè conſumpſiſſe videantur. Pro cognata noſtra rogo indefeſſè laboretis, quia terminus inſtat in proximo, ut à juramento pro voto Domni E. nos expediamus.

22.

Ad H. Comitem de Franh. ut ſibi contra quosdam improbos, & raptores adſit.

H. Nobili Comiti de *Franh.* debitum obſequium.

Serenitati veſtræ conquerimur, quia fratrem noſtrum, Sacerdotem & Monachum, legatione noſtra functum, W. de *Honenin* loco Eccleſiaſticæ dotis captivavit, & ſecum abductum rerum & vitæ impotem fecit, donec data fide juſſoria vix tandem ſanus evaſit. Nos verò quemcunque diem, & locum præſignaveritis, Clericum noſtrum, cujus occaſione prædictus miles tantum ſcelus in nobis perpetravit, illò transmittemus, ut ſub tuitione veſtra deductus & reductus, cauſaque diligenter examinata, juſtum illis & nobis de ſacrilegii facinore judicium faciatis. Simili módo iteratam coram vobis querimoniam deponimus ſuper H. cognomento *Magiſter*, qui cum reliquis complicibus ſuis famulos noſtros, annonam noſtram ferentes, invaſit, & quinque equis ablatis reliqua ſupellectile ſua eos denudavit. Super his omnibus prudentiam veſtram quàm intimè flagitamus, ut reſpectu juſtitiæ & obtentu ſervitii noſtri providè omnia perpendatis, & prout juſtitia exigit, univerſa determinetis.

23. *Ad*

23.

Ad F. de Hagenovve. Ut ablatam annonam reſtituat : Sin, querelam ad Imp. ſe delaturum minatur.

R. Abbas S. Quirini, F. de *Hagen.* Sinceram orationum & obſequii devotionem vobis per nos exhibere dignum & juſtum eſſe noverimus. Nequaquam probabili ratione ab hac nos intentione removiſtis, dum annonam noſtram contra ſpem jam ſecundò violenter abſtuliſtis. Nos verò omni tempore & reſponſales Domini Apoſtolici conſtituimus, & legatum Domini Imperatoris apud nos detinemus. Et quia innocentiam noſtram juſtitiæ fructum apud vos habere confidimus, querimoniam noſtram ſpei cauſa aliàs proferre diſtulimus. Itaque Serenitatem veſtram quàm intimè flagitamus, ut nobis annonam noſtram reſpectu juſtitiæ reddatis. Alioquin querimoniam noſtram coram Domno Imperatore nos proferre, & divinum judicium per publicas & privatas orationum & Miſſarum oblationes expetere noveritis.

24.

Ad N. ſe in cauſa Dominæ H. in omnibus ei conceſſurum.

NObilitatem veſtram ſcire confidimus, qualiter nos cum Domna H. pro ſcriptura convenimus, quod, DEO annuente, ut jam videtis, ad perfectum duximus. Nam illa cùm ad nos deſcendiſſet, & me aliquantulum invalidum reperiſſet, de ſcriptura mihi commiſſa non ex ſe, ùt confido, ſed ex conſilio adverſariorum meorum ſatis durè quæſtionem movit, & poſt diverſas tergiverſationes viginti tres quaternos, ex integro ſcriptos, à nobis recepit tali conditione, ut eandem ſcripturam per ſe huc deferret, & omnibus vobis repræſentaret, & ut ego partem adhuc imperfectam quantocyus perficerem, & infra Feſtum S. Mariæ per meipſum deferrem, ut conſilio veſtro, ſi quid exinde conſequi deberem, in præſentia veſtra diffinirem. Sed Domna H. conditionem hanc irritam fecit, & omnibus nobis ignorantibus XXIII. quaternos Camerario noſtro ſervandos commendavit, ea ſc. ratione, ne alicui, præterquam ſibi, aut certo legato ſuo dare præſumeret. Quod tunc primò comperi, cùm ad vos venire perfecto opere paratus fui, ùt convenimus. Conſilio igitur habito videbatur Domno Cellerario, & Camerario, & melioribus noſtris, me abſque ſcriptura ad vos fruſtra venire, ſed hæc priùs vobis per præſentes litteras inſinuare, quæ & prudentiam & auctoritatem habetis, huic negotio finem imponere, & me ſciatis ei ob gratiam ſui, & totius congregationis, plusquam juſtitia exigit, & conditionis noſtræ ratio expoſcit, in omnibus obedire.

III.

A Præpoſiti de Hei. epiſtola ad Rupertum Abbatem Tegernſeenſem de fratre D., qui de adulterio accuſatus, Canonicè innocens judicatus eſt.

R. DEI gratia in Chriſto Reverendo Patri, ac fideli Diſpenſatori in Cœnobio S. Quirini, totique Congregationi, DEO ibidem famulanti, A. DEI gratia Præpoſitus de Hei, * cum univerſo ejusdem Eccleſiæ Capitulo tam fidelis obſequii certitudinem, quàm orationum ſuarum in Chriſto perſeverantiam.

* *f.* Heibach *ſeu* Haibach.

Quoniam hactenus in multis, & per multa aures miſericordiæ veſtræ in neceſſitatibus noſtris nobis exhibuis, quapropter gratias vobis agentes idipſum in futurum ſperamus. Unde Sanctitati veſtræ notificamus, quòd frater noſter D., quem Diabolico inſtinctu, ut cognoviſtis, quidam miniſterialis Eccleſiæ veſtræ, ſacræScripturæ præcepta transgrediens, violenter de adulterio ab eo tantùm diffamatum invaſit, ſed ejusdem adulterii crimine, præſentibus nobis, & tam Eccleſiæ noſtræ Canonicis, quàm cunctis fratribus reliquis ſacro examine, teſtimonio etiam poſt hoc, prout juſtum eſt, expiavit. Unde ſub teſtimonio noſtro cum innocentem DEI clementia ſecurè judicamus, & confirmamus.

IV.

A. Prioris de Welmſh. epiſtola ad eumdem, an ad alium? Falſum eſſe, à ſe unquam de hoſpitalitate Burensium detractum fuiſſe.

DIlecto in Chriſto fratri, Domno R. A. de *Welmsh.* Prior dictus, orationes cum ſalute. *indid.*

Nuper, cùm veniſſem ad vos, ſcitis, in

Digitized by Google

in quanta charitate habitus, vel dimiſſus ſim à vobis. Ego certè præſumebam de vobis, tanquam fideli penitus amico. Sed turbavit aliquantulum puritatem affectus mihi veniens de vobis ad me rumor, quem nolebam. Clericus enim quidam H. de *Antrichingen* in medio fratrum noſtrorum Burrenſium audiſſe ſe vos de me dicentem, quòd ab ipſis Burenſibus minùs honeſtè tractatus, in charitate hoſpitali vituperabiles eos zelo non bono affirmâſſem. De qua re ego ſim innocens, DEUM inprimis teſtem ſimul & vos voco cum propria mea conſcientia, quoniam non ſolùm dixiſſe, ſed ne cogitâſſe me aliquid hujusmodi veraciter ſcio. Vos itaque, ſi unquam tale illud in me feciſſetis, admirari non poſſum, pro quo meo in vos peccato, quod minimè verum ipſe noveratis, de me loqui volueritis, præſertim cùm in maxima charitate tam vos, quàm omnes fratres veſtri me dimiſeritis. Ego quidem vos illud feciſſe non credo, immò vix credo, quia ille ſe veraciter hoc ex vobis conſcius ſitis, quòd tale dixeritis, litteras excuſatorias mihi mittite, & eas videat Burenſium fratrum congregatio, ut vobis ipſo teſte, de inpoſito mihi tanti mali nævo potiſſimùm expiari debeam, litteras, quæſo, mittite.

V.

Wernheri Abbatis S. Galli Epiſtola ad eundem. Rogat eum, ut & deinceps quoſdam de familia S. Galli defendat.

indid. WDEI gratia Abbas Sancti Galli, Patri S. Quirini, orationem, & ſervitium.

Servitio & orationi erga vos nos, ſi locus quandoque detur, hoc promereri non dubitetis, quòd tanta diligentia hanc mulierem, & virum ejus, & pueros defendiſtis. Rogamus etiam, ut amori Patris noſtri Galli in defenſione eorum deinceps magis laboretis. Certum enim vobis ſit: licèt pauper ſit, hanc tamen de nobiliori familia Sancti Galli eſſe, nec unquam cuiquam in beneficio tradi poſſe. Quod ſi neceſſe ſit, quatinus ſæpius probari poſſet, idcirco vobis apertas litteras direximus.

VI.

A. Cujuſdam, ut videtur, Abbatis Epiſtola ad eundem. Petit ejus opem ad complendum Codicem, ſibique Speculum Eccleſiæ transmitti rogat.

R. in Chriſto fratri dilecto, & Abbati humillimo, A. Paſtor indignus cum omni congregatione ibidem degente, debitam in Chriſto reverentiam. *indid.*

Quoniam litteris iſtis, charitati veſtræ deſcriptis, neceſſitatem incepti codicis (intelligitis), auxilium veſtri precibus inpulſamus; ut opuſculum DEO, Patronoque * parto in uſum conſervetur, vosque participem memoriæ beatitudinis in ævum confirmemus fore. Et in- meo. ſuper petimus, ne dilato charitatis veſtræ præſidio nobis exemplar, ſcilicet *Speculum Eccleſiæ* per latorem præſentium transmittatis, ut brevi tempore ſpatio completo vobis honeſtè remittentes, gratiarum actiones pro beneficio imploremus.

* *f.* Bartholo-

VII.

Bertholdi Marchionis Epiſtolæ.

1.

Ad Rupertum Abbatem Tegernſeenſ. Rogat, ut equum filiæ ſuæ, Ducis Ampudii deſponſatæ accommodet.

indid. SUo amico chariſſimo R. Sanctæ Tegrinſenſis Eccleſiæ Abbati, B. DEI gratia *Iſtriæ* Marchio, ſervitium cum intima dilectione.

Ex affectu ſinceræ dilectionis, quam erga vos, & Eccleſiam veſtram gerimus, vobis ſignificamus, quòd de proſperitatis & honoris veſtri profectu ex intimo corde gaudemus. Quia itaque de adverſitate veſtra noſtrum eſt dolere, ideirco veſtræ Sanctitatis prudentia rogamus, quatenus ſi qui vos juſtitiæ perſecutores aliquomodo incommodant, nobis litteris veſtris reſcribatis, atque equum noſtrum filiæ noſtræ, quam filio Ducis *Ampudii* jam pridem deſponſavimus, ita ut nos diligitis, impertiri non renuntietis. Hunc nos, ſi vita comes fuerit, & incolumitatem corpori ſanitas ſubminiſtraverit, vobis benè reſtituemus.

2. *Ejuſ-*

Digitized by Google

2.

Ejusdem fortè ad eundem. Rogat, ut sibi libellum de Herzogen Ernesten, transmittat exscribendum.

DIlectissimo R. fideliqúe amico suo, B. DEI gratia, quicquid est, preces cum devoto servitio.

Quoniam amicus in necessitate probatur, & item, qui est amicus, semper diligit, rogo affabilitatem, & pietatem tuam, sicut benè confido de te, ut annuere digneris petitioni meæ, & concedas mihi *libellum Teutonicum de Herzogen Ernesten*, donec velociùs scribatur mihi, quo perscripto continuò remittatur tibi. Quod si feceris, parens & promptus in omnibus, quod est amicorum, apparebo.

VIII.

D. & P. Epistola ad eundem: docent, quomodo causam suam, coram Episcopo Frising. agendam, rectè instruat.

Indid. AMantissimo Domino suo R. venerabili de Monasterio S. Quirini Abbati D. & P. sui se.

Non nihil vestræ, quæ circa dispensationem vobis est, sollicitudini addentes, vobis suggerere destinavimus, quatenus ad diem à Domino nostro Episcopo vobis præfixum omnimodis instructus veniatis. Veniet autem & ille, W. videlicet de *Alta*, qui dicitur, *domo*. Quocirca triumphare qui proponitis, ne sine armis procedatis, negotio competente decernite. Ne autem ex parte nostri ea, quam dicimus, informis remaneat instructio causæ vestræ, conducere judicavimus, si legum secularium quempiam scium cum delegatione prædii, de quo res agitur, vobiscum adduxeritis. Denique litteras delegationis cum litteris Domini nostri Episcopi, quas pro eodem negotio proximè suscepistis, ne fortè reliqueritis. Si qui de ministerialibus Comitis H. vobis contestantur, & de testibus, qui delegationi interfuerunt, duo vel tres, & maximè nobiliores, si vobiscum venerint, actioni vestræ plurimùm conducet. De cætero prudentiam vestram familiariter in idipsum alloquimini, ut vos, prout ipsa suggesserit, agatis.

IX.

F. de Hagenowe ad eundem, cui se omnimo dedit, & omnia ablata restituturum spondet.

DOmino suo dilectissimo, venerando *indid.* DEI gratia in *Tegrinse* Abbati, F. de *Hagenowe* sibi ex animo, & mente prompta devotus, obsequii sui omnimodam, & voluntariam per omnia exhibitionem.

Gratiæ vestræ hactenus mihi acceptam in multis benignitatem gratiùs ac abundantiùs obtinere, atque ab hac obtenta non divelli, fixum in proposito mecum statui, plurimam spem de benivolentia vestra habens, quòd desiderii mei apud vos effectu perfruar, nec per aliquos, mihi non bona volentes, hoc voto fraudari demerear. Misi itaque litteras & verba, quibus excellentiæ vestræ diligentiæ significare dignum duxi, quicquid ab hominibus nostris, cùm nec domi, nec saltem in provincia propter gravia essemus negotia, contra paternitatis vestræ sublimitatem perperam actum est, totum à me restituendum, & secundùm jus reformandum die & loco condicto ac præfixo, sicut visum est, & placuit fratri vestro, pro hoc ipso ad me directo. Rogo itaque obnixè, & iterum atque iterum obsecro, quatenus ego vestro subditus stem sub judicio, nec per vos aut per vestros ad Dominum meum Marchionem querimonia perferatur, ne gravior seu intolerabilior mihi reddatur, qui gravis tamen admodum mihi pro suo interdum est beneplacito. De cætero, quicquid vestra super his decreverit pietas, rescribere non dedignemini, certò scientes, me in his, aliisque omnibus, ut Domino, vel Patri libenter & devotè pariturum. Soli vobis scripta portigi nuntio injunxi, quæ & vos solus sine arbitris peto suscepta legite, & secundùm id, quod valdè præsumo, agite.

X.

Friderici Prioris de Nova Cella Epistola ad eundem Rupertum: ut populum suum ad conferendam pro ædificii Cellensis consummatione stipem cohortetur.

DIlecto, ac venerabili Domino R. *Tegrinsensis* Ecclesiæ Abbati, sibique

* Neu Stifft *propè Friſingam.* *indid.*

que amantiſſimo Fratri, F. dictus Prior in * *Nova Cella* S. Petri, totuſque Conventus, ſinceriſſimum orationis, & totius devotionis obſequium.

Quia diutiùs in ſtructura Eccleſiæ noſtræ laboravimus, prout pia Paternitas veſtra novit, præ nimia inopia noſtra perficere non valemus. Ipſa tamen perfecta charitas veſtra, largaque manus compellit nos vobis tanto Patri neceſſitatem hanc inſtantem intimare, & gratiam ac miſericordiam a vobis poſtulare. Fratrem etenim noſtrum, præſentium portitorem in manus gratiæ veſtræ adtentiùs commendamus, ut conſiliis & auxiliis veſtris in noſtris negotiis fulciamur, venerandam Sanctitatem veſtram petentes, ut populum ad Sancta loca veſtra properantem pro nobis alloquamini, quatenus ob ſalutem animarum ſuarum ad incæptum opus peragendum aliquid nobis charitatis impertiantur.

XI.

G. Clerici ad eundem Epiſtola. Se ſtrenuè Pariſiis operam in litteris collocare, atque adeò eius, parentumque opem ſibi neceſſariam eſſe.

RVirtutum ſpeculo, & DEI gratia SanctæCongregationis de *Tegrinſe* Abbati, G. ſuorum Clericorum minimus.

Veſtræ Dilectioni litterulas, licèt temeritatis inde argui poſſem, mittere deſtinavi, in quibus veſtræ Paternitati enodare decrevi, me incolumem ſtudere *Pariſius*, NB. & in liberalibus artibus, quantum poſſum, elaborare. Veſtra benignitas circa me, quod incæpit, perficiat, ut, ſicut primum medio, & medium imo conveniat, patrique & matri meæ amantiſſimæ præcipiendo perſuadeat, ut mihi in neceſſariis exiſtenti in ſtudio provideat.

XII.

*Sic Cod. G. * *Tridentini Epiſcopi Epiſtola ad eundem. Ut quaſdam vineas in agro Bolzano cum alio prædio commutet.*

indid. GDEI gratia *Tridentinus* Epiſcopus venerabili Fratri ſuo R. Abbati de *Tegrinſe*, ſalutem & fraternam charitatem in Domino.

Mandamus Diſcretioni veſtræ, ut ſtatim viſis litteris talem veſtrum nuntium, & vicarium nobis mandetis, cum quo poſſimus firmiter ordinare quædam, quæ ſpectant ad maximam utilitatem veſtri Monaſterii. Habetis quaſdam vineas iuxta * muros *Bozani*, de quibus parum aut nihil proficui habetis, & nobis valde neceſſariæ, nec eis carere poſſumus, nec volumus, pro quibus dabimus vobis curiam unam bis tantum vobis valentem, & in meliori loco iacentem. *Cod. moros.

XIII.

L. Abbatis Weſſobrunenſis epiſtola ad eundem. Ut diem iudicii, de cauſa cujuſdam miniſterialis ferendi, tantiſper differat.

REligioſo in Chriſto Patri, & Domino R. *Tegrinſe.* Abbati, L.* *Weſſembrunenſis*, gratia DEI, id quod eſt, orationes in Domino & obſequium. *indid.* *f. I.

Sicut jam dudum vobis nos ſcripſiſſe meminimus, quidam miniſterialis veſter de curte noſtra *Talen* violenter, quæ ibi erant, abſtulit, & quidam Fratrum noſtrorum ſine conſilio noſtro & voluntate diem ſuper eo ipſo ad proximam ſecundam feriam condixerunt: Cui placito cùm nequaquam nos intereſſe poſſimus (nempe versùs patriam noſtram infra hoc triduum nos movere diſpoſuimus) proinde, inquam, rogamus, & fideliter ſupplicamus, quatenus diem ipſam protelare usque ad reditum noſtrum dignemini, & tanquam poteſtatem habens, nos unà cum illo veſtro miniſteriale in manus arbitrii veſtri recipiatis, indubitatò pollicentes pro nobis, quòd ad nutum oris veſtri nos omnimodis ſuper tota illa cauſa annuemus. Nam poſt reditum noſtrum ipſi, DEO annuente, vos videbimus, & de die vobiſcum convenire debebimus. Puer præſentium lator, Monachus & cognatus amici veſtri *Salzpurgenſis* Abbatis per aliquot dies in loco veſtro ſtare intendit, quem pro noſtri, & Domini ſui ſervitio nobis, cùm ipſe petierit, remittite.

XIV.

*M. Comitiſſæ * ad eundem Rupertum epiſtola. Queritur ſe ab eo deſertam, &, ut ſibi plenarium mittat, rogat.* * de Sulzbach.

RVenerabili Abbati *Tegrinſenſis* Eccleſiæ, M. cognata ipſius, quondam *indid.*

Digitized by Google

dam moritura Comitissa, quod debet, quod valet utriusque hominis affectus. Si licitum foret, dilectissime cognate, ut quis cognato, vel amico irasceretur, vobis irasci deberem, quòd me in ærumnis plurimis positam, atque omni solatio destitutam nunquam vidistis, nec aliquod præsidium impendere curabitis. Sed quia nunc pauperem vitam gerimus, nec vestram magnitudinem nos miseræ ferre possumus, & quod hactenus haud contigit, quomodo deinceps id fieri, Karissime, poterit? Sed quid multa? Ecce *plenarium* nostrum, quod vobis transmisimus, sine omni dilatione per præsentium latorem nunc dirigere curate: Et si nondum opere digno comparatum sit, non sit vobis curæ, quoniam bonum artificem levi pretio conduximus, & id ipsum præstolatur opus perfecturus: & pondus auri atque argenti qualibuscunque litteris annotate, ne aliqua minima possit legare fraude. De reliquis etiam atque etiam nolite oblivisci, quæ largissimè spoponderatis, & quicquid miseratis, vestræ accurationi constat providendum, ne quid indecens contingat.

XV.

M. Abbatis Hil. ad eund. epistola, qua commendat ei Monachum suum, qui recuperandæ sanitatis causa Tegrinseam accessit.

indid.

VEnerabili, & dilecto Domino R. Tegr. Monasterii Abbati, M. Hil. Abbas orationem, dilectionem, & salutem. Quamvis mutuæ visitationis & allocutionis propter remotas sedes usu careamus; dilectio Christi, quæ etiam terrenis cælestia copulat, & ejusdem Ordinis societas amicitiam, & familiaritatem nobis ad invicem operatur. Hujus societatis respectu fratrem nostrum, præsentium latorem, qui pro recuperanda sanitate Ecclesiæ vestræ, & Patroni ejusdem patrocinia quærit, vobis commendamus, quatenus Paternitatis vestræ clementiam inveniat, & præcipuè orationis vestræ, & fratrum vestrorum obtentu per gratiam DEI, & Sanctorum, quorum suffragia expetit, passionis, qua laborat, evasionem obtineat.

XVI.

Monachorum Gottwicensium ad eund. Epistola. Exigunt sibi debitas, & dudum promissas reliquias Sanctorum.

DOmino R. venerabili *Tegrinsensium indid.* Abbati, *Kotwicensis* humilis congregatio sinceras orationes, & devotum servitium.

Admoniti sæpius a custode nostro, quia petitioni Charitatis vestræ de inopia nostra reliquias Sanctorum in duplo reddendas obtulimus, plurimùm tantæ nobilitatis viri promissionum verbis confidentes repetere quasi supersedimus. Sæpè verò iam diutiùs frustrati ad petitiones accedimus, & non solùm iure * ditatis reddendas, sed etiam expectationis præmio largiter dandas omnimodis expetimus. Vos autem tum pro DEO, tum pro iustitia nulla occasione præpeditus, sed harum, quas petimus, & quas debetis, divitiarum copia satis expeditus, ut paupertati nostræ satis faciatis satagite, & clamore nostro sedato, a Sancto Sanctorum nostris orationibus præmia sperate.

** sic Cod.*

XVII.

Monachorum Montis S. Georgii ad eund. Rup. Epistola, qua eius consilia & auxilia expetunt.

DOmino suo & Patri reverendo R. *indid.* universa fraternitas in Monte S. G. obedientiam suam, & orationum ac servitii fidelissimam devotionem.

Quoniam vera fraternitatis & mutuæ charitatis affinitate conjuncti sumus, meritò pro remedio tribulationis nostræ ad munificentiam Paternitatis vestræ confugere debemus: hoc siquidem obnixè postulantes, ut ob dilectionem DEI & nostri in proxima die Veneris, vel in die Sabbati consilio, & auxilio vestro, fratrumque vestrorum nobis subvenire, amota omni ambiguitate, ipse veniatis, vel de fratribus vestris honestas personas ad significandum nobis verba Dilectionis vestræ ad nos dirigatis.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII.

Paldewini Ab. Montis S. Georgii ad eund. Epistola. Remittit ei quendam Monachum, iam emendatum, & ab anathemate absolutum.

indid. R. DEI gratia *Tegrinsensi* Abbati, & universæ congregationi sibi creditæ, P. Abbas Montis S. G. humilis Minister cum omnibus fratribus suis devotã in Christo obedientiam cum sinceris orationibus.

Gratias agimus vobis quàm intimè, quòd ad nos tam humilem, & honestæ conversationis fratrem, more materno tanquam ad filiolam direxistis. Veridica enim auctoritate sciatis, lineam pueritiæ suæ apud nos bonis moribus, piis actibus decorâsse. Hunc ergo fratrem iam sufficienter emendatum, & ab omni anathemaris vinculo relaxatum vestræ paternitati remittimus, quàm intimè flagitantes, ut respectu iustitiæ, & obtentu servicii nostri ipsum ab æmulatoribus suis defendatis, aut nobis cum quantocyùs remittatis.

XIX.

Hartmanni Ep. Brixiensi. ad eundem Epistola. Nuntiat se Sanctam Pentecosten apud eum, nullo conscio, transacturum.

indid. R. Venerabili *Tegrinsensium* Abbati, H. *Brixiensis* Ecclesiæ divina patientia servus, si quid valet assidua peccatoris oratio cum devoto servitio.

Ut multorum relatione cognovimus, sæpenumero a vestra Sanctitate invitati sumus: sed adhucusque propter imminentia nobis negotia venire non potuimus. Nunc itaque, quia temporis opportunitas arridet, si vestræ Sanctitati placet, per Sanctam Pentecosten vobiscum stare proposuimus. Quia verò cum paucis venimus, rogamus, ut adventus noster nulli pateat, sed apud vestram discretionem reconditus semper lateat.

XX.

Henrici Ducis Austriæ Epistola ad eund. pro Henrico Comite de Wolfrateshusen, cuius iura intemerata esse cupit.

indid. H. DEI gratia Dux *Austriæ*, venerabili & dilecto amico suo R. Abbati de *Tegrinse* sinceræ dilectionis affectum.

Constat, ut æstimo, vestræ prudentissimæ discretioni, quòd Ecclesiam vobis commissam semper dilexi, sicut in reditibus vestris sub regimine meo positis ex parte usque adhuc declaravi. In qua voluntate iugiter volo perseverare, nisi voluntariè ab amicitia vestra me velitis alienare: quod facitis, si illum, quem præcordialiter diligo, & ex consanguinitate diligere debeo, gravare, & honore suo privare intenderitis. Conquestus enim est mihi charissimus consanguineus meus Comes *H. de Wolfrateshusen*, quòd iustitiam suam, quam ex jure Advocatiæ suæ in Ecclesia vestra debet habere, imminuere, & auferre studeatis. Quod ne faciatis, quàm intimè rogo, ut in omnibus Ecclesiæ vestræ commodis promovendis semper me paratissimum inveniatis. Optimè igitur nóstis, quòd nemo unquam carnem suam odio habuerit, qui divinam & humanam legem adtendere consuevit. Hac lege considerata diligentes eum diligo, odientes eum diligere nequeo.

XXI.

Henrici Præpositi Hippolytani in Austria ad eund. Epistola. Rogat, ut sibi artis pictoriæ peritum iuvenem mittat.

indid. VEnerando Patri, & Domino Abbati in *Tegrinse*, & religioso ejusdem Ecclesiæ Conventui. H. *Ypolytensium* qualiscunque Minister cum universis fratribus suis, cum obedientia devotas orationes, & servitium.

Cùm manifestum sit, quòd ad decorem domus DEI tum materialis, tum & spiritualis Devotio vestra iugiter intendat, quòd in præsentiarum nostræque devotioni larga pietas vestra subveniat omnino superíperamus. Quæsumus ergo liberalitatem vestram, ut iuvenem illum, arte pictoria satis peritum, qui apud vos est, H. nomine, in partes nostras transmittatis, quatenus adminiculo eius picturæ decorem, quem in Ecclesia nostra cœpimus, favente Deo perficiamus. Equidem quantum in cœpto opere per ipsum proficiemus, tantum profectò meritis vestris concedere coram Deo non dubitamus. Præterea supradictum iuvenem cum honore faciemus ad vos remeare.

XXII.

Digitized by Google

XXII.

P. ad eundem Epiſtola. Petit veniam erroris ſui, rogatque, ut ſe in priorem gratiam recipiat.

indid. REverentiſſimo Patri ſuo, & Domino ſpirituali R., P. ille ſuus infimus, debitam obedientiam cum orationum perſeverantia.

O quantis laudibus vos extollerem, ſi vires ingenii ſufficienter haberem! Vos enim eſtis ille, cujus mater eſt modeſtia, cujus ſoror ſapientia, cuius amica eſt prudentia, cujus nutrix eſt juſtitia, in quo omnis virtus abundat. Teſtis enim mihi eſt DEUS & mea conſcientia, quia ex quo exaſperavi manſuetudinem veſtram, nulla mihi ſuperveniente lætitia, mœror & luctus à ſinu meo non receſſerunt. Nóſtis enim, Pater piiſſimè! quòd non nulli cum aſperitate ſubditos corrigentes præcipitaverunt eos in perniciem. Sic namque immoderatus rigor diſciplinæ aſperè corrigendo in laqueum deſperationis mittit. Unde, Pater miſericors, proſtratus veſtris pedibus quàm intimè flagito, quatenus iudicio miſericordiam ſuperexalteris, ut, ubi abundavit iniquitas, ſuperabundet & gratia,

XXIII.

Petri de Bono Card. Epiſtola ad eund. ut ad ſe inviſat, admiſſamque in hoc præſtando officio negligentiam emendet.

indid. PE. de *Bono*, nullis ſuffragantibus meritis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis tit. S. Suſannæ, Apoſtolicæ Sedis Legatus, dilecto in Chriſto fratri R. Abbati de *Tegrinſe* ſalutem, & debitam in Domino dilectionem.

Litteras noſtras, & chariſſimi Fratris noſtri C. *Salzpurgenſis* Archiepiſcopi Apoſtolicæ Sedis Legati, Diſcretioni tuæ nuper direximus, mandantes, ut tua Fraternitas noſtro ſe conſpectui præſentaret. Quod quia non eſt effectui mancipatum, tantò amplius admiramur, quantò minùs huiusmodi contemptus ſeu negligentia de tua providentia ſperabatur. Verùm quia dilectus, & familiaris frater, & amicus noſter, i. Abbas Eberſpergenſis pro perſona tua ſollemniter apud nos interceſſit, de manſuetudine Romanæ Eccleſiæ illiuſmodi exceſſum hac vice diſſimulamus, ſperantes, quòd inpoſterum, quod inæquabiliter factum eſt, in melius reformetur. Inde eſt, quòd per amicum tuum & noſtrum ſupra memoratum iterata tibi ſcripta porrigimus, rogantes, & benignè monentes, ut qui per tuam præſentiam viſitare nos neglexiſti, adtentè provideas, ut omni dilatione remota per aliquod honeſtum ſervitium a tua prudentia viſitemur.

XXIV.

R. Decani Friſingenſis Epiſtola ad eundem. Laudat eius conſilium de nova è lapide erigenda Baſilica.

indid. R. de Monaſterio S. Quirini Abbati venerando, R. *Friſingenſis* Decanus & totum *Friſingenſe* Capitulum, promptum, & affectuoſum ſervitium.

Bonæ ac honeſtæ intentionis veſtræ propoſitum de ſtructura Eccleſiæ lapidea, quam ædificare cœpiſtis, laudamus, & ut veruſtam diruatis, conſulimus, illud tantùm monentes, quòd veteris Eccleſiæ deſtructio adeò cautè fiat, quòd altare immotum, & inviolatum permaneat.

XXV.

R. ad eundem Epiſtola. Miſeratur miſeras fortunas ſuas, eumque, ut ſibi ſuccurrat, obnixè rogat.

indid. R. Domino ſuo, & Patri; Arbori indeficienti, fructum omni tempore ferenti, R. Pauper, & modicus poſt huius vitæ curriculum ſemper intueri Chriſtum.

Florentem veſtræ Religionis, ac Magnificentiæ Bonitatem, Pater & Domine Diſcretiſſime, dilatatam fore cognoſco, & ut per multa tempora honor & vita ſimul vobis proſperè vigeant, inceſſanter Dominum exorare non ceſſo. Veſtrum autem eſt flere cum flentibus, congaudere cum gaudentibus. Quapropter Paternitati veſtræ cum lacrimis, ac intimis ſuſpiriis conqueror, quòd, poſtquam terram Italiæ exivi, nullis conſolationibus ab aliquo ſum lætificatus, ſed rebus illic adquiſitis omnibus ſum nudatus. Nunc itaque, Pater & Domine mi, inopiæ meæ ſuccurrere dignemini, quatinus res meas aliquo modo diſponatis, & in præ-

Digitized by Google

ſenti neceſſitate nuditatem meam tegere procuretis.

XXVI.

R. ad eundem Rupertum Epiſtola de novis turbis, quæ ſibi ab Epiſcopo Auguſtano imminent, &c.

indid. DOmino ſuo R. Abbati, R. DEI gratia ſiquid eſt, indeficiens & intimum orationis, & obſequii munus.

Quoniam vos mihi & propinquitatis copula, & dilectionis unitate conjunctum eſſe non ambigo, idcirco gratiam veſtram expetere, & conſilium & auxilium poſtulare confidenti auſu nullatenus dubitavi. Notifico enim vobis, me, cæterosque noſtri Ordinis Patres legationem *Auguſtenſis* electi accepiſſe, in qua & ex mandato Imperatoris & obedientiæ verbo in his quatuor temporibus ad ſui ordinationem convocavit. Nos autem, qui jam dudum ſaniorem Chriſtianæ religionis partem elegimus, quia venire diſtulimus novas, ùt audio, & intolerabiles invaſiones expectamus. Quoniam igitur frater in anguſtiis comprobatur, ego licèt amicorum veſtrorum minimus, Sublimitatem veſtram intimè depoſco, & humiliter flagito, quatenus labanti ſubveniatis, & opem miſericordiæ & pietatis mihi impendatis. Audivi enim vos in partes *Orientis* * profecturum. Quod ſi vobis oneroſum non eſt, in comitatu veſtro vobiſcum illuc ire, & impetum inminentis perſecutionis interim declinare diſpoſui. Quicquid ergo ſuper hoc verbo facere volueritis, per hunc miſſum remandate. Val. Religio munda, & immaculata, quæ eſt apud DEUM, & Patrem, vos, & fidelem convictum veſtrum tueatur!

* i.e. Auſtriæ.

XXVII.

S. Decani Tegernſ. Epiſtola ad eundem Rupertum. Scribit, quid in Concilio Salzburgenſi decretum ſit.

indid. R. Domino & Patri Venerando, S. Decanus cum omni Congregatione ſubjectionem.

Paternitati veſtræ breviter inſinuamus, quæ apud nos aguntur, & quæ in Concilio Epiſcoporum ſunt inſtituta. Siquidem Domnus Archiepiſcopus querimoniam noſtram benignè ſuſcepit, & judicium infra Quadrageſimam *Salzburg* in veſtram præſentiam diſtulit, ubi & germanus veſter, Venerabilis Præpoſitus de Raitenbuch litteras Domni Apoſtolici præſentabit, quas, ſi in Concilio vobis abſente præſentâſſet, deperire timebat. Domnus Archiepiſcopus totam Quadrageſimam *Salzb.* manebit, & quamcunque diem per vos decreveritis, germano veſtro deſignate deberetis, ut apud prædictam urbem vobis expeditus occurrat. Decretum eſt autem de Clericis matricularium Eccleſiarum aut præbendas, aut parochias prorſus amittere, decimas a Parochianis aut in beneficium, aut in pignus traditas, infra XIV. dies redimendas, aut anathemati ſubiacere, uſuram accipientes excommunicari. Proſperitati veſtræ ex intimo cordis affectu congaudemus, & ut nobis in annona noſtra, quemadmodum de vobis confidimus, & ſperamus, benigniter provideatis, unanimi voto flagitamus.

XXVIII.

Tegernſeenſium Monachorum Epiſtola ad eund. Implorant eius opem adversus iniurias cuiusdam militis E.

indid. DOmino ſuo R. Abbatum Clariſſimo, S. Quirini M. Diſpenſatori electiſſimo, familia præfati Martyris ſicut debitum, ſic & devotiſſimum obſequium.

Iniurias, quas patimur a quodam milite, nomine E. longum eſt enumerare: a quo capimur, trahimur, vinculamur, deprædamur, & ultra modum hæc omnia ſuſtinemus. Unde & hæc latrix litteratum præſentium eadem mala, quæ enumeravimus, cum omni conſanguinitate ſua ſuſtinens in præſentiam veſtræ miſericordiæ cucurrit, ſeſeque pro cæteris periculo dedit. Nam præfatus miles, ſi reſcierit, graviora mala illis imponet. Hæc omnia, Pater Sanctiſſime, perpendite, & ibi, ſi quo modo valeatis, laboriosè viventibus, multisque iniuriis gravatis ſubvenite.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX.

Conradi Archiepiſcopi Moguntini Epiſtola ad eundem. Rogat, ut in certa ſibi neceſſitate ſuccurrat.

Circ. 1161.

Ex Cod. Tegerns.

CDEI gratia *Maguntinenſis* Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, dilecto Amico ſuo, Abbati in *Tegerſee*, ſalutem cum ſincera dilectione.

Sicut plurimum de veſtra Dilectione præſumimus, exigente neceſſitate preces veſtræ liberalitati porrigimus, rogantes vos quàm intimè, quatinus intuitu ſervitii noſtri impræſentiarum, ſecundùm quod lator præſentium ex parte noſtra vobis ſuggeſſerit, ita nobis ſubveniatis, ut de cætero vobis ſemper devotionem ampliorem & dilectionem exhibere teneamur.

XXX.

Udalrici, Præpoſiti Chiemenſis Epiſtola ad eund. Commendat ei fortunam cujuſdam ſuæ cognatæ &c.

indid.

CHariſſimo Domino, & ſpeciali amico R. venerabili Abbati de *Tegrinſe* V. *Chim.* dictus Præpoſitus, orationis, & ſervitii devotiſſimum affectum.

Labor dignationis veſtræ, quem pia ſollicitudo veſtra ſuſcepit pro puella illa pupilla, veſtra, & noſtra conſanguinea, & apud homines laudem habet, & apud DEUM remunerationem meretur. In qua devotione ne vos laborare pigeat, donec ad congruum effectum res perducatur, ſupplicamus, & hortamur in Domino. Nos verò, fraterque meus *Salzburgenſis* Eccleſiæ Præpoſitus, & ego, quia etiam ad nos jure ſanguinis pertinet, libentiſſimè vobiſcum huic negotio intenderemus. Sed veſtra prudentia ſtatum noſtrum optimè novit, quod inſinuata negotia ab hujusmodi negotio nos retrahunt. Abſente autem fratre meo, cum veſtras accepi, quod mihi viſum eſt, breviter dico veſtræ diſcretioni, quod & credo fratri meo non diſpliceret. Cùm perſonæ illæ, de quibus nobis ſcripſiſtis, quæ pro puella voluntatem habent, notæ ſatis nobis non ſunt, videtur mihi, ut aſſumpto conſanguineo veſtro, patre puellæ, patrem meum, & fratrem meum *Burb.* convenire ſatagatis in domo ſua propria, vel in aliquo loco utrique parti ad colloquendum idoneo. Quicquid vobiſcum communicato conſilio placuerit, verbum noſtrum eſt, & aſſenſum præbemus, de veſtra prudentia, & cautela nihil dubitantes.

XXXI.

W. Prioris Scheftlarienſis ad eund. Epiſtola. Rogat, ut quasdam pœnitentes mulieres abſolvat.

RVenerabili Abbati S. Quirini, W. Prior de *Scheftlarn*, cæteriſque fratres, ibi degentes, obedientiam. *indid.*

Venerunt ad nos mulieres, pœnitentiæ obligamenta portantes, quorum onera & vobis & ipſis comportantes, quia venit tempus miſerendi, tum propter DEUM, tum propter ſublevamina puerorum, ſummâ humiliſque ſupplicatione, licèt immeriti, in abſentia Magiſtri noſtri magna confidentia petimus, ut has abſolvatis.

XXXII.

Idem ad eundem. Quomodo agendum ſit cum perjuris, pœnitentia ductis?

DOmino venerabili, *Tegrinſenſi* Abbati R. frater W. *Schftlar.* Prior cum cæteris fratribus aſſiduas preces intimi cordis. *indid.*

Abſente Domino noſtro Præpoſito venerunt ad nos pœnitentes iſti legatione veſtra ad conſulendam exiguitatem noſtram miſſi. Scimus quidem fontem totius ſapientiæ ubertim apud vos redundare, videntur tamen nobis jam dicti homines, quia coacti perjurio ſunt lapſi, à pietate veſtræ diſcretionis humanè, ac miſericorditer tractari debere, ut domi res ſuas procurantes, & tres legitimas ferias jejunantes, ante natale Domini expleant XL. dies. Cætera, cùm venerit Dominus Epiſcopus de ſequenti VII. annorum pœnitentia cum ipſo diſponat Bonitas veſtra. Nos ergo omnes unà cum Domino Præpoſito memores veſtri inceſſanter indefeſſis precibus pro ſalute veſtra cupimus inſiſtere, optantes vos ſemper in Chriſto benè valere.

XXXIII.

W. Abbatis ad eund. Epiſtola. Dolet acerbiorem ejus vicem, ac ſua obſequia offert.

DOmino dilectiſſimo R. venerando Abbati *Tegrinſe* Monaſterii, W. gratia *indid.*

Digitized by Google

gratia DEI, si quid est, fratrum suorum orationes cum promptissimo servitio.

Quomodo attendam dolorem vestrum, & qualiter dolcam vice vestra, dilecte & venerabilis Domine, novit ille, qui scrutator est cordis, & inspector animæ. Quapropter intentio mentis meæ hoc habet in voto coram DEO, ut Pater misericordiarum & DEUS totius consolationis consolerur vestram compassionem in præsenti mœrore. Timeo autem, quòd promissum gratiæ vestræ factum ad me non possitis perficere pro ista vestri perturbatione. Quia verò spes non confundit, spero, sicut speravi de vestra honestate, & sperans in Domino, & in verbo vestro bono misi præsentem nuntium, ut, si aliquid possit esse de comitatu meo vobiscum, dignemini mandare per istum.

XL.

W. ad eundem. Invitat eum ad suscipiendam cujusdam prædii traditionem, testamento stabiliendam.

indid. DOmino R. venerabili *Tegrinf.* Ecclesiæ Abbati, W. inveteratus dierum, urinam bonarum, devotissimæ orationis frequentiam.

Quoniam numerus annorum imbecillem me reddidit, dies meos adbreviari non hæsito. Rogo itaque, ut aut *Welf.* aut alio loco, mihi contermino, parvitatem meam conveniatis, quatinus testamentum prædii mei, aliquando vobis erogati, altari vestro deferendum manibus vestris assignem.

XLI.

W. Tegernseensis Monachi ad R. Priorem ejusd. loci Epistola. Cur ad suum Monasterium redire nequeat?

indid. R. Venerabili Priori, & sacræ venerationis Conventui S. Quirini, W. pauper, & modicus tam devotam, quàm debitam cum intimis orationibus obedientiam.

Licèt parvitatem meam tanquam abortivum, quod de vulva matris suæ projicitur, longo jam tempore à visceribus pietatis vestræ, Patres, & Domini, abjeciisse videamini, tamen indissolubili naturalis, & veræ dilectionis vinculo cor meum omnibus vobis conglutinatum procul dubio noveritis. Ego quidem prosperis hucusque successibus per misericordiam Domini polleo: sed intuitu vestræ Serenitatis nos, ut par esset, minimè respicientem ægrè fero. Nam quorundam relatione didici, non adeo leniter, ut decet, mei vos habere memoriam, quasi petitiones, imò jussiones, & consilia vestræ legationis parvi penderim, & ad matrem meam, scilicet, *Tegrinsensem* Ecclesiam, cui per oblationem commendatus, & cui, quod vivo, debeo, cujus & ab ipsis infantiæ rudimentis lacte sum educatus, remeare dissimulaverim. Quæ si diligentius pro data vobis intelligentia considerare volueritis, non adeò offensum erga me fortassis animum habebitis, cùm ego Serenitatis vestræ qualiscunque discipulus, & sincerum erga vos dilectionis affectum habeam, & dudum jam ad locum primitiarum conversionis meæ reverti voluerim, sed non valeam. Nam si fuga dilapsus ad vos rediero, damnosum utrimque gloriæ nostræ crimen infero. Si verò per memetipsum licentiam obtinere tentavero, nequaquam - ut experimento didici, vel Abbatem sive congregationem ad optatum desiderii mei inflectere potero. Hæc, & his similia per fratrem vestrum *Per.*, quem solum ad me direxistis (nam si quem alium miseritis, ignoro) per hunc, inquam, plenius cognoscere poteritis, si tamen fraternam usque modo erga me habitam sæpius revolvere charitatem volueritis. Sed quia toties, ut dicitis, pro me laborantes, jam tædio vos affectos esse audio, Sanctitati vestræ, utpote indignum, & ingratum me ingerere minime audeo. Attamen Pietati vestræ pro eo, cui idem velle & idem nolle vobiscum adjacet, non incongruum existimo laborandum, quem in omnibus sinistris eventibus, si qui sunt, quod absit, absentem corpore, præsentem autem spiritu vobis constat compassurum.

XLII.

Albani, ut videtur, Ep. Patavienfis ad Rupertum Ab. Tegernf. Epistola. Commendat ei litterarum latorem &c.

A DEI gratia *Patavienfis* humilis *indid.* electus, Dilecto, ac Venerabili Abbati R. orationis cum sincera dilectione certitudinem.

Quo-

Quoniam de Dilectione veſtra tum propter affinitatem cognationis, tum propter debitum ſtudium circa honorem veſtrum, plerumque confidimus, nos una cum fratre noſtro pro beneficio præſentis latoris ad vos preces, ſibi, ut credimus profuturas, confidenter porrigimus. Præterea ſcire debet Charitas veſtra, quòd verſa vice in ſimilibus, imò in omnibus ad honorem, & voluntatem veſtram ſpectantibus, vicem reddere, & petitionibus veſtris ſatisfacere parati erimus.

XLIII.

Circa A. C. 1165. *Johannis Presbyt. Epiſtola ad Emanuelem Imp. Quærit, num is rectè in fide ſentiat? Offert eidem rerum Imperii ſui copiam &c.*

Ex Cod. Tegernſ. PResbyter *Johannes* potentia & virtute DEI, & JESU CHRISTI Dominus dominantium, Amico ſuo *Emanueli* Romeon Gubernatori ſalutem, Amico ſuo gaudere, & gratia ditanti tranſire ad ulteriora.

Nuntiabatur apud Majeſtatem meam, quod diligebas Excellentiam meam, & mentio Altitudinis meæ erat apud te: ſed per Apocriſarium iſtum cognovi, quòd mihi volebas jocunda quædam, & ludicra munuſcula tua dirigere, quibus delectaretur juſtitia mea. Etenim ſi homo ſum, pro bono habeo, quia ſcire volo, ſi mecum rectam fidem, & Catholicam habes in Domino, & ſi per omnia in Chriſto DEO credis. Magnificentia mea eorum, quæ ad gaudia pertinent, copiam indigentiæ tuæ per Apocriſarios noſtros largiſluè transmittet. Accipe Yeracam in nomine meo, & utere tibi. Tinna quoque noſtrum reſpice, & conſidera. Quod ſi velis venire ad Dominationem Majeſtatis meæ, poteris frui abundantia mea, & Majorem Dominationis meæ, ſi mecum ſtare volueris, te conſtituam. Sin autem; in his, quæ apud Majeſtatem (meam) ſunt, abundanter locupletatus redire. Remitte mihi apud Apocriſarium tuum ſcedulam tuæ Dilectionis, & in ea certifica me de propoſito tuæ voluntatis.

XLIV.

* *Ab an.* 1166. *Udalrici Abbatis Weſſobrunenſis * Epiſtola ad Tegernſeenſes. Conqueritur eis loci ſui miſerum ſtatum, rogatque, ut ſibi apud eos collectam inſtituere liceat.*

indid. SAnctiſſimis in Chriſto Patribus, Dominis & Fratribus, Decano, Præpoſito, & univerſo Tegrinſenſis Eccleſiæ Capitulo, V. Weſcinbrunenſium Fratrum, DEI gratia, miniſter humilis, cum toto grege S. Petri devotas orationes cum obſequio.

Univerſitatem veſtram, DEUS ſcit, ita pleno mentis affectu colimus, ſicut quibus plenariè debito Fratrum charitatis aſtricti ſumus, quorum pax, & gaudium tam in ſpiritalibus, tam in temporalibus noſtra ſunt, & eſſe debent in Domino. Tribulationem, qua manus Domini tetigit nos, ſcitis jam & audiſtis, quam in ſpiritu contriti cordis & humiliati beatæ, in vobis habitanti illi, quæ nunquam excidit, Charitati conquerimur. Hoc igitur à vobis omnibus in ſubſidio ruinarum domus noſtræ flagitamus, ut quoniam Eccleſia grandis fidelium, DEO jubente, convenire debebit apud vos, collectam nobis petere concedatis, & ipſi ad eam promovendam nos miſericorditer adjuvetis, ut Patet miſericordiarum DEUS centuplicato vobis fructu & hic & in futuro reſtituat, & nos fideliter in perpetuum mereri debeamus.

XLV.

V. ad W. Abbatem Epiſtola. Se non niſi calumnioſè à quibusdam æmulis delatum eſſe queritur, rogatque in paternam gratiam recipi.

WSpeculo Monachorum dulciſſimo, *indid.* V. humillimus carnis ſuæ, ſalvari in utroque homine.

Almitati tuæ, quòd ſcribere audeo, meæ non eſt præſumptionis, ſed intuitus tuæ paternæ moderationis. Spero enim à tua Clementia de temeritate non judicari pro his, quæ magna neceſſitas me cogit tuæ Reverentiæ adtitulare, diligenter animo revolvens, quòd uſque modo diligenti animo tibi ſervivi ſervili ſervitute. Unde tua prudentia animadvertat, quòd quidam, ſicut voluerunt, non ſicut debuerunt, me tuæ audientiæ detulerunt, & neſcio pro qualibus criminationibus me innocentem lapidandum condemnaverunt. Scis enim, & ſciunt etiam hi, qui mihi adverſantur, quàm benignè tibi ſervivi, & ſervitio provexi, ac omnimodis augmentavi. Nunc autem totis niſibus imploro tuum dominium, ut me, quem paterna flagellâſti ſeveritate, mulceas materna lenitate, excuſationisque meæ verba clementer exaudias, ignorantem-

Digitized by Google

que qua possis, rationum veritate convincas, convictumque, qua ratione possim surgere, edoceas.

XLVI.

V. ad W. Abbatem Epistola. Petit camisiam, Patroniique sui laudes versibus celebrat.

indid. W. Patri Præclarissimo V. ramum virentis olivæ, quem columba Noë adhuc gerit rostro.

Quoniam secundùm Psalmistæ dicta justitiam diligendo, & iniquitatem odiendo mens tua studiosissimè usque modo vigilavit, propterea te DEUS tuus oleo lætitiæ, & exultationis præ consortibus tuis sublimavit. Quapropter quæso Clementiam tuæ magnificæ misericordiæ, ut succurras donando camisiam miseriæ meæ, quo transitum Domini cum veris Israëlitis merearis celebrare. Domine exaudi vocem clamoris mei ad te, ut usque in senectam, & senium DEUS non derelinquat te.

Tu Decus Ecclesiæ, tu cultor Philosophiæ,
Tu dilecte DEI, vir magnæ progeniei,
Nobilis es gemma, Magnatum nobile stemma,
Et vir linguosus, sapiens, satis ingeniosus,
Nobilis & forma, virtutis & inclyta norma
Non poteris fari, neque dictari, nec arari
Ligno nec libro, terra, nec silice duro.
Quæ posco, dona, quò sumas gaudia summa.

XLVII.

Ottonis Præpositi Raittenbuchensis Epistolæ.

Circ. 1171.

1.

Ad Conradum Ab. Tegernf. ut Decanum suum cum complicibus Canonicis, ceu Apostolici mandati contemptores detestetur.

Ex Cod. Tegernf. DOminoac Patri C. Venerabili Abbati de Monasterio S. Q. O. Re. Ecclesiæ humilis minister, devotas orationes, & per omnia sinceræ dilectionis affectum.

Quoniam juxta Evangelium navis, id est, Ecclesia, seu quælibet laudabilis vitæ professio, vento valido interdum commovetur, oportet consilio, & auxilio religiosorum virorum Divinum excitari Christi præsidium, ubi cessat humanum. Nova siquidem, & inaudita falsorum fratrum contra nos surrexit malitia. Decanus noster, cui exemplo Moysi ego ad Dominum Papam profectus vicem meam agere permisi, impiis murmurantibus, & quasi pro reditu in Ægyptum litigantibus in sermone pessimo, & nequam, quem sibi formaverunt, quasi vitulo aureo consensit, fidem, & obedientiam violavit redeunti, & mihi de *Mantua* cum mandato Domini Papæ ac litteris tuitionis, quibus tam ipse, quàm alii rebelles ab injuria nostra arcentur, Apostolico mandato detestabiliùs, quam Aaron proruens in perniciem cum suis fautoribus ausu temerario contradixit. Et ecce! jam non dormit, sed contra interdictum Domini Papæ exiit, & ausum fraudis & erroris perficere intendit. Quia ergo apertè ipse, & sui complices Apostolici præcepti violatores existunt, sententiam Domini Papæ vobis intimamus, quatenus sicut inobedientes, & Apostolici mandati contemptores eos habeatis.

2.

Ad suos Canonicos, apud quos se de neglecta rei familiaris cura purgat, seque ad cessionem Præposituræ paratum offert.

O. DEI gratia R. Ecclesiæ dictus Præpositus, dilectis Fratribus, ibidem DEO militantibus, cum sincera dilectione salutem.

A vobis discedens, si Concilium, quod litteris Imperatoris indictum fuit, abrogatum fuisset, propositum habebam in Nativitate Domini reverti. Quia verò nunc Romani Pontificis auctoritate apud *Ravennam* in Conversione S. Pauli Concilium haberi decretum est, una cum Domino Patriarcha illuc iter arripui. Sanè quamvis in medio vestrûm positus, in omni cura gerendæ administrationis

sæpe

ſæpe vobis vileſcam, & inutilis appaream, fides tamen & dilectio, qua DEO Auctore aſtringimur, non veſtri me oblivi-ſci patitur; ſed debita ſollicitudine animum ſemper ad vos demigrare inſtigat, & hortatur. Providentiam & diſpoſitionem domus in exterioribus veſtro arbitratu & Conſilio commiſi Dilecto Fratri R. ſi ipſe ad nutum omnium veſtrum, & ut res poſtulat, id efficaciter exſequitur, Deo gratias ago: ſi quid minus; ut hoc cum diſcretione ſubportetis, rogo, & moneo. Vetus quæſtio inter vos uſque ad hæc tempora duravit, quòd deſidiosè, & negligenter in diſpoſitione domus ſteterim: & hoc ipſum in me recognoſco, quia ubi neceſſitati multorum obſequendum eſt, vix hæc obiectio cavetur. Si omnium veſtrûm voluntas id efflagitat, & in mea deſtitutione hæc quæſtio finem habitura eſt, paratum me vobis in hac parte offero.

3.

Ad R. Archipresbyterum de impedimentis, modo & tempore itineris ſui ad Patriarcham Aquileienſem.

SPeciali, & ante alios Dilecto amico R. Archipresbytero, O. dictus Præpoſitus ſalutem, & dilectionem cum oratione, & ſervitio.

Qui in ſublimitatibus poſiti ſunt, neceſſitates minorum non attendunt. Annum totum in ſervitio Patriarchæ expendi. Iterum nunc ab eo evocatus cogor regredi. Sed confuſio monetæ publicæ ita me irretivit & deſtituit, ut in præparatione veſtium nullum ſit conſilium, & inde, utrum hoc iter aggrediar, incertus ſum. Tu autem uſque ad ſextam feriam non moveas. Ego ipſe die Lunæ *Friſacum* proficiſcar, & de comparandis veſtibus ſollerter experiar. Si, quod volo, expedire potero, abſque dubitatione ſexta feria *Villacum* venio. Sin autem, tu Domino Patriarchæ hoc ſignifices, quod ego die ipſo, quem ipſe ſtatuerit, per *Bozanum Tridentum* veniam.

4.

Ad M. Comitiſſam de Sulzbach, Ut ſibi placatum reddat fratrem ſuum, de quo tam benè meritus ſit.

SEreniſſimæ Dominæ ſuæ M. Comitiſſæ de *Sulz*, O. R. Eccleſiæ Miniſter devotas orationes, & devotum ſervitium cum omni fidelitate, & ſubiectione.

Dicitur in vulgari, Magiſtros, qui per impoſitam diſciplinam Leones domare, & manſuetos reddere conſueverunt, noviſſimè à leonibus, quos ipſe domuerunt, eſſe perimendos. Noſtis amantiſſima Domina, quàm ſtrenuè, quàm fideliter in ſervitio Fratris veſtri pluribus iam annis deſudaverim: quomodo etiam ſæpe ab Imperatore criminationes graviſſimas pro eius ſervitio ſuſtinuerim: multa etiam, quæ ex gratia Imperii mihi collata fuiſſent, eius amore contempſerim. Non ignoratis, planè in omni re difficili & ardua, quæ Domus illa nobilis & inclyta ſive ab Imperio, ſeu ab aliis magnis Principibus pulſata eſt & attentata, omni genere ſervitutis me indeſinenter ei aſtitiſſe, & nunquam ab eius fidelitate cecidiſſe. Nunc laboribus, & ſervitio meo iſta gratia rependitur, quòd non ſolùm ipſe in ira gravi contra me inſurrexit, ſed etiam ſubditos meos ad reſultandum in tantum animavit: quòd (dum) ab Epiſcopo, & viris Eccleſiaſticis hoc geritur, ut pax & concordia inter nos reformetur, ipſi favore & potentia eius in tantum præſumant; ut omnem ſententiam, & quicquid iure Eccleſiaſtico æquum conſtiterit, irreverenter abjiciant atque contemnant, & nihil ſe unquam facturos, niſi quod decuerit, patenter aſſerant. Quæ omnia Reverentiæ veſtræ ideo nudè, & apertè exponenda duximus, ut miſſis litteris vel nuntiis, animum eius revocetis: quia vos, qui de domo illa genus ducitis, & de ſanguine catulorum derivâſtis, confidimus, fratrem veſtrum arguere & obiurgare debetis, ſi a paterna virtute degenerat, ſi mihi, vel aliis fidelibus ſuis pro fideli ſervitio contumeliam irrogat, & qui in ſervitio eius iam conſenui, abiectionem, & contumeliam meam tam ardenter feſtinat. Quanta fraternæ dilectionis concordia inter (vos) & ipſum ſemper fuerit, quàm unanimis & devotus vobis ſemper extiterit, ego optimè compertum habeo, & ideo, ut ab hac immanitate eum aliquatenus retrahatis, obnixè depoſco, ne illud, quod vulgo de Magiſtro leonis dicitur: in me compleatur, ſi ego, qui ex longo tempore virtutem eius ad ſublimia & fortia, ſive honeſta conſilio & hortatu & fideli ſervitio comitari

mitari non deſino, nunc iram eius tam gravem in electione mea experiri debeo.

5.

Ad Rupertum Abbatem Tegernſ., Fratrem germanum, de multiplicibus impedimentis pacis Eccleſiaſticæ, & quot ac quales eidem gratias apud Sedem Apoſtolicam impetraverit?

Kariſſimo Fratri R. DEI gratia Abbati S. Quirini, O *Reit.* Eccleſiæ Miniſter cum oratione, & ſervitio, quicquid debet fraternæ Dilectionis affectus.

Admirationi vobis eſt, quòd in diffinitione pacis Eccleſiaſticæ tanta dilatio interceſſit, & niſi in evidenti eſſet, meliores atque prudentiores totius Orbis ad hoc negotium peragendum conveniſſe, & operam dediſſe, poteratis omnium noſtrum deſidiam, qui præſentes eramus iure calumniari, & arguere. Ego ipſe qui expertus ſum, diffiteri non poſſum, Sapientiores omnium gentium in *Venetia* confluxiſſe, & multis vicibus ſummam conſiliorum tanta difficultate, & perplexitate fuiſſe irretitam & involutam, ut apertè omnes Sapientes confiteantur, pondere rerum & negotiorum vinci ſe, enervari atque conſumi.

Etſi non cuncta, quæ inordinatè expetitis, obtinui: ea tamen, quæ vobis & Monaſterio veſtro utilia & neceſſaria ſive inſignia tam Dominus Papa, quàm ego iudicavimus atque probavimus, obtenta & collata vobis cum multa benignitate & gratia Sedis Apoſtolicæ tenemus atque ſervamus, quorum hic tenor eſt, quòd Sacro-Sancta Romana Eccleſia in chariſſimum filium vos recepit, omnes Fratres veſtros, totum Monaſterium, cum omnibus ſibi pertinentibus, privilegio, & confirmatione ſub ſua, & B. Petri protectione in perpetuum recepit. Inſulam perſonæ veſtræ in Monaſterio veſtro, & in Conciliis Epiſcoporum deferre conſtituit: eos, qui in villa Salinarum bona Eccleſiæ veſtræ iniuſtè occupaverunt, & tenent, cum omnibus ſibi pertinentibus ſub interdicto poſuit, divina eis ſubtraxit, excommunicatos eos hàberi denuntiavit, damnum omne Eccleſiæ reſarcire, & requirere &c. Præpoſito S. Zenonis executioni mandare per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcepit. Jus fundi & Patronatus in Eccleſiis veſtris confirmari vobis expetitis: rurſus quòd Apoſtolica conſtitutione Epiſcopum arceri petiſtis, ne ex calore animi, aut quamlibet ob cauſam locum veſtrum ſub interdicto ponat: de his duobus capitulis ab ipſo Romano Pontifice mecum collatio habita eſt, neque honeſtum eſſe, neque neceſſarium de hoc aliquid contra Epiſcopum ſtatuere, qui bonæ opinionis contra iura & privilegia tam religioſi Monaſterii unquam venire crederetur, nec Monaſterium tam laudabilis inſtitutionis rem tam fœdam, tam horrendam unquam admitteret, pro qua ſententiam interdicti ab Epiſcopo formidare deberet, niſi neceſſitas ex novo emergeret, quæ novo remedio curanda eſſet. Sic melius viſum eſt, hæc ad præſens intermittere. Longa abſentia ſtatum & diſpoſitionem domus fratris mei, morte eius deſtituta, periculosè fluctuat, ſtudiis in contrarium inter uxorem eius, & familiam obortis. Quibus omnibus ordinatis illico ad partes veſtras revertar. Vale.

6.

Adeundem de rebus quorundam Nobilium, quibus eum ægrè potiturum exiſtimat.

R. DEI gratia Venerabili Abbati de Monaſterio Sancti Quirini, O. qualiscunque, orationis & obſequii paratum in omnibus affectum.

Quid nuntius Fratris mei afferat, ignoro. Cùm enim ille adeſſet, ego abſceſſeram. Audiens autem, quòd ego juxta decurſum *Iſaræ* in piſcatione uſque ad caſtrum Fratris mei deſcenſurus eſſem, feſtinavit ibi mihi occurrere. Sed quia via nivibus clauſa erat, ceptum iter non potui perficere. Poſtquam ille legationem pertulit, ego rem vobis indicabo. Præterea quod de ſtatuendo termino inter vos, & G. de *Chuzzenhoven*, & Filium eius mihi iniunxiſtis, diligenter executus ſum. Illi quidem ad terminum, quem volueritis, vobis occurrent. Sed vos omnem laborem in hac parte, inutiliter expendetis; quoniam ipſi quidem, quoaduſque Domina ſupervixerit, tam hominibus, quàm poſſeſſionibus pacem & ſecuritatem promittunt, ſed illa obeunte omnia, quæ vobis obvenire debuerant, ipſi auctoritate Ducis certiſſimè occupabunt, & Comitis

mitis II. nullum respectum habebunt. Donatio itaque, quæ donatore vivente firmitatem consequi non poterit, post mortem donatoris quomodo firma erit? Esto, quòd vir eius quondam donaverit, quis contra hæredis ius hæredibus apud consentaneum iudicem asseverantibus hoc obtinebit? Sed ista vestro arbitrio relinquo. Vinum Orientale mihi, & Husonem spopondistis. Ego nec Husonem gustavi, nec vinum olfeci.

7.

Ad eundem: Ut suo ex sorore nepoti certum munusculum donet: & de rebus circa eum, Patriarcham Aquil. & Marchionem Istriæ actis &c.

REverendo Abbati de Monasterio S. Q. R. & charissimo fratri, O *Reitenb.* Ecclesiæ Minister devotas orationes & promptum servitium.

Soror mea expetiit, ut filio eius, qui in studio litterarum est, aliquid humanitatis impenderem. Quia verò nuntius non satis securè quidquam deferre potuisset, quia terra *Karinthia* bellis multùm infestatur, significo Dilectioni vestræ, ut de pecunia, quam mihi reddere debetis, libram unam Augustensis monetæ novæ iuxta sortem pacti nostri ipsi dari faciatis. Ego in omnibus per DEI gratiam prosperè dego. Dominus Patriarcha pro pace vestra apud Marchionem precibus & multis exhortationibus egit, & ipse de hoc exoratus constantissimè spopondit. Ego circa nativitatem Sanctæ Mariæ revertar.

8.

Ad eundem. Quærit suum a fratris & sororis morte dolorem eius conspectu & amore mitigare, &c.

RCharissimo Fratri, & Venerabili Abbati de Monasterio S. Q. O *Raitenb.* Ecclesiæ Minister devotum cum oratione & sincera dilectione servitium.

Obeuntibus amicis & propinquis teniori affectu superstites amplectimur. De morte fratris, & charissimæ sororis supra modum contristatus, quicquid in utrisque gaudii absumptum est, unius amici vita superstitis recompensat, & in vestra sospirate infiniti doloris remedium sumitur, & tanta destitutionis iactura decenter emendatur. Deinde cùm ita necesse sit, & viventes mortuos reddere, & amissæ propinquitatis gratiam in viventibus resurgere, ideo nunc amplius gravat tanta dilatione vestræ Dilectionis fraudari præsentia, cuius vita, & aspectu & defunctorum gratia redditur, & doloris iniuria mitigatur. Unde ut ad revertendum hilarior vobis animus subeat, illico accepto nuntio vestro T. Clericum nostrum ad vos misimus, qui & incolatus nostri in *Longobardia*, & *Venetia* laborem, & æruminam integerrimè referat, & studii nostri diligentiam pro diffinitione pacis, Ecclesiasticæ replicet & revolvat. Ipsum itaque cum Hutone, quem a vobis expetimus, citissimè remittite ad Præpositum de *Niuuenburc*, litteras nostras perlaturum securè dirigite in media Quadragesima, sicut cum nuntio vestro statui *Salzpurc* vobis occurrere.

9.

Ad eund. Eum obiurgat ob sumptos noxios cibos, modumque definit medicinæ, In fine de Abbatissa, cognatu sua.

RDEI gratia de Monasterio S. Q. Religioso Abbati, O. *Raitenb.* Ecclesiæ minister devotas orationes, & fraternæ dilectionis obsequium.

Si caseus noxius erat, quare non abstinuistis? Libuit melius cuncta explorare, quàm noxia refutare, & salubres cibos edere. Nescitis, quòd etiam salutaribus temperatè utendum est? Potiones acriores hoc tempore non sumatis. Billulas, (quas) misi, securè poteritis accipere. Speciem, quam ego a Marchione accepi, amisi: aliam speciem, quam misi, summo mane ieiunus sumite. Aquam calidam omni mane bibite, & post bibitionem aliquantulum eundo laborate. Rafanum in speciem denariorum comminuite, & siccum balneum intrate, & cùm iam aqua lapidibus infundenda est, rafanum fortissimè salitum sumite, & sudate: mirificè proderit.

Cognata nostra Abbatissa ab Episcopo, & W. inducias accepit usquè in vigilias Matthæi Apostoli. Iterum eo convenire decreverat Abbatissa propter multa contraria, quæ ei evenerunt. Intendit a

loco recedere. Quid denique facturus sit, adhuc incerta, consilium vestrum exoptat. Jam autem apud *Bernrith* moratur, & summopere rogat, ut proxima Dominica die aliquos mittatis, qui eam usque ad vos deferant, quod sine cunctatione facere debetis. Ibi definito consilio ad Monasterium proprium reversura est. Oportet igitur, ut in hac necessitate ei consilium præbeatis. Ego etiam ibi ero.

10.

Ad eundem. Se inundatione nivium à perficiendo ad Concilium itinere impeditum fuisse. Quædam de rebus domesticis, & cognatorum.

CHarissimo in Christo Fratri R. Venerabili Abbati S. Q., O. *Reitinb.* Ecclesiæ Minister devotas orationes, & servitium.

A vobis discedens, difficultate, & inundatione nivium prohibitus sum ceptum iter ad Concilium aggredi. Reddita verò opportunitate adhuc proficisci intendo. Si nuntios vestros invenero, omnia negotia vestra pro voto complebo. Puerum, quem ego mecum adduxi, omnibus melioribus & majoribus dissuadentibus matri assignare nolui pro causis, quas ego secretiùs vobis aperiam. **sic Cod.* Comes de * *Berui*, ipsum detinet. Pro cognata nostra O. allocutus sum. Ipse multa tergiversatione nos detinuit. Ad ultimum eo fine conclusionem fecimus, quòd puellam nos rehabituros speramus. Cum R. nostro non contendatis, & ad arbitrium sororis nostræ hoc negotium relinquatis.

11.

Idem ad eundem, ejusdem ferè argumenti. In fine commendat ei Capellanum Patriarchæ Aquileg.

R. DEI gratia Abbati de *Tegrinse*, & universo Collegio ejusdem Monasterii, O. *Reitenb.* Ecclesiæ minister cum oratione servitium.

Quòd ad Concilium non processimus, credo admirationi vobis esse. Sed ratio duplicis causæ nos detinuit. Una, quòd difficultate viarum, & inundantia nivium ita via clausa fuit, quòd de *Karinthia* in *Forum Julii* nullus patebat ingressus. Alia, quòd Dominus Patriarcha cum gratia Sedis Apostolicæ Concilio se absentare obtinuit. Filium fratris, quem mecum adduxeram, ideo matri suæ tradere supersedi, quia in tota terra jam vulgatum erat, ejus consilio filiam fuisse venundatam, & quòd à raptore nondum reddita fuisset, ab ipsa descendere; & si filii compos redderetur, futurum esse, quòd apud *Stirenses* tam sibi, quàm filiæ ignobiles nuptias parare disponeret, aut idem filius ab his, qui in fide & devotione jam circa puerum interim reservandum dedimus. * De requirenda cognata nostra modis omnibus operam damus. Ingenium & intentio raptoris multa perplexitate involuta est. Una tantùm via de hac re nobis sollicitis innotuit, quia ille raptor in hoc facto ad nutum Archiepiscopi *Salzb.* prorsus pendere dicitur. Reditum ejus de Concilio per Dominum Patriarcham futurum exspectamus. Quo negotio explero ad partes vestras revertemur. Capellanum Domini mei Patriarchæ benignè recipite, & usque ad Episcopum *Frisingensem* de servitio ei honestè providete: ab Episcopo revertentem usque *Salzb.* cum omni securitate reduci faciatis. Per puerum nostrum, qui ipsum comitatur, statum vestrum nobis significate. **sic Cod.*

12.

Ad eundem de certo Diessensis Ecclesiæ in quoddam mancipium jure, & de Terdona ab Imperatore capta.

R. DEI gratia Venerabili Abbati de Monasterio S. Q. O. *Raitenburch* Ecclesiæ minister, orationes & devotum cum sincera dilectione servitium. Dicitur in legibus: *qui prior est tempore, potior in jure.* Unde videtur, fratres *Diessensis* Ecclesiæ injustè à vobis gravari, qui dicunt, mancipium quoddam, quod Ecclesia illa usque ad hæc tempora in sua jurisdictione bona fide, certo titulo & quieta possessione tenuit atque possedit, vos injustè occupâsse, & alii pro beneficio locâsse. Quid ad hæc afferatis nihilominus, dum præsens essem, cognovimus. Sed in allegatione vestra hoc defuisse videbatur, quòd ipsum hominem in beneficio alii locâstis, qui nec in vestra tenuitate erat, & utrum à vobis, in servitutem redigendus esset, nullo jure

vobis

vobis clateret. Fratres autem ſupradicti adſcitis & præſentatis de linea & propinquitate materni generis multis idoneis teſtibus oſtenderunt, ſervum illum de jure eſſe beati S. atque *Dicenſis* Eccleſiæ. Unde ne reverentiæ veſtræ derogationem, aut calumniam generet, ſi ſervum alterius Eccleſiæ per vim vendicetis, conſulimus & obſecramus, hortamur & monemus, ut hanc litem congruo fine decidatis, & illi propinquo noſtro, qui eundem ſervum veſtro nomine poſſidere decernat, hujus invaſionis occaſionem penitus auferatis.

De Imperatore hoc audivimus, quòd capta *Terdona* civibus ejusdem civitatis in gratiam receptis, & ſecum fœdere confirmatis, turſus *Alexandriam* oppugnare aggreſſus ſit, & quòd *Terdonenſibus* ſibi nunc adjunctis *Alexandria* rebellare non ſufficiat.

13.

Eidem, de Concilio Ravennam à Papa indicto, cujus celebrationi ipſe interfuturus ſit. Spondet omne patrocinium apud Sedem Romanam &c.

CHariſſimo Fratri R., DEI gratia *Tegrinſ.* Abbati, O. *Reit.* Eccleſiæ Miniſter orationes & ſervitium.

Nihil fuit, quòd de celebrando Concilio in partibus noſtris ſonuit & vulgatum erat. Nunc auctoritate Romani Pontificis apud *Ravennam* pro confirmanda, ac tutiùs muniendâ Eccleſiaſticæ pacis concordia in Purificatione S. Mariæ celebrari decretum eſt. Quò Dominus Patriarcha cum multa frequentia nobilium & illuſtrium virorum iter arripuit, ego unà cum ipſo illuc iter aggreſſus ſum. Quæcunque mihi peragenda ſignificâſtis, ſi copia fuerit, (peragam.) Vos interim debito meo me non fraudetis. Editionem verò totius Concilii vobis integerrimè intimabo, mox cùm reverſus fuero. Qualiter etiam nunquam animo ſciſmati aſſenſiſtis, Domino Papæ ſignificabo, & gratiam Apoſtolicæ Sedis vobis & veſtro Monaſterio cum omni ſinceritate libenter obtinebo. Frater meus G. gravi morbo fatigatus vix evaſit.

14.

Ad eundem de rebus nuper in Carinthia factis, de raptu filiarum Liutoldi de Walſtein &c.

CHariſſimo in Chriſto Fratri R. DEI gratia Venerabili Abbati de Monaſterio S. Quirini, O. *Reitinb.* Eccleſiæ Miniſter devotas orationes, & ſinceræ dilectionis ſervitium.

Nudius tertius quidam noti, & familiares mei de *Karinthia* venerunt tales, quorum relationi indubitanter fidem habui. Iſti hæc aſſerebant, quòd *Liutoldus de Walſtein*, cujus filias duo majores de *Stirenſibus* rapuerant, cum eisdem congregatis copiis commiſit, & victus ab eis vix fuga elapſus eſt, plerique cæſi, plerique fugati, de melioribus quinquaginta capti ſunt. Dum hæc gererent, Archiepiſcopus ab Imperatore reverſus ſupervenit, litem & inimicitias hoc modo decidit, quòd Pater ipſas filias raptoribus ſponte copulavit, & nunc ille, qui neptem noſtram rapuit, cum omni indemnitate reddere decrevit, nec ipſe omni tempore, quo rapta tenebatur, unquam ipſam vidit, vel allocutus eſt, ſed eadem die, qua rapta eſt, ſupervenit quædam nobilis fœmina, cognata ejuſdem H. uxor quondam *F. de Betterve*, & eam in ſua recepit, & uſque ad hæc tempora cum omni honeſtate integerrimè conſervavit.

Aliud nihilominus mihi innotuit, quòd Patriarcha inſtinctu quorundam jam in *Saumiam* deſcenderit, quidam de militibus Fratris mei duas turres ligneas in caſtro occupaverunt & tenent, qui vivente adhuc fratre noſtro fidelitatem Patriarchæ clam juraverant. De his timendum eſt, ne fortè ſiniſtra machinentur. *O.* Caſtellanum, qui in partem noſtram pronior erat, Patriarchæ odioſum reddiderunt. Timeo, ne fortè Patriarcha præteritorum memor caſtrum invadat, matri ſuæ vi ereptum proponat, quoniam hujuſmodi quæſtio obeunte fratre meo multum ab ipſo & ſuis frequentabatur. Hæc omnia, quæ dixi, clauſa tenete, & *Rud.* & *Or.* nec non & *A.* cognatis noſtris quàm citiùs poteſtis, indicate, & quid animo ſederit, mihi ſignificate. Optimum autem mihi videtur, ut *Rud.* puerum citiſſimè illuc deferret, & ſic omnis injuria conquieſceret.

Digitized by Google

15.

Adeundem. Scribit, se ad Prælaturæ suæ locum non rediturum, ni sibi accessus & reditus sine ullius rei derogatione pateat.

CHarissimo Fratri R. venerabili Abbati de Monasterio Sancti Quirini, O. Frater suus, fraterni amoris debitum in omnibus.

Ad partes vestras & Ecclesiam meam me revocatis. Sed quibus de causis inde recesserim, non ignoratis. Pudor mihi erat & verecundia gravis, quòd etiam recuperatâ gratiâ Principis, cujus favore mei mihi rebellabant, adhuc mihi reditus in Ecclesiam non patebat. Unde Discretionem vestram adtentiùs moneo, ut statum ipsius Ecclesiæ exploretis, si fortè ibidem habitantibus longa destitutio & jugis vexatio adhuc intellectum dederit: Si reditum meum ipse Princeps æquo animo ferre decreverit, ne, dum venero, à vobis & aliis amicis meis nova ad æmulos meos, & ipsum Principem debeat esse supplicatio: quoniam res mea in eo statu est, nisi pura honestate & sine omni derogatione reditus mihi pateat, exilium meum patriam reputo juxta illud Ethnici: *felix exilium, cui locus ille fuit.* Huic consilio R. majorem, & minorem de *Waldeke* adhibete, & quicquid consiliis vos tres invicem firmaveritis, per cursorem meum mihi certissimè renunciate, & ego hoc ante Quadragesimam executioni mandabo, & si placuerit, ut redeam, R. minorem in occursu usque *Uschirichen* mittite.

16.

Ad Rupertum Ab. Tegernf. ut in pertractando negotio matrimonii neptis suæ pergat &c.

CHarissimo Fratri R. DEI gratia venerabili Abbati de Monasterio S. Quirini, O. *Reit.* Ecclesiæ Minister, devotas orationes, & promptum cum sincera Dilectione servitium.

Morbus, quem apud vos positus incurri, ita invaluit, quòd vix loco moveam equum, aut ascendere, & in equo ire ullatenus valeam. Vos igitur ab incepto nullatenus desistatis, sed ad terminum, quem statuistis, indubitanter veniatis, & præstitis hinc inde juramentis negotium de contrahendo matrimonio certissimè diffiniatis hoc tenore, ut infra anni spatium res compleatur, & sponsio futuri matrimonii nullatenus cassetur, & ego cuncta, quæ spoponderitis, die & loco, quo statueritis, effectui mancipabo.

17.

O. fortè ejusdem Othonis, Epistola ad P. quem monet, & urget, ut Missalis libri scriptorem meritamercede remuneretur.

PFratri in Christo Venerando, O. viam, quæ ducit Bethsamis itinere recto.

Quia justitiam diligendo, & iniquitatem odiendo mens tua devotè evigilavit, talentum tibi creditum pretio centuplicato Dominus à te revocare disposuit. Sententiarum ergo ordo dictus: *Erat illis cor unum, & anima una.* Et: *Funiculus triplex difficilè rumpitur*, nos mutua charitate informavit non immerito: ut frater fratrem diligat, Dominus ab una matricula propagavit. Missalem itaque librum à me tibi petisti parare. Scias esse pactum, & scriptorem diutiùs sustinere nolle, qui tibi mandare petivit dicens, pergamenum tibi restaurandum, & librum vendere, aut ut tu velocius secundùm pactum thesauri non negligas exsolvere. Proinde quæso te, ne moreris amplius, quin cum plebe tibi commissa, communique juvamine invicem componas, ut scriptorem infra autumnali tempore digna operationis mercede remuneres. Vale, ac ambos Christus salvet nos in cruce fixus.

18.

H. Præpositi ad Sanct. A. Epistola ad Ottonem Præp. Reitenbuch. Gratulatur felicem ex Italia reditum, nuntiat recuperatam Domini sui gratiam &c.

SPeciali, & intimo Amico suo, Domino O. *Reit.* Ecclesiæ Venerabili Præposito, H. DEI gratia Ecclesiæ S. A. qualiscunque Minister cum assiduis orationibus devoti servitii stabiles affectus. *Ex Cod. Tegernf.*

Revertentem vos de *Illyricis* & *Lombardiæ* partibus cum sospite & salute corporis & animæ suscipiat Angelus Domini. Nam sicut nemo est, qui plus me glorietur de vestræ Dilectionis prosperis suc-

Digitized by Google

ſucceſſibus, ita nemo magis me turbaretur, ſi quid accideret, quod DEUS avertat, unde veſter offenderetur animus. Indignationem Domini mei, quæ vobis relata fuerat, ſtatim viſis litteris veſtris dimiſit, & delatores deteſtans priori amicitia vos dignum eſſe approbavit. Ego autem familiariùs vobis locuturus, præſentiam veſtram libenter, ubi vobis & mihi congrueret, viderem. Præterire autem ſilentio non poſſum, quod mei caſei nondum mihi ſunt dati. Unde veſtram exorans devotionem depoſco, quatenus virum ad vos vocatum diligenter perquiratis, quare debito, & conſueto tempore caſeos mihi non tranſmiſerit? Et ſi diſtrictiùs cum eo egeritis, ſpero, quòd in futuro meæ utilitati, & veſtro proderit honori.

XLVIII.

Rhythmus Chronicus, maximè de Friderico I. Imperatore.

Ex codice Cod. Clauſtroneoburg.

ÆTas noſtri temporis brevis non
ſeneſcit,
Vetera temporum reminiſci neſcit.
Ob hoc ſtupet ſapiens, ſtultusque timeſcit.
Dies mali ſubeunt malumque crebreſcit,
Crede conſequentia ſtylum redolere
Curſilem, non metricum. Metra viluêre:
Quæ charitatem volucrant, verba non
valuêre.
Quisque dicat ſapiens, & hæc abolere
Studeat, & moribus cuique complacere.
Quæ ſolùm moribus res ſunt metuendæ,
Fama, conſcientia ſolerterque colendæ.
Unde geſta veterum ſi benè notentur,
Propter hæc conſcribimus, ſi non ſiniſtrentur
Geſta, quæ temporibus meis ſcio verè,
Quinque luſtris antea mihi notuêre
Locis, quibus ſtudui, pleraque tenere,
Vellemque memoriter poſteris manere,
Scribamque, dum vixero, quæ ſpero valere.
Hæc quippe præſentia jam præteriêre
Infra centum circinos prorſus evenere:
Retroacta reſpice, docti notavêre.
Anno milleno, centeno ſeptuageno
Anglorum Primas corruit enſe Thomas.
Anno milleno, centeno terquetriceno
Jeruſalem Franci capiunt virtute potenti.
His ſex adjectes, Bernhardi tempora diſces,
Cui Theologica ſcriptaque Myſtica ſigna dedêre
Magna præconia Clarevallenſi, quæ valuêre
Priſcis temporibus poſtea ſat, puto plus amodo ſat.
Anno nonageſimo, * milleſimo centeno circinante:
Alexandro III. Papa præſulante,
Moguntiæ, ut eligant Imperio vacante,
Principes conveniunt, Papa demandante,
In electo diſcrepant fortuna nutante.
De *Stauffa*, Vir inclytus quovis diſcrepante
Prorumpit ad oſtia pallantium, vallante
Junctis balliſtariis milite ſtipante pulſat, intromittit.
Dicunt piè ſatis Principes: quid quæritas? Dixit:
Eligatis virum clarum genere, doctum, largitatis
Conſuetum, fidum, ſtrenuum, tantùm cur tardatis?
Dicunt omnes territi: quod vis, faciemus!
Sed quis Orbe talis ſit, planè non videmus.
Clarus, doctus, ſtrenuus, fidus, hunc vellemus.
Omnes Mundi terminos ſi conſideremus,
Talem, qualem conſulis, non inveniemus.
Si per fidem dicitis, quòd hunc eligatis,
Si quem demonſtravero clarum largitatis,
Doctum, fidum, ſtrenuum, Virum probitatis,
Credo, quòd inveniam hunc, ſi approbatis.
Fidem dant unanimes. Nam neceſſitatis
Datur obteſtatio. De *Stauſa* ſic fatur
Frideric magnificus: mihi quis æquatur?
Doctus ſum & ſtrenuus, *Francus* hoc teſtatur.
Mihi nec in omnibus vobis comparatur.
Swevia, *Duringia*, ſi benè quæratur,
Fidus & magnificus quid reperiatur,
Non credatis. Similis ergo conſecratur.
Decretum hoc jubet primo: ſic juratur.
Scribunt tandem lucidè, ſceptrumque ſignatur.
Ob hoc Dux de *Brounſchweich* voto ſe retraxit,
Idem Dux *Bovoariæ* dixit quoque: pax ſit,
Donec ſim in *Brounſweich*, gravatus apello
Ad Romanum Præſidem, nequeo duello
Jura nunc Imperii per me defenſare.
Tunc electus concitò latus militare

Sibi dat cum sumptibus, & ducatum dare
Parat, ac virtutibus se exercitare.
Alii concorditer sibi fœderantur
Principes, & protinus *Nurenberch* vocantur:
Ex edicto publico *Saxones* citantur,
Qui pro contumelia *Bavvaria* fraudantur.
Hinc de *Schirovv* nobiles ritè feodantur.
Ducatu *Bavvariæ*, & palatinantur.
Romani quòd foveant electo, rogantur.
Si quo magis precibus hi interpellantur,
Tantò pervicaciùs cordibus durantur.
Papa bulla fulminat, *Thusci* concitantur,
Siculus & *Apulus* Romanis iugantur
Contra *Theutunicos* Romani vocantur,
Nisi dent pecuniam, mactare minantur,
Electo *Theutunici* solùm sociantur.
Itur per *Italiam*, *Thuscorum* necantur
Infinita millia, *Lombardi* tristantur,
Parant resistentiam, sed suppeditantur,
Atroces *Theutunici* mirè debachantur:
Pugnant & *Italici*, cultris iugulantur.
Primò tunc *Theutunici* furere probantur,
De quorumque furia cantus derivantur.
Hinc forti militia *Roma* convallatur,
Omne municipium mirè dissipatur,
Capitur, destruitur, Urbs humiliatur.
Omnis de præsidio miles furcis datur,
Non parcentes sexui, *Germanus* duratur.
Inde lamentabilis luctus innovatur.
Roma rodens roditur, & patibulatur
Senator, & nobilis quisque tunc necatur,
Fame languet, ferro squallet, flammaque crematur.
Urbs probrosa redditur: quæ pridem Mundi datur.
Caput, tunc conticuit & aspernabatur.
Clerus passim moritur, mutus dissipatur.
Alter Papa ponitur, Cæsar consecratur,
Mundus totus quatitur, malum instauratur,
Jurantque residui. Sic Urbs reparatur?
Per partes *Hesperias* tantùm roboratur,
Orbis quòd Principibus nulli secundus datur.
Audax, largus, perspicax semper hilaratur,
Superbos humilians, prudens prosperatur.
Alexander latitat apud *Januenses*.
Janua non sustinet vires excrescentes,
Et in gyro vineas omnes succidentes,
Balearum copia mari collocatur.
Papa si evaserit, & non capiatur,
Malum cunctis imminet, publicè luatur.
Papa per carnifices hinc licentiatur,
Mense tamen amplius viris occultatur.
Papa Sanctus habitu muliebri latet.
Post hæc extromittitur, & carina patet
Piratis, divinitus nube sic velatur.

XLIX.

Alberti Episcopi Frisingensis Epistolæ.

I.

Ex Cod. Tegernf. *Ad Rupertum Abbatem Tegernseensem: ut electo H. ex Ecclesia Gemundensi, alium Sacerdotem sibi eadem Ecclesia investiendum præsentet &c.*

ALBERTUS DEI gratia *Frisingensis* Episcopus, R. Abbati.

Quoniam erga Charitatem tuam boni tantùm meriti conscii sumus, eò magis gravamur, si beneficiis nostris Prudentia tua se patiatur ingratam inveniri. Hæc idcirco dicimus, quia, sicut vobis significatum est, H. quem nos tibi petenti rationabiliter denegavimus, utpote infra Sacros Ordines positum, ut de opinione illius taceamus, tu ad usurpandam, Patrochialem apud *Gemunden* instituisti, & sicut nobis relatum est, Sacerdote nostro, cui nos interim provisionem eius plebis commisimus, per minas remoto, in dotes eiusdem Ecclesiæ ius utendi tanquam propriis concessisti. Quod si esse constiterit, pro te amplius, quàm pro nobis dolemus, cùm tua non ignoret Prudentia, quàm facilè perdat concessa, qui non concessa captare præsumit. Proinde monemus in Domino doctam experientiam tuam, quatenus prænominatum H. ne nomine tuo talia præsumat, compescas, nobisque Sacerdotem idoneum, præfatâ Ecclesiâ investiendum invenire satagas, pro certo sciens, quòd nisi amore Fraternitatis tuæ sibi pepercissemus, Canonica districtione in præsentiarum contra

contra eum usi fuissemus, faciemusque, quod iustitia dictaverit, si patientiâ nostrâ suæ imprudentiæ placuerit abuti. Interim volumus, ut Sacerdos, quem eò destinavimus, & legitima ibi faciat, & decimis atque dotibus, prout sibi iniunctum est, & sine omni perturbatione disponat.

2.

Ad eundem: ut se Capitulo Frisingensi præsentem sistat, responsurus ad querelas Parochi Gemundensis, quas is sæpiùs ob ablatam Ecclesiam in Egern proposuit.

ADEI gratia *Frisingensis* Episcopus, R. Abbati *Tegrinse.* salutem.

Frater noster F. Parochianus de *Gemunden* sæpè iam in conspectu nostro querelam deposuit, quòd tu quandam Ecclesiam *Egere*, ad se pertinentem, suo iuri subtraxeris, & iniustè detineas. Et quia nos in proximo V. Id. Junii, id est, die, quo Sanctorum Primi & Feliciani festum agitur, Capitulum nostrum indiximus, cui ritè celebrando tam te, quàm cæteros fratres nostros Abbates & Præpositos convenit interesse, per præsentia tibi mandamus, ut remota occasione eadem die præsentiæ nostræ te *Frisingæ* offeras, tam prænominato fratri super querimonia sua, quàm nobis de his, quæ adversùm te habemus, Canonicè responsurus.

3.

Eiusdem Alberti, ut videtur, ad eundem Rupertum, cui Ecclesiam de War. concedit.

AR. salutem & sinceram dilectionem.

Charitas, quæ inter nos hucusque fuit, & semper erit, exorabiles nos invicem esse in mutuis petitionibus cogere debet. Inde est, etsi rem grandem aliquam peteretis a nobis, certè nunquam negaremus; & idem de vobis confidimus. In petitionibus autem considerandum est, si possibile, si honestum sit, & utile, quod petitur. Cæterùm ipsi sibi negat, qui contra hæc petit. Petitionem habetis, & ius petendi ad nos super Ecclesia de *War.* Non negamus, concedimus. Quoniam autem maior est, qui petitur, quàm qui petit, locum nostrum vobis in hoc damus, quod rogamus, qui rogari debemus. Prævenimus vos in petendo, non ut adimentes vobis, & Ecclesiæ vestræ ius petitionis, sed magis confirmantes, & pro honesta persona ibi locanda Dilectionem Fraternitatis vestræ rogamus, pro qua certè multùm rogari deberemus. Subsecuta est petitio vestra, super qua facile vos exaudire ad præsens non possemus: exaudiemus autem in aliis postea. Ut ergo petitionem nostram non solùm admittere, sed etiam gratam habere velitis, Charitatis vestræ Discretionem exoratam esse cupimus; quoniam de cætero similia nobis negare inconveniens duceremus.

L.

Legatorum Sedis Apost. Epistola ad Albertum Ep. Frising. ut invasores prædii Comitis H. Monasterio Tegernf. donati excommunicet.

VEnerabili, & Dilecto Fratri, DEI gratia *Frisingensi* Episcopo *Ben.* & *Jac.* Sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinales & Legati, salutem & intimæ dilectionis affectum. *Ex Cod. Tegernf.*

Conquestus est ante præsentiam nostram litterarum suarum supplicatione nobis porrecta, dilectus Frater noster R. *Tegrinsensis* Sancti Quirini Abbas super ministerialibus illis, qui prædium a Comite H. pro salute animæ suæ Ecclesiæ S. Q. collatum auferunt, & a vobis unà cum *Salzeb.* & *Brixiensibus* Venerabilibus vestris Ecclesiastica censura coacti, respondere subterfugiunt. Super quo quia ipsi ad seculare iudicium Comitis B. illius Ecclesiæ Advocati se convertentes appellaverunt, & postmodum causam suo subterfugio se absentando distulerunt, nec adhuc iustitiæ satisfecerunt, dilectæ Fraternitati vestræ mandamus, ut denuo eos nominatim ex parte nostra commoneatis & ut iudicio vestro acquiescant, firmiter præcipiatis. Qui si adquiescere noluerint, sed sententiam vestram pro appellatione, quam fecerunt, vitare voluerint, ex parte B. Petri & nostra, & vestra, eos excommunicatos esse in Parochiis, unde sunt, prpnuntiate, & donec satisfaciant, sententiam vestram, nostra auctoritate ratam & firmam esse promulgate.

LI.

Digitized by Google

LI.

H. Prælati Bubergensis, fortè ad eundem Albertum, Epistola: Quoto consanguinitatis gradu matrimonia dirimantur?

Indid. H. *Bubergensis* Prælatus, A. gregis Dominici Rectori, orationem, & dilectionem in Christo.

Lator præsentium convenit humilitatem nostram, conquerens pro uxore sua, eò quòd per quorundam machinationem invidiosam magis, quàm per justitiæ & veritatis regulam sibi sit ablata & interdicta, nulla consanguinitatis linea constante certa vel manifesta. Unde placuit scribere Fraternitati tuæ quædam Sanctorum Patrum super hoc dicta, non docentis studio, sed admonentis affectu. Prudentiæ igitur tuæ non ambigimus notissimum fore, haud facile inter virum, & uxorem divortia fieri posse, divina Scriptura dicente: *Quod DEUS conjunxit, homo non separet.* Dicit ergo B. Augustinus: *Cùm non liceat igitur cognatis cognatas ducere, quousque duret linea consanguinitatis, aut ignoranter ductam dimittere, qualiter hæc separatio fieri debeat, videndum est.* Eligatur ex congregatione vir prudens, & eruditus cum duobus vel tribus testibus, qui eandem prosapiam optimè norit distinguere, & secundùm genealogiam personaliter enumerare, hoc modo: Filius & filia prima generatio. Nepos & neptis secunda generatio, & primus gradus est: Pronepos & proneptis tertia generatio, & secundus gradus est. Trinepos & trineptis quarta generatio, & tertius gradus est. Filii trinepotum & trineptum quinta generatio, & quartus gradus est. Adnepos & adneptis sexta generatio, & quintus gradus est. Abnepos & abneptis septima generatio, & sextus gradus est. Post hanc generationem & hunc gradum licet ducere mulieres, vel quia naturâ tepescit dilectio, vel quia in sexta ætate omnia consummabuntur. Sciendum tamen est, quòd in quinto gradu pro dispensatione, & personarum qualitate copulatio conceditur. Sed & Venerabilis Papa Gregorius primus in quarta generatione id fieri permisit dispensatoriè cum elemosynarum largitione. Sed cùm cognatorum conjugium separari debeat, qui hoc super sacrosancta jurando confirment, ut non privato odio, vel privata amicitia, nec inducti pretio falsum dicant, & rectum secundò tactis sacrosanctis, jam à patribus ei consanguinitatem accepisse se perhibeant. Quod si dixerint, se nomina patrum, vel matrum ignorare, * separatos jurare non recipiantur. Si ergo hoc ordine circa eos, de quibus agitur, actum est, nobiscum sapitis, nosque consentaneos & cooperatores habebitis. Sin verò aliter; vos judicate, an sit Ecclesiastici juris, an causa perditionis? Spiritus consilii, & fortitudinis maneat in vobis.

* *sic Cod.*

LII.

Udalrici Patriarchæ Aquileiensis Diploma pro Cartusia Seitzensi.

Ann. 1179. Ex Archiv. Seitzensi.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Nos quidem DEI gratia *Ulricus*, sanctæ *Aquilegensis* Ecclesiæ Patriarcha, & Apostolicæ Sedis Legatus, cunctis Christi fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, notum esse volumus, qualiter vineas & campos, totamque proprietatem, quam plebs de *Gunrwitz* apud *Sitze* habere dignoscebatur, per concambium ab eadem plebe, consensu fratris nostri *Sigahrdi*, Plebani ejusdem plebis, in pleno Capitulo apud *Obernberch* in plebe S. *Cantiani*, communi consilio fratrum nostrorum expedivimus, ipsamque proprietatem Ecclesiæ, in *Valle S. Johannis de Savina* constitutæ, nec non & fratribus, ibidem Domino famulantibus, in remedium animæ nostræ ac antecessorum nostrorum proprietario jure in perpetuum habendam & possidendam donavimus & tradidimus.

Prædictæ verò plebi de *Gonrwitz* decimas XV. mansuum, qui in loco, qui dicitur *Ainoht*, sunt constituti, cum omni integritate, videlicet cum parte nostra & Plebani, de communi consilio in concambium perpetuò habendas & possidendas tradidimus.

Quod quidem ut verius & inconvulsum in ævum permaneat, præsentem paginam inde conscribi, & sigillo nostro insigniti fecimus. Actum est hoc feliciter anno Domini MCLXXIII. Indict. IV. præsentibus Fratribus nostris *Wernardo Teregestino* & *Friderico Petenensi* Episcopis, *Engelbrechto* Abbate de *Obernberg*, *Ottone Jun. & Piligrino*. Præpositis, *Johanne*

Johanne Priore ejusdem Ecclesiæ Sancti Iohannis, *Richero*, *Piligrino*, & *Regnardo* Capellanis, *Pertoldo Savinensi* Archidiacono, *Sigardo* Plebano de *Gonuvvitz* & tunc Decano, *Henrico* Plebano S. Michaëlis, *Lamberto de Urasclav*, *Tancredo* & aliis fratribus Capituli. Laici etiam cognoverunt, *Gebardus* de *Sunech*, *Leupoldus de Honehc*, *Albertus* de *Nascenivvosc*, *Eberhardus* de *Chazenst*, *Wosealgus de Wicester* & alii.

Ego *Romulus* Aquil. Ecclesiæ Magister Scholarum mandato Domini Patriarchæ scripsi & dedi.

LIII.

Urbani Papæ III. litteræ ad quosdam Abbates & Præpositos; ut electionem Abbatis Monasterii Cremifanensis probè excutiant &c.

Circ. 1181. Ex Cod. Petrens. Salisburg.

VRbanus Episcopus, servorum DEI, dilectis filiis, *Garstensi*, & *Sitastensi* Abbatibus, *Salzpurgensi*, & *S. Floriani* Præpositis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cùm nostris fuisset olim auribus intimatum, quòd dilectus filius noster Abbas S. *Georgii* in Abbatem *Chremis* Monasterii esset electus, quia per impressionem quorundam laicorum dicebatur inductus, & quædam alia proponebantur contra electionem ipsius, de consilio fratrum nostrorum eandem electionem duximus irritandam, & vobis, filii Præpositi, super ordinatione ipsius Cœnobii litteras curavimus Apostolicas destinare. Verùm quia fratres præfati Cœnobii eundem Abbatem voluntate communi dicuntur denuo elegisse, timentes, ne in electione ipsa fuerit facta violentia, vel aliud, quod Canonicis obviet institutis, cognitionem ejusdem negotii vobis duximus committendam, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandantes, quatenus locum illum pariter accedentes inquiratis, quæ circa electionem ipsam fuerint inquirenda, & si eam Canonicè, & absque pravitate, vel impressione aliorum factam noveritis, nullius contradictione, vel appellatione obstante ratam decernatis habendam, & præcipiatis Abbati, ut auctoritate nostra recipiat administrationem Cœnobii memorati, Monasterio priore dimisso, proviso tamen, quòd in adventu suo Monasterium, quod reliquit, non aggravet auferendo bona ipsius. Injungatis etiam fratribus ejusdem Cœnobii, ut alium provideant sibi Abbatem. Mutationem autem sic fieri debere mandamus, si utilius *Cremisi* Monasterio, quàm alteri per eum videritis providendum.

LIV.

Diploma Liupoldi Ducis Austriæ, quo privilegia à summis Pontificibus, Chunrado Rege Romanorum & suis Prædecessoribus Ducibus Austriæ Ecclesiæ Clausstroneoburgensi concessa, solenniter confirmat.

In nomine Sancte & Individuæ Trinitatis.

LEupoldus DEI gratia Dux Austrie, *Wernhero* Venerabili *Nivvenburgensis* Ecclesie Preposito & Successoribus suis in perpetuum. 1182. *Ex autogr. P. H.*

Cum universaliter omnium Ecclesiarum, in ambitu nostre potestatis constitutarum, pari jure providere debeamus, specialiter tamen & ampliori debito quieti *Nivvenburgensis* Ecclesie, ubi ossa Karissimorum nostrorum & progenitorum, qui eundem locum & fundauerunt, & ad Divine Religionis cultum modis omnibus promouerunt, sepulta sunt, consulere tenemur. Nos itaque religiose ac pie institutionis ipsorum successores existere cupientes, sicut exemplis ipsorum informamur ad benefaciendum, ita quoque premii nos participes fieri speramus, si ipsorum traditionem paternè foveamus, & sub patrocinii nostri tuitione conservamus.

Omnia igitur ejusdem Ecclesie privilegia, que pro ejus libertate & quiete munienda, uel à progenitoribus nostris uel à Romanis Pontificibus impetrata sunt, simúlque Privilegium, quod dedit eidem Ecclesie Auguste memorie Romanorum Rex *Chunradus*, sicut inconvulsa hactenus conservavimus, ita usque in finem tam à nobis ipsis, quàm à successoribus nostris conservari volumus.

Quia verò plerisque Ecclesiis multa gravamina per inportunitatem Subadvocatorum eveniſſe cognovimus, ne similia contingant Ecclesie, ubi Karissimi progenitores nostri sibi sepulture locum elegerunt, diligenter precavere volumus. Ideoque vestigiis Patris nostri inherentes,

immobili firmitate ſtatuimus de Subadvocatis, ut nullus, niſi ad arbitrium & electionem Prepoſiti inſtituatur. Qui ſi fortè inutilis apparuerit, vel aliquod gravamen Eccleſie intulerit, itidem ad voluntatem Prepoſiti removeatur, ſicut hactenus à Patre noſtro & à nobis obſervatum eſſe cognoſcitur.

Sciat ergo omnium tam preſentium, quàm futurorum univerſitas, quòd ſicut nec à Patre noſtro, nec à nobis aliquis umquam prefate Eccleſie ſubadvocationem hereditario vel beneficiali iure optinuit, ita nec inpoſterum à nobis vel ab heredibus noſtris optinere poterit. Ut autem ſcripti hujus traditio rata & inconvulſa permaneat in perpetuum, ſigillo noſtro inſigniri fecimus, ſubiunctis teſtibus, qui preſentes erant, Liberis & Miniſterialibus: *Heinricus* Ratisponenſis Prefectus, *Cunradus* Prefectus de *Nurenberch*, *Cunradus* Comes de *Pilſtein*, *Leupoldus* & frater ſuus *Heinricus* Comites *de Pleigen*, *Otto de Lengenbach*, *Craft de Amzinesbach*, *Ulricus de Stauze*, *Rudgerus de Minnenbach*, *Albero* & *Wichardus de Zebingen*. Et alii quàm plures.

Acta ſunt hec anno Dominice Incarnationis Milleſimo, Centeſimo, Octuageſimo ſecundo in *Wienna* regnante Glorioſiſſimo Imperatore *Friderico*, Regni ejus trigeſimo, Principatus noſtri anno quinto.

L V.

Lucii III. P. M. Diplomata.

I.

Hunrico Abbati Monſeenſi ejuſque Succeſſoribus omnia bona & privilegia confirmat.

1182. *Ex Autogr. P. H.*

LUcius Epiſcopus Servus Servorum DEI, Dilectis filiis *Hunrico* Abbati Monaſterii Sancti *Michaëlis Lunelacenſis*, ejusque fratribus tam preſentibus, quàm futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Quotiens à nobis petitur, quod religioni & honeſtati convenire dinoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum ſuffragium impertiri.

Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & felicis recordationis *Innocentii* Pape, predeceſſoris noſtri, veſtigiis inherentes, prefatum Monaſterium B. *Michaëlis Archangeli Lunelacenſe*, in quo divino eſtis obſequio mancipati, ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes, ut quascunque poſſeſſiones, quecunque bona idem Monaſterium inpreſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, preſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo prefatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis: Eccleſiam *Steinkirchen*: Eccleſiam *Wiſilburch*: Eccleſiam *Sconim*: Eccleſiam *Straſwval*: Eccleſiam de *Abbatesdorff*; Eccleſiam *Vrebach*; Eccleſiam *Obervvange*, Eccleſiam *Aberſee*, que eſt filia Eccleſie veſtre *Mannſe*, cum capellis in proprio fundo conſtructis, cum decimis, & omnibus earundem Eccleſiarum pertinentiis. Predium *Scowve*: Predium *Abbatesberge*: Predium *Scinnenburch*: Predium *Vrebach*: Predium *Helphivve*: Predium, quod *Chunradus de Irmbretigon*; & apud *Tettingou* curiam unam: & apud *Ratvelt* manſum unum: & apud *Lawgane* manſum dimidium, cum mancipiis ad ipſum predium pertinentibus: & vineas, quas emiſtis apud *Cremiſe*.

In parochialibus inſuper Eccleſiis, quas habetis, liceat vobis Sacerdotes eligere, & Dioceſano Epiſcopo preſentare. Quibus, ſi idonei fuerint, Epiſcopus animarum curam committat: ut ei de ſpiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant reſpondere. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptione, aſtutia ſeu violentia preponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris, ſecundum DEI timorem, & Beati Benedicti Regulam providerint eligendum.

Decer-

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit, prefatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablata retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione aut sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate, & Diocesani Episcopi canonica justitia.

Si qua igitur in futurum Ecclesiastica Secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se * *f. judicio.* divino officio * existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore ac sanguine DEI, & Domini Redemptoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine divine ultioni subiaceat.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatinus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

Ego *Lucius* Catholice Ecclesie Eps.

† Ego *Petrus* Presbyter Card. tt. S. Susanne prop.

† Ego *Vivianus* tt. S. Stephani in Cœlio monte pres. Card.

† Ego *Laboranus* pres. Card. S. Marie trans Tyberim tr. Calixti.

† Ego *Ramerus* prbr. Card. SS. Joh. & Pauli tt. Pammachii.

† Ego *Hubertus* Prbr. Card. tt. S. Laurentii in Damaso.

† Ego *Pandulfus* prbr. Card. tt. Basilice XII. Apostolorum.

† Ego *Iacobus* Diac. Card. S. Marie in Cosmydyn.

† Ego *Arduio* Diac. Card S. Theodor.

† Ego *Gratianus* SS. Cosme & Dami. Diac. Card.

† Ego *Boto* Diac. Card. S. Angeli.

† Ego *Gerardus* S. Adriani Diac. Card.

† Ego *Soffredus* Diac. Card. S. Marie in via lata.

Datum Vetr. * per manum *Alberti* S. R. E. pbri Card. & Cancellarii, VII. Kal. Martii Indict. II. Incarnationis Dominice anno CIↃ. C. LXXXII. Pontificatus verò Domini Lucii PP. III. anno secundo.

* *f.* Vitubii *vel* Veronæ.

2.

Indulget Prioribus & Cartusianis Monachis Seitzensibus, ut, si temporibus ordinationum Diœcesani Episcopi copiam habere nequeant, alium quemcunque ad id invitare possint.

LUcius Episcopus, Servus Servorum DEI, Dilectis filiis, *Iohanni* Prio. *div.* ri & fratribus de *Valle Sancti Iohannis Seitz.* Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quantò ferventiùs observantiæ regulari faciente Domino insudatis, tantò sincerius universitatem vestram diligimus, & quieti vestræ attentiùs debemus & volumus providere. Eapropter vestris postulationibus annuentes, auctoritate vobis Apostolica indulgemus: ut, si temporibus ordinationum Diœcesani Episcopi copiam habere nequiveritis, liceat vobis alium Catholicum invitare, de quo Diœcesanum non oporteat timere Antistitem, quòd talis ordinationis occasione terminos Episcopatus sui in aliena jura velit extendere, & ipsius Diœcesani minorare. Qui vocatus, auctoritate nostra, quod postulaveritis, largiatur: nec id à vobis in posterum, quasi debitum, requirere possit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & Beatorum, Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum *Verone* X. Kal. Februarii.

3.

Carthusiam Seitzensem in Valle S. Johannis sub protectionem Sedis Apostolicæ suscipit, eamque ab omni laicorum molestia & tumultu immunem præstat.

LUcius Episcopus, Servus Servorum DEI, Dilectis filiis I. Priori & Conventui *Domus de valle Sancti Johannis* salutem & Apostolicam benedictionem. Religiosæ conversationis honestas, in qua iugùm Christi sub libera servitute portatis ita vos nobis commendabiles reddit, ut justis

iustis petitionibus vestris Apostolicum præbeamus paterna benignitate favorem, & circa profectum religiosæ Domus, in qua divinis estis cultibus mancipati, charitatis nostræ viscera dilatemus. Eapropter; Dilecti in Domino filii, votis & postulationibus vestris benigno concurrentes assensu, prædictam Domum vestram cum omnibus pertinentiis suis sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes, ut infra terminos vestros nullus vobis in occupandis pascuis, vel nemoribus succidendis; aut in oppressionibus occasione venationum vel piscationum quarumlibet exercendis aliquam inferre molestiam qualibet temeritate præsumat; aut homines vestros capere, vel res alias vestris usibus deputatas violenta debeat incursione turbare. Sed omnia potiùs bona vestra sub Sedis Apostolicæ munimento illibata vobis & inconcussa permaneant, vestris & successorum vestrorum usibus profutura. Decernimus ergo, ut nemini liceat hanc paginam nostræ protectionis & institutionis infringere, & personas & res vestras temeritate qualibet molestare. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum *Veronæ* XII. Kal. Martii.

mus. Huius autem prædii termini, sicut in eiusdem Marchionis rescripto habetur, sunt apices montium usque in vallem, & ex altera parte prædium *Gurcensis* Ecclesiæ. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum *Veronæ* XIIII. Kal. Aprilis.

4.

Eidem Cartusiæ possessionem prædii de Gunuvvitz confirmat.

LUcius Episcopus Servus Servorum DEI Dilectis filiis, Cartusiæ fratribus, qui sunt in *valle Sancti Joannis*, salutem & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis facilem nos convenit præbere assensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complete. Eapropter, Dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, prædium de Gunuvvitz in Patriarchatu *Aquilegensi*, in quo sunt Cellæ vestræ fundatæ, cum usibus & appenditiis à dilectis filiis nostris, Viris Nobilibus, *Otacher Marchione de Styria*, & *Otacher* Duce filio eius, Ordini vestro concessum, sicut illud iustè & pacificè possidetis, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Huius autem prædii termini, sicut in eiusdem Marchionis rescripto habetur, sunt apices montium usque in vallem, & ex altera parte prædium *Gurcensis* Ecclesiæ. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum *Veronæ* XIIII. Kal. Aprilis.

5.

Nobiles Viros Ortolfum, Otacharum & Leopoldum commonet, ne graves sint Monachis Carthusiæ Seitzensis.

LUcius Episcopus, Servus Servorum DEI, Dilectis filiis, Nobilibus Viris O.* O & L. de *Gonuvvitz*, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm vos ab infestatione Servorum DEI ipsa magis reverentia debeat Divini timoris avertere, non otiosum tamen esse putavimus, ut hoc intelligere & servare possitis, per litteras vos Apostolicas commonere: ut nostra salubri increpatione commoniti, desinatis imposterum, sicut expedit vobis, DEI Servitoribus adversari. Pervenit autem ad audientiam nostram, quòd vos; unde satis dolemus, proprii periculi consideratione postposita, dilectos filios nostros; Viros Religiosos de *valle S. Johannis* multipliciter infestatis, eum sine dubio in ipsorum gravaminibus offendentes, qui facultatem vobis largius est in terris, qua per suffragia servorum eius, eorum Societatem habere possitis in Cœlis. Cavendum ergo est vobis, ne convertatis ad perniciem, quod datum est ad salutem: &, unde maiorem poteritis à Domino consequi gratiam, inde, quod absit, eius incurratis offensam. Unde Nobilitatem Vestram per Apostolica scripta monemus attentiùs, & pro vestra ipsorum salute præcipimus, quatenus à prædictorum fratrum vexationibus abstinentes, nullas eis iniurias, nullas eorum rebus molestias inferatis: Sed ita de cætero, pro superni reverentia Conditoris & nostræ interventionis obtentu, eisdem fratribus mites, & placabiles sitis, quòd propter hoc in vobis nec supremum iudicium debeat inquirere, quod puniat: nec

* Ortolfo & Otacharo & Leopoldo.

audiat

Digitized by Google

audiat interim Ecclesia DEI, quod debitæ iustitiæ severitate percellat. Datum *Veronæ* XII. Kal. Martii.

6.

Homines & possessiones Monasterii S. Crucis in Austria Ord. Cist. ab omnibus iniuriis & vexationibus tuetur.

Extract. P. H. LUcius Episcopus Servus Servorum DEI Dilectis Filiis *Heinrico* Abbati Monasterii Sancte Marie de Sancta Cruce eiusque Fratribus tam presentibus, quam futuris, Regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse presidium; ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus aut eos à præposito revocet, aut robur, quod absit, Sacre Religionis infringat.

Eapropter Dilecti in Domino Filii vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & ad exemplar felicis recordationis *Innocentii* Pape Predecessoris nostri privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus qui secundùm Domini, & Beati Benedicti Regulam atque Institutionem Cisterciensium Fratrum in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quæcunque bona prefatũ Monasterium in presentiarum & iustè canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo prefatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis Grangiam de *Sattelbach* & aliam de *Satelbach*, Grangiam de *Brunsvelde*, Grangiam de *Volckhenvelde*, Grangiam de *Tumowe*, Grangiam de *Munchendorff*, Grangiam de *Sigenvelde* & *Sulze*, Grangiam de *Tallern*, cum omnibus earum pertinentiis.

Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullis à vobis Decimas exigere vel extorquere præsumat. Licet quoque vobis Clericos & Laicos a seculo fugientes, liberos & absolutos ad conversionem suscipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco Professionem fas sit absque Abbatis sui licentia, de eodem discedere. Discedentem verò absque communi litterarum cautione, nulli liceat retinere. Paci quoque & tranquillitati vestre paterna sollicitudine providere volentes Auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu Grangiarum vestrarum, nullus violentiam vel rapinam, furtum committere, ignem apponere hominem capere vel interficere aliqua temeritate præsumat.

Decernimus ergò, ut nulli omnino hominum fas sit prefatum Monasterium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet exactionibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, quorum gubernationi ac sustentationi concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolice Auctoritate. Si qua igitur Ecclesiastica secularisve Persona hanc Nostre Constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire presumpserit, secundò tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, Potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se Divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine DEI & Domini Redemptoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem, eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Datum *Verone* per manum *Alberti* Sancte Romane Ecclesie Presbiteri Cardinalis, & Cancellarii, septimo Idus Septembris, Indictione quarta, Incarnationis Dominice anno M. C. LXXXV. Pontificatus autem Domini *Lucii* III. Pape anno quarto.

LVI.

Otacher Dux Styriæ de novo fundat Cartusiam Seitzensem, eique plurima bona largitur.

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Ego *Otacher* DEI gratia Dux Sty- 1184. *Ex Archiv. Seitz.*

Digitized by Google

Styrenſis omnibus Chriſti fidelibus, tam futuris quàm præſentibus, per præſentia ſcripta notum fieri volo, quòd Pater meus memoriæ felicis *Otacher* Marchio *Styrenſis* ad laudem & gloriam Omnipotentis DEI, & eius genitricis ac perpetuæ Virginis Mariæ, Sanctiſque Johannis Baptiſtæ & omnium Sanctorum, conſilio & auxilio Reverentiſſimi Papæ *Alexandri*, Fratres de Ordine Cartuſienſi adduxit in marchiam noſtræ ditionis eosque in loco, qui nunc *Vallis Sancti Joahnnis* dicitur, collocavit. Nos verò nominis & hæreditatis ipſius Succeſſores, votum deſiderii animi ſui prælibatum, ſed morte, quæ nulli parcit, præveniente, minùs perfectum, pleniùs conſummavimus. Fratres autem, qui primò venerunt, morem gentis neſcientes, terra utrum fœcunda an infœcunda eſſet, minùs cautè attendentes, multò minùs, quàm eis ſufficere poterat, acceperunt, cùm pater meus multò plura eis dare voluiſſet. Unde ad tantam penuriam poſt mortem Patris mei devenerant, quòd locus pene deſtructus fuerat.

Nos verò hoc cognoſcentes, ad reſtitutionem eorum citiùs manum porreximus. Pater meus dederat eis XII. modios Salis in *Gravſchar*, XX. maſſas ferri in *Leyben*, & unam Saumam olei ibidem, Decem & novem menſuras mellis in *Tyver*, & alia quàm plura. Nos verò ad hæc addidimus cutes & pelles omnes, quarum carnes conſumimus in tribus Præpoſituris, *Marchpurch*, *Rakerspurch*, & *Tyver*, abſque Dominicis diebus, & tribus diebus in Natali Domini, & Paſcha, & Pentecoſten: Dedimus eis etiam villam, quæ ſibi contigua eſt, nomine *Sitz*, & omnes ſervos & ancillas, qui tunc temporis in eadem fuerant villa. Dedimus quoque eis, quidquid in villa, quæ *Rogotz* dicitur, habebamus, & manſum vnum *Oplouitz*. Præterea conſtituimus eis ſingulis annis dari octo Marcas de elecmoſyna Patris mei; *Grätz* vnam *Rakerspurch* vnam, *Marchpurch* vnam, *Rogatz* vnam, *Tyver* vnam, *Diernſtein* vnam, *Leſcentch* dimidiam marcam, *Judenburch* dimidiam, *Leuben* dimidiam, *Sachſenvelde* dimidiam.

Et, quia Pater meus, quando eos adduxit, ædificia neceſſaria eis ſe facturum promiſit, nec in hoc eis ſubtraximus manum noſtræ pietatis: quin potiùs conſtituimus eis XV. marcas dari ſingulis annis, quousque neceſſaria ædificia conſtruantur. Adhuc autem, quia paſcua, quæ infra terminos eorum ſunt, pecoribus eorum non ſufficiunt, conceſſimus eis paſcua per terram noſtram, tam in alpibus, quàm in campis planioribus. Conceſſimus etiam, ſi quis miniſterialium noſtrorum prædia ſua vel alia quælibet, quæ abſque conſenſu & licentia noſtra dare non poſſunt, eis conferre voluerit, quòd liberè & abſque ullius contradictione faciat, & ipſi liberè abſque ullius infeſtatione perpetuo iure poſſideant.

Ortolphus quoque *de Gonuvvitz* & *Otacher* ac *Leupoldus*, fratres eius, pro remedio animarum ſuarum, atque omnium Prædeceſſorum ſuorum, fratribus in præfato loco DEO ſervientibus liberè & abſolutè conceſſerunt piſcationem per totam aquam, quæ *Oplonitz* dicitur & per illam ſimiliter, quæ *Trenold* nuncupatur, & hoc ad memoriam perpetuam in hoc privilegio notari præceperunt.

Hæc & alia, quæ ſive Pater meus, ſeu nos eis contulimus, quæſita cum inquirendis, culta cum colendis, & cum omnibus ad ea pertinentibus, agris vineis, pratis, paſcuis, piſcationibus, venationibus liberè & abſque omnium Sæcularium inquietudine tradidimus. Tale quoque præceptum ſtatuimus, ne quis terminos Heremitarum ibidem inhabitantium venationibus, piſcationibus, vel paſcendis pecoribus, vel lignis ſuccidendis, ſive aliis quibuslibet tumultuoſis acceſſibus Contemplatores DEI inquietare, vel quietem tantæ religionis audeat perturbare. Si quis verò huius noſtri edicti temerarius contemptor extiterit, Advocato loci, ſi liber vel miniſterialis eſt, X. libras componat; ſi de ordine plebeio, triginta ſolidos perſolvat. Advocatiam verò eiuſdem loci neque Pater meus, neque nos, alicui tradere voluimus, niſi nobismet ipſis. Ut autem hæc rata & inconvulſa permaneant, privilegio confirmamus, & impreſſione noſtræ imaginis arctiùs corroboramus.

Adhuc autem ad ſupradicta addidimus, ac firmum & ratum eſſe decernimus: ſi quando DEUS eis in prædiis eorum argentum vel aliquid tale invenire donaverit, liberè & abſque alicuius infeſtatione poſſideant. Huius rei teſtes *Otto de Chunesberch*, *Henricus de Trus*

Leutvvi

Leutwinus de Sunenberg, *Heinricus de Buten*, *Leupoldus* Frater Ducis, *Dietmarus* & *Ulricus* frater eius *de Butenowe*, *Arnulfus de Rustdorf*, *Arnulfus de Wertenberg*, *Ottho Sun*, & filii eius, *Duringus*, *Ottho*, *Enricus*, & *Hergunguerus*, *Poppo de Chlam*, *Perchtoldus de Stegue*, *Rodulfus de Quindebere*, & alii multi. Istud privilegium ego *Otacher* hoc modo præcepi inscribi, & inscriptum, coram me ante Ecclesiam *Rachesburch* multis præsentibus est lectum, & a me firmiter confirmatum anno Domini MCLXXXII. Indictione prima, regnante *Frederico* Imperatore, & *Gotfredo* Patriarcha *Aquilegensi* existente.

LVII.

Idem Dux eiusdem Cartusiæ veteres libertates & privilegia confirmat, novisque plurimis auget.

indid. NOs *Otocharus* Divina miseratione Dux *Styrensis* Judicibus, Præpositis, & Officialibus vniversis, sub nostro Dominio constitutis, gratiam & salutem. Quoniam Divina bonitas suos cultores beneficiis nunquam destituit, sed divitiis & honoribus circumquaque multiplicat, felicis memoriæ Patris nostri *Otocheri* Marchionis *Styriæ* pium erga dilectos nobis fratres in *Seitz* favorem & inextinctum propensiùs exequi cupientes confirmamus eisdem concessas omnes libertates, donationes & gratias ab ipso, præcipientes easdem ab omnibus firmiter observari. Volentes insuper prædictos fratres maiori libertatis privilegio gratulari, ne surreptione aliqua posterorum a nobis indulta eis largitas quandoque intereat, præcipimus, quæcunque ipsis de nostra gratia superaddita sunt in ferro, cutibus, & sale, & aliis secundùm continentiam suorum privilegiorum, indifferenter ab omnibus, quocunque nomine censeantur, qui vice nostri pro tempore fuerint instituti Capitanei, Iudices vel provisores in *Styria*, inviolabiliter custodiri.

Adiicimus etiam firma Sanctione, ne quis contractus, donatio sive iniuriæ remissio vel compositio circa invasores dictæ fundationis absque communi consensu Prioris & Fratrum prædicti loci facta teneat a quocunque: & ne quis hominem capere, occidere, & ignem apponere intra claustrum ipsorum & Hospitale aliqua temeritare præsumat, vel ipsos fratres aut homines eorum ad aliquas præstationes vel operas in muris fossatis vel calce coquenda seu vecturis in expeditionibus faciendis, aut ad alia quævis publica servitia compellere. Interdicimus quoque, & sub nostræ obtentu gratiæ districtiùs inhibemus, ne quis Officialium nostrorum, sive iudicum, nec non Ministerialium, tractatibus sive causis in exercendis iudiciis contra homines eorum aliqualiter se immiscat nisi rogatus, quidquid illud fuerit quæstionis, & ubicunque natum fuerit, exceptis Civitatibus, oppidis & aliis locis principalibus, ubi de more à nobis & à nostris Officialibus causæ soleant agitari. Et hoc solùm extendi ad proprios Ecclesiæ ordinamus, interdicta etiam eis in hac parte iurisdictione qualibet, ficubi in possessionibus eorum, compitis sive villis, inter colonos eorum effusio sanguinis oriatur. Quòd si ex occasione huiuscemodi percussus interierit, & ad publicum iudicium causa deducta fuerit per querelam, nisi præmisso legitimo examine, utrum livore malitiæ seu ulciscendi animo, an causâ propulsandæ iniuriæ, commissum inciderit, contra reum decernimus nullatenus procedendum, cedentibus bonis eius vel eorum, qui pro talibus, sive pro quibuslibet aliis sceleribus indistinctè plectendi fuerint, Fratribus & Ecclesiæ supradictæ integraliter, iure vel consuetudine contraria non obstante. Sin autem; Officiales nostri vel Iudices ob vindictam patrati sceleris Malefactorem nequaquam experant, nisi publicus latro vel fur fuerit, seu alias damnatorum varietate criminum maculatus. Concedimus etiam hominibus eorum in sylvis & pascuis, aquis & piscationibus cum nostris hominibus ubique plenam communionem, habitam ex antiqua consuetudine vel præscriptam. Inhibemus etiam, ne quis homines eorum exactione, sive steura, vel tributis persolvendis de rebus suis quas conservandas vel vendendas ad publica fora inferunt, seu empras deferunt, aliqualiter audeat perturbare. Ut autem ista firma & inconvulsa in posterum permaneant, nostri sigilli munimine præsens Scriptum fecimus communiri.

Datum in *Rakerspurch* V. Kal. Octobris Indictione tertia, Incarnationis Dominicæ Anno MCLXXXV. præsentibus *Ottone de Chunegsberch*, *Dietmaro*

maro de Buthenowve, & Ulrico fratre ejus, Rudolfo de Chinnenperch, Arnolfo de Wartenberch, Leutwino de Sunnenberch, & aliis quàm pluribus.

LVIII.

Chuno Episcopus Ratisbonensis Monasterio Monseensi restituit forestam Abernsee.

In nomine Sancte & Individue Trinitatis.

1184. Ex autogr. P. H.

CHuno DEI gracia Ratisponensis Ecclesie Episcopus, licèt immeritus, in perpetuum. In eo sumus loco & officio, licèt immeriti, Domino providente, constituti, ut omnibus sub nostro regimine existentibus, jura sua studio paterne sollicitudinis conservemus illesa, & his maximè, qui sub sancte conversationis religione, in laudibus divinis continuò inveniuntur emancipati, ne de minori possimus vigilantia reprehendi, si permiserimus eos tua justitia defraudari.

Omnium igitur tam presentium, quam futurorum noverit industria fidelium, quòd predecessores nostri, & nos cum eis habuimus in usibus nostris Forestam, que dicitur * *Abernsee*, ita tamen, quod Dominus Abbas de *Monsee* cum sua congregatione diceret, se tam à nobis quàm à predecessoribus nostris pati injuriam, maximè cùm eandem Forestam antiqua Imperatoris traditione & longissima possessione Monasterium idem quiete possederit multo tempore. Nolentes itaque vel Episcopatum vel Monasterium suâ defraudari justitiâ, diligenti inquisitione adhibita, invenimus certissima veritate Forestam predictam eidem Monasterio de jure debere contingere. Quia ergo de justitia Ecclesie nostre nihil credimus deperire, si que aliena sunt, desistimus possidere, sub presentis pagine testimonio certificamus, quòd à possessione predicte Foreste omnino, sicut & justum fuit, cessimus, & ex abundanti justitia eandem Forestam predicto Monasterio super Altare B. Michaëlis manu propria tradidimus.

* Nunc Sanct-Wolfg.

Hi autem sunt termini Foreste ejusdem: in occidente à rivo *Zinckinbach*, ubi ipse *Abernsee* influit, & ab oriente, ubi *Tinnilbach* in lacum influit, usque ad locum, ubi *Iskila* in *Trunam* cadit, & ex alia parte terminum habet usque ad *Wizzinbach*, quò & ipse in *Attersee* manat, & ad alium *Wizzenbach*, usque dum influit *Trunam*. Ne qua ergo spiritualis secularisve persona hanc nostram traditionem immutare presumat, ipsam nostri auctoritate precepti sub vinculo Anathematis ratam haberi precipimus. Et ne à fide & memoria successorum nostrorum hec nostra traditio possit excidere, hanc inde chartam sub testimonio multorum fecimus inscribi, & nostro sigillo jussimus insigniri.

Sunt autem hij testes, Clerici: *Godefridus* Prepositus, *Ruprecht*; *Marquardus* Decanus; *Udalricus*, *Rudigerus*. Hij autem Laici: Comes *Heinricus de Francehusen*: *Friderich Landgrave*: Comes *Rapoto de Ortenberge*; *Albero de Zoolfiunge*: *Friderich de Petinge*: *Rudiger de Waltsteine*, *Otto de Valchensteine*; *Radolth de Gisilingen*; *Dietrich de Reitenbuch*; *Gumpold an der Heide*; *Chunrat de Kirthorff*; *Rudiger de Stein*; *Hartwig de Lihtenberge*; *Gerloh de Nuzdorff*; *Otto Marschalch*; *Heinrich Hek*; *Dietrich de Kirpbern*; *Chunrat Kägel*; *Chunrat de Henhusen*; *Arbo de Aheim* & alii quàm plures. Facta autem est hec traditio anno ab Incarnatione Domini nostri JESU CHRISTI. Millesimo C. LXXXIV. IV. Non. April. Indict. II. Imperatore *Friderico* regnante.

LIX.

Bulla Urbani PP. III. *ubi Privilegia, Exemptiones & Donationes cæteraque à suis Antecessoribus Innocentio II. & Eugenio III. Ecclesiæ Clarostroncoburgensi concessa, Apostolica auctoritate confirmantur.*

VRbanus Episcopus Servus Servorum DEI Dilectis filiis *Gotschalco* Preposito Cenobii S. Marie *Nivvenburch*, quod in Patavienfi Episcopatu situm est, ejusque Fratribus, tam presentibus, quàm futuris, Regularem vitam professis, in perpetuum. 1187. Ex autogr. P. H.

Quotiens à nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis effectum congruum impertiri. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer

ter annuimus, & prefatam Eccleſiam Sanctæ Marie *Nivvenburch*, beato Petro oblatam, in qua Divino eſtis obſequio mancipati, adinſtar felicis recordationis *Innocentii* & *Eugenii* Predeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus.

Inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm DEUM & beati Auguſtini regulam in eodem loco noſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Preterea quascunque poſſeſſiones, quecunque bona eadem Eccleſia inpreſentiarum juſtè & Canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, preſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis, fundum videlicet & plebem *Niwenburgenſem* ex utraque parte fluminis cum decimis & Jure Parochiali, & Capellis cum omnibus pertinentiis ſuis, villas *Alptuve*, *Struphingen*, *Ruggersdorf*, *Haſelbach*, *Stoycindorf*, *Tatendorf*, *Hadevvarcesdorf*, *Vezendorf*, *Pirbom*, *Eberhartesdorf*, *Pruke*, *Willehalmesdorf*, *Wielantesdorff*, *Miurlingen*, cum ceteris prediis & vineis veſtro juri pertinentibus.

Sancimus etiam, ut in capellis fundatis vel fundandis in poſſeſſionibus veſtris, nullus ſine conceſſione veſtra miniſtrare preſumat. Sententia quoque à te fili Prepoſite, vel tuorum Succeſſorum, in tuos Parrochianos Canonicè promulgata, rata, auctoritate Apoſtolica teneatur. Sanè novalium veſtrorum, quos propriis manibus vel ſumptibus colitis, ſiue de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus omnino à vobis decimas exigere, vèl extorquere preſumat.

Chriſma quoque, oleum ſanctum, Conſecrationes altarium, & cetera Eccleſiaſtica ſacramenta à Dioceſano accipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apoſtolice Sedis habuerit, & ea vobis gratis, & absque pravitate aliqua vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis, quemcunque malueritis, Catholicum adire Antiſtitem, qui nimirum noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur, impendat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos, è ſeculo fugientes, liberos & abſolutos ad converſionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibemus inſuper, ne ulli fratrum veſtrorum poſt factam in eodem loco profeſſionem fas ſit abſque Prepoſiti ſui licentia de clauſtro diſcedere, diſcedentem verò ſine communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Quod ſi quiſquam fratrum animi levitate diſceſſerit, & ſecundò tertiòve commonitus redire contempſerit, liceat ejusdem loci Prepoſito in eum Canonicam ſententiam promulgare. Cùm autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce Divina officia celebrare.

Sepulturam preterea ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalvâ tamen juſtitiâ matricis Eccleſie. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci Prepoſito, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutiâ preponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundùm DEI timorem & beati Auguſtini regulam providerint eligendum.

Nihilominus etiam petitioni veſtre gratum impertientes aſſenſum preſenti decreto ſancimus, ut nullus prefate Eccleſie Advocatus, niſi de domo & progenie bone memorie *Luipoldi* Marchionis, veſtro tamen electus arbitrio, conſtituatur, ita quidem, quòd nullâ exactio vel gravamen eidem loco de ipſius patrocinio inferatur. Quòd ſi ipſe inutilis prefate Eccleſie comparuerit, & ſecundò tertiòve commonitus non emendaverit, liceat vobis eum à procuratione hujusmodi removere, eique alium idoneum ſubſtituere.

Paci quoque ac tranquillitati veſtre paterna in poſterum ſollicitudine providere volentes, auctoritate Apoſtolica prohibemus, ne quis infra ámbitum domorum veſtrarum violentiam facere, furtum committere vel rapinam, ignem apponere, hominem capere vel interficere aliqua temeritate preſumat. Ad indicium autem hujus à Romana Eccleſia percepto

libertatis, Bizantium unum annis singulis nobis, nostrisque successoribus persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate, & Diocesani Episcopi canonica justitia.

Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se Divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine DEI, & Redemptoris nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri JESU Christi: Quatinus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego *Urbanus* catholice Ecclesie Episc. subscripsi.

† Ego *Petrus de Bovo* Pbr. Card. tt. Sancte Susanne ff.

† Ego *Henricus* Albanensis Episc. ff.

† Ego *Laborans* Pbr. Card. S. Marie trans Tiberim tt. Calixti ff.

† Ego *Paulus* Prenestinus Episc. ff.

† Ego *Pandulfus* Prbr. Card. tt. XII. Apostolorum ff.

† Ego *Theobaldus* Hostiensis & Velletrensis Episc. ff.

† Ego *Adelardus* tt. S. Marcelli Prbr. Card. ff.

† Ego *Iac.* Diac. Card. S. Marie in Cosmidyn ff.

† Ego *Gratianus* SS. Cosme & Damiani Diac. Card. ff.

† Ego *Rollandus* S. Marie in Porticu Diac. Card. ff.

† Ego *Petrus* S. Nicholai in carcere Tulliano Diac. Card. ff.

† Ego *Radulphus* S. Georgii ad Vellus aureum Diac. Card. ff.

Datum *Verone* per manum *Alberti* S. Romane Ecclesie Presbyteri Cardinalis & Cancellarii VII. Kal. Junii. Indictione quinta, Incarnationis Dominice Anno M. C. LXXXVII. Pontificatûs verò Domini *Urbani* PP. III. anno II.

LX.

Ejusdem Urbani Papæ III. ad universos Ecclesiarum Prælatos, qua Abbatem & Monachos Monasterii S. Crucis, Ord. Cistere. ab omni decimarum præstatione tam in terris inculti, quam etiam cultis liberat atque immunes reddit.

1187. *Ex Authentico. P. N.*

Urbanus Episcopus, Servus Servorum DEI, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis & Dilectis Filiis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Decanis &c. & aliis Ecclesiarum Prelatis, ad quos litere iste pervenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Quia plerumque veritatis integritas per minorem intelligentiam aut malitiam hominum depravatur, non videtur incongruum, si ea etiam, que manifestè dicta videntur, ad omnem ambiguitatis scrupulum amovendum evidentiùs exponantur, & turbatoribus veritatis omnis auferatur contradictionis occasio, qua ea, que recta sunt, aliquâ valeant obumbratione fuscari.

Accepimus autem, quòd, cùm Dilectis Filiis nostris Abbati & Monachis *Sancte Crucis*, sicut & aliis Cistercienfis Ordinis Fratribus à Patribus & Predecessoribus nostris concessum sit, & à Nobis ipsis postmodum indultum & confirmatum, ut de laboribus, quos propriis manibus aut sumptibus excolunt, nemini decimas solvere teneantur: Quidam ab eis nihilominus contra indulgentiam Apostolice Sedis decimas exigere & extorquere presumunt, & prava & siniftra interpretatione Apostolicorum Privilegiorum capitulum pervertentes asserunt de Novalibus debere intelligi, ubi noscitur de laboribus esse inscriptum. Quoniam ergo manifestum est omnibus, qui rectè sapiunt, interpretationem hujusmodi perversam esse, & intellectui sano contrariam, cum secundùm Capitulum illud absolutionem Decimarum tam de terris illis, quas deduxerunt, vel deducunt ad cultum,

Digitized by Google

cultum, quam de terris etiam cultis, quas propriis manibus vel sumptibus excolunt, liberi sint penitùs & immunes, ne ullus contra eos materiam habeat malignandi, vel quomodolibet ipsos contra iustitiam molestandi, vobis per Apostolica scripta mandamus, atque precipimus quatenus omnibus Parochianis vestris Auctoritate Apostolica nostra prohibeatis, ne à memoratis Fratribus & Novalibus, vel de aliis terris, quas propriis manibus vel sumptibus excolunt, seu de nutrimentis animalium ullatenus decimas presumant quomodolibet extorquere. Nam si de Novalibus tantùm vellemus intelligi, ubi ponimus *de laboribus*, & *Novalibus* poneremus, sicut in privilegiis quorundam aliorum apponimus. Quia verò non est conveniens vel honestum, ut contra Sedis Apostolice Indultum predictos Fratres Decimarum exactione gravaverint laicos Excommunicationis sententiâ percellatis, Clericos, Canonicos sive Monachos contradictione, dilatione & appellatione cessante ab officio suspendatis, & tam Excommunicationis, quàm suspensionis sententiam faciatis usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observari. Harum presentium vobis Auctoritate Apostolica præcipiendo mandamus, quatenus, si quis in prædictos Fratres manus violentas iniecerit, eum accensis candelis publicè excomunicatum denuntietis, & faciatis ab omnibus excomunicatum cautiùs evitari, donec congruè satisfaciet predictis Fratribus, & cum litteris Diocesani Episcopi, rei veritatem continentibus, Apostolico se conspectui representet. Datum *Verone* VI. Kalendas Aprilis Incarnationis Dominice Anno M. C. LXXXVII. Pontificatûs Domini *Vrbani* Pape III. anno II.

LXI.

Ditrici Episcopi Gurcensis charta pro Cartusia Seitzensi.

Ex Archiv. Seitz. 1187.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Ego *Ditricus* * DEI gratia *Gurcensis* Ecclesiæ humilis minister. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris quàm præsentibus, qualiter *Vulvingus de Capfenberc* partem de beneficio suo, quod habebat a nobis, quæ vocatur *Rohrbach*, cum appendiciis suis, cultis & incultis, dedit DEO & Beatæ Mariæ, & Fratribus Ordinis Cartusiensis in *Valle S. Johannis* DEO servientibus. Sed quia prædictum beneficium dare non potuit, nisi quàm diu vivit, nos rogatu Domni Papæ *Lucii*, & rogatu Domini nostri *Alberti*, Salzburgensis Archiepiscopi, & assidua Fratrum prece, quos diligimus, quod *Vulvingus* minùs potuit, supplevimus, consilioque tam Cleri quàm Ministerialium Ecclesiæ nostræ, pro remedio animæ meæ, atque omnium fratrum ac Ministerialium nostrorum, prædictis Fratribus memoratum prædium, sicut superiùs determinatum est, conferimus, & in perpetuum confirmamus, & hanc cedulam impressione sigilli nostri roboratam, eidem Monasterio in testimonium tribuimus.

Huius rei testes sunt: *Hertnidus* Præpositus *Gurcensis*, *Arnoldus* Custos *Chunradus* Canonici, *Adelungus*, *Johannes Poto*, *Vulvingus* & *Leo* Capellani, *Ernestus*, *VVlscalus*, *Heinricus*, *Bertholdus*, *Sigemarus*, *Fridericus*, *Pertoldus de Schalake*, *Pilgrinus*, *Alexander*, *Pero Syticensis* Abbas, *VVillehalmus* Prior de *Gyrioova*.

Datum anno Incarnationis Dominicæ MCLXXXVII. Indict. V. undecimo Kal. Febr. Actum *Pilstein* feliciter Amen.

* *Ditrici seu Ditetrici Episcopi Gurcensis anniversarius extat in antiquo Necrologio Seitzensi ad diem* 21. *Martii.*

LXII.

Liupoldi Ducis Austriæ præceptum de restitutione Prædii Roreh, *olim per quendam præfati Ducis ministerialem iniustè ablati Monasterio Sanctæ Crucis. Datum Anno Domini* 1188.

Liupoldus DEI gratia Dux Austrie, 1188. Omnibus Christi fidelibus tam presentis etatis quàm future generationis pacem & exaltationem in perpetuum. Vitam religiosam eligentes & in secretiori quiete DEO servire cupientes, abundantiori Principum sunt tuendi presidio, ne quis eorum facultates iniustè auferat, vel quomodolibet molestando robur eorum Religionis infringat. Hinc est, quòd ego *Liupoldus*, Divina favente clementia Dux *Austrie*, Fratrum in domo *Sancte Crucis* DEO servientium presenti consulens utilitati & future providens necessitati *Exaveger P. H.*

ſtati hac noſtra conſcriptione tam preſenti generationi, quàm future poſteritati notificandum duximus, quòd predium eorum, *Rorech* nomine, iniuſtè eis a quodam Miniſteriali noſtro ablatum, liberum & abſolutum reddidimus, nemine in eo ius reclamandi vel poſſidendi habente. Ne igitur quiſquam hominum in eodem loco facultatem habeat caſtellum edificandi, ſilvam exſtirpandi, vel aliquo modo prædictos fratres gravandi, preſenti deſcriptione inhibemus: Statuentes, ut nulli omnino liceat predictum Predium vendere, commutare vel alio quocunque modo de domo *Sancte Crucis* alienare. Ut autem predictum predium eidem Venerabili loco ratum & integrum in omne evum permaneat, terminos eius deſcribimus, reſtes eius annotantes & ſigillo noſtro ſignantes. Iſti ſunt termini per aſcenſum vie, vulgò que *Rorvvech* dicitur, uſque ad ſemitam exeuntem de *Wildekke*, & ducentem ad ſemitam venientem de *Loupa*, & per eandem ſemitam in *Sultz*, & per deſcenſum ripe, que vocatur *Medelich* uſque ad predictam viam, quam *Rorvvech* nominavimus.

Huius rei teſtes ſunt *Vlricus de Gotlme*, & filius eius *Wichardus*, *Liupoldus Ahtare*, *Ortolfus de Kirchſtetten*, *Cunradus Altare*, *Rodegerus de Game*, cognomento *Paveiare*. Datum Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXXVIII. II. Kalend. Junii, in *Mittarn*, regnante *Friderico* Imperatore feliciter Amen.

LXIII.

Eiusdem Liupoldi Ducis Auſtrie & Styrie Diploma, quo Monaſterio S. Crucis donatur aliqua pars Sylve, in qua idem Monaſterium ſitum.

An. 1188. *Ex autogr. P. II.*

Liupoldus divinâ clementia Dux *Auſtrie* & Styrie. Cunctorum Chriſti fidelium preſenti univerſitati & future poſteritati pactum & quietem in perpetuum. Quandoquidem ſuperne diſpoſitionis gratia in locum Illuſtriſſimi Patris pie merie *Henrici* Ducis heres ſuccedere, & principatum merui obtinere, dignum arbitratus ſum & mihi meisque per omnia ſalutare, quatenus paternum circa venerabilia loca & devotionem & liberalitatem in nobismetipſis excolere, & ad tam pie ac magnifice virtutis exemplar noſtros ſtudeamus omnimodis informare. Unde quoque nobis viſum eſt annuente & ſimul tradente Germano meo *Henrico*, nec non dilectiſſima matre noſtra *Theodora* conferre Monaſterio *Sancte Crucis* & fratribus, Domino illic iugiter famulantibus, aliquam partem ſilve, in qua idem Monaſterium ſitum fore dignoſcitur, optantes, ut DEUS & Dominus Omnipotens, qui devotum nunquam offerentis ſpernit affectum, anime Chriſtianiſſimi Patris noſtri *Henrici* Ducis requiem, & reliquis parentibus noſtris regni ſui concedat beatitudinem, mihi quoque ac fratri meo, ſimulque amplectende Matri noſtre, & *Helene* conthorali mee, ac ſoboli noſtre ſanitatem tribuat & incolumitatem, & in regendis ſubditis pacem pariter & tranquilitatem.

Hoc ipſum verò, quod de præfata ſilua antedicto Monaſterio *Sancte Crucis* dare complacuit, manu poteſtatiua delegavimus eidem venerabili loco, ita tamen, ut nequaquam extirpetur, nec ſtabula pecorum, aut apiaria illic collocentur! prefigentes, eis terminos, videlicet a *Privitſone* per aſcenſum montis, qui vocatur *Huſruke*, uſque ad initium foſſati, quod vocatur *Radingrabe*, & abinde per viam, que in eo, quod vulgò dicitur *Eke*, perducit in *Hollerprande*, & idipſum *Hollerprande*, & inde per retrò *Hollerprande* inter duos fontes duorum rivulorum, quorum unus dicitur *Butenbach*, alter verò *Svvinbach*, per viam dirigentem uſque ad locum, cui nomen eſt *Wurtzvvale*, pertranſeuntibus eam, que vocatur *Hermanesvvarte*, uſque ad foſſatum, cui vocabulum datum eſt *foſſatum Monachorum*, ad eius ſcilicet initium, & per ipſius deſcenſum uſque in *Waldſettelbach*, & per ipſius quoque deſcenſum, uſque in campum.

Quia verò Miniſteriali noſtro *Wichardo de Arnſteine*, ad quem cuſtodia eiuſdem ſaltus attinet, aliquod ex hoc deceſſiſſe videbatur detrimentum, placuit fratribus ſepefati Monaſterii *Sancte Crucis* dare *Wichardo* vineam unam locatam in villa, que vocatur *Voſendorff*, & agros, quos ipſi illic poſſidebant, quatenus neque ab ipſo, neque a liberis eius pro iure beneficii ullam aliquando ſuſtinere debeant moleſtiam. Verùm ut

hec

hec nostra donatio rata semper maneat & inconvulsa. conscriptionem hanc nostri sigilli impressione roboramus.

Testes sunt hujus rei : *Otto de Aschaimb*, *Poppo de Gnage*, & filius ejus *Ulricus de Chungesbrunna*, *Hugo de Aigene*. *Wichardus de Arnstaine*, & filius ejus *Pertoldus*, *Chunradus de Riede*, *Luttwinus de Sunnenberg*, *Albertus de Pfaffsteten*, *Ulricus de Viehofen*, *Otto de Purchartesdorf*, & filii ejus *Rapoto* & *Henricus*, *Ulricus* Dapifer, & filius ejus *Ulricus*. Datum Anno Domini Millesimo Centesimo Octuagesimo octavo.

LXIV.

Ejusdem Liupoldi Ducis Austrie Diploma alterum, quo Monasterio Sancte Crucis supra partem illam Sylve adhuc aliquid adjicitur, donaturque.

1188. *Ex Autogr. P.H.*

Liupoldus Divina favente Clementia Dux Austrie, Cunctorum Christi fidelium presenti universitati & future posteritati pacem & quietem in perpetuum.

Quoniam divina aspirante gratia elemosinarum largitate DEUM repropitiare cupimus modis omnibus, ut earundem elemosinarum largitio eis, quibus collata est, inconcussa permaneat, providere decrevimus. Quocirca omnibus tam presentis etatis, quàm future generationis hominibus notum esse cupimus, quòd ego *Liupoldus* DEI gratia Dux Austrie annuente ac simul tradente Germano meo karissimo *Heinrico* nec non & dilecta compare nostra *Helena* Ducissa, DEO & Beate Marie semper Virgini & Fratribus in domo *Sancte Crucis* ad laudem DEI congregatis seu congregandis, ex silva, de qua priùs eis partem quandam contulimus, aliquid superaddere necessarium duximus, siquidem priùs per Ministeriales nostros, *Richardum* scilicet *de Arnstaine* & *Ulricum de Gadme* cum aliis nonnullis Ministerialibus nostris, predictis fratribus partem quandam silve nostre designavimus, que cum minimè eorum necessitatibus sufficiat, de eadem silva, uti jam diximus, aliquantulum adjecimus, & tam illam partem, quam priùs eis contulimus, quàm istam, quàm modò addidimus, tali libertate, qua nos eam possedimus, manu potestativa super altare delegavimus, ut eidem Venerabili loco & fratribus inibi DEO servientibus in omnes usus ac necessitates omne per evum liberrimè subserviat, ita tamen, ut non extirpetur, neque stabula pecorum vel apiaria ibi collocentur. Hanc autem nostram donationem non solùm nobis proficere credimus, verum etiam optamus, ut DEUS & Dominus Omnipotens, qui devotum offerentis nunquam spernit affectum, anime Christianissimi Patris nostri *Heinrici*, & dilectissime Matris nostre *Theodore* & ceteros Parentum nostrorum animabus regni sui concedat beatitudinem, mihique ac Fratri meo simulque amplectende conjugali mee ac soboli nostre sanitatem tribuat & incolumitatem, & in regendis pacem & tranquillitatem.

Verùm ut nulli omnino hominum liceat nostram hanc donationem irritare, minuere, seu commutare, vel aliquod jus in ea sibi vendicare, presenti pagina statuimus, terminos ejus distinguentes, Testes annotantes, ac sigilli nostri impressione signantes. Termini sunt isti.::

Hujus rei testes sunt : Comes *Chunradus Pilstain*, Comes *Dietricus de Wazzerpurch*, Comes *Liupoldus de Pleigen*, *Conradus* Purggravius de *Nurenberch*, Comes *Otto de Velburch*, *Ulricus de Asparn* & filius ejus, *Wernherus de Griespach*, *Otto de Ramsperch*, *Amelbertus de Lochhusen*, & filius ejus, *Rodolfus de Wolvestaine*, *Crafto de Ameinspach*, *Ulricus de Stuoce*, *Wichard de Sevelde*, *Hadmar de Chunringen*, *Albertus Passteten*, *Ortolfus de Winchele*, *Herbortus de Landesekke*, *Hainricus de Hertenstaine*, & filius fratris ejus, *Hainricus*, *Otto de Missouwa* & omnes fratres ejus, *Calho*, *Pilgrimus*, Otto : Fratres *de Mulbach*, *Luttwinus de Sunnenberch*, *Hainricus de Rotelnstaine*, *Hainricus de Ruchenstaine*, *Ruodolfus de Kurhlingen*, *Otto de Porssenprunnen*, *Pertholdus de Arnstaine*, *Albertus de Horne*, *Wichardus de Gadme*, *Ulricus de Gadme*, *Ruodolfus Stebech*, *Pertholdus*, *Hainricus*, *Albero* fratres de *Kelberbert*, *Hermannus Losbart*, *Otto de Lengenbach*. Datum Anno Incarnationis Dominice M. C. LXXXVIII. II. Kalendas Junii. In *Mutarn* regnante *Friderico* Imperatore feliciter Amen.

LXV.

Ottonis II. Epiſcopi Friſingenſis epiſtola ad W. Decanum ſuum, quem jubet id operam dare, ut omnia à certis hominibus ablata Monaſterio Tegernſeenſi reddantur.

Ex Cod. Tegernſ.

O. DEI gratia *Friſingenſis* Epiſcopus dilecto Fratri W. Decano, ſalutem & omne bonum.

CONqueſti ſunt nobis Venerabiles Fratres noſtri de *Tegernſee* de L. & A. & H. quòd præter alia quædam contra ipſos malefacta noviter illis duodecim equiraturas abſtulerint. S. etiam junior dilectum fratrem noſtrum R. gravi injuria affecit & contumelia. Super qua re Fraternitati tuæ præſenti ſcripto mandamus, quatenus tam raptores prænominatos ad redditionem ablatorum, quàm hunc temerarium ad ſatisfactionem tua invites admonitione. Quod ſi tuis de hoc monitis obedire contempſerint, Canonicam nos in eos ſine dilatione ſententiam prolaturos denuntiabis. Comitem quoque de *Valeie* rogabis ex parte noſtra, ut, quoniam præfati homines apud ipſum habitant, de reddendis equis operam dare procuret.

LXVI.

Diepoldi Epiſcopi Patav. litteræ, quibus Monaſterio Varinbacenſi, ſeu Formbacenſi donat Eccleſiam in Sulzpach cum capellis.

1188. *Ex archiv. Monaſt. Formb.*

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Ego *Diepoldus Patavienſis* Epiſcopus, omnibus Chriſti fidelibus perpetuam in Domino ſalutem. Frequenti admonitione ſanctarum Scripturarum edocemur, & quotidianis exemplis bonorum hominum inſtruimur, quatenus Monaſteriis, & locis DEO dicatis intuitu Divinæ retributionis temporalium rerum adminiculo ſubveniamus, ut pauperes Chriſti terrenis curis exutos, expeditos interceſſores quotidianis precibus habere poſſimus. Quapropter dilecto, & venerabili Fratri noſtro *Henrico*, *Formbacenſi* Abbati, & Monachis, ibidem DEO ſtudioſè famulantibus, contradidimus jure perpetuo Parochiam *Sulzbach*, ipſis proximam cum omnibus, ad eandem matricem Eccleſiam pertinentibus Capellis, & earum dotibus, & cenſualibus. Nomina verò Capellarum ſunt hæc: *Rueſtorph*, *Rotholzhaim*, *Wicheumortin*, *Rothofn.* Præfatus verò Abbas *Henricus*, & omnes ſucceſſores ejus legitimè, & Canonicè inſtituti, liberam habeant facultatem, Sacerdotem ſibi utilem eidem Parochiæ præficiendi, qui populo Divina faciat, & Abbatis juſſioni ſubjaceat.

Abbas verò, & præfati Monaſterii Fratres adhibito Advocato ejusdem loci Duce *Dalmatiæ Bertholdo* donaverunt nobis de prædiis ſuis quatuor manſus, & dimidium in medio Dominicalium noſtrorum *Schartnberg*, *Luck*, *Rutarn*, *Chindtſchaim*, *Penningen*, appretiantes annuatim tria talenta, quorum locorum Advocatiam memoratus Dux *Bertholdus*, ſicut priùs habuerat à manu noſtra, ne detrimentum pateretur, in hac donatione recepit. Statuimus quoque ex beneplacito utrorumque, tam Abbatis, quàm noſtro, ut ruſtici, in eiſdem poſſeſſionibus locati, non removeantur de locis ſuis, quamdiu ſtare voluerint nobiſcum, cùm ſint de familia prædicti Monaſterii. Cùm autem recedere voluerint, nulla violentia teneantur, ſed uſitato jure colonorum abire ſinantur. Poſt diceſſum verò cujuſque ruſtici unus de progenie illa licentiâ Abbatis ſuccedat in locum prioris, ut & Abbati debita juſtitia in hominibus ſuis deferatur, & poſſeſſio noſtra ſuccedente altero ejuſdem generis non facilè deſoletur. Præcipuè verò, & ante omnia ſummopere flagitamus, ut diem obitus noſtri prædicti Fratres memorabiliter & devotè celebrare non negligant, & quicquid uni de Fratribus ſuis in clauſtro poſitis in vigiliis, elemoſynis, Miſſarum celebrationibus impendere debeant, noſtræ parvitati exhibere ſtudeant. Ut autem hæc inſtitutio inter nos facta, rata, & inconvulſa longo permaneat tempore, præſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

Ego *Diepoldus Patavienſis* Epiſcopus † ſſ.
Ego *Burchardus de Chambe* Archidiaconus ſſ.
Ego *Wolfkerus*, Præpoſitus de *Münſture* ſſ.
Ego *VVernherus* Præpoſitus de *Mattſee* ſſ.
Ego *Conradus de Burchuſen* ſſ.
Ego *Henricus* Canonicus ſſ.

Ego

Digitized by Google

Ego *Henricus* Cellerarius ſſ.
Ego *Tageno* Decanus ſſ.

Laici verò teſtes ſunt hi: *Albrecht*, & frater ejus *Allram de Chambe*. *Walichim*, & *Rapot* filius ejus *de Stain*. *Conrad de Rotte*. *Dietricus de Pongartten*, & frater ejus *Henricus*. *Potto de Moſſing*. *Chunradus de Amymeſpach*. *Hademar de Abeſſven*. *Alber de Vichoffen*. *Radelhous de Valkenſtein*. *Walterus de Tanneperg*. *Richerus de Weſen*.

Dux *Dalmatiæ* Bertholdus cum ſuis teſtis eſt. *Albertus* cum filiis ſuis *Alkero*, & *Henrico*, *Ebromo de Walkh*, *Aribo de Mittich*, *Ortolphus de Runzingen*.

Acta ſunt hæc *Patavie* anno ab Incarnatione Domini MCLXXXVIII. Indictione VIII. XIX. Calend. Septembr.

LXVII.

1191. *Henrici VI. Imperatoris* * *Epiſtola ad Abbatem Tegernſ., quem Curiæ Principum Moguntiæ adeſſe jubet.*

Ex Cod. Tegernſ. HENRICUS DEI gratia Imperator Auguſtus, *Tegrinſenſi* Abbati gratiam, & omne bonum.

Comperto nuper apud nos Domini Apoſtolici C. obitu, Principes qui nobiſcum erant, conſuluerunt, ut univerſis Principibus curiam generalem in Natali Domini apud *Moguntiam* indiceremus, quatenus eorum communi conſilio Romana Sedes ordinetur, & reformandæ unitatis Eccleſiaſticæ, quæ longo jam tempore miſerabiliter ſciſſa eſt, ratio capiatur. Qua de re monendo, rogando, & præcipiendo debitam à te nobis fidem diligentiſſimè convenimus, ut, ſicut DEUM & pacem, Chriſtianam dilectionem quoque & gratiam noſtram curas, ad prædictam curiam venire nulla diſſimules occaſione, nulla prætermittas occupatione. Pro certo noveris, quòd hunc laborem nulli Principum remittemus, nullius in hoc negligentiam æquo animo ſufferemus.

LXVIII.

Idem ad Adalbertum Archiep. Salzb.; ut Pilgrinum Abb. S. Petri Salzb. contra æmulos tueatur &c.

HENRICUS DEI gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, dilecto ſuo A. *Salzburgenſi* Archiepiſcopo, gratiam ſuam, & omne bonum.

Fidelem tuum * *Peregrinum* Abbatem *Salzburgenſem*, virum utique diſcretum & nobis acceptum, devotioni tuæ reddentes attentiùs commendatum, rogamus Devotionem tuam, & mandamus attentiùs, quatenus de querimoniis ſuis, quas habet contra Abbatem *Agemundenſem*, * Comitem de *Lechesmund*, & Militem de *Vogetes*, & alios quoſcunque, plenam ei facias juſtitiam, & ad manuteuendum ac defenſandum tam ipſum, quàm Monaſterium ipſius noſtræ Serenitatis intuitu, ſicut tuam decet honeſtatem, efficacem adhibeas diligentiam. Præterea de injuriis à *Hallenſibus* ſibi, & Præpoſito de *Perhthersgatme* illatis eam, quam dictat ratio, facias juſtitiam.

* al. Pilgrinum.

* al. Admontenſem.

Ex Bibl. S. Petr. Salſb. Cod. mb. fol. lit. S. manu coæv.

LXIX.

Adalberti Archiep. Salzburg. ad ſuos Epiſtola. Quomodo Veronæ à Papa, & Imperatore exceptus ſit, æmuli Gurcenſes reiecti? De rebus in Concilio geſtis, novis ex Oriente rumoribus &c.

ADEI gratia *Salſeburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, G. ejuſdem Eccleſiæ Præpoſito Venerabili & univerſo Capitulo, M. quoque Caſtellano, S. de *Surbach*, ſalutem, & ſinceram dilectionem. *indid.*

De noſtro, & Eccleſiæ noſtræ ſtatu præcipuè vos ſollicitos eſſe ſcientes, præſentibus litteris veſtram minuere ſollicitudinem non incongruum putavimus. Noveritis itaque, quòd *Veronam* ſani & hilares cum omni noſtro venientes comitatu tam Dominum Papam, quàm Imperatorem per omnia in Eccleſiæ noſtræ honoris negotio ad voluntatem noſtram expoſitos invenimus. Illos verò, qui noſtri putabantur adverſarii, mutos in ipſo noſtro adventu, & quaſi non habentes redargutiones invenimus. *Hermannus* quoque, & Præpoſitus *Gurcenſis* gratiæ noſtræ ſe penitus ſubpoſuerunt, in nullo deinceps Eccleſiam noſtram gravaturi. Quomodo autem reliqui *Gurcenſium* contra nos crocitantes coram Imperio refutati ſint & confuſi, à nobis pleniùs poſtmodum audietis, quippe qui tales & tanti non eſſe ſunt adjudicati, quibus reſpondere deberemus. Privilegia

Digitized by Google

gia sanè & litteras de *Gurcensibus*, & de monetis ab utraque dignitate, Apostolica videlicet & Regia, sicut voluimus, impetravimus, & legationem nobis, & Successoribus nostris, per totam *Noricam* confirmavimus.

Rumores curiæ dignos relatu, alios nescimus, præter quod *Cathari* à Domino Papa, & toto Concilio excommunicati, & ab Imperatore cum tota substantia sua sint proscripti. Patriarcha, & Episcopi *Ierosolymitani*, & Templarii, ac Hospitalarii plurimùm Domino Papæ, & Imperatori pro expeditione contra paganos transmarinos facienda supplicârunt, asserentes, sepulchrum Domini & totam illam Ecclesiam in maximo periculo propter *Saladini* immensam potentiam esse constitutam. Quorum petitioni annuendum Imperator benignè deliberavit, & cùm ad Teutonicas partes accesserit, se cum Principibus de hoc acturum spopondit, ita tamen, ut à natali Domini proximo per annum, qui voluerint, ad ipsam expeditionem accingantur.

Quoniam verò negotiis nostris jam consummatis *Frisacum* in instanti revertimur, & sicut non ignoratis, à Festo S. Martini decimo quarto die apud *Dirnstein* colloquium cum Duce *Stirensi* habere tenemur, rogamus vos quàm intimè; ut vocaris, & assumptis vobiscum *Pabone de Eringen*, & ministerialibus nostris, quos necessarios nobis in ipso colloquio deliberaveritis, remota omni occasione, quia necessitas, ut scitis, ingruit, ad nos ipsum colloquium celebraturi veniatis.

Accepto litterarum vestrarum mandato sincera devotione convenimus, fideliter tractaturi, qualiter propositæ nobis disjunctæ: *aut recede, aut sta nobiscum*, sano consilio responderemus. *Recede à nobis*, nunquam diximus: *ut nobiscum stetis*, in magnis angustiis frequenter pro vobis stetimus. Proin valde miramur, quibus inductionibus, qtibus consiliis, quasi retroactis laboribus, inutiliter consumptis, nunc demum dicere exigamur: *recede à nobis*. Sanè cùm de his fideliter acturi unanimiter convenissemus, novæ iterum mandata mandatis ingeminantes supervenêre litteræ, præcipientes, quod ante nos factum nulla recolit memoria, ut ad Capitulum *Libniz* indictum, occasione remota veniremus. Sollicitudo ergo sollicitudini accessit, qualiter prioribus omissis de secundo mandato secundùm honorem DEI conveniremus, & Ecclesiæ pacem providenter ageremus. Inspectis ergo undique periculis, omnium in hoc pari sinceritate convenit unanimitas, preces humillimas Paternitati vestræ & supplicationes porrigere, quatenus pro temporis malitia, quia sic expedire credimus, super vocationibus istis Ecclesiæ pareatis. Si verò de priorum continentia litterarum vestra Dignatio nostræ parvitatis exspectat responsum, unum est omnium consilium, idem omnium desiderium, ut ad pacem, & liberationem Ecclesiæ de manu Principis, sicut admonet Apostolus, vincentes in bono malum, omni humilitate & patientia intendatis. Ad quod sive secundùm justitiam, sive secundùm gratiam peragendum, omnium nostrûm promptissimos affectus habebitis & obsequia. *Ibid. Cod. S. Rudb. 102.*

LXX.

Ecclesiæ Salzburg. Epistola ad Adalbertum Archiep. suum exulem. Iter ad Capitulum in Libniz indictum deprecatur, & suadet, ut in se dedat Imperatori.

VEnerando Domino, & Patri suo A. *Salzburgensis* Ecclesiæ Archiepiscopo. * S. Majoris Ecclesiæ Præpositus; * H. Abbas S. Petri, & utriusque congregationis unanimitas cum cæteris Prælatis, qui sunt in *Bavaria*, orationis, obedientiæ & servitii debitum affectum.

* *Siboto.*
* *Heinricus II.*

LXXI.

Leupoldi Ducis Styriæ Diploma pro Cartusia Seitzensi.

IN nomine Sanctæ & Inviduæ Trinitatis Amen. Omnium facta mortalium temporalem motum sequuntur. Unde necesse est, ut quæ natura sua tendunt ad interitum, litterarum amminiculo fulciantur, & ab oblivionis interitu defendantur. Ego igitur *Leupoldus*, Divina *gratia Dux Styrensis*, testimonio scripti præsentis notitiæ posterorum transmitti de-

1191. *Ex Arch. Seitz.*

desidero, quòd elemosynam decimarum quatuor villarum, videlicet duarum *Rachis*, *Vedoai*, & *Rogotz*, quam Pater meus, mihi æquivocus, intuitu DEI, & ab animæ suæ & parentum suorum remedium, Cartusiensis Ordinis Fratribus, *in valle S. Johannis* vitam Heremiticam ducentibus, concessit, ratam habemus, & sigilli nostri impressione roboramus.

Actum apud *Marburch* Anno ab Incarnatione Domini MCLXXXXV. astantibus nobis *Errando de Vidonia*, *Vulvvingo de Caphemberch*, *Vlrico de Ostemberc*, *Ortolfo de Gonovvitz*, Domino *Henrico* Plebano de *Mecri*, & *Richero* fratre eius, *& Dietmaro Trossardo.*

LXXII.

Wolfkeri *Patavienſis Episcopi Diploma, quo omnes decimæ ab Abbatissa* Alhaide *Monasterio S Petri in Erlah iure acquisitæ, confirmantur, ac ratæ habentur.*

1196. *Ex autograph.* P. H.

WOlfkerus DEI gratia *Patavienſis* Episcopus, omnibus Christi fidelibus affectum Karitatis in Domino. Cùm Ecclesia conventualis *Sancti Petri in Erlah* ab Ecclesia *Patavienſi* ex antiquo predita dono decimarum, tam in Parrochia ad *Sanctum Valentinum* iuxta fluentum *Erlah* fluminis sita, quam in Parrochia vocata *Heresinge*, & eadem in certis predictarum terminiis Ecclesiarum eiusdem doni longeva possessione, & mancipio continuo potiretur: emersit aliquando super dictis decimis particularis quæstio coram nobis.

Quidam enim ambarum Parrochiarum antedictarum incole concipientes in earundem partibus Parrochiarum extirpationem siluarum suarum, & efficientes ibidem agros fructiferos, de iam perfectis ibidem tunc novellis proventuum adcrescentium decimas debitas dicte Ecclesie subduxerunt. Cùm autem per Venerabilem dicti loci Abbatissam *Alhaidim*, talis sue iniurie fieret propositio in nostra presentia, ipsa Abbatissa per effectum iusticie optinuit Ecclesie sue omnes eas decimas, de quibus tunc questio fuit orta, eas videlicet decimas per omnia loca ambarum Parrochiarum sepe dictarum, qui *Riutzehent* vulgariter appellantur. Ut igitur obtentus predictorum, coram nobis tam effectivè patratus, de nostre procurationis debito perpetuata stabilitate ab omnibus amodo permaneat inconcussus, apponimus sigillum nostrum huic pagine testibus etiam quibusdam tunc rei geste presentibus annotatis.

Testes: *Hainricus* & *Ernestus* fratres de *Truna*, *Pruno de Zierberch*, *Wernhardus de Wizenberch*, *Heinricus* & *Vlricus* fratres *de Gruenberch*, *Rudigerus* & *Sighardus* Fratres cognominati *Pibir*, *Otto*, *Gallus* cognomine *Heinricus de Mistilbach*, *Heinricus de Lonstorf*, *Ruodolfus de Chremsdorf*, *Rafoldus*, *Eberhardus de Altenhouen*, *Wichpoto* & *Herbordus de Erlah*, *Chunradus* & *Otto* ibidem, & alii quàm plures. Acta sunt hec in *Ebilsperch* Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXXXVI. anno Pontificatus nostri VI. Kalendas Mai.

LXXIII.

Friderici Ducis Austriæ & Styriæ Diploma, quo confirmatur duarum villarum donatio facta ab eius Patre Liupoldo Monasterio Sanctæ Crucis.

FRidericus Dux *Austrie* & *Styrie* &c. Omnibus hanc litteram inspecturis in perpetuum, Pie intentionis intuitu, & pro salute anime sue Pater Noster Dux *Liupoldus* claustro *Sancte Crucis* duas villas, *Sulze* videlicet & *Baumbgarten*, contulit, tali conditione, ut Fratribus eiusdem Claustri, duobus in septimana diebus serviretur in vino & pane, quantitate ac qualitate meliori, quàm sit quotidianus panis eorum, & caseis bonis, qui dicuntur *Schwaigkese*, & in piscibus quatuor solemnitatibus Beate Marie, & in Anniversario suo, & oleo per totum Adventum. Insuper ut dentur ad portam pauperibus trecenti panes, similiter reliquie, que his duobus diebus Fratribus superestunt. 1196. *Ex authentico.* P. H.

Nos autem, quia idem Claustrum eadem benevolentia, qua & Pater Noster amplectimur, & fovere, ac redditibus ampliare intendimus, predictam Patris nostri donationem approbamus & stabilimus. Et ut in perpetuum tam à contemporaneis nostris, quàm à posteris inviolata permaneat, presenti pagina, sigillique Nostri impressione, & testium subscriptio-

Digitized by Google

ptione confirmari fecimus. Quorum nomina sunt hec: *VVichardus* Dapifer, *Rudolfus Stubech*, Vlricus de *Chunegesprunne*, *Meingotus* Camerarius, Vlricus Notarius, *Vlricus* Plebanus *de Zwettel*. Actum & datum, Anno Domini Millesimo, Centesimo Nonagesimo sexto, IX. Kalendas Maji in eodem *Sanct Crucis* Monasterio, per manum *Vlrici* Notarii.

LXXIV.

Eiusdem Friderici Diploma, quo Ecclesiæ B. Petri in Erlach, ad petitionem Dominæ Adelheidis Abbatissæ eiusdem Cœnobii, conceditur, ut bona illius Ecclesiæ à quibuscunque teloniis liberum absque omni iuris persolutione transitum habeant.

1196. *Ex autograph. P. H.*

IN nomine Sancte & Individue Trinitatis, *Fridericus* DEI gratia Dux *Austrie*, Omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Pie ammonitionis intuitu, nec non pro remedio anime nostre, Ecclesie beati Petri in *Erlah*, ad petitionem Domine *Adelheidis* Abbatisse eiusdem cenobii, annuimus & tradidimus, ut bona illius Ecclesie apud Thelonea sive mutas nostras *Steine* & *Ibsburch*, vel quocunque transferantur, liberum absque omni iuris persolutione transitum habeant. Ut autem hec nostra traditio tam à presentibus, quàm à posteris irretractata permaneat, presentem paginam scribi, sigillique nostri impressione roborari, subscriptionéque testium muniri fecimus. Quorum nomina sunt hec: Dominus *Grunzelinus de Cruzne*, Dominus *Eberhardus de Erla*, Dominus *Chuonradus de Asparn*, Dominus *Henricus de Huntsheim*, Dominus *Pilgrimus de Puocheim*, *Pernhardus de Steine*, Dominus *Hugo de Aigen*, Dominus *Dietricus de Liechtensteine*, Dominus *Hetelo de VVizzenberch*, Dominus *Sifridus de Egelbach*, Dominus *Friderihus de Lanzenberge*, *Vlricus de Marcpach*, *Otto de Minnenpach*. *Hugo de Gismuntsheim*. *VVolfkerus de Altenhoven*. Datum apud *Erla*, Anno Incarnationis Dominice Millesimo C. XC. VI. III. Nonas Septembris.

LXXV.

*Ottonis IV. Imperatoris * Epistola ad Ottonem Comitem. Jubet, ut tausam Tegernseensium de Vineis ad Pauzanum probè discutiat.* * 1197.

OTto DEI gratia Romanorum Imperator Augustus. *Ottoni* Comiti salutem, & gratiam. *ex Cod. Tegrns. f. 22.*

Monachi de *Tegrinse* nostram, queritando adierunt præsentiam pro vineis ad *Pauzanum* iniustè sibi abstractis. Firmiter vobis præcipimus, si nostram gratiam, vel aliquid nostri habere velitis, ut veracissimè, ac diligentissimè ex credulis, & probabilibus viris cum iureiurando examinare valeatis pro DEI amore, & S. Quirini, & pro eleemosyna nostra, & pro statu Imperii nostri, Prædecessorumque nostrorum absolutione, quorum temporibus Sancto loco vi, & sine iure alienatum est, Imperiali auctoritate nostra illuc restituatis, & postea, si aliquid inde requirendum sit, corrigatur: & hoc pro certo iubemus, ne deinceps incorrectum ad nos perveniat. * *f.* facias.

LXXVI.

Epitaphium Sigibaldi Abbatis VVessobrunnensis. 1199.

FIlum, quod Lachesis benè traxerat, Atropos occat, *Ex Cod. coæv. in 4. Bibl. VVessobr.*
Projice Cloto colum, vetat ire soror tua fusum.
Anno milleno, bis centeno, minùs uno
Heu locus orbatus celebris celebri Patre plangit.
Jane secunda dies tua *Sibaldum* tulit Orbi:
Doctus erat, largusque datum duplicando talentum
Distribuit, reliquis, non sibi quippe vivens.
Unde sui memores effecit quosque merendo.
Ut præstetur ei locus æternæ requiei
Pro pietate DEI, devotè qui præis, ora.

LXXVII.

Rodberti Præpositi Memoriale rerum & possessionum, quæ Ecclesiæ suæ, ipso præsidente acceserunt.

EGo *Rodbertus*, dictus Præpositus loci istius, notum facio toti Ecclesiæ,

Digitized by Google

sæ, in quibus DEUS per simplicitatem meam huic Ecclesiæ subvenerit. Quidam cognatus meus, *Iulianus* nomine, habens vineam novam apud *Rehberc*, ob amorem DEI, & mei huic Ecclesiæ contulit, quæ anno præterito ab incolis pro 40. talentis computabatur; sed jam nunc meliorata accrevit. Apud *Pinzegowe* ad mille quingentos caseos, & ad quinquaginta ulnas lanci panni augmentavi. Ab Abbatissa de *Chiemesse* concambii * locum, qui triginta denarios singulis annis persolvit, obtinui. Ibidem à Domino meo, Archiepiscopo *Adalberto* pratum circa dimidium talentum singulis annis persolvens promerui. Officium apud *Halle*, uno talento singulis annis melioravi. Apud *Wippenheim* similiter decimas novalium in plebe ista à Domino meo Archiepiscopo *Eberhardo* felicis memoriæ obtinui. Novale, quod est secus *Holzhusen* undecim solidos, & decem denarios . . . anno persolvere. Trans lacum navale exercui, quod hoc anno valens circa viginti solidos exsolvit. Apud *Hermersberge* etiam novale excolui, quod in Werra ista adnihilatum jacet. Emptione quoque quædam loca melioravi, singulis annis circa dimidium talentum conferentes. In structuris murorum, & lignorum magnam operam dedi. Libros adauxi. Campanas melioravi. Divinum officium promovi. Vestes sacras augmentavi. Molendinum apud *Rabensowe* feci satis utile.

* *f* concambiô.

Ex Bibl. S. Petr. Erfurd. Cod. mb. fol. S. n. 117. coæv. man.

LXXVIII.

W. Cujusdam Canonici Epistola ad A. Hallensem Præpositum. Cur in Ecclesia Ber. persistere non potuerit?

Ex Cod. Jegersf.

VEnerabili Patri, & Domino clarissimo A. *Hallensis* Ecclesiæ DEI gratia Præposito, & cæteris ejusdem Ecclesiæ fratribus, W. suus subditus devotæ subjectionis reverentiam.

Proborum semper est consuetudo virorum, & eorum maximè, qui quos DEUS sua benignitate & animi virtute & dignitatis gradu corroboravit, non rerum merita, non eventum fortunæ in ipsis rebus considerare, sed divinam providentiam in summo omnium Principe constitutam follicitè contemplari. Quæ quantum ad humanum spectat judicium, meis peccatis exigentibus satis inhonestè mihi providit. Quod quamvis spero ad salutem animæ fore, à multis tamen mihi forte superbiæ & instabilitati adscribitur, quod absit. Rogo ergo vestram humillimis precibus Paternitatem, quòd in Ecclesia * *Ber.* sicut visum fuit Domino meo Præposito *Raitenbuch*, Ecclesiæ, & aliis Prælatis, quorum consilio usus inde recessi, instabilitati non ascribatis. Et sic consilio, & auxilio Domini mei Præpositi *Rait.* permaneo. Inde est, quòd vestram Paternitatem exoro, quatenus per præsentium latorem pecuniam, quam mihi jure ex præcepto Domini Apostolici in Festo S. R. persolvere debuistis, mittatis, ne me ob hoc ad vos venire cogatis.

* *f* Bernriedensi.

LXXIX.

Anonymi ad H. epistola de quibusdam servis, quos sibi F. Comes Palatinus præter jus vindicavit.

DOmino, & amantissimo Patri H. *indid.* fidele servitium.

Quoniam quidem universalis exigit consuetudo, ut bonis quibusque longa tempora adoptemus, ita, Domine, vestræ benignitati sempiterna exoptanda est felicitas, & cum longævitate vitæ prosperitas rerum, & humano corpori alludens sospitas. Quidam Ecclesiæ vestræ famuli, *Ratisponæ* consistentes, violentia Domini F. Palatini Comitis suo coguntur secedere jure, ejusque dominio deservire, quorum matrem mea mater nutrivit, & censuali conditione cum filiis, & filiabus S. Quirino debito jure deservire fecit. Vestram igitur rogamus clementiam, ut litteras Domino Palatino pro hujusmodi causa dirigatis, & rursum alteras sub vestro nomine sigillatas famulis eisdem donetis; ut si aliquando judiciali aliqua vi infestentur, vestris defendantur litteris & nostro testimonio. Miseram litteras de obitu W. pictoris, quæ si nondum venerint, scitote eum XIII. Kal. Maji obisse.

Digitized by Google

LXXX.

A. Bribachensis Præpositi vel Abbatis Epistola ad S. Decanum, cui quandam pœnitentem mulierem absolvendam commendat.

indid. S. Venerabili Decano, & dilecto Fratri, A. *Bribach.* Fratrum minister, fraternæ charitatis, & devoti cordis munus.

Venit ad nos pœnitens hæc latrix præsentium, de injuncta sibi pœnitentia nobis causam exponens, quam secundum referentis seriem discussimus, & satis districtè invenimus tractatam. Ea propter Charitati vestræ persuasum esse cupimus, imò obnixiùs obsecramus, quatenus perspecta discretione considerantiùs non differatis sibi relevare onus.

LXXXI.

A. de Hohenburc, ejusque uxoris A. mutua quorundam suorum prædiorum & possessionum delegatio.

indid. NOtum sit omnibus Christi fidelibus, tam futuris, quàm præsentibus, qualiter Dominus A., nobilis homo de *Hohenburc* delegavit nobili uxori suæ A. omnem hæreditatem suam, quam tunc possedit, & in posterum habiturus est, domus videlicet, quæ dicitur *Hoh.* partem, quæ suo juri adtinet, cum universis prædiis longè, vel propè circumjacentibus, cultis, & incultis, silvis, pratis, quæsitis, & inquisitis, exceptis duobus prædiis *Egerdobe*, *Sebsenchaim*: cætera omnia cum hominibus juxta sæculi dignitatem glorioſe ad se pertinentibus, & reliqua familia in ministerio cottidiano non deficientibus, sibique hæreditario jure adtinentibus *Bavvarica lege*, potestativa manu, nemine interdicente, in manum uxoris sua delegavit, ea videlicet lege, ut, si filios ex ic, Domino concedente, procrearet, ipsam, quam præscripsimus, hæreditatem æqua portione inter se dividerent. Si autem filias generaret, non sicut fratres æqualiter participarentur, sed sicut hæredes, & communes amici consulerentur.

Simili conditione, & æquali lege Domina A., uxor prædicti A. tollens hæreditatem suam, prædia videlicet ultra montes jacentia, cum hominibus, ad se pertinentibus de potestate Domini O. de *Ufflend.* in manum Domini A., mariti sui, perpetuò possidendam sine omni contradictione potestativè contradidit, & per manum propriam, ut diximus, delegavit. Harum autem utrarumque delegationum testes sunt per aurem tracti, & designati: *Odalscalh de Ufflend. Bernhart de Wilhaim, Bernhart de Chirchaim, Eberhardus de Husren, Rudegerus de Bovvern, Otto de Puheln, Hartvvicus de Munisingen, Arnoldus de Anetorf, Dietricus Galle de Zaizmanningen, Dietmarus de Celle, Gebehardus, Geroldus de Osterhoven, Gebehardus de Guntheringen, Liebart de Ofhovern, Hainricus de Egelingen, Rudegerus de Chuztorf, Hainricus de Multal, Udalricus*, qui dicitur *Ungereht, Hartvvicus de Sunderhoven, Udalricus*, & frater suus, *Gothalmus de Chunztorf, Werinherus* de eadem villa; *Marquardus de Hohenburch, Haimo de Lingesberge, Hainricus de Wolfratehusen, Sifridus de Perge.*

LXXXII.

G. ad A. Epistola. Narrat multiplices corporis sui morbos, & reditum ad eundem promittit.

indid. A. Domino suo, & universis sibi subjectis, G. licèt indignus debitam obedientiam cum omni subjectione.

Quandoquidem humilitatem meam paterno semper affectu foviſtis, miro cor meum desiderio vos videndi accendiſtis. Et quanquam longo terrarum spatio ab aspectu vestro sim separatus, tamen per omnia vobis obedire semper sum præparatus; siquidem à vobis & in terra *Bevvariorum*, nobilem & locum *Tegrinse* ingrediens gravi sui infirmitate per biennium depressus. Post supradictum tempus curatis infirmitatibus *Parisius* egressus, non minùs ibi ægritudine sui depressus. *Galliam* petii. Ibi tanta sum ægritudine gravatus, ut nec *Galliæ* commorandi, nec ad vos redeundi facultas subpeteret, sed *Tegrinse* magno cum labore reversus plenariam per gratiam Abbatis & Fratrum ejusdem loci præbendam sum assecutus. Et quanquam miro charitatis affectu universi me confoveant, tamen Paternitatis vestræ jugum nunquam à collo meo excutere dispoſui, sed semper sub vestra obedientia vivere delegi, & dum tempus opportunum occurre-

Digitized by Google

occurrerit, me procul dubio ad vos rediturum noveritis.

LXXXIII.

E. ad B. Epiſtola. Rogat eum, ut ſibi quosdam libros accommodet.

indid. E. Benigniſſimo ſcientiæ clavigero, B. intimus Amicus, & ipſum introire, & aliis introitum aperire.

Rogo benivolentiam tuam, Dilectiſſime, ut aliquos ex ſubjectis mihi transmittere digneris, vel ſc. *Plinium de naturali hiſtoria*, vel *Ptolomeum de Coſmographia*, vel *Blavium de geſtis Gottorum*, vel *Marcellinum de ſitu Hieroſolymorum, & Conſtantinopolitanorum*, vel *Lactantium de ira DEI*, vel *Auguſtinum contra Julianum*, vel aliquod opus *Tertulliani, Ieronymum in Iob*, vel *Leviticum* magnopere deſiderarem, ſi uſquam haberi ſperarem. Quid plura? Ciber te Dominus pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potet te.

LXXXIV.

H. Epiſtola ad Amicos, quos, ut ſuas neceſſitates ſublevent, rogat, & de tutorum tenacitate, qua materna ſibi bona denegant.

indid. Dilectis Dominis, & Amicis H. ſe, ſuaque omnia.

Nuntium veſtrum, veſtræque pietatis litteras gratificè ſuſcepi, veſtrisque juſſionibus, prout Dominus annuerit, ſatisfacere curabo. Nunc igitur primum veſtrum, poſtmodum meum diſcutiam negotium. Pro *Pyſantеis* aureis, quos Camerario miſi, nil precii in præſenti, niſi tantùm LXX. numeros ad ſublevamen meæ neceſſitatis tranſmitti depoſco. Cæterùm ſi, DEO juvante, advenero, etiam ſi absque pretio voluerit, habeat, cùm utique hoc tantæ probitatis ſcientia in vicem impenſi beneficii honorificè rependat. Pro rebus verò, quibus me piiſſimus Amicus, Magiſter W. rogat, hunc ſollicitari nolo, cùm omnia libens faciam, ſi meæ voluntatis deſiderabilis provenerit eventus. Quod autem in tantum meus prolongatur reditus, non torpor ignaviæ, ſed magnæ, difficileſque hoc præpediunt cauſæ. Mater, quæ me ſolum ſuperſtitem dimiſit, pulchra, quæque meæ paupertati ſatis utilia videbantur, reliquit bona. Et quia eo tempore nondum in me ſanior vigebat intellectus, timens, ne ea vanè conſumerem, fidelibus quibuſdam, utilitati meæ conſervanda ſub teſtibus ea contradidit. A quibus ad inſtar quatuor talentorum recepta, pro variis negotiis circumquaque conſumpſi. Nunc autem manum contrahunt, dicentes, omnia me inutiliter diſperdere. Eſt præterea ea repoſcendi mihi nulla libera facultas, cùm utique tanta premat cuſtodia, ut, ſi incautè repoſcere velim, me ipſum diffamem. Si autem fugero nudus, eaque ad repoſcendum rediero, nullam utique veluti tranſfugæ vel honeſtam redderent rationem. Unde totis viſceribus ad vos converto preces, quatenus hoc, quod à vobis popoſci, quicquid hoc, tranſcribere feſtinetis. Hoc ſi feceritis, nulla me mora rediendi tardabit. Inſuper mittite mihi pelliceum.

LXXXV.

M. ad E. Epiſtola, qua petit ab eo conſilium, quid ſibi agendum ſit Epiſcopo Stafenſee adveniente?

E. Venerabili Sacerdoti, M. devotum obſequium cum intimis orationibus.

Significatum eſt mihi, Dominum *indid.* *Auguſtenſem* Epiſcopum *Stafenſe* in proximo venturum, & aliquantum temporis illic moraturum, quem ſi quid utilitatis mihi conferret, libentiſſimè convenirem. Rogo autem Dilectionem veſtram, ut communicato conſilio cum Præpoſito veſtro per præſentium latorem mihi denuntietis, ut, ſi pro certo mihi expedire cognoveritis, ipſum conveniam, & affectum meum ad effectum perducam; ſin autem . . .

LXXXVI.

O. Monachi Epiſtola ad E. Docet eum, cauſam nuperæ vocationis fuiſſe delationem apud Epiſcopum ab incertis factam &c.

indid. Seniori Chariſſimo E. O. quodcunque poteſt bonum.

Res, quam quæſiſtis, & pro qua nuper vocati fuiſtis, valde occultabatur,

Digitized by Google

& tunc, & adhuc ab Abbate noſtro eiuſque Secretariis. Sed ut fama iam perrumpente intimatur, & occaſione nonnulla denudatur, hæc quàm maxime extat cauſa vocationis veſtræ. Accuſati namque ſumus apud Epiſcopum noſtrum variis criminibus, neſcio, quâ intentione, vel quibus delatoribus. Qua de re, ùt fertur, multi erant convocandi, inter quos etiam nos. Verùm propter Epiſcopi infirmitatem omnis illa vocatio, rerumque noſtrarum diſcuſſio tempore ſtatuto eſſe non potuit. Adhuc enim à nobis ignoratur, quando, vel quid contra nos Epiſcopus agere moliatur. Hoc quidem ſcio, quia eodem Epiſcopo nobiſcum poſito Monaſterii noſtri clauſtrum nobis, & laicis, Clericiſque contra fas commune eſt habitaculum, & nulla requies hìc conſtat animabus noſtris.

LXXXVII.

Per. Canonici Friſing. ad S. Præpoſitum Tegernſeenſ, Epiſtola. Rogat, ut eius baiulus mitius ab Abbate habeatur.

indid. AMabili, atque Dilecto Domino ſuo S. *Tegrnſenſi* Præpoſito, *Per. Friſingenſis* Eccleſiæ dictus Canonicus obſequii plenitudinem cum modica oratione.

Lator præſentium, & pater eius, ſperantes ſe aliquatenus proficere, ſi pro eis deprecatorias litteras dirigerem, oppidò ſollicitatum compulerunt, ut hæc vobis ſcriberem. Aiunt enim, manum Domini mei Abbatis ſuper ſe plurimùm aggravari. Quantum igitur audeo, iterum & iterum preces dignationi veſtræ porrigo pro eis, quatenus Dominum meum, ut clementiùs cum ipſis agat, inducatis, hoc vobis inſinuando, quòd mihi in multis benefici fuerunt.

LXXXVIII.

R. Sanctimonialis Epiſtola ad C. de perturbato Monaſterii ſui ſtatu excommunicatione Eliſabeth Abbatiſſæ, & loco refugii, &c.

CDomino, & fratri ſuo, R. quicquid eſt, cum fide ſororia digna obſequia.

Quamvis pietatis tuæ gratia erga me ſit immutata, tamen in camino tribulationum poſita, ad aſylum tuæ miſerationis confugio tuta: nam quæque mea adverſa tua ſuſtentatione fiunt leviora. *Eliſabet*, ſine electione nomen Abbatiſſæ iuſſu Regis habens, litteris, & ſigillis Domini Apoſtolici præſentibus tribus Abbatibus cum ſuis ſequacibus eſt excommunicata, & in ea excommunicatione Clero, omnique populo eſt pronuntiata. Hinc graviter commoti omnem moleſtiam, omnemque patimur miſeriam. Nam dum prædicti eam intuitatam ſenſerunt, & huic potentiæ vellet audacter præſidere, Divinum officium ſibi, ſuisque ſequacibus interdixerunt. Hac pertinaciâ perſiſtens ſecundùm ſui libitum, non ſecundùm noſtri commodum quæque ordinat, victum nobis parcè tribuit, veſtitum omnino non perſolvit. His rebus quem finem DEUS imponet, ignoro: unaquæque verò amicos ſuos properat convenire; & locum inveſtigare, quo præſtoletur, donec furor Domini, modò in nos ſæviens, pertranſeat. Tantum aliquem locum mihi proſpicerem, niſi quòd non ſum veſtita, & quòd tuum conſilium & auxilium in tanta re præſtolor.

LXXXIX.

S. Monachi Epiſtola ad S. Scholaſticum. Rogat, ut ſibi ab Abbate ſuo veniam obtineat, in alio loco commorandi, cùm in ſuo ob Fratrum perſecutionem nequeat.

indid. SReverentiſſimo Magiſtro ſuo S. humilis alumnus eius, affectum orationis cum obedientia debitæ ſervitutis.

Quia DEUS Omnipotens dives in omnes acumine ſcientiæ & virtutum lampadibus præfulgentem vos ſublimavit afflictionem animi & contritionem cordis mei, precor, ne deſpiciatis. Nôſtis, Pater reverentiſſime, cauſas, & nomina adverſantium mihi. Sciatis, quia infeſtatione ipſorum in abſentia mea, cùm ex præcepto Domini noſtri *Cellæ* manerem, dilata, ſed in reditu ita eſt adgravata, quòd magis nunc, quàm antea mihi prævaluerunt, & in ſimilitudinem hydræ, cui tria capita ſunt præciſa, novem ſuccreverunt. Nam antea quaſi ſtultum & inquietum de factis me ſæpiùs pulſaverunt. Nunc verò quieti meæ invidentes, verbis mendacibus exoſum me cunctis Fratribus meis reddiderunt. Quæ ieiunii

Digitized by Google

iunii, & Sancto Paſchali tempore perpeſſus, & præ anguſtia animi pene conſumptus in memetipſum redii, meditans animo magis ipſos placare, quàm in aliquo offendere, aſſumptisque ſeorſum quibusdam e fratribus placationis causâ contrarios adii. Qui nequaquam placati, ſed magis furore ſuccenſi, aut me repellere, aut penitus deprimere, plagis cædere, capillos evellere, & ſe mihi ſemper inviſos exiſtere minati ſunt. De quibus auctoritatis veſtræ excellentiam flebiliter imploro, honorem nominis veſtri in ipſa cauſa defendite. Sin autem; quid quieti veſtræ magis expediat, diſcernite, vel, ſi aliquando inveni gratiam in conſpectu veſtro, petitioni meæ miſericorditer adquieſcite, quatenus verbi veſtri ſolamine ad tempus in alio Monaſterio demorari apud Dominum noſtrum valeam obtinere; quia melius eſt illis cedere, quàm ab illis oppreſſum inutiliter vitam terminare.

XC.

Monachorum Monaſterii S. Fidei Epiſtola ad R. Decanum Tegernſ. Rogant, ut Pſalterium exſcribere ne gravetur.

indid. Dilectiſſimo *Tegrinſenſi* Decano R. Sanctæ Fidei congregatio oramen cum obſequio.

Gratias & laudes quàm maximas agimus Creatori, omnium Domino, qui te lucidiſſimum Eccleſiæ ſuæ præfecit candelabro. Nunc ergo Frater noſter W. cognatus tuus propoſuit te de ſcribendo Pſalterio ſuo ſollicitare. Proinde ne graveris, ſed magis ſtudium te huic operi adhibere petimus causâ charitatis mutuæ. Nam, ùt ipſe meliùs noſti, Fratres, & Amici, ſi ſunt charitativi, in tali negotio poſſunt comprobari. Non ſemel, imò ſæpiſſimè legiſti, quòd probatio dilectionis exhibitio eſt operis. De cætero ſine intermiſſione coram DEO iugiter optamus, te bene valere, & omni bono nunc & perpetuùm vigere.

XCI.

O. Epiſtola ad W. Tegernſeenſem Scholaſticum: Ut in ſemel cæpta amicitia, fide conſtans perſiſtat.

indid. W. Magiſtro, & Domino ſuo O. ille, ille veſter fidelis promptiſſimum oppoſitorum Patri de vobis,

Vinculum veræ amicitiæ, quod inter nos iam diu concreverat, videte, ne ſit diſſolubile. Quia quicquid facilè diſſolvitur, non eſt firmum, nec perfectum. Syllogiſmus, & quicquid non eſt firmum aut perfectum, caret vera amicitia. Videte ergo, ne ingratus mihi ſitis in fide, deſpiciendo munus devotionis. Qui enim parva ſpernit, in magnis decreſcit. Vale & apud Dominum noſtrum Abbatem pro me orationibus veſtris intercedite.

XCII.

Idem ad eundem. Petit ſibi fieri, & mitti quandam Mappam & regulas Rhythmomachiæ.

A Mico dilectiſſimo W. O. amicitiæ fœdus inſciſſum. *indid.*

Quamvis locorum nos diſparent ſpatia, ea tamen, quæ ſcindi neſcit, conglutinat amicitia: quia, ùt quidam ait, *numquam vera amicitia fuit, quæ aliquando ceſſare potuit.* Hac ergo fiducia roboratus peto, ut Mappam, quam etiam pridem mihi promiſeras, facias, & regulas Rhythmimachiæ a te factas, mihi tranſmittas. Dominum noſtrum utique liberalem, & benignum *Rutpertum* Abbatem ſuper his allocutus ſum, qui ùt verè pius adiutorium tibi ad hæc perficiendà promptiſſimum ſpopondit. Si enim accepero, in te redundabit, quia & meliora, imò quæque optima de te confido. Secundùm fidem ergo meam, quòd deſidero, accipiam.

XCIII.

B. Epiſtola ad eundem VV. Rogat, ut ad ſe Gloſſas in Macrobium, & Georgica Virgilii mittat &c.

W. amantiſſimo amico, ac conſan- *indid.*
guinitatis propinquo, B. orationis, & intimæ dilectionis perſeverantiam.

Quoniam amicorum eſt invicem ſua ſtudia ac negotia velle cognoſcere, & ſuis opportunitatibus mutua viciſſitudine impendere, tibi familiariſſimo me ſolpitem, ac benè vivere placuit intimare, ac ſuo Scholaſticiſſimo Magiſtro H. ſtudioſiùs, quantum ab aliis cauſis non præpeditus, inſudare. Quapropter obſecratione efflagito, chariſſime, ut *Gloſas ſuper Macrobium* mihi per aliquem fidelem transmittere non graveris. Et ſi quæ ſuper *Georgica* apud vos ſint, cognatum meum V., qua-

Digitized by Google

V., quatenus tranſmittat, rogo, depreceris. De cætero quantum mœroris, & ſollicitudinis deceſſione Paſtoris veſtri, ac Domini mei impia mors, imò pretioſa in conſpectu Domini mihi attulit, teſtantur lacrimæ meæ. Sed conſolatus ſum in eo, quem elegiſtis, ac Dominum ſic unanimes vobis præfeciſtis, nec lupum *Friſingenſem*, vos diu ingraſſantem infringere permiſiſtis. Quid plura? Illum tanta mentis alacritate vidi, ut in toto mundo digniorem tanto honore perpenderem non poſſe reperiri.

XCIV.

Cœnobitarum Tegernſ. Epiſtola ad W. fortè eundem. Ut ſe doceat modum, eum ad ſuum Monaſterium revocandi.

CONventus in Chriſto collectus loco *Tegrinſenſi*, fratri W. fraternam dilectionem.

Scribere decrevimus tuæ Fraternitati quodam compaſſionis affectu, litterarumque tuarum profectu ſumus incitati, quippe quos tua à nobis dilapſio utcunque perturbavit. Sed quia reditum tuum præſtolantes per te id minime poſſe fieri audivimus, revocare te, quia frater noſter es, ſtatuimus. Sed qualiter id fieri valeat, non ſatis plenè per nos explicare quivimus. Tu verò qualiter præſens negotium ſit agendum, per præſentium latorem non moreris litteris remandare, ſciens, Dominum noſtrum Abbatem ex debito velle exigere, nulli pro te velle ſupplicare.

XCV.

G. cujuſdam epiſtola ad germanos fratres W. & G. de gravibus calamitatibus, quibus identidem affligatur &c.

DIlectiſſimis Fratribus & in Domino & in carne W. & G. tantillus ille G. ſervitium tota mentis devotione.

Proſperis vos per omnia ſucceſſibus pollere exopto, licèt ipſe crebris hinc inde anxietatibus impellar pro fortunæ arbitrio. Nam exceptis arctioribus curis filium, quem unicum habebam, malitioſorum hominum atrocitate extinctum amiſi. Deinceps domum rediens effractis foribus filiam meam à potentiſſimis quibuſdam violenter raptam inveni. Hæc, & his plura hoc anno perpeſſus omni humano ſolatio uſquequaque ſum deſtitutus. Unde miſeratione veſtra dignum me eſſe judico, ut in his omnibus fraternè mihi compatiamini ex animo. Huc accedit, quòd te, chariſſime frater G. multas tribulationes cauſâ conjugis tuæ audio perpeſſum. Et ſi meis acquieſcas conſiliis, ſuadeo, ut vel ſerò parvi pendas, quod ſalui animi nôſti periculoſum. Cæterùm mi frater W. pecunias, quas fidei meæ commiſeras, ad manum ex integro non habeo, & precor, ut benignè indulgeas vel tempus, quia quàm celerrimè potuero, reſtituam, quod debeo. Dextera DEI incolumes vos tueatur!

XCVI.

Leupoldus Dux Auſtriæ & Styriæ confirmat traditionem Maichtildis factam Cartuſiæ Seitzenſi.

LEupoldus DEI gratia *Dux Auſtriæ & Styriæ*, univerſis Chriſti fidelibus in perpetuum. Notifico modernis, & præſentis lineæ teſtimonio futuris, quòd Domina *Maichtildis* patrimonium ſuum, quod jure hereditario in quieta habuit poſſeſſione, per manum meam pro remedio animæ ſuæ, nec non parentum ſuorum, contulit Eccleſiæ de *Valle S. Johannis*. Ut autem hæc traditio rata maneat in ævum & inconvulſa, auctoritate ſcripti & ſigilli noſtri præcipimus. *Circ.* 1199. *Ex Arch. Seitz.*

XCVII.

Monachorum Babenbergenſium ad Melicenſes Epiſtola, quos jure fraternitatis & Reliquiis S. Felicitatis donant.

REverendo Domino Abbati & Sacro Conventui in *Medelic*, Abbas & Conventus Monachorum in *Monte Babenbergenſi* unitatem Spiritus in vinculo pacis. *Circ.* 1199. *Ex Cod. Melic. R. 24.*

Quia vota juſtorum coram Deo placabilia ſunt, deſideria veſtra & vota, quæ, ſicut à Dilecto Filio & Fratre noſtro *Adeloldo*, quondam Scholaſtico veſtro cognovimus, in hoc eſſe videntur, ut una in Chriſto noſtra & veſtra Fraternitas ſit, vobis eam ipſo mediante per Mediatorem DEI & hominum JESUM Chriſtum promittimus, veſtramque viciſſim in eodem Mediatore

Digitized by Google

diatore ac Salvatore recipere ſummopere optamus.

Gratias præterea agimus pro multis beneficiis, prædicto fratri noſtro à vobis quondam impenſis . . vobis tranſmittimus, ut juventus priſcæ & primæ inſtitutionis neſcia, ſecundùm Apoſtolum in ea vocatione, qua vocata eſt, permaneat, & nos ſuos fratres & conſervos fideliter regat.

Animas præterea fratrum veſtrorum & noſtrorum, quorum nobis obitum & nomina ſcripſiſtis, Divinæ miſericordiæ commendantes, plenariæ fraternitatis debitum perſolvimus . . De cætero, prout facultas ſuppetebat, Reliquias beatæ matris noſtræ *Felicitatis* Martyris charitati veſtræ cum aliis Reliquiis direximus, petentes, ut ejus feſtivam memoriam nobiſcum habere ſtudeatis in terris, ut ejus interventum una nobiſcum hic & in futuro experiamini in cœlis.

XCVIII.

Fragmentum Epiſtolæ quorundam Monachorum ad Melicenſes, cum quibus interventu Adeloldi ſacræ fraternitatis fœdus ineunt.

Ex cod. Cod. * *Castelic.*

REverendis Dominis & Confratribus ſuis C.* Venerabili Abbati in Medelich, & univerſo ſacro Conventui ibidem DEO ſervientium.

Litteras ſanctæ Fraternitatis veſtræ, quibus nos in benedictionibus dulcedinis præveniſtis, per honeſtum virum *Adeloldum* fratrem veſtrum gratanter ſuſcepimus, per quem, ut ipſa rei veritas exigit, laudes audivimus & gloriam Eccleſiæ veſtræ. Nos itaque piæ . . veſtræ ſolicitudinis excitati, quoniam ordinata charitas una profeſſione innititur, unius Ordinis informatione unitur, plenariam Fraternitatem in veſtro beneplacito renovamus. Quia verò ſicut aquarum decurſus labitur mortalis infirmitas, ut rem geſtam oblivioſa ſenectus in . . ſui diſpendium & alterius Ordinis præjudicium (non) feriat, ordinem noſtrum, videlicet. . . .

XCIX.

L. Monachi, ex Cluniacenſi Ciſtercienſis, Prologus in Dialogum de Cluniacenſium, & Ciſtercienſium Conſuetudinibus, in Theſauri Novi Anecdotorum P. Edmundi Marteni Tomo publicatum.*

* *Ex Cod. membr. in fol. exarato circa ſæc. XIII. Bibliothecæ S. Crucenſis Ord. Ciſter. in Auſtria.*

Domnæ R. Inferioris Monaſterii, quod eſt Ratiſponæ, venerandis Venerandæ Abbatiſſæ, L. peccator Monachus, humili prece, & ſincera devotione æternam in Chriſto optat ſalutem.

PRæmiſſa ſalutatio, o Domna laude digna, *venerandis Venerandam* vos pronuntians, hoc inſinuat: quòd pio, & prudenti regimine Monaſterii veſtri cum ſtudio Religionis, & honeſtatis venerabilibus perſonis veſtram perſonam venerabilem feciſtis. Illa verò veſtra liberalitas, quæ vos hilarem datricem patientibus neceſſitatem exhibere conſuevit, DEI dilectionem ſecundùm Apoſtolum, & generales gratiarum actiones prometuit, ſed à me ſpeciales. Speciali enim benevolentia meæ ſubvenire indigentiæ ſemper parata fuit & non rogata. Quamvis ergo veſtris impares beneficiis, tamen gratias ago, ſicut poteſt conari cottidiana pro vobis oratione peccatoris Monachi ſincera devotio.

Et quia putans timeo, & timens puto, veſtræ diſciplinæ prudentiæ, ſicut aliis quibuſdam etiam familiari dilectione mihi junctis diſplicet, quòd primæ converſionis meæ & locum, & Ordinem deſerui, & alium Ordinem intravi, ideirco Dialogum iſtum compoſui; ut perrationes, & auctoritates in eo collectas contra accuſatores, & reprehenſores meos ipſe ſit accuſator, & defenſor meus. Peto itaque, ut benevolentiæ veſtræ liberalis dignatio faciat cum legibili ſcriptura ſcribi; quia ſcriptorem non habens propria manu libellum hunc ſcripſi, quod teſtatur litterarum informis forma, ſicut & proprii ingenii modica facultate præter auctoritatum teſtimonia dictavi; quod oſtendit dictaminis incultus ſermo, & inordinata compoſitio.

Habet autem tres particulas, quæ poſſunt dici ſive Eclogæ propter ruſticum ſermonem, ſive Satyræ propter reprehenſionem, ſive Collationes propter non-

Digitized by Google

nullas utiles & ſcitu dignas ſententias, quas non ſolùm ſcire, verùm etiam de ipſis dubitare, non erit inutile. Quapropter ut legibiliter ſcribatur, & diligenter emendetur ab aliquibus Sororibus veſtris, ad hoc opus idoneis, deſiderans poſtulo, & poſtulans deſidero.

Incipit Dialogus duorum Monachorum, Cluniacenſis, & Ciſtercienſis.

Cluniacenſis. Inter omnia, quæ vitioſis dominantur vitia, nullum eſt inſtabilitate deterius & ſtabilius. Hoc enim vitio irretiti homines à diſcretis & ratione utentibus hominibus etiam in ipſa, qua apparent, ſancta converſatione quaſi deſperati habentur. &c.

C.

Ex Cod. Tegernſ. ſec. XII. ſcripto.

HENRICI PROVERBIA.

Incipit Inventum, quod fert Proverbia centum.

Pax HEINRICO DEI Amico.

CAP. I.

DEcet regem diſcere legem.
Audiat rex, quod præcipit lex.
Legem ſervare eſt regnare.
Notitia litterarum lux eſt animarum.
Sæpiùs offendit, qui lumen non attendit.
Qui habet ſapientiam, ornat ſcientiam.
Melior eſt ſapientia, quàm ſæcularis potentia.
Plus convincit ſenſus, quàm multiplex cenſus.
Eſt ſapiens multum, qui amat DEI cultum.
Vir fidelis coronabitur in cœlis.
Benè credit, qui neminem lædit.
Qui fidus eſt ſeniori, adpropinquat honori.
Qui confidit in Domino, fortis eſt ut Leo.
Melius eſt in Domino ſperare, quàm divitias congregare.
Firmiſſima ſpes beatificat res.
Charitas non ficta odit delicta.
Qui diligit fratrem, placat DEUM Patrem.
Regnum cælorum non eſt invidorum.
Melius eſt ſe humiliare quàm exaltare.
Humilis homo triumphat in domo.
Qui per ardua vadit, ſæpiſſimè cadit.
Viri mites renuunt lites.
Qui aſſiduè rixantur, à paucis amantur.
Mala pro DEO tolerare eſt regnare.
Pacis donum omnibus eſt bonum.
Qui in pace fundantur, non eradicantur.
Incendium bellorum corruptio eſt malorum.
Homo pudicus animæ eſt amicus.
Ubi frequens luxuria, ibi non deerit penuria.
Voluptas mundana ſemper eſt vana.

Cap. II.

IUdicis ſententiam oportet eſſe clementiam.
Melius eſt interdum ignoſcere, quàm poſcere.
Qui miſeretur, miſericordiam conſequetur.
Verbum veritatis ſubvenit judicatis.
Falſus ore caret honore.
Qui falſitate vivit, animam occidit.
Qui eſt hilaris dator, hunc amat Salvator.
Omnis avarus nulli eſt charus.
Bonis tribuere non eſt minuere.
Ubi pugnat oratio, ibi vincitur tribulatio.
Inceſſanter orare eſt delicta purgare.
Jejunium forte liberat à ſecunda morte.
Benè orat, qui corde plorat.
Qui non poteſt jejunare, diſcat eleemoſynas dare.
Melius eſt manducare, quàm aliis nihil dare.
Bene vigilat, qui à bono opere non ceſſat.
Melius eſſe interdum dormire, quàm diabolo ſervire.
Qui dormit multùm, exhilarat vultum.
Qui ſe fatetur reum, placat DEUM.
Vbi eſt vera pœnitentia, ibi eſt clementia.
Oportet parcere diu poſitis in carcere.
Valde decipitur, qui nunquam corripitur.
Amabilis increpatio non eſt damnatio.

Oleum

Digitized by Google

Oleum peccatoris laus eſt adulatoris.
Ubi eſt longa ebrietas, ibi eſt brevis pietas.
Vinum multum & forte parum diſtat à morte.
Per crapulam vini & potus perit homo totus.
Mediocritate pura gaudet natura.
Proverbium : *ne quid nimis*, laudatur inprimis.
Juvenis animoſus ſenex fiet glorioſus.
Qui torpeſcit, dum calet, frigidus nihil valet.
Qui vacat in juventute, turbatur in ſenectute.
Fortes viri omnibus ſunt miri.
Reges & præſides non decet eſſe deſides.
Mundi rectores æquent cum nomine mores.
Viri Pontificales Angelis ſunt æquales.

Cap. III.

QUi viduam offendit, in abyſſum tendit.
Qui vindicat pupillum, DEUS coronat illùm.
Pauperum conſolator æternæ vitæ eſt amator.
Oportet cavere, vanitatem videre.
Cor incendit oculus, ut ſtimulos potus.
Voluptas non viſa citiùs erit eliſa.
Qui libenter bonum audit, corde DEO plaudit.
Melius eſt clamorem pauperum audire, quàm ſonitum lyræ.
Incaſſum miſeros audit, qui os & manum claudit.
Lingua placabilis ligno vitæ eſt comparabilis.
Lingua doloſa omnibus eſt odioſa.
Qui loquitur modeſtè, liber eſt à peſte.
Manus ſine opere mendicat properè.
Manuum labores præſtant honores.
Qui bonum operatur, à Domino benedicatur.
Beati pedes, qui infirmorum viſitant ædes!
Cum DEO ambulare eſt animam ſalvare.
Qui migrat ad æternam ſedem, non offendit pedem.
Iniquum eſt ob beneficium reddere ſupplicium.
Qui reddit malum pro bono, indignus eſt dono.
Bono vincere mala eſt cœleſtis ſcala.
Mundi contemptus à DEO eſt inventus.
Qui amat mundum præſentem, rem ſequitur fugientem.
Melius eſt ſupernum concilium, quàm hujus vitæ exilium.
Superna patria pulchra tenet atria.
Arvo cœleſti ſunt ſemper gaudia feſti.
Tendat filius & frater, quò vocat illos pater.
Quid fugis ex illo, qui claudit cuncta pugillo?
O quicunque velis mentem conjungere cælis,
Qui reſident juſti ſerto palmiſque venuſti!
Amicus in neceſſitate probatur.
Avarus nihil rectè facit, niſi quod moritur.
Ad ſublimitatem virtutum non potentia, ſed humilitate venitur.
Ad mortem properat, qui citò de quoquam judicat.
Arcum nimia frangit intenſio, animum incongrua remiſſio.

Reliqua, quæ ſequuntur in Codice, excerpta ſunt omnia ex libro Proverbiorum Othloni, quem edidi Tom. III. Theſauri.

CI.

Gwilhelmi Vivarienſis Monachi Præfatio in Libros ſuos VI. Expoſitionis Cantici Canticorum, quam è proſa Ruperti Abbatis Tuitienſis carmine elegiaco reddidit.

Ex Cod. S. Petr. Salisburg. membr. S. 12. circ. ſeculum XIII. exarato.

Carmen ad gratiam Dilectæ Dilecti.

INcipe jam vota mea mecum Virgo Beata,
Cui DEUS inquit : amo, cum fore vellet homo.
Sit mihi materia tua laus o Virgo Maria,
Laudibus aucta DEI, pignoris atque tui.
Sit Salomon certus mihi dux, auctorque Robertus,
Ut Rex compoſuit, & Pater expoſuit.
Cantica collatis tibi mater nateque totis
Libri myſteriis, hujus & eloquiis.
Sed quia necquiquam propriis non viribus æquam,
Sub qua deficiam, ventilo materiam,
Ni mea Virgo comes ſis, ingenii mihi fomes:
Ergo rogata fave per Gabrielis ave.
Scripturo de te, premor hac quia voce Poëtæ:
Silvis educti caveant me judice Fauni.

Digitized by Google

Sunt delicta tamen, quibus ignoviſſe velimus.
Non ſemper feriet, quodcunque minabitur arcus.
Hinc qui ſcribendo ſudârunt ſive legendo,
Carminis ignoſcent verrucis huius ab æquo.

Oſculetur me oſculo oris ſui.

Oſculer os ore, Verbum de Patris amore
Integra concipiam, Virgo manens pariam.
O Mundi grata ſpes Virgo Maria beata,
quis tuus hic clamor, quis novis eſt hic amor?
Unda voluptatis, diæ vigor ebrietatis
in me prævaluit, te ſimul obtinuit:
Et perſenſiſti, quod Mundo deditus iſti
non capit auditus, non cor & intuitus,
Verbis Angelicis dum Virgo credula dicis:
en ancilla DEI corde fidelis ei.
Ergo tuum dictum mihi convertatur in actum.
Angele ſed quid erat, Virgo quod audierat?
Angelicum dictum fuit: effundes benedictum
germen ſincero Virgo parens utero.
Pondera ſermonis varii trutinâ rationis
hæc qui diſcutiet cautiùs, inveniet.
Dictum Divinum vetus ac rude, quod notat unum,
ſenſus indicium, par quoque myſterium.
Hinc velut audiſti, veluti credendo petiſti,
in te compleri prompta parens fieri.
Oſcula mira Pater tibi dat DEUS, integra mater
ventri dando tuo ſemet amore ſuo,
Cuius concepta dulcedine tota referta,
carmen amica DEI concinis iſtud ei.

Epilogus Libri VI & ultimi.

Define iam vota mea mecum Virgo beata
Verbum nacta DEI more puerperii
Carminis in meta, quòd iners laſſeſco Poëta
hac ex materia deficiente via
De qua cantavit tua tibia, quæ tibi vovit
pauperis ingenii tibia parva mei.
Cautica conſerto Salemoni Patre *Roberto*:
nam metris aliter non patuiſſet iter.
De quibus eſt metris laus Nati gloria Matris,
& mihi ſpe veniæ mors erit in requie.
Ergo beata, pia Virgoque parenſque Maria
vatis vincla tui ſolve miſerta rei.
Subtrahe me pœnis, & ſedibus infer amœnis
indulgente tuo Pignore, quem timeo.
Pauper *Guvilhelmum Vivaria* dum tenet almum,
hoc Opus appetiit condere, ſed ſubiit
Virgo DEI Genitrix onus, & fuit hæc operatrix:
is tamen, ùt poterat, ſervulus eius erat.

CII.

Charta donationis, qua filia Reginberti Comitis caſtra Gecheburc & Litenvels Eccleſiæ Babenbergenſi confert.

QUi parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Cuius verbi non ſurda auditrix fidelis, & DEO devota Comitis *Reginberti* unica filia, ut gauderet in meſſe, non defecit in ſemine: terrenum dedit patrimonium, ut cœleſte acquireret: ſeminavit in agro Dominico bona temporalia, ut præmia quandoque metat æterna. Notum igitur eſſe cupimus pro omnibus diligentibus DEUM tam futuris, quàm præſentibus, qualiter prædicta famula DEI a Comite *Popone* de *Blaſſenberg* publico Eccleſiæ iudicio ſeparata, ubi liberam corporis, & rerum ſuarum facultatem adepta eſt, pro ſuo parentumque ſuorum remedio tradidit noſtræ *Babenbergenſi* Eccleſiæ ad altare Sancti Petri, Principis Apoſtolorum duo caſtra principalia allodio *Gecheburc*, & *Litenvels* cum miniſterialibus, & cæteris utriusque ſexus mancipiis, cum villis, & fundis, agris, ſylvis, pratis, paſcuis, locis cultis & incultis, & cum omnibus utilitatibus ad prædicta loca quolibet proprietatis iure pertinentibus nobis, & noſtris legitimis ſucceſſoribus in uſu Dominicali perpetuo iure poſſidenda, eo pacto videlicet, ut nulli Epiſcopo prædicta bona diſtrahere, diminuere, vel infeodare, ſeu quolibet alio modo ab uſu & manu Epiſcopali elongare liceat. Si quis id verò attentaverit, tanquam ſacrilegus habeatur, & ab

Ex Cod. Tegernſ. ſæc. XII.

ab hæredibus lege propinquitatis poſſeſſio recipiatur. Nos autem, ut tantis beneficiis ingrati non eſſemus, & ut omnia prætaxata liberè tam uſu, quam proprietate etiam in vita prænominatæ N. poſſideremus, communi conſilio, atque conſenſu venerabilium Confratrum aliorumque fidelium noſtrorum conſtituimus ei unam ex noſtris manſionibus, *Chielam* videlicet, cum omnibus ad eam curiam in uſu Dominicali pertinentibus iure precario concedere unà cum aliis quadraginta libris certis anni temporibus, id eſt, in Paſcha, & feſtivitate beati Martini ſine omni moleſtia & excuſatione eidem perſolvendis, viginti videlicet de moneta, & telonio civitatis, viginti verò de *Vorcheim*, inſuper & curtem patris eius vel aliam in civitate certa ei conventione promiſimus per manum *Friderici* de *Inchilingin*, foremundi ſui, quatenus & hæc vitæ præſentis ſubſidium, & æternæ retributionis denarium pro ſtudio ſuæ tantæ devotionis accipiat.

Item devotiſſimam Eccleſiæ DEI famula ad altare beati Georgii Martyris partem illam ſui patrimonii delegavit, quæ *Miſtelvelt* dicitur, cum omnibus ſuis appendiciis, & utriuſque ſexûs mancipiis ita duntaxat, ut ipſa in vita ſua eiuſdem poſſeſſionis uſum habeat, poſtmodum autem ipſa cui cui voluerit fratrum noſtrorum paciſcatur, & inter cæteras oblationes fidelium in uſum Canonicorum poſſidendi, perfruendi, & quolibet modo utendi legitima poteſtate pertranſeat. Nos quoque itidem illi piè flagitanti unanimi conniventia Capituli noſtri fraternitatis noſtræ dantes conſortium decrevimus eam præbendæ noſtræ participem facere, ut cibum & potum æqualiter nobiſcum percipiens Eccleſiarum limina frequentare, & orationibus continuis promptiùs poſſit inſiſtere.

CIII.

De quodam Teutonico iure.

indid. VEtus conſuetudo apud *Teutonicos*, & *Svevos* inolevit, ut, ſi quis nobilis, vel miniſterialis, vel colonus coram ſuo iudice pro præda & incendio reus inventus fuerit, antequam mortis ſententia puniatur, ad confuſionis ſuæ ignominiam nobilis canem, miniſterialis ſellam de Comitatu in proximum Comitatum geſtare cogatur.

De quadam iuſtitia Regni.

Mos antiquus, ex quo Imperium Romanum ad Francos derivatum eſt, ad noſtra uſque deductus eſt tempora, ut, quotienscunque Reges Italiam ingredi deſtinaverint, gnaros quoslibet de familiaribus ſuis præmittant, qui ſingulas civitates ſeu oppida peragrando ea, quæ ad fiſcum regalem ſpectant, quæ ab accolis fodrum dicuntur, exquirant. Ex quo fit, ut Principe adveniente plurimæ civitates, oppida, caſtella, quæ huic iuſtitiæ vel omnino contradicendo, vel integraliter non perſolvendo reniti conantur, ad ſolum uſque proſtrata proterviæ ſuæ documentum poſteris oſtendant.

Alia itidem ex antiqua conſuetudine manâſſe traditur iuſtitia, ut Principe Italiam intrante cunctæ vacare debeant dignitates & magiſtratus, ac ad ipſius nutum ſecundum ſcita legum iurisque peritorum iudicium univerſa tractari. Tantam ei quoque iudices terræ recognoſcere dicuntur iuriſdictionem, ut ex omnibus, quæ terra producere ſolet, uſui neceſſariis, exceptis vix bubus & feminibus ad excolendam terram idoneis, de cæteris, quantum neceſſe fuerit, militi profuturis ad regios uſus ſuppeditare æquum arbitrentur.

CIV.

Leopoldus IV. Auſtriæ Dux confirmat fundationem Monaſterii B. Mariæ Virg. Scotorum Viennæ.

In nomine Sancte & Individue Trinitatis. 1200. P. H.

LEupoldus DEI gratia Dux *Auſtrie* & *Styrie*, univerſis fidelibus ſalutem in petpetuum. *Ex autograph.*

Pia & ſalubris eſt intentio, qua quisque ad ſerviendum DEO movetur, & ad benè agendum intentam habet voluntatem. Que quidem voluntas in levioribus perſonis, & jis, quibus rerum non ſuppetit facultas, ſufficit & eſt meritoria: quippe cùm voluntas pro facto reputetur. In magnatibus verò & univerſis, quibus copia rerum & auctoritas agendi quidlibet amminiculantur, hec eadem laudabilior eſt, & maiorem habet efficaciam, cùm ipſi hoc, quod per bonam voluntatem concipiunt in mente, ad ex-

Digitized by Google

ſequendum in opere habeant facultatem. Nobis igitur, univerſisque Principibus, quibus plus eſt commiſſum, ut & plus a nobis exigatur, expedit, ut bonam voluntatem & opera caritatis abundantiùs, quàm ceteri ad univerſos extendamus, maximè tamen ad religioſos & monaſtice profeſſionis viros, quos ſecularia negotia poſtponentes, ad obſequia divina & cultum religionis obſervandum propenſiori cura & benevolentia fovere debemus & amplecti. Pietatem itaque anteceſſorum noſtrorum, quam circa Eccleſias accurata ſollicitudine iugiter intendere conſueverunt, imitari cupientes, univerſas Eccleſias, precipuè tamen eas, quarum fundatores ipſi exſtiterunt, pro poſſe manutenere & promovere intendimus, & ſi non plura eis conferendo, ſaltim ab anteceſſoribus noſtris & aliis ipſis collara patrocinatus noſtri defenſione eiſdem conſervando. Cùm autem beate memorie Auus noſter Dux *Heinricus* exules quosdam & ſimplices, *Scotos* videlicet, maxime pietatis affectu collegiſſet, *Wiennæ* in predio ſuo liberæ fundationis Jure eos collocavit, Monaſterium ibidem in honore beatæ ac glorioſæ DEI genitricis Mariæ & beati Gregorii, eiſdem conſtruendo, & redditus ad ſubſidium illic DEO famulantibus, benigna devotione donavit, quos in preſenti pagina exprimi iuſſimus.

Duas Parrochias *Pulca* videlicet & *Echendorf* cum attinentibus, & capellas *Wiennenſes*, Capellam beati Petri & Capellam beatæ Mariæ, & Cappellam beati Rudberti, & in *Chremeſe* Cappellam beati Stephani, in *Tulne* Capellam Sancte Crucis, & unum manſum. Cappellam beati Colomanni in *Loupe*. In *Wirochperge* XII. manſus cum attinentibus. In *Ebersdorf* XII. manſus, & unum Dominicale. *Receſentur hic reliqua, prout ſuperiùs videre eſt in litteris fundationis.* * Quoniam autem predictorum Fratrum ſimplicitas anteceſſorum noſtrorum ſecura preſidio, a prima fundatione redditus ſibi collatos ſub forma privilegii in ſcriptum redigere neglexit, quamvis etiam in omnibus, quamdiu vixerimus, noſtro ſecuri poſſint eſſe patrocinio, tamen ne poſt deceſſum noſtrum heredumque noſtrorum, ſi quos per DEI gratiam ſumus habituri, aliqua calumniationis occaſione vexari poſſint vel inquietari, omnia, quæ a pluribus quam XL. annis a parentibus noſtris & ab aliis collata in pace poſſederunt, eis preſentis paginæ indicio, ſigillique noſtri impreſſione, ſubſcriptioneque teſtium, quorum nomina ſunt hæc, confirmamus.

* Vid. Num. CXLIII. CLXII. & CLXIII.

De ordine Comitum: Comes *Fridericus de Zolze*, Comes *Chunradus de Hardeke*, Dominus *Wdalricus de Perneke*. De ordine Liberorum: Dominus *Werenhardus de Scowenberc*, Dominus *Crapto de Amzinſpach*, Dominis *Chunradus de Valchenberc*. De ordine Miniſterialium: *Wichardus* Dapifer, *Wdalricus Strumo*, *Marquardus de Hintperge*, *Pilgrinus de Swarcenowe*, *Hugo de Eigen*, *Heinricus de Rotenſtain*, *Rudolfus Mace*, & frater eius *Chunradus* & alii multi.

Datum apud *Haimburc* per manus *Wdalrici* Notarii, præſente Domino *Tittone* Plebano de *Heimburc*, & Domino *Chunrado* Cappellano. Anno incarnationis Domini M. CC. Tertio Kalen. Mart. Indict. III.

CV.

Rudolfus de Raſia confirmat donationem villarum Candin, factam Cartuſiæ Seitzenſi.

IN nomine Domini noſtri JESU CHRISTI, DEI æterni, qui DEUS æternus regnat ſine fine ſupernus, anno ab Incarnatione eiuſdem Domini noſtri J E S U CHRISTI MCCII. Indictione V. tertio Idus Aprilis, cum inter *Ottonem Saxonem* & *Philippum* lis verteretur, Duce *Leopoldo* tam *Styriam* quàm *Auſtriam* ductante feliciter, in præſentia Domini *Colonis* de *Raſia*, fratris ſubſcripti donatoris, & *Alraimi de Wiſſeſtaine*, Uſcialci confratris Hoſpitalis Sanctæ Mariæ de *Raſia*, *Gaibardi* Filii *Corradi de Suabech*, *VValteri de Blanciſtaine*, *Odorici de Raſia*, *Geroldi de Rinbitzo*, *Conradi de Talæen*, *Aimerici de Tochndorf*, *Corradi de Marchia* & aliorum. In Mundi congerie huius ſic decet nos agere, ne in die ultionis cum hædis poſſimus connumerari: date elemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis, dicit Dominus. Idcirco in DEI nomine ego *Rudolfus de Raſia*, ſanus mente & corpore, non per violentiam, ſed integra mea bona voluntate, conſenticnte uxore mea *Hildruda*, pro remiſſione peccatorum 1202. *Ex archiv. Seitzenſi.*

rum noſtrorum confirmo donationem duarum villarum poſitarum in planitie inxta *Traam* in confinibus civitatis *Petoviæ*, & appellatur tam una quàm altera *Candin*, quas obtulimus DEO & beato Johanni de *Seitz* ſuper altare in die conſecrationis Eccleſiæ memoratæ, præſente Domino *Gottifredo Aquilegenſi* Patriarcha, *Poppone* Epiſcopo, *Ortolfo*, *Otacharo* & *Leupoldo de Gunuvvitz*, *Geroldo de Ribintze*, dicto *Corrado de Marchia* & aliis.

Ea enim conditione ſupraſcriptam donationem memoratus donator firmari, ut, quandocunque unum coniugalium, ipſum aut uxorem eius, mori contigerit, ſtatim dicta Eccleſia iure donationis poſſeſſiones redditusque integraliter habeat in perpetuum ſuperioris villæ, in qua redditus quinque manſorum nunc habet, prout inferiùs declarabitur, & quandocunque alter deceſſerit, in ſupradictotenore habeat aliam in qua habet redditus nunc manſi unius: ita ut ab illis diebus in antea præſcripta Eccleſia habeat, teneat, poſſideat & fruatur optima libertate cum omnibus illorum iuribus, proprietatibus, ſuperioribus & inferioribus, pertinentiis, acceſſionibus, ingreſſibus & egreſſibus ſuis ſine alicuius vel aliquorum contradictione.

Et ſic Dominum Priorem *Nicholaum* recipientem pro Eccleſia miſit in tenutam & liberam poſſeſſionem, & quinque nominatorum manſorum redditus ſuperioris villæ cum unius manſi redditu inferioris in ſigno & teſtimonio protinus & abſolutè conceſſit, & promiſit iterum Eccleſiæ ipſi tam per ſe quàm per ſuos hæredes prætaxatam donationem firmam & ratam omni tempore habere, & nullo modo contravenire, ſed ab omni homine auctorizare penitus & defenſare. Et in tali ordine me *Petrum* ſcribam, meliùs quàm poſſem, ſcribere rogavit.

Actum eſt in portico eiuſdem Sancti Johannis in præſentia ſupradictorum teſtium.

† Ego *Petrus* ſcriba ſpecialiter ad hoc rogatus interfui, & bona fide, quam vidi & audivi, ſcripſi, & ſigno victorioſiſſimæ crucis eam autenticavi, complevi, & inſuper dedi.

CVI.

Leupoldus Dux Auſtriæ donationem cuiuſdam ſylvulæ iuxta fluvium Sattelbach Monaſterio S. Crucis Anno 1703. *confirmat.*

In nomine Sanctæ Trinitatis.

OMnibus Chriſti fidelibus pax & exultatio multipliciter in perpetuum. Principum nobilitatem decet parentum ſuorum pia facta non ſolùm inviolabiliter conſervare, verùm & cenſuræ ſuæ auctoritate alacriter confirmare. Hinc eſt, quòd cunctis Chriſti fidelibus tam præſentis ætatis, quàm futuræ generationis agnitum eſſe volumus, quòd ego *Leupoldus* DEI gratia Dux *Auſtriæ* & Styriæ piæ memoriæ Patris mei *Leupoldi* videlicet Eleemoſynam roborare cupiens, ſiuulam quandam, ſiram iuxta fluvium, qui vocatur *Sattelbach*, quam ipſe ad pratum extirpandam domui *Sanctæ Crucis* ob remedium animæ ſuæ, nec non parentum ſuorum contulit, quam & Patruus meus *Henricus*, ſcilicet de *Medelik*, petitione ſua circumlimitavit, iure perpetuo tradere curavi. Quocirca, ut hæc eadem donatio in ævum permaneat inconvulſa, privilegii munimine, ac ſigilli noſtri impreſſione, ac teſtium ſubſcriptione decrevimus firmare. 1203. *Ex autograph.* P. H.

Teſtium verò nomina ſunt hæc: *Henricus de Medelich*, *Leupoldus de Muolanſdorf*, *Vlricus de Gademe*, *Leupoldus* pincerna de Muolanſdorf, & frater eius *Hugo*, *Richardus de Sancto Vito* & Pater ſuus *Hugo*, *Albero* pincerna *Stiriæ de Grunſtaine*, *Herbordus de Landcke*, *Vlricus de Marihpurch.*

Facta autem ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. CC. III. Indictione verò VI. anno Ducatus noſtri in *Auſtria* V. Stirie verò IX. Datum in Sancta Cruce V. Kal. Aprilis per manus *Hartungi* Notarii.

CVII.

Otacher de Gunuvvitz Cartuſiæ Seitzenſi donat duos manſus in villa Ophlonitz.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis amen. Ego *Otacher de Gunuvvitz* notum eſſe volo tam futuris quàm præ- 1206. *Ex archiv. Seitz.*

præſentibus, quòd ſanus mente per DEI gratiam & integer corpore ob reſpectum animæ meæ, uxorum mearum, omniumque parentum meorum, duos manſos, qui ſunt in villa de *Oplonitz*, Eccleſiæ *Vallis Sancti Iohannis* per manus Domini *Liupoldi*, filii *Liupoldi* Ducis *Auſtriæ Styriæque*, in præſentia Domini *Nicholai* Prioris, in perpetuum trado cum appenditiis ſuis, aſſiſtente ejuſdem Eccleſiæ Conventu, præſentibus etiam teſtibus, Domino *Ruberto de Reetſach*, Domino *Ottone de Ratisdorf*, Domino *Ortolfo de Blanchenſtein*, & Domino *Marquardo de Boſech*. Quod ut ratum & inconcuſſum permaneat, ſigilli mei impreſſione munio & corroboro.

Actum eſt hoc in clauſtro præfatæ Eccleſiæ anno ab Incarnatione Domini MCCVI.

CVIII.

Pertoldus Dux Dalmatiæ confirmat beneficia, à ſuo parente in Cartuſiam Seitzenſem collata.

Ex Arch. Seitzenſi. IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego *Pertoldus* DEI gratia Dux *Dalmatiæ* & Marchio *Iſtriæ*, per præſens ſcriptum præſentibus & futuris inſinuo, & ſigilli mei impreſſione ratum facio & confirmo id, quod pater meus Marchio *Pertoldus* pro ſalute animæ ſuæ omniumque prædeceſſorum ac ſucceſſorum ſuorum obtulit DEO & beatæ Mariæ & fratribus Ordinis Cartuſienſis, in *Valle S. Iohannis* DEO ſervientibus. Eſt autem hoc. In *Windiſchingratz* dedit prædictis fratribus ſingulis annis duos modios de frumento, & decem menſuras de Bracio. Dedit etiam de omnibus rebus noſtris propriis, quas ibi vendemus, aut etiam ememus, quòd nullus præſumat à nobis teloneum exigere: aut ſi quid per viam eundo ſeu redeundo duxerimus, nec tributum dare, nec exactionem aliquam exigere, aut violentiam inferre quiſquam audeat. Simili tenore dedit quoque nobis, ne quis teloneum aut tributum in foro ſuo *Stein* à nobis accipiat.

Siquis autem hanc noſtram poteſtativam traditionem infringere præſumpſerit, ſciat ſe nos graviter offendiſſe, & ob hoc gratiam noſtram perdidiſſe. Hujus rei teſtes ſunt hi: *Engilbert delWrif. perch*, *Pertoldus de Uſilderf*, *Witego de Libegilberch*, *Wernherus Pincerna*, *Bernardus de Funſingen*, *Traiboto de Andeſh*, *Cunradus de Kirichem*, *Otto de Welfiſberch*.

CIX.

Leopoldus Auſtriæ & Styriæ Dux veteres Cartuſiæ Seitzenſis terminos confirmat, & novis acceſſionibus auget.

IN nomine Sanctæ Trinitatis & individuæ Unitatis inchoanda ſunt omnia opera pietatis, amen. Noverint omnium ætatum fideles Chriſti; quòd Ego *Leopoldus* DEI gratia Dux *Auſtriæ Styriæque* ad laudem & gloriam omnipotentis DEI, & ejus Genitricis perpetuæ Virginis Mariæ, atque Sancti Johannis Baptiſtæ, Ordinem Cartuſienſis Heremi in Marchia noſtræ ditionis per Anteceſſores meos, Marchiones ſcilicet & Duces, Apoſtolica auctoritate transplantatum, piæ devotionis intuitu diligere, ac propter multorum incurſantium infeſtationem, qui ejuſdem Ordinis executores in ſuis poſſeſſionibus ac terminis inquietant, ſub noſtræ poteſtatis tuitione fovere neceſſarium duximus: & ad noſtræ ſalutis augmentum, quod prædeceſſores noſtri prædicti, Ordinis Domui, *Vallis* videlicet *Sancti Iohannis* contulerunt, nos ratum & inconcuſſum haberi decrevimus. Et ut quietiùs ac ſecuriùs collata poſſideant, terminos poſſeſſionum ſuarum antiquitus poſitos confirmamus: quorum poſitio talis eſt. 1207. *Ex Arch. Seitz.*

In introitu ipſius Heremi à cacumine montis usque *Meran*. Inde per colliculum, qui eſt ſupra villam, quæ dicitur *Gundramsdorf*: deinde ad vadum aquæ, quæ dicitur *Treun*: Exinde usque ad ponticulum, qui eſt juxta locum illum, ubi aqua *Treun* allidit monti: & ita ſuperiùs uſque ad villam, quæ dicitur *Zuchedole*, & illam cum omnibus appenditiis ſuis: & ita usque ad terram *Liupoldi de Hobeneke*, & villam, quæ dicitur *Rorbach*, quæ à *Vulwingo* Miniſteriali Ducis *Otochari* prædeceſſoris mei cambita eſt, cum omnibus ad illam pertinentibus: & inde per cacumina montium, ſicut aquæ & nives ad ipſam vallem decurrunt, ita ut ad turrem illam, quæ eſt juxta locum, qui dicitur *Betſech*.

Verùm

Digitized by

Verum quia hi sunt termini per antecessores meos antiquitus constituti, opportunum duximus ejusdem constitutionis etiam antiquos testes subscribi. Quorum hæc sunt nomina: Comes *Heinricus*, *Otto* & *Wulfingus*, *Cholo* & *Heinricus*, *Leudewicus*, *Offo*, *Dietmarus de Grez*, *Hertnidus dell'Ildonin*, *Ortolfus de Tolet*, *Reimbertus*, & alii quàm plures Ministeriales *Otochari* Nepotis mei.

Præterea, ne præfatus Ordo, in prædicto loco situs, aliquem defectum sustineat, de rebus nostris superaddere curavimus, ante *Petovium* scilicet, villam unam majorem nomine *Brizlausdorf*, quæ tempore *Rudolfi de Rafia* in duas Supanias divisa est; aliam minorem nomine *Predansdorf*; ultra fluvium verò *Pulzcau* Novalia quædam. In villa quoque, quæ dicitur *Rogotz*, quatuor mansus, qui à Domino *Richero de Turre* nostro juri cesserunt. Et in villa mea ultra *Drahvvam*, quæ dicitur *Nebou*, mansum unum ad colendam ejusdem Ecclesiæ vineam. Et hæc omnia cum appenditiis suis, pascuis scilicet & piscationibus ac Decimis, nihil juris nobis inibi retinentes, libera & quieta possessione tenenda tradidimus.

Hujus rei testes sunt, *Hertnidus de Ort*, *Albertus de Roats*, *Otacher de Gonevvitz*, *Liupoldus* frater ejus, *Cunradus* Magister Cellarii, *Wernherus de Marburch*; *Marquardus de Bosech*, Præpositus in *Marburch*, & alii quamplures Ministeriales, quorum nomina scribere longum duximus. Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, privilegio confirmamus, & impressione imaginis nostræ corroboramus.

Acta sunt hæc anno incarnationis Dominicæ MCCVII. Romanæ Sedis Pontifice *Innocentio* III., Romanorum Rege *Philippo*, Aquilegensis Ecclesiæ Patriarcha *Wolfkero* *, existente in Valle Sancti Johannis Priore *Nicolao*.

* al. Wolfgero.

CX.

Philippus Romanorum Rex Monasterio Rotensi ad Oenum jus eruendi ferri &c. concedit.

1207. Ex Arch. Rotensi. PHilippus, DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus, universis fidelibus suis, ad quos hæ litteræ pervenerint, gratiam suam & omne bonum.

Divinæ retributionis intuitu Ecclesias Dei quantum ad nos pertinet, in rebus temporalibus promovere volentes significamus omnibus iis, qui in imperio nostro sunt constituti, quòd nos pro salute animæ nostræ Abbati de *Rote* & omnibus ejus successoribus & ipsi Ecclesiæ in perpetuum indulsimus & concessimus, ut quicquid in venis terræ ferri repertum fuerit in bonis ipsius Ecclesiæ, hoc Ecclesiæ cedat ad utilitatem, & in usus ipsius Ecclesiæ convertatur. Præcepimus quoque sub pœna gratiæ nostræ, ut nemo sit, qui in istius beneficii nostri concessione præfatam Ecclesiam in *Rote* vel ejus Abbatem, qui ibi pro tempore fuerit, audeat molestare. Datum apud Ratisbonam VII. Id. Marcii Indict. X.

CXI.

Innocentii III. P. M. ad Legatos suos epistola. Mandat, ut negotium erigendi novi in Austria Episcopatus accuratè discutiant, remque omnem ad se perscribant.

1208. Ex apographo Salzburg. *Innocentius* Episcopus, Servus Servorum DEI, Venerabili Fratri *H.* * *Ho-stiensi* Episcopo, dilecto Filio *Leoni* tituli S. Crucis Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legatis, salutem & Apostolicam benedictionem.

* Hugolino.

CUm olim dilectus filius, Nobilis Vir, Dux *Austriæ* *, nobis humiliter supplicâsset, ut propter gravem necessitatem & utilitatem multiplicem, quas expressit, novum Episcopatum in sua creare provincia dignaremur, quæ, quantò erat à Sede *Patavienſi* remotior, tantò alterius provisione pastoris ampliùs indigebat, locoque congruo designato, in quo construi poterat Ecclesia Cathedralis, *Wienna* videlicet civitate, quæ post *Coloniam* una de melioribus *Teutonici* regni urbibus dicebatur, Episcopatum hujusmodi cum *Wiennensi* plebe de bonis suis mille marcarum redditibus se promisit dotaturum, redditus nihilominus assignando, de quibus tricenarius in ea præbendarum numerus statuatur, quarum quælibet viginti marcas percipiat annuatim: licèt non solùm secundùm statuta canonica, verùm etiam nonnulla Prædecessorum nostrorum exempla, petitioni suæ videretur meritò annuendum,

* Vid. epist. Innoc. III. T. 1. edit. Baluz. p. 758.

volentes tamen Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo *Patavienſi* * Epiſcopo, deſuperabundanti gratia rem ipſam ſibi curavimus intimare, conſiderato, quod etſi non exiſteret neceſſarium ſuper hoc ſuum obtinere conſenſum, requirere tamen eum videretur honeſtum, Venerab. Fratri noſtro Archiepiſcopo *Salisburg.* mandantes, ut memoratum Ducem ad peragendum hoc propenſiùs hortaretur, & inquiſitâ ſuper his ſollicitè veritate nobis renunciaret eandem, determinatè ſignificans, in quâ, & quanta parte Provinciæ memoratæ futuri Epiſcopatus locari cathedra, & Parochia poſſet congruentius aſſignari. Ob hoc igitur idem Epiſcopus ad Præſentiam noſtram nuper accedens, nuntios præfati Ducis, qui dicebantur eſſe venturi, aliquamdiu exſpectavit. Quibus domum unà cum ipſo in noſtra præſentia conſtitutis Epiſcopus ipſe propoſuit, quòd de creatione novi Epiſcopatûs enormis jactura veteri proveniret, & Dux in gravamen hoc poſtulabat ipſius, ut ſic ei ſuam auctoritatem auferret, quam in ejus terra ſe dicebat habere, ac redditus prætaxatos utique non de propriis aſſignare, ſed de bonis Eccleſiaſticis, vel feudalibus intendebat. Prædicti verò Nuntii aſſerebant econtra, quòd Jure Parochiali duntaxat excepto in nullo prorſus ex hoc facto enormem jacturam *Patavienſis* Eccleſiæ ſuſtineret, nec auctoritatem amitteret, quam habebat in Ducem, cum ratione medietatis *Auſtriæ*, ac magnæ partis *Styriæ*, quam in Diœceſi ejus habet, remaneret Parochialis ipſius. Requiſiti verò, cujuſmodi eſſent ab ipſo Duce redditus aſſignandi, reſponderunt, quòd determinatè exprimere non valebant, quamquam aſtruerent pro conſtanti, quod nec in Eccleſiaſticis, nec feudalibus, ſed in hæreditariis bonis ſuis idem Dux tradere diſponebat eoſdem, petens, ut Sedem Epiſcopalem in Scotorum locari Monaſterio mandaremus, & tertium capitulum, ſive medietatem *Auſtriæ* cum Eccleſiis, Decimis, & omni Jure ſpirituali conſtituendo Epiſcopatui aſſignari, ita, quòd Scoti ad aliud Monaſterium transferantur poſſeſſionibus ac redditibus ſuis in nullo penitùs diminutis: Præpoſituram nihilominus & præbendas de redditibus Eccleſiæ *Wiennenſis*, cùm Plebanus ipſius propter hoc ei cedere ſit paratus, & de quadam nobili curia, *Chrems* videlicet cum vineis, curiis villicalibus, prædiis, & univerſis ad eandem curiam pertinentibus, quæ in æſtimatione CCC. librarum Wiennenſis monetæ annualiter in redditibus computantur, conſtitui jùberemus. Quia verò præfati nuntii nec de aſſignatione proventuum, nec de tranſlatione Monachorum certum nobis potuerunt dare reſponſum, cùm & aſſignatio dotis pro novo Epiſcopatu creando præcedere debeat diviſionem diœceſis, & proviſio novi cœnobii pro veteri concedendo ad Epiſcopalem cathedram in ipſo locandam debeat anteire, quamvis de monaſterio in prima non fuerit poſtulatione tractatum, unde ad conſummationem negotii procedere non potuimus in inſtanti, nos tamen auditis his & aliis, quæ fuerunt utrinque propoſita coram nobis, diſcretioni veſtræ duximus injungendum, quatenus inquiratis ſolicitè veritatem, qualiter abſque gravi & enormi jactura veteris novus Epiſcopatus valeat ordinari, & utrum prædictos redditus idem Dux non quidem in Eccleſiaſticis, & feudalibus, ſed in hæreditariis bonis ſuis fuerit præaſſignare paratus, nec non in quo loco collegium Monachorum commode valeat collocari. Et ſi univerſa ritè concurrerint, Vos auctoritate noſtra ſuffulti pulſato cujuslibet contradictionis & appellationis obſtaculo ad conſummationem negotii procedatis. Alioquin univerſa nobis referre curetis, ut per veſtram relationem de ſingulis hujus negotii circumſtantiis certiores effecti procedamus in eo, ſicut fuit de cœlo proviſum. Datum *Anagniæ* II. Kalendas Junii, Pontificatûs noſtri anno XI.

* *Manegoldo.*

CXII.

Wolkerus ſeu Wolffkerus Aquileienſis Patriarcha & Patavienſis Epiſcopus Monaſterio S. Crucis Ord. Ciſt. jus Sacerdotem in Eccleſia Sulze inſtituendi, & plura prædia in Ringelinsdorff ſita concedit.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Quidquid præcedentium piè utiliterque patratum eſt, induſtria ſuccedentium debet & favore complecti, & ſcriptorum in ulterius deſtinari teſtimonio, ne vetuſtatis vel oblivionis injuriâ contingat aboleri, quod memoriâ perpetuâ 1209. *Ex authent. Archiv. S. Cruc. P. H.*

tuâ fuerat retinendum. Innoteſcat ergo memoriter cunctis chartam hanc legentibus, quòd Venerabilis *Aquilegienſis* Patriarcha, *Wolkerus* ſeu *Wolffkerus*, cùm *Patavienſi* Cathedre præſideret, Concambii jure communicato, unà cum piæ recordationis *Liupoldo* Duce *Auſtrie* & *Stirie* ſapientum conſilio in eo convenerunt, ut quidquid ipſum Ducem juris habere conſtaret in *Schavdorff* & *Viſchaumunde*, nec non in *Nuveſidele*, ad *Patavienſem* Epiſcopum & Eccleſiam de cetero pertineret, verſaque vice Eccleſiam villæ, que dicitur inferior *Sulze*, quam *Patavienſis* Eccleſia donatione *Sighardi* & *Henrici* Comitum de *Schala* cum omnibus pertinentiis & Jure Patronatûs canonicè poſſederat, poteſtati Ducis præfati, pari jure Epiſcopus contulit. Contigit autem, ut idem Dux eandem Eccleſiam cum ipſa villa, quam & ipſe à præmemoratis Comitibus hereditatis jure ſuſceperat, Monaſterio ac Fratribus in *Sancta Cruce* pro ſalute & remedio animæ ſuæ, Parentumque ſuorum, pro ſupplendis eorum Fratrum ſtipendiis libera donatione conferret. Et prædictus Epiſcopus ipſis Fratribus pro parte ſua condeſcendens, perenni Jure ipſis conceſſit, ut quemcunque Sacerdotem ipſi in eadem Eccleſia inſtituerent, ſtipendiis ab eis convenienter ſibi deſignatis, videlicet in ipſa villa *Sulze* manſo uno, qui eſt de dote Epiſcopi Eccleſiæ, & in *Erdpruſt* decem manſorum Decimis contentus permaneat, nec ulterius quidquam ſub cujuſquam Juris nomine exigat vel requirat. Cæterùm inſtitutus ab eis & per manum Epiſcopi inveſtitus, ſi injunctum ſibi miniſterium indebitè adminiſtraverit, eiſque rebellis eſſe voluerit, licebit ipſis eum coram Nobis vel Archidiacono permutare probatis ejus inſolentiis, aliumque in locum ejus lege præſcripta ſubrogare.

Præterea ſæpe dicti Fratres de *Sancta Cruce* Pomerium cum Molendino in Villa noſtra *Schvabdorff* habeant, quæ utraque domui noſtræ, quam ibidem habemus, adeo ſunt vicina, ut neutro illorum carere poſſimus: & idcirco pro eorum recompenſatione Fratribus ipſis prædia, duodecim ſolidos annuatim ſolventia, in *Ringelinsdorff* ſita, contulimus, videlicet manſum unum & dimidium: quæ tamen prædia Præpoſitus *Sancti Ypoliti* ad ſe pertinere dicebat: ſed rogatus à Nobis, omni Juri, quod in eis videbatur habere, in manus noſtras bona voluntate renuntiavit, & hoc in *Nuvenburch*, adſtantibus ſcilicet *Wezelone* Abbate de *Kotwico*, *Wernero* Abbate de *Sancta Cruce*, *Marquardo* Abbate de *Zwetel*, *Ulrico* chori noſtri Cellerario, & *Hartmanno* Chori noſtri Canonico. Ita ergo memoratos Fratres fecimus prædia illa liberè ac ſine contradictione poſſidere. Ut igitur cuncta, quæ prædicta ſunt, rata in perpetuum fixaque permaneant, præſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione roboramus: & ne quis ei temerè contraire præſumat, ſub anathematis vinculo denuntiamus.

Datum apud *Sanctum Ypolitum*, anno ab Incarnatione Domini M. CC. IX. X. Kalendas Maij.

CXIII.

Ziupoldus Dux Auſtrie & Stirie ratam habet donationem, Cartuſie Seitzenſi à Thymone de Elſnietz &c. factam.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis *Liupoldus* DEI gratia Dux *Auſtriæ* & *Styriæ* omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Ne res geſta diuturno temporum fluxu, hominum memoriæ ſubtrahatur, placuit per præſentium continentiam modernis & futuris tranſmittere, quòd Dominus *Thymo de Elſnitz* quoddam prædium, quod à nobis multis annis poſſederat, pro remedio animæ ſuæ parentumque ſuorum Eccleſiæ *Vallis Sancti Iohannis* Ordinis Carthuſienſis, in præſentia noſtra, partem in eleemoſyna, reliquum in pretio XII. Marcarum contulit. Ejusdemque neptis, nomine *Helspeth*, cum pueris ſuis pro parte ſua ab eadem Eccleſia ſexaginta marcas recepit, eidemque Eccleſiæ in perpetuum poſſidere conceſſit. Nepos etiam jam dicti *Thymonis*, nomine *Heinricus*, tunc Vicarius in *Saxenberch*, partem ejuſdem prædii, quæ ſe contingebat, præfatæ Eccleſiæ tribuit, & pro reliqua parte XIII. Marcas accepit. 1213. Ex Arch. Seitz.

Et notandum, quòd Dominæ *Helspeth* venditionis apud *Ratigoſpech* teſtes fuerunt Dominus *Marquardus* Plebanus ejusdem Eccleſiæ, *Heinricus* Sacerdos, *Hainaldus* Sacerdos, *Otto Sun*, & frater

ter eius *Archingerus*, *Hermanus de Ponichil*, *Cunradus de Sacco*, & frater eius *Heinricus Hiltegrimus Neve*, & *Poppo* miles, *Liutoldus* miles, *Gebehardus* officialis de *Ratigoiſpech*. Rudigerus officialis de *Marpurch*, *Siboto* miles de *Oplonitz*. *Curei* præco & frater eius *Sele*. Ex parte verò Domini *Heinrici* Sacerdotis, cognati eiuſdem, teſtes ſunt Sacerdotes, Dominus *Fridericus de Sala*, *Rivvinus*, *Pertholdus* plebanus de *Obernburch*, *Petrus* Diaconus, *Arnoldus*, Subdiaconus, *Ottocharus* & frater eius *Liupoldus de Gonurvvitz*, *Vſcalcus de Ravenberch*, & frater eius *Eberhardus de Leuberch*, & alii quàm plures.

Acta ſunt hæc apud *Marpurch* in præſentia noſtra & Miniſterialium noſtrorum, videlicet *Vlrici de Stubenberch*, & *Ottonis de Cremes*, & *Vlrici de Marpurch*, & *Heinrici de Vorenberch*, & *Otachari de Gonorvvitz* & *Liupoldi* fratris eius, & aliorum quàm plurimorum. Anno ab Incarnatione Divini Verbi MCCXIII. Data per manum *Heinrici* Notarii Plebani de *Retzze*.

CXIIII.

Diploma Exemptionis, quò Manegoldus *Epiſcopus Patavienſis, ad inſtantiam Dietrici Præpoſiti Clauſtroneoburgenſis Capellam in Reinprechtspöla ab Matrice Eccleſia in Gars ſeparat, ipſamque ſeorſim in Parochiam erigit.*

In nomine Sancte & Individue Trinitatis.

1213. *ex autograph. P. H.*

MAnegoldus DEI gratia *Patavienſis* Epiſcopus in perpetuum. Cùm in autenticis factis mortalium legitimè perpetuandis unicum ſit ſolatium Scripturæ beneficium contra oblivionis ſcrupulum, eapropter præſenti paginæ annotari fecimus, quod etiam memoriæ tam præſentium quàm futurorum committimus, quòd cùm capella in *Reinprechtespolan* olim exempta fuiſſet a matrice ſua Eccleſia in * Gorſe concambio duorum manſorum, qui in ipſa villa *Reinprechtespolan* ſiti ſunt, mediante: & cùm quædam nobilis matrona *Irmigardis*, quæ omnes proprietates ad ſe pertinentes in ipſa villa cum fundo dictæ capellæ contradidit Eccleſiæ in *Niunburch*, obtinuiſſet privilegium exemptionis ſuper hoc, poſtmodum ipſo privilegio per incuriam deperdito dilectus filius *Volchmarus* Plebanus in *Gorſe* nitebatur dictam libertatem præfatæ Capellæ evacuare. Venerabilis ergo frater *Dietericus* Præpoſitus *Niunburgenſis*, quamvis legitimis teſtibus probare potuiſſet, omnia ſecundùm præſcriptum tenorem de libertate dictæ Capellæ conſtare, præterea tamen dicto concambio ſuperaddidit quinque libras, & ita controverſia inter ipſum & præfatum *Volchmarum* plebanum habita conquievit.

* nunc Gars in Auſtria Tranſdanubiana.

Nos igitur ad petitionem dicti Præpoſiti, & ad conſenſum præfati Plebani exemptionem præfatæ Capellæ in *Reinprechtespölan* ratificamus, & præſenti privilegio confirmamus hôc modô, quòd univerſi homines pertinentes ad proprietates, quas ex donatione præfatæ matronæ *Irmigardis* poſſidet in ipſo loco Eccleſia Niunburgenſis, debent liberè in Eccleſia *Reinprechtespölan* procurari in baptiſmo, ſepultura, & in aliis Sacramentalibus ſecundùm plena iura parochialia per Plebanum, qui ad præſentationem *Niunburgenſis* Præpoſiti debet eâdem Eccleſiâ a *Patavienſi* Epiſcopo inveſtiri, Plebano de *Gorſe* nihil iuris in ipſa Eccleſia ſine decreto vendicante. Annectimus etiam, quòd ſi quis libertatem præfatæ Eccleſiæ, ſecundùm quod præſcriptum eſt, infringere attentaverit, iram Omnipotentis DEI incurrat, anathematis gladio, ni reſipuerit, feriendus.

Huius rei teſtes ſunt: *Chalhocus de Valchenſtein*, *Heinricus* Magiſter de *Witen*, *Patavienſes* Canonici. *Vlricus* Decanus de *S. Agatha*, *Chunradus* Scriba. *Chriſtianus* Notarius, *Anſhelmus* Plebanus de S. Margaretæ, Magiſter *Albertus* Plebanus de *Niunmarcht*, *Einvvicus* Plebanus de *Tiuffenbach*, *Heinricus* Plebanus *de Zoventendorf*, Capellani. *Liupoldus* Comes de *Logen*, *Heinricus* Præpoſitus de *Moſen*. *Eberhardus de Fuchtenbach*, *Albertus de Loſſenmutter*, *Chunradus* Plebanus de *Ruſpach*, *Vlricus*, Plebanus *de Valchenſtein*, *Hademarus de Weſen*, *Heinricus* & *Otto de Morſpach*, *Walchunus de Herdingen*, *Heinricus de Lokesnikke*. *Gorpoldus de Struben*, *Heinricus* & *Cholo de Wolfperzingen*, *Engelſcalcus de Iſſanſtorf* miniſteriales.

Data

Data apud *Zeizzenmur* in die Nativitatis S. Johannis Baptistæ, Anno Dominice Incarnationis MCCXIII. Indict. I. Anno Pontificatus nostri VIII. Regnante *Friderico* Romanorum Rege & semper Augusto, anno regni sui primo.

CXV.

Diploma Leopoldi Ducis Austriæ, quo speciali privilegio indulgetur Ecclesiæ Claustroneoburgensi Mutæ navium Danubii in ascensu & descensu usque ad Anasum.

Circa 1214. Ex autograph. P. H.

✠ NOtum sit omnibus tam præsentibus, quàm futuris, quòd ego *Liupoldus* Dux *Austriæ* & *Styriæ* in remedium animæ meæ parentumque meorum Muttam navium Danubii in ascensu & descensu usque *Anisum*, sicut & Pater & Frater meus, *Niumburgensi* Ecclesiæ indulsimus in perpetuum.

Huius rei testes sunt: *Liutoldus* Comes de *Hardeke*, *Vlricus de Bernecke*, *VVernhart de Sconberg*, *Marcvvart* & filius eius de *Himperg*, *Heinricus de Brunne*, *Dietmar Mordar*, *Hademar de Sumenberg*, *Albero de Kunring*. *Pilgrim*, *Vlrih*, *Reinger de Stauf*, *Vlrich Asmus*, *VVernhart Vlrich Strun*, *Hugo von de Meigen*, *Liutvvinus de Pirboum*, *Poppo de Spaungenberg*, *Hugo Dietric Struhssen*. *Pilgrim de Svvarcenovve*. *Otto de Missovve*.

CXVI.

Gregorius IX. confirmat donationem Ecclesiæ Chostingensis, factam Monasterio Rotensi ad Oenum.

1224. *Ex Archiv. Rotens.*

GRegorius Episcopus Servus Servorum DEI dilectis filiis . . Abbati & Conventui Monasterii de *Rota* Ordinis S. Benedicti *Frisingensis* Diœcesis salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur, quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilecti in Domino filii vestris iustis precibus inclinati Ecclesiæ *Sanctæ Mariæ* de *Chostingen* cum pertinentiis suis, quam venerabilis frater noster . . *Ratisponensis* Episcopus Diœcesanus ipsius Capituli sui accedente consensu Monasterio vestro pia & provida liberalitate concessit, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri, sicut eam iustè ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Anagniæ VIII. Kal. Nov. Pontificatus nostri anno septimo.

CXVII.

Bulla Innocentii P P. III. *quâ Tietrico Præposito Claustroneoburgensi factam ab Episcopo Patavienſi collationem Parochiæ in Stokerau confirmat.*

INnocentius Episcopus Servus Servorum DEI, Dilecto filio T. Præposito de *Novoburgo* salutem & Apostolicam benedictionem. 1215. *Ex autograph. P. H.*

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter dilecte in Domino fili tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu, Parrochiam in *Stokkerovve* tibi a Venerabili fratre nostro *Patavienſi* Episcopo cum consensu Capituli sui in subsidium hospitalitatis Ecclesiæ tuæ pia liberalitate collatam, sicut eam de facto possides & quietè, auctoritate tibi Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem Omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum *Laterani* V. Idus Martii Pontificatus nostri anno octavo decimo.

CXVIII.

Charta complacitationis, inter Matthæum Abbatem Beatæ Mariæ Virginis Scotorum & Vlricum Militem de Marbach ac Sophiam matrem eius de quadam area factæ.

NOtum sit omnibus Xpi fidelibus, quòd ego M. Sanctæ Marie 1216. *Ex authentico*

Digitized by Google

Archiv. Scotenf. Vien. P. H.

in *Wienna* Abbas totusque eiusdem loci Conventus ex una parte, & *Vlricus* miles de *Marbach*, & *Sophia* mater eius ex altera, super area, quæ est infra septa Ecclesie posita, convenimus in hunc modum. Præfatus V. miles & S. mater eius quondam susceperunt ab Ecclesia aream illam sub censu VI. solidorum longorum annuatim in nativitate Sanctæ Mariæ persolvendorum. Præterea in idem pactum positum est, ut prædicti V. & S. murum erigerent inter aream & curiam Monachorum, in quo nulla fenestra, vel aliqua rimula esset, per quæ quispiam possit intueri aliquid in curiam, præter parvam fenestram in eorum cellario. Sed ipsi nec censum persolverunt in uno anno, nec murum erexerunt. Deindè XI. annis revolutis per Judices delegatos a Sede Romana illos iuri stare constrinximus. Tandem ad hoc inter partes perventum est, quòd sæpe dicti V. & S. contulerunt Ecclesiæ duas areas, quæ sunt in *Riegerstorf*, quæ VI. solidos longos annuatim in perpetuum Ecclesie persolvent. Similiter contulerunt Ecclesiæ unam aeram in villa, quæ dicitur *Gundorff*, cujus villicus est *Salmannus*, qui solvit XL. den. annuatim in perpetuum: cuius areæ custos est *Leupoldus* rusticus, & posteri eius post eum. Insuper contulerunt Ecclesie terram arabilem iuxta *Zatsmannesprunnen*, quæ XX. denarios singulis annis in perpetuum persolvit. Istum verò agrum *Guido* miles tenebat à præfato V. milite de *Marbach* Item idem *Guido* & posteri eius ab Ecclesia tenent agrum illum & non a milite. Omnia ista persolvuntur in Festo Sancti Michaëlis. Post obitum verò utriusque, videlicet V. & S. præfata area, quæ est infra septa Ecclesiæ, cum omnibus tunc temporis ibi contentis sine alicuius in Mundo impeditione sive contradictione ad Ecclesiam libere & absolutè devolvetur, preter res illas, quas custos curiæ possidebit.

Huius rei testes sunt *Liupoldus Dux Austriæ & Styriæ*, *Mauricius* Prior, *Mathias* & *Martialis* Monachi, *Leupoldus* Pincerna Ducis, *Dietricus* Judex, *Dietricus* filius *Pitrolfi*, *Cristanus de Kotzvein* & Magistri Symon, Lucas & Bartholomeus, totusque noster Conventus, & alii quàm plures. Ut autem istud ratum & inviolabile in omne ævum permaneat, de consensu partium hanc cartam sigillo præfati Ducis *Austriæ* & *Stiriæ* fecimus roborari.

Actum anno Incarnati Verbi Millesimo, Ducentesimo, Sextodecimo, Octavo decimo Kalendas Julii.

CXIX.

Andreas Hungariæ Rex Monasterio S. Crucis dono dat terram Leginthov. &c.

In nomine Sanctæ Trinitatis & Individuæ Unitatis.

ANdreas DEI gratia Hungariæ, Dalmat. Chrat. Rame, Serv. Bal. Lodomque Rex in perpetuum. Munificentiæ Regalis immensitas licèt etiam ad extraneos usquequaque dilatari debeat, ad illos tamen copiosiùs manum pietatis debet porrigere, qui & temporalium bonorum impe - - - sibi fideliter obsecuntur, & in offerendis orationum lacrimis pro pace Regis & Regni Deo iugiter ac devotè famulantur. Nos itaque, prout Regiæ circumspectionis eruditio nos ammonet, Ecclesiarum Christo militantium curis diligenter intendentes, divine pietatis intuitu, terram quandam, nomine *Leginthov*, quam *Bilseni* priùs incolebant, Abbatiæ *Sanctæ Crucis de Austria* contulimus in perpetuum possidendam, in cuius terræ possessionem expulsis Clericis, super eam indebitè commorantibus, per nostrum Pristaldum fidelem, dilectum *Pottonem* Comitem Abbatem & Monachos eiusdem Ecclesiæ legitimè fecimus introduci. Cuius terræ metæ sic incipiunt. 1217. *Ex autograph. P. H.*

Prima meta incipit a metis villæ *Balus*, iuxta *Fertev* lacum sitæ, & protenditur contra Orientem iuxta possessionem, *Pethlen* vocatam, & transit ultra terram *Bilsenonum* usque ad colliculum, *Gesheleuhalm* vocatum. Ab illa meta incipit secunda meta in ipsa planitie contra Septemtrionem in colle. Per huius verò devexum processus parumper pertransit distinctas metas terreas, *Hotar* vocatas, ultra monticulum, in planitie verò amplæ pascuæ extremitatem lignorum *Thaëthas* nominatam, per modicam valem iuxta finem ipsius silvæ, quæ etiam *longa vallis* nuncupatur, & recto tramite dirigitur secundùm distinctas metas usque ad regiam viam, per quam ad *Hegeshalm* pervenitur: & sic tertia meta per transvexum

Digitized by Google

vexum latæ viæ contra Occidentem protenditur, & poſtremò in metis villæ prædictæ *Galus* concluditur.

Prædictam verò terram cum univerſis paſcuis, terris arabilibus, cultis & incultis, ſic ob remedium noſtrorum peccaminum præfato Monaſterio *Sanctæ Crucis* Abbati & Conventui donavimus, ut ſibi in ipſa terra manſionem monaſticam ad nutrienda animalia, proùt ipſorum facultas hoc elaborare ad omne ipſorum beneplacitum valebit, ſive villam in ea ad votum conſtruendum, aut vineta pro ſeipſis, vel ipſorum hominibus plantando & omnem utilitatem ipſorum exercendo, plenariam habeant poteſtatem.

Volumus etiam eos eſſe liberos in portubus, pontibus, amnis, ſtagnis, lacubus & in omnibus locis regni noſtri, ſive importando ſua, ſeu exportando noſtra donaria, vel ſi qua ad uſum ipſorum fratrum in regno noſtro comparaverint, ab omnibus tributariis, monetariis, ab omnibus exactionibus illæſos permanere. Prædictos etiam fratres & omnes ipſorum . . . . cum omnibus ipſorum proventibus, ſic extra cameram noſtram ab omni gravamine & exactione atque infeſtatione ipſius lucri cameræ ita liberrimum & exemptum eſſe volumus, ſicut nobis a DEO in noviſſimo die retribui cupimus.

Iſtud etiam non eſt prætermittendum ſilentio, quòd propter animæ noſtræ remedium, donationem de tribus millibus Zvvanorum, quod noſtrorum anteceſſorum Patris atque Fratris Regum inclitæ memorie diligens pietas dicto Monaſterio contulerat, iteratò auctoritatis noſtræ privilegio confirmamus, ita videlicet, ut extra rationem & fiſci noſtri computum a Salinariis præter quorumlibet exactionem tributorum, auxilio *Supprun*. Comitis annuatim in *Suprun*, ad feſtum S. Regis iure perpetuo liberè perſolvantur. Has etiam gratias & libertates Monaſterio *S. Crucis* & perſonis in ibi DEO iugiter famulantibus a Prædeceſſoribus noſtris factas invenimus, & vigore præſentium iteratò ipſis confirmamus, videlicet, quod prædicta Curia ipſorum *Leginthov* ſive *novum prædium* cum villa adiacente, ſimiliter *novum prædium* vocata, & curia Regis, & ſimiliter villa, dicta *Salun* ſive *Winden*, & alia villa, *Poteſdorf* vocata iuxta lacum *Ferthen* ſita, ab omni donatione, collecta, ſteura, contributione, ſolutione, exactione, ſeu dicatione qualibet noſtro Regio nomine exigenda, velut civitatum ſeu quorumlibet Exactorum aut exigere volentium liberæ ſint penitùs & exemptæ, & abſolutæ habeantur, nec lucrum Cameræ noſtræ ſive Exactoribus Cameræ noſtræ ſolvere tenebuntur.

Verùm quia quod DEO datum eſt, Sanctum eſt, id eſt, irrevocabile, ut hoc a nobis ſupradictis terris nec non a noſtris Anteceſſoribus ſalvis facta donatio noſtris noſtrorumque ſucceſſorum temporibus ſalva ſemper & inconcuſſa permaneat, præſentem conceſſimus paginam uniformis ſigilli noſtri munimine in perpetuum roboratam.

Datum per manus *Hugrini* Magiſtri, Regiæ aulæ Cancellarii, Anno Dominice Incarnationis Milleſimo ducenteſimo ſeptimo decimo. Venerabili *Johanne Strigonienſi*, Reverendo *Bertholdo Colocenſi* Archiepiſcopis exiſtentibus, *Kalano Quinqueecclenſi*, *Wilhelmo Vltraſilvanenſi*, *Deſiderio Chenadienſi*, *Petro Geurgienſi*, *Roberto Veſprimienſi*, *Thoma* electo *Agrienſi*, *Stephano Zagrabienſi*, *Jacobo Vatienſi*, *Simone Waradienſi* Epiſcopis, feliciter Eccleſias gubernantibus, *Jula* Palatino, *Bancone* Bano, *Dionyſio* Tavarnicorum Magiſtro, *Ochuz* Curiali Comite, *Rophaym* Voiavoda, ceterisque Comitibus, Comitatus tenentibus, Regni noſtri anno tertio.

CXX.

Eberhardus *Archiepiſcopus Salisburgenſis Monaſterio S. Crucis in Auſtria Ord. Ciſt. tria talenta nudi ſalis in Mülbach donat.*

1219. *Exauthent. Crucenſ. P. II.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Eberhardus* DEI gratia *Salzburgenſis* Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus ſalutem in perpetuum.

Cùm ſecundùm Scripturæ Auctoritatem ſicut ignis aquam, Eleemoſyna extinguat peccata, peccata noſtra redimere Eleemoſynis atque extinguere cupientes, Conventui *S. Crucis* in Auſtria tria talenta nudi ſalis in *Mülbach* cum conſenſu Capituli Noſtri Pontificali poteſtate ac perpetuo jure donavimus, ſtatuentes & præcipientes, ut prædicta ſumma à Salinariis noſtris memorati Conven-

tus

tus nuntiis annuatim sine contradictione solvatur, quocunque anni tempore opportuniùs eam tollere ac deferre potuerint. Quæ donatio nostra, ut & apud Successores nostros rata inconvulsaque permaneat, præsentem paginam sigillo nostro fecimus communiri.

Datum anno Domini M. CC. XIX.

CXXI.

Liupoldi Ducis Austriæ & Stiriæ Diploma, quo donatio duarum vinearum una cum terra arabili, quas Dominus Chunradus Comes de Hardecke contulit Ecclesiæ Scotorum Sanctæ Mariæ in Wienna, confirmatur.

1220. *Ex Autogr. P. H.*

LIupoldus DEI gratia Dux *Austriæ* & *Stiriæ*, omnibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem in perpetuum. Sciant omnes tam præsentes quàm futuri, quòd Dominus *Chunradus* Comes de *Hardecke* contulit Ecclesiæ *Scotorum Sanctæ Mariæ in Vienna* duas vineas apud *Pulkam* in loco, qui vocatur *Haselpertze* post obitum suum, & terram arabilem, cujus fructu colunur vineæ illæ, & ager ille sedet juxta *Pulkam* in locis, qui vocantur in *Rute*. Quatuor agri in uno loco: ad eundem campum tria jugera pertinent: & sunt ex una parte ripæ in campo retro Ecclesiam duo jugera, versùs villam *Schratental* octo jugera. Vineæ istæ sunt, quas plantavit primò *Riperus* senex judex. In hujus donationis memoria duas urnas vini de illis contulit vineis prædictus Comes Ecclesiæ *Scotorum in Vienna* singulis annis, quàm diu vivet. Ipso verò decedente illas vineas cum agro præfato sine alicujus in Mundo, nec uxoris nec Sobolis contradictione, præfata possidebit Ecclesia. Pecora verò & pecudes, quæ sunt in curia Ecclesiæ apud *Pulkam* in agro Comitis & suorum Successorum in perpetuum, pascua accipient, sicut apud Antecessores suos accipere consueverunt. Ut autem donationem illam nullus in Mundo ausu temerario infringere præsumat, sigillis nostris, & præfati Comitis in omne ævum fecimus roborari.

Hujus rei testes sunt: Dominus *Ulricus*, Archidiaconus, & Dominus *Ulricus* Plebanus de *Dræschirchen*, Dominus *Rudolfus de Potendorf*, Dominus *Marchwardus de Himperch* & filii sui *Irnfridus* & *Ulricus*, Dominus *Heinricus de Prunne*, Dominus *Helmwicus de Griezze*, *Rudgerus Stanturaz*, Dominus *Vvido*, *Heinricus* Judex, *Rudgerus* Incisor, *Chunradus Sueuus*, Dominus *Reinoldus*, *Chunradus Vvirt*, & *Dietricus* frater ejus. Et de familia præfati Comitis, *Petrus* Plebanus & *Hermannus* Capellanus ejus, *Heinricus* Diaconus. Isti sunt milites: *Rudgerus Cengir*, & filius ejus *Ortolfus* & *Chunradus* filius ejus, *Hugo de Reits*, *Reichberus* Judex & filius ejus *Pertoldus*, *Chunradus*, *Rocharius*, & *Rudgerus* filius ejus.

Actum publicè in Ecclesia Sancti Stephani *Viennæ*. Anno M. CC. XX. III. Kalendas Aprilis.

Hec sunt nomina illorum, qui equitaverunt cum Abbate *Mateo* & cum Plebano *Petro*, *Cunrado* Comite de *Pleien* in agris, quorum fructus pertinent ad culturam vinearum, quas prædictus Comes contulit Ecclesie *Sanctæ Mariæ ad Scotos in Vienna* post obitum suum, scilicet *Felix* Præpositus, *Dermicius* Magister vinearum claustri, *Martialis* Magister Curiæ, *Chunradus* Notarius, *Rubertus* filius ejus, *Rudegerus Dupibe*, *Dipolt*, *Rudgerus Ripero*, *Chunradus Vvirt*, & alii quàm plures.

CXXII.

Sifridus Episcopus Augustanus Parochiam Deggingensem cum consensu Capituli sui, unit eiusdem nominis Monasterio.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus S. amen. *Sifridus* DEI gratiâ *Augustensis* Ecclesiæ Episcopus. Dignum censetur pariter & meritorium, ut pia piè petentium vota dignis adjuventur effectibus. Sic officiosa voluntas debitum suæ intentionis sortita fructum eò magis ad virtutum studia provocetur, quò se videt proficere benè movendo. Hinc est, quòd ad instantem & devotam petitionem vestram, Venerabilis in Domino frater *Marquarde* Abbas, nec non & Dilecte nobis Conventus Monasterii de *Dechingen Augustensis* Diœceseos, videntes labores & varia pericula alia, præsertim gratiam hospitalitatis communem omnibus petentibus eam, quibus plus æquo afflictus locus vester ad maximam devenit jam egestatem: & moti interna compassione animi super malis his omnibus

1220. *Ex Autogr. Archiv. Deggingen.*

Digitized by Google

bus in eorum levamen, & ad reformandum statum dicti Monasterii vestri, & ut ibidem DEO studiosiùs deserviatur, de communi consensu & consilio Dominorum nostrorum Capituli Majoris *Augustensis*, Parochialem Ecclesiam, de *Deckingen*, in qua Monasterium obtinet jus Patronatûs, salvo jure Diœcesani & Archidiaconi loci, divino intuitu Episcopali auctoritate liberaliter concedimus & damus Monasterio vestro, convertendam in perpetuos & communes usus Fratrum ibidem Domino servituroruin, ita quòd Abbas Monasterii habebit curam animarum illius Ecclesiæ, ordinaturus eam in divinis, sicut ipse pro ea rationem in districto examine est redditurus: Conventibus quoque Decani & Confratrum personaliter vel aliquis vice sua intererit observaturus, quæ ibidem fuerint statuenda. Ut autem donatio ista in sua permanere debeat firmitate, præsentem paginam indulsimus Monasterio sæpedicto, nostro & Chori sigillis communitam. Testes hujus rei sunt *Rabbanus* Major Præpositus, *Sifridus* Decanus, *Henricus de Zepplingen* Scholasticus, *Hermannus* Camerarius, *Ulricus* ViceDominus: *Marquardus Gula*, Canonici Majoris Ecclesiæ *Augustensis*, Magister *Wernherus* Rufus & alii multi.

Facta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo CCXXI. III. Nonas Decembris.

CXXIII.

Honorius III. confirmat unionem Parochiæ Deggingensis cum ejusdem nominis Monasterio.

indict. HOnorius Episcopus Servus Servorum DEI, Dilectis Filiis Abbati & Conventui de *Tetgingen* salutem & Apostolicam Benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cùm igitur Venerabilis Frater noster *Sifridus* Episcopus *Augustensis*, Diœcesanus Vester, sicut ex litteris Ejus accepimus, Monasterii Vestri necessitate inspecta de *Tetgingen* Eccle-siam de consensu Capituli sui pro vestris necessitatibus relevandis pia vobis liberalitate donarit, Nos ipsius & vestris precibus inclinati dictam Ecclesiam, sicut eam justè Canonicè ac pacificè obtinetis, vobis & Ministerio vestro per vos Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum *Laterani* VIII. Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno septimo.

CXXIIII.

Gebhardus Episcopus Patavienſis componit litem super decimis in Pulka inter Abbatem Scotorum VViennæ ac Præpositum S. Hippolyti, & inter Comites de Plaien.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen.

GEbhardus DEI gratia *Patavienſis* Episcopus in perpetuum. Ex cura pontificalis officii, quam Domino disponente suscepimus, nostra interesse dinoscitur, ut circa tranquillitatem quarumlibet Ecclesiarum nostræ diœcesis paterna sollicitudine vigilantes, ad amplificandum pariter ipsarum profectum providè, quantùm in nobis fuerit, intendamus. Quocirca innotescere cupimus præsentibus & futuris, quomodo cum inter *Chunradum* Patruum nostrum, & *Leotoldum* fratruelem nostrum Comites de *Plaien* ex una parte: & Abbatem Scotorum in *Wienna*, & Præpositum de Sancto Ipolito ex altera, super decimis in *Pulka* controversia vetteretur, & Abbas & Præpositus iam dicti in tantum adversùs iam dictos Comites in querela processerunt, ut etiam Judices a Sede Romana obtinuerint contra eos: nos terminandam huiusmodi controversiam assumentes sic inter ipsos tractavimus, quòd idem Abbas & Præpositus renunciantes litteris Apostolicis impetratis, in nostrum & Venerabilis Fratris Abbatis de *Sancta Cruce*, & Decani de S. Ipolito arbitrium compromiserunt, una cum ipsis Comitibus bona fide & penitus sine fraude. 1222. *Ex archigraph. P. H.*

Nos itaque cùm hæ decimæ in *Pulka* in tres partes æqualiter dividi debeant, quarum unam Comites, reliquas verò duas Abbas & Præpositus recipiunt, cum

Digitized by Google

præfatis coarbitris noſtris ſumus taliter arbitrati: videlicet, ut omnes decimæ, quæ ſolventur de cultura vinearum, quas ipſi Comites nunc habent, aut in perpetuum habebunt, in dolium communitatis, quæ *Tailpotge* dicuntur, immittantur: inſuper ipſi Comites cum officialibus & miniſterialibus atque civibus & univerſis hominibus ſuis diſponent fideliter, ut debito modo ſolvant decimas, quæ & ſolutæ in idem mittentur dolium, de quo tunc dolio cuilibet debita & æqua portio fideliter aſſignetur.

Inſuper de decimis villæ *Leutacher* ſic ordinamus, ut ſi quando de *Ottone de Heidenrichheſteine* & eius heredibus vacaverint, deinceps nulli aliquatenus infeudentur, ſed in commune mittantur, ut quilibet de illis ſimiliter æquam & debitam recipiat portionem. Nos quoque in omnes decimarum huiuſmodi detentores ſententiam excommunicationis iam tulimus, ſtatuentes, ut, ſi quis has decimas non plenè ſolverit, ſi commonitus infra menſem non ſatisfecerit, per Plebanum in *Pulka*, qui pro tempore fuerit, denuntiabitur excommunicatus, & ſi Plebanus illum per menſem denunciare diſtulerit, ipſe ab officio ſit ſuſpenſus. Ut igitur hæc, ùt præmiſſa ſunt, perpetuò permaneant inconvulſa, præſentem paginam conſcribi & conſcriptam noſtri impreſſione ſigilli fecimus conſignari.

Huius rei teſtes ſunt: *Sibotò Patavienſis* Canonicus, *Vlricus* Plebanus de *Pulka*, *Heinricus* de *Chiovve*, *Pilgrimus de Tannenberch*, *Tiemo de Rezbach*, *Albero* Rufus, *Otto de Steine*, *Heinricus de Werde*, *Wernhardus Zvvek*, *Vlricus de Milensbach*, & frater eius *Wolframmus*, & alii quàm plures.

Actum apud *Pulka* XVI. Kal. Febr. Anno Domini M. CC. XXII. Indict. undecima, Pontificatus noſtri Anno primo.

CXXV.

Chunradus Epiſcopus Ratisbonenſis Monaſterio Rotenſi ad Oenum donat Eccleſiam Kœſdingen ſub certa conditione.

1224. *Ex archiv. Rotenſ.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis amen, *Chunradus* DEI gratia *Ratisbonenſis* Eccleſiæ Epiſcopus omnibus in perpetuum. Licèt ex officio ad nobis commiſſis reſtringamur Eccleſias Apoſtolus tamen Paulus docens, ut alter onera portet alterius, viſcera compaſſionis & opera pietatis largiùs extendere nos hortatur. Eccleſiæ igitur *Rotenſi Friſingenſis* Diœceſis, florenti quondam religione, atque in neceſſariis competenter abundanti, nunc autem ex turbatione temporum & hominum malitia ferè uſque ad everſionem attenuatæ, unde quoque religionem lenteſcere oportet, extra Diœceſin noſtram poſitæ tanquam extraneæ, larga, ùt diximus, ſecundùm Apoſtolum, pietate a Progenitoribus noſtris fundatæ, nosque iure Advocatiæ reſpicienti, tanquam ex officio ſtrictiori ſpecialitate compatientes ſibi duximus eſſe modo aliquo ſuccurrendum.

Notum ſit ergo ætati præſenti ac poſteritati futuræ, quòd nos propter DEUM & in animæ noſtræ remedium, & ut Eccleſia *Rotenſis* omnesque Abbates per ſucceſſionem ei præſidentes Eccleſiæ *Ratiſpon.* noſtrisque ſucceſſoribus tantò ſint gratiores, quantò gratiori gaudent beneficio, Eccleſiam *Koeſdingen*, cuius Patronatus ſive ius præſentandi Sacerdotem ad ipſam Eccleſiæ *Rotenſi* attinet, a noſtris progenitoribus ei collatum, eidem Eccleſiæ *Rotenſi* cum aſſenſu Confratrum Eccleſiæ noſtræ donavimus perpetualiter & cum omnibus attinentiis, ſic diſtinguentes, quòd Abbas *Rotenſis*, quicunque ille fuerit, Sacerdotem idoneum præſentet *Ratiſponenſi* Epiſcopo, qui animarum curâ perpetualiter recepta Eccleſiæ *Rotenſi* ſolvet inde annuatim penſionem ſecundùm loci & temporis qualitatem.

Ut autem Abbas *Rotenſis* tantò providentiùs ſibi caveat, ne quidquam attinentium Eccleſiæ *Koetſdingen* concedendo vel obligando ab uſibus Eccleſiæ *Rotenſis* alienare præſumat, ſtatuimus, ut ſtatim, poſtquam ipſum id feciſſe verè conſtiterit, ius huius noſtræ donationis exſpiret, & Eccleſia *Koetſdingen* cum omnibus attinentiis cedat liberè ad uſus Sacerdotis ùt de iure legitimi Paſtoris, in nullo deinde, niſi ùt priùs, in iurè præſentandi *Rotenſem* Eccleſiam reſpectura.

In robur autem huius noſtræ donationis, ne quis eam in poſterum infirmare aut retractare poſſit vel debeat, præſentem inde paginam conſcribi fecimus, eam-

Digitized by Google

eamque ſigillis noſtro & Chori noſtri & ſubnotatione nominum eorum, qui interfuerunt, more ſolito communiri. Teſtes hi ſunt: *Goetfridus* Præpoſitus, *Robertus* Decanus, *Eberhardus de Abenſperch* Archidiaconus, *Vlricus de Werde* Archidiaconus, *Hermannus* Scholaſticus, *Vlricus de Salah* Cuſtos & Vicedominus, *Chunradus de Suzenbach* Cellerarius, *Albero* Obelarius, *Dietricus de Schœnvelt*, Magiſter *Hugo*, *Vlricus de Tallmeringen*, *Eberhardus de Ruſſlingen*, *Gelphardus*, *Chunradus de Taufkirchen*, *Chunradus de Kürchpichel*, *Chunradus de Veltkirchen*, *Vlricus de Donbech*, *Henricus Seinan*, *Bertholdus de Oberdorf*, *Henricus de Lerchenvelt* Canonici Eccleſiæ Maioris *Eberhardus* Scholaſticus, *Fredericus de Lenuingen* Canonici Veteris Capellæ: Laici: *Heidenricus de Schambach*, *Heinricus de Wihſe*, *Albertus de Walintingen*, *Sifridus* de *Gravenvviſen*, *Heinricus Gviklinger*, *Albertus Rod. Richerus Piecke*, *Fredericus & Heinricus* fratres de *Scalhdorf*, & alii quàm plures.

Acta ſunt hæc anno Incarnationis Domini MCCXXIV. Indict. XII. Datum *Ratiſponæ* eodem incarnationis anno, XIII. Kal. Januarii.

CXXVI.

Henricus Dux Auſtriæ, Medlicenſis, villam Koglbrunn Eccleſiæ Clauſtroneoburgenſi, receptio vicißim abea ducentis talentis Vienn. monetæ delegat.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

Circa 1224. Ex autograph. P. H.

CUm labilis ſit memoria hominum, neceſſe eſt, ut ea, quæ fiunt in ulteriora tempora profutura, ſcripto diligentius committantur. Noverint ergo tam præſentes, quàm futuri, quod Dux *Heinricus de Medlico* Spiritu DEI inſtigatus delegavit liberè larga & benevola manu ſuper aram Sanctæ Mariæ in *Niumburch* quandam villam *Chogilubrun* cum omnibus adtinentiis ſuis, pro remedio animæ ſuæ & totius cognationis ſuæ, ut eadem villa omnibus in præſentiarum ſervientibus DEO ibidem & impoſterum ſerviturus neceſſaria debeat miniſtrare. Et in eodem loco recepit eandem villam à Præpoſito *Chunrado* & Conventu, ut ſibi ad terminum vitæ ſuæ deſerviat, & poſt obitum ſuum ad Eccleſiam libertimè revertatur. Pro hac donatione data ſunt ſibi ab Eccleſia CC. talenta Wienn. monetæ.

Hæc delegatio facta eſt aſtantibus & videntibus Præpoſito & omni Capitulo *Niumburgenſi*, & Laicis ſubſcriptis: *Chunrado de Schonovve*, *Alramo de Weitovve*, *Diterico* & *Gerungo de Sibenhirte*, *Rudlone* Sagittario, *Rapotone* & *Pertoldo*. *Cunrado*, *Luipoldo*, *Alberone de Nivendorf*, *Cunrado de Anaſo*, *Ortolfo* & *Heinrico de Rukersdorf* *Ottone* Magiſtro Cellarii, *Duringo*, *Vincone* Venatoribus, *Wiſentone* de Sancto loco, *Alberone de Nuzdorf*, *Cunrado Wagner*, *Vlrico de Druchveld*, *Ulrico* nigro, & multis civibus in *Niumburch*.

Ad inſtantiam autem prædicti Ducis *Heinrici* acceſſit huic donationi fuæ conſenſus F. * Illuſtris Ducis *Auſtriæ* & *Styriæ*, qui conſenſum ſuum verbis expreſſit præſentibus & audientibus his ſuis miniſterialibus & hominibus, videlicet: *Ottone Turſn*, *Cunrado de Schonovve*, *Ottone de Perchtolſtorf*, *Irmfrido*, *Cunrado & Vlrico de Himperch*, *Heinrico de Prun*, *Gerhardo de Crumbach*, *Hermanno de Cranihperch*, *Pertoldo de Lachſmdorf*, *Diterico de Prun*, *Meinhardo Judice* de *Nivvendorf*, *Cunrado Lonholz de Medlico*, *Cunrado de Prun*, *Chunrado*, *Rudgero*, *Chalocho de Gundramſtorff*, *Heinrico Mutiln*, *Chunrado* & *Meinhardo* fratribus *de Nivvendorf*, *Rapotone* & *Pertoldo* Sagittario de *Prun*, *Alberone* Plebano de *Margravinmuſidil*.

* Friderici.

Conſiderans autem ſupra memoratus Dux *Medlicenſis*, quanta ſit malitia hominum, ad maiorem confirmationem & cautelam confirmavit hanc paginam ſuo ſigillo, & obtinuit, ut *F.* nobilis Dux *Auſtriæ* & *Styriæ* ſuum ſigillum adpenderet, quod ipſe admiſit præſentibus & audientibus hìc ſubſcriptis videlicet. *Nota: hic appenſa ſunt ſigilla Friderici Ducis Auſtriæ, & Henrici Ducis Medlicenſis.*

CXXVII.

Conradus Episcopus Portuensis confirmat compositionem litis inter ipsum & Abbatem Monasterii S. Crucis per Leupoldum Austriæ Ducem super quibusdam possessionibus & decimis factam.

1215. *Ex autograph. P. H.*

C. miseratione divina *Portuensis* & *Sanctæ Rufinæ* Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, dilectis in Christo Abbati, & Conventui *Sanctæ Crucis*, *Pataviensis* Diœcesis, salutem in salutis auctore. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu consequenti complere. ea igitur vestris iustis precibus inclinati, compositionem litis, quæ inter nos ex una parte & - - Abbatem & Conventum ex altera super possessionibus quibusdam & decimis diu fuerat agitata, factam per nobilem virum *Leupoldum* Ducem *Austriæ* de communi consensu partium, prout in publico instrumento ipsius Ducis plenius continetur, sicut iustè & rationabiliter est facta, auctoritate legationis, qua fungimur, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum Apostolorum ipsius se noverit incursurum.

Data apud *Sanctam Crucem* anno M. CC. XXV. Kalendis Aprilis.

CXXVIII.

Litteræ Fundationis super perpetuo lumine, quod Theodora *Austriæ Ducissa ad sepulchrum filii sui, in Capitulo Claustroneoburgensi quiescentis, instituit, redimendo prædium in Neusidel viginti talentis obligatum.*

1226. *Ex autograph. P. H.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, in perpetuum, Amen.

QUæcunque fuerint digna memoriâ, ne a sera posteritate in oblivionem decidant, per scripta debent memoriæ commendari. Noverint ergo tam præsentes, quàm futuri, quòd Domina nostra *Theodora* Ducissa Austriæ & Styriæ quoddam prædium in *Niusidel*, quod ab Ecclesia *Niumburgense* fuerat obligatum, viginti talentis redemit, & illud cum consensu totius Capituli custodiæ eiusdem Ecclesiæ delegavit, ut inde Custos lumen indeficiens die & nocte ministret ad sepulchrum filii eius, in Capitulo quiescentis. Si autem custos vel pro negligentia sua vel quocunque alio casu superveniente lumen illud non administraverit, statutum est, ut Domina Ducissa prædium, quod ipsa redemit, sibi debeat usurpare.

Huius rei testes sunt: *Marquardus* Decanus, *Heinricus*, Hospitalensis, *Liutwinus* Custos, *Engilbertus* liber, *Eberhardus de Radun*, *Heimo*, *Hermannus de Raetenbuch*, *Chunradus Trugmannus*, *Heinricus de Radun*, *Chunradus de Gadin*, *Heinricus* Camerarius, *Heinricus de Gosse*, Magister *Chunradus de Patavia*, *Vlricus Stuchsso*, *Rubertus*, *Diepoldus*, *Heinricus de Ebergöhzingen*, *Chunradus de Lielinvelde*, *Arnoldus*, *Liupoldus*, *Vlricus* filius Fratris *Hugonis*, *Wernherus de Sancta Cruce*, *Hermannus*, *Liutwinus Helmericus* & totus Conventus, *Sifridus* Plebanus de *Heimburch*, *Chunradus*, *VVernherus*, *Perngerus*, *Fridericus*, *Chunradus de Zimmerla*, & alii plures.

Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini M. CC. XXVI. Indictione quarta decima.

CXXIX.

Altahensium Monachorum Epistola funebris encyclica, qua omnium precibus Monasteriorum commendant animam Popponis Abbatis nuper mortui.

Circa 1226. *Ex Cod. Altahe Super.*

VNiversis Prælatis & Conventibus Ordinis Sancti Benedicti præsentia inspecturis Conventus in *Altah Inferiori*, cum orationibus sinceram in Domino charitatem. Extincta est nunc proh dolor VI. Kal. Febr. lucerna fulgoris in Israël, Zelator Ordinis & Sanctæ Religionis auriga prudentissimus, Patrum honor, Fratrum amator, Karissimus videlicet Prælatus noster Dominus *Poppo* Abbas, qui etsi aliquando virgam correctionis adhibuit, non tamen hoc fecit lædentis studio, sed medentis. Quare cùm ille omnium

um bonorum fuerit æmulator egregius, ſatagens in ſtatum ſalutis æternæ perducere omnes ejuſdem Ordinis noſtri profeſſores, Fraternitatem veſtram rogamus in Domino humiliter & devotè, quatinus animam tanti Patris commendare curetis veſtris precibus Altiſſimo, ut, ſi qua ei adhuc in carne poſito carnalis maculæ rubigo cohæſit, illud Creatoris benignitas deleat & abſtergat.

CXXX.

Idem ad Epiſcopum Bambergenſem pro confirmatione & conſecratione Werinheri Abbatis ſui, quem electione habita Popponi ſuffecerunt.

Indid.

BOnæ memoriæ Reverentiſſimo Domino & Patre *Poppone*, quondam Abbate noſtro, prout placuit ei, in cujus manu mors & vita conſiſtunt, viam univerſæ carnis ingreſſo, & corpore ejus, ſicut ſperamus, DEO amabili tradito Eccleſiaſticæ ſepulturæ nos conſiderantes, quòd mora longior in electionibus damnoſa eſſe conſuevit, & præcipuè noſtræ domui, quæ hoc tempore multis urgetur negotiorum tumultibus, quorum diffinitio per alium quàm per Prælatum expediri non poterat, nec differri ſine periculo & omitti. Idcoque convenientes in unum certum terminum, id eſt: XI. Kal. Febr. electioni futuri Paſtoris duximus concorditer ſtatuendum. In quo vocatis primùm & tunc præſentibus omnibus, qui electioni celebrandæ debuerunt, voluerunt, ac potuerunt commodè intereſſe, invocata primùm Sancti Spiritus gratia in loco ſolito, apto, ac honeſto, id eſt: in Capitulo noſtro nos recepimus, ubi de ipſa electione tractantes, conſiderato, quòd religionis puritas eſſe debet pacis ac ſimplicitatis amica, placuit univerſis ac ſingulis per viam compromiſſi noſtræ viduatæ Eccleſiæ providere. Fit ut negotium noſtrum planis & quietis paſſibus in fœdere unitatis ad finem deduceretur pacificum & ſalubrem, unum ſolum, ſcilicet fratrem H. Cellerarium noſtrum ad hoc concorditer elegimus, ut ipſe tres de noſtro Collegio eligeret electores ſive arbitros compromiſſarios, qui vice omnium Eccleſiæ vacanti de paſtore idoneo providerent, ſub hac forma, ut deſignatum per eos de noſtro duntaxat Collegio ex ſe vel ex aliis deberemus recipere ſine contradictione qualibet in Abbatem. Idem quoque Cellerarius noſter tanquam vir prudens & devotus tres expreſſit perſonas, videlicet Domnum *Wernherum* Priorem, *Werenherum* Præpoſitum in *Rymchnah*, & *Ulricum* Præpoſitum in *Abtſperg*, viros utique religioſos & omni exceptione majores, qui de noſtro conſenſu ſe recipientes in partem, habito inter ſe, ſicut nobis poſtea retulerunt, maturo tractatu & deliberatione provida & decenti, tandem duo ex ipſis in tertium, hoc eſt: in Domnum *Werinherum* Priorem unanimiter convenerunt, virum utique in religione ſtrenuum, fraterna charitate profluum, ac omni honeſtate præclarum, & cui per DEI gratiam nihil obviat de Canonicis inſtitutis, utpote qui jam trigeſimum annum ætatis complevit, de legitimo ſuſceptus eſt matrimonio, & Sacerdos exiſtens ſcientiam obtinet competentem: quique in minori regimine ſic vigil fuit, ſollicitus & circumſpectus, ut ei pro laboribus devotis, pro moribus caſtis, pro actionibus ſtrenuis celſioris loci præmium nunc meritò debeatur. Nos etiam auditam electionem tam venerabilem, illam omnes & ſinguli devotis animis cum ſumma alacritate ratam & gratam habentes approbavimus, & duximus cum gaudio & reverentia acceptandam. Et quamvis idem electus ab initio multùm renitens fuerit, tandem cum difficultate maxima conſenſum applicuit votis noſtris. Quam electionem poſt ſolitas laudes DEO cantatas populo, ſicut moris, curavimus ſollemniter publicare.

Paternitati igitur veſtræ Dominum & electum noſtrum duximus exhibendum, unanimiter ſupplicantes, ut, quia in eo bonitas ſupplet ætatem, morum probitas tempus adauget, virtus in ſua juventute vireſcit, vos electionem noſtram de ipſo factam tanquam de perſona idonea Canonicè celebratam dignemini confirmare, ipſumque ſacra veſtra benedictione munitum ad nos remittere, quantocyus per veſtram gratiam fieri poteſt, incumbentibus Eccleſiæ noſtræ neceſſitatibus profuturum.

Digitized by Google

CXXXI.

Idem ad H. Ducem Bavariæ, quem rogant, ut suum sibi Monasterium, absente & pro confirmatione profecto Abbate Werenhero habeat commendatum.

indict. INter multa virtutum opera, quibus bonæ memoriæ Pater & Dominus noster Abbas *Poppo* sic DEO dilectum fecerat & hominibus gratiosum, illa discretio affectui nostro fuit præcipua, quòd ad honorem vestrum sua convertebat consilia, & pro vobis suæ prudentiæ diffudit eloquia, & ad vestra commoda in totum cogitationes & opera dirigebat. Sed quia fortè tanto viro dignus non erat Mundus, & placuit altissimo ipsum post longa & fidelia servitia ad emeritæ remunerationis mercedem evocare amodo pro longis laboribus æternitatis delitiis fruiturum, ecce Dominus & electus noster, quem à Prioratus officio propter observatæ religionis insignia nunc de novo in Abbatem duximus eligendum, optaverat quidem in ipso suæ electionis initio se vestræ gloriæ præsentare, nisi juris gravitas cohibuisset eundem, per quam electis interdicitur, ne ante confirmationem adeptam aliquid eorum attentare præsumant, quæ ad administrationem aliquatenus diriguntur.

Quare ex parte sua & nostra vestram Clementiam humillimè deprecamur, ut semper, præcipuè tamen hoc tempore suæ absentiæ, quam pro adipiscenda confirmatione facere nunc compellitur, pauperes Ecclesiæ nostræ cum prædiis habere dignemini commendatos, & quamdiu alas ipse habet ligatas, vos eorundem fitis fidelis & benivolus more solito gubernator, ne nostra humilis familia, quod absit, propter amissionem Patris defuncti in miserationem interim decidat pupillorum.

CXXXII.

Honorius III. P. M. Abbatem Monasterii S. Crucis in Austria ab onere cognoscendi litigantium causas absolvit.

1227. *Ex Auth. P. H.* HOnorius Episcopus Servus Servorum DEI, Dilecto Filio Abbati Monasterii de *Sancta Cruce* Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sæpè contingat propter cognitionem causarum, quæ tibi frequenter à Sede Apostolica committuntur, vitæ sanctæ (&) contemplationis otium impediri, & Monasterium grave sustineat detrimentum, Nos quieti tuæ ac indemnitati ejusdem Monasterii Paternâ sollicitudine providere volentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut salvis commissionibus, ad *te *f. à te.* hactenus impetratis per literas nostras, quasque de cetero ad te impetrari contigerit, de causis cognoscere non tenearis invitus, nisi plenam de hac indulgentia fecerint mentionem.

Nulli ergò hominum hanc paginam liceat nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum *Laterani* VII. Kalendas Februarii, Pontificatus autem Domini *Honorii* Papæ III. anno XI.

CXXXIII.

Gregorii PP. IX. *Bulla, qua Monasterium Scotorum S. Mariæ VViennæ sub B. Petri protectione suscipitur, Ejusdem Monasterii bona & possessiones confirmantur, ac præterea alia privilegia eidem conceduntur.*

1227. *Ex Autogr. P. H.* GRegorius Episcopus Servus Servorum DEI Dilectis Filiis Abbati *Sanctæ Mariæ de VVienna* ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris Regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Ea propter Dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium *Sanctæ Mariæ de VVienna* in quo Divino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus.

In primis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundùm DEUM & B. Benedicti Regulam in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quæcunque possessiones, quæcunque bona, dictum Monasterium in præsentiarum justè & canonicè

nicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, Eccleſiam de *Bulcho* cum Parochia & omnibus pertinentiis ſuis. & in eadem Parochia partem omnium decimarum cum una curte, manſo & quinque vineis, Eccleſiam de *Eccendorf* cum Parochia & omnibus decimis & aliis pertinentiis ſuis. Eccleſiam de *Celdendorf* cum Parochia & omnibus pertinentiis ſuis In *Enſesdorf* curtem cum duobus manſis & dimidio, & omnibus poſſeſſionibus, & aliis pertinentiis ſuis. Decimam totius coquinæ Ducis *Auſtriæ*, quando in expenſis propriis effuderit. In *Auſtria* Capellam *Sanctæ Crucis in Dulna* iuxta ripam *Danubii* ſitam cum pertinentiis ſuis, Capellam S. *Colomanni* cum omnibus pertinentiis ſuis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, uſuagiis, & paſcuis, in boſco & plano, in augis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis. Sanè novalium veſtrorum, quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas extorquere vel exigere præſumat.

Liceat vobis Clericos vel Laicos, liberos & abſolutos, è ſeculo fugientes, ad converſionem recipere, ac eos abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli fratrum veſtrorum poſt profeſſionem factam in veſtro Monaſterio fas ſit, ſine Abbatis ſui licentia niſi arctioris religionis obtentu, de eodem loco diſcedere, diſcedentem verò abſque communi litterarum veſtrarum cautione nullus audeat retinere.

Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis ianuis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce Divina officia celebrare. Criſma verò, oleum Sanctum, conſecrationes altarium ſeu Baſilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, vobis à Diœceſano Epiſcopo ſine pravitate volumus exhiberi. Prohibemus inſuper, ut nulli liceat Eccleſiæ veſtræ novas & indebitas exactiones imponere, vel in vos aut Eccleſiam veſtram, abſque manifeſta & rationabili cauſa Excommunicationis, aut interdicti ſententiam promulgare. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati, vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen iuſtitia illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Obeunte verò Te nunc eiuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris, ſecundùm DEUM & B. Benedicti Regulam prouiderint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat prædictum Monaſterium temerè perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalua Sedis Apoſtolicæ auctoritate & Diœceſani Epiſcopi Canonica iuſtitia, & ſuper prædictis decimis moderatione conſilii generalis.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine DEI & Domini Redemptoris noſtri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in examine extremo diſtrictæ ſubiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſervantibus ſit pax Domini noſtri JESU CHRISTI, quatenus & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.

† Ego *Stephanus* Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Cardinalis.

† Ego *Thomas* S. Sabinæ Presbyter Cardinalis.

† Ego *Pelagius* Albanenſis Epiſcopus.

† Ego

† Ego *Guido* Prenestinus Episcopus.
† Ego *Oliverus* Sabinensis Episcopus.
† Ego *Octavianus* Sanctorum Sergii & Bachi Diaconus Cardinalis.
† Ego *Gregorius* Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego *Stephanus* Sancti Adriani Diaconus Cardinalis.
† Ego *Rainerus* Sanctæ Mariæ in Cosmid. Diaconus Cardinalis.

Datum *Anagniæ* per manus Magistri *Sinibaldi* S. Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii: V. Idus Augusti Indict. XV. Incarnationis Dominicæ anno M. CC. XXVII. Pontificatus verò Domini *Gregorii* Papæ IX. Primo.

CXXXIV.

Idem Pontifex Cartusiam Seitzensem in protectionem Sedis Apostolicæ recipit, ac pluribus privilegiis & prærogativis exornat.

Ex Archiv. Seitz.

GRegorius Episcopus Servus Servorum DEI Dilectis filiis, Priori & Fratribus Monasterii *Vallis Sancti Johannis* Cartusiensis Ordinis, tam præsentibus quàm futuris, Regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium: ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, Sacræ Religionis infringat. Eapropter, Dilecti in Domino Filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium *Vallis Sancti Johannis*, in quo Divino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti privilegio communimus: & terminos, quos Domui vestræ rationabiliter statuistis auctoritate Apostolica confirmamus. Ad hæc auctoritate Apostolica interdicimus, & sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis infra terminos Domus vestræ hominem temerè capere, furtum seu rapinam committere, aut ignem apponere vel homicidium facere audeat, aut homines ad Domos vestras venientes, vel redeuntes ab eis, quomodolibet perturbare, ut ob reverentiam DEI & loci vestri infra hos terminos, non solùm Vos & Fratres vestri, sed etiam alii plenam pacem habeant & quietem.

Liceat quoque vobis, Clericos vel Laicos, liberos & absolutos, & sæculo fugientes, ad Conversionem recipere, ac eos absque ullius contradictione in vestro Collegio retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro professionem fas sit sine Prioris sui licentia de eodem loco discedere: discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Sanè laborum vestrorum de possessionibus habitis ante Concilium generale, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de animalium vestrorum nutrimentis, nullus a vobis Decimas præsumat exigere, vel quomodolibet extorquere.

Adjicientes quoque statuimus, ut infra dimidiam leucam à possessionum terminis, quas habetis, nulli Religioso liceat possessiones acquirere, vel aliquod ædificium fabricare. Consecrationes verò Altarium seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum vestrorum, qui ad Sacros Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano suscipietis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, & communionem & gratiam Apostolicæ Sedis habuerit, & ea vobis gratis & absque pravitate aliqua voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis, quemcunque malueritis, Catholicum adire Antistitem, communionem & gratiam Apostolicæ Sedis habentem, qui nimirum nostra fultus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat.

Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ne ullus Episcopus, vel alia quælibet persona, ad Synodos vel Conventus forenses vos ire, vel iudicio sæculari de propria vestra substantia vel possessionibus vestris subiacere compellat: nec ad domum vestram non vocatus, causâ ordines celebrandi, causas tractandi, vel Conventus aliquos publicos convocandi, venire præsumat; nec regularem electionem Prioris vestri impediat, aut de instituendo vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statuta Cartusiensis Ordinis se aliquatenus intromittat.

Porro si Episcopi, vel alii Ecclesiarum Rectores, in Monasterium vestrum vel personas inibi constituras, suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in Mercenarios vestros, pro eo, quòd Decimas, sicut dictum est, non persolvitis; vel aliqua occasione eorum, quæ ab Apostolica benignitate vobis indulta sunt; seu Benefactores vestros pro eo, quòd aliqua

qua vobis beneficia vel obſequia ex charitate præſtiterint; vel ad laborandum adiuverint in illis diebus, in quibus vos laboratis, & alii feriantur, eandem ſententiam protulerint, ipſam, tanquam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam, decernimus irritandam. Nec litteræ ullæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Cartuſienſis Ordinis & contra tenorem Apoſtolicorum privilegiorum conſtiterit impetrari. Statuimus etiam, ut propter communia interdicta terrarum Monaſterium veſtrum, excommunicatis & interdictis excluſis, à divinis non cogatur officiis abſtinere.

Obeunte verò te nunc eiuſdem loci Priore, vel tuorum quolibet Succeſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſaniοris ſecundùm DEUM & approbata veſtri ordinis inſtituta providerint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temerè perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare: Sed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate.

Si quæ igitur in futurum, Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui careat dignitate: reamque ſe divino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſſimo Corpore ac ſanguine DEI & Domini Redemptoris noſtri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſervantibus ſit pax Domini noſtri JESU CHRISTI, quatenus & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego *Gregorius* Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
Ego *Pelagius* Albanus Epiſcopus.
Ego *Thomas* tit. S. Sabinæ Presbyter Card.
Ego *Barthol.* S. Pudent. Presb. Cardin.
Ego *Sigebaldus* tit. S. Laur. in Lucina Presb. Card.
Ego *Rainerius* S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card.
Ego *Ægidius* SS. Coſmæ & Damiani Diac. Card.
Ego *Petrus S. Georgii ad velum aureum* Diac. Card.
Ego *Reinoldus* S. Euſtachii Diac. Card.

Datum *Peruſii* per manum *Martini* S. R. Eccleſiæ Vicecancellarii XV. Kal. Decembris indictione I. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXVIII. Pontificatus verò Domni *Gregorii* Papæ VIIII. anno ſecundo.

CXXXV.

Vlricus de Wolfgerſtorf & uxor eius Berchta Monaſterio Clauſtroneoburgenſia duo beneficia in Odinbrunh & Curatſdorff donant.

1228. *Ex Autogr. P. H.*

NOtum ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris, quod ego *Vlricus de Wolfgerſtorf* adhuc vivus, & uxor mea *Berchta* contulimus Eccleſiæ *Niumburgenſi* cum conſenſu filii noſtri *Vlrici* & filiæ noſtræ *Gerdrudis*, & aliorum liberorum noſtrorum duo beneficia in *Odinprunne*, nulli Advocato ſubdita, niſi ſoli Duci *Auſtriæ*, ut eadem beneficia ſemper ſine omni gravamine pro remedio animæ noſtræ deſerviant Eccleſiæ *Niumburgenſi*.

Teſtes huius facti ſunt hi, qui præſentes fuerunt, ſcilicet *Cunradus* Præpoſitus, *Ebro* Decanus, & omnes Domini de Conventu *Niumburgenſi*. *Poto de Stetin*, *Ortolfus de Rukerſtorf*, *Hermannus Gygriz*, *Duringus* Venator, *Vlricus* niger, *Wiſinto*, *Ammerannus*, *Heinricus de Rukerſtorf*, *Reimpertus* Magiſter coquinæ, & *Sigehardus*.

Item noverint omnes tam præſentes quàm futuri, quòd ego *Perchta* in die depoſitionis Viri mei *Vlrici de VVolfgerſtorf*, pro remedio animæ eius delegavi ſuper aram beatæ Marie in *Niumburch* duo beneficia in *Curatſtorf*, cum manu mea & filiæ meæ *Gerdrudis* & filii mei *Vlrici*, & aliorum filiorum meorum ut ſupradicta duo beneficia, quæ ſolius Ducis *Auſtriæ* Advocatiæ ſunt ſubdita,

pleno iure Ecclesiæ *Niumburgensi* in perpetuum debeant deservire. Testes autem, qui præsentes aderant, sunt hi: *Vlricus* Marschalcus, *Hermannus de Cranchperch*, *Chadoldus* dapifer, *Heinricus de Seveld*, *Chunradus* & *Vlricus* fratres de *Hymperch*, *Irmfridus de Vlrichskirchen*, & *Rudegerus* frater suus, *Poto de Stetin*, *Ortolfus* & *Heinricus de Rukerstorf*, *Otto* Magister Cellarii, *VVisinto de Eginberch*, & *Cunradus* filius eius, *Reingerus de Hadmarstorf*, *Cunradus Mulich*.

Facta sunt hæc omnia anno Incarnationis Domini M. CC. XXVIII. Indictione VI.

CXXXVI.

VVichardi de Zebing Charta donationis, qua cuidam Hospitali propè Cœnobium S. Crucis sito, tradit Ebersprunnen, intuitu tantummodo divini amoris, in eleemosynas & refugium pauperum.

1230. *Ex authent.* P. H.

NOtum sit omnibus Xpi fidelibus, tam præsentibus, quàm futuris, quòd Ego *VVichardus de Zebing* tradidi cuidam Hospitali iuxta Cœnobium Fratrum in nomine Jhu Xpi congregatorum in loco, qui dicitur ad *Sanctam Crucem*, videlicet *Ebersprunnen* &c. intuitu tantummodo divini amoris in Elecmosynas & refugium pauperum. Præterea duxi neminem Fratrum degentium, nullumque familiarem huic Elecmosynæ substitui, sed quemcunque alienum debilem sive languidum divina dispensatio illuc perduxerit, illum operibus Misericordiæ ibi volo refocillari. Sed quia, quod semel rationabiliter factum est, semper debet esse inconvulsum, præsentis scripti pagina, ne quis hoc infringere præsumat, memoriæ fidelium commendo. Quicunque verò huic exiguæ elecmosynæ per violentiam aliquid subtraxerit, sciat se vinculo Anathematis obligatum: & si non restituerit, iram superni Judicis sine spe recuperationis incurrere.

Datum Anno M. CC, XXX. X Kalendas Decembris.

CXXXVII.

Fridericus Dux Austriæ Monasterio Claustroneoburgensi confirmat concessum a Patre Liupoldo privilegium immunitatis a telonio ad Danubium, illudque novo adauget.

In nomine Domini, Amen

EGo *Fridericus* DEI gratia Dux *Austriæ* & Styriæ per præsens scriptum notum facio universis, quòd, cùm Pater meus piæ memorie *Liupoldus* Dux *Austriæ* & Styriæ in remedium animæ suæ parentumque suorum mutam navium *Danubii* in ascensu & descensu usque *Anasum*, sicut Pater & Frater ipsius *Niuvenburgensi* Ecclesiæ indulserit in perpetuum, sicut in privilegio Patris mei exinde confecto cernitur contineri, Ego ob remedium animæ Patris mei, parentumque meorum, & propter salutem propriam prefatæ Ecclesiæ eandem gratiam renovavi & præsentis scripti auctoritate firmavi, hoc addens de gratia speciali, ut singulis annis liceat Procuratori Cameratii eiusdem Ecclesiæ, qui pro tempore fuerit, vendere quindecim carratas vini per pikaria, sicut unus de civibus in Civitate *Anasi*. Quicquid verò vini ultra quindecim Carratas fuerit a Camerario transmissum, hoc non per pikaria: sed per vasa integra in Civitate vendat. Et ut hæc rata permaneant, præsens scriptum sigilli mei munimine roboravi.

1231. *Ex autograph.* P. H.

Testes: *Chunradus* Comes *de Hardeke*, *Otto* de *Perchtoldstorf*, *Hermannus de Chranchpere*, *Irnfridus de Himpere*, *Heinricus de Prunne*, *Henricus de Tribanswinchel*, *Perhtoldus de Eckehartesowe*, *Ottacharus de Wolchenstein Perhtoldus de Treun*, & alii quàm plures.

Datum per *Liupoldum* Prothonotarium meum *VViennæ* III. Idus Marcii Anno Domini M. CC. XXXI. feliciter, Amen.

CXXXVIII.

Henricus Dux Austriæ Medlicensis quandam sylvam, ab Ortolfo servo suo S. Crucis Monasterio traditam, in protectionem suscipit.

EGo *Henricus* DEI gratia Dux *Medlicensis*, omnibus Christi fidelibus

1232. *Ex authent.* in P. H.

Digitized by Google

in perpetuum. Innotescat omnibus præsentibus, & futuræ generationi, quòd cùm bona voluntate simul & consensu nostro in præsentia nostri & Testium subscriptorum, *Ortolfus* servus Noster, cognomento *Gallus*, Fratri *Henrico*, Magistro in *Tallern* vendidit silvam &c. Nos ergo pro devotione *Sanctæ Crucis* Monasterii, ad cuius utilitatem prædicta, silva cedere debet & empta est, dictam silvam recepimus sub Nostram protectionem, obligantes Nos, ut si, quod absit, quisquam hominum prædictum Monasterium super hac emptione præsumat impetere infra diem & annum, nos vice præfati *Ortolfi* tenebimur satisfacere, & prædicto Monasterio omnem iustitiam exhibere. Cuius rei causâ præsentem paginam sigillo nostro fecimus confirmati. Testes sunt: *Albero* & *Otto* Capellani Ducis, & alii &c.

Acta sunt hæc Anno Domini Millesimo, Ducentesimo, trigesimo secundo in *Gundrambstorff*.

CXXXIX.

Idem Dux donat eidem Monasterio prædium in Sulze.

1232. *Ex authent. P. H.*

NOtum sit omnibus, quòd ego *Henricus* Dux *de Medeliko* prædium in *Sulze*, quod piæ memoriæ Pater meus *Henricus* de bona voluntate Abbatis & Fratrum *Sanctæ Crucis* diebus vitæ suæ visus est habere, cùm omnem hereditatem meam, si sine herede de hac vita decederem, *Friderico* Duci Austriæ & Styriæ delegarem, præfatum Prædium cum omnibus appendiciis suis exemi, & prædictis Fratribus, quorum ab antiquo fuit possessio, redonavi absque ullius personæ contradicentis obstaculo: ita tamen, ut dicti Fratres, quamvis inviti ad tempus vitæ, usum fructuarium eiusdem Prædii mihi concederent, & post obitum meum liberè possiderent, venderent, vel commutarent. Et, ut hæc mea donatio firmior habeatur, & per futura tempora melius credatur, sigilli Nostri impressione cum subscriptis testibus præsentem paginam feci roborari. Testes autem sunt sequentes: *Otto Turse*, *Wichardus de Arnstein*, & fratres sui, *Otto VVulfingus*, *Chunradus de Arberch*, *Otto de Perchtoldstorff*, *Viricus Radone*, *Chunradus de VVildek*, *Ekardus* miles, & alii quàm plures.

Acta sunt hæc Anno Domini Millesimo ducentesimo, trigesimo secundo XIII. Kalendas Septembris in domo *Sanctæ Crucis*.

CXL.

Theodora Austriæ Ducissa donat alteram olei saumam Carthusiæ Seitzensi.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Si quid hominum circumspectio vult esse ratum & stabile, ne labatur a memoria pro lapsu temporis, illud debet litterarum serie perennari. Notum sit ergo omnibus, ad quos præsens pagina pervenerit, & maximè Officialibus in *Judenburch*, quòd ego *Theodora* pro remedio animæ nostræ & dilecti mariti nostri *Leupoldi* felicis memoriæ, ad saumam olei, quæ singulis annis de providentia Domini nostri Ducis accessit Cœnobio *Vallis S. Johannis*, statuimus, & firmiter mandamus ab Officialibus in *Judenburch* superaddi singulis annis alteram saumam olei ad Confratrum eiusdem Cœnobii cibaria lautiùs condienda. Ne igitur, ùt prædictum est, illud, quod firmiter fieri statuimus, a memoria hominum fortè tollat oblivio, & per mutationem & decursum temporis impediri valeat, quod volumus esse ratum & stabile, præsentem paginam decrevimus sigilli nostri munimine roborari.

1233. *Ex archiv. Seitzens.*

Acta sunt hæc in *Judenburch* anno ab Incarnatione Domini MCC. XXXIII. Indictione VI.

CXLI.

Hugo de VVegerberg Monasterio S. Crucis in Austria cedit omnem iurisdictionem in loco Burgstall.

NOverint omnes præsentes literas inspecturi, quod ego *Hugo de VVegerberg*, cum consensu Fratris mei *Ottonis de Ruhenstain*, in obitu de sepultura Patris mei *Ottonis de Ruhenstain*, contuli Ecclesiæ *Sanctæ Crucis* omnem Jurisdictionem, quam habui in loco, qui vulgò dicitur *Burgstall*, in præsentia & consensu Parentum & amicorum *VVichardi* & Fratris sui *VVulfingi de Arnstain*, *Dieterici de Liechtenstain*, *Dieterici* & Fratris sui *Virici de Ruhcuechse*, qui dictæ rei testes oculati fuerunt. Anno Domini M. CC. XXXIII.

1233. *Ex authent. P. H.*

Digitized by Google

CXLII.

Henricus de Brunne prædium quoddam &c. eidem Monasterio legat.

1233. *Ex Archiv. Sanct Cruce P. H.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego *Henricus de Prunne* omnibus præsentes litteras inspecturis in perpetuum. Quoniam instar aquæ in mare decurrentis omnes in mortem dilabimur, tantò magis necesse est, futuræ nobis vitæ subsidia prospiciamus, quantò citiùs præsentis vitæ commoda perdimus vel inviti. Igitur, ut omnium bonorum, quæ in *Sancta Cruce* fiunt, cum uxore mea & liberis merear fieri largiente Domino Communicator, Conventui ejusdem Domus contuli prædium quoddam in . . . situm, cum assensu liberorum meorum, quod talentum solvit annuatim. Præterea de bursa mea aliud Talentum statui largiendum, donec jam dicto Conventui competens prædium, quod singulis annis illud solvat, valeam assignare. Quam sanè pecuniam ante Exaltationem S. Crucis statui exsolvendum, ut in ipsa solemnitate pro remedio animæ meæ Parentumque meorum Conventus exinde habeat consolationem. Insuper si quid mihi juris in tertia parte in . . . competere videbatur cum filiis & heredibus meis per omnia relaxavi, ne quisquam illorum hujus decimæ exactione post mortem meam ipsum Monasterium valeat perturbare. Hujus rei gratia, ubicunque in provincia defunctus fuero, si nemo alius mihi fortè manum apposuerit, sæpedictus Conventus suis impendiis meum ad se corpus transferet, ut apud ipsum humatus, ejusque orationibus adjutus beatam expectem resurrectionem.

Acta sunt hæc Anno Domini M. CC. XXXIII.

CXLIII.

Complacitatio inter Cunradum Præpositum Claustroneoburgensem & Ulricum de Kirchlinge de administratione ac proprietate Ecclesiæ Kirchlingensis.

1233. *Ex Autogr. P. H.*

MDucentesimo tricesimo tercio. Indict. sexta, regnante *Friderico* Imperatore. A viris prudentibus acta litteris solent annotari, ne processu temporis eis oblivio possit novercari, aut calumnia suboriri. Noverint ergo tam præsentes quàm futuri, quòd Dominus *Ulricus de Kirchlinge* petiit à Domino Præposito *Nivvenburgense* & à Conventu ejusdem loci, ut Plebanus Ecclesiæ in *Kirchlinge*, quæsita est in terminis *Nivvenburgensis* Ecclesiæ, & spectat ad eam jure parochiali, habeat potestatem in Divino servitio ibidem exercendo & impendendo Ecclesiastica Sacramenta hominibus Domini *Ulrici* ibidem manentibus in baptismate parvulorum & sepultura & pœnitentiis morientium: decimales denarios, qui vulgo dicuntur *Zehrmpfenninge*, similiter petiit, ut dicto Capellano conferremus. Ego autem *Chunradus* prænemoratæ Ecclesiæ Præpositus, Capitulo assensum prebente, Domini *Ulrici* acquievi petitioni, hoc tenore, ut si aliquis de familia Domini *Ulrici* miles vel servus in quocunque facto excesserit, quod ad correctionem Domini Præpositi & jus Ecclesiasticum spectat, Dominus *Ulricus* & uxor sua & filii sui à pœna illius, qui excessit, excludatur, ita quod eis non negentur Divina sacramenta, & Divina eis celebrentur exclusis excommunicatis, & clausis januis, si hoc necesse fuerit propter multitudinem excommunicatorum, ita videlicet, quòd locus ille propter aliquod commune delictum generaliter ponatur sub interdicto: & Dominus *Ulricus* habeat jus præsentandi Sacerdotem idoneum, & Dominus Præpositus illum investiat, & vices suas sub prædicta forma committat, & quilibet Præpositus *Nivvenburgensis* de præfata Ecclesia respondebit Episcopo, ut de qualibet alia parochia sua, si aliqua honorabilis persona in prædicta villa veniens ad extremum mortis articulum (petierit) unctionem extremam, vocetur Plebanus S. Martini, vel si ipse defuerit, aliquis Sacerdos de Conventu, qui cooperetur dicto Capellano in extrema unctione: quia dicit beatus Jacobus: *Si quis infirmatur ex vobis, inducat Presbyteros* &c. Si autem nullo modo haberi possit, urgente necessitate faciat sæpedictus Capellanus etiam solus, quod faciendum sit. Hoc ultimum addimus de bona voluntate Domini *Ulrici*. Quòd si prædicta villa aliquando exierit de potestate Domini *Ulrici* & filiorum & nepotum suorum, maneat Jus patronatus apud Ecclesiam *Nivvenburgensem*, sicut modò ibi habet jus parochiale.

CXLIV.

CXLIV.

Friderici Ducis Auſtriæ & Stiriæ, ac Domini Carniolæ Diploma, quo Eccleſia B. Petri in Erlahe ad petitionem Immæ Abbatiſſæ ejuſdem Cœnobii ab omni cujuscunque telonii exactione libera renunciatur.

1234. *Ex Aut. P. H.* In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

FRidericus DEI gratia Dux *Auſtriæ* & *Styriæ*, Dominus Carniolæ, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Piæ ammonitionis intuitu, nec non & pro remedio animæ noſtræ Eccleſiæ Beati Petri in *Erlahe*, ad petitionem Dominæ *Immæ* Abbatiſſæ ejuſdem cœnobii, annuimus & tradidimus, ut bona illius Eccleſiæ apud Telonea ſive mutas noſtras in *Steine*, & in *Ibespurch*, vel quocunque transferantur, liberum absque omni juris perſolutione tranſitum habeant & ſecurum. Ut autem hec noſtra traditio tam à præſentibus, quàm à poſteris intractata permaneat, præſentem paginam ſcribi, ſigillique noſtri impreſſione roborari, ſubſcriptioneque teſtium muniri fecimus. Quorum nomina ſunt hæc: *Ulricus de Recka*, *Heinricus de Pruonne*, *Irenfridus de Himperch*, *Reimbertus* junior *de Murecke*, *Hademarus de Suonneberch*, *Wichardus de Arenſteine*, *Hainricus de Hackenberch*, *Ulricus de Pilhiſtorf*, *Ulricus de Hittendorf* Camerarius, *Otto de Haſelouve*, *Albertus de Liechtenſteine*, *Heinricus* junior *de Pruonne*, *Pilgrimus de Svvarzenouve*, *Otto Schecke*, & *Ulricus de Wezelindorf*, qui fuit nuntius hujus facti.

Datum in *Erpurch*. Anno Domini M. CC. XXXIIII. VII. Idus Decembris Indict. VIII.

CXLV.

Gregorius IX. Abbati & Conventui S. Crucis in Auſtria indulget, ne ultra duas diætas à Monaſterio proprio ſuper bonis, quæ infra ipſas habent, per litteras Apoſtolicas trahi poſſint in cauſam.

1234. *Ex Authent. P. H.* GRegorius Servus Servorum DEI, Dilectis filiis, Abbati & Conventui *Sanctæ Crucis* Ciſtercienſis Ordinis, *Patavienſis* Diœceſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Si adhuc Amalech perſequitur Iſraëlem, dum cupidi & avari viros Religioſos, DEUM videre per contemplationis otium cupientes, non ſolùm aperta ſævitia, verùm & ſubdola calliditate multipliciter inquiebant: Nos qui veri Moyſis vices, licèt immeriti, gerimus, debemus illorum refragari conatibus, & verſutiis obviare, ne virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum relinquere videamur. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram Nobis, quòd nonnulli Clerici & laici non tam juſtitiam ſuam proſequi, quàm vos perſequi damnabiliter intendentes, vos ultra duas pluresve diætas à Monaſterio veſtro per litteras Apoſtolicas faciunt malitioſè citari, ut fatigati laboribus & expenſis ultrò cedere litibus, vel damnoſas ſubire compellamini pactiones.

Ut igitur ſapientia vincat ſua ſuavitate malitiam, cùm experimento ſciamus, quàm ſit amarum ſanctæ contemplationi vacantibus diſtrahi litibus odioſis, volentes, quantum cum Domino poſſumus, veſtræ quieti conſulere, ne de cætero ultra duas diætas à Monaſterio proprio ſuper bonis, quæ infra ipſas habetis, per litteras Apoſtolicas trahi poſſitis in cauſam, Auctoritate vobis præſentium indulgemus, niſi litteræ ipſæ de hac indulgentia fecerint mentionem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Peruſii* Idibus Februarii Pontificatûs Domini *Gregorii* Papæ VIIII. anno octavo.

CXLVI.

Chunradus Comes de Waſſerburch Monaſterio Rotenſi donat talentum denariorum ex muta in Hochenauve pro luminaribus Eccleſiæ.

CHunradus DEI gratia Comes de *Waſſerburch* omnibus in perpetuum. Quoniam ea, quæ in tempore aguntur, tempore labente & ipſa frequenter ab humana memoria labuntur, præſenti ſcripto præſentibus omnibus & futuris Chriſti fidelibus notificamus, quòd 1234. *Ex Arch. Rot.*

nos pro remedio animæ nostræ & omnium parentum nostrorum annuente dilecta thori nostri Consorte *Chunigunda* contulimus ad Monasterium Sanctorum Petri Apostoli, Marini & Aniani in *Roth* annuatim talentum denariorum Monacensis Monetæ in Festo Sancti Johanis Baptistæ de Muta nostra in *Hochenavve* persolvendum in perpetuum, ita ut in honore prædictorum Sanctorum & aliorum quorum reliquiæ in eodem continentur Monasterio, coram principali altari non nisi cerea sive de oleo in futurum habeantur luminaria. Adjicimus etiam & firmiter constituimus, ut post mortem nostram ad quamcunque personam sive iure hæreditatis, sive alio quocunque modo eadem Muta nostra devoluta fuerit, hæc ipsa persona prædictam donationem nostram per omnia ratam habeat & inconvulsam. Ut autem huius traditionis nostræ factum a quoquam in totum vel in partem non debeat, nec possit in futurum inmutari, præsens scriptum sigillo nostro fecimus communiri.

Huius rei testes sunt *Chunradus* Abbas de *Ebersberch*, *Heinricus* Abbas de *Roth*, *Vlricus* Abbas de *Aettl*, *Otto de Sundermæringen*, *Ortolfus de Laimingen*, *Gerungus de Laimingen*, *Siboto de Sconstet*, *Planko* Marschalcus *Heinricus de Gugglingen*, *Henricus* Notarius, & alii quàm plures. Acta hæc anno Incarnati Domini MCCXXXIV. XVII. Kal. Junii.

CXLVII.

Eiusdem Comitis Charta donationis plurimarum Decimarum eidem Monasterio factæ.

indict. CHunradus DEI gratia Comes de *VVasserburch* omnibus in perpetuum. Amen. Quoniam lapsus ab humana labitur memoria, quod quisque fidelium ad promerendam æternam vitam vigilanti ordinaverit industria: & quia hæc præsens vita brevis brevitatis semper est amica & perpetuitatis inimica; ideirco, ne factum nostrum fluxibilitate temporum a memoria hominum labi possit in futurum, notitiæ omnium fidelium præsenti scripto decrevimus relinquendum, quòd nos ob remedium animæ nostræ, Uxorisque nostræ *Kunigundis* contulimus ad altare Sanctorum Marini & Aniani in *Roth* decimas de possessionibus omnibus a tempore ipsius Advocatiæ adeptæ habitis, & in futurum quocunque modò habendis in supplementum præbendæ fratrum ibidem DEO servientium in perpetuum.

Tradimus itaque in *Lauppach* decimam de curia in *Spinkinbach*, decimam de huba & de tribus partibus curiæ, in *Hulvvin* decimam de curia, in *Munistetten* decimam de curia: in *Altinhochenavve* decimam de curia. In *Isolingen* decimam de curia apud Ecclesiam, & decimam totius decimæ, quæ transportatur in eandem curiam. In *Truntsheim* decimam de duabus curiis. In *Lantinheim* decimam de curia. In *Lockingen* decimam de duabus hubis. In *Hofgarten* decimam de Vaccaricia. In *Puchlöch* decimam de curia. In *Tegrinavve* decimam de huba *Etlingen*.

Item tradimus præfato Monasterio ex officio de *Rosenheimb* decimam de curia ante ipsum castrum. In *VVestirndorff* decimam de curia. In *Aisingen* decimam de duabus curiis & huba & molendino. In *Potichedorf* decimam de curia. In *Manicvalt* decimam de molendino. In *Hergeringen* decimam de tribus hubis. In *Svvinchin* decimam.

Ut autem hæc nostra traditio ab hæredibus nostris vel ab aliqua persona quocunque modo nobis succedente in eisdem reditibus in totum vel in partem commutari non possit vel infringi, hanc paginam sigilli nostri impressione cum subscriptione testium fecimus communiri.

Testes autem sunt hi: *Hainricus* Abbas *de Roth*, *VVernherus* Abbas Sancti Georii, *Vlricus* Abbas *de Aettl*, *Chunradus* Præpositus *de Pihartingen*, *Otto Sundirmæringen*, *Hainricus de Laimingen* & fratres sui, *Ortolfus & Gerungus* Milites, *Chunradus de Seburge*, *Hainricus* & *Chunradus* fratres (de) *Truchleichingen*, *Hainricus de Gugglingen* & *Hainricus* filius suus, & alii quàm plures. Datum apud *VVasserburch* XIV. Kal. Martii anno Incarnationis Domini MCCXXXIV.

CXLVIII.

Digitized by Google

CXLVIII.

Eiusdem Conradi Comitis Testamentum, quo Monasterio Rotensi diversa bona donat & legat.

1235. *indict.* IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. *Conradus* DEI, gratia Comes de *Wasserburch* omnibus in perpetuum. Cùm utique quilibet mortalium ad promerendam vitam æternam bonis studere debeat operibus, & de peccatis suis abolendis gratum DEO, ac animæ suæ salubre facere remedium: nos eapropter Divino amore succensi & commoniti testamentum nostrum adhuc viventes ad Monasterium de *Roth* ob reverentiam Sanctorum Marini & Aniani ibidem requiescentium, nec non ob redemptionem animæ nostræ, ac omnium parentum nostrorum facere decernimus in donatione prædiorum subscriptorum.

Tradimus enim ad prædictum Monasterium annuente dilecta thori nostri Consorte *Kunigunda* curiam in *Mosheimb* cum hominibus, agris, pratis, pascuis, sylvis & omnibus aliis appendiciis suis, cultis & incultis, ita ut post mortem nostram sive hæredibus legitimè habitis sive non habitis proventus eiusdem curiæ ad usus dicti Monasterii liberè cedant & absolutè. Item donamus sæpe dicto Monasterio cum consensu præfatæ Coniugis nostræ *Kunigund* ex officio de *Werberch* tres Vaccarias, curiam *Altinhochenawve*, curiam in *Murn*, Vaccariam in *Pach*. Hæc omnia damus cum hominibus & omnibus aliis appendiciis suis cultis & incultis, ita tamen, ut post mortem nostram & Coniugis nostræ iidem reditus ad usus iam sæpius dicti Monasterii, hæredibus non habitis, simpliciter cedant liberè & absolutè.

Acta sunt hæc anno incarnati Domini MCCXXXIII. X. Kal. Jun.

Prædictis siquidem prædicto modo rectè peractis, plantationem novellam ob remedium animæ nostræ nec non Uxoris nostræ in curia *Altenhochenawve* inchoantes ipsam ab Ecclesia *Rothense* commutatam pro curia in *Altistwingen* absolvimus. Item commutavimus curiam in *Mosheim* pro curia in *Obirnlochen*, quam Ecclesiæ *Rothensi* dedimus in possessionem corporalem & præsentem. Ut autem hæc nostra traditio futuris temporibus rata permaneat & inviolabilis, præsentem paginam sigilli nostri impressione fecimus communiri.

Testes sunt hi: *Dietricus* & *Sifridus* Fratres de Ordine Prædicatorum. *Poppo* Plebanus *de Mundrichingen*. *Hainricus* Plebanus *de Chemaringen*. *Rapoto*, *Frechmarus* Diacones, *Karolus de Selhuben*. *Meingotus de Rute* Pincerna. *Hainricus de Gugglingen*, & H. Filius suus. *Bertholdus* Bwvirarius & alii quàm plures. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini MCCXXXV. Non. Febr. Datum apud *Wasserburch*.

CXLIX.

Fridericus Dux Austriæ confirmat donationem, factam a Sophia de Leunbach Cartusiæ Seitzensi.

1235. *Ex Archiv. Seitz.* FRidericus DEI gratia Dux *Austriæ* & *Styriæ* & Dominus *Carniolæ* universis Christi fidelibus in perpetuum. Ad notitiam præsentium & futurorum volumus pervenire, quòd Domina *Sophia de Leunbach* quinque mansus in villa, quæ dicitur *Lasnitz*, quos iure hæreditario & quieta possessione habuit, per manus nostras tradidit Ecclesiæ Vallis Sancti Johannis in *Seitz* partim eleemosynam, partim pro restitutione damnorum, quæ *Cunradus de Leunbach*, nepos eiusdem Dominæ intulerat Ecclesiæ memoratæ. Dedit etiam eosdem mansus pro remedio animarum omnium parentum suorum vivorum & defunctorum, cum omni integritate, nihil sibi iuris retinens in eisdem, sed in perpetuum præfatæ Ecclesiæ & Fratribus Ordinis Cartusiensis possidere concessit, rogans & petens prædictam donationem sigilli nostri munimine roborari. Cuius precibus annuentes, ut eadem donatio rata in ævum & inconvulsa permaneat, præsentem paginam scribi fecimus, & sigilli nostri impressione firmari.

Testes *Vlricus de Becca*, *VVernhardus de Schowvenberch*, *Rainbertus de Mureke* & filius suus, *Hermannus de Chranichsperch*, *Bertoldus de Emberberch*, *Hadmannus de Sunneberch*, *VVichardus de Amstein*, *Heinricus de Hakenberch*, *Cunradus de Hinberch*, & alii quàm plures.

Acta

Acta ſunt hæc in *Petovia V.* Kalend. Maji anno Incarnationis Dominicæ MCCXXXV.

CL.

Fridericus II. Imp. ad preces Egloffi Abbatis Monaſterii S. Crucis omnes poſſeſſiones & privilegia eiuſdem loci confirmat, ac in protectionem ſuam & Imperii ſuſcipit.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

1236. *Ex autograph. P. H.*

Fridericus ſecundus divina favente Clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Jeruſalem & Sicilie Rex. Imperialis Excellentia tunc præcipuè ſui nominis titulos ampliat & extollit, cùm divinæ pietatis intuitu, per quam præeſt Principibus Orbis terræ, perſonas religioſas & loca venerabilia pia mentis affectione protegit ac tuetur, & eorum iuſtas favorabiliter petitiones admittit. Eapropter noverit præſens ætas & futura poſteritas, quæ ad ſupplicationem Fratris *Egloffi* Venerabilis Abbatis Monaſterii *Sanctæ Crucis in Auſtria* Ciſtercienſis Ordinis, fidelis noſtri, Abbatem noſtrum, Conventum, Monaſterium & omnia bona ſua, quæ in preſenti iuſtè tenent & poſſident, & quæ in antea iuſto titulo poterunt obtinere, ſub noſtra & Imperii protectione recipimus ſpeciali, mandantes, ut quæcunque iura, quæcunq; exemptiones & libertates à felicibus Imperatoribus Prædeceſſoribus noſtris, vel ab aliis Imperii Principibus rationabiliter eidem Monaſterio ſunt collata, vel iuſtè de cætero conferentur, rata ſibi omni tempore integraque ſerventur. Et ſicut Ordo Ciſtercienſis ab exordio ſuæ inſtitutionis nullis umquam fuit obnoxius Advocatis: ita prædictum Monaſterium cum omnibus poſſeſſionibus eius ab omni Advocatorum ratione atque exactione ſit liberum, tam communi Ordinis libertate, quàm præſenti conceſſione noſtra exemptum.

Paci inſuper & immunitati ipſius de Imperiali clementia providentes, inhibemus omnino, ne quisquam dicti Monaſterii, aut ullius prædii ſui Advocatiam in feudo à quoquam habeat uel habere ullo nomine aut iure valeat, nec donationis alicuius prædii ratione ſeu commiſſæ aut expeditæ defenſionis occaſione vel quaſi à Progenitoribus hereditaria ſucceſſione nomen & ius Advocati in eos aut bona eorum ſibi quiſpiam vendicet, vel aſſumat: ſed quodcunque prædium eidem Monaſterio eſt hactenus vel ammodo fuerit in elemoſynam datum, aut iuſtis modis aliis aquiſitum, Imperiali tuitioni eo ipſo ſubiaceat, quia Monaſterii eſſe cœpit. Verùm ne plerumque nobis abſentibus aliquid iuri & utilitatibus dicti Monaſterii valeat exinde deperire, defenſorem eis ipſum duntaxat, quem Abbas & Conventus prædicti ad hoc elegerint, deputamus, & habere concedimus, cui in eorum defenſione in contractibus, in cauſis civilibus & in aliis civilium negotiorum tranſactionibus noſtræ vicis executionem, non in feudo habendam, non perpetuò obtinendam, neque heredibus relinquendam, ſed ſalva dicti Monaſterii libertate committimus, ita ut liberum eis eſſe debeat, recuſare eum, & alterius defenſioni ſe & ſua committere, ſi ſub nomine defenſoris ſe ipſis exhibuerit offenſorem, ſi immunitatis eorum privilegium ullo vexationum aut exactionum genere infringere, & evacuare voluerit. Volumus enim noſtræ poteſtatis executores noſtræ ſectatores pietatis habere, præcipientes, ut qui noſtra iuſſione, vel ex eorum petitione, ſeu quacunque occaſione ipſos, & eorum iura defendunt, liberaliter, ſincerè & pro ſola DEI retributione defendant, ita ut neque banna, neque petitiones, quas *Steuras* vocant, neque pernoctationes, neque operarios, nec ulla omnino ſervitia eis invitis vel a colonis eorum ſub obtentu defenſionis exigant, aut extorqueant, colloqnia in locis ſuis, placita cum colonis ipſorum nulla prorſus habeant, de placitis eorum, quæ cum colonis ſuis habere voluerint, niſi ab eis rogati, ſe nullatenus intromittant, & indulta ſibi exemptionum privilegia nulla vi vel fraude convellant.

De abundantiori quoque gratia noſtra eis concedimus, ut propria victualia domorum ſuarum, videlicet annonam, caſeos, ſales, piſces, oleum, vinum, & pecudes ad uſus ſuos tantùm, tam in aquis, quàm in terris ſine teloniis, vectigalibus & aliis exactionibus liberè ducere permittantur, prout ex conceſſione quondam Ducum *Auſtriæ*, qui præfatum Monaſterium fundaverunt, libertatem iſtam ſoliti ſunt habere.

Statuimus igitur & Imperiali ſancimus edicto, ut nulla perſona Eccleſiaſtica vel ſecularis, alta vel humilis, prædictum

Digitized by Google

dictum Abbatem, Conventum & ſucceſſores eorum, Monaſterium & bona ſua contra præſentis privilegii noſtri ſeriem ſuper aliquibus auſu temerario moleſtare præſumat. Quod, qui præſumpſerit, præter indignationem noſtri culminis, quam incurret, centum libras auri puri componat, medietate fiſco noſtro, reliqua dicto Monaſterio perſolvenda. Ad hujus itaque noſtræ protectionis & conceſſionis memoriam & robur impoſterum perpetuo valiturum præſens privilegium fieri, & Bulla aurea, tipario noſtro Majeſtatis impreſſa, juſſimus inſigniri.

Hujus rei teſtes ſunt: Patriarcha *Aquilegenſis* & *Maguntinus*, *Salzburgenſis* & *Trevirenſis* Archiepiſcopi S. *Ratisponenſis* Imperialis aulæ Cancellarius, & G. *Bambergenſis* Epiſcopi. O. Dux *Bavariæ*, B. Dux *Karinthiæ*, H. Langravius *Turingiæ*, Frater *Hermannus* Venerabilis Magiſter domûs *Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Jeruſalem*, C. Comes *de Hardegke*, L. Comes de *Playn*, *Gotfridus de Hohenloch*, Burcravius *de Nuremberc*.

Signum Domini Invictiſſimi Roſemper Auguſti, Regis.



Friderici II. DEI gratia manorum Imperatoris *Jeruſalem* & *Siciliæ*

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo ducenteſimo triceſimo ſexto, menſe Januarii, Decima Indictione, Imperante Domino noſtro *Friderico* ſecundo DEI gratia Invictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, *Jeruſalem* & *Siciliæ* Rege, Imperii ejus anno ſeptimo decimo, regni *Jeruſalem* undecimo, regni verò Siciliæ triceſimo octavo feliciter, amen.

Datum *Viennæ* Anno, Menſe, & Indictione præſcriptis.

CLI.

Idem Imperator confirmat privilegium Leopoldi Auſtriæ Ducis, quo Monaſterii Scotorum Viennæ à placito provinciali & Marchmatra liberum pronuntiatur.

1236. *Ex Autogr.* P. H.

In nomine Sanctæ & Individuæ Ttinitatis.

FRidericus Secundus divina favente clementia Romanorum Imperator Semper Auguſtus, Jeruſalem, & Siciliæ Rex.

Imperialis excellentia tunc præcipuè Auctori ſuo, per quem ſumpſit plenitudinem poteſtatis, devotionis ſuæ rependit meritum, cùm ob ejus reverentiam religioſarum perſonarum juſtis ſupplicationibus ſe inclinans, venerabilia ipſorum loca, & in eis Domino famulantes piâ ſtudet providentiâ in ſuis juſtis petitionibus & libertatibus confovere. Hac itaque conſideratione ducti notum eſſe volumus tam præſentibus quàm futuris, quòd conſtituti coram nobis. . . Venerabilis Abbas & Conventus *Scottorum* apud *Viennam* fideles noſtri obtulerunt Majeſtati noſtræ quoddam privilegium, indultum eis & Eccleſiæ ſuæ à quondam *Luipoldo* Duce *Auſtriæ* felicis memoriæ, humiliter ſupplicantes, ut idem privilegium renovare & confirmare de noſtra gratia dignaremur, cujus tenor per omnia talis erat.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti, *Leupoldus* DEI gratia Dux Auſtriæ. Cùm protectionis noſtræ debito univerſaliter omnium Eccleſiarum injurias pro viribus noſtris propulſare, & pacì Eccleſiaſticæ providere jure debeamus, ſpecialiter tamen illas, quæ ſolùm nos in ſuis neceſſitatibus reſpiciunt, & quæ ad nos jure fundationis pertinent, quæ etiam nobis accuratiùs commiſſæ ſunt, ampliùs defenſare, & quieti ipſarum conſulere dignum iudicamus. Inde eſt, quòd nos paternæ inſtitutionis ſucceſſores in Eccleſia *Viennenſi Scotorum* exiſtentes, paternæ etiam pietatis ſequi decet devotionem, ut quæ ipſius diligentia eidem Eccleſiæ contulit, hæc & alia poſt hæc ſuperaddita diſtrahi nullatenus patiamur. Cùm enim varias & diverſas juſtitias in terra noſtra jure requirere debeamus, nos tamen redditus ipſius Eccleſiæ ab omni jure noſtro tam à placito provinciali, quod vulgò *Lantine* dicitur, quàm à pabulo, quod Marſtallo

Digitized by Google

stallo nostro solvitur, videlicet *Marchmutte*, penitùs excepimus, & liberos esse imperpetuum statuimus. Inde, siquidem divinæ contra Nos indignationis offensam provocare timeremus, ut, quod Patris nostri traditio ad æternam obtinendam salutem DEO obtulit, nos rursus ad usus nostros redire cogeremus. Nequis autem de cætero Judex sive Preco sive etiam Marschalcus aut quilibet officialis noster in bonis Fratrum prædictæ Ecclesiæ intus aut foris audeat nostræ repentinæ justitiæ, quam prorsus eis remisimus, aliquid exigere, districtè prohibemus, & præsentis Scripti nostri pagina, quod sigilli nostri impressione munivimus, interdicimus. Testes etiam subscribentes tam Liberos, quàm Ministeriales: *Chunradus* Comes de *Raker*, Comes *Conradus de Bilsteine*, Comes *Leupoldus de Pleien*, *Otto de Lengenbach*, *Ulricus de Asparn*, *Crafto de Amzinesbach*, *Ulricus de Rudenich*, *Hademarus de Kuneringen*, *Hichardus* Dapifer & frater ejus *Chadoldus*, *Albertus de Phaphstaide*, *Otto de Burchartsdorf*, *Bertholdus de Irrenstal*, *Ortolfus* Camerarius & alii, quàm plures. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo LXXXI. Regnante Domino nostro Glorioso Romanorum Imperatore *Friderico*. Datum *Viennæ* Kalen. Septembris.

Igitur pietate solita, qua profectum & libertatem omnium Ecclesiarum amplectimur, prædictorum Abbatis & Conventus devotis supplicationibus annuentes, divinæ retributionis intuitu & pro nostræ salutis augmento prædictum privilegium renovamus, & de plenitudine Imperialis gratiæ confirmamus: statuentes & præsentis scripti auctoritate mandantes, quatenus nulla persona, humilis vel alta, Ecclesiastica vel mundana, contra præsentis renovationis & confirmationis nostræ paginam ausu temerario venire præsumat. Quod qui præsumpserit, in vindictam temeritatis suæ quinquaginta marcas auri componat, quarum media pars Cameræ nostræ, reliqua verò passis injuriam persolvatur. Ad hujus itaque renovationis & confirmationis nostræ robur & memoriam perpetuò duraturam, præsens privilegium fieri & typario nostræ Celsitudinis fecimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt: W. Illustris Rex *Boëmiæ*, *Bertholdus* Patriarcha *Aquilegensis*, *Sifridus Maguntinus*, *Theodericus Trevirensis*, *Eberhardus Salzburgensis* Archiepiscopi, *Egebertus Babenbergensis*, *Sifridus Ratisponensis*, Imperialis aulæ Cancellarius, *Ruedegerus* Pataviensis, *Conradus Frisingensis* Episcopi, *Otto* Comes Palatinus *Reni Dux Bavariæ*, *Bernhardus* Dux *Karinthiæ*, *Hainricus* Lantgravius *Thuringiæ*, Comes Palatinus *Saxoniæ*, *Gotfridus* & *Conradus de Hohenloch*; *Conradus* & *Luitholdus de Hardeege*, *Otto de Sluenze*, *Heinricus* & *Bernhardus* Fratres de *Schowenberc*, *Kadolfus* Dapifer de *Veldespere*, *Hademarus* & *Rapoto de Schoeninberc*, *Hademarus de Sunnenberc*, *Heinricus de Prunnun*, *Hirinfridus de Hinperc*, *Heinricus de Seuelt*, & alii quàm plures.

Signum Domini *Friderici* Secundi DEI gratia Invictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, *Jerusalem* & *Siciliæ* Regis.

Acta sunt hec Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Ducentesimo Tricesimo sexto, Mense Martii decime Indictionis Imperante Domino nostro *Friderico* secundo DEI gratia invictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, *Jerusalem* & *Siciliæ* Rege, Imperii ejus Anno octavo decimo, Regni Jerusalem duodecimo: Regni verò Siciliæ Tric:simo octavo feliciter Amen.

Datum Wiennæ Anno, Mense, Indictione præscriptis.

CLII.

Idem confirmat omnes legitimas consuetudines & privilegia Parthenonis Erlahensis.

FRidericus DEI gratia Romanorum Imperator semper Augustus, *Jerusalem* & *Siciliæ* Rex, universis præsentes litteras inspecturis, fidelibus suis, gratiam suam & omne bonum. Supplicârunt Celsitudini nostræ Venerabilis Abbatissa & Conventus de *Erla*, fideles nostræ, ut ejus antiquas & approbatas consuetudines Ecclesiæ suæ, videlicet, ut Advocatia ipsius Ecclesiæ, uti debeant, annuatim jus, quod de more debetur, nostræ Curiæ persolvendo, & ut res & victualia Ecclesiæ liberè & sine aliqua telonei 1236. *Ex Autogr. P. H.*

Digitized by Google

lonei exactione per *Auſtriam* faciant deportari, ſicut uſæ ſunt temporibus quondam Ducis *Lupoldi* dilecti Principis noſtri, obſervare de noſtra gratia dignaremur. Cùm igitur omnes fideles noſtros, & præcipuè perſonas DEO dicatas velimus in ſuis juribus, ac approbatis conſuetudinibus obſervari, ſuis juſtis precibus annuentes Univerſitati veſtræ præcipimus & mandamus, quatenus præmemoratam Abbatiſſam & Conventum, fideles noſtras, tam in Advocatia, quàm in rebus victualibus Eccleſiæ ſuæ deportandis, ſicut temporibus dicti quondam Ducis *Lupoldi* dilecti Principis noſtri, bonæ memoriæ, conſueverunt, moleſtare nullatenus præſumatis. Quod qui præſumpſerit, indignationem noſtri culminis ſe noverit incurſurum. Ad hujus itaque rei memoriam, & robur eis in poſterum valiturum, præſens ſcriptum fieri juſſimus ſigillo noſtro munitum.

Datum apud *Hyennam* Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Ducenteſimo Triceſimo ſexto, Menſe Januarii, Decimæ Indictionis.

CLIII.

Fridericus Dux Auſtriæ Egloſſo Abbati S. Crucis indulget facultatem ac jus villam Sulz perpetuò poſſidendi.

1236. *Ex Autogr.* P. H.

FRidericus DEI gratia Dux *Auſtriæ* & *Styriæ* &c. Ad notitiam univerſorum volumus pervenire, quòd nos intuitu DEI præcipuè, & ob reverentiam Sanctorum in Monaſterio *Sanctæ Crucis* quieſcentium, nec non propter merita ac ſervitia *Egloſſi* ejuſdem Cœnobii Abbatis, hanc gratiam dicto Monaſterio fecimus, ut ipſe & Monaſterium Villam *Sulz* cum omnibus attinentiis perpetuò poſſideat ſine lite, quam villam Dux *Henricus de Medliko* olim poſſederat, & nos ſibi ſucceſſimus in eadem. Et ne aliquis Succeſſorum noſtrorum prædictam Donationem valeat revocare, præſentem Chartam ſibi dedimus, ſigillorum noſtrorum munimine roboratam.

Datum in *Medliko* XV. Kalendas Novembris, Anno Domini Milleſimo, Ducenteſimo, Trigeſimo ſexto.

CLIV.

Concambium inter Cunradum Præpoſitum Clauſtroneoburgenſem & Hugonem de Molanſtorff de quibuſdam pratis &c.

In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti amen! 1236. *Ex Autogr.* P. H.

NOtum ſit univerſis, præſentem leCturis paginam, quòd nos *Chunradus* Præpoſitus *Neunburgenſis*, & totus Conventus concambium fecimus cum Domino *Hugone de Molansdorf*, dantes ſibi duo prata majora, & tria minora ſita juxta prædictum caſtrum ſuum, quæ nobis nulli cedebant uſui, in noſtros uſus cambio redigentes. Prædictus verò *Hugo* dedit Eccleſiæ noſtræ duas curtes, & dimidium beneficium in *Phaffteten*, penſionem IX. Solidorum annuatim perſolventes. Præterea cenſum annuum in dicto loco XXX. denariorum de quadam vinea nobis dedit. Sed & omnem ſuam juriſdictionem tam in Advocatia, quàm in aliis cum fundo nobis contulit, heredum ſuorum unanimi de conſenſu.

Hujus rei teſtes ſunt: *Fridericus* Decanus, & totum Capitulum, *Dietricus* Officialis de *Meuerlinge*, *Wolfelo* de *Phaffteten*, & alii plures.

Actum publicè in *Neunburch* Anno Dominicæ Incarnationis M.CCXXXVI. Indictione VIIII. præſentibus teſtibus ſupraſcriptis.

CLV.

Rudegeri *Epiſcopi Patavienſis litteræ conceſſionis, quibus Abbati & Conventui S. Mariæ ad Scotos Viennæ, conceditur, ut, à morte Plebani, qui tum in Eccleſia Pulkavenſi dignoſcebatur præſidere, illi unum de Fratribus inſtituendi in eadem Eccleſia liberam habeant poteſtatem.*

RUdegerus DEI gratia *Patavienſis* Epiſcopus, omnibus præſentem paginam inſpecturis ſalutem in omnium Salutari. Per præſens ſcriptum notum ſecimus univerſis, quòd Nos petitionibus dilectorum in Chriſto Fratrum Abbatis & Conventus *Sanctæ Mariæ* apud *Schotos in Wienna* inclinati, indulſimus eiſdem, ut poſt tempora vitæ Plebani, qui 1237. *Ex Autogr.* P. H.

Digitized by Google

iam Ecclesiæ in *Pulka* dinoscitur præsidere, Abbas *Schotorum* unum de Fratribus instituendi in eadem Ecclesia habeat potestatem. Et ne in posterum super tali iure aliqua ipsis possit calumnia suboriri, præsentem paginam sigilli nostri impressione & testium subscriptione duximus roborandam.

Testes sunt hi: *Chunradus* Decanus *Patavienſis*, *Chunradus* Plebanus maioris Ecclesiæ, & *Vlricus de Mæminge* Canonicus *Patavienſis*.

Actum anno Domini M. CC. XXXVII. Potificatûs nostri Anno quarto.

CLVI.

Bertholdus Patriarcha Aquilegienſis quarundam decimarum possessionem Cartusiæ Seitzensi confirmat.

1237. *Ex Archiv. Seitz.*

BErtholdus DEI gratia Sanctæ *Aquilegensis* Diœcesis Patriarcha Dilectis in Christo Fratribus, *Petro* Priori & Conventui de *Seitz* Ordinis Cartusiensis, salutem, & ipsorum apud DEUM orationibus adiuvari. Cùm & plantare religionem, & plantatam fovere modis omnibus teneamur, nos vestris iustis petitionibus inclinati, concessionem decimarum in plebe ad *Gonovvitz*, & in plebe de *Chose*, item in plebe de *Sluntz*, atque in plebe *Sancti Leonhardi*, a felicis memoriæ *Otocharo* Styriæ, & *Liupoldo* Austriæ & Styriæ Ducibus, Monasterio vestro factam, de consensu Capituli nostri ratam habemus ac firmam, ac præsentis scripti munimine confirmamus.

Datum apud *Utinum* anno Domini M.CC.XXXVII. Indictione X. IV. Kal. Jun. præsentibus *Friderico Concordiensi* Episcopo, *Jacobo Mosacensi* electo, *Johanne* Præposito S. Stephani, *Bertholdo Villacensi* Archidiacono, Magistro *Philippo & Gerardo* Canonicis *Aquilegensibus*, ac plerisque aliis. Et ut hæc præsens pagina robur obtineat perpetuæ firmitatis, ipsam sigillo nostro & *Aquilegensis* Capituli iussimus insigniri.

CLVII.

Fridericus II. *Imp. Monasterio S. Crucis omnes concessiones eidem à Ducibus Austriæ factas confirmat.*

1237. *Ex authent. P. H.*

NOs *Fridericus* DEI gratia Romanorum Imperator semper Augustus; *Jerusalem*, & Siciliæ Rex, per præsens scriptum notum fieri volumus universis Imperii fidelibus tam præsentibus, quàm futuris, quòd Venerabilis Abbas, & Conventus Monasterii *Sanctæ Crucis* in *Austria*, fideles Nostri, Celsitudini Nostræ humiliter supplicârunt, quòd cùm ex concessione quorundam Ducum *Austriæ*, qui ipsum Monasterium fundaverunt, propria victualia Domorum suarum, videlicet annonam, vinum, caseos, sales; pisces, oleum, & pecudes ad usus suos tantùm, sine teloniis, vectigalibus; & aliis exactionibus tam in terris; quàm in aquis liberè ducere consueverunt, Nos eis libertatem ipsam concedere Nostra gratia dignaremur. Nos igitur, qui Religiosas personas, & loca DEO dicata digno favore prosequimur, eorum supplicationibus inclinati libertatem ipsam eis de gratia Nostra concedimus, prout ex concessione dictorum Ducum & eorum temporibus soliti sunt habere: secundùm quod etiam in privilegio Nostro, dicto Monasterio à Nobis indulto Bulla aurea impressa, tipario Nostri culminis insignito pleniter continetur.

Quare mandamus & præcipimus Fidelitati Vestræ, quatenus nullus sit, qui dictum Abbatem & Conventum Monasterii *Sanctæ Crucis in Austria*, fideles nostros, super aliquibus autu temerario contra prædicti privilegii, & præsentis scripti tenorem offendere vel impedire præsumat, sicut pœnam privilegio ipso impositam, & indignationem Nostram desiderat evitare. Ad huius itaque Concessionis Nostræ memoriam, & constantem firmitatem præsens scriptum fieri, & sigillo nostro iussimus insigniri.

Datum apud *Viennam* anno Dominicæ Incarnationis Millesimo, Ducentesimo tricesimo septimo, Mense Februarii Decime Indictionis.

CLVIII.

Chunradus Episcopus Frisingensis concedit Monasterio Rotensi immunitatem solvendi telonii Monacensis.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis *Chunradus* DEI gratia *Frisingensis* Ecclesiæ Episcopus in perpetuum, amen. Notum esse volumus universis, ipsis quoque telonariis nostris Mo-

1237. *Ex Archiv. Rot.*

Monaci iam inſtitutis, nec non in futurum inſtituendis, quòd nos devotioni ac petitioni dilecti & venerabilis in Chriſto Fratris noſtri *Heinrici* Abbatis de *Roth* pium præbentes aſſenſum, omnia bona ſua, frumentum ſive alia quæcunque, quæ ad præbendam fratrum ſuorum pertinere videntur, ibidem ſine telonei ſolutione liberè tranſducantur.

Ut autem hæc noſtræ benevolentiæ conceſſio *Rothenſi* Monaſterio firma maneat & ſtabilis, hanc paginam inde conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione fecimus roborari. Teſtes ſunt hi: *Hainricus* Abbas de *Tegirnſee*, *Vlricus* Abbas de *Wihenſteven*, *Otto* Præpoſitus de *Diethramiſcelle*, *Eberhardus* Decanus *Friſingenſis*, *Fridericus* Præpoſitus *Sancti Andreæ*, *Uthalcus* Præpoſiti *Sancti Viti*, *Iſenric de Waldegge*, *Hainricus de Vagin*, *Engilbvanus de Ahdorf*, & alii quàm plures.

Datum *Friſingæ* anno Incarnationis Domini MCCXXXVII. Indict. XI. XV. Kal. Novemb.

CLIX.

Bulla Gregorii Papæ IX. *ad Fridericum Abbatem Lunælacenſem, quâ confirmatur provida liberalitas, facta Monaſterio à Rudigero Epiſcopo Patavienſi de uſu proventuum Eccleſiarum Steinekirchenſis & Wiſelburgenſis.*

1238. *Ex autograph. P. H.*

GRegorius Epiſcopus, Servus Servorum DEI, Dilectis filiis Abbati, & Conventui Monaſterii *Sancti Michaelis in Menſee*, Ordinis S. Benedicti, Patavienſis Diœceſis,

Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm à nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilecti in Domino Filii, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, *S. Michaelis de Steinekirchen*, & *S. Wolfgangi de Wiſelburg* Eccleſias cum pertinentiis earundem, quas Venerabilis Frater noſter, *Patavienſis* Epiſcopus, loci Diœceſanus, Capituli ſui accedente conſenſu, Monaſterio veſtro, ùt aſſeritis, pia & provida liberalitate conceſſit, ſicut eas iuſtè, ac pacificè poſſidetis, vobis, & per vos eidem Monaſterio, Auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum iram ſe noverit incurſurum.

Datum *Viterbii* XVII. Kal. Octobris, Pontificatûs noſtri anno XI.

CLX.

Delegatur Monaſterio Sanct. Crucenſi pratum aliquod, civitati Pruk ad Litaham vicinum, à Dominis in Trautmanſtorff.

NE, quod in tempore agitur, ſimul cum tempore evaneſcat, ſcriptis ſolet æternari, & ſigillorum teſtimonio roborari. Innoteſcat ergo tam præſentibus quàm futuris, quòd Nos *Dietricus Stephanus*, *Vlricus* Domini in *Trautmanſtorff* Pratum vicinum civitati *Pruke trans flumen Lytahe*, à profundo fonte ſurſum ad magnam ſtratam, quæ ducit ad villam . . . de civitate & per ipſam ſtratam, ſicut terminis eſt diſtinctum, ad lacum pervium tendens, quod à Progenitoribus noſtris iure nobis hereditario ſucceſſerat, in remedium animarum noſtrarum & eorundem Parentum noſtrorum Eccleſiæ *S. Crucis* delegavimus iure perpetuo poſſidendum. Cùm enim Progenitores noſtros ipſos dictum pratum, minùs debitè per multa tempora tenuiſſe vereremur, eò quòd dicto Monaſterio crederetur potiùs attinere, ipſum Cœnobio remittendo defunctorum animabus adcrevimus ſuccurrendum, noſtratum quoque, qui vivimus, periculum evitandum. Ut autem hæc ipſa delegatio rata maneat & inconvulſa, præſentem paginam ſcribi & ſigillorum noſtrorum appoſitione ſtatuimus roborari.

1240. *Ex autograph. P. H.*

Datum Anno Domini M. CC. XL.

CLXI.

Fridericus Dux Auſtriæ confirmat donationem, à Patre Leopoldo Capellæ S. Johannis Bapt. Clauſtroneoburgi factam.

1240. *Ex Autogr. P. H.*

FRidericus DEI gratia Dux *Auſtriæ* & *Styriæ* & Dominus *Carniolæ*, omnibus hanc litteram inſpecturis ſalutem.

Laudabile eſt ſcripturæ teſtimonium, quia oblivionis tedimit detrimentum, emergentem reprimit calumniam actionum, extinguit etiam erroris fomitem naſciturum. Cùm itaque beatæ memoriæ Dux *Liupoldus*, Pater noſter, ob remedium animæ ſuæ novem manſos & dimidium, ſitos in villa, quæ vocatur *Rorbach*, apud quendam Civem ſuum *Wiennenſem*, *Chunradum* nomine, *Perrer* cognomine, pro quinquaginta Marcis argenti empros, & Jus montis, quod vulgatiter dicitur *Perchrecht*, cum ſylva quadam prædictæ villæ adjacente, Capellæ S. Johannis Baptiſtæ in *Nivvenburch* pro dote contulerit, ut Clericus quilibet, cui collata fuerit, divinis ibidem inſudando ſervitiis, ad ſui ſuſtentationem, his perpetuò redditibus fruetur: Nos in hoc remedio, ſicut decet Principem Katholicum, favorabiliter imitantes, prædictorum reddituum collationem, poteſtate noſtra, voluntate promptiſſima confirmamus: conſcriptam hanc litteram, ad tollendam omnem calumniam, quæ impoſterum per malivolos vel invidos contra talem * emoſynam, à Patre noſtro factam, & noſtram confirmationem poſſit aliquomodo provenire, noſtri ſigilli munimine roborantes.

Hujus rei teſtes ſunt: *Heinricus* tum Præpoſitus *Patavienſis*, *Liupoldus* Plebanus de *Heimburch*, Magiſter *Liupoldus* Prothonotarius noſter, Magiſter *Ulricus de Chirchberch*, *Ulricus* Plebanus de *Ruſpach*, *Chunradus* Plebanus de *Miſtelbach*, *Reinherus* Notarius, *Marquardus* Notarius, Magiſter *Symon* Phyſicus noſter, *Chunradus* Comes de *Hardeke*, *Anſhalmus de Juſtinge*, *Chadoldus* Dapifer *de Veldeſperch*, *Heinricus de Sevelde*, *Hademarus de Sunnenberch*, *Heinricus de Prunne*, *Chunradus de Hintberch*, *Ulricus de Pilhiltdorf*, *Ditricus de Rorovve*, *Heinricus de Liechtenſtein*, & alii quàm plures, quorum nomina exprimere non oportet.

Acta ſunt hæc in *Nivvenburch* ex parte Clauſtri, Anno ab incarnatione Domini M. CC. XL. Menſe Marcio VI. Kal. Aprii.

CLXII.

Idem Dux Auſtriæ profitetur & enumerat feuda, quæ ab Eccleſia Patavienſi obtinet poſſidetque.

NOs DEI gratia *Fridericus*, Dux *Auſtriæ* & *Styriæ*, & Dominus *Carnioliæ*, præſentibus litteris profitemur, quòd nos materna beneficia *Patavienſis* Eccleſiæ devotione filiali non immerito recolentes, ne his, quæ nobis tanquam unigenito contulerat, ſi inteſtati ſublati fuiſſemus de medio, privaretur, ſperantes nobis apud DEUM eſſe meritum, ſi ſaluti animæ noſtræ & profectui præfatæ Eccleſiæ per nos caveretur, providere in futurum principaliter hac in parte, ecce coram dilecto Domino & amico noſtro Venerabili *Rudegero*, *Patavienſi* Epiſcopo, in forma * confeſſionis & pœnitentiæ conſtituti, adjurati per ipſum, ſuiſque adhortationibus inclinati, proteſtati fuimus, ſubſcripta omnia cum aliis omnibus, quæ memoriter non recolimus, quæ ipſe nihilominus proceſſu temporis per ſcrutinium diligentis inquiſitionis poterit experiri, nos poſſidere ab Eccleſia *Patavienſi* titulo feodali. Sunt autem hæc:

1242. *Ex apographo Salzburg.*

* *f.* foro.

Advocatia Eccleſiarum *Cremſmynſter*, Sancti *Floriani*, *Erlach*, *Walahuſen*, Sancti *Ypoliti*, *Gettwicenſis*, S. *Georgii*, *Altenburg* & *Sittanſtettin*. Item civitates in *Linza*, in *Anaſo*, *Gremſa* ex ea, qua monti adjacet, parte. Item *Lorchvelde* cum omnibus ſuis attinentiis. Item villas *Trebenſe*, *Stuchilen*, & quicquid inter illa eſt. Item *Kirchbach*, & ea, quæ ſunt circà in decimis & foreſto. Item omnes decimæ, quas habemus in Diœceſi *Patavienſi*, maximè tamen circa *Frienſtatt*, & prædium in *Longvelde* cum ſuis decimis, curiam *Standorff*, item *Gabiz*, *Chrutte*, *Richvvinſdorff*, & quicquid habemus ibidem. Item decimæ in *Lauchſe* & circa *La* & in partibus illis. Item villa in *Poumgartten*, in *Widen*, in *Chuendorff*, in *Zvverendorf*. Item decimæ in *Probeſtorff* & in *Wixlinſtorf*.

Item

Item Advocatia poſſeſſionum Eccleſiæ in *Zeizenmur* & in *Mutarn.* Item duodecim Parochiales Eccleſiæ *Heimburch*, *Stillfrit*, *Ruſpach*, *Valchenſtein*, *Polan*, *Gors*, *Reze*, *Widervelde*, *Hollaprunnen*, *Miſtelbach*, *Lyz* & *Probeſtorf.* Item villa in *Geizrucke* & in *Ekindorf.* Item Advocatia *Michelbach*, *Piſchofeſtorf* circa *Litam* & in *Nivviſidel.* Item duæ vineæ apud *Stein*, quas habuit *Gotfridus* Cameratius. Item quicquid habet *Hartmannus de Orte* in *Pfaffenberge.* Item Paſſagium in *Mutarn.* Item feodum Advocati *Ratiſponenſis.* Dimidia pars decimæ vini an dem *Mezberge* apud *Nivvenburch.* Item in *Hadmarſtorff* XII. domos decimales, in *Rukersdorff* XIII. in *Scvvarn* V. & tertia pars de duabus domibus in *Meinhartsrorff*, in *Reze* VII. domorum decimæ, in *Malmaſtorff* VII. in *VVentelſtorff* IV. in *VVeinz* III. in veteri *Alſekh* decima vini ad tres caratas. In novalibus *Ligeſtorff* tria talenta & viginti denarii & LX. pulli in feſto Michaëlis.

Item decimæ in foro *Lengenbach* IV. modii ſiliginis & avenæ Purchmutte. Item decimæ circa *Perſnich* & *Chapellen* ad æſtimationem C. modii de quolibet grano *Tpolitenſis* menſuræ, XIV. porci. Item *Saibechonis* circa S. Georgium LX. modii de omni grano ejuſdem menſuræ. Item decima in *Sirnich* XVIII. modii *Tpolitenſis* menſuræ. In *Pechlarn* decima vini ad * carrat. & duæ partes decimarum ibidem ad Chafmutte, & VIII. ſit Friſhinge & I. Speehſvvin. Item ad S. *Petrum in Ovve* ad XXIV. modios avenæ Chafmutt. De alia decima ibidem VIII. talenta. Item decima in *Linz* LX. ſcaphas. Item decima Eccleſiæ *VViennenſis*, & in alia tam in poſſeſſionibus quàm decimis & hominibus, quorum ad præſens memoriam non habemus. In cujus rei teſtimonium præſentem litteram roboratam ſigilli noſtri munimine ſibi damus.

Datum *Patavie* anno Domini MCCXLI. Quinto Idus Martii.

CLXIII.

Wilhelmus de Hobeneke Carthuſiæ Seitzenſi pro damnis antea illatis diverſas poſſeſſiones confert.

1241. *Ex Ar-* IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Cùm omnium facta mortalium temporalem ſequuntur motum, & pereuntibus hominibus ſimul & eorum acta intereant, neceſſe eſt, ut, quæ ſuâ naturâ tendunt ad interitum, litterarum adminiculo fulciantur, ne à poſterorum memoria fluxili dilabantur. Hinc eſt, quòd nos *Wilhelmus de Hobenche* præſentis ſcripti teſtimonio tam pie præſentibus quàm futuris innoteſcere volumus, quòd nos aliquando noſtra culpa & immerito *Eccleſiæ Vallis Sancti Iohannis* damna ſatis gravia & diverſa intulimus, ſicut non oportuit, nec decebat. Tandem ad nos reverſi, & divino nutu ammoniti, prædictæ Eccleſiæ & Fratribus ibidem DEO famulantibus de illatis ſatisfacere cupientes, ipſos cum devotione convenimus ſicut pios: & in villa, quæ *Lintenpach* dicitur, in qua Filius noſter *Lupoldus* piæ memoriæ memoratæ Eccleſiæ per conſenſum noſtrum Quinque manſus pro remedio animæ ſuæ in articulo mortis donaverat, nos alios Quinque manſus in eadem villa præfatæ Eccleſiæ & Fratribus ſupererogavimus pro emenda. *chivo Seitz.*

Inſuper ad eorum benevolentiam ampliùs obtinendam Sorori noſtræ Dominæ *Elizabeth de Miltenburch* conſuluimus, & aſſenſum præbuimus, ut in Villa *Strenzevvitz* Quatuordecim manſus prænominatæ Eccleſiæ, partim pro ſalute animæ, partim pro pretio decem & octo Marcarum venderet & donaret. Quod & ipſa, ſicut bonorum actuum inſtauratrix, illico effectui mancipavit, & per manus noſtras dictos manſus donatos ſive venditos ſuper altare Sancti Johannis contulit & tranſmiſit.

Deinde brevi ſuccedente tempore, ſuperveniente nobis corporis infirmitate, & morbo acutiſſimo invaleſcente, teſtamentum diſponere decrevimus, in quo inter cætera, mediante Domino *Ottone* Plebano de Nova Eccleſia, Confeſſore noſtro, & Priore Domino *Petro*, & Plebano *de Bonikel* & aliis quàm pluribus, ſæpedictæ Eccleſiæ ob ſalutem & remedium animæ noſtræ ac Parentum noſtrorum ſex manſus in villa *Bretenbuch*, & alios decem in villa *Suverzovvitz*, cum omnibus ſuis pertinentiis ſive ſylvis, ſive campis, piſcationibus, venationibus, ſive quibuſcunque cenſeantur nominibus, perpetuâ erogavimus hæreditate.

Nec ignorandum ducimus, quòd omnia

omnia ſupradicta donata, ſive quæ ſoror noſtra ſuperiùs nominata, ſive quæ nos Eccleſiæ *Vallis S. Johannis* donavimus, tali titulo contulimus, ut nullus ſucceſſorum noſtrorum aliquid juris ſive Dominii alicujus, & præcipuè Advocatiæ, in illis prædiis ſibi debeat aliquatenus uſurpare: ſed ea libertate, qua Anteceſſores noſtri, & nos ipſa poſſedimus, tali jam dictam eccleſiam & ejus incolas ſuper datam ſcilicet à nobis terram liberos & perpetuos ordinavimus poſſeſſores. Ne igitur hanc donationem, noſtram ac ſororis noſtræ, perfidorum calumnia laceſſere attentaverit, ſed ut magis multorum teſtimonio fulciatur, prænominatæ Eccleſiæ præſens documentum fieri, & noſtro ſigillo juſſimus communiri.

Hujus itaque rei teſtes ſunt *Petrus* Prior *Vallis S. Johannis*, *Cunradus* Sacerdos & ſuperiùs nominati Plebani, *Wilhelmus de Hoheneke*, *Cunradus de Levvenbach*, *Heinricus de Gratz*, *Hermannus de Pilſtein*, *Heinricus de Grunah* & frater ſuus, *Hugo de Hoheneke* & cæteri quamplures.

Acta ſunt hæc anno ab incarnatione Domini MCCXLI. Menſe Junio.

CLXIV.

Rudgerus *Epiſcopus Patavienſis Abbatem & Conventum S. Crucis liberos pronuntiat ab omnibus veſtigalibus, quæ nomine Mutæ exiguntur.*

1243. *Ex Authent. P. H.*

RUdgerus DEI gratiâ *Patavienſis* Epiſcopus fidelibus ſuis Officialibus in *Patavia*, gratiam ſuam & omne bonum.

Continentiâ litterarum præſentium vobis conſtet, quòd Nos Dilectis in Chriſto Fratribus Abbati & Conventui *Sanctæ Crucis* omnia Jura, quæ ratione Mutæ de navibus, ſalem & alia, quocunque cenſeantur nomine, ad ipſos ſpectantia deferentibus, nos deberent contingere, relaxamus. Auctoritate itaque literarum præſentium vobis firmiter inhibemus, ne ab ipſorum navibus quæcunque victualia deferentibus, nomine Mutæ vel Mutarum aliquid exigatis, permittentes eas remoto impedimento quolibet, cùm ad vos pervenerint, liberè pertranſire. Ut autem in ipſorum navium tranſitu quælibet abeſſe debeat difficultas, in ſortem penſionis noſtræ, quidquid de navibus ſupradictis vos recepturos ſperaveritis, volumus computari. Et ut hæc noſtræ Donationis indulgentia Eccleſiæ dicti Conventus debeat inviolabiliter obſervari, eandem robore literarum præſentium confirmamus, quas & Nos ipſi Eccleſiæ damus in teſtimonium & cautelam.

Actum Anno Domini M. CC. XL. III.

CLXV.

Compoſitio Friderici Ducis Auſtriæ & Bavariæ cum Rudigero Epiſcopo Paſſavienſi, cujus ille poſſeſſiones & homines in ſpecialiſſimum favorem aſſumit &c.

1243. *Ex Authent. P. H.*

FRidericus DEI gratia Dux *Auſtriæ & Bavariæ*, & Dominus *Carniole* &c. Omnibus hanc litteram inſpecturis ſalutem. Tenore præſentium innoteſcimus univerſis, quòd nos cum Domino noſtro & in Xpo Patre *Rudegero* Venerabili *Patavienſi* Epiſcopo, in plenam amicitiam reformati, zelum dilectionis ſincerum ei ſemper gerere cupientes, & fidelitatis debitum, quo ſibi & Eccleſiæ ipſius tenemur, devotiſſimè adducentes, ipſum & homines, & poſſeſſiones, & omnia Eccleſiæ ſuæ pertinentia, in noſtrum favorem ſpecialiſſimum aſſumimus, & tutelam promittentes &c. & nos fideliter obligantes, quòd ad omnia, quæ honori & utilitati priùs fati Domini noſtri & Eccleſiæ ipſius expediunt, conſilio & auxilio, totisque noſtræ poſſibilitatis viribus affectu ſinceriſſimo intendimus, ipſum cum Eccleſia ſua in nullo neceſſitatis articulo deferentes, ſed opem ei gratuitam ad omnia conferentes. Super his utique duximus ei præſentem literam porrigendam, viris idoneis, qui aderant, annotatis, qui ſunt: *Eberhardus* Archiepiſcopus *Salzburgenſis*, *Heinricus* Eps. *Sekovienſis*, *Liupraudus* Archidiaconus *Karinthiæ*, Comes *Chunradus de Hardeke*, Comes *Otto de Orttenburch*, *Heinricus* Nobilis de *Schovvenberg*.

Actum in *Gretze* Anno ab incarnatione Domini MCC. XLIII. Id. Julii.

CLXVI.

Digitized by Google

CLXVI.

Rudegerus Epiſcopus Patavienſis agnoſcit Eccleſiam in Loco Sancto filialem eſſe Eccleſiæ S. Martini, quæ ad Monaſterium Clauſtroneoburgenſe pertinet.

1243. *Ex autograph.* P. H. * *Vulgò nunc* Heiligen Statt.

RUdegerus DEI gratia *Patavienſis* Epiſcopus, præſentem litteram inſpecturis ſalutem in Domino.

Vacante Eccleſia in *Sancto Loco* * Dilecto in Chriſto Fratri Præpoſito *Neunburgenſi*, inſtitimus ammonitionibus & mandatis, ut eidem Eccleſiæ deberet in Paſtore legitimo providere. Idem verò Præpoſitus recepta legatione noſtra, Nobis quædam obtulit inſtrumenta, ex quibus Nobis plena fides facta eſt, quòd eadem Eccleſia, Parochialem Eccleſiam *in Sancto Martino* immediatè, tanquam Matrem ſubiectione reſpiciat filiali. Et ne in præiudicium iuris & libertatis prætatæ Matricis Eccleſiæ, quicquam calumniosè vel iniuriosè debeat attentari, præſentem litteram ad cautelam & teſtimonium conſcribi fecimus præmiſſorum.

Datum *Viennæ* Anno Domini Milleſimo CC. XLIII. XVI. Kal. Maji.

CLXVII.

Innocentius IV. P. M. concedit Indulgentias accedentibus ad Monaſterium S. Crucis eo die, qua particula quædam Dominicæ Coronæ a Duce Auſtriæ eò tranſ. lata fuit.

1245. *Ex authent.* P. H.

INnocentius Epiſcopus, Servus Servorum DEI dilecto Filio Nobili Viro, Duci *Auſtriæ* ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Licet is, de cuius munere venit, ut ſibi à fidelibus ſuis dignè ac laudabiliter ſerviatur, de abundantia pietatis ſuæ merita ſupplicum excedit & vota, benè ſervientibus multò retribuat maiora, quàm valeant promereri: Nihilominùs tamen deſiderantes reddere Dominò populum acceptabilem, fideles Chriſti ad complacendum, & quaſi quibusdam illectum præmiis, & indulgentiis ſcilicet & remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur, ut Monaſterium *Sanctæ Crucis* Ciſtercienſis Ordinis, *Patavienſis* Diœceſis, in quo particula Coronæ Dominicæ, quam tibi Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Rex *Franciæ* Illuſtris tranſmiſiſſe dicitur, ſub veneranda ſervatur cuſtodia, congruis honoribus frequentetur, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui Monaſterium ipſum in die, qua ibidem particula ipſa Dominicæ coronæ translata fuit, venerabiliter viſitaverint annuatim, de Omnipotentis DEI miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, quadraginta dies de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus.

Datum *Lugduni* V. Idus Martii, Pontificatûs Domini Innocentii Papæ IV. Anno II.

CLXVIII.

Ottonis, cognomento Turſonis, donatio facta Monaſterio S. Crucis Pilgrino Abbate.

CUm diminutæ ſint veritates à Filiis hominum, aliena pro calumnia quærentium, Ego *Otto*, dictus *Turſo* præcavere volens futuræ contentionis moleſtiam in factis meis memoriâ dignis notum facio univerſis præſentem paginam inſpicientibus, quòd quatuor manſos meos &c. Dilectis meis Dominis Venerabili Abbati *Pilgrino* & Conventui *Sanctæ Crucis* contuli manu poteſtativa de pleno & pio conſenſu uxoris meæ *Agnetis* & *Hartungi* Fratris mei aliorumque Parentum meorum, tali ſponſione recepta de Domino Abbate & Cellerario, quòd in die Omnium Sanctorum dabitur Conventui plenum ſervitium in piſcibus, ſimila, caſeis & vino meliori, ſingulis annis, ſublata qualibet occaſione inexeuſabili & ſuſcepta. * Porrò ipſi Fratres in via mandatorum Divinorum currentes devotæ orationis hoſtiam ſalutarem pro me ac pro meis Progenitoribus tantò attentiùs offerre dignabuntur, quantò uberiùs experti fuerint affectus mei benevolentiam cum effectu. Ad huius rei certam evidentiam præſentem paginam exinde conſcriptam ſigillo meo diligentiùs roboravi,

1246. *Ex authent.* P. H. * *f.* per calumniam. * *f.* ſuſpecta.

Actum anno gratiæ M. CC. XL. VI.

Digitized by Google

CLXIX.

Lintholdus Comes de Haràecke villam Hoſtein propè caſtrum Greiffenſtein Monaſterio Clauſtroneburgenſi confert.

1248. *Ex Autogr. P. H.*

QUæ geruntur a viris prudentibus, ne qua poſſint adtentari calumnia, litterarum ſolent memoriâ perennari. Nos igitur *Liutoldus* Comes, dictus de *Hardekke*, præſentium tenore ad univerſorum notitiam volumus pervenire, quòd villam, dictam *Hofelin*, Caſtro dicto *Griffenſtein* contiguam, iure hereditario, nec non proprietatis titulo, nobis addictam, cum foreſtis, nemoribus, tertia dimidia carrata vini decimalis, & cum ſuis pertinentiis quibuslibet, ob remedium animarum progenitorum noſtrorum & noſtræ, Domino *Chunrado* Venerabili Præpoſito in *Nuinberch*, & eidem Eccleſiæ, manu poteſtativa, excluſa reclamatione qualibet, per manum Nobilis ac Illuſtris Patruì noſtri domini *Chunradi* Comitis *de Hardekke* ſupradicto iure, quo eandem liberè poſſedimus, contulimus perpetuò poſſidendam.

Huius quoque rei gratiâ eiuſdem Eccleſiæ Præpoſitus *Chunradus*, una cum confratribus ſuis nobis Centum & XV. libras denariorum *Wiennenſis* monetæ evidentiùs erogârunt, adiecto iure Patronatus, quod in Eccleſia in prædicta villa conſtituta, cum rebus, quibus eadem iam dudum extitit prædotata, noſcimur habuiſſe. Habet igitur prælibata Eccleſia in *Hovelin* homines ſingulos conſtitutos: In *Utinsdorff* duo beneficia: In *Idungeſperg* duo beneficia: In *Sinvvellenvelde* unum beneficium: In *Steten* unum beneficium: In *Spilarn* unam aream: In *Ercinsdorf* duo beneficia: In *Sulz* unam vineam, ſalvis univerſis tum villæ ſæpe dictæ, tum Eccleſiæ eiusdem adtinentibus, ſuper quibus tempore datæ requiſitionem ac inquiſitionem abundantiorem habere nequivimus, ùt decebat. Verùm ne quisquam a propagine noſtri generis nunc generatus, ſive in antea generandus, hanc noſtram liberam donationem in poſterum uſus calumniâ valeat infringere revocando, & ut præſcripta *Niumburgenſis* famoſa Eccleſia, in huiusmodi facto robore gaudeat perpetuæ firmitatis, præſentem paginam, in teſtimonium præſcriptorum evidens, cum ſubnotatis teſtibus, noſtri& Dominorum terræ ſigillorum munimine fecimus roborati.

Huius rei teſtes ſunt: *Sanctæ Crucis*, Eccleſiæ *Scotorum in Wienna*, Eccleſiæ de *Lirenvelde* * Abbates. Illuſtris Dominus *Otto* Comes de *Eberſtein*. Nobilis Comes *Chunradus de Hardekke* Dns *Otto de Sleuntz*. Dns *Albero* & Dns *Hadmarus de Chunring*, Dns *Otto* & Dns *Aloldus* fratres *de Miſſovve*. Dns *Rapoto* & Dns *Hadmarus de Valchenberch*. Dns *Henricus de Hakkenberg*. Dns *Rudolphus de Potendorf*. Dns *Otto* & *Henricus* fratres de *Perchtoldesdorf*. Dns *Vlricus de Wolfkgerstorf*. Dns *Henricus de Merſvanch*. Dns *Wolfkerus de Parovve*. Dns *Vittus* Officialis de *Nuinburch*. Dns *Wiſinto de Sancto Loco*. Dns *Pruuricus de Toblich*. Dns *Rudgerus de Nuzdorf*, *Chunradus de Nuzdorf*, *Vlricus Neuzel*, *Vlricus Rudolfus* filii eiuſdem. *Arnoldus* gener Domini *Wiſintonis de Sancto Loco*. *Chamber* ambo fratres in *VVienna*. *Giſelherus*, & vitricus filii Domini *Giſelheri de VVienna*. Dns *Henricus* dictus *Pirkan*. Dns *Ringerus de Hadmarsdorf*. Dns *Henricus de Rorbach*. *Ortolfus de Hadmarsdorf*. *Hertvvicus de Nuinburch Snabel*. *Gerungus de Chogelnprunne*. *Aloldus*. *VValtherus*, *Henricus de Haiderinsdorf*. Item Dns *Albero* Dapifer *de Veldesperch*. Dns *Hadmarus de Sunnenberch*, & alii quàm plures, quorum nomina longum foret enumerando diffinire. Inſuper ob tutelæ maioris copiam fratres pro teſtibus etiam fecimus annotari. Dns *Arnoldus* Decanus. Dns *Vlricus de Gnannendorf*. Dns *VValtherus* Cuſtos. Dns *Pabo*. Dns *Ortolfus de Griffenſtein* Camerarius. Dns *Rudgerus de VVienna*. *Henricus de Vtendorf*. *Engelmarus de VVaſen*. *Pilgrimus de VVaithering*. *Otto Tendel*, milites Comitum præmiſſorum.

* *Nunc* Lilienveld.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XLVIII. III. Nonas Julii.

CLXX.

Digitized by Google

CLXX.

Chunradus Comes de Playen renuntiat carratis vini ac frugibus, quas hactenus a Monasteriis Scotorum VViennæ & S. Hippolyti iniustè exegerat.

1249. *Ex autogr. P. H.*

* *Fortè Plaien.*

* Carrata vini, Ein Fuetter Wein.

NOs *Chunradus* DEI gratia Comes de *Payen* * cum filiis nostris *Ottone* & *Chunrado* Comitibus, universis præsentes litteras inspecturis, notum facimus, quòd duas * Carratas vini & quandam partem frugum de agris in *Liutacher*, quam de S. Mariæ *Scotorum in VVienna*, & *Sancti Ypoliti* Ecclesiarum partibus decimarum in *Pulka* iam aliquibus annis in salutis nostræ præiudicium, & animarum nostrarum non modicam læsionem recepimus sine iure: nunc & imposterum eisdem Ecclesiis diuinæ remunerationis intuitu, & in remedium animarum nostrarum remittimus, & a tam indebita exactione deinceps cessamus, promittentes firmiter in animas nostras, dictas carratas & partem frugum nos ulteriùs nullo modo recepturos.

Huius rei testes sunt: Dominus *Thymo* Plebanus in *Hardech*, Dominus *Heinricus de Autendorf*, *Pilgrimus de VVeitringen*, *Heinricus Cycada*, *Heinricus de Hall*, milites: *Richperus* & *Pæro* Officiales in *Pulcha*.

Datum in *Hardech* Anno gratiæ M. CC. quadragesimo nono. VII. Kal. Decemb. in die beatæ Katerinæ, Indictione Septima.

CLXXI.

Hainricus Dominus de Sevelde quædam legat Monasterio Claustroneoburgensi.

1249. *Ex autograph.* P. H.

NOs *Hainricus* Dominus de *Sevelde* ad cognitionem universorum præsentibus volumus pervenire, quòd, cùm nobilis & famosa Ecclesia beatæ Virginis in *Niumburch*, nos affectuosa caritate & favore diligeret speciali, ornatus suos, quos sibi nobis decedente subnotavimus restituendos nostræ Capellæ, favorabiliùs concedendo, ut eiusdem Ecclesiæ Sacrum collegium pro exhibita nobis in hoc & in aliis multa benivolentia commodum debeat efficax reportare, ipsius Ecclesiæ perpetuis usibus trium talentorum redditus in Festo S. Michaëlis de uno molendino in *Hedrensdorf* nobis vivente percipiendos, & vineam unam in *Chalnperge* sitam, dictam *Pleicholbe*, nobis decedente perpetuo tenendam, Dilectæ filiæ nostræ *Alheidis* consensu voluntario accedente, pro remedio animarum progenitorum nostrorum & nostræ, animo dedimus liberali. Ut autem adhuc dilectio, qua ipsam Ecclesiam ex intimis sincerè amplectimur, in effectu operum ampliùs eluceſcat, prælibatæ Ecclesiæ plenarium * nostrum glorioſiùs, quod habemus, nobis de seculo migrante, ordinavimus insuper exhibendum, tali tamen conditione præcedente, quòd participem nos idem Collegium fecerit omnium bonorum, quæ per eos Divina dignabitur clementia operari, & nostri memoria nobis moriente velut eiusdem Collegii fratris cum vigiliis agi debet, & missarum solemniis celebrandis. Ne autem præsens donatio processu temporis in irritum ab aliquo valeat revocari, hanc paginam sigilli nostri munimine roboratam, cum subnotatis testibus in testimonium conscribi fecimus præmissorum.

* Plenarium, *id est, Librum Evangeliorum, cuius thecis Reliquiæ Sanctorum inclusæ sunt.*

Testes sunt: Comes *Chunradus*, Comes *Otto*, & frater eius Comes *Chunradi* Frater *Otto* de domo Theutonica, Domini *de VVerde*, *Hadmarus* & *Chadoldus*. Dns Decanus. Dns. *Ulricus de Gnauendorf*. Dns *Hainricus*. Dns *VValtherus*. Dns *Pabo*. Dns *Chunradus*. Dns *Ortolfus*. Dns *Rudgerus*. Dns *Otto de Sizendorff*, & filius eiusdem *Rudgerus*. Dns *Hermannus*. Dns *Reingerus*, Dns *Hainricus de Rorbach Rudilo* Judex. *Linpoldus* Notarius. *VVisinto* Notarius Domini *de Sevelde*: & alii quàm plures.

Adhuc autem saluti animæ nostræ diligentiùs cavente eosdem, utpote præmisimus, ornatus, ut in restituendo sciantur, sic expressiùs fecimus annotari, videlicet, quatuor cappas, Casulam unam, cum duabus albis & totidem humeralibus & quatuor stollis, & integro ornatu altaris Dominæ nostræ: Duæ Dalmaticæ, duo subtilia.

Acta sunt hæc quinto Idus Novembris, Anno ab Incarnatione Domini Millesimo ducentesimo quadragesimo nono.

Digitized by Google

CLXXII.

Bernardus Dux Karinthiæ in remedium animæ ſuæ ac Progenitorum ſuorum, Monaſterio S. Crucis in Auſtria, ſex ſomas olei donat, ſingulis annis comparandas ex Villa Surbich ad S. Vitum.

In nomine JESU CHRISTI Amen.

1249. *Ex authent.* P. H.

QUoniam ea, quæ geruntur in tempore, ſimul cum fluxu temporis elabuntur, neceſſe eſt, ut quæque geſta, digna memoriâ ſeu contractus teſtimoniô literæ, quæ ullam oblivionem patitur, æternetur. Hinc eſt igitur, quòd nos *Bernhardus* DEI gratia Dux *Karinthiæ* tenore præſentium exponimus tam præſentibus, quàm futuris, intuentibus præſens ſcriptum, quòd nos conſiderato præcipiti fluxu carnis & conditionis humanæ interitum inſperatum, quæ conditio multò ad vitia eſt pronior quàm virtutes, quibus nullum melius elemoſynâ remedium invenitur, quæ peccata ſicut aqua ignem extinguit: Ideo pro remedio animæ Noſtræ ac Progenitorum noſtrorum, Monaſterio *Sanctæ Crucis in Auſtria*, cui præ aliis Monaſteriis ſpeciali affectione tenemur, eò quod idem â noſtris Progenitoribus ſit fundatum, ibique plures ex noſtro genere requieſcant, ſex ſomas olei dare vovimus omni anno. Pro quibus eidem Monaſterio annis ſingulis comparandis quatuor Marcarum redditus, ſitos in villa *Surbich* penes *S. Vitum*, forum noſtrum, libera donatione donavimus in perpetuum liberè poſſidendos. Quos reditus ab omnibus exactionibus ſeu infeſtationibus Noſtrorum Judicum ſeu Officialium, ſeu etiam Preconum eximimus, uſquequaque renuntiantes in integrum tam Juri Advocatiæ, quàm aliis quibuslibet Juribus in eiſdem, ſed liberè omni eo Jure, quo nos fruiti ſumus in ipſis, prædicto Monaſterio deſerviant bona eadem in æternum.

Duarum inſuper Marcarum redditus ipſo Monaſterio ſimiliter in manſis ſpopondimus aſſignare, ad quod nos teſtimonio præſentium obligamus: pro quibus ſex Marcis ſex ſomæ olei annis ſingulis eſmi debent, ex quo oleo ſepulchra Progenitorum in ipſius Eccleſiæ Capitulo diu noctuque uno lumine illuſtrentur: reſiduum ejus uſui Conventûs tempore quadrageſimæ tribuendum. Ipſi præterea Monaſterio *Sanctæ Crucis* eam gratiam fecimus, quòd tam de prædicta Noſtra elemoſyna, quàm aliis quibuslibet victualibus ſeu rebus aliis, quæ ad uſus Monaſterii per Noſtrum Dominium traducuntur, nulla à Noſtris officiariis telonia ſeu tributa, ſed ſub Noſtro & per Nos ſub heredum Noſtrorum & ſucceſſorum Noſtrorum conductu & defenſione ſecurè ac pacificè tranſeant terram Noſtram. Ne autem prædicta Donationis Noſtræ libertas in ſuis Juribus ab aliquo impoſterum infirmetur, prædictam chartam ſigilli noſtri munimine duximus roborandam.

Datum anno Domini M. CCXLIX.

CLXXIII.

Idem Dux in Monaſterio Clauſtroneoburgenſi ad ſepulchra Anteceſſorum ſuorum fundat perpetuum lumen.

In nomine Domini, amen.

1251. *Ex autograph.* P. H.

NE ea, quæ geruntur tempore, ſimul cum tempore dilabantur, neceſſe eſt litterarum memoria perennari. Nos igitur *Bernhardus* DEI gratia Dux *Karinthiæ* notum facimus tam præſentibus quàm futuris intuentibus præſens ſcriptum, quòd nos Monaſterio S. Mariæ in *Newenburch* pro remedio animæ noſtræ & progenitorum noſtrorum tam viventium, quàm defunctorum, quàm & ſuccedentium de Telonio noſtro in *Sancto Vito* annuatim pro uſibus eorum contulimus Marcas quinque, tali apoſito Laudamento, quòd, quamdiu ipſi Monaſterio eaſdem quinque Marcas non compenſaverimus, bonis aliis, quæ illas quinque Marcas ſingulis annis ſolvant, extunc ipſi fratres dicti Monaſterii quinque Marcas de noſtro Telonio in *S. Vito* annuatim accipere, ut diximus, tenebuntur. Ipſi vero Fratres dicti Monaſterii promiſerunt (quòd etiam huic Laudamento eſt diligenter intercluſum) quòd ſuper ſepulchris Anteceſſorum noſtrorum in eodem clauſtro die noctuque ardeat lumen unum. Et ut eadem noſtra donatio maneat inconvulſa, præſentem litteram inde ſcribi fecimus, ſigilli noſtri munimine roboratam.

Actum in *Sancto Vito* anno gratiæ M. CC. LI. Indictione VIII.

CLXXIV.

CLXXIV.

Bertholdus Episcopus Patavienſis Monaſterio S. Crucis indulget, ut in omni poſſeſſionis ſuæ loco naves, duo talenta ſalis de ligamine, Schöns-Band *dicto, deferentes ab omni exactione ſint liberæ.*

1252. *Ex authent. P. H.*

BErtholdus DEI gratia *Patavienſis* Eccleſiæ Epiſcopus, Judicibus & Mutariis ſuis præſentibus & futuris, tam *Pataviæ*, quàm & in aliis locis circa *Danubium* & *Enum* conſiſtentibus gratiam ſuam & omne bonum.

Scire vos volumus, quòd dilectis in Chriſto Fratribus Abbati & Conventui de *Sancta Cruce* in *Auſtria*, conceſſimus, ut in omni poſſeſſionis noſtræ loco naves, duo talenta ſalis de ligamine, quod *Schöns-Band* dicitur, deferentes, ſingulis annis per Danubium deſcendentes, ab omni exactione ſint liberæ. Vobis ergo præcipiendo mandamus, ne ab ipſorum navibus dictos ſales deferentibus, neque telonium neque Mutam, nec de tranſitu, quod *Furfarth* appellatur, neque ullius Juris nomine quidquam exigatis aut exigi permittatis. Et in ſortem penſionis noſtræ, quidquid de navibus ſupradictis vos recepturos ſperaveritis, nobis computetis. Si quis fortè de *Auſtria*, aut etiam de vectoribus ejuſdem ſalis alicui noſtrorum aliquid debuerit, propter hoc Abbas & Conventus *Sanctæ Crucis* in nullo graventur, aut moleſtentur, ſed res eorum liberè abire permittantur. Et ut hæc noſtræ Donationis gratia juxta antiqua ipſius Monaſterii Privilegia Noſtro, & Capituli noſtri ſigillo munita ab omnibus noſtris officialibus providè conſervetur, ipſam præſentibus literis, & propriæ manus ſubſcriptione confirmamus.

Datum anno Domini M. CC. LII.

CLXXV.

Ottokarus, Rex Bohemiæ, Monaſterio Monſeenſi immunitatem à telonio in omnibus ſuis regnis concedit.

1253. *Ex Autogr. P. H.*

OTtokarus DEI gratia Dominus Regni *Bohemiæ*, Dux *Auſtriæ*, & *Styriæ*, Marchio *Moraviæ*, omnibus Mutariis, in noſtro Dominio conſtitutis, gratiam ſuam & omne bonum.

Quia Venerabilem noſtrum Abbatem in *Menſee*, ejus deniqúe loci Conventum, in gratiam, protectionem recepimus & favorem, gratiam eis fecimus ſpecialem, ut vinum, & alia victualia ſua, ſingulis annis per Mutas terre noſtræ, ſine omni exactione liberè debeant pertranſire. Mandamus igitur Univerſitati veſtræ, ut hanc gratiam ipſis faciatis. Nullus Miniſterialium, nec aliquis Mutariorum, ſive Judicum noſtrorum, nec aliqua ſublimis humiliſque perſona præſumat infringere, vel ei auſu temerario contraire. Certè ſcientes, quod tranſgreſſores hujus mandati, in rebus & perſonis, ſine miſericordia puniemus.

Datum in *Chremb* IV. Nonas Martii, Anno Chriſti Milleſimo Ducenteſimo LIII.

CLXXVI.

Ottonis Bavariæ Ducis præceptum de decimis ex Waſſerburg Monaſterio Rotenſi annuatim ſolvendis.

OTto DEI gratia Comes Palatinus *Reni*, Dux *Bavariæ*, univerſis hanc paginam inſpecturis ſalutem in Domino JESU CHRISTO. Præſentibus profitemur, quòd nos ob remedium animæ noſtræ, nec non omnium progenitorum noſtrorum jus, quod venerabilis Abbas *Rotenſis* & Eccleſia ſua in decimis à quodam Comite de *Wazzeburch* habuit de novis poſſeſſionibus & Advocatiis adeptis & in futurum habendis, vel alio modo quocunque conquirendis, ad caſtrum *Wazzeburch* & ad caſtrum *Roſenheimb* pertinentibus, recognovimus, liberè & benignè ſtatuentes, immò firmiter præcipientes, quod Cellerarius noſter, qui tunc pro tempore fuerit in *Wazzerburch*, præfato Domino Abbati *Rotenſi* & Eccleſiæ ſuæ decimas annuatim ſolito more ſolvere non omittat. 1253. *Ex Archiv. Rotenſ.*

Datum *Wazzeburch* anno Domini MCCLIII, Indict. XI. Nonis Januarii.

CLXXVII.

Ortolfus de Draskirchen, Domûs Teutonicæ per Austriam & Styriam Commendator Monasterio Clausterneoburgensi cedit curiam & Ecclesiam in Hietzing.

1253. *Ex Autogr.* P. H.

NOs Frater *Ortolfus de Dreskirchen*, Commendator Domûs Theutonicæ per *Austriam* & *Styriam*, ad universorum, quibus præsens scriptum exhibitum fuerit, cupimus notitiam pervenire, quòd de consilio, consensu & voluntate fratrum nostrorum, *Viennæ* commorantium, cum Domino *Chonrado* Venerabili Præposito *Niunburgensi* curiam nostram Villicalem in *Hiecingen*, solventem annis singulis modium Tritici, & modium siliginis, & modium hordei, nec non avenæ modium unum, commutavimus pro duobus mansis sitis in *Stochstal*, qui solvit annis singulis XII. solidos *Wiennenses*, & pro uno manso, & VII. areis sitis in *Cichstorf*, annuatim solventibus *Viennæ* duas libras. Dedimus etiam memorato Præposito & suo Monasterio Ecclesiam nostram in loco supradicto, dotatam cum duabus vineis sitis ibidem, octodecim urnis vini, quæ solvuntur de jure montis, & quibusdam agris & areis, liberè & absolutè perpetuò possidendam, promittentes, ut quicunque præfatum Præpositum & suum Monasterium in dictis possessionibus impetendo gravaverit, ut ipsos ab illius impetitione secundùm commune jus terræ absolvere debeamus. Et ut talis commutatio & donatio, ritè & rationabiliter facta, dicto Domino Præposito & suo Monasterio firma & rata permaneat, ipsi præsentem litteram nostri sigilli & fratris *Hyrzonis* Præceptoris *Viennæ* munimine dedimus roboratam, fratrum nostrorum & aliorum, qui huic commutationi & donationi intereraut, nominibus subnotatis, qui sunt: Frater *Chonradus* Sacerdos, Frater *Hyrzo* Procurator tunc domus *Viennæ*, Fr. *Otto de Werde*, Fr. *Ortolfus de Otterstetten*, Dns *Rudgerus de Vienna* tunc temporis præfati Monasterii Cellerarius, *Liupoldus de Perenharstal*, & in *sancto loco* Plebanus, *Syfridus* Plebanus de *Erenstprunne*, *VVisento de SanctoLoco*, *Ditricus* Officialis & alii quàm plures.

Actum *VViennæ* in domo nostra, Anno ab Incarnatione Domini Millesimo CC. LIII. Decima Indictione.

CLXXVIII.

Idem Ortolfus confirmat chartam præcedentem.

1255. *Ex Autogr.* P. H.

EGo Frater *Ortolfus* Commendator Domûs Theutonicæ, per *Austriam* & *Styriam* innotesco tam præsentibus quàm futuris, hanc litteram inspecturis, quòd nos Domino *Chunrado* Venerabili Præposito *Niumburgensi*, & suo Monàsterio, de consensu, consilio, & voluntate fratrum nostrorum Viennæ commorantium, Ecclesiam nostram in *Hyezinge*, cum omnibus eidem attinentibus, & curiam nostram villicalem ibidem cum omnibus eidem attinentibus, & simpliciter omnia cum omnibus, quæ ibidem hactenus habuimus, commutationis titulo dedimus pleno jure perpetuò possidenda. In quorum commutationem recepimus à dicto Præposito, & suo Capitulo redditus duorum talentorum & dimidii, quos redditus præfatus Præpositus & suum Capitulum Domui nostræ eodem titulo dederunt pleno jure perpetuò possidendos, ut in eorum privilegio, quod nobis exhibuerunt, plenius est expressum. Pro cujus rei testimonio præsens scriptum sigilli nostri munimine fecimus insigniri, cum Testibus, qui his interfuerunt, subnotatis, quorum nomina sunt hæc:

Frater *Ortolfus de Dreschirchen*, Frater *VVernherus de Poumgarten*, Frater *Chunradus* Sacerdos, Frater *Hyrzo*, Frater *Otto de Werde*, Frater *Ortolfus de Otterstetten*, Dns *Rudgerus*, Dns *Otto*, Dns *Otto de Arnsperge*, Dns *Ortolfus de Griffenstein*, *Chunradus* Chambarius, & alii quàm plures.

Datum in *Vienna*, Anno gratiæ M. CC. LV. Indictione XIII. Nonis Aprilis.

CLXXIX.

Digitized by Google

CLXXIX.

Innocentius IV. Monaſterium Clauſtroneoburgenſe ab onere & obligatione cuiquam de penſionibus aut beneficiis Eccleſiaſticis providendi eximit.

1253. *Ex Autogr. P.H.*

INnocentius Epiſcopus, Servus Servorum DEI, Dilectis Filiis Præpoſito & Conventui Eccleſiæ *Sanctæ Mariæ in Nyumburg* Ordinis Sancti Auguſtini, *Patavienſis* Diœceſis Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Meritis veſtræ Religionis inducimur, ut, quàm dignè poſſumus, vobis libenter gratiam faciamus. Hinc eſt, quòd nos veſtris ſupplicationibus inclinati, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut ad receptionem ſive proviſionem alicujus in penſionibus ſeu beneficiis Eccleſiaſticis compelli minimè valeatis per literas Sedis Apoſtolicæ vel Legatorum ipſius, abſque ſpeciali Sedis ejuſdem mandato faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulgentia hujuſmodi mentionem, etiamſi contineatur in dictæ Sedis litteris, quòd ei, pro quo ſcribitur, aliqua prædictæ Sedis indulgentia non ſubſiſtat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum *Aſiſi*. V. Kal. Julii, Pontificatûs noſtri anno Decimo.

CLXXX.

Idem *committit Epiſcopo Friſingenſi, ut Henricum de Lichtenſtain alioſque Laicos detentores temporalium, ad Clauſtroneoburgenſem Præpoſituram ſpectantium, per Cenſuram Eccleſiaſticam ad reſtitutionem debitam compellat.*

1254. *Ex Autogr. P.H.*

INnocentius Epiſcopus Servus Servorum DEI, Venerabili Fratri . . Epiſcopo Friſingenſi, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Suâ nobis Dilecti filii . . Præpoſitus & Conventus Eccleſiæ S. Mariæ in *Nuymburg* Ordinis S. Auguſtini petitione monſtrârunt, quòd Nobilis vir *Henricus de Lichtenſtein*, & quidam alii Laici *Patavienſis* Diœceſis quaſdam villas, poſſeſſiones, & res alias ad ipſam Eccleſiam pertinentes, contra juſtitiam occupârunt, & eas detinent occupatas in eorundem Præpoſiti & Conventus ac dictæ Eccleſiæ non modicum præjudicium & gravamen.

Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus partibus convocatis audias cauſam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens, quod decreveris, per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio vel timore ſubtraxerint, per cenſuram eandem appellatione ceſſante compellas veritati teſtimonium perhibere.

Datum *Aſiſii* V. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno undecimo.

CLXXXI.

Idem diverſa jura & poſſeſſiones, Monaſterio B. Mariæ Virginis Scotorum Viennæ olim ab Henrico Auſtriæ Duce collatas confirmat.

1254. *Ex Autogr. P.H.*

INnocentius Epiſcopus, Servus Servorum DEI, Dilectis Filiis . . Abbati & Conventui Monaſterii Beatæ Mariæ *Scotorum in Wienna* Ordinis Sancti Benedicti *Patavienſis* Diœc. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm à nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sanè veſtra petitio, nobis exhibita continebat, quòd claræ memoriæ *Henricus* Dux *Auſtriæ* jus patronatus, quod in *Pulka* & in *Ekkendorff* Eccleſiis *Patavienſis* Diœc. obtinebat, *Rogerii* * quondam *Patavienſis* Epiſcopi poſtmodum accedente conſenſu, nec non de *Virochperge* & *Hipelinſdorf* villas & quaſdam poſſeſſiones in *Ruſpach* & in *Feldrendorf* pertinentes ad eum vobis & Monaſterio veſtro contulit intuitu pietatis, prout in litteris inde confectis plenùs dicitur contineri. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper his piè ac providè factum eſt, & in alterius præjudicium non redundat, ratum & gratum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti

Digitized by Google

pti Patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum *Aſiſii* V. Idus Maji, Pontificatus noſtri Anno undecimo.

CLXXXII.

Philippus Archiep. Salzburg. Monaſterio Rotenſi donat Eccleſiam Pilerſeenſem, & facultatem dat inde Prioratum erigendi.

1254. *Ex Archiv. Rot.*

PHilippus DEI gratia Sanctæ *Salzburgenſis* Eccleſiæ Electus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, univerſis præſens ſcriptum intuentibus notitiam geſtæ rei. Ad Divini cultum nominis ampliandum tantò ſollicitius cura nos excitare debet officii paſtoralis, quantò Divinæ miniſterium diſpoſitionis nos creare voluit aptiores ad illa ſalubriter erigenda, quorum magnificant Chriſti gloriam officinæ, & per quæ apud homines operatio noſtra poterit commendari. Hac igitur conſideratione commoniti Dilectis in Chriſto *Heinrico* Abbati & Conventui de *Rot* Ordinis Sancti Benedicti, *Friſingenſis* Diœceſis plenam accedente conſenſu noſtri Capituli damus auctoritate præſentium facultatem, ut in Eccleſia de *Pilrſe* noſtræ Diœceſis, in qua ipſi ius obtinent Patronatus, liceat eis creare ſui Ordinis Prioratum, & eandem per Fratres ſui Ordinis officiare, ſicut hactenus per Seculares & Clericos regebatur, quibus eadem conſueverat aſſignari, iure tamen Diœceſano ſalvo in omnibus & per totum.

Ad hæc, ut gratia eis facta ampliori plenitudine fœcundetur, concedimus Abbati & Fratribus antè dictis, ac ſucceſſoribus eorundem, ut proventus ipſius Eccleſiæ illorum deſerviant Fratrum menſæ, qui per Abbatem ipſum ad famulandum DEO illi loco pro tempore fuerint deputati, Præpoſito tamen de *Halle, Dietrico* videlicet, qui eandem Eccleſiam in præſentiarum detinet, cedente, vel ſolvendo carnis debitum decedente. In cuius facti teſtimonium & evidens documentum hæc ſcripta fecimus ſigilli noſtri munimine roborari.

Nos quoque Capitulum *Salzburgenſe*, ne quis noſtrum conſenſum impoſterum fortè dubitet acceſſiſſe, præſentem chartam ſigillo noſtro ſimiliter communimus. Actum *Salzburg* anno ab Incarnatione Domini MCC LIV. III Kal. April. in præſentia venerabilium in Chriſto *Ottonis* Eccleſiæ noſtræ Præpoſiti, *Richeri* Abbatis Sancti Petri in *Salzburga*, Abbatis de *Münſe*, & Dilectorum nobis *Friderici* Decani, *Friderici* Cellerarii, & *Hermanni de Juſtingen* Canonicorum Eccleſiæ noſtræ, & Miniſterialium noſtrorum *Gerhohi de Radeke*, & *Ulrici* filii ſui, *Liebhardi de Tegirnvac*, & teſtium plurium aliorum. In Domino feliciter. Amen.

CLXXXIII.

Otto *Patavienſis Epiſcopus*, *Abbati & Conventui S. Crucis concedit*, *ut ſales, quos annuatim recipiunt de Eleemoſyna Eccleſiæ Salisburgenſis, liberè & quietè ſine omni exactione per ipſius limites vehere poſſint.*

1255. *Ex authent. P. H.*

OTto DEI gratiâ *Patavienſis* Eccleſiæ Epiſcopus Judicibus & Mutariis ſuis, circa *Enum* & *Danubium* conſtitutis, gratiam ſuam & omne bonum.

Piis Prædeceſſorum Noſtrorum exemplis volentes in faciendis Eleemoſynis inhærere, omnibus vobis tam *Patavie*, quàm alibi conſtitutis iniungimus & mandamus, quatenus dilectis in Chriſto Fratribus Abbati & Conventui *S. Crucis* ſales, quos annuatim recipiunt de Eleemoſyna Eccleſiæ *Salzburgenſis*, liberè & quietè ſine omni exactione & gravamine tranſire permittatis in omnibus noſtris locis, in ſortem penſionis noſtræ computantes, quidquid de ipſorum navibus & ſalibus recipere deberetis. Et ut hæc noſtra conceſſio iuxta antiqua eorum privilegia à nullo veſtrûm debeat violari, præcipuè cum ſigillo & conſenſu Noſtri Capituli ſint munita, præſentis ſcripti & ſigilli Noſtri (&) eorum teſtimonio roboramus.

Actum Anno Domini M. CC. LV.

CLXXXIV.

Alexander IV. confirmat libertates & privilegia Cartuſiæ Seitzenſis.

Ctr. 1256. *Ex Arch. Seitz.*

ALexander Epiſcopus, Servus Servorum DEI, Dilectis filiis, Priori & Con-

Conventui Domus de *Seitz* Cartusiensis Ordinis *Aquilegiensis* Diœcesis salutem & Apostolicam Benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter, Dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis Christi fidelibus, rationabiliter vobis seu Domui vestræ indultas sicut eas iustè ac pacificè obtinetis, Vobis & per Vos eidem Domui Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis Scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani III. Idus Martii Pontificatus nostri anno tertio.

CLXXXV.

Idem Patriarchis Aquilegiensibus eorumque suffraganeis mandat, ut Cartusiam Seitzensem quovis modo adversus malefactores tueantur.

indid. ALexander Episcopus, Servus Servorum DEI Venerabilibus Fratribus N. Patriarchæ *Aquilegiensi*, & eius suffraganeis, ac dilectis Filiis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis per *Aquilegiensem* provinciam constitutis salutem & Apostolicam Benedictionem. Non absque dolore cordis & plurima turbatione didicimus, quòd ita in plerisque partibus Ecclesiastica censura dissolvitur, & Canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri Religiosi, & hi maximè, qui per Sedis Apostolicæ Privilegia maiori donati sunt libertate, passim à malefactoribus suis iniurias iustineant & rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat, & pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti Filii, Prior & Fratres Domus *Vallis Sancti Johannis in Seitz* Ordinis Cartusiensis, *Aquilegiensis* Diœcesis, tam de frequentibus iniuriis, quàm de ipso quotidiano defectu iustitiæ conquerentes, Vniversitatem Vestram litteris petierunt Apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quòd ab angustiis, quas sustinent, & pressuris vestro possint præsidio respirare. Ideoque Vniversitati Vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus illos, qui possessiones, vel res, seu domos prædictorum Fratrum irreverenter invaserint, aut ea iniustè detinent, quæ prædictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos fratres, vel ipsorum aliquem, contra Apostolicæ Sedis indulta, sententiam excommunicationis aut interdicti præsumpserint promulgare, vel Decimas laborum de terris habitis ante Concilium generale (ante quod susceperunt eiusdem Ordinis institutu) quas propriis manibus aut sumptibus excolunt, seu de nutrimentis animalium suorum, spretis Apostolicæ Sedis privilegiis extorquere: monitione præmissa, si laici fuerint, publicè candelis accensis singuli Vestrûm in Diœcesibus & Ecclesiis vestris excommunicationis sententia percellatis. Si verò Clerici, vel Canonici Regulares, sive Monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio & beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec prædictis fratribus plenariè satisfaciant: & tam Laici quàm Clerici sæculares, qui ex violenta manuum iniectione in Fratres eosdem, vel eorum aliquem, anathematis vinculo fuerint innodati, cum Diœcesani Episcopi litteris ad Sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Datum Laterani VIII. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

CLXXXVI.

Compositio litis super duodecim beneficia apud Stinchenprun inter Monasterium Altenburgense & Hainricum de Hakenberch.

EGo *Hainricus de Hakenberch* notum facio tam singulis quàm universis præsentem paginam inspecturis, quòd, cùm haberem Advocatiam titulo feodali a Domino Duce *Austriæ* super duodecim bene- 1257. *Exarc. graph.* P. H.

beneficia apud *Stinchenprun*, quorum proprietas ad *Altenburgenſe* Monaſterium dinoſcitur pertinere, & Dominus Abbas eiuſdem Monaſterii & ſuus Conventus mecum litem haberet, quòd homines eorum per eandem Advocatiam gravibus & nimiis ſervitiis aggravarem, mediante arbitrio Nobilis Viri Domini *Ottonis de Meyſſovve*, & amici mei Domini *Ottonis de Haſelovve*, taliter cum præfato Abbate & ſuo Conventu compoſui, quòd ipſi mihi de duodecim beneficiis, ſuperiùs memoratis, tria beneficia proprietatis titulo aſſignârunt, & ego in reliquis novem beneficiis Advocatiæ meæ & omni iuri meo finaliter renuntiavi, ita quòd nec ego nec liberi mei aliquod dominium in eisdem poſſeſſionibus debeant ulteriùs aliqualiter vendicare. In cuius rei argumentum præſentem paginam in perpetuam memoriam *Altenburgenſi* Monaſterio tradidi, ſigilli noſtri munimine roboratam, hoc adiecto, quòd ſi altera partium vellet ea, quæ hic ſunt poſita, violare, totum negotium in eandem formam reduceretur, in qua erat, cùm utraque pars ſuum ius ſuo titulo poſſidebat.

Huius rei teſtes ſunt Dominus *Ulricus de Valua*, Dominus *Otto de Chunegebveld*, Dominus *Ulricus de Maultench*, Dominus *Herbordus*, Dominus *Fidericus* Milites de *Hakenberch*. *Hainricus* Scriba & alii quàm plures.

Acta ſunt hæc Anno Domini M. CC. LVII. Duodecimo Kal. Decemb. Scripta ſunt autem per manum *Hermani* Notarii de *Steur*.

CLXXXVII.

Stephanus Rex Hungariæ Domum Hoſpitalem in Zerevvalde unit Carthuſiæ Seitzenſi.

1259. *Ex archiv. Seitzenſ.*

STephanus DEI gratia Rex, Primogenitus illuſtris Regis *Ungariæ*, & Dux *Styriæ*, omnibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in omnium Salvatore. Divina potentia in humanis licèt rebus ludere conſueverit, piis tamen actibus non illudere, ſed arridere tanquam cooperatrix domeſtica & fautrix peroptima invenitur. Ob hoc, pios piè eligens Cooperatores mundi Principatus Magiſtratusque hominum, ipſis, quos dignos viderit, liberaliter donare conſuevit. Nos igitur ad Principatum *Styriæ* Ducatus divinâ gratiâ prælectus dignum iudicamus ut quævis noſtra in memoriam poſterorum dignè veniatur actio, præſentiumque cognitioni perfectiùs innoteſcat, quòd Domum Hoſpitalis in *Zerevvalde*, quam pro recreatione debilium, conſolatione infirmorum, receptione quoque quorumvis Viatorum per Dominum *Ottocharum* Marchionem *Styriæ* Ducesque eiusdem terræ, Anteceſſores noſtros, ſic fundatam invenimus, cui cuncta bona placent, non ſolùm in bonam, ſed & in meliorem dignum duximus conditionem commutare, non immutatis veteribus ex devotione inſtitutis inſtitutionibus, ſed novis divinitus inſpiratis actibus fiducialiter & adauctis, locum ſine Ordine Ordini approbato commendando; religionem ſcilicet Eremitarum Ordinis Carthuſienſis, Sancti Johannis Baptiſtæ vitam venerabilem & ſtatum profitentium, ad laudem & honorem ſummæ DEI Genitricis & perpetuæ Mariæ Virginis inſtituendo, univerſaliter Fratribus ibidem DEO famulantibus terram hactenus ab origine inſtitutionis poſſeſſam in Eccleſiis, villis hominibus, ſylvis, pratis, paſcuis, piſcationibus, montibus, agris vel quocunque nomine poſſeſſionis exarari, ſeu etiam terminis determinari & diſtingui poterit, illis donatione perpetua, Regali clementia inducti, liberè donamus, ita ut nulli Officiali ſeu alicui Caſtellano noſtræ Dominationis in terra prædictorum Fratrum aliquid nomine Advocatiæ vel alterius cuiusvis exactionis liceat auſu aliquo extorquere, Domini *Vlrici Saltzburgenſis* tunc Archiepiſcopi petitione pro tam legitimo actu interpellante, favore quoque Nobilium terræ, & aſſenſu ibidem favorabilium accedente.

Et ne nebuloſa intentio, ſubdola quoque inverſio, adverſatrix bonorum, noverca quoque iuſtorum actuum perſpicuum noſtræ munus donationis, tam ſolemne tamque præclarum, in religionis augmentum feliciter inductum ob Progenitorum noſtrorum noſtramque ſalutem, audeat auſu temerario irrumpere, & quacunque violare rebellione, auctoritate noſtra mille aureorum pœnam inſtituimus invaſoribus noſtræ ordinationis & repugnatoribus, ita tamen, ut maior pœna exceſſus maneat maiores. Ad ſupradictorum generalem obſervationem literis

præſen-

præsentibus duplicis sigilli nostri munimen dignum duximus appendendum.

Datum anno Domini MCCLIX.

CLXXXVIII.

Ottacharus Rex Bohemiæ Parthenoni Erlahensi in Austria superiori concedit, ut omnia ad victum necessaria sine ulla telonii exactione eò advehi possint.

In nomine Sanctæ Trinitatis, amen.

1259. *Ex autogr. P. H.*

NOs *Otacharus* DEI gratia Dominus Regni *Boëmiæ*, Dux *Austriæ*, & Marchio *Moraviæ*, omnibus Xpi fidelibus in perpetuum. Piæ ammonitionis intuitu, nec non pro remedio animæ nostræ, Ecclesiæ *Sancti Petri in Erla*, secundùm continenciam privilegii *Friderici* Illustris Ducis *Austriæ* eidem Ecclesiæ concessum, tradimus & nos & concedimus, ut omnia victualia pro ejusdem domus necessitate, tam in frumento, quàm in vino, sive quæcunque alia, per omnia loca teloneorum nostrorum, tam per aquam, quàm per terram sine omni exactione telonei transeant sive Mutæ. Adjicimus etiam de gratia speciali, ut nullus nostrorum Judicum seu Officialium, aliqua ipsa jura, seu constitutiones aliquas novas dare debeant vel formare. Ut autem hæc nostra traditio tam à præsentibus, quàm à posteris irretractata permaneat, præsentem paginam scribi fecimus, & sigilli nostri munimine roborari.

Testes autem, qui aderant, sunt hi: *Heinricus de Liechtenstein*, *Chunradus de Zækkingen*, *Heinricus de Stein*, *Otto* Camerarius *de Berhtoldesdorf*, *Heinricus* Dapifer de *Lengenpach*, *Chunradus Eysenpeutl*, *Sighardus Pibro*, *Albertus de Zelkingen*, *Marquardus* & *Bertoldus Prenhaven*, *Marquardus de Albartsperge*, & alii quàm plures.

Actum apud *Anasum*, Anno Domini M. CC. LVIIII. Datum per manum Magistri *Arnoldi* Notarii apud *Welsam* pridie Nonas Maji.

CLXXXIX.

Idem Ottakarus, eximit Capellam S. Joan. Baptistæ Claustroneoburgi ab Advocatia Castellanorum in Greüczenstain, eamq; soli Principi terræ in perpetuum attribuit.

1259. *Ex autogr. P. H.*

NOs *Otacharus* DEI gratia Dominus Regni *Boëmiæ*, Dux *Austriæ*, & Marchio *Moraviæ*, omnibus hujus litteræ inspectoribus, præsentibus & futuris, gratiam suam.

Quia nonnulli Castellani in *Grifstheinstain* sibi Advocatiam possessionum Capellæ nostræ in *Nruvenburch*, sitarum in *Rorbach*, rati contiguitatis ratione, quod absit, hoc licere, in ejusdem Capellæ præjudicium minùs licitè vendicârunt: Nos Katholicorum Principum, Prædecessorum nostrorum, vestigiis inhærentes, quæ promoverunt, promovere, & amare volumus, quæ amârunt. Dilecto Capellano nostro *Liupoldo*, ejusdem Capellæ Rectore instante, sibi ac ipsius Successoribus quibuscunque, nec non capellæ memoratæ præsens dedimus instrumentum, per quod constare volumus universis, quòd solus Terræ Princeps, cunctorum, quæ in præsentiarum possidet, vel habiturus est justo quocumque titulo in futurum, tutor existit solummodo & defensor. Volentes insuper eandem Capellam, nec non ipsius curiam & domum, tali privilegio gaudere in antea & honore, quòd nulli Judicum nostrorum seu terræ futurorum liceat vi factorum aut verborum reum quemcunque, ad ea, utpote ad azylum refugii declinantem excipere aut repetere ausu malo. Super quibus liberè in perpetuum duraturis præsentem paginam * L. & suis Successoribus sigillorum nostrorum munimine roboratam pro testimonio exhiberi fecimus evidenti. * *Liupoldo.*

Datum secundo Nonas Octobris Anno gratiæ Millesimo, Ducentesimo quinquagesimo nono.

Digitized by Google

CXC.

Idem Monachis S. Crucis vinum, quod pro iure montis in Talern & in Engelschalchsdorf Regi annuatim persolvebant, relaxat.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

1161. *Ex Authent. P. H.*

OTtokarus DEI gratiâ Rex *Boëmiæ* &c. Quoniam Auctor omnis gratiæ & fons largifluæ pietatis ad hoc nos honorum & facultatum culmen sublimavit, ut tantò uberiùs juxta Prophetæ consilium peccata nostra elemosynis & misericordiis paupetum redimamus, quantò amplius in hoc mundo præ cæteris possidemus: Eo moniti instinctu, notum facimus tam præsenti ætati quàm successuræ posteritati, quòd Nos cernentes Ecclesiam *Sanctæ Crucis* frequenti incursu *Ungarorum*, & Christianorum præ cæteris Cœnobiis periculosiùs laborare, volentesque commutare pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, vinum, quod pro Jure montis in *Tallern* & in * *Engelschalchsdorff* nobis annuatim Fratres ejusdem Ecclesiæ persolvebant, ad consilium & interventum Ministerialium Nostrorum ipsis relaxavimus eorum defectibus consulendo. Ut autem hæc nostræ relaxationis gratia ipsis perpetuò maneat inconvulsa, Nostræque saluti orationum suarum semper deserviant adjumenta præsentem paginam, super his conscriptam, sigilli Nostri munimine ipsis fecimus roborari.

* hodie Engersdorf.

Hujus rei testes sunt: *Henricus de Chunringen* Marescallus *Austriæ*; *Chunradus de Hintperch*, & *Marquardus* filius ejus: *Otto de Perchtoldstorff*, & alii quàm plures.

Actum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Ducentesimo, sexagesimo secundo.

CXCI.

Idem ad petitionem Dominæ Abbatissæ & Conventus in Erlah Jura Advocatiæ, quæ habent ex gratia speciali Regia, universa renovat atque confirmat.

1262. *Ex autograph. P. H.*

OTtacharus DEI gratia Rex *Boëmorum*, Dux *Austriæ* & *Styriæ*, & Marchio *Moraviæ*, omnibus in perpetuum. Ut eorum, quæ per nos aguntur, proinde perennis memoria habeatur, constare volumus tam viventibus, quàm venturis, quòd nos ad petitionem Dominæ Abbatissæ & Conventus in *Erlach* Ecclesiæ sancti Petri Jura Advocatiæ nostræ, quæ habent ex nostra gratia speciali, universa renovamus, & præsentis scripti patrocinio confirmamus in hunc modum, quòd in Judicio nostro provinciali, infra flumen * *Troyn*, & flumen * *Anasum*, nullus nostrorum Judicum provincialium, in bonis Abbatiæ prædictæ, nullas causas debeat judicare, præter eas, quæ mortis supplicium respiciunt ex directo, quas tamen judicari volumus in proprietatibus Ecclesiæ ante dictæ. Item si aliquis Judex provincialis contra aliquem hominem Ecclesiæ prænotatæ aliquam habuerit actionem, debet ab Advocato Abbatissæ prædictæ exigere justitiam, & si coram Advocato convictus fuerit, secundùm quòd cingulo præcinctus fuerit provinciali Judici assignetur. Res verò ipsius malefici in usus Ecclesiæ revertantur. Item si aliquis ex hominibus Ecclesiæ jam prætactæ quocunque casu homicidium commiserit, & de culpa satisfecerit congruenti, * Advocato ipsius Ecclesiæ similiter satisfaciant de commisso, nec provincialis Judex nostet quicquam exigat de hac culpa. Item nullus Judex provincialis in tota Advocatia dicti Claustri nullum prorsus detinere præsumat, nisi priùs ab Advocato sive Judice justitiam expetat de eodem. Item in provinciali Judicio ex ista parte *Anasi*, & in Judicio provinciali alia parte *Danubii*, quod dicitur in *Achlande*, & in Judicio inferioti ultra *Amsteden*, universa, quæ præmisimus, volumus, & mandamus inviolabiliter obtervari. Ut igitur præmissa inviolabiliter obtervantur, præsens scriptum sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri, Testibus, qui aderant, subnotatis. Qui sunt:

* nunc Traun.

* scil. congruenter.

Heinricus Comes de *Phanenberg*. *H.* Comes *de Hardekk*, *O. de Myssow*, *Otto de Hasslow*, *Heinricus de Lychtenstein*, *Hadmarus de Lychtenwird*, *Otto* Camerarius de *Bertholdesdorf*, *Albero* Pincerna de *Celking*, *Heinricus* Dapifer de *Gritzenstein*, & alii quàm plures.

Actum & datum per manus Magistri *Arnoldi* tunc nostri Protonotarii.

Anno

Anno Dni M. CC. LXII. Pridie Kalendas Decembris.

CXCII.

Rapoto & Wolvingus fratres de Wildeke donationem socrus suæ Gerdrudis, Monasterio S. Crucis factam, confirmant.

1261. *Ex Autogr. P. H.*

UNiversis Christi fidelibus, præsentem paginam inspecturis, *Rapoto* & *Wolvingus* fratres de *VVildeke* salutem in auctore salutis. Notum facimus tam præsenti ætati, quàm futuræ posteritati, quòd piæ memoriæ *Gerdrudis* soctus nostra pro animæ suæ suorumque progenitorum ac heredum remedio & salute, Ecclesiæ *Sanctæ Crucis* unum mansum in villa *Chrotendorf* delegavit consensu uxorum nostrarum & nostro pariter accedente. Ne igitur super eodem manso quisquam in posterum dictam Ecclesiam inpetere valeat aut gravare, præsentem paginam eidem sigillis, nostro videlicet & *Ottonis Tursonis* fecimus roborari.

Hujus rei testes sunt: *Heinricus* quondam Abbas *Sanctæ Crucis*, *Heinricus* antiquus Cellerarius, *Perchtoldus*, *Otto* & *VVichardus* fratres de *Arnstain*, *Ulricus de Gadem*, *Leupoldus de Snephenstain*, *Marquardus Umbeschaidem*, *Leupoldus Ganze*, & alii quam plures.

Actum anno Domini M. CC. LXI.

CXCIII.

Ulricus Archiep. Salisburg. confirmat Monasterio Rotensi jus Patronatus in Pillersee, eique Novalium in eodem loco decimas confert &c.

1262. *Ex Archiv. Rotens.*

ULricus DEI gratia Sanctæ *Salzburgensis* Ecclesiæ Archiepiscopus, A. S. L. universis præsens scriptum intuentibus salutem in vero Salutari. Inhærere priscorum prudentum vestigiis cupientes, dignum duximus ea, quæ in nostri actitantur præsentia, fideli scriptorum memoriæ commendare, ne subrepens oblivio deleat, vel fluida vetustas temporis obducat res gestas, quarum est notitia non tantùm præsentibus, sed etiam posteris fructuosa. Volumus igitur singulorum notitiis aperire, quòd, cùm Venerabilis *Cunradus* Abbas Monasterii de *Rot Frisingensis* Diœcesis coram nobis privilegia Papalia, Imperialia, & felicis recordationis *Eberhardi* Antecessoris nostri *Salzburgensis* Archiepiscopi & Capituli Ecclesiæ ejusdem, nec non *Heinrici* venerabilis fratris piæ recordationis *Chimensis* Episcopi tanquam Ordinarii, & alia, quibus juvatur sua Ecclesia, protulisset, diligenter ipsis visis & perlectis invenimus in eisdem jus Patronatus Ecclesiæ in *Pilrse Chimensis* Diœcesis ad prædictum Abbatem & Conventum liberè pertinere. Et cùm nobis de hoc sit per eorum privilegia plenissimè facta fides, nolumus ipsis ab aliquo super hoc quæstionis, ambiguitatis de cætero scrupulum suboriri. Præterea sicut per relationem ipsius Abbatis & aliorum discretorum virorum intelleximus, quædam novalia modernis temporibus in prædicta Parochia excrevisse, pro quibus nobis humiliter supplicavit, ut per nostrum moderamen & ordinationem sibi, qui jus nomine suo & suæ Ecclesiæ præsentandi habet in prædicta Ecclesia & suo Monasterio, occasione eorundem novalium, quæ maxima in parte suis & suorum sumptibus exculta sunt, commodum aliquod obveniret.

Nos igitur consideratione & sufficienti & Canonica inspectione antedictorum instrumentorum moniti, & ex certa conscientia inducti dilectis in Christo *Cunrado* Abbati & Conventui de *Rot* Ord. S. Ben. *Frisingensis* Diœcesis ad consilio prudentum virorum ad augmentum cultus Divini damus auctoritate præsentium facultatem, ut in Ecclesia *Pilrse Chimensis* Diœcesis, in qua juris æquitate suadente dictus Abbas & sua Ecclesia jus obtinet Patronatus, liceat eis ibidem locare secundùm juris ordinationem duos Confratres sui Ordinis, vel personam idoneam secularem, prout secundùm decentiam & utilitatem sibi & suæ Ecclesiæ viderint expedire, jure tamen Diœcesano salvo in omnibus & per totum.

Ad hæc ut gratia eis facta ampliori plenitudine fœcundetur, concedimus Abbati & Fratribus antedictis & successoribus eorundem, ut proventus ipsius Ecclesiæ illorum deserviant Fratrum mensæ communi pariter & illis, qui per Abbatem ipsum ad famulandum DEO illi loco fuerint deputati. Omnes etiam Decimas novalium præteritorum, præsentium & futurorum, quæ Abbatis & Monasterii

naſterii ſumptibus exculta fuerint, ad ipſum decernimus integrè pertinere. Et ut hæc tam in ſolutione cenſus annualis, quàm in jure procurationum, viſitationum & juriſ kathedratici ſine gravamine prædictorum Abbatis & ſui Conventus perRectorem ejuſdem plebis, qui pro tempore fuerit inſtitutus, ſicut in aliis inſtrumentis plenius continetur, roboris infirmitate inviolabiliter obſerventur, præſentem cedulam noſtri ſigilli munimine fecimus firmiter roborari.

Sùnt autem hi teſtes, qui rogati interfuerunt: *Albertus Sevvenſis*, *Diethricus* Cuſtos ejuſdem loci, *Nicolaus* Decanus in *Prukke*, Magiſter *Joannes* Scholaſticus & Canonicus *Ottingenſis*, *Pertholdus* Notarius in *Sevven*, *Henricus* Saxo judex de *Megelingen*, *Otto* Liber de *Steinhart*, *Heinricus Allec de Rot*, *Ulricus* dictus *Stoër* & alii quàm plures.

Acta ſunt hæc apud *Ottingen* in die Luciæ anno Domini M. CC. LXII. XIX. Kal. Januarii.

CXCIV.

Rudlo Hyetzinger Monaſterio Clauſtroneoburgenſi donat partem de ſua hæreditate in Hyeczing & villam Zchenſunſdorf.

1263. *Ex autographo P. H.*

EGo *Rudlo*, dictus *Hyetzinger*, notum facio univerſis, quòd ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ in *Niumburch* partem hereditatis meæ in *Hyeczing*, & villam *Zchenſunſdorf*, quam habui à Domino meo *Nycolao* Venerabili Præpoſito ejuſdem Eccleſiæ, in concambio donavi ad arbitrium & conſilium Domini *Chunradi de Greyſenſtein*, Dni *Ditrici* Officialis *Niumburgenſis*, Dni *Wernhardi de Ayterpach* & aliorum ac maximè propter DEUM, promittens firmiter, ut nullum omnino de cætero pro dictis bonis debeam impetere verbis pariter atque factis. Quamobrem prænominatus Dominus meus Venerabilis Præpoſitus *Niumburgenſis*, totuſque Conventus ibidem, mihi verſa vice annuatim in meſſe, pro victu unum modium tritici, nec non in feſto beati Michahelis mediam cartatam vini, & pro veſtibus unum talentum denariorum ordinárunt: promittens inſuper, ut de cætero infra ſepta clauſtri non debeam commorari.

In cujus rei memoriam præſentem litteram ſigillis Dominorum *Dietrici* Officialis, ac *Marquardi* Magiſtri Cellatii communiri procuravi.

Teſtes hi ſunt: Dns *Otto de Arnſperch* Cuſtos, Dominus *Otto* Hoſpitalenſis, Dns *H.* Plebanus *Sancti Loci*, *Waltherus Vitriarius*, *Dietricus Scherfinger*, *Hermannus de Stoyczendorf*, *Heinricus de Schonenpuch*, *Cholo*, & alii quàm plures.

Datum in *Niumpurch* Anno Domini M. CC. LXIII. XVI. Kal. Septembris.

CXCV.

Charta Donationis, ab Irenfrido Canonico Patavienſi & Decano Crembſenſi, ſuper domo ſua in Chremps juxta Prædicatores, una cum torculari, Eccleſiæ Clauſtroneoburgenſi facta.

UT facta hominum firmiora permaneant, roborari ea convenit teſtimonio litterarum. Notum ſit igitur univerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd 1264. *Ex Autogr.* P. H.

ego *Irenfridus* Divina permiſſione *Patavienſis* Eccleſiæ Canonicus & *Chremſenſis* Decanus, *Niunburgenſi* Eccleſiæ, quam præ cæteris honorare teneor, ſicut illam, à qua recepi feudum perſonale, aream meam ſeu domum *Chrems*, juxta fratres Prædicatores ſitam, cum torculari adjacente, ob ſaluris meæ remedium ex nunc lego, de qua tamen primò abſolutè præfata ſe intromittet Eccleſia me defuncto. In cujus facti perennem memoriam eidem Eccleſiæ offero præſentem litteram, mei & Civium de Chrems ſigilli munimine roboratam.

Acta hec ſunt *Chrems* anno Domini Milleſimo CCLXIIII. ſexto Kalendas Julii.

CXCVI.

Henricus de Hakenberch propter Deum & filium ſuum Irenfridum Profeſſum ac Cœnobitam Altenburgenſem, mox memorato Cœnobio Altenburgenſi tria beneficia reſignat.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

EGo *Heinricus de Hakenberch*, Miniſterialis *Auſtriæ*, notifico & proteſtor coram univerſis præſentem paginam inſpecturis, quòd ego propter Deum & filium meum *Irenfridum* Cœnobio *S. Lam-*

1264. *Ex Autogr.* P. H.

Digitized by Google

S. Lamberti in Altenburch, ad observantiam regulæ Sancti Benedicti traditum & professum resignavi Cœnobio memorato tria beneficia in *Stynkhundenbruonne*, quæ mihi ex arbitrio Domini *Ottonis de Missovve*, Judicis *Austriæ* provincialis fuerant assignata, cùm coram eo inter me & Abbatem de *Altenburch* & suum Cœnobium pro Advocatia duodecim beneficiorum in *Stynkhundenbruonne*, cui etiam tunc renuntiavi, contentiosa quæstio verteretur. Quam resignationem profiteor de consensu & voluntate uxoris meæ & filiorum meorum & ad manus Domini *Vlrici* Abbatis de *Altenburch*, qui tunc præsens erat, tam liberè me feciſſe, ut cunctis Liberis meis tam super Advocatia prætaxata, quàm super beneficiis antedictis, præciderim omnem, quam movere possent in posterum contra prædictum Cœnobium, quæstionem. Ut autem hæc mea resignatio sive traditio, cunctis valeat temporibus inviolabiliter observari, hanc paginam inde confectam *Altenburgensi* Cœnobio tradidi sigilli mei munimine roboratam. Super hæc omnia pro testimonio multiplicando, & ut ea, quæ a me facta sunt, & hic scripta, plenius in posterum eluceſcant, sigillo Domini *Ottonis de Myssovve*, & sigillo Domini *Ottonis de Haselovve* Ministerialium præsens scriptum obtinui sigillari.

Huius rei testes sunt: *Heinricus* Notarius meus, *Heinricus* Vice-Plebanus *de Gouvatsc*, *Herbordus* miles de *Hakenberch*, *Reicherus* miles & *Gotfridus* frater suus *de Gouvatsc*, *Vlricus Gogman de Poungarten*, *Chuonradus Khotzelær de Hakenberch*, *Wolfkerus* Officiarius de *Stynkhundenbrunne*, *Chuonradus* Officiarius de *Altenburch*, *Vlricus de Fuokla*.

Acta sunt hæc in castro meo *Hekenberch* Anno Domini M. CC. LXIV. In die S. Agathæ Indictione VII.

CXCVI.

Otto de Foro S. Crucis Monasterio donat domum & duas insitas, sitas in Alto foro urbis Viennensis.

1264. *Ex autheut. P. H.*

LAudabile est Scripturæ testimonium, quod oblivionis redimit detrimentum: Emergentem enim calumniam reprimit actionum in veritate sua loquens, fomitem erroris extinguit nasciturum. Notum sit igitur universis præsentem paginam inspecturis, quòd Ego *Otto* dictus *de Foro*, attendens mutationem rerum subitaneam mundanarum ipsumque Apostolum adventum districti Judicis nuntiantem: quoniam omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, cupiensque horam tam districti examinis aliquibus misericordiæ operibus prævenire, ob meorum remissionem peccaminum, meorumque Progenitorum, nec non & liberorum, Ecclesiæ *Sanctæ Crucis* domum & duas * *insitas in alto foro Viennæ* Civitatis sitas, quinque talenta singulis annis solventes, quarum una videlicet insita duo talenta, reliqua verò cum domo tria talenta reddit, cum consensu liberorum meorum, ad quos ipsorum reddituum respectus tunc temporis habebatur, videlicet *Griffonis*, *Chunegundis* & *Margarethæ*, maritorumque earundem *Henrici* scilicet & *Vlrici*, contuli perpetuò possidendas, tali conditionis articulo addito, ut de præfatorum reddituum pecunia dictæ Ecclesiæ Fratribus in die Beati Cholomanni, quàm diu vixero, post obitum verò meum in die Anniversarii mei debeat servitium in similis & vino meliori & piscibus ministrari. Quod si fortè, quod absit, a quoquam Abbatum & Dispensatorum Ecclesiæ prælibatæ dictum servitium Fratribus per negligentiam subtractum fuerit, ad me vel ad meos heredes, si non superfuero, reverterur.

Itaque rigorem conversationemque Religionis Fratrum præfatæ Domûs considerans, ut orationis, laborisque ipsorum ampliùs particeps, utpote Confrater eorum Ordinis existerem, quandocunque me Dominus de huius vitæ vocare dignabitur ergastulo, elegi in dicta Ecclesia sepeliri, tali tamen conditionis articulo intercluso, ut si fortè expeditionis itinere vel quocunque modo sive infra terram, seu intra montes decessero, Abbas Ecclesiæ sæpe dictæ propriis expensis inde me deferet, sicque cum Conventu Fratrum exequias celebrabit. Ut autem hæc mea Donatio ab omni heredum meorum impeditione rata & inconvulsa permaneat, sigillorum duorum, mei videlicet & Civium Civitatis *Viennæ* dignum duxi munimine

nimine roborati, teſtibus idoneis nihilominus ſubnotatis, quorum nomina ſunt hæc: *Henricus* Plebanus de *Prugge*, *Bertholdus de Teulingsbrunne*, *Henricus de Gottesvelde*, & alii complures. Acta ſunt hæc anno Domini M. CC. LXIV. XIV. Kalend. Novemb. Indict. VII.

CXCVII.

Sententia definitiva ſuper iure Parochiali & Capellarum Monaſterii Scotenſis Wiennæ, a Judicibus ſubdelegatis pro dicto Monaſterio lata.

1265. *Ex Autogr. P. H.*

ANno Domini MCC. LXV. Indictione VIII. quinto Kal. Septembris, acta ſunt hæc coram nobis *Arnoldo* Præpoſito Ordinis Sancti Benedicti *de Brunna*, & Decano *Medlicenſi*, ſubdelegatis iudicibus Delegatorum Sedis Apoſtolicæ videlicet Abbatis *Sanctæ Crucis*, Ordinis Ciſtercienſis, & Decani *Znaymenſis Patavienſis* & *Olmocenſis* Diœceſium, quorum mandatum priùs recepimus in hæc verba.

Venerabili Viro ac in Chriſto Patri Domino *Arnoldo* DEI patientia Præpoſito Sancti Benedicti in *Luca Olmocenſis* Diœceſis, Ordinis S. Benedicti, *Henricus* permiſſione divina Abbas *S. Crucis* Ciſt. Ordinis *Patavien.* Diœc. orationes in Domino ſempiternas. Noveritis nos litteras Domini Papæ recepiſſe in hæc verba. Clemens Epiſcopus Servus Servorum DEI Dilectis filiis - - Abbati *S. Crucis* Ciſtere. & Præpoſito S. *Ipoliti* S. Auguſtini Ordinum, & Decano *Znoymenſi* Eccleſiarum *Patavien. & Olmocen.* Diœcesûm ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilecti filii, Abbas & Conventus Monaſterii *S. Marie Scotorum* Ordinis S. Benedicti *Patavien.* Diœceſis nobis ſignificare curârunt, quòd olim inter ipſos ex parte una, & Magiſtrum *G.* Plebanum plebis in *Wienna*, prædicte Diœceſis ex altera ſuper iuribus Parochialibus in *Lauben*, & quibusdam aliis capellis ad eosdem Abbatem & Conventum ſpectantibus, nec non ſuper quibusdam aliis iuribus ac decimis tam ad Monaſterium ipſum, quàm ad easdem capellas pertinentibus, materia quæſtionis exorta fuit: tandem a partibus in Venerabilem Fratrem noſtrum *Patavienſem* Epiſcopum loci Diœceſanum ſuper præmiſſis tanquam in arbitrum ſub certa pœna concorditer compromiſſum &c. &c. Datum *Perugii* V. Kal. Aprilis Pontificatus noſtri anno primo.

Verùm quia nos variis & arduis Eccleſiæ noſtræ negotiis multipliciter præpediti, huic cauſæ intereſſe non poſſumus, ob id vices noſtras in ſolidum vobis in hac parte committimus terminandas, ratum habentes atque gratum, quicquid per vos in dicta cauſa factum fuerit & ordinatum.

Datum in Monaſterio noſtro anno Domini M. CC. LXV. XI. Kal. Julii.

Venerabili Viro & Diſcreto Domino *D.* permiſſione divina Decano *Medicenſi* propè *Viennam*, *H.* nutu divino Decanus *Znoymenſis*, delegatus Dni Papæ *Clementis*, *Olmocenſis* Diœceſis orationes in Domino ſempiternas. Noveritis nos litteras Summi Pontificis non abolitas, non cancellatas, nec in aliquo vitiatas in hæc verba recepiſſe: *Clemens* Epiſcopus Servus Servorum DEI, ùt ſuprà. Verùm quia nos tam Eccleſiæ noſtræ, quàm etiam Advocati noſtri negotiis multipliciter præpediti, huic cauſæ intereſſe non poſſumus, vices noſtras in ſolidum in hac parte vobis committimus terminandas & gratum habentes &c. Datum in *Nova Domo* anno Domini M. CC. LXV. in die S. Kiliani.

Hìc fertur a Judicibus ſubdelegatis ſententia pro Abbate Monaſterii Scotenſis Wiennæ, & ſic concluditur: Lata eſt hæc ſententia *Wiennæ* ante Capellam Curiæ Regiæ præſentibus teſtibus ſubnotatis Presbyteris: Domino *Leone de Olprehteſperge*, Domino *Conrado* dicto *Parente*, Domino *Heurico*, Domino *Geutfrido*, nec non Plebano de *Haymburg*. Laicis verò fide dignis: Domino *Wycardo de Arunſtayn* Miniſteriali *Auſtriæ*, *Vlrico de Kalenberge*, *Rembotone* dicto *Celeub*, *Alberto de Symanigen*, *Arnoldo* dicto *Reynner*, *Gurtwino*, *Johanne Welſario*, *Alberto de Stadlau*, *Hermanno* dicto *Haccumtewel*, *Rembotone* fabro Ducis, & aliis multis.

Datum anno Domini M. CC. LXV. Indict. VIII. quinto Kalend. Septemb. Et hæc omnia fecimus conſcribi per *Henricum de Tulbing* & *Nicolaum Hungarum* apud acta pro tabellionibus iuratis de utriusque partis conſenſu, licèt ab initio

Digitized by Google

tio Magiſter *Gerardus* in eos tanquam in tabelliones nequaquàm voluit conſentire.

CXCVIII.

Ludovicus de Zelking Eccleſiæ Clauſtroneoburgenſi villam Waltprechtsdorff cum omnibus attinentiis reſignat.

1265. *Exautograph.* P. H.

NOverint univerſi hanc litteram inſpecturi, quod ego *Ludvvicus*, dictus *de Celking*, villam, quæ *Waltprechtsdorf* dicitur, cum omnibus ſuis attinentiis, quocunque nomine cenſeantur, Monaſterio *Sanctæ Mariæ in Ninnburch* liberè reſignavi, cuius & antea noſcitur extitiſſe, omnibus iuribus & debitis renunciando, quæ de eadem ad dies meos percipere potuiſſem. Et ut hæc rata permaneant in poſterum, hanc litteram feci ſigillorum Venerabilis Domini *Heinrici* Præpoſiti *Sancti Ypoliti*, & Domini *Svvikeri* Decani de *Laſtorf* & mei pariter munimine roborari.

Datum in *Tulvving* anno gratiæ M. CC LXV. XI. Kal. Januarii.

CXCIX.

Eliſabetha, vidua Henrici de Liechtenſtain cum filiis Friderico & Hertnido, ſeptem Solidorum redditus in VVeltendorf Monaſterio S. Crucis liberè dimittit.

1266. *Ex autograph.* P. H.

QUoniam teſte Apoſtolo quæcunque homo ſeminavit, hæc & metet: & eſt utile & ſalubre, dum tempus eſt, operari bonum ad omnes, maximè tamen ad pauperes ſpiritu, qui ſe ac ſua pro cæleſtibus abnegantes, nudi nudum Chriſtum ſequi per eius veſtigia non verentur: Univerſis igitur Chriſti fidelibus tam præſentibus quàm futuris, ad quos præſens ſcriptum devenerit, patefiat, quòd felicis memoriæ Dominus *Heinricus de Liehtenſtain*, cùm morte præventus, prò dolor! inſperata, decederet inteſtatus, & habuiſſet adhuc vivens ſeptem ſolidorum redditus, ſitos in *Weltendorf* minùs debitè, qui ob remedium animæ fratris ſui Domini *Dietrici de Rorovv* de parte hereditatis eiusdem Domini Diet. domui *Sanctæ Crucis* fuerant liberè delegati, & prædictus Dominus *Henricus* eiusdem redditus per concambium eidem domui volens refundere, morte præventus id minimè compleviſſet, in die humationis ſuæ in *Sancta Cruce* Domina *Eliſabet* relicta ſua, ac filii ſui *Fridericus* & *Hertnidus* cum aliis coheredibus, hereditatis ſuæ compaſſionem debitam intuentes prædictos ſeptem ſolidorum redditus domui *Sanctæ Crucis* liberè dimiſerunt, *Dietrico* filio quondam Domini *Dietrici de Rorovv* pro Patre & Patruo polliceute, ut defectus unius talenti in præfatis VII. ſolidis de patrimonio ſuo cum triginta denariorum redditibus refarciret.

Præterea Domina *Eliſabet* relicta Domini *Heinrici* cum *Friderico* & *Hernido* filiis eiusdem & cæteris heredibus quorum iuri Domini *Henrici* defuncti hereditas ſubiacebat, cùm iuxta debitum naturale animæ defuncti ampliori tenerentur diligentia ſubvenire, moti viſceribus pietatis de parte ad ipſos devoluta, quatuor talentorum redditus, ſitos in *Nedendorf* in remiſſionem peccaminum animæ Domini *Henrici* defuncti & ſuorum ac Anteceſſorum quoque Domui *Sanctæ Crucis* liberè donaverunt, Jus Advocatiæ in eisdem redditibus dimittentes, ita ut tam de talento à Domino *Dietrico* iam collato, quàm de iſtis talentis quatuor annis ſingulis Conventui in *Sancta Cruce* in Feſto S. Benedicti Abbatis in vino meliori & piſcibus ac ſimila honorificè ſerviatur.

Et cùm Dna *Chunigundis* ſocia thori Dni *Ottouis de Guetrad*, filia præfati Domini *Henrici de Liehtenſtein*, redditus unius talenti de prædictis quatuor in *Nedendorf* ſuæ parti ſpecialiter attraxiſſet, inducente eam Domino *Ottone* marito ſuo, in hoc conſenſit & ipſa, ne factam donationem videretur occaſionaliter impedire. Omnibus ergo, quibus ceſſerat prædictum patrimonium Domini *Heinrici*, huic ſolemni donationi conſentientibus ratámque habentibus atque firmam, ne ſucceſſivè ab aliquo hæc firmitas valeat infirmari, præſens ſcriptum ſub ſigillis Dominorum *Ottonis de Perhtoldsdorff*, *Ottonis de Gutrad*, *Friderici de Liehtenſtain*, *Ottonis de Vrovvenburch* eſt firmiter roboratum, teſtibus idoneis ſubnotatis, qui ſunt:

Dominus *Otto de Haſlovv*, Dominus *Otto Turſo*, Dominus *Otto de Arnſtain*, Dominus *Wernhardus de Wolfkers-*

Digitized by Google

pti Patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum *Assisi* V. Idus Maji, Pontificatus nostri Anno undecimo.

CLXXXII.

Philippus Archiep. Salzburg. Monasterio Rotensi donat Ecclesiam Pilersensem, & facultatem dat inde Prioratum erigendi.

1254. *Ex Archiv. Rot.*

PHilippus DEI gratia Sanctæ *Salzburgensis* Ecclesiæ Electus, Apostolicæ Sedis Legatus, universis præsens scriptum intuentibus notitiam gestæ rei. Ad Divini cultum nominis ampliandum tantò sollicitius cura nos excitare debet officii pastoralis, quantò Divinæ ministerium dispositionis nos creare voluit aptiores ad illa salubriter erigenda, quorum magnificant Christi gloriam officinæ, & per quæ apud homines operatio nostra poterit commendari. Hac igitur consideratione commoniti Dilectis in Christo *Heinrico* Abbati & Conventui de *Rot* Ordinis Sancti Benedicti, *Frisingensis* Diœcesis plenam accedente consensu nostri Capituli damus auctoritate præsentium facultatem, ut in Ecclesia de *Pilrse* nostræ Diœcesis, in qua ipsi ius obtinent Patronatus, liceat eis creare sui Ordinis Prioratum, & eandem per Fratres sui Ordinis officiare, sicut hactenus per Seculares & Clericos regebatur, quibus eadem consueverat assignari, iure tamen Diœcesano salvo in omnibus & per totum.

Ad hæc, ut gratia eis facta ampliori plenitudine fœcundetur, concedimus Abbati & Fratribus antè dictis, ac successoribus eorundem, ut proventus ipsius Ecclesiæ illorum deserviant Fratrum mensæ, qui per Abbatem ipsum ad famulandum DEO illi loco pro tempore fuerint deputati, Præposito tamen de *Halle, Dietrico* videlicet, qui eandem Ecclesiam in præsentiarum detinet, cedente, vel solvendo carnis debitum decedente. In cuius facti testimonium & evidens documentum hæc scripta fecimus sigilli nostri munimine roborari.

Nos quoque Capitulum *Salzburgense*, ne quis nostrum consensum imposterum fortè dubiter accessisse, præsentem chartam sigillo nostro similiter communimus. Actum *Salzburg* anno ab Incarnatione Domini MCC LIV. III Kal. April. in præsentia venerabilium in Christo *Ottonis* Ecclesiæ nostræ Præpositi, *Richeri* Abbatis Sancti Petri in *Salzburga*, Abbatis de *Mönse*, & Dilectorum nobis *Friderici* Decani, *Friderici* Cellerarii, & *Hermanni de Justingen* Canonicorum Ecclesiæ nostræ, & Ministerialium nostrorum *Gerhohi de Radeke*, & *Ulrici* filii sui, *Liebhardi de Tegirnvac*, & testium plurium aliorum. In Domino feliciter. Amen.

CLXXXIII.

Otto Patavienſis Episcopus, Abbati & Conventui S. Crucis concedit, ut sales, quos annuatim recipiunt de Eleemosyna Ecclesiæ Salisburgensis, liberè & quietè sine omni exactione per ipsius limites vehere possint.

OTto DEI gratiâ *Patavienſis* Ecclesiæ Episcopus Judicibus & Mutariis suis, circa *Enum* & *Danubium* constitutis, gratiam suam & omne bonum. 1255. *Ex authent.* P. H.

Piis Prædecessorum Nostrorum exemplis volentes in faciendis Eleemosynis inhærere, omnibus vobis tam *Patavie*, quàm alibi constitutis iniungimus & mandamus, quatenus dilectis in Christo Fratribus Abbati & Conventui *S. Crucis* sales, quos annuatim recipiunt de Eleemosyna Ecclesiæ *Salzburgensis*, liberè & quietè sine omni exactione & gravamine transire permittatis in omnibus nostris locis, in sortem pensionis nostræ computantes, quidquid de ipsorum navibus & salibus recipere deberetis. Et ut hæc nostra concessio iuxta antiqua eorum privilegia à nullo vestrûm debeat violari, præcipuè cum sigillo & consensu Nostri Capituli sint munita, præsentis scripti & sigilli Nostri (&) eorum testimonio roboramus.

Actum Anno Domini M. CC. LV.

CLXXXIV.

Alexander IV. confirmat libertates & privilegia Cartusiæ Seitzensis.

ALexander Episcopus, Servus Servorum DEI, Dilectis filiis, Priori & Con- *Circ.* 1256. *Ex Arch. Seitz.*

Conventui Domus de *Seitz* Cartuſienſis Ordinis *Aquilegienſis* Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Solet annuere Sedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis perentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter, Dilecti in Domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, nec non libertates & exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis Chriſti fidelibus, rationabiliter vobis ſeu Domui veſtræ indultas ſicut eas iuſtè ac pacificè obtinetis, Vobis & per Vos eidem Domui Auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis Scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Laterani III. Idus Martii Pontificatus noſtri anno tertio.

CLXXXV.

Idem Patriarchis Aquilegienſibus eorumque ſuffraganeis mandat, ut Cartuſiam Seitzenſem quovis modo adversùs malefactores tueantur.

indid. ALexander Epiſcopus, Servus Servorum DEI Venerabilibus Fratribus N. Patriarchæ *Aquilegienſi*, & eius ſuffraganeis, ac dilectis Filiis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpoſitis, Archipresbyteris, & aliis Eccleſiarum Prælatis per *Aquilegienſem* provinciam conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Non abſque dolore cordis & plurima turbatione didicimus, quòd ita in pleriſque partibus Eccleſiaſtica cenſura diſſolvitur, & Canonicæ ſententiæ ſeveritas enervatur, ut viri Religioſi, & hi maximè, qui per Sedis Apoſtolicæ Privilegia maiori donati ſunt libertate, paſſim à malefactoribus ſuis iniurias ſuſtineant & rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione ſubveniat, & pro fovenda pauperum innocentia ſe murum defenſionis opponat. Specialiter autem dilecti Filii, Prior & Fratres Domus *Vallis Sancti Johannis in Seitz* Ordinis Cartuſienſis, *Aquilegienſis* Diœceſis, tam de frequentibus iniuriis, quàm de ipſo quotidiano defectu iuſtitiæ conquerentes, Vniverſitatem Veſtram litteris petierunt Apoſtolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus ſuis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate conſurgere, quòd ab anguſtiis, quas ſuſtinent, & preſſuris veſtro poſſint præſidio reſpirare. Ideoque Vniverſitati Veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenus illos, qui poſſeſſiones, vel res, ſeu domos prædictorum Fratrum irreverenter invaſerint, aut ea iniuſtè detinent, quæ prædictis fratribus ex teſtamento decedentium relinquuntur, ſeu in ipſos fratres, vel ipſorum aliquem, contra Apoſtolicæ Sedis indulta, ſententiam excommunicationis aut interdicti præſumpſerint promulgare, vel Decimas laborum de terris habitis ante Concilium generale (ante quod ſuſceperunt eiuſdem Ordinis inſtituta) quas propriis manibus aut ſumptibus excolunt, ſeu de nutrimentis animalium ſuorum, ſpretis Apoſtolicæ Sedis privilegiis extorquere: monitione præmiſſa, ſi laici fuerint, publicè candelis accenſis ſinguli Veſtrûm in Diœceſibus & Eccleſiis veſtris excommunicationis ſententia percellatis. Si verò Clerici, vel Canonici Regulares, ſive Monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio & beneficio ſuſpendatis, neutram relaxaturi ſententiam, donec prædictis fratribus plenariè ſatisfaciant: & tam Laici quàm Clerici ſæculares, qui ex violenta manuum iniectione in Fratres eoſdem, vel eorum aliquem, anathematis vinculo fuerint innodati, cum Diœceſani Epiſcopi litteris ad Sedem Apoſtolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur abſolvi. Datum Laterani VIII. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno tertio.

CLXXXVI.

Compoſitio litis ſuper duodecim beneficia apud Stinchenprun inter Monaſterium Altenburgenſe & Hainricum de Hakenberch.

EGo *Hainricus de Hakenberch* notum facio tam ſingulis quàm univerſis præſentem paginam inſpecturis, quòd, cùm haberem Advocatiam titulo feodali a Domino Duce *Auſtriæ* ſuper duodecim 1257. *Ex autographo.* P. H.

beneficia apud *Stinchenprun*, quorum proprietas ad *Altenburgenſe* Monaſterium dinoſcitur pertinere, & Dominus Abbas eiuſdem Monaſterii & ſuus Conventus mecum litem haberet, quòd homines eorum per eandem Advocatiam gravibus & nimiis ſervitiis aggravarem, mediante arbitrio Nobilis Viri Domini *Ottonis de Meyſſovve*, & amici mei Domini *Ottonis de Haſelovve*, taliter cum præfato Abbate & ſuo Conventu compoſui, quòd ipſi mihi de duodecim beneficiis, ſuperiùs memoratis, tria beneficia proprietatis titulo aſſignârunt, & ego in rèliquis novem beneficiis Advocatiæ meæ & omni iuri meo finaliter renuntiavi, ita quòd nec ego nec liberi mei aliquod dominium in eisdem poſſeſſionibus debeant ulteriùs aliqualiter vendicare. In cuius rei argumentum præſentem paginam in perpetuam memoriam *Altenburgenſi* Monaſterio tradidi, ſigilli noſtri munimine roboratam, hoc adiecto, quòd ſi altera partium vellet ea, quæ hìc ſunt poſita, violare, totum negotium in eandem formam reduceretur, in qua erat, cùm utraque pars ſuum ius ſuo titulo poſſidebat.

Huius rei teſtes ſunt Dominus *Ulricus de Valua*, Dominus *Otto de Chunegelveld*, Dominus *Ulricus de Maultench*, Dominus *Herbordus*, Dominus *Fidericus* Milites de *Hakenberch*. *Hainricus* Scriba & alii quàm plures.

Acta ſunt hæc Anno Domini M. CC. LVII. Duodecimo Kal. Decemb. Scripta ſunt autem per manum *Hermani* Notarii de *Steur*.

CLXXXVII.

Stephanus Rex Hungariæ Domum Hoſpitalem in Zerevvalde unit Cartuſiæ Seitzenſi.

1259. *Ex archiv. Seitzenſ.*

STephanus DEI gratia Rex, Primogenitus illuſtris Regis *Ungariæ*, & Dux *Styriæ*, omnibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in omnium Salvatore. Divina potentia in humanis licèt rebus ludere conſueverit, piis tamen actibus non illudere, ſed arridere tanquam cooperatrix domeſtica & fautrix peroptima invenitur. Ob hoc, pios piè eligens Cooperatores mundi Principatus Magiſtratusque hominum, ipſis, quos dignos viderit, liberaliter donare conſuevit. Nos igitur ad Principatum *Styriæ* Ducatus divinâ gratiâ præelectus dignum iudicamus ut quævis noſtra in memoriam poſterorum dignè veniatur actio, præſentiumque cognitioni perfectiùs innoteſcat, quòd Domum Hoſpitalis in *Zerevvalde*, quam pro recreatione debilium, conſolatione infirmorum, receptione quoque quorumvis Viatorum per Dominum *Ottocharum* Marchionem *Styriæ* Ducemque eiusdem terræ, Anteceſſores noſtros, ſic fundatam invenimus, cui cuncta bona placent, non ſolùm in bonam, ſed & in meliorem dignum duximus conditionem commutare, non immutatis veteribus ex devotione inſtitutis inſtitutionibus, ſed novis divinitus inſpiratis actibus fiducialiter & adauctis, locum ſine Ordine Ordini approbato commendando; religionem ſcilicet Eremitarum Ordinis Cartuſienſis, Sancti Johannis Baptiſtæ vitam venerabilem & ſtatum profitentium, ad laudem & honorem ſummæ DEI Genitricis & perpetuæ Mariæ Virginis inſtituendo, univerſaliter Fratribus ibidem DEO famulantibus terram hactenus ab origine inſtitutionis poſſeſſam in Eccleſiis, villis hominibus, ſylvis, pratis, paſcuis, piſcationibus, montibus, agris vel quocunque nomine poſſeſſionis exarari, ſeu etiam terminis determinari & diſtingui poterit, illis donatione perpetua, Regali clementia inducti, liberè donamus, ita ut nulli Officiali ſeu alicui Caſtellano noſtræ Dominationis in terra prædictorum Fratrum aliquid nomine Advocatiæ vel alterius cuiusvis exactionis liceat auſu aliquo extorquere, Domini *Vlrici Saltzburgenſis* tunc Archiepiſcopi petitione pro tam legitimo actu interpellante, favore quoque Nobilium terræ, & aſſenſu ibidem favorabilium accedente.

Et ne nebuloſa intentio, ſubdola quoque inverſio, adverſatrix bonorum, noverca quoque iuſtorum actuum perſpicuum noſtræ munus donationis, tam ſolemne tamque præclarum, in religionis augmentum feliciter inductum ob Progenitorum noſtrorum noſtramque ſalutem, audeat auſu temerario irrumpere, & quacunque violare rebellione, auctoritate noſtra mille aureorum pœnam inſtituimus invaſoribus noſtræ ordinationis & repugnatoribus, ita tamen, ut maior pœna exceſſus maneat maiores. Ad ſupradictorum generalem obſervationem litteris

præſen-

præsentibus duplicis sigilli nostri munimen dignum duximus appendendum.

Datum anno Domini MCCLIX.

CLXXXVIII.

Ottacharus Rex Bohemiæ Parthenoni Erlahensi in Austria superiori concedit, ut omnia ad victum necessaria sine ulla telonii exactione eò advehi possint.

In nomine Sanctæ Trinitatis, amen.

1259. *Ex autogr.* P.H.

NOs *Otacharus* DEI gratia Dominus Regni *Boëmiæ*, Dux *Austriæ*, & Marchio *Moraviæ*, omnibus Xpi fidelibus in perpetuum. Piæ ammonitionis intuitu, nec non pro remedio animæ nostræ, Ecclesiæ *Sancti Petri in Erla*, secundùm continenciam privilegii *Friderici* Illustris Ducis *Austriæ* eidem Ecclesiæ concessum, tradimus & nos & concedimus, ut omnia victualia pro ejusdem domus necessitate, tam in frumento, quàm in vino, sive quæcunque alia, per omnia loca teloneorum nostrorum, tam per aquam, quàm per terram sine omni exactione telonei transeant sive Mutæ. Adjicimus etiam de gratia speciali, ut nullus nostrorum Judicum seu Officialium, aliqua ipsa jura, seu constitutiones aliquas novas dare debeant vel formare. Ut autem hæc nostra traditio tam à præsentibus, quàm à posteris irretractata permaneat, præsentem paginam scribi fecimus, & sigilli nostri munimine roborari.

Testes autem, qui aderant, sunt hi: *Heinricus de Liechtenstein*, *Chunradus de Zækkingen*, *Heinricus de Stein*, *Otto* Camerarius *de Berhtoldesdorf*, *Heinricus* Dapifer de *Lengenpach*, *Chunradus Eysenpeutl*, *Sighardus Pibro*, *Albertus de Zelkingen*, *Marquardus* & *Bertoldus Prenhaven*, *Marquardus de Alhartsperge*, & alii quàm plures.

Actum apud *Anasum*, Anno Domini M. CC. LVIIII. Datum per manum Magistri *Arnoldi* Notarii apud *Welsam* pridie Nonas Maji.

CLXXXIX.

Idem Ottakarus, eximit Capellam S. Joan. Baptistæ Claustroneoburgi ab Advocatia Castellanorum in Greüczenstain, eamq; soli Principi terræ in perpetuum attribuit.

NOs *Otacharus* DEI gratia Dominus Regni *Boëmiæ*, Dux *Austriæ*, & Marchio *Moraviæ*, omnibus hujus literæ inspectoribus, præsentibus & futuris, gratiam suam. 1259. *Ex autogr.* P.H.

Quia nonnulli Castellani in *Grisehenstain* sibi Advocatiam possessionum Capellæ nostræ in *Nvvvenburch*, sitarum in *Rorbach*, rati contiguitatis ratione, quod absit, hoc licere, in ejusdem Capellæ præjudicium minùs licitè vendicârunt: Nos Katholicorum Principum, Prædecessorum nostrorum, vestigiis inhærentes, quæ promoverunt, promovere, & amare volumus, quæ amârunt. Dilecto Capellano nostro *Liupoldo*, ejusdem Capellæ Rectore instante, sibi ac ipsius Successoribus quibuscunque, nec non capellæ memoratæ præsens dedimus instrumentum, per quod constare volumus universis, quòd solus Terræ Princeps, cunctorum, quæ in præsentiarum possidet, vel habiturus est justo quocumque titulo in futurum, tutor existit solummodo & defensor. Volentes insuper eandem Capellam, nec non ipsius curiam & domum, tali privilegio gaudere in antea & honore, quòd nulli Judicum nostrorum seu terræ futurorum liceat vi factorum aut verborum reum quemcunque, ad ea, utpote ad azylum refugii declinantem excipere aut repetere ausu malo. Super quibus liberè in perpetuum duraturis præsentem paginam * L. & suis Successoribus sigillorum nostrorum munimine roboratam pro testimonio exhiberi fecimus evidenti. * *Liupoldo.*

Datum secundo Nonas Octobris Anno gratiæ Millesimo, Ducentesimo quinquagesimo nono.

CXC.

Idem Monachis S. Crucis vinum, quod pro iure montis in Talern & in Engelschalchsdorf Regi annuatim persolvebant, relaxat.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

1162. *Ex Authent. P. H.*

OTtokarus DEI gratiâ Rex *Boëmiæ* &c. Quoniam Auctor omnis gratiæ & fons largifluæ pietatis ad hoc nos honorum & facultatum culmen sublimavit, ut tantò uberiùs juxta Prophetæ consilium peccata nostra elemosynis & misericordiis paupetum redimamus, quantò amplius in hoc mundo præ cæteris possidemus: Eo moniti instinctu, notum facimus tam præsenti ætati quàm successuræ posteritati, quòd Nos cernentes Ecclesiam *Sanctæ Crucis* frequenti incursu *Ungarorum*, & Christianorum præ cæteris Cœnobiis periculosiùs laborare, volentesque commutare pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, vinum, quod pro Jure montis in *Tallern* & in.* *Engelschalchsdorff* nobis annuatim Fratres ejusdem Ecclesiæ persolvebant, ad consilium & interventum Ministerialium Nostrorum ipsis relaxavimus eorum defectibus consulendo. Ut autem hæc nostræ relaxationis gratia ipsis perpetuò maneat inconvulsa, Nostræque saluti orationum suarum semper deserviant adjumenta præsentem paginam, super his conscriptam, sigilli Nostri munimine ipsis fecimus roborari.

* bodie Engerdorf.

Hujus rei testes sunt: *Henricus de Chunringen* Marescballus *Austriæ*; *Chunradus de Hintperch*, & *Marquardus* filius ejus: *Otto de Perchtoldstorff*, & alii quàm plures.

Actum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Ducentesimo, sexagesimo secundo.

CXCI.

Idem ad petitionem Dominæ Abbatissæ & Conventus in Erlah Jura Advocatiæ, quæ habent ex gratia speciali Regia, universa renovat atque confirmat.

1262. *Ex autograph. P. H.*

OTtacharus DEI gratia Rex *Boëmorum*, Dux *Austriæ* & *Styriæ*, & Marchio *Moraviæ*, omnibus in perpetuum. Ut eorum, quæ per nos agunntur, proinde perennis memoria habeatur, constare volumus tam viventibus, quàm victuris, quòd nos ad petitionem Dominæ Abbatissæ & Conventus in *Erlach* Ecclesiæ sancti Petri Jura Advocatiæ nostræ, quæ habent ex nostra gratia speciali, universa renovamus, & præsentis scripti patrocinio confirmamus in hunc modum, quòd in Judicio nostro provinciali, infra flumen * *Troyn*, & flumen * *nunc Anasum*, nullus nostrorum Judicum provinciallium, in bonis Abbatiæ prædictæ, nullas causas debeat judicare, præter eas, quæ mortis supplicium respiciunt ex directo, quas tamen judicari volumus in proprietatibus Ecclesiæ ante dictæ. Item si aliquis Judex provincialis contra aliquem hominem Ecclesiæ prænotatæ aliquam habuerit actionem, debet ab Advocato Abbatissæ prædictæ exigere justitiam, & si coram Advocato convictus fuerit, secundùm quòd cingulo præcinctus fuerit provinciali Judici assignetur. Res verò ipsius malefici in usus Ecclesiæ revertantur. Item si aliquis ex hominibus Ecclesiæ jam præfatæ quocunque casu homicidium commiserit, & de culpa satisfecerit congruenti, * Advocato ipsius * *f.* con- Ecclesiæ similiter satisfaciant de commis- gruenso, nec provincialis Judex nostet quic- ter. quam exigat de hac culpa. Item nullus Judex provincialis in tota Advocatia dicti Claustri nullum prorsus detinere præsumat, nisi priùs ab Advocato sive Judice justitiam expetat de eodem. Item in provinciali Judicio ex ista parte *Anasi*, & in Judicio provinciali alia parte *Danubii*, quod dicitur in *Achlande*, & in Judicio inferioti ultra *Amsteden*, universa, quæ præmisimus, volumus, & mandamus inviolabiliter observari. Ut igitur præmissa inviolabiliter observentur, præsens scriptum sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri, Testibus, qui aderant, subnotatis. Qui sunt:

Heinricus Comes de *Phaneinberg*. *H.* Comes *de Hardekk*, *O. de Myssow*, *Otto de Hasslow*, *Heinricus de Lychtenstein*, *Hadmarus de Lychtenvvird*, *Otto* Cametarius de *Bertholdesdorf*, *Albero* Pincerna de *Celking*, *Heinricus* Dapifer de *Gritzenstein*, & alii quàm plures.

Actum & datum per manus Magistri *Arnoldi* tunc nostri Prothonotarii.

Anno

Anno Dni M. CC. LXII. Pridie Kalendas Decembris.

CXCII.

Rapoto & Wolvingus fratres de Wildeke donationem ſocrûs ſuæ Gerdrudis, Monaſterio S. Crucis factam, confirmant.

1261. *Ex Autogr. P. H.*

UNiverſis Chriſti fidelibus, præſentem paginam inſpecturis, *Rapoto* & *Wolvingus* fratres de *Wildeke* ſalutem in auctore ſalutis. Notum facimus tam præſenti ætati, quàm futuræ poſteritati, quòd piæ memoriæ *Gerdrudis* ſocrus noſtra pro animæ ſuæ ſuorumque progenitorum ac heredum remedio & ſalute, Eccleſiæ *Sanctæ Crucis* unum manſum in villa *Chrotendorf* delegavit conſenſu uxorum noſtrarum & noſtro pariter accedente. Ne igitur ſuper eodem manſo quiſquam in poſterum dictam Eccleſiam inpetere valeat aut gravare, præſentem paginam eidem ſigillis, noſtro videlicet & *Ottonis Turſonis* fecimus roborari.

Hujus rei teſtes ſunt: *Heinricus* quondam Abbas *Sanctæ Crucis*, *Heinricus* antiquus Cellerarius, *Perchtoldus*, *Otto* & *VVichardus* fratres de *Arnſtain*, *Ulricus de Gadem*, *Leupoldus de Snephenſtain*, *Marquardus Vinbeſchaidem*, *Leupoldus Gante*, & alii quàm plures.

Actum anno Domini M. CC. LXI.

CXCIII.

Ulricus Archiep. Saliſburg. confirmat Monaſterio Rotenſi jus Patronatus in Pillerſee, eique Novalium in eodem loco decimas confert &c.

1262. *Ex Archiv. Rotenſ.*

ULricus DEI gratia Sanctæ *Salzburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus, A. S. L. univerſis præſens ſcriptum intuentibus ſalutem in vero Salutari. Inhærere priſcorum prudentum veſtigiis cupientes, dignum duximus ea, quæ in noſtri actitantur præſentia, fideli ſcriptorum memoriæ commendare, ne ſubrepens oblivio deleat, vel fluida vetuſtas temporis obducat res geſtas, quarum eſt notitia non tantùm præſentibus, ſed etiam poſteris fructuoſa. Volumus igitur ſingulorum notitiis aperire, quòd, cùm Venerabilis *Cunradus* Abbas Monaſterii de *Rot Friſingenſis* Diœceſis coram nobis privilegia Papalia, Imperialia, & felicis recordationis *Eberhardi* Anteceſſoris noſtri *Salzburgenſis* Archiepiſcopi & Capituli Eccleſiæ ejuſdem, nec non *Heinrici* venerabilis fratris piæ recordationis *Chimenſis* Epiſcopi tanquam Ordinarii, & alia, quibus juvatur ſua Eccleſia, protuliſſet, diligenter ipſis viſis & perlectis invenimus in eiſdem jus Patronatus Eccleſiæ in *Pilrſe Chimenſis* Diœceſis ad prædictum Abbatem & Conventum liberè pertinere. Et cùm nobis de hoc ſit per eorum privilegia pleniſſimè facta fides, nolumus ipſis ab aliquo ſuper hoc quæſtionis, ambiguitatis de cætero ſcrupulum ſuboriri. Præterea ſicut per relationem ipſius Abbatis & aliorum diſcretorum virorum intelleximus, quædam novalia modernis temporibus in prædicta Parochia excreviſſe, pro quibus nobis humiliter ſupplicavit, ut per noſtrum moderamen & ordinationem ſibi, qui jus nomine ſuo & ſuæ Eccleſiæ præſentandi habet in prædicta Eccleſia & ſuo Monaſterio, occaſione eorundem novalium, quæ maxima in parte ſuis & ſuorum ſumptibus exculta ſunt, commodum aliquod obveniret.

Nos igitur conſideratione & ſufficienti & Canonica inſpectione antedictorum inſtrumentorum moniti, & ex certa conſcientia inducti dilectis in Chriſto *Cunrado* Abbati & Conventui de *Rot* Ord. S. Ben. *Friſingenſis* Diœceſis uſi conſilio prudentum virorum ad augmentum cultus Divini damus auctoritate præſentium facultatem, ut in Eccleſia *Pilrſe Chimenſis* Diœceſis, in qua juris æquitate ſuadente dictus Abbas & ſua Eccleſia jus obtinet Patronatus, liceat eis ibidem locare ſecundùm juris ordinationem duos Confratres ſui Ordinis, vel perſonam idoneam ſecularem, prout ſecundùm decentiam & utilitatem ſibi & ſuæ Eccleſiæ viderint expedire, jure tamen Diœceſano ſalvo in omnibus & per totum.

Ad hæc ut gratia eis facta ampliori plenitudine fœcundetur, concedimus Abbati & Fratribus antedictis & ſucceſſoribus eorundem, ut proventus ipſius Eccleſiæ illorum deſerviant Fratrum menſæ communi pariter & illis, qui per Abbatem ipſum ad famulandum DEO illi loco fuerint deputati. Omnes etiam Decimas novalium præteritorum, præſentium & futurorum, quæ Abbatis & Monaſterii

nasterii sumptibus exculta fuerint, ad ipsum decernimus integrè pertinere. Et ut hæc tam in solutione census annualis, quàm in jure procurationum, visitationum & juris kathedratici sine gravamine prædictorum Abbatis & sui Conventus per Rectorem ejusdem plebis, qui pro tempore fuerit institutus, sicut in aliis instrumentis plenius continetur, roboris infirmitate inviolabiliter observentur, præsentem cedulam nostri sigilli munimine fecimus firmiter roborari.

Sunt autem hi testes, qui rogati interfuerunt: *Albertus Sevvensis*, *Diethricus* Custos ejusdem loci, *Nicolaus* Decanus in *Prukke*, Magister *Joannes* Scholasticus & Canonicus *Ottingensis*, *Pertholdus* Notarius in *Sevven*, *Henricus* Saxo judex de *Megelingen*, *Otto* Liber de *Steinhart*, *Heinricus Allee de Rot*, *Ulricus* dictus *Stoër* & alii quàm plures.

Acta sunt hæc apud *Ottingen* in die Luciæ anno Domini M. CC. LXII. XIX. Kal. Januarii.

CXCIV.

Rudlo Hyetzinger Monasterio Claustroneoburgensi donat partem de sua hæreditate in Hyeczing & villam Zchensunsdorf.

1263. *Ex autographo* P. H.

EGo *Rudlo*, dictus *Hyetzinger*, notum facio universis, quòd ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ in *Niumburch* partem hereditatis meæ in *Hyeczing*, & villam *Zchensunsdorf*, quam habui à Domino meo *Nycolao* Venerabili Præposito ejusdem Ecclesiæ, in concambio donavi ad arbitrium & consilium Domini *Chunradi de Greyfenstein*, Dni *Ditrici* Officialis *Niumburgensis*, Dni *Wernhardi de Ayterpach* & aliorum ac maximè propter DEUM, promittens firmiter, ut nullum omnino de cætero pro dictis bonis debeam impetere verbis pariter atque factis. Quamobrem prænominatus Dominus meus Venerabilis Præpositus *Niumburgensis*, totusque Conventus ibidem, mihi versa vice annuatim in messe, pro victu unum modium tritici, nec non in festo beati Michahelis mediam cartatam vini, & pro vestibus unum talentum denariorum ordinârunt: promittens insuper, ut de cætero infra septa claustri non debeam commorari.

In cujus rei memoriam præsentem litteram sigillis Dominorum *Dietrici* Officialis, ac *Marquardi* Magistri Cellarii communiri procuravi.

Testes hi sunt: Dns *Otto de Arnsperch* Custos, Dominus *Otto* Hospitalensis, Dns *H.* Plebanus *Sancti Loci*, *Waltherus Vitriarius*, *Dietricus Scherfinger*, *Hermannus de Stoyczendorf*, *Heinricus de Schonenpuch*, *Cholo*, & alii quàm plures.

Datum in *Niumpurch* Anno Domini M. CC. LXIII. XVI. Kal. Septembris.

CXCV.

Charta Donationis, ab Irenfrido Canonico Patavienſi & Decano Crembſenſi, ſuper domo ſua in Chrembs juxta Prædicatores, una cum torculari, Eccleſiæ Clauſtroneoburgenſi facta.

1264. *Ex Autegr.* P. H.

UT facta hominum firmiora permaneant, roborari ea convenit testimonio litterarum. Notum sit igitur universis præsentes litteras inspecturis, quòd ego *Irenfridus* Divina permissione *Patavienſis* Ecclesiæ Canonicus & *Chremſenſis* Decanus, *Niunburgenſi* Ecclesiæ, quam præ cæteris honorare teneor, sicut illam, à qua recepi feudum personale, aream meam seu domum *Chrems*, juxta fratres Prædicatores sitam, cum torculari adjacente, ob salutis meæ remedium ex nunc lego, de qua tamen primò absolutè præfata se intromittet Ecclesia me defuncto. In cujus facti perennem memoriam eidem Ecclesiæ offero præsentem litteram, mei & Civium de Chrems sigilli munimine roboratam.

Acta hec sunt *Chrems* anno Domini Millesimo CCLXIIII. sexto Kalendas Julii.

CXCVI.

Henricus de Hakenberch propter Deum & filium ſuum Irenfridum Profeſſum ac Cœnobitam Altenburgenſem, mox memorato Cœnobio Altenburgenſi tria beneficia reſignat.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

1264. *Ex Autegr.* P. H.

EGo *Heinricus de Hakenberch*, Ministerialis *Austriæ*, notifico & protestor coram universis præsentem paginam inspecturis, quòd ego propter Deum & filium meum *Irenfridum* Cœnobio

S. Lam-

S. Lamberti in Altenburch, ad obſervantiam regulæ Sancti Benedicti traditum & profeſſum reſignavi Cœnobio memorato tria beneficia in *Stynkhundenbruonne*, quæ mihi ex arbitrio Domini *Ottonis de Miſſovve*, Judicis *Auſtriæ* provincialis fuerant aſſignata, cùm coram eo inter me & Abbatem de *Altenburch* & ſuum Cœnobium pro Advocatia duodecim beneficiorum in *Stynkhundenbruonne*, cui etiam tunc renuntiavi, contentioſa quæſtio verteretur. Quam reſignationem profiteor de conſenſu & voluntate uxoris meæ & filiorum meorum & ad manus Domini *Vlrici* Abbatis de *Altenburch*, qui tunc præſens erat, tam liberè me feciſſe, ut cunctis Liberis meis tam ſuper Advocatia prætaxata, quàm ſuper beneficiis antedictis, præciderim omnem, quam movere poſſent in poſterum contra prædictum Cœnobium, quæſtionem. Ut autem hæc mea reſignatio ſive traditio, cunctis valeat temporibus inviolabiliter obſervari, hanc paginam inde confectam *Altenburgenſi* Cœnobio tradidi ſigilli mei munimine roboratam. Super hæc omnia pro teſtimonio multiplicando, & ut ea, quæ a me facta ſunt, & hic ſcripta, plenius in poſterum eluceſcant, ſigillo Domini *Ottonis de Myſſovve*, & ſigillo Domini *Ottonis de Haſelovve* Miniſterialium præſens ſcriptum obtinui ſigillari.

Huius rei teſtes ſunt: *Heinricus* Notarius meus, *Heinricus* Vice-Plebanus *de Govvatſc*, *Herbordus* miles de *Hakenberch*, *Reicherus* miles & *Gotfridus* frater ſuus *de Govvatſc*, *Vlricus Gogmen de Poungarten*, *Chuonradus Khotzelær de Hakenberch*, *Wolfkerus* Officiarius de *Stynkhundenbrunne*, *Chuonradus* Officiarius de *Altenburch*, *Vlricus de Fuokla*.

Acta ſunt hæc in caſtro meo *Hakenberch* Anno Domini M. CC. LXIV. In die S. Agathæ Indictione VII.

CXCVI.

Otto de Foro S. Crucis Monaſterio donat domum & duas inſtitas, ſitas in Alto foro urbis Wiennenſis.

1264. *Ex authent. P. H.*

LAudabile eſt Scripturæ teſtimonium, quod oblivionis redimit detrimentum: Emergentem enim calumniam reprimit actionum in veritate ſua loquens, fomitem erroris extinguit naſciturum. Notum ſit igitur univerſis præſentem paginam inſpecturis, quòd Ego *Otto* dictus *de Foro*, attendens mutationem rerum ſubitaneam mundanarum ipſumque Apoſtolum adventum diſtricti Judicis nuntiantem: quoniam omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti recepturi, prout in corpore geſſimus, ſive bonum fuerit, ſive malum, cupiensque horam tam diſtricti examinis aliquibus miſericordiæ operibus prævenire, ob meorum remiſſionem peccaminum, meorumque Progenitorum, nec non & liberorum, Eccleſiæ *Sanctæ Crucis* domum & duas * *inſtitas in alto foro Viennæ* Civitatis ſitas, quinque talenta ſingulis annis ſolventes, quarum una videlicet inſtita duo talenta, reliqua verò cum domo tria talenta reddit, cum conſenſu liberorum meorum, ad quos ipſorum reddituum reſpectus tunc temporis habebatur, videlicet *Griffonis*, *Chunegundis* & *Margarethæ*, maritorumque earundem *Henrici* ſcilicet & *Vlrici*, contuli perpetuò poſſidendas, tali conditionis articulo addito, ut de præfatorum reddituum pecunia dictæ Eccleſiæ Fratribus in die Beati Cholomanni, quàm diu vixero, poſt obitum verò meum in die Anniverſarii mei debeat ſervitium in ſimilis & vino meliori & piſcibus miniſtrari. Quod ſi fortè, quod abſit, a quoquam Abbatum & Diſpenſatorum Eccleſiæ prælibatæ dictum ſervitium Fratribus per negligentiam ſubtractum fuerit, ad me vel ad meos heredes, ſi non ſuperfuero, reverteretur.

Itaque rigorem converſationemque Religionis Fratrum præfatæ Domûs conſiderans, ut orationis, laborisque ipſorum ampliùs particeps, utpote Confrater eorum Ordinis exiſterem, quandocunque me Dominus de huius vitæ vocare dignabitur ergaſtulo, elegi in dicta Eccleſia ſepeliri, tali tamen conditionis articulo intercluſo, ut ſi fortè expeditionis itinere vel quocunque modo ſive infra terram, ſeu intra montes deceſſero, Abbas Eccleſiæ ſæpe dictæ propriis expenſis inde me deferet, ſicque cum Conventu Fratrum exequias celebrabit. Ut autem hæc mea Donatio ab omni heredum meorum impeditione rata & inconvulſa permaneat, ſigillorum duorum, mei videlicet & Civium Civitatis *Viennæ* dignum duxi munimine

nimine roborari, teſtibus idoneis nihilominus ſubnotatis, quorum nomina ſunt hæc: *Henricus* Plebanus de *Prugge*, *Bertholdus de Teulingsbrunne*, *Henricus de Gottesvelde*, & alii complures. Acta ſunt hæc anno Domini M. CC. LXIV. XIV. Kalend. Novemb. Indict. VII.

CXCVII.

Sententia definitiva ſuper iure Parochiali & Capellarum Monaſterii Scotenſis Viennæ, a Judicibus ſubdelegatis pro dicto Monaſterio lata.

1265. *Ex Autogr. P. H.*

ANno Domini MCC. LXV. Indictione VIII. quinto Kal. Septembris, acta ſunt hæc coram nobis *Arnoldo* Præpoſito Ordinis Sancti Benedicti *de Brunna*, & Decano *Medlicenſi*, ſubdelegatis iudicibus Delegatorum Sedis Apoſtolicæ videlicet Abbatis *Sanctæ Crucis*, Ordinis Ciſtercienſis, & Decani *Znoymenſis Patavienſis* & *Olmocenſis* Diœceſum, quorum mandatum priùs recepimus in hæc verba.

Venerabili Viro ac in Chriſto Patri Domino *Arnoldo* DEI patientia Præpoſito Sancti Benedicti in *Luca Olmocenſis* Diœceſis, Ordinis S. Benedicti, *Henricus* permiſſione divina Abbas *S. Crucis* Ciſt. Ordinis *Patavien.* Diœc. orationes in Domino ſempiternas. Noveritis nos litteras Domini Papæ recepiſſe in hæc verba. Clemens Epiſcopus Servus Servorum DEI Dilectis filiis - - Abbati *S. Crucis* Ciſterc. & Præpoſito S. *Ipoliti* S. Auguſtini Ordinum, & Decano *Znoymenſi* Eccleſiarum *Patavien. & Olmocen.* Diœcesûm ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilecti filii, Abbas & Conventus Monaſterii *S. Marie Scotorum* Ordinis S. Benedicti *Patavien.* Diœceſis nobis ſignificare curârunt, quòd olim inter ipſos ex parte una, & Magiſtrum *G.* Plebanum plebis in *Wienna*, prædicte Diœceſis ex altera ſuper iuribus Parochialibus in *Lauben*, & quibusdam aliis capellis ad eosdem Abbatem & Conventum ſpectantibus, nec non ſuper quibusdam aliis iuribus ac decimis tam ad Monaſterium ipſum, quàm ad easdem capellas pertinentibus, materia quæſtionis exorta fuit: tandem a partibus in Venerabilem Fratrem noſtrum *Patavienſem* Epiſcopum loci Diœceſanum ſuper præmiſſis tanquam in arbitrum ſub certa pœna concorditer compromiſſum &c. &c. Datum *Peruſii* V. Kal. Aprilis Pontificatus noſtri anno primo.

Verùm quia nos variis & arduis Eccleſiæ noſtræ negotiis multipliciter præpediti, huic cauſæ intereſſe non poſſumus, ob id vices noſtras in ſolidum vobis in hac parte committimus terminandas, ratum habentes atque gratum, quicquid per vos in dicta cauſa factum fuerit & ordinatum.

Datum in Monaſterio noſtro anno Domini M. CC. LXV. XI. Kal. Julii.

Venerabili Viro & Diſcreto Domino *D.* permiſſione divina Decano *Medlicenſi* propè *Viennam*, *H.* nutu divino Decanus *Znoymenſis*, delegatus Dni Papæ *Clementis*, *Olmocenſis* Diœceſis orationes in Domino ſempiternas. Noveritis nos litteras Summi Pontificis non abolitas, non cancellatas, nec in aliquo vitiatas in hæc verba recepiſſe: *Clemens* Epiſcopus Servus Servorum DEI, ùt ſuprà. Verùm quia nos tam Eccleſiæ noſtræ, quàm etiam Advocati noſtri negotiis multipliciter præpediti, huic cauſæ intereſſe non poſſumus, vices noſtras in ſolidum in hac parte vobis committimus terminandas & gratum habentes &c. Datum in *Nova Domo* anno Domini M. CC. LXV. in die S. Kiliani.

Hic fertur a Judicibus ſubdelegatis ſententia pro Abbate Monaſterii Scotenſis Viennæ, & ſic concluditur: Lata eſt hæc ſententia *Viennæ* ante Capellam Curiæ Regiæ præſentibus teſtibus ſubnotatis Presbyteris: Domino *Leone de Olprehteſperge*, Domino *Conrado* dicto *Parente*, Domino *Henrico*, Domino *Gentfrido*, nec non Plebano de *Haymburg*. Laicis verò fide dignis: Domino *Wycardo de Arunſtayn* Miniſteriali *Auſtriæ*, *Vlrico de Kalenberge*, *Rembotone* dicto *Celeub*, *Alberto de Symanigen*, *Arnoldo* dicto *Reynner*, *Gurtwino*, *Johanne Welfario*, *Alberto de Stadlau*, *Hermanno* dicto *Haccumtevol*, *Rembotone* fabro Ducis, & aliis multis.

Datum anno Domini M. CC. LXV. Indict. VIII. quinto Kalend. Septemb. Et hæc omnia fecimus conſcribi per *Henricum de Tulbing* & *Nicolaum Hungarum* apud acta pro tabellionibus iuratis de utriusque partis conſenſu, licèt ab initio

Digitized by Google

tio Magister *Gerardus* in eos tanquam in tabelliones nequaquàm voluit consentire.

CXCVIII.

Ludovicus de Zelking Ecclesiæ Claustroneoburgensi villam Waltprechtsdorff cum omnibus attinentiis resignat.

1265. *Ex autograph. P. H.*

NOverint universi hanc litteram inspecturi, quod ego *Ludvvicus*, dictus *de Celking*, villam, quæ *Waltprechtsdorf* dicitur, cum omnibus suis attinentiis, quocunque nomine censeantur, Monasterio *Sanctæ Mariæ in Niunburch* liberè resignavi, cuius & antea noscitur extitisse, omnibus iuribus & debitis renunciando, quæ de eadem ad dies meos percipere potuissem. Et ut hæc rata permaneant in posterum, hanc litteram feci sigillorum Venerabilis Domini *Heinrici* Præpositi *Sancti Ypoliti*, & Domini *Svvikeri* Decani de *Lastorf* & mei pariter munimine roborari.

Datum in *Tulvving* anno gratiæ M. CC LXV. XI. Kal. Januarii.

CXCIX.

Elisabetha, vidua Henrici de Liechtenstain cum filiis Friderico & Hertnido, septem Solidorum redditus in VVeltendorf Monasterio S. Crucis liberè dimittit.

1266. *Ex autograph. P. H.*

QUoniam teste Apostolo quæcunque homo seminavit, hæc & metet: & est utile & salubre, dum tempus est, operari bonum ad omnes, maximè tamen ad pauperes spiritu, qui se ac sua pro cælestibus abnegantes, nudi nudum Christum sequi per eius vestigia non verentur: Universis igitur Christi fidelibus tam præsentibus quàm futuris, ad quos præsens scriptum devenerit, patefiat, quòd felicis memoriæ Dominus *Heinricus de Lichtenstain*, cùm morte præventus, prò dolor! insperata, decederet intestatus, & habuisset adhuc vivens septem solidorum redditus, sitos in *Weltendorf* minùs debitè, qui ob remedium animæ fratris sui Domini *Dietrici de Rorovv* de parte hereditatis eiusdem Domini Diet. domui *Sanctæ Crucis* fuerant liberè delegati, & prædictus Dominus *Henricus* eiusdem redditus per concambium eidem domui volens refundere, morte præventus id minimè compleviſſet, in die humationis suæ in *Sancta Cruce* Domina *Elisabet* relicta sua, ac filii sui *Fridericus* & *Hertnidus* cum aliis coheredibus, hereditatis suæ compassionem debitam intuentes prædictos septem solidorum redditus domui *Sanctæ Crucis* liberè dimiserunt, *Dietrico* filio quondam Domini *Dietrici de Rorovv* pro Patre & Patruo pollicente, ut defectus unius talenti in præfatis VII. solidis de patrimonio suo cum triginta denariorum redditibus resarciret.

Præterea Domina *Elisabet* relicta Domini *Heinrici* cum *Friderico* & *Hernido* filiis eiusdem & cæteris heredibus quorum iuri Domini *Henrici* defuncti hereditas subiacebat, cùm iuxta debitum naturale animæ defuncti ampliori tenerentur diligentia subvenire, moti visceribus pietatis de parte ad ipsos devoluta, quatuor talentorum redditus, sitos in *Nadendorf* in remissionem peccaminum animæ Domini *Henrici* defuncti & suorum ac Antecessorum quoque Domui *Sanctæ Crucis* liberè donaverunt, Jus Advocatiæ in eisdem redditibus dimittentes, ita ut tam de talento a Domino *Dietrico* iam collato, quàm de istis talentis quatuor annis singulis Conventui in *Sancta Cruce* in Festo S. Benedicti Abbatis in vino meliori & piscibus ac simila honorificè serviatur.

Et cùm Dna *Chunigundis* socia thori Dni *Ottonis de Guetrad*, filia præfati Domini *Henrici de Liehtenstein*, redditus unius talenti de prædictis quatuor in *Nadendorf* suæ parti specialiter attraxisset, inducente eam Domino *Ottone* marito suo, in hoc consensit & ipsa, ne factam donationem videretur occasionaliter impedire. Omnibus ergo, quibus cesserat prædictum patrimonium Domini *Heinrici*, huic solemni donationi consentientibus ratámque habentibus atque firmam, ne successivè ab aliquo hæc firmitas valeat infirmari, præsens scriptum sub sigillis Dominorum *Ottonis de Perhtoldstorff*, *Ottonis de Gutrad*, *Friderici de Liehtenstain*, *Ottonis de Vrovvenburch* est firmiter roboratum, testibus idoneis subnotatis, qui sunt:

Dominus *Otto de Haslovv*, Dominus *Otto Turso*, Dominus *Otto de Arnstain*, Dominus *Wernhardus de Wolf-*

Digitized by Google

kersdorf, Dominus *Marchquardus* de *Pilhilcdorf*, Dominus *Janso de Merfvvanch*, Dominus *Henricus de Hitendorf*, Dominus *Albero Volfach*, Dominus *Ortwinus* de *Salffengan*, & alii quàm plures.

Acta sunt hæc anno Domini MCCLXVI. Duodec. Kal. Aprilis.

CC.

Clemens IV. omnes libertates & immunitates, Abbati & Conventui Monasterii S. Crucis cum à suis prædecessoribus Romanis Pontificibus, tum etiam à Regibus & Principibus liberè concessas, confirmat.

1267. *Exanthent. P. H.*

CLemens Episcopus, Servus Servorum DEI, Dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterii *Sanctæ Crucis* Cistercienfis Ordinis, *Patavienfis* Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum à Nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii Nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per Privilegia, seu alias indulgentias vobis concessas, nec non libertates & Exemptiones secularium Exactionum à Regibus, Principibus, vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas, sicut ea justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem Monasterio Auctoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum *Viterbii* VIII. Kalendas Novembris, Pontificatûs Domini *Clementis* Papæ IV. Anno secundo.

CCI.

Ulricus Dux Carinthiæ confirmat & auget immunitates & privilegia Cartusiæ Seitzensis.

1267. *Ex Ar-*

NOs *Ulricus*, DEI gratia Dux *Karinthiæ*, & Dominus *Carniolæ*, constare volumus tam præsentis vitæ hominibus quàm futuræ, quòd nos consideratis & per singula intellectis his, quæ privilegia fratrum Ordinis Cartusiensis, in *Valle Sancti Johannis* DEO servientium continebant, omnem gratiam à nostris Prædecessoribus eis factam, etiam cum augmentatione aliquorum, quæ annis singulis dari solent in *Windischgratz*, eis longo tempore consuetra, ratam habere duximus, concedentes eis, ut in prædio *Windischgratz*, ubi priùs frumenti duos modios, & Brasii decem mensuras habuerunt, deinceps viginti mensuras Brasii, & quatuor modios de frumento, annis singulis habeant jugiter possidendos. Præterea concedimus Fratribus antedictis, ut omnia, quæ ipsi ad usus proprios vendiderint, vel etiam comparaverint in Civitatibus nostris *Stein* ac *Windischgratz*, sine teloneo transeant atque muta. Denique præcipimus universis ad districtum dominii nostri respectum habentibus, ut, ubicunque prædicti Fratres ierint, aut bona eorum fuerint constituta, nihil eis exactionis aut gravaminis inferatur. Ad quorum omnium confirmationem præsentes litteras eis damus sigilli nostri munimine roboratas. *chiv. Seitz.*

Datum in *Scheutz* proprè *Leybacum* Anno Domini MCCLXVII. XI. Kal. Junii.

CCII.

Idem Dux Ulricus bona & homines Peregrini Plebani de Meyngolpurch, à suo jurisdictione ac judicio sanguinis absolvit & eximit.

VLricus DEI gratia Dux *Karinthiæ*, Dominus *Carniolæ* & *Marchiæ* universis, præsentium notitiam habituris, memoriam gestæ rei. Ad hoc divina providentia nos honore Principatus prævidit & prætulit in hoc mundo, ut ipsius cultum dignissimum veneratione Principalis reginiinis honorando Ecclesiarum commodam libertatem, à jugo temporalis vexationis & angariabilis incommodi liberandam, pio assecurationis desiderio procuremus, in quibus præcipuè honotatur & colitur ipse DEUS. Sanè sicut etiam Virum prudentem *Peregrinum* Plebanum de *Meyngolpurch* Vice-Dominum Domini *Gregorii* venerabilis parochiæ *Aquilegensis* dilectum nobis furit humi- 1267. *Ex Regr.* P. H.

humiliter poſtulatum, in bonis & hominibus ad dotem ipſius plebis pertinentibus, quæ nobis fuerunt juriſdictione temporali ſubjecta, ob ejuſdem grata merita & accepta, ſpecialem ſibi gratiam facere cupientes, juriſdictionem hujuſmodi ſeu judicium ſanguinis, pœna ſuſpendii dumtaxat excepta ſuper bonis prædictis hactenus à nobis habita & inventa, per nos heredes & ſucceſſores noſtros remittimus & relaxamus omninò eadem bona & homines ab onere juriſdictionis vel judicii prædictorum abſolutè abſolventes ammodo & penitùs liberantes.

Volumus quoque, ut præfatæ vocis bona & homines, quò ad juriſdictionem & judicium ſupradicta ſimili gaudeant libertate, quam hominibus atquè bonis Monaſterii *Sycicenſis* duximus concedendam. In cujus rei evidentiam & ſtabilem firmitatem præſentes literas noſtras conſcribi fecimus, & ſigilli noſtri pendentis munimine roborari.

Acta ſunt hæc apud *Vulminum* in camera parochiali, præſentibus Venerabili Patre Domino *Gregorio* Parochiæ *Aquilegenſis*, Domino *Alberto* Epiſcopo *Concordienſi* Vicedomino ipſius . . *Perengero* Præpoſito Sancti *Vdalrici*, *Rudelino* Caſtellano de *Laybach*, *Heinrico de Helfenberch* & aliis quàm pluribus fide dignis.

Datum anno Domini M.CC.LXVII. X. intrante Junio. X. Indictionis.

CCIII.

Hainricus Epiſcopus Chiemenſis Monaſterio Rotenſi facit poteſtatem erigendi Prioratum in Pillerſe, eumdemque per Monachos adminiſtrandi.

1268. *Ex Archiv. Rot.*

FRater *Hainricus* Ordinis Minorum, DEI gratia *Chiemenſis* Epiſcopus, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Filio DEI vivi. Ad Divini cultum nominis ampliandum tantò ſolicitiùs cuta nos excitare deberet officii paſtoralis, quantò Divinæ miniſterium diſpenſationis nos creare voluit aptiores ad illa ſalubriter erigenda, quorum magnificant Chriſti gloriam officinæ, & per quæ apud homines operatio poterit commendari.

Hac ergo conſideratione commoniti inſpectis iſtorum Venerabilium Patrum, videlicet piæ recordationis Domini *Eberhardi*, nec non & Domini *Philippi* & Capituli majoris Eccleſiæ *Salzburgenſis* & Anteceſſoris noſtri Domini *Haimrici* piæ memoriæ privilegiis ſubtiliter conſideratis, quicquid illorum auctoritas ſtatuit obſervari, nos quaſi infirmiores eadem non deſtruere, imò potiùs per noſtræ ſolicitudinis officium volumus roborare, dantes auctoritatem per præſentes, ut in Eccleſia *Pillerſe* noſtræ Diœceſis, in qua Abbas & Conventus *Rotenſis* jus obtinent Patronatus, liceat eis creare ſui Ordinis Prioratum, & eundem per Fratres ſui Ordinis officiare, ſicut hactenus per ſeculares Clericos regebatur, quibus eadem conſueverat aſſignari, jure tamen noſtro & Archidiaconi *Chiemenſis* omnimodis illibato. In cujus rei perpetui roboris firmitatem præſentem chartam conſcribi fecimus ſigilli noſtri robore communitam.

Datum anno Domini MCCLXVIII. XIII. Kal. Febr.

CCIV.

Henricus de Sevelde donat reditus undecim ſolidorum in Ladendorf pro perpetuo lumine coram Altari B. Margaretæ Virg. conſtructo in Domo S. Crucis &c.

VNiverſis Chriſti fidelibus, tenorem preſentium cognituris, Nos *Heinricus de Sevelde* ſalutem in perpetuum. Divina monente Scriptura, dicente, quia in memoria æterna erunt juſti, ut in eorum numero computari mereamur in die Domini, ſitque immortalis noſtri memoria nota apud DEUM & homines, ſcire volumus univerſos, quod pro communione juſtorum perenniter obtinenda juſtitiæ operibus volentes inſiſtere, domui *Sanctæ Crucis*, in cujus gremio ſepulturam elegimus, contulimus liberè cum voluntate & aſſenſu Illuſtriſſimi Regis *Boëmiæ*, Ducis *Auſtriæ* & *Styriæ*, atque Marchionis *Moraviæ Otakari*, redditus undecim ſolidorum in *Ladendorf* pro ardendo lumine coram altari beatæ *Margaretæ* Virginis, conſtructo in eadem domo *Sanctæ Crucis*: Addentes eidem domui pro ſuo decore partem reliquiarum noſtrarum, id eſt, plenarium, quod eſt ſine libro Evangeliorum & majorem imaginem glorioſæ Virginis Mariæ eboream, tali forma, quòd poſt obitum meum unà mecum ab Eccleſia *Seveldenſi* recepta ne-

1268. *Ex Autogr.* P.H.

Digitized by Google

quaquam alienentur, neque ſubripiantur decori præfatæ domus *Sanctæ Crucis* quocunque caſu accidente, neque per venditionem, neque per mutationem ſeu alio quoquo modo, ſed ibidem inſeparabiliter permaneant ac ſerventur.

Ut autem hæc donatio rata ſit, & invariabiliter perſeveret, hanc litteram jam dictæ domui dedimus noſtri ſigilli munimine roboratam, Teſtibus tamen idoneis nihilominus ſubnotatis, qui ſunt: Frater *Theodoricus*, cognominatus *Hultzinch* Ordinis Prædicatorum, *Chunradus* Plebanus de *Ebenfurt*, *Vlricus* Plebanus de *Sevelde*, *Heinricus* Judex ibidem, *Heinricus* dictus *Gobman*, *Vlricus* Dapifer. Milites: *Gerungus de Prounſtorf*, *Otto de Harraz*, *Perthol-dus de Ebental*, & alii quàm plures.

Actum anno Domini M.CC.LXVIII. In die S. Auguſtini Epiſcopi, in domo *Seveldenſi*.

CCV.

Ottacharus Rex Bohemiæ Eccleſiæ Clauſtroneoburgenſi privilegium à Duce Leopoldo ſuper muta navium Danubii uſque Anaſum, quondam conceſſum confirmat.

1269. *Ex Autogr. P.H.*

NOs *Otacharus* DEI gratia Rex *Boëmiæ*, Dux *Auſtriæ*, & *Styriæ*, ac Marchio *Moraviæ*, ſcire volumus univerſos, præſentes litteras inſpecturos, quòd litteras Venerabilis Præpoſiti & Eccleſiæ *Nuvvenburgenſis* nobis ex parte ipſorum præſentatas recepimus in hæc verba:

Notum ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris, quòd Ego *Liupoldus* Dux *Auſtriæ* & *Styriæ* in remedium animæ meæ, parentumque meorum Mutam navium *Danubii* in aſcenſu & deſcenſu uſque *Anaſum*, ſicut & Pater & Frater meus, *Nivvenburgenſi* Eccleſiæ induſimus in perpetuum.

Hujus rei teſtes ſunt: *Liutoldus* Comes de *Hardek*. *Ulricus de Pernekke*, *Wernhardus de Schovvenberch*, *Marquardus* & filius ejus de *Himperch*, *Heinricus de Prunna*, *Dietmarus* Mordax, *Hadmarus de Sunnberch*, *Albero de Chunring*, *Pilgrimus*, *Ulricus*, *Reingerus de Steuntz*, *Ulricus* Aſmus, *Wernhart*, *Ulricus*, *Hugo von Clem* * *Aigen*, *Liutvvinus de Pirboum*, *Poppo de Spanberch*, *Hugo Dietericus Stohſem*, *Pilgrimus de Svvartzenovv*, *Otto de Meyſſovv*.

* f. Clein.

Sanè cum præfatus Præpoſitus & Capitulum Eccleſiæ *Nivvenburgenſis* nobis cum inſtantia ſupplicârint, ut ipſis gratiam à præfato Illuſtri Duce *L.* conceſſam, dignaremur inviolabiliter obſervare, nos ipſorum æternæ felicitatis intuitu precibus inclinati, Privilegia, quæ ſuper hoc à præfato Duce ipſis fuerunt conceſſa, præſentibus litteris innovamus, ſigillorum noſtrorum munimine roboratis.

Datum in *Lubſitz*. Anno Domini M.CC.LXVIIII. Indictione XII. XIIII. Kalend. Auguſti.

CCVI.

Diploma fundationis Parthenonis Minebachenſis ſeu Impachenſis Ordinis S. Dominici in Auſtria Inferiori, factæ ab Alberto de Velſperg, Dapifero Auſtriæ.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. 1269. *Ex autogr. P.H.*

QUoniam juxta divinum eloquium omnes morimur, & ad inſtar aquæ, quæ non revertitur, dilabimur, labente vitâ labitur ſimul memoria: Ideo neceſſe eſt, aut vota præcedentium ſcripturæ teſtimonio poſteris mandentur.

Notum igitur ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris, præſentem paginam inſpecturis, quòd ego *Albertus de Velſperg* Dapifer *Auſtriæ* divinitus inſpiratus, ad honorem principaliter JESU CHRISTI & gloriosæ Matris ipſius, nec non ad cultum divinum & devotionem fidelium augendam, unà cum uxore mea Clauſtrum ſanctimonialium in ſolo proprio exſtruere cogitavi pro animæ meæ & progenitorum meorum remedio & ſalute. In cujus ſtructuræ ſubſidium & juvamen de manifeſto uxoris meæ *Giſlæ*, & omnium puerorum, & hæredum meorum aſſenſu, aream in *Minebach*, quæ fuit *Henrici Conradi Zvveymanni*, ſitam juxta aquam *Crembſam* & ſtradam communem ibidem, uſque ad viam, quæ eſt in fine areæ cognatorum meorum de *Storchenbach*, tam pro Monaſterio, quàm pro Clauſtro, aliiſque officinis neceſſariis exſtruendis manu liberali contuli, unà cum pomario & area, quæ adhuc etiam ab ipſis cognatis meis redimere debeo,

Digitized by Google

beo, ſpopondi: Addens nihilominùs in ſubſidium loci ſupradicti, & dominarum ibidem DEO famulantium capellam ibidem in Minebath cum omnibus proventibus ſuis, molendinum in villa eadem, vineam quoque in valle apud *Strazing* ſitam, item villam in *Salingberg* cum jure Patronatus ejuſdem Eccleſiæ, redditus trium librarum in *Conſenthal*, quos pia Mater mea *Agnes* eidem loco contulit. Item Eccleſiam in *Munſter* apud *Orth* cum juribus & proventibus ad eandem. Ne autem à Caſtro in *Minnebach* antedictis Dominabus, & loco, & familiæ earum aliquis poſſit moleſtiam inferre, trado ipſam in ſubſidium eidem Monaſterio pro ſtructura.

Sed ne forteſſis heredum aut amicorum meorum aut violentia ſive quorumcunque inſidioſo conamine vindicentur ſibi jus Patronatûs aut Advocationis, ſive cujuſcunque alterius oppreſſionis, quocunque nomine cenſeantur, fundationis prædictæ, aut perſonarum ibidem DEO famulantium poſſit turbari tranquillitas, nihil omnino juris noſtris vel poſteris meis volui reſervare.

Ut autem iſta integra & inviolata permaneant, ſigilli mei munimine, & *Conradi* Conſobrini mei piæ memoriæ de *Orth*, & uxoris meæ volui roborare, vivis nihilominus teſtibus ſubnotatis: Frater *Henricus* Prior Frat. Prædicat. in *Vienna*, & ſocius ſuus Frater *Theodorus*, Dominus *Engelſchalcus* Plebanus in *Velſperg*. Item Milites: Dominus *Henricus Reſcho*, D. *Henricus*, D. *Otto de Velſperg*, D. *Otto de Schrattenbach*, & alii quàm plures.

Acta ſunt hæc in Caſtro *Velſperg* Anno M. CC. LXIX. Kal. Maji.

CCVII.

Ottakarius Rex Bohemiæ Parthenoni in Maylan, Ord. Ciſt. indulget privilegium omnia ad victum neceſſaria ſine ullo telonio comparandi.

1170. *Ex Autogr.* P. H.

NOs *Ottakarus* DEI gratia *Boëmiæ*, Rex, Dux *Auſtriæ*, *Styriæ* & *Karinthiæ* Marchioque *Moraviæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ* & *Egræ*, omnibus in perpetuum. Cùm ob omnipotentis DEI reverentiam & honorem loca religioſa non ſolùm à noſtris Progenitoribus, vel à nobis conſtructa, verùm etiam quæ à Chriſti fidelibus in noſtris terris ad ejus laudem devotione pia & optato cordis deſiderio condita ſunt pariter & fundata, velimus ſpecialiùs promoveri: ſcire volumus præſentium quoſlibet inſpectores, tam poſteros, quàm modernos, quòd Cœnobium Dominarum Religioſarum in *Maylan*, * Ordinis Cyſtercienſis, quod dilectus ac fidelis noſter *Heynricus* Comes de *Hardeke*, in memoriam Salvatoris & ejus dulciſſimæ Matris Virginis Glorioſæ ſempiternam, ac ipſius remedium animæ dinoſcitur extruiſſe, eo jure & libertate gaudere volumus, qua alia cœnobia ejuſdem Ordinis gaudere communiter conſueverunt, videlicet, quòd omnia victualia pro ipſo Cœnobio neceſſaria, quocunque nomine cenſeantur, deduci debeant liberè, ſine exactione telonei, ſive mutæ. Quapropter ſingulis & univerſis noſtris Officialibus, Judicibus & Mutariis diſtrictiùs inhibemus, noſtræ gratiæ ſub * otentu, ne quis dictas Dominas in *Maylan*, vel ipſius Cœnobii Procuratores ad ſolvenda telonea de victualibus eorum debeat vel audeat aliquatenus coartare. Et ut cœnobium ſuprà dictum hujuſmodi libertate deinceps plenariè uti poſſit, ipſi damus præſentem paginam noſtri ſigilli munimine roboratam.

* *bodie* S. Bernardi *in Auſtria transdanubiana inter Zvvetlam & Altenburgum.*

* *ita aut regr.* pro: obtentu.

Actum & datum Pragæ Anno Domini M. CC. LXX. II. Idus Martii.

CCVIII.

Idem Rex domum Monaſterii S. Crucis in Prugga ab omni exactionum genere liberam declarat.

NOs *Ottokarus* DEI gratiâ Rex *Boëmiæ*, Dux *Auſtriæ*, *Styriæ*, & Marchio *Moraviæ* &c. ſcire volumus præſentium quoslibet Inſpectores, quòd Domino Abbati Venerabili, & Conventui Monaſterii *Sanctæ Crucis* hanc gratiam fecimus ſpecialem, quòd Domus ipſorum in *Prugga* eadem libertate gaudere debeat per omnia, qua Domus eorum in aliis Noſtris civitatibus conſtitutæ ab antiquis temporibus gaudere ſunt conſuetæ, videlicet quòd à ſteuris perſolvendis vel aliis exactionibus quibuscunque deinceps auctoritate præſentium ſit libera & ſecura. In cuius rei teſtimonium

1170. *Ex Autogr.* P. H.

Digitized by Google

damus præſentes literas noſtrorum ſigillorum munimine roboratas.

Datum in *Laa* Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo, Septuageſimo, IV. Idus Januarii.

CCIX.

Teſtimonium Civitatis VViennenſis de iure, quod habet Monaſterium S. Crucis, ſcilicet certam vim vini in eam inducendi, ibidemque ſine ulla exactione vendendi.

1270. *Ex authent. P. H.*

QUoniam ex variis temporum ſucceſſibus antiquorum ſtatuta, facta, dicta, quaſi non fuerint, per varios caſus in memoria non habentur, ideo, per atteſtationem multorum ipſa iura ſervantur. Hinc eſt, quòd nos Burgenſes in *VVienna* Fratribus Monaſterii *Sanctæ Crucis* atteſtationem plenam exhibemus, iuxta donationes, liberalitates & indulgentias Principum eis indultum eſſe & perpetualiter conceſſum - - - Carratas vini inducendi & vendendi absque omni exactione & gravamine, & omnia iura, quæ nos habemus, & miniſteriales terræ intus & extra ipſos habere veriſſimè cognoſcimus. Ut autem hæc atteſtatio noſtra & approbatio per Succeſſores noſtros non minuatur aut infringatur, præſenti ſcripto ſigillum noſtrum apponimus, nomina noſtra eidem paginulæ pro teſtimonio inſerendo. Huius teſtes ſunt: *Otto de Foro*, *Henricus de Gottesvelde*, *Dietmarus de Schönkirchen*, *Otto* filius *Haymonis*, *Chuno* quondam Magiſter monetæ & alii quàm plures.

Datum *VViennæ* anno Domini M. CC. LXX. Kalendis Auguſti.

CCX.

Friderici Archiepiſcopi Salisburgenſis ad Bernhardum Epiſcopum Seccovienſem delegatio, qua Parochialem Eccleſiam in Kirchberch ad inſtantiam ſororum de Kranichberg in Conventualem convertit, eámque Parthenoni ibidem cum iure Patronatûs incorporat.

1271. *Ex autograph. P. H.*

REverendo in Chriſto Patri Domino *Bernhardo* Venerabili Epiſcopo *Seccovienſis* Eccleſiæ, *Fridericus* DEI gratia Sanctæ *Salzburgenſis* Eccleſiæ Electus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

Religioſam vitam eligentibus congrua nos oportet conſideratione proſpicere, ne cuiusquam neceſſitatis occaſio aut deſides faciat, aut robur, quod abſit, converſationis iufringat. Hinc eſt, quòd nos devotarum in Chriſto Filiarum *Gertrudis* & *Mechtildis*, videlicet *de Kranichberg* in Ordine aliquo approbato ſervire ſimpliciter Domino Dominantium multo devotionis deſiderio quærentium, & maximè in Eccleſia de *Kirchberg* Parochiali, noſtræ Diœceſis, quam Conventualem deſiderant fieri, promotionis noſtræ auxilio mediante, in qua & ad eas & Progenitores earum pertinuiſſe hactenus, & adhuc etiam pertinere Jus dicitur Patronatûs, pium propoſitum & iuſtum deſiderium benigno conſiderationis oculo favorabiliter advertentes, ad complendam intentionem ſuam huiusmodi ſalutiferam gratioſo eis conſenſu duximus annuendum, & liberaliter conſentimus Diſcretioni veſtræ, de qua multam habemus fiduciam in Domino, committentes plenariè vices noſtras in ipſo negotio per vos auctoritate noſtra, tamquam per nos ipſos, efficaciter promovendo, & in ſingulis & univerſis circumſtantiis contingentibus ipſum negotium Principale, ſine omni tamen præiudicio alieno. Veſtra inſuper providentia procuret ſolicitè providere, ne penuriæ vel defectus occaſio ipſis obſtet, & ne circa eas robur converſationis laudabilis minuatur. Ratas etiam & firmas nos ſemper promittimus habituros ſententias, quas ritè in Contradictores tuleritis & rebelles, & auctore Domino faciemus eas robur obtinere debitæ firmitatis.

In cuius rei evidentiam præſentes literas noſtro ſigillo fecimus communiri.

Datum *Leibenæ* Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo ſeptuageſimo primo Indictione XIV. decimo tertio Kalen. Januarii.

CCXI.

Digitized by Google

CCXI.

Gregorii P P. X. Bulla ad Prioriſſam & Conventum Sanctimonialium in Kirchberg Ord. Can. Reg. S. Auguſtini, qua omnes eorum poſſeſſiones & bona confirmat, easdemque in ſuam protectionem ſuſcipit.

1271. *Ex Authent. P. H.*

GRegorius Epiſcopus, Servus Servorum DEI, Dilectis in Chriſto Filiabus Prioriſſæ & Conventui Monaſterii de *Kirchberg*, Ordinis S. Auguſtini *Salzburgenſis* Diœceſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm ad nos pervenit, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilectæ in Chriſto Filiæ veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras & Monaſterium de *Kirchberg*, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, cum omnibus bonis, quæ in præſentia rationabiliter poſſidetis, aut in futurum iuſtis modis præſtante Domino poteritis adipiſci, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem terras, prata, paſcua, nemora, poſſeſſiones & alia bona veſtra, ſicut ea omnia iuſtè ac pacificè poſſidetis, vobis & per vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis Scripti Patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum apud *Urbem Veterem* VIII. Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno primo.

CCXII.

Bernhardus Epiſcopus Seccovienſis ad mandatum Friderici Archiepiſcopi Salisburgenſis, & Ottokari Regis Bohemiæ, Eccleſiam Parochialem in Kirchberg *in Conventualem erigit, duosque ibidem Capellanos, qui curam animarum adminiſtrent, inſtituit.*

1272. *Ex auth.* NOs *Bernhardus*, ſola DEI miſericordia *Seccovienſis* Epiſcopus, notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, quòd anno Domini Milleſimo Ducenteſimo ſeptuageſimo primo V. Kal. Januarii literas Domini noſtri *Friderici* Venerabilis electi *Salzburgenſis* ſigilli ſui munimine roboratas, ſanas & integras recepimus in hæc verba: *grapho* P. H.

Reverendo in Chriſto Patri & Domino *Bernhardo* Venerabili Epiſcopo *Seccovienſis* Eccleſiæ, *Friderieus* DEI gratia Sanctæ *Salzburgenſis* Eccleſiæ electus Apoſtolicæ Sedis Legatus Salutem & ſinceram in Domino Charitatem. Religioſam vitam eligentibus congrua nos oportet conſideratione proſpicere, ne cujuſquam neceſſitatis occaſio aut deſides faciat &c.* **vid. an.* 1271.

Deinde literas Domini noſtri Sereniſſimi Regis *Bohemorum* recepimus ſimiliter hoc tenore.

Reverendo in Chriſto Patri Domino *Bernhardo* Venerabili *Seccovienſi*, *Ottokarus* DEI gratia *Bohemorum* Rex, Dux *Auſtriæ*, *Styriæ*, *Carinthiæ*, Marchioque *Moraviæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ*, *Egræ*, ac *Portus Naonis*, paratam ad ſua beneplacita voluntatem. Cùm fundationi Clauſtri Sanctimonialium in *Kirchberg*, per Dominam quondam de *Kranichberg* conſtructi, voluntatem adhibuerimus pariter & aſſenſum, Paternitatem veſtram affectuoſiſſimè requirimus & rogamus, quatenus negotium dicti Clauſtri velitis exequi, ſecundùm quod nobis per Venerabilem Electum Eccleſiæ *Salzburgenſis* extitit recommiſſum. Datum in *Zerabowe* VIII. Kal. Martii.

Receptis itaque talibus literis, ut decuit, reverenter, & eis pleniùs intellectis, tam ex devotione, quàm ex debito juravimus, mandatum hujuſmodi nobis factum proſequi diligenter, & perſonaliter acceſſimus ad Eccleſiam in *Kirchberg* ſolicitè requirentes, ſi hujuſmodi ordinatio proceſſum poſſet habere Canonicum ſine præjudicio alieno. Et licet Viri Nobiles Fratres de *Kranichberg* ſe opponerent huic facto, tamen quia eò quod rationabiliter proponere videbantur, legitimè non probabant, & quaſi nullum vel modicum eis fiebat præjudicium vel gravamen, juxta mandatum Reverendi Patris Venerabilis Domini Electi *Salzburgenſis* præmiſſum, & Sereniſſimi Domini noſtri Regis beneplacitum viâ regiâ proceden-

Digitized by Google

cedentes, ipsam Parochialem Ecclesiam in *Kirchberg* Conventualem esse decrevimus, & accepta resignatione voluntaria sive libera & spontanea cessione ejusdem Ecclesiæ à manibus Domini *Henrici* tunc Plebani ejusdem & Archidiaconi inferioris *Marchiæ* sana deliberatione præhabita & inspectis singulis circumstantiis auctoritate Domini nostri sæpedicti Venerabilis Electi *Salzburgensis* constituimus, disposuimus & ordinavimus, ut ipsa Ecclesia de cætero Parochialis esse non debeat, sed Conventualis, & in ea Sanctimoniales ad honorem DEI sub Regula S. Augustini, communem & religiosam vitam ducere debeant, nunc & semper, maximè cum de proventibus ejusdem Ecclesiæ & de bonis quarundam Dominarum, quæ se & sua eidem Ecclesiæ contulerunt, & Religiosum ibidem habitum assumpserunt, decem sorores possint commodè sustentari, subjectione debita Ordinario reservata, vel ei, vel eis, cui, vel quibus ille eandem duxerit committendam.

Statuimus etiam, ut eædem Sanctimoniales duos ad minùs Sacerdotes habeant Capellanos, qui ipsam inofficient Ecclesiam & ministrent in ea Ecclesiastica Sacramenta, quibus & Præbendam usque ad summam triginta duarum librarum de obventionibus ejusdem Ecclesiæ percipiendam annis singulis taxandam duximus: hoc etiam statuentes, ut eadem Præbenda juxta ordinationem Priorissæ Conventus ejusdem à Procuratore, si quis fuerit pro tempore, plenariè ministretur, & si Præbenda supradicta de quotidianis proventibus haberi poterit, condecenter illis tantummodo sint contenti: sin autem defectus quis fuerit, de bonis ipsius Monasterii usque ad complementum taxationis prædictæ plenariè suppleatur.

Et ut præmissa omnia à memoria non labantur, & inviolabiliter observentur, præsentes literas sigilli munimine nostri duximus roborandas.

Actum & datum anno Domini Millesimo Ducentesimo septuagesimo secundo, septimo Idus Julii.

CCXIII.

Charta emptionis cujusdam areæ in strata Traibotonis Viennæ, factæ à Gertude Magistra Sanctimonialium de Porta Cœli in eadem Urbe.

NOs *Gerdrudis* Magistra & Congregatio Sanctimonialium *de Porta Cœli in Wienna*, notum esse volumus, præsentium inspectoribus tam futuris, quàm præsentibus Christi fidelibus universis, quòd cum *Albertus*, dictus *Pipingus* civis *Wiennensis*, aream quandam, quàm a Venerabilibus in Christo *Johanne* Abbate & Conventu Ecclesiæ Sanctæ Mariæ *Scotorum in Wienna* possidebat, & de qua ipsis Abbati & Conventui præfatus *Albertus* singulis annis persolvebat duodecim denarios ratione proprietatis, de permissione prædictorum Abbatis & Conventus ac assensu nobis vendidisse in *strata Traiboronis* perpetuò possidendam &c. In cujus rei testimonium & cautelam præsentem litteram subnotatis etiam testibus cum sigilli universitatis Civium *Wiennensium*, quàm de nostri munimine fecimus fideliter communiri. 1272. Ex Autogr. P. H.

Testes hujus rei sunt hi: Magister *Dietericus* Plebanus de *Polan* Procurator Sanctimonialium prædictarum, *Otto* Plebanus de *Maelbach*, *Willehelmus de Scherant*, *Cunradus Camber*, *Ortwinus* ante *Schotos*, *Ulricus Prachman*, *Altmannus Chunradus Promo*, *Pitrolfus*, *Lambertus*, *Sifridus* Officialis *Scotorum*, *Heinricus* nomine *Schotorum*, & alii.

Datum *Wiennæ* Anno Domini M. CC. LXXII. VIII. Idus Decembris.

CCXIV.

Wernherus Speismagister dimidium mansum, situm in Hützing, donat Monasterio Clausttroncoburgensi.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd cum Dominus *Nicolaus* Venerabilis Præpositus & Capitulum *Newenburgense*, mihi *Wernhero*, dicto *Speismagistro*, nec non *Elyzabet* filiæ meæ jus montanum videlicet quatuor urnas & dimidium vini, & decimam, quam annis singulis dare debebam de vinea mea in *Calvo Monte* si-

1272. Ex Autogr. P. H.

ta.

Digitized by Google

sita, pro diebus utriusque solummodo relaxâssent, ecce in recompensationem & gratiam hujusmodi mihi factam, dictæ Neumburgensi Ecclesiæ, medium mansum situm in *Hüezing*, solvens annuatim in Festo S. Michahelis medium talentum denariorum & octo caseos, quod ad me jure hereditario pertinebat, accedente consensu omnium heredum meorum, perpetuò delegavi. Ut autem præmissa omnia firmitate gaudeant, ac etiam tam post mortem meam, quàm dictæ filiæ meæ, prædicta decima & jus montanum ad præfatam Ecclesiam *Nivvenburgensem*, omni occasione remota redire debeant sicut priùs, præsens instrumentum sigillis, meo ac Civium *Viennensium* consignavi in testimonium præmissorum.

Hujus rei testes sunt, Dns *Vlricus* Decanus, Dns *Otto de Aransperch* Custos, & Hospitalensis, Dns *Otto* Cellerarius, cæteriquè Canonici *Neumburgenses*, Dns *Heinricus* Plebanus *Sancti Loci*, Dns *Aloldus de Cheyovv*, Dns *Chunradus* & *Fridericus* dicti *Eysenpeutel*, Dns *Rugerus de Monzendorf*, *Heinvvicus de Neydovv*, *Cholo* officialis, *Heinricus de Schonpuch*, *Fridericus* dictus *Hutstoch*, *Weigandus* Magister, *Waltherus* Vitriarius, *Heinricus Stuzler*, *Rudgerus* junior de *Mortzendorf*, *Ortlo de Neundorf*, *Otto* Notarius, *Wernhardus Hofmagister*, *Liupoldus* Notarius, & alii quàm plures.

Datum in *Niumburch* Anno Domini Millesimo, ducentesimo, septuagesimo secundo, Indictione XV. undecimo Kalendas Julii.

CCXV.

Fridericus Archiepiscopus Salzburgensis confirmat donationem annuam trium librarum salis nudi de salina in Mullbach, factam ab Eberhardo itidem Archiepiscopo Salzburgensi Monasterio Sanctæ Crucis.

1273. *Ex Authent. P. H.*

FRidericus DEI gratia *Salzburgensis* Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Vniversis Christi fidelibus scriptum præsens intuentibus perpetuam in Domino Charitatem.

Vniversitati Vestræ constare volumus, quòd Vir Venerabilis Dominus Abbas *Sanctæ Crucis* Ordinis Cisterciensis, *Patavienſis* Diœcesis Nos adiens in Choro *Salisburgensi* coram Nostro Conventu nobis unum & alterum Privilegium cum appendente sigillo beatæ memoriæ Domini *Eberhardi* quondam *Salzburgensis* Archiepiscopi non cancellatum, ratum & inconvulsum porrexit. Quorum tenor in proximè antecedenti habetur: Posterioris verò tenorem perspeximus in hæc verba:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, *Eberhardus* DEI gratia *Salzburgensis* Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus in perpetuum. Etsi Ecclesiarum omnium & locorum piorum *Salzburgensis* Metropoleos jugis in visceribus nostris, quasi ex debito intendatur profectus; specialius tamen id debitum præstare Nos eis convenit, in quibus amplioris Religionis exercitium famâ teste & experientiæ veritate vigere præ aliis perhibetur. Cùm secundùm Apostolum doceamur seminare in terris, quæ multiplicato fructu recolligere in Cælis debeamus, Nos prædictorum respectu proNostra & Successorum Nostrorum memoria Congregationi de *Sancta Cruce* in *Austria*, Cisterciensis Ordinis de Capituli Nostri consensu, reali & liberali donatione concessimus in perpetuum de Salina Nostra in *Mullbach*, donec tantum salis decoctio ibi duraverit, libras tres nudi salis, per Officiales Nostros, qui pro tempore fuerint, eidem domui *Sanctæ Crucis* annis omnibus exsolvendas.

Sed ne hæc Donatio propter temporis diurni elapsum in oblivionem, quæ etiam in benè actis calumniarum frequenter & litium suscitat materiam, prolabatur, quia solers antiquorum prudentia isti incommodo scripturæ remedium adinvenit: Nos ad eliminandum omne, quod super hoc in futurum oriri posset, dubium, præsentem paginam inde conscriptam sigillo Nostro concessimus communiri. Acta sunt hæc A. M.CC.XXX.

Nos igitur Prædecessorum Nostrorum Archiepiscoporum pia vota contuentes, & pietatis operibus eorundem dona circa religiosè viventes ampliare cupientes, ad consilium Nostri Capituli & Viri Venerabilis supradicti Domini Abbatis, petitionem, donationem & gratiam trium librarum annis singulis per Nostros Officiales *Sanctæ* Crucis Eccle-

Digitized by Google

ſiæ Fratribus ſolvendarum in remiſſionem propriorum peccaminum, Succeſſorumque Noſtrorum in nomine Domini confirmamus. In cuius confirmationis evidentiam præſentem paginam ſigilli Noſtri munimine fecimus roborari.

Acta ſunt hæc Anno Domini M. CCLXXIII.

CCXVI.

Conradus II. Epiſcopus Friſingenſis Parochiam Gmundenſem unit Monaſterio Tegernſeenſi.

1274. *Ex Arch. Tegernſ.*

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen.

NOs *Conradus* DEI gratia Eccleſiæ *Friſingenſis* Epiſcopus, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Quoniam paſtoralis curæ ex officio & dignitate omnibus noſtræ Diœceſis locis Eccleſiaſticis ex debito intendere, benefacere, nec non & providere tenemur, præſertim Religioſis ac Religioſam converſationem ducentibus in petitionibus opportunis atque idoneis, nobis porrectis ſaures faciles porrigere volumus utique, atque, ſicut debemus, propenſiùs ſolicita proviſione præcavemus, quatenus ea, quæ a nobis rationabiliter in tempore geruntur, ne proceſſu temporis ſeu vitio memoriæ humanæ, quæ fragilis & labilis eſſe dignoſcitur, in irritum deducatur. Huius rei gratiâ inſinuandum duximus omnibus Chriſti fidelibus tam futuris quàm præſentibus, præſentem paginam inſpecturis, quòd, cùm Monaſterium in *Tegernſee* fame utique copioſè plurimùm anxiaretur propter honeſtam & ſolemnem hoſpitalitatis frequentiam, quæ ibidem ex antiquo devotè & indifferenter cunctis advenientibus obſervatur & exhibetur, nos ad petitionem dilecti in Chriſto Fratris noſtri *Ludovici* Abbatis eiuſdem Monaſterii, tum propter inopiam & tenuitatem & defectum, quæ per indebitam vexationem laicorum eidem Eccleſiæ ſunt inducta, paterno affectu eidem compatientes, taliter inopiam huiuſmodi duximus opportunis ſubſidiis relevandam. Eccleſiam in *Gmunden* cum uſu fructu & omnibus pertinentiis, in qua Patronatus ius dictus Abbas cum iure Advocatiæ poſſidet ab antiquo, in ſubſidium hoſpitalitatis & defectuum, quos ſuſtinet, de conſilio & conſenſu proprio & totius Capituli noſtri prædicto Abbati pleno iure ad uſum menſæ ſuæ, ut hoſpitalitatem conſuetam poſſit valentiùs exercere, ac cæterùm ut proventus Eccleſiæ a laicis circumſedentibus diſtractos, & per malitiam uſurpatos ad uſus Eccleſiæ valeat commodiùs revocare, dedimus atque conceſſimus liberaliter perfruendam poſt ipſius Eccleſiæ Plebani, qui nunc ſupereſt, deceſſum: hac adiecta conditione, ut dictus Abbas ſuiique Succeſſores Eccleſiæ memoratæ provideant in idoneo Vicario & congrua eiuſdem ſuſtentatione, ut Eccleſia in debito officio Eccleſiaſtico non fraudetur, & Kathedraticum & iura Epiſcopalia nobis & noſtris Succeſſoribus ab eodem in perpetuum conſerventur.

Ut autem iſta donatio noſtra, rationabiliter celebrata, & benè in poſterum rata & firma ipſi Abbati manere, & inviolabiliter ab omnibus noſtris Succeſſoribus conſervari debeat, præſentem chartam ſibi in teſtimonium conſcribi fecimus ſigillo noſtræ confirmationis, ſimilitérque noſtri Capituli roboratam & communitam.

Acta ſunt hæc *Friſingæ* in Eccleſia Cathedrali anno Domini MCCLXXIV. Quarto Id. April.

CCXVII.

Libellus Sacrarum Confœderationum Monaſterii S. Emmerammi Ratisbonenſis.

I.

Ex Cod. Emmeram. ſec. XV. collecto.

Litteræ confœderationis inter Monaſterium Emmerammenſe ac Rotenſe.

KAriſſimis in Chriſto Dominis & Amicis Venerabili *Chunrado* Abbati & toti Conventui in *Rot*, *Heymo* DEI gratia Abbas totúsque Conventus Eccleſiæ *S. Emmerammi Ratiſponæ*, cum devotis orationibus conſtantiam amicitiæ ſpecialis. Cùm veſtra iocunda familiaritas & benigna pertractabilitas nos ſemper

Digitized

per de vobis fecit habere confidentiam singularem, consequens est, ut & vos de nobis consimile præsumatis. Vestra ergo in Domino charitas scire debet, quòd vos singulos & universos recipimus in Confraternitatem & consortium Ecclesiæ nostræ plenum, volentes fideliter & sincerè, ut omnis gratia & consolatio, quæ uni nostrûm vivo aut defuncto fieri consuevit, quòd eadem & vobis perpetuò apud nos, quandocunque requisieritis, exhibeatur. In cuius testimonium præsentem vobis assignamus litteram, sigillorum nostrorum munimine roboratam.

Datum *Ratisponæ* anno Domini MCCLXXV. in die Palmarum.

2.

Litteræ confœderationis inter Monasterium Rotense & Emmerammense.

REverendis in Christo Confratribus, Dominis & Amicis *H.* Venerabili Abbati totique Conventui Ecclesiæ S. *Emmerammi Ratisponæ C.* miseratione Divina Abbas, totusque Conventus *Rotensis* Ecclesiæ, orationes in Christo devotas cum fraternæ dilectionis constantia Augmento coniunctibile vinculum charitatis, quod hucusque inter nos viguit nulla nos debent nec poterunt dissensionis intermedio separare. Quia si fumus unum par fraternitatis ac amicitiæ, benè sequitur, quòd in dilectionis mutuo debeamus individui permanere: quod quidem vestra honorabilis Benignitas evidens benè fecit in exhibitione spiritalis gratiæ nobis factæ, huiusmodi videlicet, quòd nos singulos ac universos in Confraternitatem & consortium dignati estis recipere Ecclesiæ vestræ plenum. Ob quam quidem nobis gratiam elargitam ac gratiarum vobis conferimus actiones uberes & immensas coram DEO vestræ honorificentiæ suppliciter referendas, cùm & revera fervorem charitatis nobis impensum magis diligamus, quàm ipsam muneris & gratiæ quantitatem. Vestram igitur non latere debet protinus in Domino charitatem, quòd & vos e converso singulos ac universos recipimus in confraternitatem & consortium Ecclesiæ nostræ plenum, volentes fideliter & sincerè, ut omnis gratia & consolatio, quæ uni nostrûm vivo aut defuncto consuevit fieri, quòd eadem & vobis perpetuò apud nos, quandocunque requisieritis, exhibeatur. In cuius rei testimonium præsentem vobis assignamus Zedulam, sigillorum nostrorum munimine communitam. Datum *Rott* anno Domini MCCLXXV. in die Marci.

3.

Litteræ confœderationis inter Monasterium Hirsaugiense ac Emmerammense.

IN nomine Domini, amen. Nos *Crafto*, DEI gratia Abbas, totusque Conventus Monasterii *Hirsaugiensis*, omnibus tam præsentibus quàm futuris præsens privilegium intuentibus, cupimus esse notum, quòd, cùm Ecclesia nostra ex antiquo cum Ecclesia *Sancti Emmerammi Ratisponæ* ordinatione beati *Wilhelmi*, prædilecti quondam Patris Abbatis nostri, & Prioris Ecclesiæ prædictæ *S. Emmerammi* fraternitatem plenariam & consortium traxissent, fraternitas prælibata, quæ Ecclesias prænotatas quasi unum corpus per amorem Divinum & charitatem adunaverat specialem, iam per aliquod spatium temporis abolita extitit: nos unanimi consilio & consensu tempore Venerabilis Patris & Domini charissimi *Verenheri* Abbatis ipsius Ecclesiæ *S. Emmerammi* eam mutuò decrevimus scriptis præsentibus renovare, statuentes, ut omnes Fratres dicti Monasterii *S. Emmerammi* testimonium Prælati sui habentes, cùm ad nos & Ecclesiam nostram pervenerint, tanquam proprii & veri Fratres nostræ Ecclesiæ colligantur nobiscum in laude & servitio DEI, quam diu ipsorum Pater & Abbas permiserit, morari. Igitur quia nos, qui pro tempore sumus, comprobamur conneri vinculo charitatis indissolubili per præmissa, ut pius nostræ intentionis affectus meliùs elucescat, statuimus & volumus, ut, quandoque expedit, Fratres ex Ecclesia *S. Emmerammi* sæpè dicta ad nos confluentes piè recipiantur, plenam præbendam nobiscum & solita solatia emergentia recepturi, & omnium Fratrum eiusdem Ecclesiæ, quorum obitus nobis de cætero innotuerit, apud nos memoria habeatur maiorum pulsatione campanarum vigiliarumque celebrationibus & Missarum, unius Domni præbenda pro defuncti anima data pauperi-

bus illo die, charitate & gratia simili nobis ab ipsa *S. Emmerammi* Ecclesia reservata nihilominus, & in omnibus impendenda. Ne autem in futurum a nostris Successoribus tam Sancta & iocunda confraternitas possit aliquando aboleri, & ne genitrix oblivionis in ordinatione prænotata deinceps valeat subintrare, præsens privilegium ad perpetuam huius rei memoriam sigillis nostris fecimus communiri, nominibus Fratrum singulorum, huic ordinationi consilium & consensum dantium subnotatis:

Bertholdus Prior *Hirsaugiensis*,
Vollandus & *Ruggerus*, quondam Abbates
Gotfridus, Præpositus in *Rot*.
Cunradus Prior in *Richenbach*.
Fridericus Prior in *Schonrein*,
Johannes Præpositus in *Alisbach*.
Ruggerus Cellerarius.
Bendegerus Custos S. Aurelii.
Manegoldus Custos S. Petri.
Reinhardus, *Cunradus de Stetem*.
Bertholdus de Horwe.
Conradus, *Gallus*, *Cunradus de Calwe* Sacerdotes & alii Clerici & laici Confratres Ecclesiæ *Hirsaugiensis*.

Acta sunt hæc anno Domini MCCLXXX. in die beatæ Agathæ Virginis & Martyris tempore Sanctissimi Patris nostri Domini *Nicolai* Papæ, ac gloriosissimi Regis Romanorum *Rudolfi* semper Augusti feliciter, amen.

4.

Litteræ confirmationis initæ quondam confœderationis inter Monasterium Emmerammense ac Elvvangense.

IN nomine Domini amen. Nos *Werinherus* DEI gratia Abbas, totusque Conventus Ecclesiæ *S. Emmerammi Ratisponæ* universis, præsentes litteras inspecturis tam præsentibus quàm futuris salutem in omnium Salvatore. Quidquid sub tempore agitur, cum eodem labitur, nisi scriptis & testibus perennetur. Quapropter noverint universi, præsens privilegium intuentes, quòd, cùm Ecclesia *Elvvacensis*, *Augustensis* Diœcesis, cum Ecclesia nostra ex antiquo fraternitatem plenariam & consortium contraxissent, prælibata Fraternitas, quæ Ecclesias quasi unum corpus per amorem Divinum & charitatem adunaverat specialem, jam aliquod spatium temporis abolita existit. Unde nos unanimi consilio & consensu tempore Domini & Patris nostri *Ekhardi*, Venerabilis *Elvvacensis* Ecclesiæ Abbatis tam salubrem & honestam Fraternitatem decrevimus mutuò scriptis præsentibus renovare, statuentes, ut omnes *Elvvacensis* Ecclesiæ, literas Prælati sui habentes, cùm ad nos & Ecclesiam *S. Emmerammi* pervenerint, tanquam viri & legitimi Fratres nostræ Ecclesiæ colligantur nobiscum in laude & servitio Dei, quamdiu ipsorum Pater & Abbas permiserit, commorandum, plenam præbendam & solatia emergentia recepturi. Igitur quia nos, qui pro tempore sumus, comprobamur connexi vinculo charitatis indissolubili per præmissa, ut pius nostræ intentionis affectus meliùs elucescat, statuimus & volumus perpetuò à nobis & omnibus Successoribus nostris inviolabiliter observari, ut omni Fratrum *Elvvacensium* Ecclesiæ, quorum apud nos obitus innotuerit, ipsorum memoria habeatur compulsione campanarum Vigiliarumque celebrationibus & Missarum, unius Domni præbenda pro defuncti anima data pauperibus illo die, charitate & gratia simili nobis in *Elvvacensi* Ecclesia nihilominus reservata, & in omnibus impendenda. Ne autem in futurum à nostris Successoribus fraternitas supradicta possit aliquo modo aboleri, & ne genitrix oblivionis in ordinatione prænotata deinceps valeat subintrare, præsens privilegium ad perpetuam rei memoriam sigillis nostris fecimus communiri. Hujus autem facti testes sunt

Domnus *Liebhardus* Prior.
D. *Heinricus* Senior, quondam Abbas in *Munster*.
D. *Gerungus de Enstorff*.
D. *Conradus de Weltenburg*.
Ebo.
Hertwicus Custos.
Magister *Fridericus*.
Chunradus.
Deicherus Infirmarius.
Fridericus Obellarius.
Petrus.
Fridericus Cellerarius.
Ulricus.
Albertus.
Marquardus.

Ko-

Digitized by Google

Karolus Camerarius, annotator præſentium, Sacerdotes.

Diaconi *Heinricus*, *Marquardus*, *Engelpertus*, *Dietricus* & alii quàm plures.

Datum & actum anno Domini MCCLXXXVI. in octava Aſſumptionis ſanctiſſimæ Mariæ Virginis.

5.

Litteræ confœderationis inter Monaſterium Elvvangenſe ac Emmerammenſe.

IN nomine Domini, amen. Nos *Ekhardus* DEI gratia Abbas, totuſque Conventus Eccleſiæ S. Viti in *Elvvangen*, omnibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in omnium Salvatore. Quidquid ſub tempore agitur, cum eodem labitur *&c. ut in Litteris priori numero relatis.* Hujus autem facti teſtes ſunt:

Rugerus Decanus, *Vlricus*, *Melſo*, *Volcardus*, *Conradus* Cantor, *Wartmus*, *Gerungus*, *Curadus*, *Erefridus* Cuſtos, *Dietricus* Obellarius, *Sigfridus* Camararius, *Wernherus*, *Fridericus* Cellerarius, *Crafto* Sacerdotes. Diaconi *Ortolfus*, *Cunradus* & alii quàm plures. Datum anno Domini MCCLXXXVI. in Nativitate Virginis glorioſæ Mariæ.

6.

Litteræ confœderationis inter Monaſterium Fuldenſe ac Emmerammenſe.

IN nomine Domini Amen. Nos *Henricus* DEI gratia Abbas, *Marquardus* Decanus, Præpoſiti, Prælati, totúſque Conventus Eccleſiæ *S. Bonifacii in Fulda*, omnibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem & ſinceram charitatem in omnium Salvatore, Filio Virginis glorioſæ. Cùm omnes unum corpus ſimus in charitate Chriſti, ſicut ait Apoſtolus, & ad invicem membra, conſequens eſt, ut ſicut ejuſdem corporis organa mutuæ compaſſionis & alternæ ſervituris auxilio ſublevantur: ita nos, ſi ad caput principiúmque noſtrum referri volumus, alter alterius onera portare debemus, legem Domini pio charitatis ſtudio fideliter adimplere. Præceptis igitur ſalutaribus moniti, ſi tepeſcente charitate quædam abolendæ conſuetudines irrepſerunt, inventa opportunitate reſecare debemus potiùs quàm tenere, ſicut etiam conſuetudo laudabilis, ſi, quod abſit, exorbitaverit, toto conſtat devotionis ſtudio reformanda. Quapropter ad univerſorum notitiam præſenti pagina volumus pervenire, quòd, cùm venerabile Monaſterium Sancti *Emmerammi Ratiſponæ* cum Eccleſia noſtra plenam confraternitatis unionem ab antiquis temporibus contractam habuerit, quæ ſolùm diuturni temporis proceſſu tepuit hactenus aliquantulum & tepeſcit: Nos de Prælatorum noſtrorum conſilio tam ſalubrem & honeſtam obſervantiam cum Eccleſia prælibata decrevimus ſcriptis perpetuis renovare, ſtatuentes, & toto devotionis ſtudio confirmantes, ut omnes Fratres ejuſdem Eccleſiæ, ſi cum litteris obedientiæ ſuorum Prælatorum deſtinati, ad noſtrum Monaſterium pervenerint, ibidem à nobis tanquam noſtri Confratres nutritii vel indiginæ benignè colligantur & benignius pertractentur nobiſcum, quamdiu per obedientiam manere voluerint, aut permiſſi fuerint, in divina laude Domino ſervituri, plenam habentes perceptionem præbendæ, in omnibus ſolatiis generalibus, ſpecialibus & particularibus, quemadmodum Fratres noſtri. Statuimus etiam firmiter à nobis noſtriſque ſucceſſoribus obſervandum, ut omnium Fratrum præmiſſorum, quorum apud nos obitus innotuerit, tanquam ex nobis decedentium habeatur memoria in conſuetis pulſationibus & Officiis defunctorum, hoc addito, quòd pro defuncti ſalute præbenda unius Fratris illa die pauperibus largiatur. His omnibus ſic aſtringi volumus, ut ſimile nobis fiat charitatis obſequium in Eccleſia memorata: & quod ipſis impendimus, nobis cùm omnibus conditionibus hic expreſſis æqualiter rependatur. In cujus renovationis & confirmationis evidentiam præſens inſtrumentum ſigillorum, noſtri videlicet Abbatis & Conventus prædicti teſtimonio communiri fecimus in robur perpetuæ firmitatis. Anno Domini MCCLXXXIX. Octavo Kalendarum Novembr. in die Sanctorum Criſpini & Criſpiniani datum & feliciter conſummatum.

7.

Litteræ confœderationis inter Monaſterium B. Mariæ Virg. in Ahauſen & Emmerammenſe.

IN nomine Domini, amen. Nos *Otto* Divina permiſſione Abbas, *Rudolfus* Prior, totuſque Conventus Monaſterii Sanctæ Mariæ Virginis in *Ahauſen*, Ordinis S. Benedicti *Eyſtetenſis* Diœceſis, omnibus præſentium inſpectoribus tam præſentibus quàm futuris in eo, qui eſt omnium vera ſalus, utriuſque vitæ ſalutem cum orationibus in Filio Virginis glorioſæ. Argumentum dilectionis correlativum neceſſariò comprobatur, ubi ſignum amicitiæ cum operum principiis & eorundem conſequentia figuratur. Nos igitur amoris impenſum beneficium medullitus perpendentes, Venerabili Patri Domino *Karolo* Abbati, totique Conventui Eccleſiæ *S. Emmerammi Ratiſponæ* gratiarum & amicitiæ actiones uberes recompenſare non ſufficimus in ſimili viciſſitudine dignitatis pro eo, quòd ſuum noſtrumque Collegium dignitati ſunt uno eodemque vinculo fraternitatis indiſſolubiliter ſuffulcire. Damus igitur Conventui Eccleſiæ præmemoratæ fraternitatem ſine omni rubigine cum conditionibus ſubſcriptis inviolabiliter obſervandam, ſtatuentes, & toto devotionis ſtudio confirmantes, ut omnes Fratres eiuſdem Eccleſiæ *Ratiſponenſis*, (qui) ſecundùm litteras obedientiæ Prælati ſui ad noſtrum Monaſterium deſtinati pervenerint, ibidem a nobis tanquam noſtri Confratres benignè colligantur, & benigniùs pertractentur, percepturi nobiſcum plenam præbendam & ſolatia emergentia: quàm diu per obedientiam in ſervitio & laude DEI voluerint & permiſſi fuerint remanere. Statuimus etiam firmiter a nobis noſtrisque Succeſſoribus obſervandum, ut omnium Fratrum Eccleſiæ memoratæ, quorum apud nos obitus innotuerit, tanquam ex nobis decedentium habeatur memoria cum conſuetis pulſationibus vigiliarum & Miſſarum celebrationibus, hoc adiecto, quod pro defuncti ſalute præbenda unius Fratris illa die pauperibus largiatur. His omnibus ſic aſtringi volumus, ut ſimile nobis fiat charitatis obſequium in Eccleſia memorata, & quod ipſis impendimus, nobis cum omnibus conditionibus præſcriptis æqualiter rependatur. Et ne in futurum a noſtris Succeſſoribus huiuſmodi contractæ fraternitatis unio valeat aliqualiter aboleri, aut in oblivionem reduci, præſens inſtrumentum exinde confectum ad perpetuam rei memoriam noſtris ſigillis volumus roborari, nominibus Fratrum ſingulorum huic ordinationi conſilium adhibentium ſubnotatis, videlicet:

Rudolfus Prior.
Rabanus.
Heinricus de Cellenveld.
Jacobus de Amelbruht.
Heinricus de Zoſhingen.
Conradus de Wibelſhein.
Sifridus de Urſhem.
Menhardus Cuſtos
Vlricus Hoſpitalarius.
Conradus Infirmarius.
Conradus de Ziegen.
Fridericus Camerarius.
Sifridus de Svveningen, & alii plures Clerici & laici Monaſterii noſtri. Actum & datum in *Ahuſen* Anno Dominicæ Incarnationis MCCLXXXXV. XVI. Kal. Decembr.

8.

Litteræ confœderationis inter Monaſterium Eberſpergenſe ac Emmerammenſe.

REverendo in Chriſto Patri ac Domino, Domino *Alberto*, Venerabili Abbati, totique Conventui Monaſterii *S. Emmerammi Ratiſponæ*, *Otto* DEI gratia Abbas, totuſque Conventus Monaſterii in *Eberſperch* ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Ut inter veſtrum ac noſtrum Monaſteria augeatur devotionis ſinceritas, & propenſiùs renovetur, & ut ei mutuæ charitatis zelo reddamus obſequium, cui ſub eiuſdem Ordinis regula militamus, talem inter vos & nos, veſtramque & noſtram Eccleſiam pactorum & fraternitatis ſubivimus unionem, videlicet ut unum vel plures ex fratribus veſtri Monaſterii, quandocunque per ſuum Abbatem per litteras commendatitias petentem, ut recipiantur, ad nos miſſus vel miſſi fuerint, debeamus ſicut unum ex noſtris Fratribus recipere, & perpetuo tempore in noſtro Monaſterio obſervare. Pro defunctis verò Abbatibus ſive Fratribus veſtris, de quorum obitu nobis conſtiterit, in noſtra Eccleſia Miſſarum & vigilia-

Digitized by Google

giliarum pro quolibet ſingulariter per nos talis fiet oratio, vid. quòd eo die, quo obitus alicuius veſtrum nobis fuerit litteraliter nuntiatus, in veſperis vigilias ex integro, & de mane Miſſam pulſatis campanis ſolemniter cantabimus cum Conventu: & in ipſa die ad unam Miſſam privatam tenebitur quilibet Sacerdotum. Præterea ſingulis annis poſt aſcenſionem Domini proxima vacante feria generaliter pro omnibus veſtri Monaſterii defunctis Fratribus apud nos ſpecialis commemoratio fiat, talis videlicet, ut pulſatis campanis vigiliæ ex integro, & in mane Miſſa una cantetur publicè in Conventu. Ad ſupradicta autem univerſa & ſingula aſtringi volumus, ut in eis omnibus parem nobis & noſtris vicem & ſimilem viciſſitudinem faciatis. In quorum omnium evidentiam præſentes damus litteras, ſigillorum noſtrorum charactéribus communitam. Anno Domini MCCCXXXIX. in die S. Lucæ Evangeliſtæ actum & datum.

9.

Litteræ confœderationis inter Monaſterium Reichenbacenſe ac Emmerammenſe.

IN nomine Domini, amen. Nos *Chunradus* Divina permiſſione Abbas, *Vlricus* Prior, totuſque Conventus Monaſterii S. Mariæ perpetuæ Virginis in *Reychenbach*, Ord. S. Benedicti *Ratiſpon.* Diœceſis, omnibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. Cùm omnes unum corpus ſimus in charitate Chriſti, ſicut ait Apoſtolus, & ad invicem membra, conſequens eſt, ut ſicut eiuſdem corporis organa mutuæ compaſſionis & altemæ ſervitutis auxilio ſublevantur, ita nos, ſi ad caput principiumque noſtrum referri volumus, alter alterius onera portare debemus, legem Domini pio charitatis ſtudio impleturi. Apoſtolicis igitur monitis informati, & Venerabilis Patris & Domini *Altonis* Abbatis Eccleſiæ *S. Emmerammi* Martyris, eiuſdem profeſſionis & diœceſis, ſuique Conventus piis petitionibus annuentes, inter ipſam Eccleſiam iam dictam & noſtram mutuæ fraternitatis unionem de communi conſilio & conſenſu decrevimus contrahendam, & futuris temporibus inviolabiliter obſervandam ſtatuentes, & toto devotionis ſtudio confirmantes, ut omnes Fratres eiuſdem loci ſi cum litteris obedientiæ ſuorum Prælatorum deſtinati ad noſtrum Monaſterium pervenerint, ibi a nobis tanquam Fratres nutritii vel indigenæ benignè colligantur, & benignùs pertractentur nobiſcum, quàm diu per obedientiam manere voluerint, ſeu permiſſi fuerint, in Divina laude DEO ſervituri, plenam habentes perceptionem præbendæ in omnibus ſolatiis generalibus, ſpecialibus & particularibus, quemadmodum noſtri Fratres. Si vero quiſquam Fratrum prædictorum ſine litteris ſui Prælati, cauſâ tantùm ſolatii ſive conſolationis ad nos venerit, per unum aut duos menſes piè recipiatur, quouſque reconciliari poſſit, plenam præbendam, & ſolatia emergentia percepturus. Statuimus etiam firmiter a nobis & noſtris Succeſſoribus obſervandum, ut omnium Abbatum ac Fratrum præmiſſorum, quorum apud nos obitus innotuerit, tanquam ex nobis decedentium memoria habeatur in conſuetis pulſationibus & Officiis defunctorum, hoc ſuperaddito, ut pro defuncti ſalute quilibet Fratrum tres Miſſas habeat pro defunctis cum totidem corporalibus diſciplinis. Alii autem inferiorum Ordinum unum Pſalterium & tres diſciplinas: Converſi verò centum quinquaginta *Pater noſter* cum tribus etiam diſciplinis. His omnibus ſic aſtringi volumus, ut ſimile nobis fiat charitatis obſequium in Eccleſia memorata, & quod ipſis impendimus, nobis cum omnibus conditionibus hìc expreſſis æqualiter rependatur. Ne autem impoſterum a noſtris Succeſſoribus Fraternitas prædicta poſſit aliquo modo aboleri, præſens privilegium noſtris ſigillis ad perpetuam memoriam fecimus communiri. Datum & actum anno Domini MCCCLXIV. in vigilia S. Viti Martyris.

10.

Litteræ confœderationis inter Capitulum Veteris Capellæ Ratiſbonæ ac Monaſterium Emmerammenſe.

DIetricus *de Wilhalmſtorf* Decanus, totúmque Capitulum Eccleſiæ *beatæ Mariæ Veteris Capellæ Ratiſponæ*, omnibus Chriſti fidelibus ſalutem in Filio Virginis glorioſæ. Fœdus, quod in Divini cultus cedit augmentum, & in remiſſionem

Digitized by Google

miſſionem proficit peccatorum, ab omnibus Chriſti fidelibus ſumma eſt alacritate fœderandum: quia tunc Divina laudatur Maieſtas, cùm populo ſuo, ùt Salomonis Regis tempore fuit, dat pacis fraterna fœdera, unde tempora ſurgunt tranquilla, in quibus pacis Auctor benè colitur, & Sacro eloquio atteſtante cœleſtium civium veneratur beatiſſima Hierarchia. Hinc eſt, quòd Reverendum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum *Altonem* DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbatem, ac Venerabiles ac Religioſos Viros Dominos *Albertum* Priorem & Conventum Venerabilis Monaſterii Sancti *Emmerammi Ratiſponæ*, ad Sanctam Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Bened. qui a multis retroactis temporibus ad præceliam DEI genitricem Virginem Mariam, noſtræ Eccleſiæ Patronam, ac nos & ipſam noſtram Eccleſiam maximum geſſerunt devotionis affectum, prout hoc oſtenderunt, & inceſſanter oſtendunt multipliciter per effectum, quique omnium bonorum, quæ in noſtra Eccleſia DEI pietate fiunt, ſupplicitèr cupiunt & petunt fieri participes, de eiuſdem Omnipotentis DEI miſericordia confiſi, cum eorum Succeſſoribus in noſtros, ſicut & ipſi nos receperunt, recipimus confratres & conſortes, facientes ipſos, prout ipſi nos fecerunt, participes omnium bonorum, quæ per nos & noſtros Succeſſores in dicta noſtra Eccleſia & aliis pluribus Eccleſiis & Monaſteriis fraternitatem nobiſcum habentibus peraguntur, & diſponente Domino in antea ſpiritualiter peragentur: Spondentes, quòd quotiescunque aliquis ex ipſis Dominis Monachis, Confratribus noſtris dilectis ab hoc ſeculo migraverit, nos ad Miſſam exequiarum ipſius defuncti cum ſolemni proceſſione ibimus, altiſſimum pro ipſius & aliorum fidelium animabus humiliter precaturi, prout ipſi etiam ad nos in ſimili caſu cum eorum proceſſione venturos & ſimiliter ſpoponderunt in ſignum facti fœderis & fraternæ perpetuæ ac devotiſſimæ unionis. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium has noſtras patentes litteras ipſis Dominis Abbati & Conventui duximus concedendas. Datum *Ratiſponæ* anno Domini MCCC LXXI. in die beatæ Katherinæ Virginis & Martyris glorioſæ.

II.

Litteræ confœderationis inter Monaſterium S. Laurentii extra muros Tridentinos & Monaſterium S. Emmerammi.

REverendo in Chriſto Patri ac Domino, Domino *Altoni*, Venerabili Abbati, totique Conventui Monaſterii *S. Emmerammi Ratiſponæ*, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ord. S. Bened. *Bartholomæus* DEI gratia Abbas, totuſque Conventus Monaſterii *S. Laurentii extra muros civitatis Tridentinæ*, Ordinis ſupradicti, DEUM Deorum in Sion poſt hoc exilium feliciter contemplari. Super ſinceræ ac devotæ fraternitatis confœderatione, qua nos in favore veſtræ dulcedinis præveniſtis, vobis reverenter aſſurgimus ad gratiarum debitas actiones. Et quia fides fidem advocat, gratia gratiam conciliat, & amorem charitatis interpellat, vobis vice verſa confraternitatem damus in vita pariter & in morte: Sed & participationem ac communionem omnium bonorum, quæ apud nos fiunt in orationibus, in vigiliis & letaniis, in eleemoſynis & in Miſſis: volentes etiam: ut quicunque veſtrûm ad noſtram Eccleſiam cum litteris commendatitiis miſſus vel miſſi fuerint, a nobis tanquam noſtri confratres benignè colligatur & benigniùs pertractetur, nobiſcum, quamdiu per obedientiam manere voluerint aut permiſſi fuerint, in Divina laude ſervituri plenam habeant perceptionem præbendæ noſtræ in omnibus ſolatiis, generalibus, ſpecialibus, particularibus, quemadmodum Fratres noſtri. Statuimus etiam firmiter a nobis noſtrisque Succeſſoribus inviolabiliter obſervandum, ut omnium Fratrum veſtrorum, præſentium & futurorum, quorum apud nos obitus innotuerit, tanquam ex nobis decedentium habeatur memoria in conſuetis officiis defunctorum. His omnibus ſic aſtringi vobis volumus, ut ſimile nobis fiat charitatis obſequium in veſtra Eccleſia memorata; & quod vobis impendimus, nobis cum omnibus conditionibus hìc expreſſis a vobis æqualiter rependatur. Et ut nodus huius mutuæ fraternitatis indiſſolubilis perſeveret, ſigilli noſtri Abbatialis munimine duximus roborandum. Datum & actum *Ratis-*

Digitize

Ratiſponæ anno Domini MCCCLXXIX. in die S. Luciæ Virginis & Martyris.

12.

Litteræ confœderationis inter Parthenonem B. Mariæ Virg. Superiorem Ratiſponæ ac Monaſterium Emmerammenſe.

AGnes Abbatiſſa, totuſque Conventus Eccleſiæ glorioſæ & perpetuæ Virginis *Mariæ* Superioris Monaſterii *Ratiſponæ*, Ordinis S. Benedicti, Omnibus Chriſti fidelibus ſalutem in Filio Virginis glorioſæ. Fœdus, quod in Divini cultus cedit augmentum, & in remiſſionem proficit peccatorum, ab omnibus Chriſti fidelibus ſumma eſt alacritate fœderandum: quia tunc Divina laudatur Maieſtas, cùm populo ſuo, ut Salomonis Regis tempore fuit, dat pacis fraterna fœdera, unde tempora ſurgunt tranquilla, in quibus pacis Auctor benè colitur, & ſacro eloquio atteſtante, cœleſtium veneratur beatiſſima Hierarchia. Hinc eſt, quòd Reverendum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum *Altonem*, DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbatem, ac Venerabiles ac religioſos viros Dominum *Heinricum* Priorem & Conventum Venerabilis Monaſterii *S. Emmerammi Ratiſponæ*, ad Sanctam Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ord. S. Benedicti, qui a multis retroactis temporibus ad nos & noſtram Eccleſiam maximum geſſerunt devotionis affectum, prout hoc oſtenderunt & inceſſanter oſtendunt multipliciter per effectum, quique omnium bonorum, quæ in noſtra Eccleſia DEI pietate fiunt, ſupplicite cupiunt & petunt fieri participes, de eiuſdem Omnipotentis DEI miſericordia confiſi, cum eorum Succeſſoribus in noſtros, ſicut & ipſi nos receperunt in ſorores, recipimus confratres & conſortes, facientes ipſos, prout ipſi nobis fecerunt, participes omnium bonorum, quæ per nos & noſtros Succeſſores in dicta noſtra Eccleſia & aliis pluribus Eccleſiis & Monaſteriis, fraternitatem nobiſcum habentibus peraguntur, & diſponente Domino in antea peraguntur; ſpondentes, quòd quotieſcunque aliquis ex ipſis Dominis Monachis, Confratribus noſtris dilectis, ab hoc ſeculo migraverit, nos ad Miſſam exequiarum ipſius defuncti cum ſolemni proceſſione ibimus, altiſſimum pro ipſius & aliorum fidelium animabus humiliter precaturi, prout etiam ipſi ad nos in ſimili caſu cum eorum proceſſione venturos ſe ſimiliter ſpoponderunt in ſignum facti fœderis & fraternæ perpetuæ ac devotiſſimæ unionis. Sic tamen ille novus charitativæ fraternitatis & fraternæ charitatis tractatus mutuò inter nos irrefragabiliter permaneat, ut illa antiqua & laudabilis conſuetudo per longa temporum ſpatia inter nos habita minimè tepeſcat, videlicet ut ad exequias vigiliarum defuncti Monachi Monaſterii prædicti quatuor vel ſex ex nobis ad ipſos aſcendant, & in caſu conſimili quatuor vel ſex ex ipſis ſimiliter ad nos deſcendant, omnipotentiam Judicis diſtricti pro utriuſque defuncti anima, nec non omnium fidelium animabus vigilias defunctorum alternatim & ex integro perlegentes ſupplicite exoraturi. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium has noſtras patentes litteras ipſis Dominis Abbati & Conventui duximus concedendas. Datum *Ratiſponæ* in prædicto noſtro Monaſterio anno Domini MCCCLXXIX in craſtino S. Vrbani Papæ & Martyris.

13.

Litteræ Confœderationis inter Parthenonem S. Pauli Ratiſbonæ ac Monaſterium Emmerammenſe.

NOs *Anna*, DEI gratia Abbatiſſa, totuſque Conventus Monaſterii *Sancti Pauli Ratiſponæ* Ord. S. Benedicti, omnibus Chriſti fidelibus ſalutem in Filio Virginis glorioſæ. Fœdus, quod in Divini cultus cedit augmentum *&c. ut in litteris numeri præcedentis, ad verbum. In fine*: datum *Ratiſponæ* anno Domini MCCCLXXX. in die Leonis Papæ Noni.

14.

Litteræ Confœderationis inter Monaſterium Garſtenſe ac Emmerammenſe.

REverendo in Chriſto Patri ac Domino, Domino *Johanni*, DEI gratia Venerabili Abbati Monaſterii *S. Emmerammi Ratiſponæ*, *Heinrico* Priori, totique Conventui ibidem Ord. S. Bened. *Nicolaus* eadem gratia Abbas, *Conra-*

dus Prior totuſque Conventus Monaſterii *beatæ Virginis in Gerſten, Patavienſis* Diœceſis, Ordinis memorati, bonorum omnium effectorem temporaliter imitari, & facie ad faciem ſine rempore contueri. Quia favor noſtræ petitionis ſuper fraternitatis confœderatione apud veſtram Reverendam Paternitatem nullis noſtris prævenientibus meritis favorabilem efficacemque habuit ingreſſum, non minùs dignè quàm reverenter vobis adſtringimur ad gratiarum actiones humillimè referendas. Cùm itaque ſicuti veſtris recepimus deſuper confectis patentibus litteris, mutuam veſtri Monaſteriorum ac noſtri confœderationem benignè contractam in eiſdem communicantes nos noſtriſque Monaſterii Succeſſores veſtri prædicti Monaſterii tam ſpiritualibus quàm temporalibus vitæ pariter & mortis veluti pii patres * ſint vos ipſos commodis animæ & corpori profuturis, nos animadverſione habita diligenti reputantes nos talium bonorum tanquam indignos, veſtræ Reverentiæ condignam non valemus agere recompenſam. Volumus tamen caritatem omnibus operibus ſupereminentem noſtras ſupplere vices, participantes nihilominus vos ac Succeſſores veſtros quoslibet, omnibus & ſingulis videlicet orationibus, Miſſis, ieiuniis, vigiliis, eleemoſynis & quibuslibet aliis in noſtro Monaſterio hucuſque factis, ſeu impoſterum piis operibus faciendis: obligantes etiam nos noſtrumque Monaſterium, vos & veſtrum quemlibet ad noſtrum cum commendatoriis litteris qualitercunque venientem ad Monaſterium, non obſtante impedimento quolibet collecturos, & percepta ſeu percipienda noſtræ præbendæ, nec non aliorum qualiumcunque tam generalium quàm ſpecialium ſolatiorum tanquam noſtri Monaſterii fratres, plenam portionem, quamdiu nobiſcum Domino ſub obedientia obſequentes commorari velint, vel auctoritate tradita poſſint, pia ſolicitudine tractaturos. Volumus etiam firmiſſimè ſtatuentes omnium veſtri Monaſterii præſentium futurorumque, quorum extrema dies nobis patuerit, confratrum obitum, tempore immediatiùs ad hoc congruo, omnibus veluti noſtris fratribus morientibus, defunctorum officiis ſolicitè peragendum. Volumus inſuper, quatenus omnia & ſingula præmiſſa ſingulis contentis * in præſentibus obſervatis punctis & articulis taliter, qualiter præmittitur, a vobis & veſtro tanquam a nobis & noſtro Monaſteriis irrefragabiliter teneantur. Ad quorum quidem omnium & ſingulorum prædictorum firmitatem firmiter ſolidandam, noſtræ mutuæ contractæ fraternitatis præſentem chartulam noſtrorum, Abbatis videlicet & Conventus Sigillorum robore dedimus muniendam. Datum actumque in noſtro ſuprà memorato *Gerſten* Monaſterio ſub anno Domini MCCCXCVI. in die S. Andreæ Apoſtoli.

* *Ita hoc loco Cod.*

* *Ita Cod.*

CCXVIII.

Ottacharus Rex Bohemiæ & Dux Auſtriæ, Privilegia, iura, immunitates, tum à ſe tum ab Anteceſſoribus ſuis Eccleſiæ Clauſtroneoburgenſi collata confirmat.

ODEI gracia *Boemiæ* Rex, Dux Auſtriæ, Styriæ & *Karinthiæ*, Marchioque *Moraviæ*, Dns *Carniolæ*, Marchio *Egræ* ac *Portus Naonis*, Univerſis Capitaneis, Scribis, Purchgraviis, Officialibus & Judicibus Auſtriæ, qui pro tempore fuerint inſtituti, ceterisque, quibus exhibitum fuerit præſens ſcriptum, gratiam ſuam & omne bonum. 1276. *Exaute graph.* P.H.

Cùm memoranda noſtra prioritas Eccleſiam & Conventum *Neunburgenſem*, multis honoribus & preſigniis decorârit eam plurimis gratiis præferendo, & nos eaſdem gratias non diminui noſtris temporibus, ſed augeri potiùs ob reverentiam glorioſæ Virginis affectantes, volumus, & tenore præſentium præcipiendo mandamus, ne quis iura vel libertates, prædictæ Eccleſiæ, contentas vel expreſſas in privilegiis & litteris, a noſtris Prædeceſſoribus, & a nobis eidem Eccleſiæ conceſſis & datis, violare vel infringere debeat ullo modo, eò quòd eadem iura & libertates ordinamus, & facimus ab omnibus immutabiliter obſervari. Si quis igitur ordinationem & mandatum noſtrum huiuſmodi attendere non curaret, hunc ea puniemus pœna, quæ aliis transire poterit in exemplum.

Datum *Znoymæ*, anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto in die Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

CCXVIIII.

CCXVIIII.

Rudolphus Romanorum Rex Monaſterii S. Crucis Domum Prugga a Steuris perſolvendis, nec non aliis exactionibus quibuscunque prorſus liberam declarat.

1276. *Ex autograph. P. H.*

RUdolphus DEI gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Vniverſis Sacri Romani Imperii fidelibus præſentes literas inſpecturis, gratiam ſuam & omne bonum.

Ad univerſitatis veſtræ notitiam volumus pervenire, quòd Nos Honorabilibus & Religioſis Viris Abbati & Conventui Monaſterii Sanctæ Crucis hanc gratiam fecimus ſpecialem, quòd Domus ipſorum in *Prugga* eadem libertate gaudere debeat per omnia, qua Domus eorum in aliis civitatibus noſtris conſtitutæ ab antiquis temporibus ſunt gaviſæ, videlicet, quòd à Steuris perſolvendis, nec non & aliis exactionibus quibuſcunque deinceps auctoritate præſentium ſit libera penitùs & exempta. In cuius rei teſtimonium prædictis Abbati & Conventui præſentes literas tradidimus, noſtri ſigilli munimine roboratas.

Datum *Wiennæ* X. Kalendas Januarii. Indictione V. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo, Ducenteſimo Septuageſimo Sexto, Regni verò *Rudolphi* Primi anno quarto.

CCXX.

Rudolfus I. Romanorum Rex forum ſeu mercatum Clauſtroneoburgi antea die Dominico inſtitui ſolitum, ob Divini cultus reverentiam, transfert in diem Lunæ.

1276. *Ex autograph.* P. H.

RUdolfus DEI gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Omnibus hanc paginam audituris ac viſuris præſentibus & futuris gratiam ſuam & omne bonum.

Cùm ea, quæ ad illius cultum pertinere noſcuntur, qui nos ſua gratia in partem ſuæ ſollicitudinis vocare, dignatus eſt, ut videlicet Regnum Chriſtiana Religione ſuæ ditioni ſubiectum, loco & nomine ipſius gubernare & regere debeamus in terris, toto niſu, totoque poſſe fideliter proſequi, & ampliare non immeritò proponamus. Ecce forum, quod in Civitate *Nuvvenburgenſi*, ex dicatione Principum *Auſtriæ* uſitatum diebus Dominicis ab antiquo & a Rege *Boemiæ Otacharo*, in diem Lunæ ad laudem DEI eſſe translatum, & poſtea ab eodem ad quorundam petitionem dicitur revocatum, ad inſtantiam Venerabilium Virorum *Nicolai* Præpoſiti, *Ul.* Decani & omnium Canonicorum Eccleſiæ *Nuvvenburgenſis*, & præcipuè ad petitionem & clamorem dilectorum noſtrorum Civium Civitatis eiuſdem, qui per inopinatum noſtri exercitus ingreſſum læſi fuerant graviter & attriti, in recompenſationem damnorum ibi datorum idem forum ob reverentiam diei Dominicæ, in quo populus Chriſtianus vacare debet ſuo ab omni opere illicito Creatori, & ipſius Eccleſiam frequentare, in diem Lunæ cum omni iure forenſi & plena libertate iuris Civilis, de Regali noſtra liberalitate transferimus, vel potiùs renovamus, Jure, quod dictæ Eccleſiæ *Nuvvenburgenſi* in foro diei Dominicæ competit, in diebus Lunæ ipſi Eccleſiæ per omnia ſine diminutione qualibet competente.

Volumus etiam, & de regia noſtræ Celſitudinis munificentia firmiter confirmamus, ut omnes Cives, & homines prædictæ Civitatis *Nuvvenburgenſis*, cuiuscunque coloni fuerint, in omnibus Civitatibus & foris Auſtriæ, omne ius de cætero habeant, quod cives & homines aliarum civitatum *Auſtriæ* noſcuntur in locis forenſibus hactenus habuiſſe.

Tranſeuntes etiam *Danubium* in eodem loco & revertentes, ipſius civitatis homines, in utroque littore, illo iure gaudeant, quo cives univerſarum Civitatum *Auſtriæ*, & coloni Principum per totam *Auſtriam* hactenus ſunt muniti. Vt autem huiuſmodi gratia ſive collatio Eccleſiæ *Nuvvenburgenſi* & hominibus Civitatis eiuſdem, per regalem noſtram magnificentiam liberaliter confirmata, per nos & noſtros Succeſſores & Principes Auſtriæ obſervari debeant inconvulſa, præſentem litteram ſigilli noſtræ Celſitudinis munimine roboratam ſupradictis noſtris Civibus *Nuvvenburgenſibus* dari fecimus, in ſignum evidens & cautelam.

Huius rei teſtes ſunt: Venerabiles *W. Maguntinenſis* & *Fr. Salzburgenſis* Archiepiſcopi, *G. Herbipolenſis*, *Chunradus Friſingenſis*, *Leo Ratiſponenſis*, *Petrus Patavienſis*, & *Johannes Chi-*

Digitized by Google

menſis Epiſcopi. Illuſtres *L.* & *H.* Comites Palatini *Reni*, Duces *Bavvariæ*. H. Lantgravius *Heſſiæ*, Fr. Burgravius de *Nurenberg*, *Albertus de Hoenberg*; *Manegi de Nellinburg*, & *Otto de Eberſtein* Comites, ac dilecti fideles noſtri, *Otto de Haſilovve*, *Ott de Bertoltſtorf*, *Fr.* Dapifer de *Lenginpach*, & alii quàm plures.

Datum & actum in caſtris ante *Wiennam* VIII. Kalendas Decembris, Indictione V. Anno Domini Milleſimo, Ducenteſimo, ſeptuageſimo ſexto, Regni verò noſtri Anno quarto.

CCXXI.

Idem Parthenoni Sororum Ord. Prædicatorum in Minnepach concedit, ut ipſæ homines ſuos, ob exceſſus & reatus aliquos, quos commiſerint, per ſuos Officiales poſſint judicare & punire, exceptis duntaxat tribus criminibus, prædicti Regis Judicibus reſervatis.

1277. *Ex Autogr. P.H.*

Rudolphus DEI gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Omnibus præſentibus & futuris, præſentem paginam inſpecturis, ſalutem in perpetuum. Cùm Regalis noſtra magnificentia jugiter iis intendere ſit parata, ex quibus divini cultus funiculi dilatantur, & Creatoris omnium gloria recipit incrementum, ſpeciali tamen favore Cœnobium Sororum Fratrum Ordinis Prædicatorum in *Minnepach* ex animo proſequentes concedimus ipſis, ut ſi homines ipſarum exceſſus aliquos commiſerint ſeu reatus, ſuper iis omnibus, qualeſcunque fuerint, per Officiales ipſarum debeant judicari, exceptis duntaxat tribus culpis, videlicet homicidio, furto ac oppreſſione virginum, quorum exceſſuum rei ſi forſitan in bonis prædictarum Sororum fuerint deprehenſi, ſicut eos cingulus comprehendit, noſtris judicibus aſſignentur. Omnibus bonis eorum in Dominarum remanentibus poteſtate: De quibus ipſe Moniales ordinandi, quæ ſibi viſa fuerint, liberam habeant facultatem. Ut autem hæc in perpetuum remaneant inconvulſa, ſigilli noſtri ea munimine roboramus.

Acta ſunt hæc anno Domini M. CC. LXXVII. Regni verò noſtri Anno IIII. Indictione V. XII. Kalend. Martii.

CCXXII.

Idem Civibus in Nova Civitate anti. qua Privilegia ab Anteceſſoribus Rom. Imperatoribus, Regibus ac Principibus data innovat, atque alia ejuſdem quàm plurima addit.

1277. *Ex Autogr. P.H.*

Rudolfus DEI gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, vniverſis Imperii Romani fidelibus in perpetuum.

Cùm omnis gloria ſive potentia Principatus in ſubditorum conſiſtat ſolidata fortunis, expediens arbitramur & concedens, ut ſimus ſubjectis noſtris fidelibus & in juſtitia faciles, & in gratiis liberales. Ad univerſorum igitur tam præſentium, quàm etiam futurorum notitiam volumus pervenire, quòd Nos animadvertentes puram devotionis conſtantiam & ſinceræ fidei puritatem, qua prædilecti Cives noſtri de *Nova Civitate* circa Dominii ſui cultum ſemper ſplendidè clarnerunt: conſiderantes quoque, quòd iidem Cives ſe ſemper Regalibus beneplacitis exhibuêre devotos, in quo Regalis Clemenciæ beneficentiam ſibi largiſtuè comparârunt, Eiſdem Civibus ad devotam eorum inſtantiam omnia Jura, libertates, & gratias, quibus iidem benevolentiâ Principum terræ, ſeu conceſſione Romanorum Imperatorum & Regum, hactenus ſunt dotati, ex liberalitate Regia innovamus & confirmamus, de ſpeciali gratia quædam Jura libertates & gratias, quas prædictis Civibus contedimus, præſentibus inſerentes, hoc videlicet: Si homicidæ ſe repræſentantes in Judicio coacti, ſe juramento ſuo voluerint expurgare, & quatuor ex Jutatis Civitatis homicidii reum ipſum dixerint, juramentum ejus nullo modo admittatur.

Item ingreſſus Civitatem à nullo contra Judicium & juſtitiam offendatur, ſed contra offendentem à quolibet Civium, noſtro nomine, volumus defenſati ingreſſum, ſic quòd pro damno ratione defenſionis hujuſmodi offenſori illato, nullus Civium, qui hoc legitimè probavit, nec Judici reſpondeat nec actori.

Præterea, ut Civitas Civibus repleatur, volumus, ut ſi quis Civis Civitatis illius per annum impetitione ſtatus pacificè ſtetit & quietè, & Dominus ſuus in terra fuit, & eundem petere valuit, ex tunc, de ipſo, uxore, & liberis ſuis nul-

la

la à Domino in antea quæſtio audiatur, ſed ipſa quæſtio ex hujuſmodi anni lapſu penitus evaneſcat. Et hoc ita, ſi Civis maneat Civitatis: ſi verò egreſſus domicilium mutavit, prior actio vero Domino reviviſcat.

Præterea nullus Civium Civitatis prædictæ duello poteſt impeti, ſi impetitus juramento proprio ſe poterit expurgare, excepto læſæ Majeſtatis, & proditæ patriæ crimine, vel traditæ Civitatis, in quo ſe juramento non poterit expurgare.

Item nullus Civium cauſâ ſopiendi diſcordiam evaginans tantùm gladium & neminem vulnerans punietur à Judice, ſi jurati Civitatis eum dixerint innocentem.

Item Cives prædictæ Civitatis de ſe conquerentibus coràm Nobis vel ſuo Judice reſpondebunt, ſecundùm formam Juris Civitatis *Wiennenſis*. Præterea dubiæ quæſtionum ſententiæ, in Prætorio ſæpe dictæ Civitatis ſubortæ, per Juratos Civitatis & Capitaneum, vel à nobis Interpretationem, vel requiſitionem recipient.

Item Jurati aſſumptis ſibi aliquibus probioribus Civibus, ordinandi de foro rerum vendibilium, prout temporis qualitas poposcerit, liberam habeant facultatem.

Item circa probationes quæſtionum hereditariarum vel pecuniariarum infra Civitatis terminos contractorum, ſervetur, quod conſuetudo Civitatis in hoc articulo hactenus obſervavit.

Item mutæ ſive teloneaCivitatis permaneant eo jure & modo, quo claræ me-
* *Fride-rici.* moriæ quondam *F.** Ducis *Auſtriæ* temporibus inſtitutæ fuerunt.

Item ſi quis aliquem Civium ſuper eo impetierit, quòd de domo, vinea, ſeu rebus aliis, vel gratis, vel pro modica pecunia aliquid promiſerit, ſuper eo nullum actoris teſtimonium audiatur, ſed rei, ſive impetiti ſub debito fidei intentio perquiratur. Modicam autem pecuniam intelligimus, quæ communiter taxatione medietatem rei, de qua agitur, non excedit.

Item quilibet Civium in extremis poſitus, liberam ordinandi de rebus ſuis habeat facultatem, jure tamen Domini ſui, uxoris, heredum, & noſtro in omnibus reſervato.

Item concedimus memoratis Civibus noſtris, ut ipſi, viduæ, filii, filiæ, nepotes, & aliæ Civitatis ejuſdem perſonæ, mares, & feminæ, & matrimonia, ſive ſponſalia non cogantur à nobis inviti, cùm invitæ nuptiæ & coactæ difficiles exitus conſueverint obtinere.

Præterea volumus & eiſdem Civibus inviolabiliter obſervari decernimus libertates & gratias, quas de non ſolvendis mutis ſive teloneis in diſtrictibus *Auſtriæ*, *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Marchiæ & Carniolæ* à terrarum Principibus habuerunt, ſic quod in remiſſione ejuſdem telonea ſive Mutæ ſervetur, quod hactenus eſt ſervatum.

Præterea ſi aliquis prædictorum Civium naufragium patiatur, & naufragi res ad aliquem devenerit, volumus, ut paſſus naufragium bona liberè à quolibet detentore, cujuſcunque conditionis exiſtat, repetere debeat & habere, cùm divinis & humanis legibus cenſeatur contrarium, naufragii reliquias, quas ſæviens unda parcendo dimiſit, ab homine, qui hujuſmodi caſui humanitatis neceſſitudine potiùs compati debuit, detineri.

Inſuper ex plenitudine poteſtatis prædictos cives habilitamus, ut feoda poſſint tenere, & à Miniſterialibus & Militibus, ac ab aliis quibuſcunque comparare valeant, proprietates & feoda & eadem legitimè poſſidere, dum tamen ritè & rationabiliter eadem feoda & proprietates conquirant & emant.

Item nolumus ſupradictos cives noſtros ab aliquo Capitaneo noſtro, Judice, vel ab aliis quibuſcunque Taliis, vel precariis aggravari ſuper id, quod iidem Cives de mera fecerint voluntate.

Item dictis Civibus contra voluntatem ipſorum nullum præficiemus Judicem, niſi per annum ad minùs cum ipſis civibus tanquam Civis fuerit converſatus, dum tamen incola civitatis tantum pro Judicio velit exſolvere, quantum extraneus & advena.

Item de fide & devotionis conſtantia, qua erga Prædeceſſores noſtros præ. dicti Cives ſemper fervidè claruerunt, in. dubitatam fiduciam obtinentes, volu.

mus, ut portæ Civitatis & turres in Civium maneant poteſtate; nec ab iiſdem obſides expetemus.

Præterea volumus, ut nullus Civis vel Incola civitatis prædictæ ſuper alios Cives privilegio libertatis ſpecialis utatur, ſed una & pari lege gaudeant & fruantur ſinguli, cùm eiuſdem loci Incolæ non debeant iure diverſo cenſeri: Diſpenſatores tamen granarii & cellarii noſtri excipimus, circa quos, quod noſtræ Celſitudini placuerit, faciemus.

Item ſi pro Imperii negotiis nos abeſſe contigerit, volumus, ut Judex Civitatis ab eo, quem terræ præfecerimus, auctoritatem de quolibet maleficio recipiat iudicandi.

Præterea, ſi quis Miniſterialis vel miles ratione contractus habiti cum civibus civitatis prædictæ ſe certo die promiſerit dictis Civibus ſolviturum, & non fecerit, ſi in Civitate inventus fuerit, civitatis Capitaneus exhibebit de ipſo querelantibus iuſticiæ complementum.

Item Edictali lege decernimus, ut nullus civium in antea emat, vel plantet vineam in Ungaria. Qui contra fecerit, decem libras nobis exſolvat, & vinum ad Civitatem non ducat.

Inſuper ad inſtantiam eorundem Civium ſtatuimus, ut nullus vinum Ungaricum ducat in civitatem, excepto creſcente in vineis, quas nunc habent.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, innovationis, & confirmationis infringere, & ei in aliquo auſu temerario contraire: quod, qui forſan, attentare præſumpſerit, gravem noſtræ Maieſtatis offenſam ſe noverit incurriſſe.

Teſtes ſunt hi: Venerabiles *Petrus Patavienſis*, & *Wernhardus Seccovienſis* Epiſcopi. Illuſtris *Albertus* Dux *Saxoniæ*, & Nobiles Viri *Fridericus* Purggravius de *Nierenberg*. *Eberhardus* de *Katzenellenbogen*, *Henricus de Fierſtinberch*, *Henricus de Vriburch*, Comites: *H.* Marchio de *Hochberch*, *Everhardus de Brunnecke*, *Joh. de Holandia*, Dominus de *Gerdolteſtorf* Camerarius *Auſtriæ*, *Vlricus de Pilihdorf* Dapifer *Auſtriæ*, & *Chunradus* frater eius, Dominus de *Habilowv*, & alii quàm plures.

Signum Domini Romanorum victiſſimi.



Rudolfi Regis In-

In huius teſtimonium præſens ſcriptum exinde conſcribi & Maieſtatis noſtræ ſigillo iuſſimus communiri.

Datum & actum apud *Novam Civitatem* Kalend. Decemb. Indict. VI. Anno Domini M. CC. LXXVII. Regni verò noſtri anno quinto.

CCXXIII.

Idem Cartuſiam Seitzenſem in ſuam protectionem ſuſcipit, eamque ab exactionibus liberam eſſe conſtituit.

1277. *Ex Archiv. Seitz.*

RUdolfus DEI gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Nobilibus Viris Comiti de *Phannenberch* & -- *de Betovia* Judicibus *Styriæ*, cæteriſque univerſis, qui ad huiuſmodi officium ipſis pro tempore fuerint ſubſtituti, dilectis fidelibus ſuis gratiam ſuam & omne bonum. Volentes Religioſos Viros Priorem & Fratres Monaſterii de *Seitz* Cartuſienſis Ordinis obſervantia regulari, coelibis vitæ fragrantia ſanctisque operibus mirificè coruſcantes, Divinæ remunerationis intuitu ſub Regiæ protectionis umbraculo, quò Altiſſimo ſecuriùs valeant famulari, perpetuò reſpirare, ipſos vobis ducimus perpetualiter committendos: vobis univerſis & ſingulis iniungentes firmiter & diſtrictè, quatenus prædictos Fratres unà cum perſonis & rebus, nec non ſuis poſſeſſionibus univerſis manutenere & defendere curetis auctoritate Regia favorabiliter & benignè, non permittentes eoſdem

Fratres

Fratres ab aliquibus Capitaneis & Officialibus *Styriæ* ulla exactione seu steura de cætero fatigari: sed ipsos in illa libertate, gratia sive iure, in quo temporibus felicis memoriæ *Ottakari*, *Leupoldi* & *Friderici* Ducum Styriæ, Illustrium prædicti Monasterii Fundatorum, pacificè fuisse noscuntur, contra iniuriatores quoslibet defendite & fovete, contradictores & rebelles pœna plectendo condigna.

Datum *Viennæ* IV. Idus Januarii Indictione V. anno Domini MCCLXXVII. regni verò nostri anno Quarto.

CCXXIV.

Irnfridus Archidiaconus Austriæ ac Decanus Crembsensis testatur, Capellam in Minepach seu Imbach a Domino de Velsperg, & eius Coniuge, Parthenoni eiusdem nominis fuisse collatam &c.

1177. *Ex autograph. P. H.*

In nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, Amen.

VNiversa negotia fructuosa, quæ geruntur in tempore, ne sequantur naturam temporis, sed, ut certa quadam notitia propagentur in posteros, ne processu temporis à memoria per exortam oblivionis caliginem evanescant, litterarum solent indiciis, & assertione testium æternari. Vniversis igitur præsentes litteras inspecturis, Nos *Irnfridus* miseratione Divina Canonicus Ecclesie *Pataviensis* Archidiaconus *Austriæ*, Decanus & Plebanus *Crembsensis*, volumus esse notum, quòd Capella in *Minebach*, quæ olim à nostra scilicet Ecclesia *Crembsensi*, adpensionem Nobilis Dominæ *Tutæ* piæ memoriæ de *Zebingen*, ad quam ius Patronatûs tunc spectabat, fuerat, exempta, ab Honorabili Viro *Alberto* Dapifero, & Domina *Gisela* uxore sua de *Velsperg*, ad quam Collatio eiusdem Capellæ per successionem hereditariam tunc fuerat devoluta, Claustro Sororum in *Minebach* est collata, ita quòd decedente Plebano, qui tempore donationis ipsam tenebat Capellam, res ipsius Capellæ dicti Claustri usibus liberè deservirent. Verùm quia nobis & nostræ Ecclesiæ, Crembsensi videlicet, ex dicta donatione videbatur aliquid deperire, nos transactionem præfatæ Capellæ ratam habere nolentes, dissensionem huiusmodi de nostro pariter & dicti Claustri consensu decidimus in hunc modum: quòd de rebus sæpe dictæ Capellæ pomarium in *Senfftenberg* situm solvens unam libram, in omnem eventum Matrici Ecclesiæ, scilicet *Crembsensi* est assignatum, possidendum perpetuò in restaurationem eorum, quæ dictæ Ecclesiæ Matrici videbantur deperire. Nos verò annuente & favente Venerabili Patre nostro *Petro* Episcopo *Patavienſi*, nomine memoratæ Ecclesiæ nostræ & nostro, omni actioni, & iuri, quod in præfata Capella, & Clericis eius nobis competere videbatur, liberè renuntiantes Claustro primum memorato, quòd de præfata Capella, & rebus omnibus ad eam pertinentibus ordinare possit, quidquid ipsi Claustro videbitur expedire. Ne autem sæpe dicto Claustro imposterum à nobis, aut ab aliquo Successorum nostrorum aliqua molestia aut impeditio super præmissis valeat suboriri, præsentem ordinationem, & compositionem sigillis Venerabilis Patris Domini *Petri Patavienſis* Episcopi, & nostro fecimus communiri.

Testes autem horum sunt Religiosi Viri: Frater *Chunradus* Lector fratrum domûs Prædicatorum in *Crembs*. Item Honorabiles Viri: Dominus *Chunradus* Decanus de *Espendorff*: Dominus *Sovikerus* Plebanus de *Liebs*, *Marchardus* Notarius noster. Item Frater *Engelschalcus* Procurator sæpe dicti Claustri. Item *Ruaelinus* filius *Ebenonis*, *Irnfridus*, filius *Gozzonis*, *Rudelinus de Meurpergen*, Cives *Crembsenses*. Item *Bertholdus* Officialis: Item *Weichardus*, item *Otto de Minebach*, & quàm plures alii fide digni.

Acta sunt hæc Anno Domini M. CC. LXXVII.

CCXXV.

Hertnidus Comes de Liechtenstain nonnullos redditus legat Monasterio S. Crucis in Austria.

QUoniam omnis homo vivens super terram ex fallacis mundi seductribus divitiis nil amplius consequitur, nisi quòd sequitur eum, opus suum coram districto Judice pro qualitate meritorum remuneratorium vicissitudine præmiorum, idcirco pateat omnibus tam præsentibus quàm 1277. *Ex autograph. P. H.*

Digitized by Google

quàm poſteris per hæc ſcripta, quòd ego *Hertnidus de Liechtenſtain* viam univerſæ carnis ingreſſurus, ſuper exceſſibus Juventutis meæ tactus pœnitudine cordis intrinſecus, quod propriis meritis poterat denegari, Religioſorum virorum interventibus aſſequi me ſperans, ipſorum devotionem Elemoſynis mihi ſtudui comparare.

Inter cætera igitur, immo Principaliter ante cætera ultimæ ordinationis meæ teſtamenta, quæ viva voce deliberato animo & ſana mente facta, coram Imperiali Excellentia Principum ſententiâ, iuſta, legali & valida undique approbavi, Monaſterio *S. Crucis* Ciſterc. Ord. ubi circa cæteros meos Progenitores locum elegi ſepulturæ, legavi liberaliter & tradidi de meis emptitiis proprietatibus redditus - - - Fratribus ibidem DEO in perpetuum ſervientibus iure proprietario pro plenarii ſervitii prandio, quod eis de ipſis redditibus annis ſingulis &c. Ad confirmationem prædictorum omnium hoc conficiens inſtrumentum, ſigilli mei munimine roboratum memoratis Fratribus ipſum tradidi.

Datum ab incarnatione Domini M. CC. LXXVII.

CCXXVI.

Heinricus Ep. Ratiſbon. concedit Monaſterio Rotenſi Decimas Novalium in Parochia Chöſtingenſi.

1279. *Ex archiv. Rot.*

NOs *Heinricus* DEI gratia *Ratiſbonenſis* Eccleſiæ Epiſcopus univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in omnium Salvatore. Etſi ſuſceptæ adminiſtrationis officium, ad quod nos licèt immeritos Dominus evocavit, univerſis & ſingulis ad præſtanda noſtræ liberalitatis beneficia teneamur: illis tamen in officiis charitatis primo loco nos obnoxios reputamus, a quibus nos & Anteceſſores noſtros recognoſcimus prompta ſervitia recepiſſe, & eis maximè, qui hoſpitalitatis exempla ad omnes generaliter propagantes, abnegatis ſecularibus deſideriis, divinis ſe cultibus mancipârunt. Cùm igitur dilecti in Chriſto Abbates Monaſterii in *Rot*, & ſpecialiter religioſus vir & probatus, & nobis in Chriſto dilectus Dominus *Nicolaus* Abbas eiuſdem Monaſterii erga nos & *Ratiſponenſem* Eccleſiam & Anteceſſores noſtros nihilominus tot promptæ devotionis, & devotæ promptitudinis cumulavit beneficia, & cumulet inceſſanter, quòd de repenſiva meritorum ſuorum debeamus non immeritò cogitare: nos ad preces ipſius & inſtantiam de plena voluntate & conſenſu noſtri Capituli Decimas novalium, nobis & Succeſſoribus noſtris publico iure debitas, quæ de ſylva, ſita inter montes, qui dicuntur *Ozzer Advvich* & *Doverhelzekke* iuxta Parochiam *Chæſtingen*, & inter flumina, quæ dicuntur *Imber Albus* & *Lovvn*, quam ipſi de novo extirpârunt, & adhuc extirpare intendunt, nunc & in futurum poterunt provenire, ſibi & Monaſterio ſuo cóceſſione perpetua conferimus & donamus, volentes, quòd eædem Decimæ prædicti Monaſterii uſibus debeant irrevocabiliter applicari, quò magis & meliùs prænotati Abbas & Monaſterium poſſit conſueta hoſpitalitatis ſolatia exhibere. Et quia gratiarum actio eſt percepti beneficii recognitio, prænominati Abbas & Conventus in ſignum amicitiæ & favoris liberaliter promiſerunt, quòd noſtrum Anniverſarium, cùm Dominus nos evocaverit ex hac vita, cum Conventu in ſuo Monaſterio debitis exequiis perpetuò celebrabunt. In cuius rei teſtimonium præſentes litteras conſcribi fecimus, & ſigillorum, noſtri videlicet & Capituli noſtri robore communiri.

Datum *Ratiſbonæ* anno Domini MCCLXXIX. IV. Kal. Junii.

CCXXVII.

CCXXVII.

Heinrici Ducis Bavariæ inferioris Epistolæ.

I.

Ad Gregorium X. P. M. cui Pontificatum gratulatur, statumque tum sui Ducatus & personæ, tum S. R. Imperii commendat &c.

Circ. 1271. Ex Cod. Altahe Superior.

SAnctissimo in Christo Patri Domino *Gregorio*, Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, *Heinricus* DEI gratia Dux *Bavvariæ* & Sacri Romani Imperii de *Reno* Palatinus cum omni reverentia & subiectione pedum oscula beatorum.

Gyrum cœli sola circuiens & profundum abyssi penetrans, fluctusque maris Divina Sapientia perambulans, vacante olim Sede Apostolica, cùm in omnibus requiem quærens non inveniret columbina eiusdem simplicitas, ubi requiesceret pes illius, tandem super Vos tunc in hæreditate Domini, videlicet in transmarinis terræ Sanctæ limitibus commorantem tanquam super humilem & quietum, ac trementem sermones ipsius creata ab initio requievit, virentemque laudabilem ac famosam conversationem vestram velut in Arca non sine tædio tantæ moræ positis, Reverendis in Christo Patribus, Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, utpote ramum virentis olivæ ad vesperam reportavit in omni gente & populo Christiano primatum vobis tanquam electo ex millibus imponendo. Olivam igitur uberem, pinguem, fructiferam, speciosam in domo, imò super domum Domini constitutam Sanctitatem vestram tanta excipimus reverentia, tanto favore diligimus, tanto veneremur honore, quantò certiùs æstimamus, quòd modernis temporibus non ascendat quisquam summi Pontificatus apicem, de cuius regimine salutari per Orbem terrarum spes generalior & abundantior ab omnibus fiducia gereretur, quòd scilicet sine acceptione personarum sic universo gregi vestræ providentia contemplationis invigilet circumspectè, sicut inscrutabilis Divini consilii altitudo sortiri vos locum & nomen voluit vigilantis.

Sanctitati igitur vestræ nos humilem filium ac devotum Sanctæ Ecclesiæ offerentes, rogamus suppliciter & obnixè, quatenus nos inter vestros & Sanctæ Ecclesiæ Romanæ devotos filios reponatis. Et si fortè, quod non optamus, Sanctitatis vestræ auribus quicquam devotioni & subiectioni contrarium fuerit malorum insinuatione suggestum, hoc non ex fonte veritatis & iustitiæ, sed ex odii fomite procedere cognoscatis, præsertim cum discretioni virorum timentium DEUM, honorabilium & religiosorum, sub quorum sumus manibus educati, constet liquidiùs, nos nihil unquam egisse in opere vel consilio fore conatos, quod meritò posset Sedi Apostolicæ displicere. Unde etiam super amaritudine mortis charissimi quondam *Chunradi* Nepotis nostri cor nostrum non poterit respirare, nisi per vestræ Paternitatis consolatoriam dulcedinem, & Apostolicæ benignitatis clementiam relevetur, quæ sola novit & potest tantorum conferre solatia lamentorum, si maturiùs nos ubertibus amplexata dignetur ùt filium confovere, nostrumque statum inter cæteros Romani Imperii electores paterna benedictione dirigere, & petitiones nostras a licito & honesto nullo modo discrepantes effectu prosequente complere, nec accommodare de facili audientiam relatibus emulorum.

Super quibus pleniùs proponendis ad præsentiam Sanctitatis vestræ exhibitores præsentium, Fratrem *Wolfgangum* Monachum Ordinis S. Ben. & Magistrum *Fridericum* Clericum nostrum duximus destinandos, petentes humiliter ac devotè, ut ipsorum relatibus aures benevolas & gratum favorem dignemini adhibere. Datum anno Domini - - -

R. P. Pezii Thes. Anecd. Nov. T. V. P. II.

2.

Ad Collegium Cardinalium de morte Conjugis, & nefanda nece Conradini Nepotis sui.

REverendis in Christo Patribus ac Dominis Venerabilibus Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus universis,

Digitized by Google

H. DEI gratia Dux *Bavvariæ* & Sacri Romani Imperii de *Reno* Palatinus cum omni devotione ad mandata & obſequia ſe paratum.

Quia Sedes Apoſtolica cunctis in Orbe terrarum præfertur Eccleſiis, imò Domino diſponente caput eſt Eccleſiarum omnium & magiſtra, ideo ille magni conſilii Angelus tantò maiori eam voluit gubernari conſilio, quantò rectiùs ad eam in negotiis ſuis cuncti confluunt, & in eam reſpiciunt oculi totius populi Chriſtiani. Cùm igitur vos ſitis corporis Apoſtolici latera incorrupta, eius perſonam, qui Maieſtatem Altiſſimi repræſentat, velut pacis Angeli circumſtantes, quatenus ad eum preces & vota fidelium & ab eo fidelibus gratiam offeratis, exiſtentes ex ſplendore virtutum lux Mundi ſal terræ per temperantiam diſcretionis, vaſa aurea & argentea per Sapientiæ ac eloquentiæ incrementa, baſes illius admirabilis ædificii, unde ſumunt omnes fidei regulam & vivendi ſpeculum & ubi conſiſtunt vera exemplaria futurorum. Huius itaque rei gratiâ talibus ac tantis Patribus noſtræ humilitatis devotionem tantò fiducialiùs exhibemus, quantò magis conſueverunt, norunt & poſſunt providere utiliter, & conſulere prudenter cauſis Principum Orbis terræ. O utinam dorſa veſtra plena oculis veri amoris ſcintilla mediante reſpiciant & contemplentur limpidiùs ſtatum noſtrum, rimentur facta, diſcutiant actiones, quibus a teneriori ætate bonorum & maiorum conſiliis, & præcipuè bonæ recordationis inclyti quondam Regis *Ungariæ Belæ* ſoceri noſtri paternis eruditionibus & exemplis edocti Sanctam Romanam Eccleſiam didicimus in timore omni revereri, vosque Sanctos Patres & Dominos etſi non crebris propter viarum diſcrimina nuntiis, ſaltem continua & frequenti devotione recolere, veſtrumque mandatum omni mentis promptitudine præſtolari! O utinam erga vos optatum noſtra ſuſpiria debeant invenire ſolatium, qui non ſolùm utroque dudum præſente, verùm etiam prædicto ſocero noſtro, imò & piæ memoriæ ipſius filia, chariſſima quondam conſorte noſtra orbati, lethali adhuc prædilecti olim *Chunradini* nepotis noſtri exitio ſauciamur, nec poterimus abſque veſtra conſolatione modum ponere in lamentis, duplici nos doloris aculeo perurgente, quòd videlicet miſerandus idem nepos noſter noſtro conſilio non attento, utpote immaturus ætate, debilis viribus, & amicorum auxilio deſtitutus tanto ſe diſcrimini expoſuit, improviſè contra Sedis Apoſtolicæ voluntatem, & quod permiſſione Divina tam crudelis fati mortem excipiens, tanquam læſus in primo flore botrus, nihil nobis aliud, quàm cordis amaritudinem propinavit.

Attendite igitur & videte, ſi eſt ſine Apoſtolicæ benignitatis conſolatione remediabilis dolor ille, qui tamen veſtris accedentibus conſiliis poterit aboleri, ſi propitios vos mediatores erga ipſam Sedem in cauſarum noſtrarum proſecutione ſenſerimus, utpote a tantis Patribus in filium adoptati. Super his igitur univerſitati veſtræ pleniùs proponendis *&c. ut ſupra.*

3.

Ad Cardinalem N. Commendat ei nuntios ſuos, Wolfgangum Monachum Nideraltahenſem & Fridericum Clericum.

QUamvis Sancta Romana Eccleſia firma & immobilis omni tempore in veræ fidei ac religionis ſinceritate perſiſtat, utpote pro qua in beato Petro Unigenitus DEI Filius, qui a Patre exauditus eſt pro ſua reverentia, de Mundo tranſiens ſupplicavit, ut non deficeret fides eius, tantò tamen nunc validius exiſtit Eccleſiarum omnium fundamentum, quantò fortioribus innixa columnis eſt per DEI gratiam firmior in ſe ipſa. Cùm igitur vos ac cæteri Domini Cardinales ſitis Patres conſcripti Senatûs Sanctæ Vniverſalis Eccleſiæ, quos & Conſiſtorio Summi Pontificis decet ſemper aſſiſtere, veluti qui eſtis ſui corporis pars ſincera, in quorum humeris poſuit Dominus cardines Orbis terræ, ut ſicut in cardine oſtium volvitur, ſic veſtra providentia Mundi machina gubernatur: ideo univerſis quidem Dominis Cardinalibus in genere, veſtræ autem Paternitati in ſpecie devotionem noſtram ſubjicientes humiliter ac devotè nuntios noſtros Fratrem *Wolfgangum* Monachum Ordinis S. Ben. & Magiſtrum *Fridericum* Clericum noſtrum veſtræ gratia duximus commendandos, petentes cum fervore, quatenus dignanter & benignè audientes eoſdem, ipſos in præſentia ſummi Pontificis in exe-

Digitized by

in executione negotiorum noſtrorum dignemini cum efficacia promovere. Datum in *Lantshut.*

4.

Ad Patres Synodi Salzburgenſis : ne quid ſtatuant, quod patriæ moribus & legibus repugnet.

1287. CElebrationi veſtri Provincialis Concilii favendo applaudimus, & applaudendo favemus, ſperantes, quòd in eo morum morbi curentur, virorum virtutum refloreat, glorificetur Altiſſimus, Ordo ſtatus Eccleſiaſtici decus induat & decorem. Verùm quia interdum inferiores Clerici, familiares Superiorum Pontificum, in hoc dominis ſuis complacere deſiderant, quòd circa conditionem ſtatutorum ſub verborum ſuperficie quaſi ſub foliis pungitivas abſcondunt ſententias, anguem in herba & ſcorpionem ſic callidè occultando ſub teſta, quibus ſententiis cùm ſibi placuerit, Principes ſeu terrarum Dominos tantò confidentiùs pungunt, feriunt, & offendunt, quantò eas non de pharetra ſui particularis conſilii, ſed potiùs ab auctoritate totius Provincialis Concilii jactitant emanáſſe: ideo veſtra Paterna ſinceritas & ſincera Paternitas ſtatutis edendis oculos circumſpectionis aperiat, apponat, ut talis omnino ceſſet involutio laqueorum, & cùm lex eſſe debeat patriæ conveniens, talia ſtatui non ſinatis, quæ patriæ ſint in offendiculum ipſiſque Principibus in offenſam. Et nonne melius eſt unumquemque veſtrum gladium ſuæ juriſdictionis, qui utique felix eſt mucro Epiſcopi, fortiter in manu propria tenere per capulum, ipſúmque, cùm opus eſt, exerere, & cùm ſibi placuerit, iteratò mittere in vaginam, quàm ſe in totum alterius in hoc ſubmittere arbitrio, in alium quodammodo honorem proprium tranſferendo? Eſſet etiam forſitan formidandum, ſi ſtatuta Sacerdotalia, quæ manſuetudinis & modeſtiæ debent ſpirare odores, in gravamen Principum & Dominorum ſecularium verterentur, ne fortè cogerentur & ipſi illis, & præſertim laicis, quos patriæ limes includit, ſub pœnis à lege permiſſis edicta facere, prout ſuæ tutelæ crederent opportuna.

5.

Ad Canonicos Saliſburgenſes. Graviter queritur de ſtatutis Synodi Salzburg. quæ Principum honori derogent.

QUoniam una cum Reverendo Patre *Salzpurgenſi* Epiſcopo unum corpus facitis, cujus ipſe caput, vos autem comprobamini eſſe membra, & ſicut ipſe Pontificatus honore præcedit, ſic vos eſtis eiuſdem Eccleſiæ Senatores, ideóque Conſiſtorio & conſiliis ejus vos decet ſemper aſſiſtere ſuper arduis negotiis debitè requirendi: & ob hoc miramur, ſi veſtra diſcretio huic ſcripturæ conſenſum adhibuit, quæ de ſuo Concilio ſub Conſtitutionum nomine dicitur exhiberi, per quam æſtimatio Principum læditur, Pontificalis manſuetudo negligitur, & plura alia tam inſolita quàm indecentia inducuntur. Et quia inter alia de captivitate Pontificum & Canonicorum Cathedralium, nec non ſubverſionibus Epiſcopatuum pœnalis conſtitutio aſſeritur poni, quæ etiam horrorem piis mentibus incutiunt, nec ponenda ſunt, niſi contra hujuſmodi ſcelera committentes: nos conſiderantes, quòd crudelis eſt, qui famam negligit, obnixè rogamus, ut juſtitiæ & veritatis intuitu patentibus litteris declaretis, nullius extare memoriam, quæ recorderur, in noſtris partibus alicui Epiſcopo eſſe violentas manus injectas, vel aliquem Canonicum veſtræ Eccleſiæ captivatum, inducentes, ſi fieri poteſt, Archiepiſcopalem animum, ut devotionem fidelium Principum à favore *Salzpurgenſis* Eccleſiæ non repellat, prudenter & modeſtè revocans, quæ fortè minùs providè per ſibilum mali conſilii ſunt ſuggeſta.

Mirandum etiam eſt, quòd Vos excuſationibus aliquorum Epiſcoporum fidere apponitis, cùm nullus eorum ſigillum ſuum apponi faceret litteræ, quæ pro una libra denariorum *Ratiſbon.* monetæ vel *Patavienſis* dirigitur, niſi eam priùs legat & intelligat ter vel quater. Si tantum innocentes exiſtunt, dicunt vobis litteræ patentes, continentes, quòd licèt ſtatutis ſalutaribus benè conſenſerint, illis tamen, quæ Principibus derogant, nec conſenſerunt, nec conſentiunt, nec aliquo modo voluerunt eadem ſigilla ſua hujuſmodi derogationibus applicari.

6.

Idem concedit Monaſterio Altahenſi facultatem tria talenta Salis ſine omni exactione telonii transvehendi.

NOs *Henricus* DEI gratia Comes Palatinus *Reni*, Dux *Bavvariæ* omnibus in perpetuum. Cùm in Principatus apice per Divinam providentiam conſtituti recognoſcamus, & recognoſcere debeamus, ut qui divitiis & honoribus alios præcellimus, in largitione donorum ac defenſionibus, & maximè circa religioſas perſonas, ut qui temporalibus occupationibus inſiſtimus, relevemur contemplativorum precibus, nos teneri & præcipuò ſubjectis noſtris præeſſe pariter & prodeſſe. Si igitur ſumus magis obnoxii ad præſtanda beneficia DEO famulantibus ſub religionis militia, præſtantiores & promptiores erimus illis ex debito, quos rigor durior & hoſpitalitas gratior præ cæteris recommendat. Hinc eſt, quòd ad promotionem & defenſionem Eccleſiæ *Altahenſis*, quæ quò ad Monaſticæ vitæ obſervantiam & hoſpitalitatis merita majoribus juvatur meritis, non immeritò allicimur, quòd eam propter piæ converſationis ſtudia ſpecialiùs proſequamur, invitante nos nihilominus ad illud temporali ſubſidio, quo nobis complacet & ſemper ſtuduit complacere, ut ſic multiplicibus cauſis concurrentibus pro devotione & recompenſa ipſam Eccleſiam præ omnibus aliis teneamur fovere ac diligere, dotare pariter ac ditare, quatenus ſic tempore noſtro ac hæredum noſtrorum floreat ſolemniùs, quæ ſollemniter floruit ex antiquo. Sanè penſantes omnia præmiſſa & ſingula præmiſſorum, præfato Monaſterio beati Mauritii in *Altah* ſemel in anno ſeu ſingulis annis ſemel in omnibus Mutis noſtris in *Purchauſen*, *Schærding*, & aliis, quas in præſentiarum habemus, ſeu nos vel hæredes noſtri in futurum habebimus, quandocunque placuerit, tria talenta Salis majoris ligaminis, ſicut reponi in navibus conſueverunt, traducendi ſine omni exactione telonei ſeu mutæ, quidagii ſeu paſſagii, vectigalis ſeu tributi, poſtulatione juris amoris vel conſuetudinis denariorum velexeniorum liberum & perpetuum tranſitum concedimus & donamus, volentes per nos & hæredes noſtros ac Officiatos talis libertatis invaſores tanquam inimicos noſtræ ſalutis, quam reſpeximus in hac parte, arctiùs & pœnalius condemnari, ut pœna unius multos exterreat, & gratia ſic gratæ & quodammodo ex debito conceſſa ipſi Eccleſiæ inconvulſa & libera cum omni tranquillitate integra perſeveret. Retardatores autem pro duplo damni ſui, ubicunque placuerit Procuratori dictæ Eccleſiæ, poterunt conveniri. Ne igitur præſentis libertatis ſic favorabilis debita ac voluntaria donatio per nos vel poſteros noſtros in mutis jam habitis vel habendis per decurſum *Salzah*, *Eni* ſeu *Dannbii* ullam diminutionem aut calumniam ex nunc vel impoſterum patiatur, præſens inſtrumentum de petitione, & ratihabitione hæredum noſtrorum dicto Monaſterio tradimus noſtri ſigilli munimine roboratum. Datum &c. 1285.

CCXXVIII.

Rudolphus Romanorum Rex Monaſterii de Erlah privilegia, donationes, libertates, atque Jura, ipſi à Friderico Duce Auſtriæ & Styriæ conceſſa, benignitate Regia confirmat.

RUdolfus DEI gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Omnibus in perpetuum. Ad hoc æquitas rationis & cenſura juſtitiæ nos invitant, ut beneficiorum & gratiarum, quæ à DEO recepimus, non immemores nec ingrati, ipſum in ſuis membris ſpecialiter honoremus, exhibentes nos ipſis & in juſtitia faciles, & in gratiis liberales. Noverit igitur præſens ætas & ſucceſſura poſteritas, quod accedens ad Majeſtatis noſtræ præſentiam devota noſtra . . Abbatiſſa Monaſterii de Erlah, quædam privilegia, a quondam Duce *Auſtriæ* & *Styriæ Friderico*, ſibi & Eccleſiæ ſuæ conceſſa nobis exhibuit, humiliter ſupplicando, ut eadem privilegia ſibi, & Eccleſiæ ſuæ prædictæ confirmare de gratia Regia dignaremur. Nos itaque devotis ſuis precibus inclinati, memorata privilegia, donationes, libertates, gratias atque jura, ipſi & Monaſterio ſuo, à præfato Duce conceſſa favorabiliter & indulta, de benignitate Regia confirmamus, innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus: ipſorum articulorum ſeriem de privilegiis ſingulis ſub compendio extracto-

1279. *Ex Autogr.* P. H.

Digitized by Google

factorum, de gratia ſpeciali præſentibus annotantes.

Statuimus itaque, quòd in omnibus dictæ Eccleſiæ poſſeſſionibus nullus Judicum provincialium Jurisdictionem aliquam habere præſumat, aut Judicium aliquo modo exerceat, niſi in talibus cauſis ſanguinis, quibus culpa malefici mortem ſui ipſius exigit; contra quem tamen damnandum eſt tali iuris ordine procedendum. Si homo huiuſmodi in poſſeſſionibus dictæ Eccleſiæ locatus, ibidem conamine Juſtitiæ debitæ convictus fuerit, idem convictus ex tunc eſt Judici provinciali tantummodo cingulotenus præſentandus.

Item ſi homines de familia ipſius Eccleſiæ inter ſe homicidium patraverint, & hoc in ipſius Eccleſiæ poſſeſſionibus, & reus talis culpæ, cauſatorem ſui averterit, hujuſmodi homicidii emendatio ad Abbatiſſam dictæ Eccleſiæ & eiuſdem Judicem ſolummodo pertinebit ita, quòd nullus actionis modus provinciali Judici liceat amplius in hac cauſa.

Item ſi homo reſidens in poſſeſſione dictæ Eccleſiæ vulneraverit hominem in Judicio provinciali, læſus læſorem ſui ſolummodo coram Abbatiſſa dicta, & eiuſdem Judice debitè cauſabit, ſed vulnerator ſolvet publicæ monetæ ſex ſolidos provinciali Judici pro emenda.

Item ſi homo poſitus in Judicio provinciali vulneraverit hominem in poſſeſſione dictæ Eccleſiæ, vulnerator dictæ Abbatiſſæ, & eiuſdem Judici ſolvet ſeu ſolidos monetæ publicæ pro emenda.

Item ſi homo in poſſeſſionibus dictæ Eccleſiæ poſitus temeritatis quocunque modo peregerit actum in Judicio provinciali, tamen ſine effuſione ſanguinis, idem tenebitur Judici provinciali tantummodo ſexaginta denarios monetæ publicæ pro emenda.

Item ſi homo de provinciali Judicio profectus, in poſſeſſionibus ipſius Eccſiæ hominem læſerit, vel alio modo temeritatis actum patraverit abſque effuſione ſanguinis, idem tenebitur dictæ Abbatiſſæ & ipſius Judici publicæ monetæ ſexaginta denarios pro emenda.

Item inhibemus diſtrictè, quòd ullus Judicum provincialium, per omnes ſæpe dictæ Eccleſiæ poſſeſſiones detineat aliquem ullo modo, niſi priùs poſtulata iuſtitia à Judice Abbatiſſæ ſæpe dictæ de eo, quem volebat detinere: quam cùm dictus Judex poſtulanti promiſerit, hæc erit in quiete cauſandi hominis uſque ad præfixum terminum à partibus expectanda.

Item ſi Judex dictæ Abbatiſſæ, & in eiuſdem poſſeſſionibus, hominem detinuerit pro damno terræ generali, idem Judex ipſam detentionem Judici provinciali ſignificare tenebitur, qui tunc adducere debet ſecum huiuſmodi hominem, qui habet huiuſmodi iuris executionem, quod vulgariter der Pan appellatur. Sic apto modo & loco debito cauſa ipſius decenti dictamine iuſtitiæ terminetur.

Item volumus, & approbamus, quòd Abbatiſſa dicti loci ſuper omnibus agendis Eccleſiæ ſuæ, de familia ipſius Eccleſiæ Judicem ſeu Procuratorem ſibi eligat & præficiat, quemcunque voluerit, quem nos ſummo conamine manutenendo defendere proponimus & fovere. Nobis verò propter efficacem noſtram defenſionem in omnibus antedictis dari debentur ab Eccleſia ſæpe dicta decem libræ publicæ monetæ in Feſto Sancti Georgii annuatim.

Præterea ad imitationem & conceſſionem *Friderici* Ducis prædicti volumus, & mandamus, quatenus Abbatiſſa antedicta in Inſula *Danubii*, quæ vocatur der Rennich, pleno iure ſuo utatur liberè & quietè, ita quòd Abbatiſſa iam dicta ſecundùm terminos dudum diſtinctos in Inſula memorata de ſua parte, pro ſuo beneplacito, & pro ſua commoditate ordinet & diſponat.

Nos quoque quia eidem Eccleſiæ favorabilem affectum gerimus & benignum, damus in Jure Abbatiſſæ Eccleſiæ memoratæ, quod per omnem comprehenſionem Inſulæ antedictæ ipſa Abbatiſſa habeat ius & poteſtatem omnium talium ferarum, quæ vel importuna luporum vexatione ſeu morſu lupino, aut tempore hiemis caſu glaciali interierint, aut alio conſimili periculo correptæ inveniantur, ad uſus ſuos redigere ſine omni reprehenſione ſive litigio omnis hominis in hoc facto.

Item donamus Eccleſiæ ſæpe dictæ per omnem ambitum Inſulæ dudum di-

ctæ, in quovis fluento *Danubii* ibidem omnem piſcationem, & ab inde ſurſum ſecundùm meatum *Danubii*, donec ad locum vicinum dictæ Eccleſiæ, qui *Steyne* nuncupatur, ita quòd prorſus nemo in omnibus terminis hìc diſtinctis, niſi de licentia Abbatiſſæ dudum dictæ piſcationem aliquam debeat exercere.

De plenitudine quoque gratiæ noſtræ ad inſtar Ducis prædicti volumus & mandamus, ut per omnem *Auſtriam* in omnibus locis telonariis, ſive in quibuſcunque locis, quocunque titulo ad exercitium exactionum ſint diſpoſita, omnia victualia iam dictæ Eccleſiæ, quocunque nomine deſignata, ſed & alia ſingula ipſi Eccleſiæ domi neceſſaria, ſine omni prorſus exactione, tam in aquis, quàm per terram, ſive ſurſum ſeu deorſum tradu-cenda, undique liberè pertranſeant & quietè.

Teſtes, qui huic noſtræ confirmationi & innovationi interfuêre, ſunt iſti: Venerabiles, *P. Patavien.* & *H. Baſilien.* Eccleſiarum Epiſcopi. *Fridericus* Burchgravius de *Nurenberch H. de Virſtinberch, Vlr. de Heunburch*, & *H. de Phannenberch* Comites. *Wernh.* & *H.* fratres *de Schowenberch. Ot de Haſelouw. Ot. de Berhtoltſtorf. Vl. de Pilichdorf. S. de Miſſchouw. Ch. de Sommerouwe*, & *Vl. de Capella* ac alii quàm plures.

Signum Domini *Rudolfi* Romanorum Regis Invictiſſimi.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis & innovationis infringere vel eidem in aliquo auſu temerario contraire. Quod, qui fecerit, gravem noſtræ Maieſtatis offenſam ſe noverit incurſurum. In cuius rei teſtimonium præſens ſcriptum Maieſtatis noſtræ ſigillo duximus roborandum.

Datum *Wiennæ* XV. Kalend. Julii. Indict. VII. anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimo Nono, Regni verò noſtri anno ſexto, Amen.

CCXXIX.

Nicolaus III. P. R. bona quæcunque illicito modo a Monaſterio Deggingenſi alienata, eidem reſtituí iubet.

1279. *Ex Autogr. Digging.*

NIcolaus Epiſcopus, Servus Servorum DEI, Dilecto Filio - - Decano Eccleſiæ Sancti Mauritii *Auguſtenſis* ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad audientiam noſtram pervenit, quòd tam dilecti Filii - - Abbas & Conventus Monaſterii *de Deggingen* Ord. S. Bened., *Auguſtenſis*, Diœceſis, quàm Prædeceſſores eorum, decimas, terras, poſſeſſiones, domos, caſas, prata, nemora, molendina, iura, iuriſdictiones & quædam alia bona ad Monaſterium ipſum ſpectantia, datis ſuper hoc litteris, interpoſitis iuramentis, factis renuntiationibus & pœnis adiectis in gravem eiuſdem Monaſterii læſionem nonnullis Clericis & laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibuſdam verò ad non modicum tempus, & aliis perpetuò ad firmam vel ſub cenſu annuo conceſſerunt, quorum aliqui ſuper his confirmationis litteris in forma communi a Sede Apoſtolica impetrâſſe dicuntur.

Quia verò noſtra intereſt ſuper hoc de opportuno remedio providere, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ipſius Monaſterii per conceſſiones huiuſmodi alienata inveneris illicitè vel diſtracta, non obſtantibus litteris, pœnis, iuramentis, renuntiationibus & confirmationibus ſupradictis, ad ius & proprietatem eiuſdem Monaſterii legitime revocare procures, contradicentes per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere.

Datum *Romæ* apud Sanctum Petrum XII. Kal. Febr. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

CCXXX.

Rudolfus I. confirmat permutationem Nemoris propè Perſenbeug cum cenſibus urbis Crembſenſis, factam inter Ottocharum Regem Bohemiæ & Monaſterium Priflingenſe.

RUdolfus DEI gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, univerſis Imperii Romani fidelibus, præſentes litteras inſpecturis, gratiam ſuam & omne bonum. Quæ ad utilitatem fiunt Imperii, meritò recipimus, etiam per quem-

1280. *Ex Cod. Admont.*

cun-

Digitized by Google

cunque & nomine cuiuſcunque ſint acta. Noverint igitur tam præſentes quàm poſteri, quòd, cùm claræ memoriæ *Otachrus*, quondam *Bohemiæ* Rex illuſtris, cum Religioſis viris Abbate & Conventu ſancti Georii in *Prufeningen* Ord. S. Ben. *Ratiſponenſis* Dioeceſis permutationem quandam celebraverit dando eiſdem Abbati & Conventui omnes cenſus circa *Chremſam*, qui vulgariter *Purchrecht* dicuntur, pro omnibus poſſeſſionibus, bonis & iuribus & nemore, quæ habebant apud *Perſenbeugo*, Nos, quia in permutatione prædicta negotium noſtrum & Imperii utiliter geſtum eſſe cognovimus, eandem ratam habentes & gratam ipſam præſentibus confirmamus, prohibentes diſtrictiùs univerſis, iudicibus, rectoribus ſeu Præfectis, qui *Chremſæ* pro tempore fuerint, & aliis cuiuſcunque conditionis & ſtatus fuerint, ne prædictos Abbatem & eius Conventum vel Procuratorem eorum in dictis cenſibus, quos eoſdem ex permutatione prædicta perpetuò poſſidere volumus, audeant aliqualiter perturbare, quod qui fecerit, gravem indignationem noſtram ſe noverit incidiſſe. Teſtes huius ſunt Ven. *H. Baſilienſis* Epiſcopus, & Illuſtris *L.* Comes Palatinus *Rheni*, alii quoque quàm plures. In quorum teſtimonium ſæpe dictis Abbati & Conventui præſentes litteras Maieſtatis noſtræ ſigillo tradimus communitas.

Actum anno Domini MCCLXXX. Duodec. Kal. Octob. Datum in caſtris apud *Brunnam* per manum Magiſtri *Gotfridi* Protonotarii, noſtri regni anno ſeptimo.

CCXXXI.

Vlricus Abbas Prunnveuingenſis vendit Curiam in Cremſa Henrico Abbati Admontenſi.

indict. NOs *Ulricus* DEI gratia Abbas & Conventus Monaſterii Sancti Georii in *Prueveninningen* Ord. S. Ben. *Ratiſponenſis* Dioeceſis tenore præſentium profitemur, & conſtare volumus earum inſpectoribus univerſis, tam præſentibus quàm futuris, quòd, cùm Monaſterium noſtrum tum propter ſolutionem Decimæ in terræ Sanctæ ſubſidium à Generali Concilio deputatæ, tum etiam propter diuturnam continuatam temporis malitiam, quæ ex annorum ſterilitate ac aliis evidentibus incommodis, noſtris temporibus ingruebat, gravibus & importabilibus eſſet debitis oneratum, & per diſtractionem bonorum mobilium omnibus expoſitis de ipſis ſatisfacere nequiremus: ideo cùm debitorum huiuſmodi cumulum non poſſemus per modum alium commodiorem excutere vel exire, nos in Conventu noſtro ſolemni tractatu habito & communi expreſſo quoque conſenſu Ordinarii loci noſtri, Venerabilis Domini & Patris in Chriſto *Hainrici, Ratiſponenſis* Epiſcopi, neceſſitatis huius plenè conſcii accedente curiam Monaſterii noſtri apud *Auſtriæ* civitatem *Chremſam*, in Dioeceſi *Patavienſi* ſitam, quam ex donatione Nobilis quondam *Friderici* Purkravii *Ratisponenſis* Monaſterium noſtrum longo iam tempore tenuit & poſſedit pacificè & quietè, cum omnibus bonis & poſſeſſionibus noſtris, ubicunque per *Auſtriam* poſitis, quæ omnes dictæ curiæ attinuerunt & attinent, ſecundùm quod hìc in ſubſcriptis per loca ſua & nomina exprimuntur inferiùs, agris videlicet & vineis, villis, domibus, paſcuis, pratis, areis, ſylvis, cultis & incultis, viis & inviis, quæſitis & quærendis, habitis & habendis, omnia & integra, cum omnibus ſuis iuribus atque rebus, cùm eadem bona inter alias poſſeſſiones noſtri Monaſterii tam propter locorum diſtantiam, quàm propter alias cauſas evidentes, minùs nobis utilia non irrationabiliter cenſeremus, ita ut per ipſorum alienationem noſtrum Monaſterium enormiter non lædatur, Venerabilibus in Chriſto fratribus, Domino *Heinrico* Abbati & Conventui Monaſterii *Admontenſis*, noſtri Ordinis ac *Salzburgenſis* Dioeceſis pro CC & LX. marcis legalis & puri argenti *Wiennenſis* ponderis, taxatione præhabita diligenti adæſtimatione iuſti pretii, fraude, dolo & negligentia ex omni parte ceſſantibus, vendimus, & per nos venditas legitimè proteſtamur, tradimus & donamus ex nunc perpetuò poſſidendas, renuntiatis ex nunc & reſignatis ad manus dictorum Abbatis & Conventus omnibus privilegiis vel inſtrumentis ſuper dictarum poſſeſſionum donatione, proprietate, poſſeſſione vel confirmatione apud nos habitis & inventis, vel deinceps ubicunque inveniendis: dictique pretii ſummam nobis confitemur totam & integram ac utiliter eſſe ſolutam per eoſdem, & in debitam

Digitized by Google

debitam atque claram utilitatem Monasterii nostri esse conversam legitimè atque ritè.

Prædictæ verò curiæ attinentia in possessionibus seu iuribus ubicunque in terra *Austriæ* per loca sua & nomina ita specialiter exprimuntur. Primò quidem in *Chremsa* circa ipsam curiam tria quartalia unius iugeris vinearum & magnum pomerium cum horto, & in fluvio *Danubio* tres insulæ cum omnibus iuribus suis, & ibidem propè de hortis, areis, vineis, agris & domibus illius iuris & census, quod vulgariter apud nos *Purchrecht* dicitur, VII. solid. & XII. denar. Item in *Chremsa* omnes census de Purchreĉt nuper nobis traditi atque dati per Serenissimum Dominum *Rudolfum* Regem Romanorum in permutatione de magno nemore apud *Peusenpeug*, * quod ex donatione prædicti Nobilis *Friderici* Purkravii *Ratisponensis* nostrum Monasterium tenuerat hactenus & possederat pleno iure. Item prope circa *Chremsam* in villa *Gernstorf* sex iugera vinearum. Et super *Chobolts* ibidem tredecim iugera agrorum, quæ de curia ipsa in *Chremsa* coli hactenus sunt consueta, & in - - - - - - *cætera desiderantur.*

* *al.* Pessenbeug. *Castrum ad Dannubium è regione Oppidi Ipsensis.*

CCXXXII.

Rudolfus I. Romanorum Rex Monasterio Beatæ Mariæ Virginis ad Scotos Viennæ, in quarundam Decimarum & Capellæ S. Crucis in Tulna compensationem confert ius Patronatus Ecclesiæ in Gaunenstorff.

1280. *Ex autograph. P. H.*

RUdolfus DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus, Vniversis Sacri Romani Imperii fidelibus præsentes litteras inspecturis gratiam suam & omne bonum. Cùm ratione plasmationis & redemptionis ministerio per Mundi climata vigeat *JESUSCHRISTUS*, a quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia potentialiter prædicantur, a quo omnis potestas progreditur, & in quo vivimus, movemur & sumus: non indignè suos ministros, qui cottidie cœlestia contemplantur, foveri, & clementer respici a cunctis Principibus, per quos orbis regitur, iudicamus.

Sanè cum Venerabili Abbati Ecclesiæ Sanctæ Mariæ *Scotorum Viennæ*, & Fratribus ibidem militantibus summo Patri a piæ recordationis Principibus terræ Austriæ illa gratia sit concessa, & a nobis postmodum confirmata, quod de omnibus victualibus, quæ ad coquinam Principis deducuntur per totam *Austriam* ipsis debeat decima elargiri: Licèt eisdem quandoque eadem gratia non fuerit observata, Nos devotionem - - Abbatis & Conventus Ecclesiæ memoratæ, internæ pietatis oculis intuentes, ob animæ nostræ & Prædecessorum, ac Successorum nostrorum salutem & memoriam sempiternam, nec non ob relevationem defectuum Ecclesiæ sæpè dictæ ipsis Jus patronatûs Ecclesiæ in *Gaunenstorf*, cum omni Jure, quod nobis in eadem Ecclesia competit, pro memorata decima, nec non in recompensam capellæ *Sanctæ Crucis in Tulna*, quam iidem Abbas & Conventus pro locandis ibidem Monialibus ad laudem divini nominis ampliandam, nobis liberaliter contulerunt, duximus conferendum, ita quòd post mortem vel resignationem liberam honesti viri *Chunradi* Rectoris Ecclesiæ memoratæ, ipsa Ecclesia, quantum ex collatione nostra esse poterit, mensæ Fratrum perpetuo debeat deservire. In cuius rei testimonium præsens scriptum Maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri.

Datum *Viennæ* VIII. Idus Junii. Indict. VIII. Anno Domini M.CC.LXXX. Regni verò nostri anno septimo.

CCXXXIII.

Compositio litis de certa mensura avenæ, vulgò Vogthabern, in Tattendorff inter Paboném Præpositum Claustroneoburgensem & Chunradum de Arnstain.

EGo *Chunradus*, dictus de *Arnstain* omnibus hanc litteram inspicientibus, cupio fore notum, quòd, dum inter me & parentelam meam ex una parte, & Ecclesiam *Neumburgensem* ex altera, super quodam iure, quod nobis videbatur contingere ab antiquo, in villa, quæ *Tetendorf* dicitur, unde aliqualem mensuram avenæ, quod *Voitfueter* dicitur, habere debebamus, quod prædictæ Ecclesiæ Præpositi denegabant, quæstio verteretur talis inter me & memoratæ Ecclesiæ Præpositum *Paboném*, discretorum virorum consilio mediante compositio inter-

1280. *Ex autograph. P. H.*

Digitized by Google

intervenit, quòd videlicet idem Præpositus mihi daret XII. solidos denariorum *Wiennensium*, quos etiam me confiteor recepisse, ut a iure, quod mihi competere videbatur, omnino desisterem, & contra quoslibet hanc compositionem impugnantes, sive essent de parentela mea, sive extranei, memoratam Ecclesiam deberem defensare, pro quo eidem Ecclesiæ obligavi quandam decimam in *Salmansdorf*, quam uxor mea Domina *Elizabeth* a sæpe dicta Ecclesia tenet pro beneficio personali, & hoc voluntate dictæ Dominæ accedente. In cuius rei testimonium meo sigillo præsentem feci literam sigillari.

Testes sunt Domini *Ditricus de Calvo Monte*, *Chunradus* frater eiusdem **Vlrici* ante Ecclesiam, *Fridericus Hutstoch*, *Cholo* Officialis. Milites: *Wernhardus Schifer*. *Rardlo* Officialis in *Tetendorf*, *Chunradus Cholbech*. *Ditricus de Rorbach*, & quàm plurimi fide digni.

Actum anno Domini M. CC. LXXX. quinto Kal. Martii.

CCXXXIV.

Epitaphia Alberti Magni Episcopi Ratisbon.

1.

1280. *Ex Cod. Tegernf.*

Phœnix Doctorum, paris expers Philosophorum,
Princeps verborum, vas fundens dogma sacrorum
Hic iacet *Albertus*, præclarus in Orbe desertus,
* *f.* disertus.
Præ cunctis certus, assertor in arte repertus,
Maior *Platone*, vix inferior *Salomone*.
Quem tu Christe bone Doctorum iunge coronæ.
Annis bis denis minùs actis mille tricentis
Christi nascentis de corporeis exit habenis:
Quinta post Festum Martini luce molestum
Omne petendo Deum transivit agens Jubilæum.
Qui legit hos versus, mox ad tumulum conversus
Inclinatus dicat orationem cum *requiescat*.

R. P. Pezii Thes. Anecd. Nov. T. V. P. II.

2.

Phœnix Doctorum paris expers Philosophorum,
Flos *Almanorum*, Decus Fratrum *Prædicatorum*,
Hac æde Albertus est ortus præclarus, disertus,
Sophia refertus præ cunctis in Orbe repertus,
Multùm expertus, in omni scibili certus,
De *Lauing* natus regnat super astra beatus.

CCXXXV.

Albertus Junior de Sancta Petronella Monasterio S. Crucis donat aream quandam in Cœmeterio Ecclesiæ suæ in Gundramstorff.

EGo *Albertus* Junior de *Sancta Petronella*, Plebanus in *Gundramstorff*, tenore præsentium universis Xpi fidelibus notum esse cupio, quòd, cùm curam regendæ Ecclesiæ in *Gundramstorff* ri è ac legitimè suscepissem, accedentes ad me Fratres Monasterii *Sanctæ Crucis* suppliciter rogaverunt, ut aream in Cœmeterio eiusdem Ecclesiæ meæ, quam eis donaverat bonæ memoriæ *Hertnidus de Liechtenstain*, Patrui mei filius, ad fundandum & constituendum super eam ædificium pro munimine & conservatione rerum suarum tempore belli, quod & factum est, ipsam eis æquè donarem de mea gratia, & servandam atque retinendam in perpetuum confirmarem. Sciens itaque non parvæ retributionis esse, à DEO bonorum omnium largitore, quidquid boni propter nomen suum servis suis devotè impenditur, prædictorum Fratrum *Sanctæ Crucis* petitioni annuens, memoratam aream cum ædificio, desuper iam constructo, liberaliter eis dono & æternaliter confirmo, cum bona voluntate & assensu pii Patris mei Domini *Alberti* Senioris de *Sancta Petronella*, nec non & Fratrum germanorum meorum *Petri* & *Hugonis*, qui simul meum prædictis Fratribus de *Sancta Cruce* aream eandem & structuram eius ab omni cavillatione seu invidia hominum impiorum semper & fideliter tuebuntur. Et quia iuxta eandem aream constructam in anteriori

1282. *Ex Autogr.* P. H.

riori parte parvus quidam locus vacuus eſt, hunc ipſum etiam liberum eſſe volo fratribus ſupradictis, firmiter inhibendo, ne ad incommodum eorum ſuper illum quiſquam habitare vel ædificare quid audeat vel præſumat. In huius ergo donationis & gratiæ perpetuam firmitatem præſentem literam Monaſterio *Sanctæ Crucis* do, ſigillo Domini *Alberti de Sancta Petronella* Chariſſimi Patris mei, atque ſigillo meo proprio roboratam.

Datum Anno Domini M. CC. LXXXII.

CCXXXVI.

Henricus, Chunradus & Siboto, Nobiles fratres de Pottendorff pratum Cherſin conferunt Monaſterio S. Crucis.

1283. *Exantbent. P. H.*

NOs *Henricus, Chunradus & Siboto* Fratres dicti *de Pottendorff*, ad univerſorum notitiam volumus tenore præſentium pervenire, quòd mediante bonæ voluntatis arbitrio, ac ſana deliberatione præhabita, quoddam pratum, nominatum vulgariter *Cherſin*, quod nos attingebat hactenus pleno iure, Conventui ad Cœnobium *Sanctæ Crucis* Ordinis Griſeorum, in remedium animarum Progenitorum Noſtrorum, & in ſalutem animarum Noſtrarum purè propter Dominum arrogavimus perpetuò poſſidendum. In cuius rei teſtimonium præſentes dedimus litteras noſtrorum ſigillorum robore confirmatas.

Datum Anno Domini M. CC. LXXXIII.

CCXXXVII.

Ditmarus de Paumbgarten confert eidem Monaſterio duorum talentorum redditus in villa Niderleizz.

1284. *Ex autograph. P. H.*

EGo *Ditmarus*, dictus de *Paumbgarten* tenore præſentium profiteor univerſis, quòd de conſenſu filiorum meorum *Dietrici* & *Dietmari* pro remedio animæ meæ, Progenitorum, Succeſſorum meorum donavi & tradidi Monaſterio *Sanctæ Crucis*, Abbati & Fratribus ibidem DEO ſervientibus duorum talentorum redditus in villa, quæ dicitur *in Niderleizz*, ſuper manſo, qui dicitur *Walchuni*, & quadam area *Pertholdi*, ſecundùm quod ad me proprietatis titulo pertinebat, tradidi, inquam, iure perpetuo poſſidendos tali conditione annexa, quòd eorundem duorum talentorum LX. denar. ſingulis annis tempore vitæ meæ ex nunc prædicti Abbas & Fratres annis ſingulis recipere tenebuntur in poſſeſſionis & donationis meæ evidens argumentum. Poſt vitæ meæ deceſſum prædicti duorum talentorum redditus integraliter ex tunc & impoſterum Monaſterio perſolventur. Debent quoque prædicti Abbas & Conventus ex huius pacti debito, poſtquam ipſis mors noſtra fuerit nuntiata, per ſeipſos, & vecturam ſuam propriam, ubicunque infra terræ ipſius limites, inventus fuero, corpus meum recipere cum panno bono pro funeris opertura, & ſecundùm ſtatus mei decentiam honorémque Monaſterii in ſepulchris Patrum meorum honorificè ſepelire. In huius reiteſtimonium præſentem litteram fecimus noſtri ſigilli munimine communiri.

Teſtes autem ſunt hi: Dominus *Hainricus de Chuonring*, *Albertus de Clemens*, *Wychardus de Paumgarten*, *Jacobus Chaſtner*.

Acta ſunt hæc anno Domini M. CC. LXXXIIII. XV. Kalend. Novembris.

CCXXXVIII.

Vlricus de Megerſtorff tradit Monaſterio Clauſtroneoburgenſi duo beneficia & totidem curtes in Gundhartesdorff, idque ex legato uxoris ſuæ Dominæ Agnetis de Sachſengang.

1284. *Ex autograph. P. H.*

VNiverſis hanc litteram intuentibus Ego *Vlricus de Mergerſtorff* eſſe cupio manifeſtum, quòd poſt mortem meam duo beneficia, & duæ Curtes, iacentes in *Gunthartsdorff*, quæ ſolvunt annuatim in Feſto Beati Michaëlis XVIII. ſolidos denariorum, prout Dna *Agnes de Sachſengang* piæ memoriæ uxor mea in ſuo Teſtamento legaverat, *Liupoldo* fratre ſuo, & aliis heredibus conſentientibus, ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ in *Niumburch* ſine diminutione & contradictione qualibet devolventur.

Ut autem præmiſſa rata & inconvulſa permaneant in poſterum, præſentem litteram, tam ſigillo meo, quàm aliorum infra pendentium confirmavi.

Huius rei teſtes ſunt: Dominus *Heinricus de Liechtenſtein*, Dominus *Wernhardus de Ruſpach*, *Fridericus* filius

Digitized by Google

filius rædicti Domini de *Lichtenstain*. *Chunradus de Pilhidorf* *Otto* iuvenis *de Ruspach*. *Liutwinus de Ebgezzing*, & alii.

Datum Anno Domini Millesimo CC. LXIIII. In vigilia Philippi & Jacobi Apostolorum.

CCXXXIX.

Gerdrudis, relicta Domini Vlrici de Truna, curiam in Pessching legat Parthenoni S. Petri in Erlach.

1281. *Ex autograph. P. H.*

EGo *Gerdrudis*, relicta felicis memoriæ Domini *Vlrici de Truna*, scire cupio universos præsentem paginam inspecturos, quòd de consensu filiorum meorum, *Heinrici* videlicet & *Hertnidi*, curiam meam, in *Pessching* sitam, Ecclesiæ Sancti Petri in *Erlach* proprietatis legavi titulo, pro nostrarum remedio animarum. Vniversitas verò eiusdem Ecclesiæ devotionem meam considerans filiam meam in recompensationem dictæ curiæ, suo coadunavit collegio, sibi perpetuò commansuram. Et ne per Successores sive heredes meos seu filiorum meorum Ecclesia memorata super eadem curia calumniam inposterum patiatur, præsentem litteram scribi feci, & sigilli mei, nec non sigilli Domini *Chunradi de Capella* munimine roboravi testibus annotatis, qui sunt: Dominus *Vlricus de Capella de Altenhoven*, Dominus *Heinricus de Volchenstorf*, filius Domini *Ortolfi*, Dominus *Waltherus* Plebanus in *Erlach*, Dominus *Otto*, dictus *Vronfner*, *Wulfnigus de Erlach*, *Heinricus* de *Wuldensdorf*, *Heinricus*, *Vlricus* & *Chunradus*, dicti *Cæsares*, *Vlricus* & filius suus *Heinricus de Neinzing*, *Chunradus Cæsar de Heresing*, *Meinhardus de Chlingelbrun*, & plures alii, qui eidem facto interfuerunt, audiverunt pariter & viderunt.

Acta sunt hæc Anno Domini M. CC. LXXXV.

CCXL.

Offnia, relicta Domini Ottonis de Perchtoldstorff, resignat quasdam possessiones Monasterio S. Crucis.

1286. *Ex authent. P. H.*

EGo *Offnia*, relicta Domini *Ottonis* quondam *de Perchtoldstorff*, profiteor tenore præsentium Vniversis, quòd possessiones, prædicti mariti mei, sitas in - - - quas debui tenere ad tempora vitæ meæ, & quas tantummodo post mortem meam in extremis legavit Monasterio *Sanctæ Crucis*, ex nunc prout ex tunc resigno in manus Abbatis dicti Monasterii, scilicet Domini *Sighardi* & Conventûs eiusdem loci, cum omnibus ipsarum utilitatibus & proventibus &c.

Sciendum insuper, quòd eadem possessiones fuerunt Domini *Irenfridi de Hymberch*, qui eas Matri meæ dilectæ iusto donationis & proprietatis titulo tradidit, quæque eas tranquillo iure possedit, donec per antedictum Maritum meum ab ipsa fuerunt ritè ac legaliter pro centum libris Wiennensibus comparatæ. In cuius rei memoriam, cùm sigillum proprium non habeam, præsentem literam sigillis Domini *Ottonis de Liechtenstain* Camerarii *Styriæ*, & Domini *Chunradi de Potendorf* Fratris mei duxi fideliter roborandam.

Datum anno Domini M.CC.LXXXVI.

CCXLI.

Albertus, Dux Austriæ & Styriæ confirmat privilegia Monasterii S. Crucis, eáque novis adauget.

ALbertus DEI gratia Dux *Austriæ* & *Styriæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ* ac *Portus Naonis*, Vniversis tam præsentibus, quàm futuris, ad quos præsens scriptum pervenerit, in perpetuum. Cùm Illustrium Principum inclitæ recordationis Antecessorum nostrorum gesta piâ mente revolvimus, & prospicimus oculis considerationis internæ, ut eorum iustis * nostra coaptemus vestigia, in voto gerimus & desiderio ampliori, sperantes ex eo, quòd Ecclesias & personas Ecclesiasticas, divino cultui deputatas liberas atque ereptas à pressuris iniustis, maiori præ cæteris gratia confovemus, concessam nobis à Summo Rege regente & gubernante omnia, ampliari gratiam & salutem. Hinc est, quòd ad instar excellentium Prædecessorum nostrorum Ducum *Austriæ* & *Styriæ* Religiosos viros Abbatem & Conventum Monasterii *Sanctæ Crucis in Austria*, Cisterciensis Ordinis pluribus dotatos libertatibus, & honorum titulis insignitos, in amplexus

1286. *Ex authent. P. H.*

* *f.* iustis.

defensionis & gratiæ nostræ specialis duximus cum personis & rebus omnibus ipsius Monasterii assumendos, approbantes insuper & habentes ratas ac gratas omnes libertates & jura, quibus hucusque ex largitionibus & indultis Divorum Imperatorum & Regum Romanorum, nec non Antecessorum nostrorum Principum *Austriæ* & *Styriæ* idem Monasterium est gavisum, & easdem generaliter præsentium serie innovantes.

Videlicet quòd in omnibus possessionibus eorundem Abbatis & Conventus sibi Judicium quodcunque competat, causis mo..is duntaxat exceptis. Item si fur aut malefactor aliquis morti obnoxius in bonis ipsorum deprehensus fuerit, & detentus per officialem eorum assignandus sit cingulotenus Judici competenti. Item in causis civilibus dicti Abbatis & Conventus coram Nobis, & non Judicibus aliis respondere de justitia debita censentur astricti. Item Religiosis præfatis liceat & licebit duo talenta salis majoris ligaminis per alveos *Ænii* & *Danubii*, & res suas alias per Ducatus nostros & terras *Austriam* & *Styriam*, ac cætera nostra Dominia ducere sine telonio quolibet, & liberè sine Muta.

Item in quatuor curiis suis, scilicet *Viennæ*, in *Nova Civitate*, in *Pruk-ka*, & in *Marbekke* exemptionis & securitatis indulto fruantur, ita, quòd eædem Curie à violentia Judicum ipsarum Civitatum signantur eductæ, ad nullas teneantur Collectas, Contributiones, Dacias, sive Steuras, salvâ ipsis Abbati & Conventui nihilominus imposterùm libertate in *Viennæ* septuaginta duas Carratas vini, & in *Nova Civitate* quadraginta Carratas vini sine Steuræ & exactionis debito propinandi. Sicut eadem gratia freti sunt pretextu concessorum Principum ab antiquo usque ad hæc tempora annuatim.

Mandamus igitur universis ac singulis fidelibus nostris firmiter & districtè, ne dictum Monasterium vel personas DEO famulantes ibidem, una cum bonis ipsorum præsumant aliquatenus molestare, aut jura infringere vel concessas eisdem gratias, libertates quomodolibet violare. In cujus rei testimonium & perpetui roboris firmitatem præsentes litteras memoratis Abbati & Conventui sigillo nostro tradidimus communitas.

Testes autem omnium præmissorum sunt: Venerabilis *Wilhelmus* Abbas *Scotorum in Wienna*, *Vlricus* Nobilis de *Toeners*, *Otto de Haslouve*, *Hermannus de Wolfgerstorf*, *Fridericus* Dapifer *de Lengenbach*, *Leutoldus de Chunring* Pincerna, *Reinbertus* & *Chalhohus* fratres de *Eberstorf*, *Albertus Stuchs de Trautmanstorf*, *Vlricus de Cappelle*, & quàm plures alii fide digni.

Datum *Viennæ* per manus Magistri *Beutzonis* nostri Prothonotarii & Plebani in *Mistlbach*, Anno Domini Millesimo Ducentesimo, octogesimo sexto. VIII. Kalend. Januarii Indict. XV.

CCXLII.

Henricus Dux Bavariæ testatur se jus advocatitium in Monasterium Altahense cuidam Ek. ad quadriennium pro castro in Gebelchoven cessisse.

Ctc. 1285. *Ex Cod. Altahe Super.*

NOs *Heinricus* DEI gratia Comes Palatinus *Reni*, Dux *Bavvariæ* præsentibus profitemur, quòd, cùm pro omni jure advocatali hominum & prædiorum Ecclesiæ *Altahensis* consueverimus recipere annis singulis centum libras denariorum *Ratisbon.* & his receptis quolibet anno sine ampliori exactione teneamur dictam (Ecclesiam) in prædiis & hominibus defensare, ipsam etiam à quibuslibet impignorationibus indemnem nihilominus conservando: ecce fideli nostro *Ek.* quondam *Ruperti de Haidavve* filio, ac pueris eiusdem assignationem & traditionem dicti juris advocatitii recognoscimus nos fecisse, ita quòd anno Domini 1285. in festo B. Martini tunc incipiente prædicti Monasterii Abbas & Conventus CCCC. libras denariorum *Ratisbonensium* per quatuor annos tunc currentes continuè nostro nomine solvere tenebuntur, pro qua pecuniæ quantitate castrum nostrum in *Gebelchoven* cum omnibus suis attinentiis recuperavimus ab eodem. Sanè si ex grandine, gverra, vel ex causis aliis Ecclesia *Altahensis* ad inopiam venire cœperit, nos secundùm qualitatem defectus eidem Ecclesiæ in prænominato jure gratiam faciemus, nec ad aliquod obstagium pro eisdem denariis se prædicta Ecclesia subjugabit, si forsitan

in

Digitized by Goo

in ſolutione tardaverit: ſed datis ſuper hac cauſa fidejuſſoribus inſtrumentis noſtris ſtabitur in hac parte. Et quia in decurſu ſolutionis præfatæ, quæ nobis taliter exhibetur, advocatale jus tam pro hominibus quàm pro prædiis ipſius Eccleſiæ recepimus, ac per quadriennium ſupra dictam ipſam *Altahenſem* Eccleſiam medio tempore ſine poſtulatione ſeu exactione quarumlibet ſteurarum & præſtatione tenebimur defendere ac tueri, & ab inpignorationibus & captivitatibus homines & ſervitores ejusdem omnimodis conſervare. In cuius rei &c. Datum...

CCXLIII.

**Rubrica in Cod. hac eſt: Alyron Legatus Abbati Poponi pro decima. Indid.*

**Alyroni Legati Apoſtolici Epiſtola ad Popponem Abbatem Altahenſem, cui ob ſolutas decimas &c. omnem apud Sedem Apoſt. operam ſpondet.*

CUm dignum ſit, ut benè meriti virtutum ſuarum præmia conſequantur, ſic ut eorum commendatio eis fructificet in gaudium, & aliis in exemplum: nos veſtram diligentiam, qua Sedem Apoſtolicam ſincerè proſequimini, ſicut oculis experientiæ perſpeximus, in Domino commendantes pro certo confitemur, aſſerimus, eidémque Sedi cum pleno favore recitabimus, quòd inter ipſius devotos vos in omnibus ſuis utilitatibus extitiſtis devotior, imò inter cæteros devotiſſimos filios veſtra mereatur providentia numerari. Et favente Deo ſic ſupra ſcripta Sedes vos brachiis gratiæ ſuæ gratioſiùs amplexabitur, quod veſtræ Eccleſiæ & perſonæ proficiet ad honorem. Ad quod nos, quibus fidelis & prudens fuiſtis in ſuo miniſterio comminiſter, opem & operam adhibebimus procedentem ex viſceribus charitatis.

CCXLIV.

Honorius IV. P. M. uſurarios in Monaſterium Deggingenſe graſſantes jubet compeſci.

1286. *Ex Archiv. Degging.*

HOnorius Epiſcopus Servus Servorum DEI dilecto Filio . . Theſaurario Eccleſiæ de *Futhvvinch* ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Conqueſti ſunt nobis . . Abbas & Conventus Monaſterii S. Martini in *Theggingen*, quod *Rudolphus* & *Eberhardus*, dicti *Hervich* laici *Auguſtenſis* Diœceſis multa extorſerunt, & adhuc extorquere nituntur ab eis per uſurariam pravitatem. Ideoque Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, dictos uſurarios, ut ſua ſorte contenti ſic extorta reſtituant conquerentibus, & ab uſurarum exactione deſiſtant per pœnam in *Lateranenſi* Concilio contra uſurarios edictam appellatione remota compellas. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio vel timore ſubtraxerint, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione ceſſante compellas veritati teſtimonium perhibere.

Datum *Romæ* apud S. Sabinam Kal. Nov. Pontificatus noſtri anno primo.

CCXLV.

Rudolphi Archiepiſcopi Salzburgenſis Epiſtola Encyclica, qua Suffraganeos ſuos ad celebrandum Concilium Provinciale &c. convocat.

IN hoc votorum noſtrorum verſatur intentio affectiva, ut vinea Domini Sabbaoth, quatenus vigiliis & gubernaculis noſtris a ſuperna & Apoſtolica diſpenſatione eſt credita & decreta, vitiorum ſentibus purgata, & virtutum palmitibus implantata in glorioſi conditoris ſui facie & in conſpectu cæleſtis Agricolæ florens appareat glorioſa. Sanè dum infirmitatis noſtræ vires ad executionem tam alti operis præmetimur, id quod in hac parte mentis & meditationis noſtræ præſumit affectio, recuſant humeri, non audent movere digiti, manus aggredi contremiſcunt ſine illorum conſilio & aſſenſu, qui ad culturam præfatæ vineæ nobiſcum in partem ſollicitudinis ſunt vocati. Ea propter operæ pretium nobis eſt, ut provinciale Concilium diu ante nos omiſſum, & a nobis a creationis noſtræ tempore intentatum juxta venerabilis capituli noſtri conſenſum & monita congregare, in quo in digito DEI ejectis dæmoniis, & ope ſummi opificis vulpeculis demolientibus vineam effugatis de venerabilium Suffraganeorum & aliorum Prælatorum noſtræ Provinciæ induſtrioſa providentia eradicemus morbida, conſolidemus infirma, redintegremus deperdita, & commen-

1287. *Ex Cod. Altah. Super.*

demus pro meritis ſpecioſa : & ſpecialiter ſuper reformatione morum, qui tam in Clero, quàm in populo *Salzpurgenſis* Provinciæ propter facilitatem veniæ & correctionis diſſuetudinem ſunt damnabiliter deformati, de veſtro & aliorum Patrum & fratrum in eodem Concilio aggregandorum exquiſito fideli conſilio aliquod ſalubre remedium pariter cogitemus, & Eccleſiarum neceſſitudinibus, quantum ſuperabundans DEI bonitas miniſtraverit, quod ſingulariter non poſſumus, univerſaliter conſulamus.

In quo etiam Concilio corpus felicis recordationis Domini *Eberhardi* Archiepiſcopi, venerabilis Prædeceſſoris noſtri tradere, qua uſque nunc cum tædio ac ſtupore animi noſtri caruit, intendimus Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Signum enim in nobis eſſet dedecoris, ſi venerabile corpus illius, qui tot honorum inſignis *Salzpurgenſem* Eccleſiam inſignivit, ſinamus ulteriùs jacere extra corpus Eccleſiæ noſtræ, quaſi non fuerit digna memoria inhumatum.

In quo inſuperConcilio (imò quod ad ipſius celebrationem inſtantis Concilii jam quaſi per ſexennium dilati non mediocriter nos admonuit noſtrúmque animum excitavit) proponimus de pleno fratrum conſilio diem deſiderabilem & omnibus acceptabilem auctore Domino publicare, in quo venerandas reliquias Sanctiſſimi corporis Sancti *Virgilii* Confeſſoris atque Pontificis, ſecundi Patroni Sanctæ *Salzburgenſis* Metropolis, cui licèt inſufficientibus meritis ſola DEI miſericordia præſidemus, de humilitate loci, ubi diu requievit hactenus, in altari decentiori venerationi ſuæ in Eccleſia noſtra majori fundatum & ditatum à priſcis temporibus, ſollemnitate devota & devotione ſollemni, DEO nobis propitio & orationum Sanctæ Matris Eccleſiæ fulcienti ſuffragio diſponimus transferendum. Non careret equidem indevotionis ignavia, ſi os ſibi electi DEI confeſſoris glorioſi & benedicti in ſecula, jamdiu canonizati, & inter Sanctos in Sanctorum catalogo jam adſcripti, de communi noſtra diſſimulatione ulcta ſatiſcat in terræ pulvere, cujus ſpiritum ante DEUM in ſuperno Divorum agmine non ambigimus exultare. Quem enim tam longè tam lateque miraculorum celebri claritate Divina magnificavit dignatio, hunc revera prompto affectu humana deber devotio honorare.

Verùm quia ſine deſideranda veſtra præſentia non ſperamus per effectum commodè poſſe fieri compotes tanti voti, ideo Paterniratem veſtram requirimus & monemus, vobiſque in virtute ſanctæ obedientiæ injungimus per præſentes, quin imò ſalva pulchritudine veſtræ Reverentiæ ſub pœna excommunicationis, quam ex tunc prout ex nunc in vos ferimus in his ſcriptis, ſi mandati noſtri inventi fueritis contemptores, firmiter præcipiendo mandamus, quatenus ſimul cum omnibus Abbatibus, Præpoſitis, Archidiaconis, aliiſque Prælatis noſtræ Civitatis & Diœceſis, veſtræ juriſdictioni ſubjectis, qui Canonica impeditione non fuerint præpediti, vobiſcum ſub ſimili auctoritate veſtra ordinaria ſpecialis mandati diſtrictione vocandis, adducendis in Nonas Novembris, id eſt : quinto die poſt inſtans Feſtum omnium Sanctorum *Salzpurgæ* in memorato Concilio veſtram curetis præſentiam procul dubio exhibere, ut veſtrorum aliorumque ſuffragante conſilio, quæ præmiſimus, proſequamur utiliter, & proſequente nos DEI gratia ſalubriter exequamur.

CCXLVI.

Bernardi Ep. Patavienſ. Epiſtolæ.

I.

Encyclica ad ſuos, quos ad translationem Corporum SS. Maximiliani & Valentini invitat.

1289. *Indict.* ELectos ſuos ita Dominus in patria mirificat, ut juſtorum animæ in manu DEI foveantur, ibi viventes, ubi æterna vita in ſuo fonte bibitur, ibi gaudentes, ubi gaudium amaritudine non reſpergitur : ibi quieſcentes, ubi pax contrarietatis obſtaculo non turbatur. Repletur ibi in bonis deſiderium eorum : Divina Majeſtas illos de torrente ſuæ voluptatis inebriat, & ut breviter concludamus, illic ſemper & in omnibus

Digitized by Google

omnibus optimè in optimo ſe habebunt. Venerandas etiam electorum reliquias in Mundo gloria & honore coronat, dum in terrenis collocata cuilibet oſſa eorum de loco pullulant, ſic ut incinerati per carnis materiam vivant, & vivificent per ſingulorum potentiam membra in ſe arida, vigorem virtutis ægris infundant, ipſique Sancti carne ſoluti ad vitam carnis & ſpiritus plerumque reſuſcitant jam defunctos.

Sic Divina clementia civitatem ſupernam numero & merito beatorum ædificat, hac viſitatione peregrinantis adhuc Eccleſiæ fidem illuminat, ſpe elevat, charitatem inflammat, dum tam apertè ei demonſtrat immortalitatis teſtimonia, dum promiſſæ hæreditatis tam chara DEO pignora in ſinu noſtro repoſita retinemus. Et licèt pius Dominus Eccleſiam ſuam per Orbem diffuſam generaliter hac conſolatione fœcundet locis ſingulis ſingulos donando Patronos, felicem tamen ſemperque beatificandam *Pataviam* præcellentis prærogativæ titulis inſignivit, dum ei prima roſa cæli, primus & præcipuus teſtis DEI, primus & ſtrenuus ſignifer martyrii, ſcilicet beatus Stephanus Protomartyr Rex à DEO conſtituitur & Patronus.

Huicque flori roſeo in augmentum pulchritudinis & decoris integra beatorum *Valentini* & *Maximiliani* corpora velut nivei candoris lilia ſociantur. Quæ memorata & meritò veneranda *Patavienſis* civitas in Eccleſia cathedrali velut in ſinu intimo tanquam in maternæ conſervationis geſtans utero ſalutari, ſperans, quòd & ipſi patres & paſtores benigniſſimi ſacrum illum locum tanquam peregrinationis ſuæ receptaculum, tanquam pauſationis propriæ cubiculum aſſidua oratione ſublevent, beata dexterarum benedictione conſignent, ac in præſenti ab omni inpugnatione hoſtili defendant: in futuro autem reſurgendo cum ipſis ſuos concives fideli comitatu producant repræſentantes eos cum fiducia vultui judicantis.

Verùm quia idem theſaurus amabilis fuit hactenus in loco & tumulo humili abſconditus, nos incongruum judicantes, ut in loco habitationis ſuæ habeantur inglorii, qui ſunt in regno gloriæ glorioſi, cùm magis conveniat, ut, ſicut in carne viventes Mundi erant luminaria poſita ſuper candelabrum ad lucendum domui Domini eam ingreſſuris, ſic adhuc intrantes eccleſiam ex collocatione decenti lumen in eis videant Sanctitatis, de conſilio Fratrum noſtrorum prænominatos Sanctos in die beati Stephani ad tumbam veneration i eorum magis congruam favente Domino tranſferemus, quatenus exaltetur in Eccleſia plebis ſuæ, & laudetur deinceps in cathedra ſeniorum.

Ideóque Fraternitatem veſtram hortamur in Domino & monemus, ut, cùm Divina dicat auctoritas: *qui honorat patrem, jocundabitur*, vos tam jocundæ tranſlationi in prædicto die ſollemnitatis & lætitiæ veſtram præſentiam offeratis viſitationi paternæ alacriter aludentes. Et cùm univerſitas Cleri ac populi Civitatis *Patavienſis* Diœceſis unum corpus & unum ovile meritò cenſeantur, expedit vos elevationi tantorum Pontificum reverenter occurrere, quatenus ipſi vos inter ſuas cuſtodiant, paſcant & foveant oviculas, ſi ſe ut paſtores à vobis viderint humiliter recogno-ſci. Plebes etiam vobis commiſſas efficacibus ad hoc monitis inducatis, quatenus in die tranſlationis ejuſdem eccleſiam noſtram cum vexillis viſitent cathedralem, benedictionem tranſferendorum Præſulum & noſtram cum larga multorum Epiſcoporum indulgentia recepturi, ſic facientes, ut de negligentia non poſſitis argui, ſed de diligentia mereamini commendari. Datum anno Domini MCCLXXXIX.

3.

Ad Parochos ſuæ Diœceſis ejuſdem argumenti.

DIgnum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, ut Eccleſia militans ſe, in quantum poteſt, triumphanti conformet. Unde in terris dignè digni habentur gloria & honore, quos Altiſſimus mirificavit in cœlis. Quare nos deſiderantes corpora beatiſſimorum Patronorum noſtrorum, quæ priùs in humili loco erant repoſita, nunc in loco magis idoneo collocare, celebraturi ſubſequenter reconciliationem pœnitentium ob reverentiam tranſlationis hujuſmodi noviter faciendæ, Fraternitatem veſtram hortamur in Domino & monemus, quatenus ob hanc

duplicem

duplicem cauſam plebes veſtras in tali die ad veniendum *Pataviam* inducatis, vóſque ipſi nihilominus tunc exiſtatis ibidem, quia tranſlationi eidem continuare noſtram Synodum cogitamus.

3.

Reſponſio ad præcedentem Epiſtolam.

IN veſtro felici pectore felix verſatur intentio, ut ſcilicet in Eccleſia fidelium excelſiùs exaltentur corpora Sanctæ *Patavienſis* Eccleſiæ, imò totius patriæ Patronorum, quatenus honoris amplitudinem conſequantur in terris, qui tanquam veri amici DEI nimis ſunt in cœleſtibus honorati. Unde ad tam feſtivam tranſlationem ac etiam reconciliationem pœnitentium plebes noſtras ſollerter induximus, & ſollertiùs inducemus, timentes tantùm, quòd acceſſui eorum obſiſtat inſtans meſſium collectio totius anni commoditatibus profutura. Cæterùm nos Clerici, qui cum Petro relictis omnibus ſequi debemus imperia Prælatorum, Capitulum per vos indictum reverenter, prout condecet, accedemus.

4.

Ad Heinricum Ducem Bavariæ de eodem.

CUm devotioni Catholicæ conſentaneum non exiſtat, ut Sancti apud homines habeantur inglorii, qui ſunt in regno gloriæ glorioſi, & ob hoc corpora beatorum Præſulum Valentini & Maximiliani tranſlata de loco humili collocare volumus, prout condecet in ſublimi: rogamus, quatenus tali die jocunditati translationis ejusdem veſtra dignetur Serenitas intereſſe.

5.

Reſponſum Heinrici ad priorem Bernardi Epiſtolam.

NIhil eſt, quod lumine clariori præfulgeat quàm recta fides in Principe, quemadmodum lex teſtatur, nosque credentes, quòd honor Sanctorum ſit rectæ fidei firmamentum, translationi beatorum Pontificum, de qua ſcripſiſtis nobis, devotè proponimus intereſſe, ſperantes illos oculos eſſe beatos, qui corpora illa corporali viſione videbunt, de quorum glorificatione futura non ambigitur, & quorum Spiritus jam in gloria vivere dinoſcuntur.

6.

Ad Papam, quem rogat, ut Capituli Salzburgenſis poſtulationem Stephani Ducis Bavariæ in Archiepiſcopum Salzburg. probet.

ANxiatæ quàm plurimùm & afflictæ Sanctæ *Salzpurgenſi* Eccleſiæ, marri noſtræ, novæ ſpei gaudium & lux conſolationis eluxit, dum Reverendo in Chriſto Patre & Domino *R.** quondam *Salzpurgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopo de hac luce ſubtracto, venerabile Capitulum ipſius Eccleſiæ concorditer convenit in perſonam Magnifici juvenis, Domini *Stephani*, illuſtris Palatini Comitis *Reni*, Ducis *Bavvariæ*, a veſtræ Sanctitatis gratia poſtulandum. Quare cum idem juvenis moribus transcendat illuſtrem ſui generis dignitatem, nec ſit ſpes, quod memorata Eccleſia per alium poſſit defendi a ſuis oppreſſoribus quàm per eum, Sanctitatem veſtram ſuppliciter & humiliter deprecamur in noſtram conſcientiam conſulentes, quatenus poſtulationem ipſam admittere dignemini propter Deum, deducentes ad finem optatum memorati Salzpurgenſis Capituli fundamentum: & ſicut ipſi reparationis Eccleſiaſticæ ſolidam inveniunt materiam, ſic veſtra Sanctitas eidem formam inducat & imprimat completivam, quatenus per ejusdem induſtriam Metropolis ſibi committenda in ſtatum antiquum refloreat, & Sedes Apoſtolica de relevatione tam ſollemnis & tam gratæ filiæ jocundetur.

*Rudolfo.

7.

Ad Conradum IV. Archiepiſc. Salzb. gratulatur ei Pontificatum, ſuámque de Eccleſia VVienenſi cauſam commendat.

SIcut is, a quo eſt Sacerdotalium gratia dignitatum, per ejus miniſterium, qui vices DEI gerit in terris, perſonam veſtram gratioſè vocavit ad Metropoliticæ Sedis honorem: ſic in regimine

Digitized by Google

regimine ipsius pia vobis consolatione clementer assistat, ut, qui est dator & auctor tanti muneris, sit etiam dispensationis adiutor, ipsaque Sedes Apostolica fovendo propriam creaturam operi manuum suarum porrigat dexteram sublevantem. Nos etiam dignitati vestræ in Domino congaudentes applaudimus, obedientiæ debitum, puritatem obsequii Paternitati vestræ sub ea serenitate, sub ea plenitudine offerentes, quatenus prompta voluntas justæ subjectionis jura transcendat, & affectuosa devotio ultra ipsum debitum protendatur, sperantes, quòd nos & Ecclesiam nostram, quæ prædictæ Sedi majori vicinitate præ cæteris conjungitur, speciali dignemini prosequi benevolentia & favore.

Petimus humiliter, quatenus in causa, vel potiùs injuria, quæ nobis super Ecclesia *Wiennensi* movetur, non sine maximis laboribus & expensis, necessitatibus nostris paternè faventes, si opus fuerit, perhibere velitis testimonium veritati. Vel si super receptione testium sit ad partes remissio facienda, hujusmodi onus suscipere dignemini propter Deum, cùm negari non possit, quin locus *Salzpurgensis* utrique parti sit accessibilis & securus, ingressui vestro celebre facientes initium, si per hanc providentiam Ecclesia suffraganea fuerit in suis turbationibus consolata.

8.

Idem dat Monasterio Altahensi jus percipiendi fructus beneficiorum quorundam ad triennium pro fabrica Ecclesiæ Altahensis.

* *Cod.* Werenh. NOs *Wernhardus* * DEI gratia Ecclesiæ *Patavienſis* Episcopus attendentes, quòd Monasterium *Altahense* nostræ Diœcesis tam præclara támque præcipua conversatione refulget, ut & præsentium visui radios exemplares infundat, & absentes per famæ redolentiam provocet ad virtutes, ipsumque dignum judicamus prosecutione gratiæ & favoris singularis. Quare cùm corpus ipsius Monasterii ex vetustate temporis & fragilitate operis se penè inclinaverit ad ruinam, sitque necesse, ut muris antiquis dirutis nova illic fabrica instauretur, nos in subsidium tam pii támque salubris operis hanc duximus gratiam faciendam, ut venerabilis Frater *Wernh.* Abbas dicti Monasterii fructus beneficiorum, in quibus per nostram Diœcesim memoratum Monasterium jus obtinet Patronatus, per triennium, postquam vacaverint, semel duntaxat percipiat, in subsidium dicti operis convertendos, proviso tamen, ut propter hæc eædem Ecclesiæ debitis non fraudentur obsequiis, & in eis animarum cura nullatenus negligatur, & hoc tam diu, donec idem Abbas de unaquaque prædictarum Ecclesiarum unum duntaxat triennium percipit, valituris, nisi priùs ex aliqua causa gratiam hujusmodi duxerimus revocandam. Super quo ipsi Monasterio præsens portigimus instrumentum nostro sigillo munitum.

9.

Actio gratiarum Altahensium pro indulto præcedenti favore.

QUia in reparatione fabricæ nostræ collapsæ vestra Paternitas pium posuit piæ subventionis & primarium fundamentum, sicut ex continentia Litterarum concedente nobis proventus beneficiorum vacantium, recepimus hilariter in spe fructus, in gratiarum vobis assurgimus actione, deprecantes una cum nostro Conventu, quatenus hanc gratiam benignitati vestræ recompensent merita Martyrum Thebeorum, quorum Ecclesia per hæc & alia subsidia reassumet decoram faciem juventutis.

10.

Ad Wolfgangum Monachum Altahensem, quo se carere non posse scribit.

NOn sine multa sollicitudine nostro deestis lateri per momentum, cùm opportunè, importunè casus difficiles ac juris nos occupent quæstiones. Et cùm translationem Sanctorum & reconciliationem pœnitentium nobis imminere sciatis, quorum utrumque diligenti convenit consilio prævideri, displicet nobis, quòd non statim cognito nostro adventu *Pataviam* descendistis.

11.

Reſponſio Wolfgangi ad præmiſſam Epiſtolam.

DEtinuit me per dies aliquot nepotum meorum *Pariſius* exulantium proviſio, pro quibus apud me locus exilii, favor ſtudii, & vis ſanguinis interpellant. Nunc autem moram purgaturus ad vos venio, permanſurus in curia pro veſtro beneplacito juſſionis.

12.

Idem Bernardus ad eundem Wolfgangum, ut quàm primùm Pataviam certa dubia deciſurus veniat.

SÆpe nos bene direxit in dubiis nectar veſtri conſilii ſalutaris. Sic & modò petimus, ut nos cureris accedere ſuper cauſis arduis conſulendus.

13.

Reſponſio Wolfgangi ad præcedentem Epiſtolam.

GRates vobis refero humiliter, quia conſilium meum tam ſonoro præconio adtollitis, libenter veſtris vocationibus obſecundans.

14.

Ad Epiſcopum Laventinum: ut ſibi in propugnanda cauſa Eccleſiæ Wiennenſis faveat.

TAlem ſe veſtra Paternitas exhibuit in exercitiis honeſtatis, ut amodo in via virtutum conſuetis paſſibus incedentes ab ejus rectitudine non erretis. Quomodo igitur altiſſimus, qui bonis laboribus fructum ſolet reddere congruentem, propter prærogativam præcedentium & decentiam meritorum Pontificali vos præmio decoravit, nos Dignitatis veſtræ primordiis applaudentes obſequium noſtrum vobis duximus amicabiliter offerendum, rogantes, ut ſecundùm ſolitam diſciplinæ veſtræ frequentiam nobis in lite mota ſuper Patronatu *Wiennenſis* Eccleſiæ curetis aſſiſtere vel in perhibendo teſtimonio veritati, vel ſi receptio teſtium fuerit in partibus committenda, diligentiam fideliter adhibendo, quatenus examinationis hujuſmodi negotium Reverendo in Chriſto Patri & Domino noſtro *Salzpurgenſi* Archiepiſcopo per Sedem Apoſtolicam committatur, in hoc DEO & beato Stephano Protomartyri devotionis exhibentes obſequium, nóſque ac *Patavienſe* Capitulum veſtris beneplacitis inſeparabiliter adjungentes, cùm perſona omni ſuſpicione careat, & locus *Salzpurgenſis* utrique ſit acceſſibilis & ſecurus.

15.

Ad Plebanum in Holabrun. Mandat & hortatur, ut debitum præbendæ ſtipendium Capitulo Patavienſi perſolvat.

CUm vos ex materno utero prodeuntem gremium Capituli *Patavienſis* exceperit, delicatè perſonam veſtram alens & refovens tanquam nutrix, vóſque ei vice verſa quandoque feceritis obſequia placitæ honeſtatis, miramur quòd horum immemor in injuriam ſic graviter exarſiſtis, quòd Eccleſiam, quæ vos aluit, alimento ſtipendii præbendalis privare perpetuò attentatis. Quare cùm veraciter nobis conſtet, quòd Capitulum ipſum poſt longam tolerantiam ſe parer ad repreſſionem veſtrorum conatuum cum rigore, conſulimus, quatenus ad ejus gratiam redeatis: quia durum eſt vobis contra ſtimulum calcitrare. Nos quoque non poſſumus ulteriùs clauſis oculis præterire, quòd veſtra temeritas ſpreto Eccleſiaſtico judicio recurrit indecenter ad brachium ſeculare.

16.

Reſponſio Plebani in Holabrun ad præcedentem Epiſtolam.

ABſit, ut reddendo mala pro bonis vitium incurram ingratitudinis, & efficiar propriæ fidei temerator. Sanè multas impendi vigilias, labores graves pertuli, quatenus *Patavienſe* Capitulum in utilitatibus Eccleſiæ *de Holenbrunne* jure perpetuo ſtabilirem. Sed ipſi fructus laboris ejuſdem deſiderabiliter conſecuti me penitus ab ea excludere tentârunt, aliàs me taliter opprimentes, quòd neceſſe habui recurrere ad Principem, qui meam ſimplicitatem attendens ab injuriantibus defenſaret.

17. *Ad*

Digitized by Google

17.

Ad N. N. Implorat eorum opem & ſtudium ad præmiſſam cauſam apud Auſtriæ Ducem defenſandam.

FAmiliaritas per vos jam pridem cum Eccleſia *Patavienſi* contracta vobis Eccleſiam & nos Eccleſiæ debet amicabili fœdere copulare, quatenus vos illius commoda benigno favore proſequamini, ac illa vobis teneatur ad amicitiam fructuoſam. Cùm igitur in poſſeſſionem rerum ac jurium de Parochia in *Holabrunne* de novo contra violentiam Domini *Friderici* Vicarii a Judicibus Sedis Apoſtolicæ ſimus inducti, rogamus, quatenus *Patavienſe* Capitulum contra memorati *Friderici* verſutias defendatis, qui, quantum in ipſo eſt, animum Clementiſſimi Principis contra nos ſimulata charitate inflammat, propriiſque lucris inhians adverſùs ſalutem Principis moliri nititur, tentans ei conſulere, ut paternam elemoſynam auferat & extinguat, quam tanquam generoſus filius fovere debuit & augere.

18.

Reſponſio ad præmiſſam Epiſtolam.

GRatiam *Patavienſium* quandoque receptam nunquam ulla oblivio ſuperducet. Sed quia non ſolùm Domini Ducis, verùm etiam Nobilium terræ impreſſum eſt mentibus, & auribus inculcatum, quòd jus Patronatus Eccleſiæ de *Holabrunne* ſpectet ad Principem, imò Principatui ſit annexum, vix aut unquam de illius manibus cujuſquam conſiliis extraheturr: quia dum miniſterialis quilibet ſperat ſuum filium vel neporem beneficium tantæ pinguedinis adipiſci, Domino meo ſuggerunt inceſſanter, quòd alienatio tantæ Eccleſiæ magna eſſet demembratio Principatus.

19.

Ad Abbatem Altahenſem, cui omnia ſuæ diœceſis Monaſteria viſitanda & reformanda committit.

NOn ſine jocundæ congratulationis ſeu congratulatione jocunditatis applauſu revocantes ad animum, quomodo fratres vobis ſubjecti primitivæ religionis imaginem converſationis ſuæ pulchritudine repræſentant, & Eccleſiæ regimini veſtro commiſſæ tanquam electæ vineæ Domini Sabbaoth regularis obſervantiæ ſpirantes odorem vinum ſpirituale germinant, pluunt & fluunt, corda bonorum lætificans, imò in quo DEUS & homines delectantur: Optamus cum multo deſiderio, quatenus hæc tam ſancta plantatio radices ſuas extendat, & palmites ejus diœceſis noſtræ terminos debeant operire. Cùm igitur nos Mundanorum negotiorum ſæpe impediamur tumultibus, ac etiam propter multitudinem evectualium frequenter ſupervenientium formidemus fieri Monaſteriis onerosi, attendentes, quòd tam ſpiritualibus quàm temporalibus negotiis Deo ſalubriùs intendere poſſimus, ſi noſtra cum fratribus onera dividamus Fraternitati veſtræ viſitationis officium, quoad omnia Monaſteria Ordinis Beati Benedicti duntaxat, Capituli noſtri accedente conſenſu duximus generaliter committendum. Et ne veſtra ſollicitudo impedimenti alicujus patiatur offendiculum, volumus in executione ipſius officii vos habere jurisdictionis tam plenariam poteſtatem, ut plantare valeatis & evellere, corrigenda corrigere, ac ſtatuere ſtatuenda, quæ videritis, in tantum, ut fratres unius loci ad alium, ubi magis ſint utiles, vobis transmittere liceat, ac Prælatos nihilominus, ſi culpæ vel negligentiæ qualitas exegerit, vel ad tempus, vel perpetuò ſecundùm datam vobis a DEO ſapientiam removere.

20.

Ad Generalem Ordinis Præmonſtr. de Monaſterio in Salg, vel Slag, quod diœceſi Patavienſi iterum uniendum eſſe contendit.

OLim ſancta *Patavienſis* Eccleſia * Monaſterium de *Salg.* in fundo proprietatis ſuæ plantari & de rebus ab ea titulo feodali dependentibus ſub eo modo ac tenore ditari conſenſit, ut Monaſterio *de Oſterhoven* jure filiationis cohærere deberet, quatenus utraque Eccleſia, mater ſcilicet & filia incluſæ limiti noſtræ diœceſis ipſam & oratione defenderent, & meritorum radiis corruſcantibus illuſtrarent. Verùm proceſſu temporis quidam *Henricus* Regularis diſciplinæ quærens ſubterfugia non ſolùm alterius Diœceſis, imò & alienæ gentis ac idiomatis Monaſterio illam impetravit eximi, horum omnium veritate ſuppreſſa, ſicut liquidè oſtenditur ex poſtfacto.

* *Apud Hund. Metr. Salisb. T. 3. Slag.*

Quare ſicut alias ſemel & iterum, ſic & nunc tertiò veſtræ Reverentiæ ſupplicamus, ut, quia ſecundùm Canones caput inſtitutionis debet adtendi, & evidenter appareat Generale Capitulum fuiſſe per dolum impetrantis in translatione huiuſmodi circumventum, vos memoratam domum in *Solg* ad primitivam ſubiectionem *Oſterhovenſis* Monaſterii reducatis, ſciturі, quòd quemadmodum decet nos, & piè intendimus, eandem noſtram plantulam & fovere præſidiis & beneficiis irrigare, ſi ad viridarium noſtræ Diœceſis fuerit reportata: ita, quod ſalva Reverentia veſtra ſcribimus, nullo modo patiemur, quòd contra modum in ipſa fundatione appoſitum honor noſter ad alios tranſeat, & res deſerviat alienis, domusque per nos & noſtros in noſtro ſolo plantata ad extraneos transferatur, immo eam noſtris uſibus curabimus applicare.

21.

Ad Epiſcopum Eyſtadienſem. Commendat ei Monachos Altahenſes, quos in Eccleſiam Ingolſtadienſem ius Patronatus habere aſſerit.

PErvenit ad nos, quòd ad præſens Monaſterio *Altahenſi* noſtræ Diœceſis lis moveatur iniuſtè ſuper præſentationis effectu, quem ex iure Patronatus in Eccleſia de *Ingolſtat* veſtræ Diœceſis habet & habere dignoſcitur ab antiquo. Cùm igitur locus ille & religione vigeat, & omni floreat honeſtate, & Venerabiles Viri Abbas & Fratres ibi Domino ſervientes ita ſint propriis facultatibus ac ſuo iure contenti, ut nullatenus appetant aliena, ſic in ſanctitate viventes, ut de eorum conſcientiis non oporteat dubitare: Paternitatem veſtram affectuosè rogamus, quatenus eos habere curetis in ſua iuſtitia commendatos, ſcituri, quòd in hoc rem DEO placitam facitis, & amicitiam nobis ſemper memorabilem oſtenderis, ſpecialem noſtrum Capellanum Magiſtrum *Wolfgangum*, qui curiam veſtram, ſicut credimus, pro illo accedet negotio, ad nos cum plenitudine gratiæ remittentes: quia propter ſua fidelia ſervitia nos in eius perſona reputabimus honorari. De præſentato autem ipſorum, videlicet Domino *Henrico* Sacerdote noveritis, quod, cùm ipſe in noſtra Diœceſi cuiuſdam ſatis honeſtæ Parochiæ diu rexerit Plebanatum, ſemper laudabilis teſtimonii extitit, & famam poſt ſe optimam dereliquit.

22.

Ad Wernhardum Abbatem Altahenſem. Rogat ut e ſuo Monaſterio ſibi virum ad moderandam iuventutem idoneum tranſmittat.

COrdi noſtro eſt, ut ætas lubrica noſtrorum iuvenum fræno diſciplinæ dometur, & nihilominus eruditorem habeant, apud quem quærant & inveniant ſcientiæ margaritas. Quare petimus nobis tranſmitti virum idoneum in præmiſſis, qui ſcilicet in moribus ſit compoſitus, & in ſcientia pro docendis Scholaribus expeditus.

23.

Reſponſum Wernhardi Abbatis.

PRo inſtructione veſtrorum iuvenum mittimus vobis Magiſtrum N.*, de cuius idoneitate quoad regiminis & Advocationis officium nullo modo dubitamus. Ipſe enim honeſtis actibus fructuoſa ſuperaddit exercitia ſtudiorum, diſciplinæ floribus ſic coniungendo ſcientiæ margaritas, ut utrumque in eius pectore præfulgeat eminenter.

* *haud dubiè.* Wolfgangum.

24.

Ad eundem Wernhardum Abbatem. Gratulatur ſibi de adepto Magiſtro VVolfgango.

FElicem nobis adſcribimus illum diem, in quo Magiſter N. noſter eſt familiaris effectus, qui nos conſolatur in ſolatiis, & in negotiis dirigit ſeriosis. Ipſe ſiquidem pandit iter conſilio, manna pluit eloquio, ferit ùt aries, patrocinio: & cùm ſit diſciplina floridus, acutus ſcientia, in ſermone venuſtus, quadam conformitate ductili, & ductilitate conformi cunctis amabilis eſt effectus, virtutibus ſic habilitans ſuum animum, ut concurrere in eo videatur larga confluentia gratiarum. Nos igitur ei libenter providebimus ſecundùm decentiam ſui ſtatus.

25. Re-

25.

Responsum VVernhardi ad præcedentem Epistolam.

GAudemus, quod in persona Magistri N. vobis benè complacuit, & in hoc congratulamur eidem, volentes Paternitati vestræ semper in desiderabilibus obedire.

26.

Idem VVernhardus Episcopus confirmat incorporationem Ecclesiæ in Pulka, factam a Guidone Cardinali & Rudigero, Episcopo Patavienſi, Monasterio Beatæ Mariæ Scotorum VViennæ.

1287. *Ex autograph. P. H.*

WErnhardus DEI gratia Ecclesiæ *Patavienſis* Episcopus omnibus in perpetuum. Etsi iuxta debitum officii nostri singulis nostre Diœcesis Ecclesiis paterna superintendere diligentia debeamus, & eorum necessitates misericorditer relevare; circa nonnullas tamen benevolentiam diffundimus ampliorem, quas ope nostra novimus amplius indigere, quorumque defectus exposcunt, ut eorum lapsui succurramus. Noverit igitur tam præsens ætas, quàm succeſſura posteritas quòd dilectus in Christo Abbas *VVilhalmus* Sanctæ Mariæ *Scotorum in VVienna* in nostra & Venerabilis Capituli nostri præsentia constitutus, nobis quasdam litteras bonæ memoriæ Prædecessoris nostri Domini *Rudigeri* quondam *Patavienſis* Episcopi exhibuit per omnia in hæc verba.

Rudigerus DEI gratia *Patavienſis* Episcopus, omnibus præsentia inspecturis salutem in omnium Salutari. Per præsens scriptum notum facimus &c. *

* *Vid. Supr. an.* 1247.

Item litteras felicis recordationis Domini *Gwidonis* tituli S. Laurentii Presbyteri Cardinalis, tunc Apostolicæ Sedis Legati similiter in hæc verba:

Frater *Gwido* miseratione divina tituli Sancti Laurentii Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, Religiosis Viris . - Abbati & Conventui Monasterii Sanctæ Mariæ *Scotorum in Wienna*, Ordinis S. Benedicti *Patavien.* Diœcesis salutem in Domino. Cùm a nobis petitur, quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per nostræ sollicitudinis studium ad debitum perducatur effectum. Sanè ex parte vestra nobis extitit intimatum, quòd bonæ memoriæ *Rudigerus* quondam Ecclesiæ *Patavienſis* Episcopus, ut Ecclesiam in *Pulka*, *Patav.* Diœc. in qua Jus Patronatus ad vos pertinet, licitè retinere possetis, ac liberè perpetuò possidere, cum omnibus redditibus, iuribus, & pertinentiis suis, vobis & Monasterio vestro per suas duxit patentes litteras concedendum. Quare supplicâstis humiliter, per nos concessionem huiusmodi confirmari. Nos igitur vestris precibus favorabiliter inclinati, concessionem ipsam auctoritate, qua fungimur, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, Vobis, ut eandem Ecclesiam per Religiosos seu seculares personas ad hoc idoneas, salvis Diœcesani & Archidiaconi, ac Legatorum Sedis Apostolicæ iuribus, officiare possitis, tenore præsentium concedentes. Datum Wiennæ XIIII. Kalend. Junii. Pontificatus Domini Clementis Papæ IIII. anno III.

Adtendentes igitur ex litteris suprædictis, & aliàs per documenta legitima informati, quòd prædictus Prædecessor noster fructus & proventus Ecclesiæ Parochialis in *Pulka*, quæ ad dictum Monasterium Patronatûs titulo pertinebat, ad mensam Abbatis & fratrum ibidem iure perpetuo dudum legitimè tradidit & donavit: videntes etiam idem Monasterium ad talem devenisse inopiam, ut etiam nostris temporibus dicta gratia & relevamine plus cœperit indigere, donationem prædictam de consensu Capituli nostri ratam tenentes & gratam, eam auctoritate præsentium innovamus, prædictos fructus & proventus ad mensam Abbatis & fratrum prædictorum iure perpetuo, quemadmodum in antea, concedendo. Prædictas etiam litteras Prædecessoris nostri supplendo taliter declaramus, & interpretamur: Abbas namque, qui pro tempore fuerit, de consilio & voluntate sui Conventus unum fratrem sui Ordinis in Ecclesia instituet antedicta, qui domum & curam temporalium gubernabit, Episcopo, Archidiacono, Legatis & Nuntiis Sedis Apostolicæ de consuetis iuribus responsurus, duos habebit seculares Sacerdotes, qui plebem in divinis & Sacramentis Ecclesiasticis procurabunt, & illis nos deputabimus pro vestibus & aliis ne-

ceſſariis de fructibus Eccleſiæ portionem, quorum unam Capitula & Conventus Archidiaconorum tenebitur viſitare. In cuius rei teſtimonium, & perpetuum firmamentum præſentes litteras noſtro & Capituli noſtri ſigillis fecimus communiri.

Datum & actum *Patav.* Anno Domini M. CC. LXXXVII.

CCXLVII.

Leutwinus Capellanus Capellæ S. Catharinæ iuxta Cœmiterium S. Stephani Viennæ, una cum eiuſd. Capellæ Patrona, Domina Margareta Griffenſteinerin, cedit cenſum mediæ libræ, qui annuatim dictæ Capellæ ſolvitur de area dicta Weihenpurg, ſita in ſtrata VVienna, Domino VVilhelmo Abbati Monaſterii S. Mariæ Scotorum VViennæ.

1287. *Ex autograph. P. H.*

NOverint ſinguli hanc paginam conſpecturi, quòd ego *Leutwinus* Capellanus Capellæ Sanctæ Katherinæ iuxta cimiterium Sancti Stephani *VViennæ*, de bono conſenſu Dominæ meæ *Margaretæ* Patronæ eiuſdem capellæ, quæ cognominatur *Grifenſteinerina*, & filii ſui Domini *Heinrici*, ceſſi in cenſu mediæ libræ, qui annis ſingulis prædictæ Capellæ debebat ratione fundi de area, quæ ſita eſt in ſtrata *VViennæ*, quæ *VVeihenpurg* dicitur, continua *Friderico*, qui *Lucgel* cognominatur, Venerabili Domino *VVilhelmo* Abbati Monaſterii Sanctæ Mariæ *Scotorum VViennæ*, totique Conventui, ſub hac forma &c.

Teſtes ſunt hi: Dominus *Gotfridus* Rector Chori Sancti Stephani, Dominus *Chunradus* Capellanus ſæpè nominati Domini Abbatis, Dominus *Rinboto Celeubus*, Magiſter *Vlricus* Medicus & Scholaſticus *VViennenſis*, *Fridericus*, Officialis, Magiſter *Rinboto* & alii quàm plures fide digni. In cuius rei teſtimonium præſentem paginam ſigillorum prænominati Domini *Heinrici Grifenſteinarn*, & mei caracteribus volui communiri.

Datum Anno Domini M.CC.LXXXVII. In Feſto Beati Barnabæ Apoſtoli.

CCXLVIII.

Rudolfus Archiepiſcopus Salzburgenſis concedit quaſdam indulgentias pro feſto dedicationis Monaſterii & Eccleſiæ S. Crucis.

NOs *Rudolfus* DEI gratiâ *Salzburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, *Emicho Friſingenſis*, *Henricus Ratiſponenſis*, *VVernhardus Patavienſis*, *Henricus Gurcenſis*, *Chunradus Chyemenſis*, *Chunradus Laventenſis*, & *Leupoldus Gebornenſis* Eccleſiarum Epiſcopi, Vniverſis præſentes literas inſpecturis ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Cupientes Chriſti fideles quibuſdam muneribus allectivis, Indulgentiis ſcilicet & remiſſionibus ad pietatis & devotionis opera invitare, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui in die conſecrationis Monaſterii & novi Chori *Sanctæ Crucis* in *Auſtria* Ordinis Ciſtercienſis, *Patavienſis* Diœceſis & per octavam, & ſingulis annis ſolummodo in die dedicationis ibidem convenerint, & eidem Eccleſiæ manum porrexerint adiutricem, quadraginta dies de iniuncta ipſis pœnitentia quilibet noſtrûm miſericorditer in Dno relaxamus. 1288. *Ex autograph. P. H.*

Datum *Salzburgæ* anno ab Incarnatione Dni M. CC. LXXXVIII. In prima veſpera S. Martini Confeſſoris & Pontificis.

CCXLIX.

Wernhardus Patavienſis & Liupoldus Seccovienſis Epiſcopi confirmant fundationem quotidianæ Miſſæ ac hebdomadarii officii de Corpore Chriſti, factam Clauſtroneoburgi ab Eliſabetha Ducissa Auſtriæ.

WErnhardus & *Liupoldus* DEI gratia *Patavienſis*, & *Seccovienſis* Eccleſiarum Epiſcopi, Vniverſis Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, ſalutem in Domino. Quoniam Spiritus Sancti gratia & immenſa clementia Salvatoris, ut lucrifaciat genus humanum, ad ſui cognitionem corda fidelium excitat & illuſtrat, gratiarum acciones, etſi non quas tenemur, cùm creatura non habeat quid pro meritis reſpondeat Creatori, ſaltim quas poſſumus, ipſi cum debita 1288. *Ex autograph. P. H.*

Digitized by Google

debita reverencia referre tenemur, qui Excellentis ac Magnificæ Principis Dominæ *Elyzabeth*, Ducissæ *Austriæ*, *& Styriæ*, Dominæ *Carniolæ*, *Marchiæ*, ac *Portus Naonis* inter alia pietatis opera ſui amoris igne accendit animum, quòd ob reverentiam glorioſi ac pretioſi Corporis & Sanguinis Dni noſtri Jheſu Chriſti pro ſalute ſua, excellentis ac Magnifici Principis Domini *Alberti* Ducis *Auſtriæ* & *Styriæ* mariti ſui & heredum ſuorum, in Capitulo *Neumburgenſis* Eccleſiæ quoddam altare de novo conſtruxit, quod affectum & devotionem, quam ad dictam Eccleſiam retinet, perpetuò repræſentet: In quo ſingulis diebus Miſſa, in quinta verò feria in memoriam diei cœnæ, in qua Chriſtus tradebatur, Officium de Corpore & Sanguine Domini noſtri Jheſu Chriſti, per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter inſtitutum, per Canonicum dictæ Eccleſiæ ſollemniter celebret, & qui hanc Miſſam celebrare neglexerit, tanquam pro gravi culpa ad arbitrium Præpoſiti duriùs puniatur. Quicunque autem Canonicorum ibi Miſſam celebraverit, illo die in menſa Domini Præpoſiti erit honeſtiùs & lautiùs aliis procurandus. Si verò Præpoſitus abſens fuerit, vel etiam præſens, & ille, qui celebravit, in menſa Præpoſiti comedere noluerit, vel nequiverit occupatus, tunc ſalva ſibi ordinaria præbenda, unum bonum ferculum de coquina Præpoſiti & media præbenda boni vini de Cellario Præpoſiti in mane, & tantundem in veſperis miniſtretur. In anniverſario verò dedicationis dicti altaris, qui erit in octavis Paſchæ, unicuique Canonicorum menſura boni vini & una ſimila panis pro ſollemnitate Officii Dominus Præpoſitus providebit. Ipſum verò diem Feſtivitatis feria quinta poſt octavas Pentecoſten cum debita ſollemnitate officii peragere tenebuntur.

Anniverſarium quoque depoſitionis Dominæ Ducissæ, Domni Ducis & heredum ſuorum cum Miſſa & aliis piis exequiarum operibus ſingulis annis Præpoſitus & Canonici peragent & ſervabunt. Ut autem ſuper Divinæ retributionis præmium aliquid commodi temporalis ad comportanda prædictarum onera expenſarum Præpoſitus & Conventus conſequi dinoſcantur, ſupradicta Dna Ducissa honorabili Viro Dno *Paboni* Præpoſito dictæ Eccleſiæ octoginta libras denariorum *Wiennenſium* tradidit pro immobilibus poſſeſſionibus, de ſcitu & conſilio Dnæ Ducissæ *Neumburgenſi* Eccleſiæ comparandis, quarum fructus ad luminaria eiuſdem altaris & alios uſus dictæ Eccleſiæ iuxta ordinationem Præpoſiti convertentur. Et ut prædicta Ordinatio perpetua gaudeat firmitate, & ipſius Dominæ Ducissæ pia devotio ſalubriter compleatur, ad omnia prædicta Præpoſitus ad manus noſtras & Conventus fide data vice & nomine Sacramenti ad manus Præpoſiti ſe ſollemniter obligârunt, pro maiori ſoliditate addijcientes, quòd Præpoſitus, quicunque pro tempore fuerit, quando confirmationem electionis ſuæ a Dno Epiſcopo receperit, ipſi Epiſcopo: & Canonici, cùm eidem Præpoſito obedientiam fecerint, ipſi Præpoſito fide data vice Sacramenti promittent, prædicta omnia & ſingula ſe inviolabiliter perpetuò ſervaturos.

Item Præpoſitus & Canonici communiter adiecerunt, quòd prædia, quæ per ſupradictas octoginta libras fuerint comparata, in nullo caſu, nulloque eventu obligari vel alicuius alienationis titulo diſtrahi debeant in futurum. Alioquin ipſe Præpoſitus pœnam dilapidationis incurrat, & ipſi Canonici ipſo facto ab ingreſſu Eccleſiæ ſint ſuſpenſi, donec alienationem huiusmodi revocaverint per effectum.

Hanc igitur ordinationem DEO gratam, humanæ ſaluti proficuam approbantes præſentes litteras appenſione ſigillorum noſtrorum, nec non Domini *Alberti* Illuſtris Ducis *Auſtriæ* & *Styriæ*, Domine *Elyzabeth* prælibatæ Ducissæ *Auſtriæ*, Domini Abbatis *Sanctæ Crucis*, nec non Præpoſiti & Capituli *Neumburgenſis* Eccleſiæ fecimus communiri. Et ut ipſius Dnæ Ducissæ ac omnium Chriſti fidelium, qui ad Miſſam dicti Altaris devotè concurrerint, ſincera devotio augeatur de peccatis confeſſis & contritis, Nos *Wernhardus Patavienſis* Epiſcopus viginti, & *Liupoldus Seccovienſis* Epiſcopus totidem dierum indulgentiam de pœnitentia iniuncta eisdem diebus ſingulis miſericorditer in Domino relaxamus, ſalva indulgentia Domini Papæ, noſtra & aliorum Epiſcoporum, quas ratas habemus, quæ in anniverſario dedicationis & ipſo die Feſti confluentibus ibidem pro devotione fuerit elargita.

Actum

Actum & datum *Neumburgæ*, anno Domini Millesimo, Ducentesimo, octogesimo octavo. In die Palmarum.

CCL.

Magistratus VViennensis indulget Monasterio Clausthroncoburgensi privilegium quot annis XL. carratas vini in suam urbem invehendi, ibidemque vendendi.

1288. *Ex autograph.* P. H.

NE rerum gestarum rationabiliter memoria propter diurni temporis momentaneum transitum oblivionis nebula enervetur, restat, ut, quod ritè agitur, scripturarum memoriâ posteris roboretur.

Nos igitur *Chunradus in Harmarcht* tunc Judex, *Chunradus Pullo* Magister Civium simulque Universitas Consulum Juratorum Civitatis *VViennensis* ad notitiam tam præsentium, quàm futurorum volumus pervenire, quòd nos attendentes fidei meritum, & specialis benivolentiæ usus multiplices, quibus Venerabilis Dominus *Pabo* Præpositus totusque Conventus Ecclesiæ *Neumburgensis*, nos & Civitatem nostram *VViennensem* vigili solertia multiformiter amplexantur, comedimus liberaliter & admittimus universaliter gratiâ speciali, quòd eidem Domino *Paboni* Præposito & omnibus Successoribus suis totique Conventui Ecclesiæ *Niumburgensis* annis singulis perpetuò duraturis, liceat de nostra permissione quadraginta Carradas vini sui, infra muros, seu suburbia Civitatis nostræ, quod *Purchfrid* dicitur, introducere & reponere, ubicunque ipsis placuerit, & vendere per vasa, sive per mensuram denariatim per servos, seu per caupones suos liberè & pro omni arbitrio suo, in usus proprios convertere, prout eorum placuerit voluntati.

Et ne ipsis aliquando per nos sive per nostros Successores huiusmodi gratia seu libertas possit vel debeat aliqualiter violari, has litteras nostri sigilli munimine roboratas Ecclesiæ memoratæ dari fecimus, in signum evidens omnium præmissorum.

Datum *VViennæ* anno Domini M. CC. LXXXVIII. In die S. Margaretæ Virginis.

CCLI.

Otto, Chatoldus & Hainricus Nobiles fratres de Hoslovve, donant Monasterio S. Crucis duos mansos in Regelbrunne.

NOs *Otto*, *Chadoldus* & *Hainricus* 1289. fratres, dicti de *Haslovve*, signi- *Ex autoficamus tenore præsentium universis fide- graph.* libus in perpetuum, quòd nos iuxta or- P. H. dinationem testamenti fidelis memoriæ Domini *Ottonis de Haslovve* genitoris nostri dilecti, duos mansos in *Regelbrunne* sitos, quorum unum *Mainhardus*, alterum *Chunradus* filius eiusdem inhabitabant, solventes annuatim duos modios tritici mensuræ communis, & decem solidos denariorum monetæ publicæ in Festo Beati Georgii, viris Religiosis Domino *Sighardo* Venerabili Abbati *Sanctæ Crucis* Cisterciensis Ordinis, *Pataviensis* Diœcesis & Conventui eiusdem loci in perpetuum assignavimus & assignamus, donavimus & donamus de nostro & omnium coheredum nostrorum consensu, iusto proprietatis titulo perpetuò possidendos, conditione huiusmodi interiecta, ut de proventibus annuis eorundem bonorum omnibus, qui se per Patrem nostrum prædictum læsos ritè nostro testimonio comprobaverint, per memoratos Abbatem & Conventum iuxta valorem census annui perpetuò satisfiat. Quia verò iam dicti Abbas & Conventus bona eadem sub nostra tuitione posuerunt, promisimus, atque promittimus ipsam sine gravamine quolibet & absque præiudicio iurium Cisterciensis Ordinis conservare fideliter & tueri. In cuius rei testimonium præsentem litteram nostrorum & Domini *Godfridi de VVildungesmovver* sigillorum robore volumus muniri, cum testibus subnotatis, qui sunt: Dominus *Hermannus de VVolfgerstorf*, Dominus *Chunradus de Pilhdorf*, Dominus *Chalhohus* & Dns *Reinbertus* fratres de *Eberstorf*, *Jerenfridus de Ekhartsovve*, *Gundakarus de Hausbach*, *Sifridus de Horssendorf*, *Otto* dictus *Vbelnan* miles, *VVulfgingus de Hoslovve* miles, *Otto* & *Heinricus* frater *de Deuptal*, & alii quàm plures.

Actum & datum in *Prukka*, anno Domini Millesimo ducentesimo octogesimo nono in die beate Agathæ Virginis & Martiris.

CCLII.

Digitized by Google

CCLII.

Nicolaus & Stephanus, hæredes de Gora, commutatione agrorum inſigniter commodant Eccleſiæ Gorenſi.

1289. *Exanthent.* P.H. IN nomine Domini, Amen. Sciant Univerſi hanc paginam inſpecturi, quòd *Nicolaus* & *Stephanus* hæredes in *Gora* decorem Domus DEI & glorioſi Apoſtoli ſui Jacobi augeri non minus cupientes, pro commutatione agrorum nuncupatorum vulgariter *Grodiſche*, per Eccleſiam noſtram in *Gora* ritè & legitimè primitus poſſeſſorum, magnum manſum & dimidium, qui ab ipſa Curia ſive *f. Dote.* Dothe * noſtræ Eccleſiæ prætenduntur in longitudine & latitudine magnorum manſorum, iam prætate noſtræ Eccleſiæ deputavimus iure perpetuo poſſidendos. Præterea dimidium manſum magnum, quem Dominus *Conradus* Capellanus noſter per ſuam redemit pecuniam, adiacentem a latere agris, ad Dorhem pertinentibus iam prædictis, quod ipſum feciſſe de noſtra permiſſione & voluntate ſpontanea profitemur, ab omnibus ſolutionibus ad nos ſive ad noſtros Succeſſores, nunc & impoſterum pertinentibus, liberum facimus penitùs & abſolvimus coniungentes ipſum dimidium manſum aliis agris ad Dothem pertinentibus noſtræ Eccleſiæ perpetuis temporibus poſſidendum. Et ſic noſtra Eccleſia duos manſos magnos in limitibus ſuis perpetuò obtinebit.

Profitemur quoque, quòd in limitibus ſine metis prædictorum duorum manſorum magnorum, uſque ad ſylvam *VVangelnice* vulgariter appellatam, pro communicatione eiuſdem plateæ, ad Dothem ab antiquo pertinente, cum omni iure hæreditario abſque omni prorſus tevocatione ſive retractatione conferimus noſtræ Eccleſiæ perpetuò poſſidendos. In cuius rei memoriam præſentes litteras conſcribi fecimus & noſtrorum ſigillorum munimine roborari.

Actum & datum in *Gora* ſeptimo Idus Julii Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo octuageſimo nono, præſentibus & conſentientibus filiis noſtris *Nicolao*, *Jacobo*, Comite *Gurſicray de Ziche*, Domino *Jacobo de Vincz*, Domino *Jacobo de Ziche*, Domino *Andrea de Orethno*, Duo *Thoma de Croſchima* Plebanis & Advocatis, *Libingo*, *Hermanno in Gora*, *Heinrico*, *Ludovico*, *Conrado*, *Heinrico*, *Bertholdo*, *Ottone*, *Heinrico*, *Friderico* ibidem in *Gora* Scabinis, & aliis multis fide dignis.

CCLIII.

Stephani Ducis Bavariæ epiſtola ad Papam pro confirmatione electionis ſuæ in Archiepiſcopum Salisburgenſem.

CUm dulci iocunditate & iocunda dulcedine recolentes, quomodo Sereniſſimus avus noſter Dominus *Bela* illuſtris quondam Rex *Ungariæ* in devotione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſemper permanſit, eius ſe conformans beneplacitis, ſicut filius unicus matris ſuæ, nos eius præclaris veſtigiis inhærentes, eius reverentiam totis deſideriis amplectimur, ab ipſius imperio nunquam inſpirante Domino receſſuri, ſcientes, quòd ipſa pia mater ſperantes in ſe non deſerit, ſed uteri ſui filios fovet in ſinu, nutrit uberibus, & in gremio continet ac conſervat. *Circ.* 1189. *Ex Cod. Altah. Super.*

Quare cum his diebus Reverendo in Chriſto patre ac Domino *Rudolfo* quondam Salzpurgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo ſublato de medio Venerabile Capitulum ipſius Sedis in perſonam noſtram conſenſerit, a veſtræ Sanctitatis gratia poſtulandum, nos principaliter ſub DEI ac eiuſdem veſtræ Sanctitatis confidentia ad preces Canonicorum, Suffraganeorum inſtantiam, ſupplicationes Miniſterialium, ac clamorem civium & querimonias civitatis, animum noſtrum deſideriis eorum ſub hac forma tantùm conſenſimus, & expreſſimus applicari, ſi veſtra reverenda paternitas, cuius gratiæ poſtulationis effectus innititur, ipſam poſtulationem admittere dignaretur. Ne tamen aliquorum fraus vel ambitio famam noſtram obnubilet, quam in conſpectu DEI & veſtro aperimus eſſe ſerenam, præmiſimus dilectum Protonotarium noſtrum Magiſtrum *Gundakerum*, dantes ei plenam præcautionem ſupplicandi pro nobis ac contradicendi & faciendi omnia, per quæ opinio noſtri nominis in ſtatu ſolido conſervetur, ſupplicantes humiliter, quatenus viva vox ſua inveniat audientiam in veſtræ auribus pietatis.

Digitized by Google

CCLIV.

Henrici II. Epiſc. Ratisbon. Epiſtolæ.

1.

Ad Nicolaum IV. P. M. Rogat, ut poſtulationem Stephani Ducis Bavariæ in Archiepiſcopum Salisburg. admittat.

FIdelis DEUS, qui facit cum tentatione proventum, filios ſuos interdum tribulando caſtigat, ut poſtmodum tranquillitate ſecura dulciùs conſoletur: quatenus eos terror pœnarum a peccatis concutiat, & lenis ubertas gratiæ provocet ad virtutes. Sic & modò Reverendæ memoriæ Domino *Rudolpho Salzpurgenſi* quondam Archiepiſcopo ab hac luce ſubtracto eandem Eccleſiam matrem noſtram in ſuis rebus, viribus & iuribus omnino depreſſam, imò quaſi proſtratam in terram oculis miſericordiæ dignata eſt, ſicut in Domino confidimus, Divina gratia reſpicere cum effectu: quia venerabile Capitulum memoratæ Eccleſiæ *Salzpurgenſis* Canonicè ac concorditer conſenſit in perſonam egregii Juvenis Domini *Stephani*. Illuſtris Palatini Comitis *Reni*, Ducis *Bavvariæ* a Sede Apoſtolica poſtulandum cum iocunda gratulatione Baronum ac Nobilium ipſius Eccleſiæ, ac applauſu civitatis, civium omnium lætantium in communi, utpote qui gandebant propugnatorem ac ſalvatorem ſe divinitus accepiſſe, ſic ut non tantùm ſenes ac iuvenes, imò revera & parvuli in laudibus exultarent, ut renatum videretur gaudium, quod veniente Domino acclamantes cantabant pueri Hebræorum.

Unde cùm credamus, quòd per nullum alium poſſit reſurgere, ac in ſtatum decoris antiqui refloreſcere quondam ſollemnis, nunc oppreſſa nimis Eccleſia *Salzpurgenſis*, per obedientiam, qua Sedi Apoſtolicæ ſubjicimur, per fidelitatem, qua Eccleſiæ Metropolitanæ tenemur, in cuius humilitate gloriam noſtram proſterni minimè dubitamus, conſulendo petimus, flexis genibus petendo conſulimus, quatenus poſtulationem eandem, quam credimus eſſe divinitus inſpiratam, admittere dignemini propter DEUM, non audientes perſuaſiones vel fraudes, vel calliditates illorum, qui, ut commoda ſua faciant, non verentur invadere ac deſtruere Templum DEI, ac ſtatum Eccleſiaſticum conculcare, ſcituri quod defectum ætatis morum ſupplet maturitas, & virtutis plenitudo plenè ſibi contulit, quod annorum pluritas poterat attuliſſe.

2.

Ad Ducem Auſtriæ, quem, ut in Eccleſiam Salzpurgenſem benignus ſit, rogat.

RIgorem, quem contra *Salzpurgenſem* Eccleſiam concepiſtis, pia manſuetudine temperare curetis. Nos enim partes noſtras ad hoc interponere curabimus, quatenus aſperitas quæſtionum, quas eidem apponitis, in planitiem convertentur.

3.

Reſponſio Ducis Auſtriæ ad præcedentem Epiſtolam.

QUàmvis *Salzpurgenſes* nos pro ſolo motu ſuæ temeritatis offenderint nobis non dantibus ullam cauſam, in treugis tamen donec ad Feſtum Dominicæ Reſurrectionis habendis ob veſtram amicitiam conſentimus, interim ſuper pace ſolida tractatus rationabiles audituri.

4.

Ad Wolfgangum Monachum Altahenſem de animo Papæ in Stephanum Ducem Bavariæ, electum Archiep. Salzpurg.

DIſcurrunt nova per terram, & ab ore plurium divulgantur, quòd Domino Archiepiſcopo nuper creato ceſſionem offerre volènte Sedes Apoſtolica ſe ad proviſionem Domini *Stephani* gratiosè cogitet inclinare.

5.

Reſponſio Wolfgangi Monachi.

EXorto rumori coniectando reſpondeo quòd Sedes Apoſtolica ſe nec ſic inſtabilem nec debilem patitur inveniri, ut repentè approbet, quæ paulo ante non ſine decocto, ùt creditur, conſilio reprobavit. Talem ſiquidem varietatis inconſtantiam tam exempla veterum quàm Sacri Canones deteſtantur: imò & ſeculares Principes legitimis eam duxerunt ictibus eſſe feriendam.

6. *Ad*

6.

Ad eundem Wolfgangum de eadem re.

NOta varietatis forsan incurritur, quando rebus eodem modo se habentibus animus aut operatio immutatur. Sed dicitur potiùs consilium providentiæ, cùm mutationi rerum ac temporum sapiens in suis actibus se conformat. Sic fieri spectatur in proposito, dum *Salzpurgensis* Ecclesia per Dominum *Stephanum* resurget in gloriam, quæ per ejus repulsam facta est ingloria & despecta.

7.

Wolfgangi Responsum.

BEnè se confitetur Sedes Apostolica sententiam suam posse in melius commutare. Sed ego ad id, quod fieri consuevit, meam retuli responsivam: sicut & leges non ad ea, quæ perrarò contingunt, sed ad illa, quæ frequenter accidunt, adaptantur.

8.

Plebano in Plædling facit potestatem triennio Generale studium frequentandi salvis beneficii sui fructibus.

DEsiderantes in Ecclesiis, nobis præsertim immediatè subjectis enutriri filios, qui scientia præmineant & morum præfulgeant honestate, nos, qui te bonæ indolis esse accepimus, sperantes, quòd cum augmento scientiæ virtutum etiam recipias incrementa, benignè tibi concedimus, ut in Generali studio per continuum triennium de nostra licentia commoreris, decernentes, quatenus pro discendi studio interim tibi præbendiale stipendium sine contradictione qualibet ministretur, pro firmamento gratiæ tibi per nos factæ præsentes literas porrigentes.

9.

Responsio ad priores litteras.

ILla cottidiana vestra instantia, per quam & templi altitudo fundatur, & in N. & alibi possessiones emuntur, ut pacem per prædia, imò certè cum prædiis comparetis, omnes Ecclesiæ vestræ filios de facili potest inducere, ut pro vestra incolumitate ac salute debeant deprecari, quia in hoc sicut Imperator de se dicit, noctes insomnes ducitis, ut subditi in omni tranquillitate vivant: & voluntarios labores appetitis, ut quietem posteris præparetis. Sanè quod aliquando pro librorum subsidio vos rogavi, ad hoc specialiter me animaverat, quòd à vestra Dominatione quædam verba receperam, quæ promissioni similia reputavi. Verùm quia hoc cùm vestræ benignitatis animo non concordat, gratius mihi est in libris deficere, quàm mentis vestræ serenitatem precum tædio perturbare, præsertim sciens, quòd vestra dominatio, quæ, sicut in Canone ponitur, se consuevit omnibus de se sperantibus non negare, hoc per se faceret, quod oratio non præsumit, si defectus obstaculum non obstaret.

CCLV.

Ottonis Ducis Bavariæ Epistola ad Nicolaum IV. P. M. pro fratre Duce Stephano in Archiepiscopum Salisb. postulato.

SUper petram Petri Christus fundavit Ecclesiam, quæ firmis columnis innititur, dum providentia vestri consilii sustentatur, in quorum humeris Dominus posuit cardines Orbis terræ. Spe igitur ac devotione inniti cupientes huic solido firmamento postulationem de charissimo fratre nostro factam vestræ benivolentiæ commendamus, promittentes, quòd defectus annorum & Ordinum per maturæ sagacitatis industriam egregiè supportabit. *Indict.*

CCLVI.

Responsio Nicolai Papæ.

VT per sublimes personas decor Ecclesiasticus in suo robore conservetur, consuevit eas Sedes Apostolica pleniori favore prosequi, ac majoribus bèneficiis honorare. Cùm igitur bonæ indolis frater vester aliàs multa idoneitate florere dicatur, ad hoc studium nostræ sollicitudinis apponemus, ut suppleat dispensationis gratia tempus, quod ætati suæ deficit ex natura: quatenus per ejus potentiam Ecclesia *Salzpurgensis* sublevetur ab insultibus oppressorum.

CCLVII.

Idem Dux Otto ad Albertum I. Ducem Auſtriæ pro Duce Stephano.

BLandè ſe dilatat gaudium in cordibus amicorum, dum de bono unius lætatur & delectatur mens alterius; & ſicut per amicitiam ſtringuntur ad invicem, ſic congratulatio commune facit pluribus unius commodum & honorem. Cupientes igitur noſtrorum ſucceſſuum conſortem vos eſſe in gaudio, ſignificamus vobis, chariſſimum Fratrem noſtrum eſſe concorditer in Archiepiſcopum *Salzpurgenſis* Eccleſiæ poſtulatum, petentes, quatenus pro eo ad Sedem Apoſtolicam ſcripta favorabilia dirigatis.

CCLVIII.

Reſponſio Alberti Ducis Auſtriæ.

ETſi motiva ſit affinitatis affectio ad veſtra deſideria nos inclinans, major eſt tamen filialis ſubjectio, quia paternam reverentiam offendere prohibemur. Quia igitur chariſſimus genitor noſter jam ſcripſit ad Curiam pro quodam familiari ſuo Clerico in *Salzpurgenſem* Eccleſiam promovendo, non expedit nobis ab eo per factum contrarium diſſentire.

CCLIX.

* Ita rubrica in Cod. Oberaltah.

*Salzpurgenſis Concilii * Reſcriptum ad Apoſtolicam Sedem de calamitatibus Chriſtianorum captæ à Barbaris civitate Acconenſi in Paläſtina.*

1291. LEctæ luctu plenæ veſtræ Sanctitatis literæ vulnus fecerunt in vulnere, & nova percuſſio plagam veterem recentavit. Ex eo enim jam pridem confoſſum fuit & ſaucium cor eorum, qui vivunt in Chriſti corpore, ejuſque Spiritu vegetantur, quod locus ille, in quo ſteterunt pedes ejus, perfidorum pedibus conculcatur, quod terra nativitate Chriſti florida, converſatione candida, paſſione roſea contaminatur ab hoſtibus Crucifixi, & ſic iterum IESUS ad illudendum & conſpuendum traditus eſt gentibus, dum illi recrucifigentes ſibi denuo filium DEI, & habentes oſtentui Sacramenta ſua blaſphemant, & ſacra nequiter exectantur. Certè quondam terra repromiſſionis, quæ lac & mel Patribus emanavit, nobis fel amaritudinis latè latice non deſinit propinare, dum Chriſtus à propria ſede repellitur, dum Chriſtiana fides, quantum in eis eſt, extinguitur, dumque noſtræ redemptionis inſignia velut quælibet abjecta materia pro nihilo reputatur, illudque Dominicum Sepulchrum jacet prorſus inglorium, quod Deus per os Prophetæ fore prædixerat glorioſum.

Deducant igitur oculi noſtri lachrymas per diem & noctem, & non taceant, quoniam contritione maxima contrita eſt virgo filia populi mei plaga peſſima vehementer. Verùm mare noſtræ amaritudinis nec in hoc terminum ſuum conſtituit, ſed extendit in latius fluctus diluvii exundantis. Nam civitas *Acconenſis*, in qua multitudo Religioſorum collecta, patriam ſignis noſtræ redemptionis inſignem velut de proximo aſpiciens & ſalutans vicino ejus recreabatur odore; quæque fuit nihilominus urbs fortitudinis iis, qui prælia Domini exercebant, conſolationem ſpei adhuc non modicam miniſtrabat deſolaris ſolatio terræ Sanctæ, expectantibus fidelibus cum deſiderio & ardore, ſi quando favente Deo facto generali paſſagio Chriſtiana militia in ea ſe colligens, & ex eo greſſibus proceſſivis ſucceſſivè progrediens terram deſiderabilem recuperare cum gloria mereretur. Sed heu corona ſpei noſtræ corruit, dolor creſcit, cauſa gemitus geminatur capta ab hoſtibus & everſa civitate prædicta, quemadmodum ſcripta veſtra lamentabiliter expreſſerunt, ſicque arca DEI per diluvium quodammodo ſuffocata, columbina fidelium ſimplicitas non invenit, ubi pes ejus in illo maris littore commodè requieſcat.

Nunc igitur tanto devotius ad divinum recurramus auxilium, quanto videmus evidentiùs, omni nos rei ac ſpei humanæ commodo deſtitutos, levantes manus ad cælum cum Moyſe, Jeſum dormientem cum Apoſtolis ſuſcitemus. Illos nihilominus, qui acceperunt gladii poteſtatem, prædicationibus inducentes, ut cum fortiſſimis Machabæis pro paternis legibus animas exponere non formident. Quia in hoc conflictu amabili nec victor nec victus mercede fruſtrabitur. Nam etſi vincens eſt ex triumpho felicior, victus tamen velociùs pervenit & citiùs ad coronam.

CCLX.

CCLX.

Rudolphi Regis Rom. Epistola ad Albertum Ducem Austriæ de motu exercitus sui in Vngariam.

Indid. SWevis illis, qui calcaneum indevotionis contra nos erexerant, subjugatis, nunc contra *Vngaros* movere intendimus vexilla victricia & præpotentia castra, qui Romani regni fines invadunt, & in tua persona nostram tanquam Patris in filio sauciant Majestatem.

Responsio Alberti.

LEctis vestræ Serenitatis apicibus nova gaudia nostro cordi sereniùs illuxerunt. Sed & nos Majestati Regiæ facimus boni nuntii relativam, quia noster exercitus de præsumptoribus *Vngaris* in congressu campestri semel & iterum feliciter triumphavit.

CCLXI.

Idem Rudolphus Eng. Canonico suadet, ut in electione Patavienſis Episcopi Henrico de Chlingenberch suffragetur.

RVdolfus DEI gratia Romanorum Rex & semper Augustus, *Eng.* Canonico *Patavienſi* gratiam suam & omne bonum. Ex quo DEO placuit, Venerabilem quondam *Gotfridum, Patavienſem* Episcopum, quem sincerè dileximus, ab hoc seculo nequam ad mansiones cœlicas evocare, de cujus sublatione mœstifera non possumus non dolere, unum è multis eligimus, qui *Patavienſi* Ecclesiæ, proh dolor! viduatæ erit perutilis, & nobis & Filio nostro Illustri Duci *Austriæ* multipliciter fructuosus, videlicet Honorabilem Virum Magistrum *Henricum de Chlingenberch*, Doctorem Decretorum, nostrum Protonotarium, in cuius præcordiis sibi sedem posuit Sapientia multiformis, & quem naturalis industria reddit in temporalibus circumspectum, sic quòd ipsi Ecclesiæ præesse poterit & prodesse, & in ea fructus multiplices germinare. Hinc est, quod devotionem tuam sub speciali fiducia, quam de te gerimus, rogamus, monemus, & hortamur omni, qua possumus, diligentia & affectu, quatenus utilitate tuæ Ecclesiæ præ oculis collocata in personam dicti Magistri *H.* dirigas vota tua. Scimus enim veraciter, quòd si ipse ad regimen ejusdem Ecclesiæ assumptus fuerit, ipsa Ecclesia in tantæ prosperitatis & iocunditatis flore lætabitur, quòd gaudebit se Sponsum idoneum invenisse. Nos etiam, si satisfactum fuerit votis nostris, pro defensione ipsius Ecclesiæ vires Imperii exponemus, & nihilominus te in Capellanum specialissimum assumemus perpetuò favoris plenitudine prosequendum. Super præmissis autem verbis honorabilis Viri *Johannis* Præpositi, Capellani nostri dilecti, fidem adhibeas credulam tanquam nostram.

CCLXII.

Ejusdem, ut videtur, Rudolfi Epistola ad Henricum, ni fallor, Ducem Bavariæ, ut ad Comitia Regia Francofordiam veniat.

NOs, qui voluntarios labores appetimus, ut quietem subditis præparemus, cupientes per concordationem Principum statum tranquillare terrarum, curiam solemnem apud *Franchenfurt* in Pentecoste celebrandam indiximus, quatenus inter dissidentes Principes rupta pacis vincula reformentur. Te ergo, qui viribus polles, & consilio ac dignitate præcellis, tunc ibidem volumus & præcipimus interesse.

CCLXIII.

Ecclesiæ Patavienſis Epistola ad Conradum IV. Archiepiscopum Salisburg. Rogat, ne id indignius ferat, quòd in Ecclesia Cathedrali Patavienſi à Divinis nulla cessatio, ut voluit, sit, Episcopo suo ad Sedem Apostolicam appellante.

SUper turbatione Sanctæ *Salzpurgen-* Indid.
sis Metropolis *Patavienſis* Ecclesia, fidelis ejus filia, gemitus ingeminat. Nósque sentientes ab intimis nostri capitis læsiones, in vestris tribulamur adversis, ac in statu solido consolamur. Cùm igitur sicut devotionis filii jussionum vestrarum motibus ac nutibus alludamus, in vobis tanquam in Patre consolationis & gratiæ gloriantes, certè si quando à via mandatorum vestrorum deviare cogimur, si à vestris beneplacitis interdum compellimur dissentire, in his casibus actus exterior interiori voluntati repugnat, nec ad hoc voluntate movemur, sed ne-

Digitized by Google

ceſſitate trahimur importuna, & in ipſa actione agimus, ſed contrarias paſſionum moleſtias in animo ſuſtinemus. Quare humiliter ſupplicamus, quatenus noſtro affectui veſtra clementia vicem reddens pro gravi non habeat, quòd in Eccleſia Cathedrali ceſſari non facimus à Divinis, cùm Venerabilis Pater & Dominus noſter Epiſcopus *Patavienſis* nobis per ſcripta ſua dilucidè aperuerit, ſe ſuo noſtróque nomine ſuper executione iſtius & aliorum quorundam mandatorum pœnalium ad Sedem Apoſtolicam appellâſſe: cùm prorſus amara ſit capitis ac membrorum diviſio, ac per DEI gratiam in *Patavienſi* Eccleſia omnino ſit inſolitum Capitulum à ſuis Præſulibus diſcordare, quod tamen ex ipſa qualitate facti eſſet acerbius in hoc caſu. Quia cùm ipſa judex cauſarum & animarum exiſtat, & felix mucro Epiſcopi dexteræ ſuæ competat ex præcellentia ſingulari, multæ temeritatis exiſtere videretur, ſi nos in his, quæ à ſuæ juriſdictionis honore dependent, eo non annuente procedere tentaremus hoc præſertim tempore, cùm ipſe pro redemptione noſtra offerat quodammodo ſemetipſum, affligens perſonam laboribus, quatenus res & honores, imò & ipſa *Patavienſis* Eccleſia in pace quieſcat. Quia cùm patrimonium ipſius Eccleſiæ montes non opperiant, nec valles inclu dant, imò in planis *Auſtriæ* non poſſit à diripientibus occultari, timeri poſſet probabiliter, quòd nos indignatio ipſius Principis graviter abſorberet, niſi nos idem Dominus noſter Epiſcopus apud ipſum ſuis obſequiis fideliter ſublevaret.

Pareat igitur circa illud interdictum veſtra Benignitas gratioſa, piæ conſiderationis oculis contemplando, quòd *Patavienſis* civitas prænominato Principi nec ſubjacet, nec adhæret. Et ſi forſitan diceretur per hoc Domini noſtri Epiſcopi negligentia punienda, quamvis eum non credamus fuiſſe negligentem, ſi tamen aliquibus contrarium videretur, adhuc talis obſervatio meritò reduceretur ad ſanum intellectum, id eſt: ut ipſo in civitate præſente pœna hujuſmodi ſervaretur, cujus & devotam manſuetudinem & manſuetam devotionem veſtra debet gratia ſubportare, cùm ſole clarius appareat, quòd obſequio dicti Principis ſine periculo ſe non poteſt abſtrahere, iſta vice ſic facturi, ut tam ſua quàm noſtra circa vos ſemper devotio angeatur. Et quia nobis amariſſimum eſt animum veſtræ Paternitatis offendere: & ab altera parte non minus acerbitatis continet, nos à beneplacito patris & ordinis diſſentire. Sed quia hinc & inde anguſtias ſuſtinemus, ſi veſtra clementia aliquod temperamentum ſaluberrimum inveniret, per quod & veſtram non perderemus gratiam, eidémque Domino noſtro debitam ſervaremus reverentiam, in hoc fieret nobis gratia ſuper gratiam, imò infunderemur ubertimè plena ubertate optabilium gratiarum.

CCLXIV.

N. Archiepiſcopi Saliſburg. Epiſtola ad Albertum Auſtriæ Ducem, quem propterea laudat, quòd Eccleſias Styriæ novis exactionibus non divexet.

Indita.

COngratulamur vobis ex animo, quòd nullas exactiones ac Stevras Eccleſiis *Styriæ* vos impoſuiſſe ſcripſiſtis. In quo imitamini veſtigia glorioſorum Principum, Ducatus illos olim ex ſucceſſione gubernantium, qui libertatem foventes Eccleſiaſticam non conſueverunt ab eis exigere, ſed ipſas Eccleſias DEíque miniſtros larga munificentia ſublevare. Nobilitatem itaque veſtram hortamur in Domino & monemus, ut, quemadmodum aſſeritis vos feciſſe in præterito, ſic etiam veſtra Nobilitas ab indebitis Eccleſiarum vexationibus abſtineat in futuro. De Advocatis & Advocatiis eorum *Lugdunenſe* Concilium tale moderamen impoſuit, ut antiquorum jurium perceptione contenti manus ad nova & antiquitus indebita non extendant, ſi pœnas in eodem Concilio & alibi turbatoribus Eccleſiaſticæ libertatis impoſitas voluerint evitare. Unde etiam de cautela hujuſmodi poſtulationibus adhibenda, & ut moderamen ſupra ſcriptum Officiales veſtros excedere non ſinatis, excellentiam veſtram ſimiliter admonemus.

CCLXV.

CCLXV.

Alberti Ducis Austriæ Epistolæ.

1.

Ad Regem Bohemiæ, cujus opem adversus Tartaros implorat.

Indid. TAnta libidine bibit humanum sanguinem gens rabida *Tartarorum*, ut circa hoc sitim ebriam & ebrietatem præferat sitibundam. Et licet humanam habeant effigiem, absque omni tamen delectu occidunt homines, imò in sola homicidiorum sævitia delectantur. Contra illos ergo potentiæ vestræ subsidium invocamus.

2.

Responsio Regis Bohemiæ ad præcedentem Epistolam.

NAtura inter nos quandam cognationem constituit, & propter hoc sequitur nefas, si homo homini insidiari conetur. Quare contra gentem *Tartarorum*, quæ adversùs instinctum naturæ strages humanas & sitit & esurit, dignè accenditur militia Christiana.

3.

Ad Ducem Bavariæ Henricum pro auxiliis adversùs Hungaros.

CUm vos sitis Imperialis corporis pars egregia, dignè cor vestrum concutit, quòd *Vngari* transcensis limitibus tyrannicè devastant terram nostram. Sic ergo nobis succurrite; ut vestro fulti subsidio conteramus exteras nationes.

4.

Responsio Ducis Bavariæ.

AD retundendam superbiam *Vngarorum* dignè Germania tota consurgit, quia per invasionem finium Romani Regni & filii Regis offensi, qui una persona cum suo patre censetur, crimen læsæ Majestatis exaggerant in se ipsos. Nósque ad ultionem tantæ præsumptionis usque ad ultima nostrarum virium accingemur.

5.

Ad Episcopum Patavienſem. Eum ad jungenda adversus Vngaros arma invitat.

APud Poëtas serpens quidam latuisse describitur in palude, cui præciso capite nascebantur triginta pro uno. De cujus origine credimus *Vngaros* processisse, utpote qui sunt venenati per intimam malitiam, callidi per dolosam astutiam, & de manibus capientium velut anguis lubricus elabuntur, quique cùm à nobis contriti fuerint, post contritionem in majori numero denuo revivisunt, & de locis palustribus ebulliunt tanquam ranæ. Rogamus tamen, ut pro eorum internicie * nobis cum armis continuò veniatis. * in eCod. f. internecione.

6.

Responsio Episcopi.

GEns *Hunorum*, quorum sedes *Vngari* modò tenent, à propriis finibus castra movens potenter transit flumen *Reni* terris & nationibus intermediis devastatis. Quare credi non debet, Regnum *Vngariæ*, extensione suæ latitudinis alia regna transcendens, posse conteri, quamvis forte valeat in extremitate aliqua superari. Et antecessores vestri retro Principes infaustos sensêre successus ferocitatem gentis illius ad prælia provocantes. Versus:

Bela triumphalis belli victricibus alis
Enecat Austrenses strato Duce vel Styrienses.

7.

Ad Dominum de Schaunberch Ministerialem suum. Ut certum Castrum reddat.

SIcut nos faciente favore, quem Vobis gerimus, à vestris molestiis abstinemus: ita & vos decet non appetere damna nostra, cùm nemo per jacturam alterius locupletari debeat, ut lex dicit. Quare petimus, ut castrum * tale nobis Nobilitas vestra benignè restituat, quod nostri juris ding. est, utpote pertinens ad Ducatus *Austriæ* Principatus. * fEvect

8.

Responsio Domini de Schaunberch.

CAstrum, quod requiritis, ad nos ex materna successione pervenit, nósque ac Progenitores nostri quinquaginta annis continuis tenuimus inconcusse. Quare petimus, ut vestra Magnificentia nostros æmulos non adtendat, qui per suggestiones

Digitized by Google

geſtiones malivolas devotionem noſtram deſiderant à veſtra gratia ſegregare.

9.

Ad eundem de eadem re.

INſtrumenta in Archivis noſtris inventa patulo demonſtrant indicio, & antiquitas ſonoro teſtatur præconio, caſtrum tale ad Ducatum *Auſtriæ* pertinere. Cùm igitur teneamur jura Principatus illius illibata ſervare, iteratò à veſtra Nobilitate repetimus idem caſtrum: & ſi in contradictione reddendi perſiſtitis, vos eſſe noveritis præſentibus litteris & nuntiis diffidatum.

10.

Reſponſio Domini de Schaunberch.

DIffidationem ſeu gravamen veſtrum non meruimus, qui gratiæ veſtræ ſervivimus in fidei puritate. Verùm ſi aliud eſſe non poteſt, adinſtar juſti Naboth, qui vites ſuas proprio cruore defendit, vitam noſtram pro hæreditate patrum noſtrorum alacriter exponemus.

11.

Epiſcopi Patavienſis Epiſtola de eadem controverſia, ejuſque componendi modo, ſcripta ad Albertum.

QUoniam via media frequenter in dubiis eligitur, & ex duobus contrariis temperamentum optimum ſit quandoque, ideo, ſi magnificentiæ veſtræ placet, ad hoc curabimus interponere partes noſtras, ut Domini de *Schaunberch* proprietatem Caſtri, quod petitis, vobis aſſignent, illud de veſtris manibus in feodum recepturi, ſícque vos directi dominii habetis honorem, & ipſi utilis dominii commodo non priventur.

12.

NEceſſe eſt, ut *Schaunbergarii* ante omnia Caſtrum tale noſtræ reſtituant poteſtati. Quo facto tunc, & non priùs animum deliberationis applicabimus amicis communibus, qui pro concordia congrua interpellant.

13.

Ad Ducem Bavariæ, fortè Ottonem: fas non eſſe, deſertorem Imperialis militiæ patrocinio fovere.

GLorificat veſtram Magnificentiam, quòd veſtra curia more paterno eſt fiduciale refugium tribulatis & exulantibus undecúnque. Veruntamen deſertores Imperialis militiæ, qui ex edicto Prætoriano ipſo jure cenſentur infames, dignè ab huiusmodi beneficio ſubducuntur: de quorum numero eſt ille miles, quem nuper dicimini collegiſſe.

14.

Reſponſio Ducis Bavariæ.

ABſit, ut miles exercitatus in bellis ab exercitu ſit ignominioſa miſſione dimiſſus, ſed potiùs cauſaria vel honeſta. Nec poteſt diei transfuga ſeu deſertos, qui commeatu accepto à Rege receſſit, ſicut per regales apices demonſtratur.

15.

Epiſtola Scholaris cujusdam ad Wolfgangum Monachum Altahenſem, qui videtur auctor plurium epiſtolarum hactenus ſub nomine Ducum Bavariæ editarum. Rogat, ut ſibi explicet præcedentem epiſtolam.

DOctrina veſtra diu extitit, quatenus vitaretur obſcuritas in dictamine litterarum, ut candor intelligentiæ ſtili ſaperet claritatem. Sed nunc contra dictum proprium in littera proxima verba ſubtilia & uſui prorſus extranea poſuiſtis, quorum vim per expoſitionem mihi deprecor aperiri. *Indid.*

16.

Reſponſio Wolfgangi ad præmiſſam epiſtolam.

HOneſtam miſſionem miles tunc excipit, quando completis ſtipendiis vel ante Imperiali indulgentia relaxatur. *Cauſaria* circa corporales valitudines habet locum. Sed *ignominioſa*, quæ ſola infamat, totiens incurritur, quotiens is, qui mittit, illud expreſſerit nominatim. Eſt autem *transfuga*, qui nequiter confugit ad hoſtes. *Deſertor*, qui deſerit militiam, Commeatu, id eſt: licentia non accepta.

17.

Epiſtola Decani Patavienſis ad Albertum Auſtriæ Ducem de bonis Clericorum, defunctorum ſucceſſoribus conſignandis.

CUm major æſtimetur injuria, quæ infertur mortuis, quàm ſi fuiſſet viventibus irrogata, Nobilitati veſtræ debet non immeritò diſplicere, quòd officiales *Auſtriæ* bona decedentium Clericorum violenter invadunt & auferunt impudenter, quæ deberent futuris Succeſſoribus fideliter reſervate.

18. *Re-*

18.

Responsio Ducis Austriæ.

Licèt velimus universaliter nostros ita gubernare subjectos, quatenus in pulchritudine pacis sedeant, & non sit, qui alium injustè audeat exterrere: quia tamen favor Ecclesiasticus apud piumPrincipem dignè obtinet primum locum, ideo specialiter providebimus, ne in vita vel in morte clerici molestentur.

19.

Idem Dux Austriæ ad Iudices suos de eademre.

De terra sterili, spinas & tribulos germinante vos in hortum delitiarum transtulimus, scilicet terram *Austriæ* bonis omnibus affluentem, in terram, cui Dominus benedixit. Vos autem facitis nos inglorios, qui vos fecimus in illa Paradiso per adepta officia glorioso, maculam in gloria nostra ponentes, cùm non solum vivis non parcitis, imò & cadavera roditis decedentium Clericorum.

20.

Responsum Iudicum Austriæ.

Speramus, quòd alias gratiarum actiones pro eo deberemus consequi, quòd exilium pro vestro intravimus comitatu. Quia etsi *Austria* terram nostram fœtuum fertilitate transcendit, nulla tamen rerum copia originalis soli dulcedini comparatur. Cæterùm super rebus morientium Clericorum excusare nos debuit consuetudo patriæ generalis à tempore, cujus non extat memoria ab officialibus observata. Quippe cùm lex dicat, quòd is, qui succedit in locum alterius, habet ignorantiæ justam causam.

21.

Idem Albertus Abbati N. de obitu Rudolfi Regis Romanorum.

Licèt ex novis ingruentibus timeamus scindi per amaritudinem corda vestra: quia tamen tolerabilius est vos pium sentire dolorem, quàm dilectissimi Genitoris animam filialibus beneficiis defraudari, significamus vobis, quòd Pater noster nunc proh dolor! est defunctus.

22.

Responsio Abbatis.

Audita morte paterna sunt emortua corda nostra. Oramus tamen, qua-

tenus pius Dominus, qui flagello suæ justitiæ nobis hìc in eo abstulit solatium vitæ nostræ, nos illic dono suæ gratiæ ipsum faciat in terra viventium feliciter invenire.

23.

Albertus I. Dux Austriæ & Styriæ confirmat privilegia & possessiones, ab Ottocharo & Rudolfo I. Cartusiæ Seitzensi concessas.

Albertus DEI gratia Dux *Austriæ* & *Styriæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ*, ac *Portus Naonis*, omnibus in perpetuum. Accedens ad nostram præsentiam Vir honorabilis & discretus Frater *Andreas*, quoddam privilegium Monasterio suo in *Seitz* Ordinis Kartusiensis per Serenissimum Dominum & Genitorem nostrum Charissimum, Dominum *Rudolfum* Romanorum Regem semper Augustum confirmatum nobis exhibuit, petens humiliter & devotè, quatenus idipsum privilegium approbare & innovare, de speciali gratia dignaremur. Cujus quidem privilegii tenor de verbo ad verbum talis est. 1290. *Ex Arch. Seitz.*

Rudolfus DEI gratiâ Romanorum Rex semper Augustus Vniversis Sacri Romani Imperii fidelibus præsentes litteras inspecturis gratiam suam & omne bonum. Regalis excellentia tunc præcipuè Auctori suo, per quem sumpsit plenitudinem potestatis, devotionis suæ rependit meritum, cùm ob ejus reverentiam, Religiosarum personarum justis supplicationibus se inclinans, venerabilia ipsarum loca, & in eis Domino famulantes, pia studet providentiâ in suis justis petitionibus & juribus confovere. Venientes itaque ad nostræ Majestatis præsentiam honorabiles & Religiosi Viri . . Prior & Fratres Monasterii de *Seitz* Ordinis Kartusiensis, Celsitudini regiæ devotè & humiliter supplicârunt, ut privilegium sibi ab Illustribus *Otocharo* quondam Duce *Styriæ*, & *Ottocharo* Patre ejusdem quondam Marchione terræ ejusdem gratiosè concessum (cujus rescriptum sub Inclitì Regis *Otocharì* Bohemiæ, Principis nostri dilecti, sigillo nobis exhibitum vidimus) eis de benignitate dignaremur Regia confirmare. Cujus rescripti tenor talis est &c.

Nos igitur pietate solita, qua profectum & utilitatem omnium Ecclesiarum amplectimur, prædictorum. . . Prio-

Digitized by Google

ris & Fratrum devotis ſupplicationibus annuentes, divinæ retributionis intuitu, & pro noſtræ ſalutis augmento, prædictum privilegium, & contenta in ipſo, de regalis gratiæ plenitudine confirmamus. Collationem dictarum villarum *Prapuel* & *Prapvel* videlicet ſitarum in officio *Marchpurch*, prædictis fratribus in recompenſam prædictarum octo marcarum denariorum per inclitum *Otocharum* Regem Boëmiæ factam ratam habentes nihilominus & acceptam. Si quis autem hanc noſtræ confirmationis & ratihabitionis paginam infringere, vel eidem in aliquo auſu violento præſumeret contraire, gravem noſtræ Majeſtatis offenſam ſe noverit incurſurum. In cujus rei teſtimonium & perpetui roboris firmamentum, præſens ſcriptum prædictis Fratribus tradimus, Majeſtatis Regiæ Sigilli munimine roboratum. Datum *Wienne* pridie Idus Januarii, Indictione Quinta, Anno Domini MCC LXXVII. Regni verò noſtri anno Quarto.

Nos igitur prædicti fratris *Andreæ* devotis precibus inclinati memoratum privilegium, & omnia contenta in ipſo, ſicut præmittitur, innovamus, & liberaliter approbamus. In cujus noſtræ innovationis & approbationis teſtimonium & cautelam, præſentes exinde conſcribi, & ſigillo noſtro juſſimus communiri. Datum *VVienne* Idus Novembris anno Domini MCC. Nonageſimo.

24.

Idem Dux Capellæ S. Johannis Bapt. Clauſtroneoburgi donat curiam villicalem in Evvendorf.

1290. *Ex Autogr. P. H.*

ALbertus DEI gratia Dux *Auſtriæ* & *Stiriæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ*, ac *Portus Naonis*, Omnibus imperpetuum. Si ad Eccleſias & loca Deo dicata benè dirigimus aciem mentis noſtræ, & eorum profectibus intendimus diligenter, non tantùm æternæ retributionis merita, ſed & laudis preconia conſequimur temporalis. Vniverſis igitur tam præſentibus quàm futuris volumus eſſe notum, quòd, cùm felicis recordationis quondam Magiſter *Rudolfus*, Notarius noſter dilectus quandam curiam villicalem, ſitam in villa *Evvendorf*, quæ à nobis tenebatur in feodum, ſuo pretio rationabiliter comparaverit, & proprietatem ejusdem Curiæ de manibus noſtris ſuſceperit, Nos de liberalitatis noſtræ gratia, & principaliter intuitu retributionis æternæ, præfatam curiam villicalem cum ſuis pertinentiis debitis & conſuetis, ſicut ipſam tunc memorato Magiſtro *Rudolfo* donavimus, ita nunc eandem Capellæ Sancti Johannis Baptiſtæ in *Neunburga*, cujus patronatus ad nos pertinere dinoſcitur, & viro honeſto *Leupoldo*, Rectori ipſius capellæ, Capellano noſtro dilecto, pro ſalute noſtra, & heredum noſtrorum liberaliter damus, & dedimus ipſi Capellæ, & Capellano noſtro, qui eandem pro tempore rexerit, perpetuò ſervituram. In cujus donationis noſtræ teſtimonium præſentes litteras exinde conſcribi & ſigillo noſtro juſſimus communiri.

Datum *VVienne* quinto nonas Martii Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Nonageſimo.

25.

Idem quoſdam vinearum fructus donat Eberhardo Vitrario in reparationem feneſtrarum ejuſdem Capellæ.

1291. *Ex autograph. P. H.*

NOs *Albertus* DEI gratia Dux *Auſtriæ* & *Stiriæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ* ac *Portus Naonis*, publicè profitentes univerſis præſentium inſpectoribus declaramus, quòd, cùm capellam marmoream in *Neunburga*, Illuſtrium Anteceſſorum noſtrorum Ducum *Auſtriæ* plantationem & noſtram velimus continuis & ſucceſſivis reformationibus emendari, conſiderato, quòd vitreis ipſius Capellæ ſpecialis ſit adhibenda diligentia, Magiſtro *Eberhardo* Vitrario, qui in arte & facultate ſua ſubtilis, expeditus & utilis eſſe dicitur, vineas reformationi & conſervationi vitrearum earundem deputatas hactenus & collatas, duximus aſſignandas, ut ipſarum fructibus & mercede conductus, vitreas ipſas emendet, dum opus fuerit, & reformet. In cujus rei teſtimonium præſentes conſcribi & ſigillari fecimus, dicto *Eberhardo* ſe circa vitreas memoratas exercente decenter & utiliter tantummodo valituras.

Datum *Haimburga* anno Domini Milleſimo Ducenteſimo, nonageſimo primo, ſecundo Idus Junii.

CCLXVI.

Quidam Archiepiſcopi & Epiſcopi concedunt Indulgentias Eccleſiam Monaſterii S. Crucis certis feſtivitatibus frequentantibus, aut eidem loco benè facientibus.

1290. *Ex autograph.* P. H.

VNiverſis Chriſti fidelibus, præſentes literas inſpecturis, *Petrus Arbrenſis*, & *Joannitius Mokicenſis* DEI gratia Archiepiſcopi, *Petrus Tyraſonenſis*, *Benonus Sarmenſis*, *Theobaldus Canenſis*, *Valdebrunus Avellonenſis*, *Jacobus Caſtellanus*, & *Guilielmus Colenſis* eâdem gratiâ Epiſcopi ſalutem ſempiternam, & fructuoſam in Domino Charitatem. Vitæ perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem Civium ſupernorum, à redemptis pretio ſanguinis fuſi de pretioſo corpore Redemptoris meritorum debet acquiri virtute: inter quæ illud eſſe prægrande dignoſcitur, quod ubique Maieſtas Altiſſimi, ſed præcipuè in Sanctorum Eccleſiis collaudetur. Cupientes igitur, ut Monaſterium Religioſorum Fratrum Ord. Ciſt. *Patavienſis* Diœceſis ad *S. Crucem*, congruis honoribus frequentetur, & à cunctis Xpi fidelibus iugiter veneretur, Omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad dictum Monaſterium in feſtis ſubſcriptis, videlicet Inventionis & Exaltationis S. Crucis, in quatuor feſtivitatibus Glorioſæ Virg. Mariæ, B. Bernardi Abbatis, in Dedicationis ipſius Monaſterii die, aut in Anniverſariis eiuſdem Dedicationis cauſâ devotionis & in ſpiritu humilitatis acceſſerint, aut qui dicto Monaſterio pro ſua fabrica vel ſtructura, luminaribus, ornamentis, vel aliis ſuis neceſſariis, & maximè in præſenti ad ſtructuram Chori, quem contributione Elemoſynarum Xpi fidelium mediante, dicti Fratres Religioſi in novum opus laudabiliter erexere, manus porrexerint adjutrices, aut in extremis laborantes quidquam ſuarum legaverint facultatum, nos de Omnipotentis DEI miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, ſinguli ſingulas quadragenas de iniunctis ſibi pœnitentiis dierum, dummodo contentus Diœceſani ad id acceſſerit, in Domino miſericorditer relaxamus. In cuius rei teſtimonium præſens ſcriptum ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandum.

R. P. Pezii Theſ. Anecd. Nov. T. V. P. II.

Datum apud *Urbem Veterem* X. Kalendas Septembris. Anno Domini Milleſimo, Ducenteſimo, Nonageſimo, Pontificatus Domini *Nicolai* Pape quarti anno III.

CCLXVII.

Alheidis de Reinſperg, Eccleſiam Reinſpergenſem, quondam filialem Eccleſiæ Steinekirchenſis, favente Bernhardo Epiſcopo Patavienſi, in Parochialem erigendam procurat.

ICh Alheit von Reinſperg tun kunt allen den, die dieſen Brief ſehent, oder hörent leſen. Datz ich mit Gunſt, und mit Bete meines geiſtleichen Vater Biſchoff Wernhard von Paſſau, und mit Gunſt des Erſamen Abbt Otten von Menſee und ſeiner Samunge, und mit Gunſt des Pharrer von Steinchirche, Herrn Dietmar, datz ich die Chirchen ze Reinſperg die ein Tochter e geweſen iſt, der Pharr ze Steinchirchen geledіget, und gefriet han. Mit als Türre Gülte, alſz dieſelbe Chier dar gedienen möchte. Und das Erſam Abbte Otto von Menſee, und ſin Samenunge mir von ir Genaden verlichen, und gegeben habent die Chirchene ze Reinſperg zallen Pharrlichen Rechte, zelichen, ze min Tagen der wile ich lebe, an datz Geiſtliche Recht, daſz minen Geiſtleicheu Vater Biſchoff Wernhardt zugehört: Und alſo datz ich die Chirchen ze Reinſperg lihen ſol ein biderben Phaffen, der Gote, und den Heiligen, und den Pharreleuten fugent iſt. und datz derſelbe Pharrer ein Prieſter bi im habe. Datz man Gote deſter bas da gedienen muge, durch die Friunge unde dur mins Wirtes Sele, Herrn Engelſchalchs, dem Gote genade. Und darumbe, datz der Pharrer ein Geſellen habe, ſo han ich dargegeben den Hoff ze Mittra, mit aller meiner Erben Inſigel, und mit dem mine. Derſelbe Hoff giltet achte Mutte beder Getreiſt, Korn und Habern, und gilt ein Swein, datz iſt eins Phundes wert, und zwelf Cheſe, das der Cheſe ſechs Phening wert iſt, und zwo Genſe, und ſechs Hüner, und Sechzeck Ayer, und eine Schütte Harnes, und ein zehenden, der gilt drie Mutte beder Getreiſt, Korn und Habern, e mer e

1291. *Ex Autogr.* P. H.

Digitized by Google

miure. Das Gut han ich dargegeben, zu aller der Gülte, und die Chirche e hat gehabt, mit der Bescheidenhait, als vor mit Schrifft begriffen ist. Doch han ich durch mins Wirtes Sele, und durch min selbes Sele, und durch miner Vordern, und miner Nachkomen gelobet, daz Gots Hus ze furdern, die wile ich lebe. Als ich denne nimmer lebende bin: so sol dieselbe Pharre Chirche ze Reinsperg wider gefallen an daz Gots Hus ze Mense. Also daz si der Abbte liben soll z' allen Pharrlichen Rechte, an allen Zins, und an allen Ussiht, ein biderten Phaffen, der GOtte, und den Heiligen, und den Pharrleuten fügent ist.

Das daz alles stete, unde unzerbrochen belibe: drüber geit Uns Unser Geistliecher Vater Bischoff Wernhart von Passau sein Brieff, und sein Insigel. Und ich Alheid von Reinsperg gibe diesen Brieff ze inem Urchunde, und ze iner steten ewechett mit meinem Insigel, und mit mins Bruder Fridriches Insigel von Lengenbach, der Cammerer ist ze Oesterreich. Diser Sache sint Gezeuge, die hie geschriben sint. Herr Lienhart von Mense. Herre Cunrat der Zechent von Schirolvingen Herre Cunrat der Pharrer von Wiselburch. Herre Dietmar der Pharrer von Steinchirchen. Reicher der Wolffstain. Albrecht von Aglarn, und sin Bruder Gundacker. Daz ist geschehen ze Crems von Cristeh Geburt tusent Jar, zweihundert Jar, ein und nunzeck Jar, an dem achten Tage nach Sante Michelez Tag.

CCLXVIII.

Albertus Dux Austriæ confirmat privilegium quoddam, a Rudolfo I. Parthenoni Erlahensi concessum.

1293. *Ex autograph. P. H.*

ALbertus DEI gratia Dux *Austriæ* & *Styriæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ* ac *Portus Naonis*, omnibus in perpetuum. Veniens ad præsentiam nostram Honorabilis *Diemudis* Abbatissa Ecclesiæ in *Erla* privilegium quoddam sibi & Ecclesiæ suæ per Serenissimum Dominum nostrum & Genitorem Karissimum, quondam Dominum *Rudolfum* Romanorum Regem divæ recordationis, traditum & indultum nobis exhibuit & petivit humiliter illud innovari & approbari de nostra gratia speciali. Cuius quidem privilegii tenor per omnia talis est:

Rudolphus DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus omnibus in perpetuum. Ad hæc equitas rationis & censura Justitiæ &c. *Hoc privilegium habetur superius ad A.* 1279.

Nos itaque cùm loca Ecclesiastica sinceris favoribus amplectamur, prædictæ Abbatissæ devotis supplicationibus inclinati prænotatum privilegium de verbo ad verbum, sicut præsentibus est insertum approbamus, innovamus, & huiusmodi scripti patrocinio communimus, à nullo omninò hominum sub obtentu nostræ gratiæ violandum. In cuius rei testimonium hanc paginam sigilli nostri Karactere duximus consignandum.

Datum *Lintze* Anno Dni M. CC. XC. III. XII. Kalend. Junii.

CCLXIX.

Canonici Patavienses ratam habent fundationem Monasterii Engelhartscellensis Ord. Cisterc. factam a Bernardo Ep. Patavienſi.

REcogitantes nos hic civitatem non habere manentem, sed expectare futuram, illam scilicet, de qua gloriosa sunt dicta, cuius omnes incolæ sunt quieti, in qua DEI facies in iubilo videtur, ubi cantant Sancti canticum lætitiæ, ac iugis resonat iubilatio & vox laudis, confidimus in Domino nos eò facilius inter illa beata milia lætantium recipi & conscribi, quantò devotius divini cultus præconia procurabimus in hoc peregrinationis habitaculo dilatari. Cùm igitur Reverendus in Christo Pater & Dominus noster Venerabilis *Patavienſis* Episcopus salubre propositum conceperit, ad honorem gloriosæ Virginis Mariæ in loco, qui *Engelh.* dicitur, Monasterium Cisterciensis Ordinis de novo fundandi, nos eius religioso proposito cupientes adesse cooperatione fideli, Ecclesiam Parochialem ipsius loci eidem novellæ plantationi, quantum in nobis est, damus, & offerimus, & ut ipse Dominus noster Episcopus eam suæ fundationi applicet, ac pleno iure subijciat, liberaliter consentimus, sic, ut, si locus ille per DEI gratiam adeò cœperit pul-

1293. *Ex Cod. Abatis Super.*

pullulare, ut aliqui fratres conventum ibi faciant, eorum uſibus deſerviat, & lege tam Dioeceſana quàm iuriſdictionis exemptus libertate Ciſtercienſis Ordinis cum ſuis capellis, Decimis, ac pertinentiis perfruatur.

CCLXX.

Bonifacius VIII. P. M. Monaſterii Rotenſis Abbatibus uſum Pontificalium indulget.

1295. *Ex Arch. Rot.*

BOnifacius Epiſcopus Servus Servorum DEI dilectis filiis *Heinrico* Abbati & Conventui Monaſterii in *Rot* Ordinis Sancti Benedicti *Friſingenſis* Dioeceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem Expoſcit noſtræ devotionis ſinceritas & religionis promeretur honeſtas, ut tam vos, quos ſpeciali dilectione proſequimur, quàm Monaſterium veſtrum dignis honoribus extollamus. Hinc eſt, quòd nos veſtris hac in parte ſupplicationibus inclinati, ut tu, *Henrice* Abbas & Succeſſores tui Abbates dicti Monaſterii, qui pro tempore fuerint, mitra, anulo, & aliis Pontificalibus inſigniis liberè poſſitis uti, nec non, quòd in dicto Monaſterio & Prioratibus eidem Monaſterio ſubiectis, ac Parochialibus ac aliis Eccleſiis ad vos communiter vel diviſim pertinentibus, quamvis vobis pleno iure non ſubſint, benedictionem ſollemnem poſt Miſſarum, Veſperarum, & Matutinarum ſollemnia, dummodo in benedictione huiuſmodi aliquis Antiſtes vel Sedis Apoſtolicæ Legatus præſens non fuerit, elargiri poſſitis, felicis recordationis Alexandri Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Abbates*, & aliis quibuſcunque conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium conditis, nequaquam obſtantibus, vobis & eiſdem Succeſſoribus Auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum *Romæ* apud Sanctum Petrum IV. Kal. Junii Pontificatus noſtri anno primo.

CCLXXI.

Wolfgangi Monachi Nideraltahenſis Epiſtolæ.

I.

Ad Henricum Ep. Ratiſponenſem. Deprecatur iter Romam pro Stephani Ducis, in Archiepiſcopum Salzb. electi confirmatione ſuſcipiendum.

ECce Pater & Domine, nova fiunt omnia. Olim enim cùm aliqua ſuccedebat proſperitas, Imperatores repentinas ferias indixerunt, in quibus erat commune tripudium, & dabatur requies a labore. Nunc autem Principum noſtrorum felicitas me in triſte tranſmittit exilium, & a quiete Monaſterii ad motuum labores impellit, & qui vix per plana ire poteram, cogor ſcandere vel repere potiùs ſuper Alpes: & cùm per viam naturæ de iuventute in ſenium ſit progreſſus, ipſi econtrario me ſenem faciunt iuveneſcere, iamque atidum mandant refloreſcere in vigorem, de gravi agilem, fortemque ex debili ſtatuentes. Sic in me potentiæ ſuæ miraculum operantur. Et quia credo illud a veſtro conſilio proceſſiſſe, deprecor humiliter, quatenus benedictionem veſtram meæ debilitati præſtare dignemini, ut ſit mihi ſuſtentationis firmus baculus me ſublevans a ruina, rogans, quatenus ad memoriam revocare dignemini gratiam mihi *Viennæ* cum multa iocunditate promiſſam, quod videlicet contentus eſſe velitis locatione, per * quam Vicarium in *Pledling*, donec ad reditum patrui mei immutabiliter ſtabilivi. Quia etſi hoc tunc factum non eſſet, credo tamen, quòd veſtra Benignitas me nequaquam hoc tempore contriſtaret colles imponendo montibus, hoc eſt: triſtitiæ triſtitiam iniungendo. Adhuc patruum meum *Albinum Monaſterienſem*, Canonicum, latorem præſentium Dominationi veſtræ ſpecialiſſimè recommendo, quatenus ei in conſecutione penſionis ſuæ ac aliis gratioſiùs aſſiſtatis, mihi quæcunque volueritis, præcepturi.

Digitized by Google

2.

Ad Decanum Salzburgenſem, eiuſdem ferè argumenti.

OB rem geſtam feliciter Imperatores olim repentinas ferias indixerunt, volentes in eis tantam [illegible] quietem hominum, ut in ipſis etiam iudicialis ſtrepitus conquieſceret, quemadmodum in feriis ſollemnibus ad honorem DEI ſeu Principis aut civitatis inductis, vel hominum neceſſitatibus indulgendis. Sed nunc econverſo noſtrorum Principum felicitas a quiete Monaſterii me miſerum exulare compellens cogit ad Romanam Curiam ſenem ac debilem laborare.

3.

Reſponſio Decani.

VIta veſtra multis eſt utilis: ideo deberet ſolatiis & quiete foveri, balſamo ac quolibet fomento delectabili conſervari. Unde triſtamur, ſpiritum veſtrum per aliquas extædiari moleſtias, quamvis aliàs de promotione Domini Ducis *Stephani* non mediocriter gaudeamus.

4.

Ad Gundakkerum Protonotarium Ducis Bavariæ, Timet, ne nimia itineris Romani dilatione negotium Ducis Stephani corrumpatur.

ELectis ſeu poſtulatis Eccleſiarum, quas Sedi Apoſtolicæ immediatæ unit ſubjectio, Canon unum Menſem pro beneficio deliberationis indulget, infra quem ſuper conſenſu vel diſſenſu, quorum intereſt, ſuam inſinuent voluntatem: conceſſo ex tunc nihilominus menſe altero, ut iter arripiant ad Romanam curiam procedendi. Alioquin iidem electi ſeu poſtulati omne ius prorſus amittunt, quod eis fuerat acquiſitum. Quare cùm iam maior pars permiſſi temporis ſit elapſa, timendum eſt, ne poſtulationis negotium quod promovendum ſuſcepimus, per noſtram negligentiam ſuffocetur.

5.

Reſponſio Gundakkeri Protonotarii.

TAm in iudiciis quàm negotiis, ubi quis certo die comparere tenetur, impedimenta legitima moras excuſant, quorum aliqua ſubjicio in corpore iuris clauſa: ſicut eſt valetudo corporis & captivitas, metus hoſtium, vis fluminis, tempeſtas maritima & terrena, defectus navigii, pons ſublatus. Cùm ergo nos diluvium cingat aquarum, ſuper mora præfati temporis iuſtè poſſumus excuſari.

6.

Reſponſio Wolfgangi ad prævedentem Gundakkeri Epiſtolam.

EX ſcriptis per vos impedimentis aliqua determinationes a Jure recipere dignoſcuntur. Excuſat enim morbus ſonticus, non autem leviſſima febris, aut vetus quartana, in quibus patiens poteſt omnibus negotiis intereſſe. Sic & excuſat metus hoſtium, ſi non alibi quàm per diſtrictus inimicorum patet acceſſus. Tempeſtas maritima tunc defendit, cùm etiam per terras commodè veniri non poteſt. Item vis fluminis tunc exceptionem generat, cùm non poteſt commodè circumiri. Secundùm hoc igitur deliberabitis, utrum mora noſtra rationabiliter exculetur.

7.

Reſponſio Gundakkeri ad præmiſſam Wolfgangi Epiſtolam.

ADeſt poſt tempeſtatem temperies, denſisque nebulis caloris beneficio rarefactis in pulchra facie Sol apparet, & contractis aquarum diluviis patet viantibus iter ſiccum. Quoniam igitur elementa ſe votis noſtris inclinant, ad proſecutionem poſtulationis favorabilis in nomine Domini feſtinemus. Sollemnis eſt enim poſtulans Eccleſia, & poſtulata perſona illuſtrem obtinet dignitatem.

8.

Idem Welfgangus ad eundem, ex quo nôſſe cupit, quis animus quæque voluntas fuerit morituri Archiepiſcopo Salz-burgenſi.

IN quodam horto delitiarum ſolatiatur animus meus, dum veſtræ ſocietatis & amicitiæ non ſine interno gaudio recordatur. Peto autem omni ſtudio & fervore, quatenus mihi mittatis in ſignum ſinceriſſimæ charitatis tranſcriptum Papalium

palium litterarum exprimentes mihi, in quo ſtatu & voluntate quoad exitum ſuum fuerit tempore licentiæ veſtræ Dominus Archiepiſcopus *Salzpurgenſis*, & in quo propoſito quoad Clericatum ſit Dominus Dux *Stephanus*: & utrum ſit ſpes, quòd memoratum Archiepiſcopum in pace recipiant, ſicut revera fidelibus ſervitiis deſervivit, & toti patriæ feliciter expediret.

9.

Idem ad Heinricum Epiſc. Ratisbonenſem: Stephanum Ducem ab Archiepiſcopatu Saliſb. rejectum, & ad Capellanatum Papalem admiſſum eſſe, non ſine ſpe obtinendi Archiepiſcopatus, ſi litteris dare operam voluerit &c.

MIrabilis animorum mutatio ex rerum emergentium inſtabilitate procedit. Quia, dum motus interior exteriori ſtatui ſe conformat, mens humana cum rota Fortunæ circumvolvitur, & juxta diverſitatem negotiorum quaſi vento contrario circumfertur. Unde pro ipſa contrarietate cauſarum triſtitia quandoq; convertitur in gaudium, & plerumque riſus in doloribus conſummatur. Sanè cùm ab initio ætatis naturali ſolo ſic mea eſſet affectio alligata, ut in ſola patria requiem reciperem locis aliis præ illius dulcedine vilipenſis. Nunc ejus deſiderium converſum eſt in tædium, dulcedo facta eſt acida, meoque judicio ſios ejus decidit, decorque deperiit vultûs ejus, ut gratius ducerem viſitare ſepulchrum Dominicum, quàm ad moleſtias ejusdem patriæ remeare pro eo, quòd promotio illuſtris & acceptiſſimi juvenis ſcilicet Domini *Stephani* poſt labores aſperrimos, poſt allegationes Angelicas, poſt cauſas ſine comparatione motivas, poſt promiſſiones optimæ ſpei organo Papalis vocis emiſſas, finaliter admiſſa non extitit, & in loco, ubi totum occupat auctoritas, juris arietes & legum cornua ceciderunt.

Verùm quia Dominus Papa eodem Domino *Stephano* in Capellanum recepto dictis & ſcripris cætu Cardinalium præſente & favente promiſit, quòd ipſum proſequatur gratiis, imò affluentia gratiarum, ſi litterarum ſtudiis, curaverit applicari: rogo humiliter, ut veſtra Paternitas, quæ ſæpè dictam patriam & ejus Principes conſilio ſalutari gubernat, illud ſtudeat efficere, ut aliquibus Scholis ſe ad tempus aſſociet, dignitatis Eccleſiaſticæ talem titulum ſine dubio breviter receperus, per quem gloria ſui generis exaltationis accipiet incrementa, maximè cùm Reverendus Pater Dominus *Salzpurgenſis* Archiepiſcopus paratus ſit ei decenter ſubſidia ſtudiorum miniſtrare, ipſumque affectat habere ſucceſſorem, quod & eo, ſicut deſiderat, ſine difficultate cedente fiet faciliùs in tempore aptiori. Ad cujus etiam Archiepiſcopi amorem intimum vos invito, qui tanta reverentia Paternitatem veſtram amplectitur, ut, quamvis ſecundùm gradus Eccleſiaſticos Archiepiſcopus ſuffraganeo ſuo ſit ſuperior, ipſe tamen vobis præeſſe non appetit, ſed omni devotione ſubeſſe: nec à veſtris monitis ſeu beneplacitis alicujus viventis ſuggeſtionibus avertetur. Hoc in fide mea ſecurè recipio ſicut cui ſpecialiter illud conſtat. Quare & vos ſuam dilatando innocentiam honorem proprium cumulatis.

Grave eſt illorum legationes aſſumere, qui nuntiorum diligentiam non adtendunt, ſed eis reportatam imputant negativam: cùm tamen ad bonitatem nuntii ſufficiat cauſæ ſuæ fideliter inſiſtere, ſed ab alio pendeat petita concedere vel negare. Certè cùm modò rediiſſem, quidam pro gratiarum actionibus capiti meo lapides inferebant.

10.

Ad eundem. Commendat ei patruum ſuum Albinum, ad beneficium Eccleſiæ Rorenſis adſpirantem.

ADtendens benignè veſtra Paternitas, quòd à tempore primæ notitiæ nunquam deſtiti veſtris ſervitiis inhærere, dignata fuit jam dudum mihi promittere, quòd in promotione alicujus mei conſanguinei me intenderet conſolari. Quare cùm in relevatione *Albini, Monaſterienſis* Canonici, præpotens Domina, ſcilicet virgo glorioſa mecum tanquam promotionis ſuæ ſocia occurrere videatur, ſpero, quòd propter ejus reverentiam, qui eam ſincerè diligitis, deſiderio meo in prædicto meo patruo efficaciùs faveatis. Cùm enim Eccleſiæ de *Ror*, cujus eadem Virgo Patrona exiſtit, quæ plenam gratiam prima omnium recipere meruit, aliisque pluribus dare conſuevit, vos oblationis primitias in Parochia de *Sitleinstorf* cum quodam onere obtuleritis, pulchrum erit,

erit, ſi gratiam ex adjuncto onere ſemiplenam deduxeritis ad plenitudinis complementum, ſicque ex una collatione ſtipendium *Albino* debitum compenſante memoratam & ſemper memorandam Beatam Virginem honorabitis, promiſſum mihi factum complebitis, Eccleſiam de *Ror* veſtra plantatione relevabitis, prænominatum *Albinum* conſolabimini, & ita proinde ab omnibus nobis perſonabit veſtro nomini gratiarum actio & vox laudis. Interim tamen Præpoſitum de *Ror* propter Deum & juſtitiam compellere dignemini, ut celerior exiſtat in ſolvenda penſione debita, ne pauper iſte Scholaris plus diſpendii quàm gratiæ ex hujuſmodi beneficio ſentiat, quod certè non credo eſſe ſine verecundia & peccato.

11.

Ad eundem de quadamcauſa, in quaCh. Præpoſiti Monaſterienſis litteras de falſitate ſuſpectas eſſe poſſe contendit.

COmpatiatur mihi veſtra Reverentiſſima Paternitas, & ſi audeo dicere, injuriam propriam ponderate in eo, quòd *Monaſterienſis* Præpoſitus . . præceptis ſuis incluſit propter illas citationis litteras, quæ de veſtro mandato ad *Monaſterienſe* Capitulum emanárunt, in quibus ſibi & eidem certè Capitulo non gravamen infertur, ſed gratia, in eo, quòd ſuper facto proprio in præjudicium alterius audiuntur. Quia licèt quædam figmenta ponantur in principio, quæ, ut de aliis tamen taceam, propter dilationem temporis, quæ inter culpam, prout aſſerit, pœnamque interceſſit, prout in litteris Domini Præpoſiti dicitur, meritò ſint ſuſpecta: ex fine tamen evidenter apparet, ex quo fonte charitatis vel odii proceſſerit ille rigor. Et eſt mirabile, quòd cùm idem *Ch.* & ſit Præpoſitus & Decanus, & ſic in eo concluſum ſit totum Monaſterii magiſterium, in litteris ſuis præſumat dicere, quòd per inquiſitionem cognoverit hæc vel illa, cùm ipſe præſentiali reſidentia ex utroque officio teneatur vigilare ſuper cuſtodia gregis ſui, non de eorum factis per fulgura & coruſcationes & clauſæ inſinuationis tonitrua divinare.

12.

Ad Eundem, ut videtur. Rogat, ut abdicationem Abbatis Ensdorfenſis Engel. benignè admittat.

COmmendanda eſt apud DEUM & homines diligens veſtra Paternitas, quæ virgulas ſive perſonas bonas conſuevit in ſancta Religione plantare, quatenus ex eis arbores fructiferæ in templo Domini erigantur, quæ ſe poſtmodum in ramos multiplicent, & animabus fructus medicinales generent, qui & ipſi DEO apportent odorem delectabilis ſuavitatis. Unde licet hac conſideratione pium ac ſanctum fuerit veſtrum propoſitum, venerabilem Fratrem noſtrum Dominum *Engel.* ad Abbatiam in *Ensdorf* veſtræ Diœceſis pia ſollicitudine transplantando: quia tamen ipſe adeò ſterilem reputat & ſalſuginoſam, ſicut de terra illa dicitur, de qua Eliſeo obtulerunt querimoniam filii Prophetarum, nec ad conferendam ubertatem eidem credit vel ſperat ſufficere vires ſuas: rogo humiliter, ut quamvis jus non det alicui licentiam contra ſtimulum obedientiæ calcitrandi, quia ex pietate Superioris & Canonica æquitate rarò conſueverunt aliqui retineri finaliter de fructu præcipuè deſperantes, vos eum intuitu DEI ad preces humilitatis ſuæ à vinculo regiminis abſolvatis. Quia fortè poſſibile eſt, cùm DEUS ſua dona non uni confert, ſed ſingulis, prout vult, diſtribuat, poterit ibi perſona alia veſtra circumſpectione locari, quæ & velit & valeat onus ſuſcipere, quod ipſe à ſe excutere nititur & auferri. In hoc credo vos facturum DEO ſervitium, petenti relevamen congruum, & loco, cui invitus præſidet, per Succeſſorem voluntarium ſublevamen. Cæterùm credo, quòd etſi multos habetis ſervitores utiliores & æquè fideles, fideliorem tamen me non conſentio vos habere, rogans, quatenus Domino Abbati & mihi Magiſtrum *Bartholomæum* de benignitate ſolita concedatis.

13.

Ad Eundem: ut Fridericum Plebanum in Plædling ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, ſuo beneficio annexos, compellat.

QUamvis prima facie videatur, quòd nemo ſit cogendus ad bonum, eò quòd voluntarium militem DEUS eligit,

&

& coacta ſervitia Dominus aſpernatur, revera tamen ſecundùm doctrinam Canonis & boni fovendi ſunt in bono, & mali pia coactione piè ac ritè reducuntur ad bonum. Quia cùm humanæ naturæ proprium ſit conſueta diligere, & de facili non dimittere, quæ jam in aſſuetudinem ſunt deducta, contingit per virgam correctionis adhibitam malum per diſſuetudinem amareſcere, & bonum opus ex aſſiduitate dulceſcit, ſic ut virtus, quæ priùs habebatur pro tædio, nunc cum deſiderio peragatur. Quæ tamen coactio præcipuè fructum facit in juvenibus, qui virgulæ novellæ comparantur, quæ ſi à ſtatu ſuo fuerit incurvata, de facili ad rectitudinem pro ſui teneritudine reflectitur. Si autem ſemel ſeneſcens in rarum induruerit, amodo faciliùs frangitur quàm flectitur. Sic cùm in homine diſſolutionis morbus invaluerit, nimis ſerò plerumque conficitur inutilis amodo medicina. Quare rogo humiliter, quatenus *Fridericum* Plebanum de *Pledling* jugo Dominico alligantes, ad receptionem Ordinum annexorum ſuo beneficio compellatis, non adtendentes, ſi fortè in eluſionem tam ſacri præcepti dixerit, ſe velle ire ad ſtudium, cùm per certa ſigna, immò per aperta opera plene conſtet, quòd cauſa ſubterfugii hæc figmenta componit. (Sed quoniam) ſecundùm utrumque jus plus debet valere, quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur, veſtra eum Paternitas ad id faciendum compellat, ad quod eum ſuſcepta cura animarum obligat & adſtringit. Melius eſt ei orare pro populo, quàm advocare in foro. Et cùm multi dicant ſe pergere ad ſtudendum, finaliter ſe applicant ad ludendum, ut de decem proficiſcentibus vix unus bonus redeat Advocatus.

14.

Eidem. Rogat, ut nepotis ſui Plebani Pledlingenſis abſentiam in annum benignè ferat, & domum ejus Parochialem inſtauret.

Dlu mei fuit deſiderii, ut *Fridericus* Clericus veſter de *Pledling* in veſtra Diœceſi reſidentiam perſonalem . . , quippe qui cum Propheta in ſacris veſtris manibus virgam video vigilantem, virgam directionis, virgam magiſterii, quæ frequenter ſomnolentos excitat, errantes dirigit ac compeſcit, ſeu corripit inſolentes. Propter quod ſub veſtro regimine ſi-

cut in ſcholis diſciplinæ Clericalis honeſtas addiſcitur & abjicitur inhoneſtas. Quare cognoſcens eum reſidendi animum concepiſſe, conſolationem receperam, quæ tamen per infortunium ſubſequens eſt ſubverſa, quia Vicarius ſuus nocte illicentiatus aufugiens ſubtraxit eidem debitam penſionem, nec aliquid reputabile ibi reliquit ædificium, immò ruinoſa domuncula vix terræ cohærens potiùs eſt piſcatorum vel paſtorum tugurium quàm Clericalis manſio reputanda. Unde licèt cum gravitate, inſpecta tamen prædicti nepotis evidenti neceſſitate rogare compellor, quatenus pro uno duntaxat anno ſuam abſentiam dignemini tolerare, provisò per veſtram providentiam gratioſam, quatenus inter ipſum paſtorem & locandum ibi Vicarium talis pro ædificiis fiat contributio, ut appareat ſaltem unus angulus, ubi ad comedendum panem ſe poſſit recipere veniens illuc ſuus Archidiaconus vel Decanus.

15.

Ad eundem pro patruo ſuo, quem ut adverſùs quorundam technas defendat, magnopere rogat.

CUm in omni loco Dominus *Ratiſponenſis* Epiſcopus præ aliis Dominis ſit Magiſtro *Wolfgango* gratiâ ſingularis, ita quòd iis, quæ vobis placere cognoſcerem, præcederet fervens devotio juſſionem, rogo humiliter, quatenus juſtitiam etiam patrui mei exulantis in ſtudio ſolita gratia foveatis, cùm ſtudentes hujusmodi non ſolùm ſecundùm Catholicorum Principum, immò etiam juxta Gentilium ſententias pio ſint compaſſionis auxilio conſolandi, perpendentes, quomodo pars adverſa per adinventionem DEO & Juri abominabilem, Solem Juris intendunt reducere ad interrogationem Nicodemi, qui noctu legitur Dominum acceſſiſſe, dum antedictum patruum meum, quem ſe elegiſſe, & quod plus eſt, electum in ſuum conſortium recepiſſe fatentur, & ſic in omnibus, quæ in ipſis eſſe poterant, in lucem vivificam produxerunt, nunc conantur reducere in uterum matris ſuæ, ut denuo renaſcatur cum quibusdam aliis, quos ſe aſſerunt in futuræ deliberationis utero parturire. Et niſi pro certo conſtaret, quòd inter vos, Dominúmque *Patavienſem* Epiſcopum eſſet una communio ſeu communis unio voluntatum, nulla ratione per advocationem

ſuam vel alterius cujuſcunque præfixum per vos terminum neglexiſſem. Quare id, quod in hac parte ſub ſpe beneplaciti veſtri feci, Paternitas veſtra dignetur in bono accipere, maximè cùm apud eundem Dominum velim fideliter agere causâ veſtri, videlicet ut ipſe cameræ noſtræ læſi pedis inferat medicinas, & nihilominus liberaliter, ut conſuevit, reſarciat damnum datum, rogans ad ultimum, quatenus Clericus veſter, patruus meus ſit apud benignas aures veſtras acceptabile organum vocis meæ.

16.

Ad Decanum Ratiſbonenſem. Vocatus ad Synodum Everdingenſem commendat ei negotia ſua.

SPero, quòd, ubi ego præſens eſſe non poſſum, mea per veſtram Dilectionem abſentia ſuppleatur. Ecce ſemel & iterum vocatus per Dominum *Patavienſem*, ut Capitulo ſuo apud *Everding* nunc celebrando, quod à tempore creationis ſuæ primum in partibus illis exiſtet, debeam intereſſe. Rogo, quatenus literas ejus ſupplicatorias ſuper præfixi termini prorogatione directas Venerabili Domino noſtro *Ratisponenſi* Epiſcopo una cum N. Rectore in *Pladling* dignemini præſentare, negotii mei bonus interpres & promotor more ſolito exiſtatis inducentes Dominum . . quatenus pœnas, in contumeliam mei inflictas, benigne remittat, cùm talia munimenta vel remedia non inſtruant, ſed inficiant cauſam ſuam, ſcituri, quòd in negotiis veſtris ego nunquam me faciam ſeu reputabo abſentem, immò ſolam notitiam habeam pro mandato.

17.

Ad Bernardum Epiſcopum Patavienſem de treugis & pace belligerantium Principum, cui ut accedat Epiſcopus, Wolfgangus ſuadet.

QUanquam nulla mihi dubietas fuerit vel ſit, quin veſtra providentia ſe ac Capitulum ſuum treugis ac paci Domini Ducis *Auſtriæ* procuret includi, immò nec veriſimile ſit tantum Principem illos in ſubeunda pace deſerere, qui ſibi in rebus bellicis adhæſerunt: propter verba tamen aliquorum de hoc dubitantium vobis ſuper habenda illius conſilii memoria nuper a *Patavia* litteras deſtinavi. Et quia fidei ac ſinceritatis meæ oculis circumluſtrare deſidero omnes duplicitatis angulos ac doli latebras, qui ab adverſariis poſſent objici, fideliter ac ſagaciter prævidere nunc eidem conſilio adjicio, ut, ſi Dominus Archiepiſcopus ſuper facto veſtro fortè reſponderit, quòd ſtatuta totius Conſilii ipſe tanquam ſingularis non poteſt aliquatenus immutare, reſponderi poteſt, quòd etiam dato hoc idem eſſe, tamen quia vos & Dominus *Friſingenſis* & *Secovienſis* cum memorato Principe eſtis illud placitum acceſſuri, & alii tres Epiſcopi ſive abſentes ſive præſentes de ſinu ſuo prodeunt, utpote unius Diœceſis & ejusdem ſecum limite circumcluſi, apparet, quòd illud corpus ſui Concilii in loco tractandæ pacis bene reficit, conficit & perficit, dummodo ſuæ ſederit voluntati. Nec eſt quæſtio de abſentia Domini *Ratisponenſis*: quia ipſe & in illo tractatu & poſtea conſenſum ſuum adjiciet vigoroſè. Præmiſſa tamen ex inſufficientis appellationis formidine non ſcribuntur, ſed, quia expedit vitari circuitus, ubi planus patet exitus, & optabilius eſt exire liberum, quàm evadere poſt periculum & labores.

18.

Ad Canonicos Ratisbonenſes: ne patruo ſuo certam prebendam ſubtrahant.

CUm multam mihi gratiam ſæpè diúque feceritis, doleo, quòd nunc non ſolùm eam ſubtrahitis, immò etiam in præbenda patrui mei meram mihi juſtitiam denegatis. Redite, quæſo, ad planitiem prioris amicitiæ, quatenus illi, quibus ego ſervio, grates una mecum vobis debeant exhibere.

19.

Reſponſio Canonicorum ad præcedentem epiſtolam.

FRatruelem veſtrum cum pluribus aliis in Canonicum elegimus, prioritatis nobis inter electos eosdem honore reſervato quoad aſſignationem ſtipendii præbendalis. Unde cùm quilibet in traditione rei ſuæ poſſit legem, quam vult, imponere, nos per gratificationem unum aliis præponendo nulli injuriam facimus, ſed utimur jure noſtro.

20. *Wolf-*

20.

Wolfgangi Responsio ad præmissam Epistolam.

SApientes sciunt inter rem suam & jura spiritalia multum interesse. Nam & contractus ex conventione legem accipiunt. Sed in spiritualibus omnis pactio & omnis conventio improbatur, sicque in his & aliis res corporalis & jus spiritale non ambulant pari passu.

21.

Responsio Canonicorum Ratisbonensium.

CUm ad locum nostrum, ac si esset ibi portus aut civitas, plures viæ militares sive regiæ terminentur, vexat nos cottidiana transeuntium multitudo. Quare salva amicitia vestra præbendam nunc vacantem tali assignabimus, qui facultatibus & prudentia sit idoneus una nobiscum hospitalitatis onera supportare.

22.

Wolfgangi Responsio ad priorem Epistolam.

GRata est illa duntaxat hospitalitas, quam quis exhibet de re sua. Sed præbenda jam vacans de jure patruo meo debetur, nec potest in alium rite transferri. Quia etsi acceptabile sit DEO sacrificium justitiæ immolantis, tamen ex alieno est oblatio maledicta.

23.

Ad Conradum Archiepiscopum Salisburgensem. Ut nepotibus suis se munificum præstet.

PUgil & propugnator vestri nominis esse studui veritatis umbone retundens dolos & mendacia detractorum, implorans vestram gratiam, ut nepotum meorum indigentiam pio relevamine sublevet & abstergat.

24.

Responsio Conradi ad præcedentem Epistolam.

FIdes vestra non latet in tenebris, sed erumpit in publicum splendor ejus: quia recitatione multorum cognovimus, quomodo divulgata est per vos purificatio nostræ famæ. Unde scitote, quòd sicut memoriam nostram fecistis & facitis in bono, sic & nos vestrorum Scholarium cogitamus in optimo recordari.

25.

Ad eundem Conradum ejusdem ferè argumenti.

GEneroſa virtutis vestræ dilatatio, ubi signa sinceritatis invenerit, ibi se reputat servitia recepisse, fidémque tanquam laborem remunerat, ubi se non offert opportunitas obsequendi, in supplementum operis computans motus intimæ voluntatis, sic quòd sola devotio apud liberalem vestrum animum gratiam interpellat. Cum igitur venerandæ creationi vestræ offerens primò devotæ congratulationis officium primus omnium clarificaverim famam vestram, quam plures tunc temporis obfuscabant, vósque mihi promiseritis, quòd me velletis in meis nepotibus consolari, rogo, ut gratiam effusam de vestris labiis quoad fraternelem deducere dignemini in effectum.

26.

Responsio Conradi Archiepiscopi.

DIgnè præmia digna sperabit à nobis vestræ dignitas honestatis, cujus bona voluntas nobis apparet per opera, cujus fides fideli ministerio prodit in publicum, cujus devotio se per radios effectuum manifestat. Quare & nos de vestra remuneratione condigna effectivè cogitabimus desiderium vestrum in vestro patruo, quàm citò se facultas offeret, compleruri.

27.

Ad Eundem. Gratulatur ei victoriam ex Alberto I. Duce Austriæ apud Rastat reportatam.

IMplacabilis Holofernis secundi ferocitas bellum Sanctis constituit, dum Prin- Circ. 1291.
ceps ille, quem sua sævitia satis denominat, munitiones ac possessiones alias Ecclesiarum DEI irreverenter usurpat, jura Patronatuum sibi vendicat, Clericos institutos per Episcopos abijcit, alios non pro licito, sed pro libito instituit, claves contemnit, censuram Ecclesiasticam in ludibrium pernicioſa temeritate convertit. Hic igitur non contentus Parochialium, immo nec Ecclesiarum Suffraganearum gravamine sanctam Metropolim *Saltzpurgensem* invadere non expavit, tentans eam, quæ est Domina gentium, Princeps provinciarum, Caput Ecclesiarum plurium & Magistra, non tantùm redigere sub tributo, immo, quantum in ipso est, in totum subijcere servituti, dum

dum erectis contra eam doli & sævitiæ cornibus illam sub tam sæva calliditate, ac callida sævitia conatur concutere, ut præclusis itineribus montium, & per consequens sublata facultate omnium victualium sine ferro capiatur & igne.

Sed quia non est prudentia, non est consilium contra DEUM, infatuatus est Achitophel in suo consilio, & Pharao in fortitudine exercitus est contritus, dum Divina favente gratia Princeps & Præsul *Salzpurgensis* Ecclesiæ victricia vexilla reportat, civitas requiei requievit in gloria, campi occisorum sanguine irrorantur, vulnerati abducuntur, sic fugiunt inglorii, qui priùs de sua gloriabantur potentia, ut sociùs non expectet socium subsequentem. Quare Pater & Domine post longam sollicitudinem de dubio belli eventu priùs habitam de vestro triumpho tripudio, de victoria gaudeo, sic ut omnibus intimis lætitiâ serenatis tristitia in me non occupet ullum locum, si solummodo vestra dulcissima liberalitas compleviset erga *F.* dilectum avunculum meum suorum dulcedinem promissorum.

28.

Ad eundem de nece nepotis sui, cujus sensum beneficiis in alios nepotes suos collatis mitigari cupit.

SUper innocenti nece charissimi nepotis mei, quem nuper in occisione gladii fera effera devoravit, concludor in doloris dolio, in me geminatur gemitus, stringor & scindor singultibus, & mare amaritudinis opperit caput meum, quia orbatus sum ocunditatis oculo, ac senectutis baculo destitutus: & dum crederem me in ejus persona delectari in lætitia, & in delectatione lætari, flos ille meus in ipso suo ortu occidit: & dum sperarem eum habere superstitem, nunc ordine turbato secum descendit meus spiritus in sepulchrum. Verùm quia in omnibus angustiis in vestra Paternitate unica est mihi respiratio, & spes de vobis habita præbet mihi reclinatorium post labores, peto humiliter, quatenus in personam nepotis mei superstitis, videlicet *Ch.* vestri Scholaris per vestram gratiam citò videre merear dies bonos, sentiens in effectu promissionis vestræ dulcedinem repetiram, per quam in beneficio providere cogitástis eidem, venerabili Patre Domino *Lavendino* ad hoc executore concesso, sic ut evidenter appareat, quomodo Patet Patrum, Princeps Principum gratiosè consolari noverit Capellanum humilem, Doctoratus tamen cathedra decoratum. Commendo insuper vobis nepotem meum *Frid.* Canonicum *Oetingensem*, qui per partes vestras transire cogitat versus *Bononiam* causâ studii proficiscens.

29.

Eundem rogat, ne laicorum calliditate opprimi permittat Abbatem Gotwicensem.

EXpertus sum modò in re, quod sæpe perceperam per auditum, quòd infirmitates graves per se solæ non veniant, sed secum ducunt socios passionis. Sic pro certo infirmitas me opprimens adduxit secum sociam se majorem, quòd nec apud *Lintzam* nec alibi fuit mihi possibilitas vos videndi. Cæterùm cùm virtus vestra ad omnes generaliter se extendat, & quasi fons indeficiens influat & effundat de se sperantibus flumina gratiarum, illis tamen fluit & pluit dignè dulcius, qui se vestræ Paternitati fideles exhibent & devotos. Unde cùm in illorum numero & studio charissimus Dominus meus Venerabilis Abbas *Chotwicensis* * per omnia se reponat: rogo humiliter, quatenus eum in suo desiderio vestra benignitas audire benignè, ac benigniùs exaudire dignetur, ne laicalis calliditas, qui non solùm per apertas violentias, immò etiam per adinventiones astutas personis Ecclesiasticis adversantur, injustè contra eum prævaleant, ea, quæ sui juris non existunt, injustè suis voluntatibus seu potiùs voluptatibus attrahentes.

* *f.* Hermannus.

30.

Ad Episcopum Lavantinum. Implorat ejus patrocinium pro Abbate Gotwicensi in causa Patronatus Ecclesiæ S. Petronellæ.

GRatiosa & continua familiaritas, in qua nunquam passus sum à vestra benignitate repulsam, ac frequens exauditio precum omnium, quas vobis duxero porrigendas, ad hoc me inducit, ut ambulans per viam solitam iterum petitionem rationabilem & exauditione dignissimam vestræ offeram bonitati. Quare cum Venerabilis Dominus Abbas *Gotwicensis* charissimi

Digitized by Google

chariſſimi Domini mei Archiepiſcopi & veſtri omnino devotus exiſtat: rogo humiliter, quatenus eum in ſuis deſideriis efficaciter dignemini promovere, ne laicalis calliditas contra Eccleſiaſtica jura ſub pallio aſtutiæ iniquè prævaleat, & perſonæ Eccleſiaſticæ prænominato Domino Archiepiſcopo & vobis fideliter intendentes in ſuis juribus & honoribus ſupplantentur, ſic ex gratia ſuperabundanti facturi, ut ſi per caſum aliquem neceſſe habuerit negotium ad Romanam curiam transferendi, veſtra Paternitas ſuis eum amicis amicabiliter recommendet, prædictusque Dominus meus pro eo ſcribat, quibus vos pro eo ſcribendum videritis, qui tam juris notitiam quàm ſtatum Curiæ notum ducitis & geſtatis.

31.

Abbatis Gotwicenſis Epiſtola ad Conradum Archiepiſcopum Salisburg. de eadem re.

TAntam ſcimus eſſe ſinceritatem veſtri pectoris, ut nullo modo dubitemus, quin perſonis Eccleſiaſticis veſtræ jurisdictioni ſubjectis, contra opprimentium violentias & contra verſutorum aſtutias aſſiſtatis. Quare cum potentes aliqui in jure ac honore nobis competenti impedimenta injicere moliantur, petimus humiliter, quatenus cum *Friderico* de... cui propter ſuæ probitatis merita ac utilitatem Eccleſiæ *S. Petronellæ* in metis *Ungariæ*, per potentiam ſuorum amicorum faciliùs & melius defenſandæ, neceſſitate urgente eandem Eccleſiam duximus conferendam, Diœceſani Epiſcopi ſuffragante conſenſu, dignemini tam utiliter quàm miſericorditer ſuper defectu ætatis, quam ſuſtinet, diſpenſare, aliàs nos de benignitate veſtra, quæ ſe omnibus communicat, prout *H.* Notarius noſtet lator præſentium exquiſierit, promoventes, quia ſub defectus prætextu ejusdem quidam collationem Eccleſiæ ad Perſonam ſatis incongruam, prout accepimus, trahere machinantur.

32.

Idem Abbas ad Epiſcopum Laventinum, cui preces ſuas & cauſam Petronellenſem commendat.

TAm dulcis & tam amica eſt apud omnes famæ veſtræ ſuavitas, ut pro certo ſciamus apud vos ſemper odorem conſolatorium inveniri. Rogamus igitur omni ſtudio & affectu, quatenus virtus veſtra ſe diffundens ad omnes, nos etiam ſub generali univerſitate includat, petitiones noſtras per dilectum Notarium noſtrum *H.* veſtris auribus inculcandas apud Revcrendum Dominum Archiepiſcopum & *Salzpurgenſe* Capitulum de benignitate ſolita efficiatis, promoventes adjunctis auxiliis, quæ tam ibi quàm alibi noſtræ cauſæ omnino neceſſariæ poterunt ſuffragari.

33.

Wolfgangi Epiſtola ad Abbatem Gotwicenſem. Cur vocatus venire non potuerit: cauſam ejus in tuto eſſe &c.

EXcuſat me rei experientia, quòd vocatus per veſtrum nuntium piger extiti ad deſcenſum, quia pro certo omnia, quæ præſens dicere potuiſſem, comprehendiſſe me credidi per ſcripturam. Et fortè corpuſculum meum ægritudinis præſenſit anguſtias, quam fortiter ſum expertus. Sed quia per DEI gratiam ſpero me convaleſcere, veſtrumque negotium eſt in Sapientum manibus tanquam in portis patentibus collocatum, ſi omnino præſentiam meam ſperatis. * . . ſuffragari. Multum mihi placeret, ſi in tempus Quadrageſimæ, quando *Danubius* incipit eſſe pervius, ut apud *Chremſam* vel in alio loco à *Danubio* non remoto electi arbitri convenirent. Quod & prodeſſet pro habendis victualibus, & habenda nihilominus acceſſuum & accedentium commoda facultate. Ego tamen ad veſtrum imperium ducor & reducor, ſi Salvator omnium mihi dederit ſanitatem. Et certè abſens corpore, præſens tamen ſpiritu & affectu tam apud Dominum meum, venerabilem *Patavienſem* Ep. quàm alibi ſtudiosè feci omnia, quæ cauſæ credidi profutura.

* *f.* nequeo.

34.

Conradi Archiepiſcopi Salisburg. Diſpenſatio in ætatis Canonicæ defectu, facta Plebano Petronellenſi ab Abbate Gotwicenſi præſentato.

QUia plerumque contingit, ut infra annos rationabiles conſtituti irrationabiliter

nabiliter appetant converſari, idcirco Sacri Canones promovendis ad Eccleſiaſtica miniſteria certa ſunt ætatis ſpatia moderati. Sed quia in te morum maturitas ſupplet ætatem, ac defectum, quem quoad annos adhuc natura denegat, munere Divinæ gratiæ, virtutum pulchritudine, ac quodammodo ſenili moralitate tranſcendis, nos potiùs noſtræ conſiderationis intuitum ad intentionem Canonis, quàm ad verborum ſpeciem reflectentes, inſpecta tua honeſtate præſenti & commendanda imagine futurorum, tecum, ut Eccleſiaſticum beneficium tibi oblatum, ſcilicet Eccleſiam *Sanctæ Petronellæ Patavienſis* Diœceſis non obſtante prædicto defectu ætatis poſſis recipere, tam utiliter quàm miſericorditer diſpenſamus, cùm eadem Eccleſia cum rebus ſibi cohærentibus per te meliùs defenſari valeat, tuque decimum octavum annum ætatis compleviſſe dicaris, ac tuo deſiderio preces Diœceſani Epiſcopi ſuffragentur, committentes Venerabili Fratri Abbati *Cothvicenſi*, *Patavienſis* Diœceſis, quatenus de aſſenſu & auctoritate Ordinarii eidem Eccleſiæ faciat, donec ad ſtatuta Presbyteralis Ordinis tempora (pervenias) per idóneum Vicarium provideri. In quibus temporibus ſi Ordinem annexum beneficio non aſſumpſeris, præſentem noſtræ diſpenſationis gratiam volumus omni robore vacuari.

35.

Rogat eundem Conradum Wolfgangus, ut cum quodam irregulari Sacerdote diſpenſet.

ISte Sacerdos in Spiritu humilitatis devotè recurrens ſupplicat, & ego deprecor una ſecum, quatenus ei ſuper caſu ſuo dignemini diſpenſationis beneficium impertiri. Olim ſiquidem Doctor exiſtens Scholarium circa unum puerum in dulci levis caſtigationis moderamine excedens ex inſtinctu iræ virgis percuſſit graviter, & nihilominus eum manus iniectione offendit, ita quod tumor aliquis ex plaga conſurgens cœpit intuentibus apparere. Poſtea verò poſt paucos dies complanato tumore ac læſione ceſſante puer fuit priſtino ſanitatis ſtatui, prout communiter apparuit, reſtitutus. Verùm quia poſt tres hebdomadas Scholaris ipſe infirmari cœpit, & eodem die, quo infirmatus eſt, obiit, quia naturaliter debilis videbatur, Sacerdos lator præſentium veſtram implorat gratiam, quatenus eum ad executionem ſui officii caſu non obſtante prædicto miſericorditer admittatis, cùm propter paupertatis obſtaculum bona ſibi facultas non adſit Sedem Apoſtolicam accedendi. Sed ſi factum ſuum, quod tamen ſecundum præmiſſa non credo, veſtro conſilio grave ſeu difficile forſitan appareret, manſuetudo veſtra, quæ conſuevit compati tribulatis, ipſum ſaltem litteris pro eo ad Sedem eandem dirigendis de benignitate ſolita conſoletur.

36.

Ad Abbatem ſuum Wernahardum ſeu Bernardum. Hortatur, ut ſubdelegationem quandam, ei a Bernardo Ep. Patavienſi factam, libenter ſuſcipiat & exequatur.

VEnerabilis Pater & Dominus noſter Epiſcopus ex multa favoris gratia intendens honoris veſtri primitias in meſſem immenſam copioſiùs ampliare, mandata ſibi vobisque a Sede Apoſtolica commiſſa in totum ex parte ſua veſtræ providentiæ ſubdelegat. Quare cùm delegatus a Principe cauſam poſſit ſuo collegæ aut alteri delegare, ideo Paternitas veſtra cauſam eandem ob reverentiam Domini Papæ ac ipſius Domini Epiſcopi reverenter ſuſcipiat & ſtrenuè proſequatur. Quod grave vobis eſſe non debet cum propter bonum obedientiæ tum propter ſocietatem Domini Decani .. veſtri coniudicis, qui propter frequens exercitium decentisque litteraturæ fulgorem litteras dirigendas in lumine diriget æquitatis. Niſi etiam cauſas acceleratonis veſtræ crederem omnimodis extitiſſe motivas, triſtis eſſem, quòd me poſt vos in *Auſtria* dimiſiſtis, ſperans, quòd in Ramis Palmarum proceſſionis iocunditas per veſtram benedictionem gratiſſimam *Patavia* debeat decorari: quia celebratis apud Sanctus *Hippolytum* in Sabbato Sancto: *Sitientes* Ordinibus idem Dominus noſter principaliter, imò ſingulariter ob honorem veſtri ſurſum dirigit greſſus ſuos. Mihi præcipite, ût eſt dignum, ſcientes, quòd me totum intendo effundere veſtris beneplacitis & mandatis.

37. Ad

37.

Ad Eundem. Cur Epiſcopus condicto die non advenerit: & de facultate domum redeundi, quam ab Epiſcopo Patav. nondum ſe obtinere potuiſſe ſcribit.

DE me præſumere debetis, quòd ſi alii in devotione veſtra vigilant, ego debeam eſſe favente Domino in veſtra utilitate vigilantior, imò quaſi Præfectus Vigilum in omni tempore volo reperiri. Nec obſtat abſentia, cùm corporis abſentia per Spiritus præſentiam pleniſſimè repleatur. Nec Dominus Epiſcopus eam, quam vobis de Feſto beati Georgii ſcripſit, mutavit in aliquo voluntatem, imò accepta & adepta licentia iter arripuerat, ſed propter *Ungarici* belli dubios eventus fuit illud conſilium præter ſuam deſidiam immutatum. Unde de hoc amodo non ſolicitemini, quia ego circa hæc & alia vobis imminentia non dormito. Pepercit ſanè in hoc mihi Dominus meus, quòd me non coëgit ire ad caſtra, repatriandi tamen licentiam nullatenus potui obtinere, quia dicebat me velle habere vicinum propter difficultates iuris forſitan emergentes: propter quam etiam licentiam hodie ad eum ſecundum nuntium deſtinavi.

38.

Ad eundem de eadem re.

PAter & Domine Reverende. Quia Dominus meus Epiſcopus iam non movetur motu voluntario, ſed potiùs violento, nec ubi vult, ambulat, ſed ab alio cingitur, & ad varia circumfertur, ideo non contriſtemini, quòd *Patavium* non venit in duplici vobis termino conſtituto. Quia ſecundùm mutabilitatem negotiorum Domini Ducis *Auſtriæ* ſui proceſſus itinera permutantur. Et licèt ad monitionem meam idem Dominus meus deſcenſum ad *Auſtriam* in veſtra poſuerit optione, quia tamen tota *Auſtria* eſt in motu, & ſtatus Principum non eſt certus, conſulo bona fide, ut domi remanentes expenſas plurimas & viarum pericula evitetis, ſcientes, quòd ego delitias, quæ mihi apponuntur, famem reputo, & ſolatia carcerem præ deſiderio veſtram videndi perſonam & Monaſterium *Altahenſe*, & contra vos quamvis dilectum Dominum hanc tamen habeo quæſtionem, quòd me in his partibus in veſtro reditu dimiſiſtis.

39.

Ad Cancellarium Regis Romanorum. Gratulatur ei dignitatem adeptam, & ſe in Curiam regiam evocari deſiderat.

CUm locunditate volvens & revolvens in animo, qualiter in vobis bona naturæ per dona gratiæ venuſtantur, dum claritatem veſtri generis feciſtis & facitis nobilitate animi clariorem: ſimulque conſiderans, qualiter eiſdem tam naturæ quàm gratiæ titulis bona acquiſita per exercitium iunctura decenti taliter adieciſtis ut diſciplinæ floribus ſic margarita ſcientiæ uniatur, quatenus amborum pulchritudo mirabilis in pectore veſtro refulgeat eminenter, DEUM Omnipotentem devotè commendo, qui in donis eſt mirabilis & æquus ſuorum munerum diſtributor.

Intellecto igitur cum gaudio, quòd Sereniſſimus Romanorum Rex ad vos, ùt decebat, liberalitatis & gratiæ ſuæ extendens primitias fidei veſtræ Cancellariæ ſuæ officium duxerit committendum, ego, qui veſtra ſum plantatio, & veſtris proſperitatibus teneor alludere, ſicut creatura ſuo applaudere debet Creatori, ad vos præſentes congratulationis litteras iudicavi humiliter deſtinandas, rogans omni ſtudio & fervore, ut ſi in aula Regia religio locum habet, & vos & in Capellaniæ vel Notariæ officio vel etiam in Legationum miniſterio tantæ curiæ me reputaveritis eſſe aptum, ordinare dignemini, quatenus ad ipſius Curiæ obſequia ſpecialiter tamen ad veſtra per Regiam evocer Maieſtatem. Adtendens enim, quòd poſt DEUM id, quod ſum, vobis debeo, ſcientiam meam veſtris præ omnibus viventibus expono ſervitiis & mandatis, ut ſic in gratiarum actione recurrat rivulus ad profluа ſui fontis.

40.

Abbatis Altahenſis Wernharii Epiſtola ad Wolfgangum, cui nuntiat, pecuniam eius parvuis deſtinatam furto ſubtractam eſſe.

QUamvis triſte nobis ſit animo, veſtro triſtitiam ſuſcitare, ne tamen ex defectu

defectu & neglectu vestrorum Scholarium vestra tristitia perennetur, scire vos facimus, quòd pecunia pro eis reposita tota est a furibus asportata.

41.

Wolfgangi Responsio ad præcedentem Epistolam.

DEficit naturæ, caret donis gratiæ, qui de amissione bonorum fortunæ nimiùm perturbatur. Unde nisi de puerorum meorum cogitarem penuria, nec etiam in cubili memoriæ ponerem res amissas.

42.

Idem Wolfgangus ad Conradum Archiep. Salzburg. de eodem suo infortunio, quod eius munificentia mitigandum sperat.

REversus ad patriam credebam me inveniſſe requiem post labores, post tædia solatium, & fatigationes gaudiis consummâsse, utpote cùm meæ sint delitiæ devotè servire Dominis, & iocundè vivere cum amicis. Sed citò superveniens Fortunæ adversitas mel cum felle commiscuit, & gaudium amaritudine conturbavit. Nam cùm ego vocatus a Domino Episcopo *Pataviensi*, & pecuniam ad duodecim talenta Denariorum *Ratisponensium* sub certa custodia reliquissem apud *Altah*, patruis meis *Parisius* deferendam, tota eadem pecunia nequiter est a domesticis furibus asportata. Quare pro defectu Scholarium anxius, de proprio damno tristis carmen lætitiæ, quod de repatriatione volui decantare, in lamentationes necessariò est conversum. Et quia sub tristibus consolatio requiritur ab amicis, considerans, quòd in linea eorum, quorum devotus existo, vestra Paternitas habeat primum gradum, infortunium tale nolui vos latere, offerens imperio vestro meæ servitia paupertatis,

43.

Ad eundem de eadem re.

SI damnum illati mihi furti solus ferre debeo, gravitas ipsa me dissipabit in pulverem. Sed si Domini mei huic oneri vellent una mecum submittere manus suas, talis alleviatio mea brachia roboraret.

44.

Responsio Conradi Archiepiscopi.

ABsit, ut vir sapientiæ manna concludens, & lingua dans eloquia pulchritudinis, & breviter tota persona vestra honestatis existens gratissimum luminare pro fimo vilis & modicæ pecuniæ conturbetur. Ne tamen serenitas vestri pectoris aliquatenus obscuretur, deperditæ pecuniæ vobis offero qualitatem.

45.

Idem eidem pro liberalitate gratias agit.

VIrum virtutis me inveniſſe glorior, cuius animus super terræ concupiscibilia elevatur: pecuniam sibi suppeditat *, quæ consuevit aliis imperare, dirigens nihilominus piæ considerationis aciem ad personas litteris eruditas. *i.e. prædicatorem.

46.

Ad Abbatem Eberspergensem: ut vagantes ob inopiam & penuriam Fratres recolligat, quorum unum præcipuè commendat &c.

QUoniam Ecclesia de *Eberspech* per famam præclaram floruit ab antiquo, & nunc favente Domino per vestram decorata personam flore rutilat duplicato, decens est, ut flos candidus seu candor eius floridus in sua pulchritudine conservatus nulla omnino vel etiam tenui reprehensione seu macula debeat obfuscari. Cùm igitur hoc anno propter sterilitatem propè omnium fructuum & præcipuè vini defectum & opinionem bellorum, quæ iam per *Austriam* & Principatus cohærentes eidem velut in ianuis formidatur, omnia Monasteria a receptione Fratrum supervenientium se excusent, & indecens sit, Fratres tam sollemnis & tam Venerabilis Ecclesiæ, sicut est vestra, per Parochiales Ecclesias ac alia inferiora loca irreligiosè seu miserabiliter evagari, consulo fide optima, & deprecor sub humilitate devota, quatenus Fratrem *Vl.* latorem præsentium recolligere, ac propter DEUM in domo propria retinere curetis: quia etsi fortè in aliquo reperiatur culpabilis, ex labore tamen & pudore punitus gratiam invenire debet, & ego dorsum meum pro eo vobis expono in pœnitentiam ad flagella, reputans me nihilominus

Digitized by Google

hus gratiosiùs honorari, si in eo vestram honoraveritis honestatem. Cæterùm in negotio Decimarum vestrarum ego, quando & quomodo volueritis, faciam posse meum.

47.

Ad Abbatem Monseensem: ut in Monasterium suum recipiat quendam Ordinis Prædicatorum Fratrem.

VIr litteratus & revera per merita tam disciplinæ quàm scientiæ omni acceptione dignissimus Magister N. lator præsentium de religione fratrum Prædicatorum jamdudum ad umbraculum Ordinis nostri devotè confugit, persona utique eidem Ordini, si justitia & honestas in suo cursu currerent, favorabiliter amplectenda. Verùm quia divulgatam ubique vestram virtutem Prælatis cæteris anteponens Ecclesiam de *Mænse* pro loco habitationis, quantum in ipso est, aliis præelegit, cupiens sub vestro regimine offerre Domino gemitus columbinos, cùm in hujus desiderii effectu summa sit de gratia, quam mihi geritis, spes & confidentia: rogo humiliter, quatenus amore DEI, &, si audeo dicere, mei paternè colligatis eundem, qui, prout sincerè asserit, discursus corporis & consequentem distractionem cordis cupiens effugere Domino in quiete mentis & stabilitate spiritus desiderat famulari, facturus, si Dominus permiserit, in *Salzpurga* pro cujusdam nepotis mei negotiis longum tractum. Ante Pentecosten Paternitatem vestram DEO teste mihi charissimam & delectabilem ad videndum cogito visitare.

48.

Ad Canonicum Ratisbonensem de socordia studentium Juri Canonico, & ut sibi textum Decretalium, fortè venalem, comparet.

COntingit aliquando, quòd tenuis scintilla lignis crudis apposita ignem non suscitat, & propter hoc materia aliàs combustibilis remanet incombusta. Itemque contingit, quòd ignis interdum benè accenditur, sed ex infusione liquoris missa desuper suffocatur. Sic per similitudinem multi euntes ad studium propter cordis dutitiam & studii raritatem in Decretalibus non scintillant. Alii verò etsi usque ad arengam, quæ incipit: *Reverende Pater, Pater Reverende*, benè proficiunt: tamen postea infusi vino *Ratisponensi* per Apothecas & tabernas ea, quæ cœperant, in oblivione submergunt, & sic per utrumque evenit aliquoties, Decretales apud Judæos vel caponas forsitan inveniri venales. Rogo Dilectionem vestram, ut si habita investigatione textum aliquem Decretalium & præcipuè manualem inveneritis, me scire expressa quantitate pretii faciatis, adtendentes honorem, quem vobis feci, cùm *Ottone* Notario Domini Ducis volente transire in equo plumas montium, ego, ne sibi tantam stultitiam committeret, vestram prudentiam posui in exemplum, qui potiùs elegistis pedes vestros rore florum, & partem *Pirgensis* graminis humectare, quàm soliditatem argenti liquefacere in tabernis.

49.

Ad patruum suum Parisiis litteris studentem, quem vult deinceps Ecclesiasticis studiis insudare.

QUamvis tu malè studendo parum adtenderis, quòd non fuisse *Parisius*, sed utiliter ibi studuisse laudatur: & quòd de improbitate nemo debet beneficium consequi, immò potiùs beneficio habito spoliari, ut qui stultus fuit in culpa, sapiens efficiatur in pœna: ego tamen non sequens juris sententiam, sed naturam, beneficium tibi competens acquisivi, & quia vel es hebes ingenio, vel torpes inertia, sic ut ad discendam Philosophiam tuus se non elevet intellectus, volo, quatenus ad scientiam Sanctorum te transferat totum Psalterium memoriter addiscendo, antequam investituram obtineas beneficii meis laboribus acquisiti.

50.

Responsum patrui ad præmissam Epistolam.

LEgere & non intelligere est negligere: quia scire leges est non scire verba illarum solummodo, sed agnoscere vim ac sententiam earundem. Quare ne illam Sanctorum sententiam, cui me intenditis applicare, teram solis labiis tanquam vetula, vel voce vacua garriam sicut pica, rogo quatenus vestra consideratio me à studio non amoveat, donec per doctrinam artium adipiscar intelligentiam Scripturarum.

51.

Epiſtola Fratris ad Fratres ſuos, ut pecunias non in cujuscunque farinæ, ſed bonos libros expendant.

Wolfgangus. PArens patruus meus verecundiæ ſuæ ac veſtræ non libenter diſplicentia vobis ſcribit, ſed miratur, quòd pro minimis ſcartabellis comparandis conſueti ſubſidii poſtulatis augmentum, cùm alios de viatico conſimili vel minori videat magna librorum volumina reportare. Sitis ergo cauti, quia ipſe tanquam vir Scholaſticus indigentias & ſuper fluitates ſtudii atque ſtudentium non ignorat.

52.

*Udalricum. *Ad Abbatem Meditricenſem* ſeu Mellicenſem, à quo non nullum ſuæ inopiæ levamen expectat.*

NOn cauſali eventui, ſed multæ felicitati aſſcribo, quòd nunc anno transacto viæ me deduxit opportunitas, ut novæ veſtræ electionis ordinationibus intereſſem, quatenus honori veſtro meæ devotionis & ſervitii devotas offerrem primitias electionis componendo decretum, & ea, quæ negotio congruebant, viva voce fideliter proponendo. Et ſicut tunc libenter adſtiti principio, ſic libentius de tempore in tempus adaugebo ſervitium. Quia, ut dicit auctoritas, ſapientis eſt finem principio concordare. Verùm quia modò ex tranſmiſſione mei nepotis ad ſtudium ac ex ægritudine corporali cœpi Dominorum meorum conſolationibus, indigere, miſi ſuper hac cauſa ad vos latorem præſentium *H.* ſervientem meum, cui fidem vos pero credulam adhibere, ſic ut de ipſo vel ejus certitudine nullum penitus dubium habeatis, rogans, ut eum citò liberaliter expedire dignemini: quia viæ prolixitas aufert mihi copiam illum vel alium ad vos denuo remittendi.

53.

Ad eundem. Roget, ut ſolitum ex benignitate ac liberalitate veſtitum ſibi tranſmittat.

SEnes habentes in ſemetipſis materiam gravitatis, cùm nulla interdum extrinſecus ferant onera, ſe tamen ſentiunt pondere deprimi ac gravari. Et quemadmodum importabilia onera dorſo gerentes faciem & corpus ſurſum elevare non poſſunt, ſic & ſenes ſine onere, ſolo longævo tempore deprimuntur, ut verſus terram appareant incurvati: quibus ſi extrinſecus aliqua gravitas accedit, laſſitudo geminatur eorum, & ſub depreſſione duplici gravitatis moleſtia duplicatur. Quare & ego cùm jam annorum maturitate conficiar, rogo Liberalitatem veſtram, quatenus mihi veſtitum ſolitum de ſolita gratia per Præpoſitum in *Abesperg* qui libenter mihi deferet, transmittatis. Quia veſtitus ille levis & lenis eſt ad ferendum, decens ad exhibendum, ſuique commoda bonitate ſeu bona commoditate gratioſum Dominum repræſentat.

54.

Ad eundem, ut videtur. Abſolvit quosdam Monachos Mellicenſes, qui pro certi pacti conſervatione vinculo excommunicationis ſe ſubmiſerant.

VT in apparentia exteriori pateret, quòd vos aliis præpono Dominis, tam mihi præcipuum, plus venerabilem, plùs dilectum, ideo in veſtitu per vos habito nunc apud *Salzburgam* ad honorem veſtrum glorioſus incedi. Cæterùm recepi à pueris veſtris nomine veſtro circa quatuor talenta *Ratiſpon.* Unde adhuc veſtra Paternitas mihi in duodecim ſolid. obligatur, quos obſervare poteritis, donec, ut credo, circa Epiphaniam Domini per meum nuntium requirantur, abſolventes Priorem, Cuſtodem & alios fratres, qui ſe pro conſervatione pacti excommunicationis vinculo ſubmiſerant ex propria voluntate, & eadem ſententia tunc fuit per vos voce propria roborata, ne fortè per juris ignorantiam ſic ligati Divina miniſteria pertractantes irregularitatis laqueo periculoſiùs involvantur.

55.

Ad Notarium Ducis Bavariæ. Cupit noſſe cauſam ablati ab eo Ducalis ſigilli &c.*

* *f. Gedekkerum, qui ſupra Protonotarius Ducis dicitur.*

AUdivi, quod audire me oportuit, ſed revera audire non libuit, vi-

Henrici dicitur, aut certè Ottonem, de quo epiſt. 39.

delicet, quòd Dominus Dux mutata promiſſione multiplici ſigillum ſuum duxerit alteri Notario committendum. Quare rogo, quantum poſſum, ut ſuper hoc quid debeam credere, reſcribatis. Et ſi ita eſt, nihilominus ſtatum & intentionem futuri veſtri ſtatus demandare curetis, adjungentes, ſi ſpes ſit, quid ad revocationem ejus, quod in hoc minùs honeſtè factum eſt, poſſint preces & conſilia Principis animum permutare, ſcituri, quòd pro honore veſtro libenter omnia facerem, quæ frater pro fratre faceret adjuvando. Ad hæc ſtatum Domini mei Ducis & Curiæ, & qualiter ſe onus vel exoneratio debitorum habeat, ſcribendæ chartulæ conjungatis.

56.

Reſponſum Notarii Ducis ad præcedentem Epiſtolam.

VIdens olim, quòd adhærentes Domini mei Ducis lateri ſuo adverſabantur honori, ita quòd etiam Conſiliarii non Principis commoda, ſed ſua lucra ſequentes ſub velamine verborum lenium per doloſos aculeos Principem eundem in rebus & honoribus nequiter ſauciabant, Sigillum principale recipere ac retinere conſenſi, quatenus ipſos à detrimentis hujuſmodi ſaltem in parte aliqua refrænarem. Verum quia tantus eſt ſæpe dicti Domini mei curſus & impetus, ut conſilia malè ſibi ſuadentium proſequatur, quòd nullum eis contrarium ſibique fidelem pati velit. Certè de immutatione Notariæ ſuæ ac commendatione Sigilli facta alteri nullam vim facio, cùm ad illos labores non ob ſpem mei commodi, ſed potiùs ob reſpectum devotionis & fidei ab initio acceſſerim, DEO teſte.

57.

Ad Plebanum de quadam quæſtione Canonica, quam Wolfgangus magis facti, quàm juris eſſe cenſet: & quid in hac controverſia agendum.

PRomotioni veſtræ omnino congaudens, credo, quòd illa quæſtio, quam mihi de Eccleſia *Hohenwart* proponitis, potiùs ſit quæſtio facti quàm juris. Quia ſi ab initio vel etiam poſtmodum ex conceſſione Ordinarii accedente conſenſu ſui Capituli ſic eſt annexa Plebanatui *Sancti Ægidii*, ut ei ſolvere debeat annuam penſionem, in hoc caſu ille *Ar.* Clericus non eſt admittendus ad probandum, quòd anteceſſor veſter illam ſibi contulerit liberè absque onere penſionis. Quoniam nullus admittendus eſt ad probandum, quod probatum non prodeſt. Quia cùm cenſus impoſitus ſit in favorem Eccleſiæ *S. Ægidii*, non Plebani, idem Anteceſſor veſter etſi fortè ob amorem Sacerdotis penſionem non exegerit, propter hoc tamen jus Parrochialis Eccleſiæ nequaquam diminuere potuit vel auferre. Quia etſi de propria burſa tantam vel majorem dediſſet pecuniam, per hoc tamen nullum Succeſſori ſuo præjudicium generâſſet. Et ſic appellatio, ni ſuæ non eſt aliqualiter deferendum, cùm non niſi quotum intereſt, audiri ſoleant appellantes.

Si autem memorata Parochia *Sancti Ægidii* nec privilegio nec præſcriptione munitur, nec appareat, ex qua cauſa vel cujus auctoritate ſibi penſio debeatur, in hoc caſu cùm non liceat Prælatis aut Clericis novam imponere, vel augere veterem penſionem, ſimplex tantùm præſentatio vel collatio remanet apud illam: nec cenſum poteſt exigere vel imponere ſuo jure. Quare ſi ſecus fieret, puto, quòd tanquam a gravamine ſic illato licitè appelletur. Attamen ut appellationis occaſio penitus abſcidatur, ſcribite ei, ſi placet, ſecundùm doctrinam Papæ ſub hac forma: *Domine Ar. non credimus in aliquo vos gravâſſe cenſum Eccleſiæ noſtræ debitum repetendo. Si tamen in aliquo gravavimus, parati ſumus corrigere ſecundùm conſilium Sapientum*, ordinantes, ut talis littera ſub bono ſibi teſtimonio præſentetur. Et ſi litteram recipere contempſerit, nuntius nihilominus illam ſibi dimittens intentionem coram teſtibus exprimat viva voce.

58.

Fratrem R. Monachum Altahenſem pro impetranda quorundam venia Romam mittit.

VNiverſis Eccleſiarum Rectoribus & aliis Chriſti fidelibus Mag. *Wolfgangus* Doctor Decretorum in *Altah* ſalutem in Domino. Ex parte Reverendi Patris & Domini mei *Patavienſis* Epiſcopi & auctoritate audiens confeſſionem Fratris *R.* Sacerdotis & Monachi Ord. S. Bened. Monaſterii noſtri, ſcilicet de *Altah*, duxi eun-

Digitized by Google

dem ſuper aliquibus articulis ad Sedem Apoſtolicam transmittendum. Quare benignitatem veſtram hortor in Domino & rogo humiliter, quatenus ei per vos tranſitum facienti vitæ ſubſidia & itineris neceſſaria dignemini miniſtrare, cum Religioſus ſit & Presbyter, & pro mundanda ſua conſcientia iter tam grave aſſumpſerit, ſpem ſumptuum ponens in Domino & in Jeſu Chriſti fidelium charitate: ſcientes vos pro his, quæ ei miſericorditer impenderitis, in æterna patria centuplum recepturos.

59.

Ad Canonicum Patavienſem, apud quem ſe de quadam calumnia purgat &c.

NOn ſinè mentis amaritudine *Ratiſponæ* nuper audivi, quòd vir potens Dominus *Ludovicus* ad beneficium veſtrum pro nato ſuo indecenter aſpirans dicat me retuliſſe aliqua, per quæ ſtatus veſter circa idem beneficium ſit infirmus. Nolens igitur, quantum in me eſt, ut inimicus in tritico antiquæ noſtræ fidei poſſit ſuperſeminare zizania in præjudicium veritatis, teſte conſcientia mea dico, quòd ſubtiliter hinc inde recogitans ſcio, quòd nec idem *Ludovicus* mihi, nec ego ſibi verbum aliquod locuti ſumus ad invicem de veſtra Eccleſia vel perſona, licèt ante biennium ipſum me interrogâſſe recorder, utrum filius ſuus ſenior Eccleſiam tunc habitam *Sal.* . licitè retineret: & ego reſpondi: quia beneficia habentia curam animarum annexam non recidunt in pupillos. Credo autem, quòd frater ſuus *Fr.* Plebanus in *Lantzh.* ad talia deſiderium ſuum ſtimulet, qui, prout ſcitis, olim carens Eccleſia vobis circa hoc inſidias ponere nitebatur. Ego verò quoniam cum multa congratulatione cordis jam dudum vobis, ut puto, conferentibus intellexi, quòd Dominus noſter *Patavienſis* gratiam ſuam vobis renovaverit circa idem beneficium retinendum, credo & dico, vos amodo illud licitè poſſidere tanquam ex conceſſione ſecunda poſteriùs acquiſitum, paratus dictis & ſcriptis ora calumniantium repellere, qui fel latentis invidiæ, contra vos fortaſſis jam antea præconceptæ, tentant in meam innocentiam retorquere.

60.

N. ad Magiſtrum Eberhardum, quem ad amplectendam cum Altahenſibus reconciliationem invitat & hortatur.

DIſcurrentes in medio pacis Angeli ſuperductam inter Dominum meum Abbatem & vos diſſenſionis nubeculam libenter abſtergerent, deſiderantes vos ambulare ſimul in lumine prioris amicitiæ vobiſcum à cunabulis educatæ. Et quia dilectus in Chriſto Frater noſter *Wolfgangus* cum pluribus aliis eidem Domino meo & Conventui retulit, quòd & vos non optatis, immò pro triſtiſſima te habetis cum ipſo Domino noſtro & matre ac nutrice veſtra, *Altahenſi* ſcilicet Eccleſia diſcordare, vos ex ſinguſari legalitate ſinceritatis & fidei, quam geſtatis eisdem, parati eſtis ad hoc amicabiliter inclinari, ut cauſam & inſtrumenta cauſæ cum omnibus, quæ litem inſtaurare poſſent, in ſuis manibus fiducialiter & abſolutè ac liberè aſſignetis. Super quo ex toto corde congaudens optima fide conſulo, ut benè conceptum & tam motivum amicitiæ propoſitum ſtatim non deſinatis ducere in effectum, inſtrumenta ſupraſcripta transmittendo per latorem præſentium, vel, quod omnem commendat decentiam, perſonaliter afferendo, ut in veſtro intuitu tanquam in amico perdito & rehabito nos omnes iocundemur delectabiliùs, & jócundiùs delectemur, dilationem inveſtituræ Domini H. factam apud *Æiſtat* litteris melioribus continuò corrigentes, quatenus nullum remaneat offendiculum, quin aſpera in totum in planitiem deducantur. Abſit enim, ut tantus Prælatus & tam Venerabilis Conventus ſit in virtute liberalitatis inferior erga factum ſibi honorem gratuitum, & liberali diſciplina gratantis impenſum oblivioni tradens ad memoriam non revocet tempore opportuno.

61.

Wolfgangus ad Conradum IV. Epiſcopum Ratiſbonenſem de rebus Mag. Eberhardi, & qua ratione ac modo is ſibi omnium optimè poſſet conſulere.

GE facto Chariſſimi Domini & Amici mei Magiſtri *Eberhardi*, pro quo nuper

nuper Domino meo Abbati ſcripſit veſtra Paternitas, noveritis, quòd (ſi) res eſſet integra, me procurante totus ad hoc Conventus converteret poſſe ſuum, ut ipſe ſui deſiderii conſequeretur effectum. Sed quia jam completa eſt præſentatio, & Patronus officio ſuo functus eſt in totum, & præcipuè quia precibus Dominæ Duciſſæ jam, ut dicitur, domicilium habentis ibidem, itémque ſupplicationi civium conquerentium, quòd tam honorabilis plebs ſub eo habita contemptui, quòd per quinquaginta annos & ultra ſemper inofficiata eſt per Vicarios temporales, ſub eo eſt tenore reſponſum, quòd placuit ad præſens honorare Duciſſam, & univerſitatem civium conſolari per præſentationem honeſtiſſimi Preſbyteri facturi cum eis reſidentiam corporalem & ſuper hæc legioni, ut ita dicam, cutrentium & viciniæ idem presbyter & Plebanus futurus præſentialiter eſt oſtenſus: Quare cùm inter memoratum Dominum noſtrum Abbatem prædictumque Magiſtrum tale fœdus exiſtat, ut quaſi à cunabulis cum eis creverit amicitia, & jura conſanguinitatis aſſerant in alterutrum ſe habere, virtus veſtra bene facier, ſi eum hac vice duntaxat à diſſenſionis propoſito temperabit. Quia, prout videtis, non ſine irrecuperabili ignominia poſſet factum tam publicum retractari. Vnde in anima mea conſulerem, quatenus Mag. *Eber.* aliquorum de Conventu arbitrio ſe ſubmitteret, qui illud, quod modò credit omiſſum, in proxima poſſibilitate ſuppleri decernerent. Et hæc eſſet via recta & Canonica, ut dictum ex arbitraria poteſtate prolatum Ordinarii confirmarent. Et eſt veriſimile, quòd parum vel nihil ex hoc damni acereſceret. Quia cùm præſentatus ad præſens ſatis maturus exiſtat, & Eccleſia *Altahenſis* primum triennium pro ſubſidio operis obtineat, de facili poterit vel ibi vel alibi deſiderium Magiſtri effectu meliori compleri.

Sciatis etiam Domine, quòd principium litteræ ex parte Domini noſtri Abbatis vobis, ſicut puto, tranſmiſſæ, continens, quòd illud, quòd Mag. *Eber.* tardando in veſtro ſervitio non acceperat, veſtra ſibi liberalitas compenſaret, jocoſè & pro ſolatio ſcriptum fuit. Et ego per vos expecto frequenter mihi aliquid mandari, paratus exequi cum gaudio imperata. Cæterùm ſciat veſtra Dominatio, quod promiſſioni, quæ facta eſſe dicitur, non interfui, nec eam unquam vidi vel audivi, ſicut ipſe Magiſter eſt mihi teſtis. Idem ex parte altera præſentationis conſilio nequaquam interfui. Imò teſte DEO mirabar omnino, quòd Dominus noſter omiſſis conſanguineis, quos habebat, ad perſonam ſibi non conjunctam, quamvis in omni morum honeſtate præfulgidam, ſe convertit.

62.

Ad eundem. Docet, quàm promptus & paratus ſit Dominus ſuus Abbas ad redeundum in gratiam cum Mag. Eberhardo &c.

PUlchrum eſt Pater & Domine, quòd familiares Curiæ veſtræ gratioſè foveris: decens eſt, quod devotos *Ratisponenſi* Eccleſiæ benignè recognoſcitis, de quorum numero ſemper extitit Monaſterium *Altahenſe.* Optimum eſt, quòd, cum aliqua materia diſſenſionis inter familiares ac devotos eosdem exorta fuerit, vos vapores nebuloſos prudenter abſtergitis, ac prioris amicitiæ luminaria renovatis. Intentioni ſiquidem veſtræ ſuper facto Mag. *Eber.* Dominus meus Abbas ita ſe ſubjicit, ut, quia Capitulum veſtrum citò inſtare dicitur, ſi elegeritis, ipſe pararus erit ibidem vobis ſuam præſentiam exhibere, auditurus cum reverentia, quidquid ſibi Venerabilis Pater Dominus Decanus duxerit conſulendum, deſiderans etiam veſtram videre perſonam in adeptæ principio dignitatis. Sin autem vel propter moram vel aliam cauſam negotium plus accelerari diligitis, in eo caſu eundem Dominum Decanum, quandocunque vobis & ſibi videbitur, in Monaſterio cum debita recipiet & audiet honeſtate. Et ego ad hoc, prout potero, ſincero cooperabor affectu, ut vulnus inflictum amicitiæ, quæ fuerat inter partes, ſanetur in totum, ita quòd nullam videatur poſt ſe relinquere cicatricem. Veſtra vero Dominatio dignetur in omnibus & per omnia fiducialiter imperare. Quia non ſolùm curram pedibus; immò ad placendum vobis alas elevo ad volandum.

63.

Ad Decanum Ratisbonenſem. Eum invitat ad Monaſterium Altahenſe, quò aptiora ad expediendum cum Eberhardo negotium conſilia exquirantur.

COmmendanda eſt in omnibus veſtra providentia: in hoc tamen oſtendit manſuetudinem quoad præſens, quòd ad reparandam inter Venerabilem Patrem & Dominum noſtrum Abbatem, & Magiſtrum *Eber.* amicitiam aliquatenus diſſolutam diligentem operam adhibetis. Sanè Dominus meus Abbas conſiderans, quòd lingua veſtra Divino munere inter Principes loquitur ſapientiam perſuaſivè, Paternitatem ſuam ad domum ſuam, hoc eſt: in *Altah* amicabiliter & reverenter invitat auditurus ibidem & ſalubria conſilia & quælibet beneplacita oris veſtri. Et quia cum hac legatione nuntio expedito ſupervenerunt litteræ Domini *Eyſtetenſis*, de impedimento inveſtituræ per Mag. *Eber.* prout ſcribebatur, inducto, mentionem apertius facientes, in quibus etiam præfigebatur ad litigandum partibus certus dies: placere mihi non poteſt, quòd ex parte ſæpè dicti Magiſtri negotium per exaggerationes & exaſperationes hujusmodi profundatur. Et forſan eſſet expediens, ut præſentatum de Eccleſia ſua inveſtiri ſine contradictione permitteret. Quo facto aſpera faciliùs converterentur in planum, & redirent devia in directum. Super quibus tamen & præcipuè de veſtro adventu reſponſum Dominus meus cum deſiderio expectabit. Ego autem, qui nuper vobis de Magiſtro *Eber.* conquerebar, nunc ſupplico, quatenus grates multas referatis eidem, quia ſum multa diſciplina & legalitate ſe de malè relatis apud me ſtuduit excuſare. Propter quod etiam libenter ero ſibi promptior in futuro.

64.

Ad Conradum IV. Ep. Ratisbon. Rogat iterùm, ut Decanum ſuum ad componendam Eberhardi litem Altahium mittat &c.

IAm nuper ante conſecrationem veſtram ſcripſit mihi veſtra Paternitas, quòd Venerabilem Patrem Dominum Decanum Eccleſiæ veſtræ ad domum *Altahenſem* mittere intendebat, quatenus per ejus induſtriam fumus diſſenſionis, qui inter Dominum meum Abbatem & Mag. *Eber.* Archidiaconum ſe diffudiſſe putatur, abſtergi deberet, & reduci prior eorum amicitia in ſerenum, in hoc proprio motu columbinum futuri tunc Pontificatus oſtendentes præludium, pacem ſcilicet diſcordantibus inferendo. Nec mirum; quia virtus ad benefaciendum excitat ſemetipſam. Sed quia propter accelerationem ſacri veſtri itineris tunc non potuit expediri, ego revera in hoc facto præcipuè deſiderans veſtris obedire mandatis jam prædicti Magiſtri favere commodis & quieti conſulo & rogo, quatenus modo poſt felicem reditum continuò illud fieri maturetis. Quia cùm circa inſtans feſtum Omnium Sanctorum debeat præſentatus Eccleſiæ de ſuo jure docere, cui Dominus meus Abbas ſalva honeſtate ſua deeſſe non poteſt, circa tractatum pacis habendum intervenire non poterit mora longa. Credo autem DEO teſte, quòd magis expediat eidem Magiſtro ad gratiam currere, quàm ad arma. Quia etſi Eccleſiam deſideratam ad præſens habere non potuit, habet tamen aliam ab eodem Domino, per quam uberiorem gratiam faciliùs expectabit. Et licèt quod revera in bono dico, aliqui aſſerant, quòd plures ſecum deferat Advocatos, timendum eſt tamen, quòd cauſam in ſe debilem vivificare non poſſint: & judex, qui ſedebit in medio, forſitan multis verbis proferet veritatem, & finaliter fortè is, qui non credit, contribuere cogetur ad expenſas.

65.

Ad Decanum Ratiſbon. de eodem negotio Eberhardi, promptaque Altahenſium ad reconciliationem voluntate.

EX quo, ſicut audivi, rediiſtis ad propria, placet mihi, ut quemadmodum vos nuper ad invitationem Domini mei Abbatis liberaliter obtuliſtis, ad Domum *Altahenſem* ad præſens veſtra Paternitas ſe transferret pro ſedanda diſcordia, vel potiùs pro tollenda diſſenſionis materia, quæ inter eundem Dominum meum & Mag. *Eber.* Archidiaconum eſt ſuborta, tantóque celeriter ad iter elevabimini, quantò eſt mora brevior expectandi.

dandi. Cùm, ſicut fortè intellexiſtis, poſt inſtans feſtum omnium Sanctorum terminus peremptorius ſit præfixus, in quo præſentatus ad Eccleſiam de *Ingolſtat* de iure ſuo debet loci Ordinarium informare, illique prædictus Dominus meus deeſſe non poterit ſalva ſua & Monaſterii honeſtate. Et quia veſtra mihi ſcripſit circumſpectio, ſi Mag. *Eber.* deberet ſe pacis tractatui coniungere in vicino, ego cum iocunditate ammiror, ſi ipſe amicitiam adhuc nuper ferventem & calidam ita reputet tepefactam, imò infrigidatam in totum, ut in acceſſu vel intuitu mutuo vitare ſe debeant ad invicem tanquam hoſtes: imò cùm omni honeſtate recipit & invitat eum una vobiſcum ſæpe dictus Dominus meus. Et ſi ipſe, quod tamen diſciplinæ omnino eſſet contrarium, nollet ſe ſuis conſpectibus præſentare, nihilominus ei vel in camera mea, vel in aliquo honeſto & decenti loco faciet congruè miniſtrari.

66.

Ad Præpoſitum Eyſtetenſem. Renovari cupit veterem amicitiam & benevolentiam, cùm proximè in cauſa Eberhardi Eyſtadium venerit.

ÆTas iuvenilis impreſſiones fortiùs recipit, & fortiter impreſſas clarius repræſentat. Vnde & in maiori ætate conſueverunt homines magis recolere ac referre ſuæ opera iuventutis. Sanè poſt tantum tempus in ea delectatione ſibi adhuc meus animus complacet & applaudit, cùm recordèr, qualiter mediante bonæ memoriæ Domino *Vl.* tunc Decano in *Herriden*, & poſtmodum Canonico *Eyſtetenſi* in unam mecum conſenſiſtis & conveniſtis amicitiam, adhuc tamen in minori officio conſtituti. Et licèt diutiſſimè habuerim in deſiderio veſtram videndi perſonam; quatenus veſtris promotionibus vocem cordi coniungerem, verbis exprimendo lætitiam de earum augmento mente conceptam, uſque modò tamen illius deſiderii executio eſt dilata. Verùm quia chariſſimo amico meo Domino *H.* Canonicè præſentato ad Eccleſiam in *Ingolſtat* quidam Archidiaconus *Ratiſponenſis*, dictus Magiſter *Eberhardus* iniuſtè ſuſcitat quæſtionem, & ſuper hoc a Venerabili Patre Domino Epiſcopo loci Ordinario dies peremptorius in proximo eſt præfixus, ſpero & rogo, ut recorderur veſtra gratiola Paternitas florentis ætatis & actuum iuventutis nec me, qui in termino ibi eſſe cogito, in illo loco eſſe permittat ſolum & exulem, ſed me tanquam gratioſus Dominus, & quondam præ omnibus amicis amicus in tempore neceſſitatis illius amicabiliter recognoſcat.

67.

Ad H. præſentatum pro Eccleſia Ingolſtadienſi: ut quempiam Juris & Curiæ Eyſtadienſis peritum ſibi conciliet, cuius operâ ipſe adiutus eius negotium contra Eberhardum felicius pertractet.

FActis & dictis & fideli conſilio negotiis veſtris intentus rogo & conſulo, ut, ſi aliquem Juris peritum, & præcipuè familiarem Epiſcopo habere poteritis, illum Societati noſtræ ſolicitè attrahatis. Quia cùm ego nullam vel valde modicam in illo loco habeam notitiam, indigeo benè cooperatione ſocii in illa Curia magis noti: quia omnes *Ratiſponenſes* Juriſperiti nobis cogitant, ſicut dicitur, adverſari. Quorum tamen ſibilos de facili exſufflabimus concedente Domino & iuſtitia ſuffragante.

68.

Ducis Bavariæ Epiſtola ad Epiſcopum Eyſtadienſem. Ut Wolfgango in cauſa præmiſſa ſe æquum & benignum præſtet adverſus Eberhardum.

QUia intelleximus, quòd Mag. *Eberhardus*, *Ratiſponenſis* Archidiaconus Eccleſiam *Altahenſem* ſuper præſentatione ad Parochiam in *Ingolſtat* iniuſtè impedire conatur: rogamus, quatenus conſideret veſtra Paternitas, quòd per DEI gratiam tam Venerabilis Abbatis quàm Fratrum eiuſdem Monaſterii tam præclara eſt vita, tam redolens de ipſorum actibus reſpirat opinio, quòd non eſt veriſimile eos aliquem in ſuo iure lædere, qui ea, quæ in Mundo habere poterant, propter Creatorem Mundi voluntariè dimiſerunt. Unde quia domus illa nobis Advocatiæ iure ſubiacet, & in eius bono ſtatu ſpecialiter honoramur, Dominationem veſtram affectuosè rogamus, quate-

nus

nus iuxta consuetam sinceritatem vestræ mansuetudinis ipsos & virum honorabilem Dominum *H.* Sacerdotem præsentatum ab eis in sua iustitia foveatis repellentes illos qui non per portas iustitiæ, sed per scalas astutiæ Ecclesiastica beneficia cogitant intrare, charissimum Capellanum nostrum Mag. *Wolfgangum* benignè audientes, quemadmodum Reverentia sua requirit, qui certè causis iniustis non applicaret organum suæ vocis: sic de solita benignitate facturi, ut & nos in omnibus debeamus favorabiliter concurrere votis vestris.

69.

Wolfgangus ad Henricum **Ducem Bavariæ.** *Quomodo & quid consulendum Magistro Gund, in Ecclesiæ Viennensis petitione, vel acceptatione.*

DEvotio erga vestram Dominationem in ætatis meæ primitiis inchoata senescente corpore non senescit: imò fervore fidei ac bonæ voluntatis inflammata desiderio, annorum gravitate consumpta ad instar Phœnicis revivisçit ex ignibus affectus intimi ac sinceri. Super consilio autem a me de Ecclesia *Viennensi* requisito noveritis, quòd etsi ex consideratione vestri, cuius familiares diligo crescere in honoribus & augeri, ac etiam respectu ipsius Magistri *Gund.**, de quo scripsistis cuius dilectionem impressam teneo in medullis, libenter consulerem tanti fructus beneficium acceptari. Deterrent tamen me Ducis *Austriæ* potentia, favor Regis, situs rei, & præcipuè pecunia reposita, collecta de ipsa Ecclesia, quæ in annos plurimos sufficit parti adversæ pro litis sumptibus, & cottidie ex quasi possessione & perceptione annua novum recipiunt incrementum. Quare licèt dolens cogor acceptationem subitam dissuadere, donec appareat, quid Romana Curia de appellatione sentiat per partem Ecclesiæ sollemniter nunc emissam præfixo die certo ad eius prosecutionem, hoc est: feria secunda post Dominicam, qua cantatur: *Oculi mei semper.* Si tamen sub spe triumphi Magister *Gund.* vellet litem aggredi, ego ei pro auxilio fabricabo allegationum fortium armaturam scribens ei modò, quantò breviùs potero, statum causæ.

* *puto leg.* Gundakkeri.

Præsidentibus iudicibus iniquitatis post terminum datum primò surrexit Mag. *Wolfgangus* Advocatus propter absentiam Præpositi *Garzensis*, defectum iurisdictionis obiecit allegata Lege *ff. de re iud Duo ex tribus datis iudicibus nihil faciunt in iudicando* &c. cum similibus adijciens. Ne tamen apud potentes de facto nobis præiudicent facta nostra, dico, quòd iudex, antequam ferat sententiam, debet cognoscere de principio, medio, & fine. Si igitur inspiciatis primum principium, illud est interpretatio litterarum: & ex illa sequi nihil potest, cùm facta sit de beneficio viventis: Quoniam qui post unum, qui solus esse debet, factus fuerit, ille nec unus nec secundus, sed prorsus nullus est. 7. *d. q.* 1. *factus est Cornelius. Clamans patenter.* Unde G. Canonicè instituto in Plebanum, cum unius plebis unus debeat esse Plebanus, *Heinricus de Chlingenberch* non unus nec secundus &c. Item præsentatio litterarum facta *Garzensi* Præposito non valuit: quia non fuit exhibitum Papale rescriptum, & ad exemplaria eum moveri non oportuit. Secus est de parte, quia iudicium redditur inimicum.

Item cùm in curia Procuratores consenserint de certo loco, scilicet oppido *Lintzensi*, coniudices vocandò eum ad locum alium, scilicet *Vlmam* venerunt contra pacta, quæ sunt iuris gentium. *ff. de pactis iuris gentium.* Item cùm dicunt, quòd non ad iudicandum, sed ad tractandum eum vocaverint, apparet, quòd sit astuta interpretatio. Sed noram perpetuæ infamiæ subit, qui astutè interpretatur rescriptum Principis, *C. de le. & Con. Prin. qui ex relationibus.*

Item cùm dicant iura, quòd secundùm formam petitionis formanda est sententia, mirandum est, quid sententia continere debeat. Ecclesia enim *Viennensis* peti non potest. Cùm enim constet Ecclesiam *Pætaviensem* in eius possessione fuisse, & collatione facta Domino Præposito *Gotfrido* secularis potentia illam occupaverit, & usque hodie illam teneat occupatam; clamant iura, quod res furtiva vel invasa a nullo haberi potest, nisi priùs redeat in ius & potestatem possessoris & ejecti. Sole lucet clarius, quòd ipsa Ecclesia adhuc violentiæ subiacens propter vitium cohærens ipsi rei a nullo peti potest, præsertim a spo-

Digitized by Google

spoliatore, qui etsi aliàs verè esset Dominus, tamen propter vim illatam dominium perdere * debet.

* Cod. non debet

His & aliis a Magistro *VVolfgango* dictis Magister *VValtherus* ad proposita nihil vel parum respondit, sed sermonem suum ad hoc tantùm direxit, ut iudices sententiam diffinitivam legerent: quod & fecerunt, pronuntiantes *Heinricum* intentionem suam probâsse, & esse investiendum de Ecclesia *VViennensi*. A qua sententia Dominus Episcopus. qui præsens aderat, personaliter appellavit. Juxta promissionem vestram sepulchro occultationis perpetuæ præsentem litteram includatis.

70.

Ad Duces Bavariæ Ottonem, Ludovicum & Stephanum de laudibus Ducis Henrici patris nuper mortui.

SOl serenus occidit, Cùm Dux *Heinricus* decidit.
Lux & Decus patriæ. Pallet vultus *Bavariæ*.
Miles erat strenuus. Quis ab eo recessit vacuus?
Donorum fudit pluvias: Sic fœcundavit inopias.
Stabat eius Curia Omnis defectus nescia In plena rerum copia.
Nemo dixit advenis: Quis es, aut unde venis?
Nam fuit ipsa Curia Quædam communis patria.
Quæ tanquam capax omnium Exultantium domicilium,
Tutumque fuit refugium Oppressorum egenorum.
Ducis huius exercitia Vera morum exemplaria,
Honestatis erant specula. Vivat, quæso per secula!
Illud Cleri sit precamen: Plebs fidelis dicat: Amen.

71.

Responsio Ducum Bavariæ.

Per signa exteriora interior amor erumpit. Quia dum Patrem nostrum dolorosè plangitis, dum laudes eius præconio dilatato attollitis, evidenter ostenditur, quem zelum erga genitorem & genitos habeatis. Rogamus igitur, ut quemadmodum studuistis eum salubri eruditione fovere, sic & nos, quos ipsa rerum inexperientia reddit ignaros, & ob hoc consilii magis indigos, provido semper regimine dirigatis.

72.

Item Wolfgangus.

HEinricus Princeps nobilis
Non hinc migravit sterilis.
Stratâ carnis materiâ
Viret tamen in memoria
Viri virtus & gloria,
Floret adhuc in claro germine
Trinæ prolis pulchritudine:
In *Ottone* suo filio,
Qui pet honestatis florem
Spirat patris & odorem.
Hostes enim ense conterit,
Dando manus aperit,
Exulantes confovet,
Et defectus omnes removet.
In eius ampla curia
Nulla sentitur penuria.
Patrissantem filium
Dux Christe ad imperium,
Ut præ conprincipibus
Regnet cum charis fratribus.

CCLXXII.

Bernhardus Episcopus Patavienſis Monasterio Scotorum VVienna cavet, ne quod detrimentum ex permutatione Plebani in Pulka capiat.

NOs *VVernhardus* DEI gratia Eccle- 1295.
siæ *Patavienſis* Episcopus tenore *Ex autographo P.H.*
confitemur præsentium, quòd, cùm ex iustis causis *Dietricum Stadelov*, cuius Ecclesiæ ius patronatus ad nos spectat, & *Nykolaum de Pulka* Plebanos, cuius Ecclesiæ ius patronatus ad Venerabilem Abbatem & Conventum Monasterii *Scotorum in VVienna* dinoscitur pertinere, in Ecclesiis præmissis transtulissemus, eò quòd alter eorum in alterius Ecclesia plus posset proficere saluti animarum, quàm in sua, & ad translationem huiusmodi, prædicti Abbas & Conventus suum attribuissent consensum: Ne ex hoc præmissæ Ecclesiæ *Scotorum* in privilegiis suis, ex quibus Abbati & Conventui competit post proximam vacationem Ecclesiæ in *Pulka*, fructus eiusdem Ecclesiæ ad mensam suam recipere, eandemque Ecclesiam per Monachos suos in

ſpiritualibus & temporalibus gubernare, aliquomodo derogetur, Ipſis cavemus auctoritate præſentium, volentes eadem privilegia ſeu gratias per nos & Capitulum noſtrum indultas in ſuo robore in omnibus ſuis clauſulis inviolabiliter & perpetuò perdurare, quæ nichilominus ex nunc innovamus eiſdem, & de certa ſcientia ordinaria auctoritate confirmamus. Inhibemus prædicto *Dietrico*, ut ad aliquam permutationem cum alia Eccleſia in poſterum nulla ratione procedat. In cuius rei teſtimonium præſentes dedimus litteras noſtro ſigillo munitas.

Datum & actum *VViennæ* in Eccleſia *Scotorum*, Anno Domini M.CC.XCV. In Aſcenſione Domini.

CCLXXIII.

Emicho Epiſcopus Friſingenſis Parochiam VVarngavenſem incorporat Monaſterio Tegernſeenſi.

1297. *Ex Archiv. Tegernſ.*

NOs *Emicho* DEI gratia Epiſcopus *Friſingenſis* præſentibus profitemur, & conſtare volumus univerſis, quòd, cùm honeſtus vir Magiſter *Conradus*, Rector Eccleſiæ in *VVarengau* ipſam ſuam Eccleſiam, cuius ius Patronatus ad dilectum in Chriſto nobis fratrem *Marquardum* Abbatem in *Tegernſee* pertinere dignoſcitur, ad manus noſtras purè & liberè reſignâſſet, nos conſiderantes onera debitorum, aliasque multiplices neceſſitates, quibus dicta Abbatia gravabatur, eandem Eccleſiam de conſenſu Capituli Eccleſiæ noſtræ *Friſingenſis* & dicti Abbatis, eidem Abbatiæ, quoad fructuum perceptionem duximus adnectendam, reſervata eiuſdem Eccleſiæ Vicario, cuius ad nos inſtitutio & deſtitutio pertinebit, debita & honeſta pro hoſpitalitate & Epiſcopalibus iuribus perſolvendis, aliisque ſuis neceſſitatibus portione, reſervatisque nobis omnibus aliis, quæ tam ad legem iuriſdictionis quàm Diœceſanam ſpectare noſcuntur de iure & conſuetudine approbata. Gaudebimus enim in eadem Eccleſia & Vicario ipſius omnibus iuribus, quæ in cæteris Eccleſiis Parochialibus & earum Rectoribus & Proviſoribus per noſtram Diœceſim tam de iure quàm de conſuetudine nobis competere dignoſcuntur. In cuius rei teſtimonium noſtrum ſigillum præſentibus duximus apponendum. Nos etiam Capitulum Eccleſiæ *Friſingenſis* in teſtimonium noſtri conſenſus ſupra appoſiti præſentibus * noſtrum ſigillum duximus apponendum.

Datum *Friſingæ* anno Domini MCCLXXXXVII. Nonas Maji.

CCLXXIV.

Albertus Romanorum Rex homines, ad Capellam Aulæ VViennenſis pertinentes, a quorundam iuriſdictione eximit.

1298. *Ex autograph. P. H.*

NOs *Albertus* DEI gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ad univerſorum notitiam volumus pervenire, quòd colonis & hominibus attinentibus Cappellæ honorabilis viri *Martini* Cappellani noſtri in *VVienna* hanc gratiam duximus faciendam, quod ipſos à iuriſdictione omnium Judicum, tam in civitate *VViennenſi*, quàm extra eximimus, & quitamus, ſic, quòd in nullis caſibus ſtare iuri coram Judice aliquo teneantur, his caſibus dumtaxat exceptis, videlicet furto, raptu virginum, & homicidio, pro quibus iidem homines dictæ capellæ attinentes ſtare iuri coram Judicibus *VViennenſibus* & aliis iuxta terræ conſuetudinem tenebuntur præſentium teſtimonio litterarum.

Datum in *Nürembereh* XII. Kal. Januarii. Anno Domini M.CC.XC.VIII. Indict. XII. Regni verò noſtri anno I.

CCLXXV.

Indulgentiæ a quibuſdam Archiepiſcopis & Epiſcopis Monaſterio S. Crucis in certis feſtivitatibus conceſſæ.

1298. *Ex Autogr. P.H.*

VNiverſis Xpi fidelibus præſentes litteras inſpecturis, Nos *Philippus Salernitanus* & Frater *Baſilius Hieroſolymitanus* DEI gratia Archiepiſcopi, *Adamus* Eps *Marturanus*, *Cyprianus* Epiſcopus *Bonnenſis*, *Ventura* Epiſcopus *Eugubinenſis*, *Mattheus* Epiſcopus *Veglenſis*, Frater *Romanus* Epiſcopus *Croënſis*, *Leonhardus* Eps *Auſanenſis*, *Andreas* Eps *Venafranenſis*, Frater *Stephanus* Eps *Balneoregenſis*, Frater *Lambertus* Epiſcopus *Aquinatenſis*, *Londonus* Epiſcopus *Suanenſis* & *Hildebrandus* Eps *Aretinenſis*, ſalutem in Dno. Sanctorum meritis inclyta gaudia fideles Xpi aſſequi minimè dubitamus, qui eorum patrocinia per condignæ devotionis obſequia promereu-

Digitized by Google

tentut, illum quoque venerantur imprimis, quorum gloria ipſe eſt & retributio præmiorum. Nos itaque ad conſequenda prædicta gaudia cauſam dare fidelibus cupientes omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad Eccleſiam S. Nicolai de *Sancta Cruce* Ord. Ciſt. in Auſtria, *Patavien.* Diœceſis in Feſto Nativitatis, Aſcenſionis Dni & Pentecoſt. &c. de Omnipotentis DEI miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, ſinguli Noſtrûm quadraginta dies de iniuncta eis pœnitentia miſericorditer in Dno relaxamus.

Datum *Romæ* apud S. Petrum Anno Dni Milleſimo Ducenteſimo Nonageſimo Octavo, Menſe Martio Pontificatûs Domini Bonifacii Pape VIII. Anno quarto.

CCLXXVI.

Hertnidus Epiſcopus Gurcenſis confirmat Cartuſiæ Seitzenſi privilegium quoddam de collatione feudorum ab Vlrico Epiſcopo eidem conceſſum.

1198. *Ex Arch. Seitz.*

NOs *Hertnidus* DEI gratiâ *Gurcenſis* Eccleſiæ Epiſcopus præſentibus profitemur, ac declaramus univerſis, præſentibus & futuris, intuentibus præſens ſcriptum, quòd veniens ad præſentiam noſtram Vir Venerabilis, Frater *Ludevvicus*, Prior de *Seitz*, ex pàrte propria & ſui Capituli offerens nobis litteras felicis recordationis Domini *Ulrici* Epiſcopi *Gurcenſis*, Prædeceſſoris noſtri, ſigillo ſuo, ac *Gurcenſis* Capituli ſigillo munitas, continentes quandam gratiam ab eo, Capitulo de *Seitz* factam, à Nobis humiliter poſtulavit, ut prædictam approbare gratiam DEI intuitu dignaremur. Dictarum itaque litteratum prædictarum prænominati Prædeceſſoris noſtri tenor talis eſt poſitus in hæc verba.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, tam præſentibus quàm futuris; quòd Nos *Vlricus* DEI gratiâ *Gurcenſis* Epiſcopus cum Capitulo noſtro Fratribus de *Seitz* Ordinis Cartuſienſis talem gratiam contulimus, ut, ſi quis Miniſterialium noſtrorum vel hominum, ſive Clericus fuerit ſive laicus qualiſcunque conditionis, pro remedio animæ ſuæ ac parentum ſuorum aliquas poſſeſſiones, quas à Nobis habent in feudum, fratribus dictis dare voluerint, Nos cum Capitulo noſtro ipſis prædictas poſſeſſiones in perpetuum concedimus poſſidendas. Et, ut hoc ratum & firmum ſit, has litteras inde confectas noſtro ſigillo cum ſigillo noſtri Capituli fecimus roborari. Acta ſunt hæc in *Gurka* anno Domini MCCXLIII. V. idus Junii.

Nos etiam zelo divino moti, volentes ex animo ſæpefati Prædeceſſoris noſtri Viri Sapientis & circumſpecti, ſalubribus inhærere veſtigiis, gratiam prænotatam ſimiliter præſentibus approbamus, ac ipſas litteras noſtro ſigillo cum ſigillo noſtri Capituli ſæpefatis Fratribus offerimus communitas in evidens teſtimonium & cautelam. Datum in *Straſpurga* anno Domini MCCLXXXXVIII. in die ſive Feſto S. Benedicti Abbatis.

CCLXXVII.

Bernardus Ep. Patav. confirmat donationem Eccleſiæ in Spiz, factam a Rudigero Anteceſſore ſuo, illamque novis gratiis adauget.

1299. *Ex Archiv. Altah. inf.*

NOs *Bernardus* DEI gratiâ Eccleſiæ *Patavienſis* Epiſcopus ad perpetuam rei memoriam. Tenore præſentium confitemur, quòd conſtitutus coram nobis dilectus in Chriſto Frater Dominus *Bernardus* Abbas Eccleſiæ de *Altach* inferioris, privilegium felicis recordationis D. *Rudigeri*, quondam Eccleſiæ *Patavienſis* Epiſcopi, Prædeceſſoris noſtri ſigillatum ſigillo ſuo & Capituli *Patavienſis*, Nobis & Venerabili Capitulo noſtro non vitiatum, non cancellatum, nec in aliqua ſui parte læſum, prout de vèrbo ad verbum præſentibus eſt inſertum, exhibuit nobis, humiliter ſupplicando, quatenus illud recognoſcere, & renovare, & gratiam *Altachenſi* Eccleſiæ conceſſam ampliare ex paternâ liberalitate dignaremur. Eſt autem dicti privilegii tenor talis:

Rudigerus DEI gratia *Patavienſis* Epiſcopus in perpetuum. Speramus nobis eſſe profuturum ad æternæ retributionis præmia capeſſenda, ſi per nos Eccleſiis DEI incommoditatum oneribus aggravatis & maximè Eccleſiis in noſtro latere poſitis, quarum devotionem & bonæ vitæ converſationem proſpicimus quotidie oculatim, ſubſidiorum ſeu beneficiorum

ciorum remediis ſuccurratur. Speramus etiam nos eorum orationibus intercludi, qui in domo Domini inſiſtunt inceſſanter exercitiis laudis DEI, ſi eisdem per nos charitatis onera & temporalis conſolationis neceſſaria miniſtrentur, ut talibus recreati ſtipendiis commodiùs inſudent officiis divinorum. Hujus rei causâ tam præſentibus quàm futuris eſſe volumus manifeſtum, quòd, cùm propter malum ſtatum terræ Eccleſia *Altahenſis*, nobis collateralis, ad tantam corruerit egeſtatem, ut Fratres inibi Domino famulantes facultatibus propriis nequirent ibidem ſuſtentari ad exercitia divinorum, nos circa ipſos moti viſceribus pietatis, & volentes ipſorum inopiam per nos aliqualiter relevari, habito conſenſu Capituli noſtri & conſilio prudentum virorum, ad inſtantiam *Dietmari* Abbatis & ſui Conventûs, Eccleſiam in *Spitze* cum omni jure & utilitate, quæ de ipſa Eccleſia poterit provenire, dicto Abbati & ſuis Succeſſoribus ad ſupplementum præbendæ Fratrum contulimus literaliter perpetuò poſſidendam, ſalvo tamen jure Diœceſani, Archidiaconi & Decani, ſalva etiam hoſpitalitatis conſuetudine, quæ ibi debet more ſolito exerceri. In hac enim collatione præfatum Abbatem & Succeſſores ipſius eò liberalius reſpeximus propter DEUM, cùm ipſe & ſui Anteceſſores in *Altaha* jus patronatus in dicta Eccleſia tenuerint ex antiquo. Et ne ſuper hac collatione ſive donatione dicto Abbati & ſuis Succeſſoribus per nos facta poſſit imposterum calumnia ſuboriri, præſentem paginam ſigillo noſtro & Capituli placuit muniri.

Datum *Patavie* anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XXXVIII. octavo idus Decembris Indictione XII. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Nos itaque attendentes, quod Eccleſia *Altachenſis* propter continua hoſpitalitatis onera & frequentia contemplationis officia, quæ ſine intermiſſione incumbunt eidem, ſummè eget noſtræ relevationis beneficiis adjuvari: Ad petitionem venerabilis Domini Abbatis *Bernardi* ibidem, prædictum privilegium & omne Jus Eccleſiæ *Altachenſi* competens ex eodem recognoſcimus, & liberaliter renovamus in his ſcriptis, addentes nihilominus de benigno & expreſſo Capituli noſtri conſenſu pro divini cultus augmento *Altachenſi* Eccleſiæ hanc gratiam de gratia ſpeciali, ut Abbas Eccleſiæ *Altachenſis*, qui pro tempore fuerit, conſtituendo in *Spiz* Eccleſiam Monachorum, ſuæ ordinationi ſubjectam; omnino juxta numerum Monachorum ſecundùm varietatem & ſtatum terræ moderandum per ipſam Parochialem Eccleſiam in *Spiz*, & plebem pertinentem ad eandem, per unum Monachum ſuum, præſentandum nobis ad curam animarum, de noſtris & ſucceſſorum noſtrorum manibus recipiendam in ſpiritualibus gubernandis, habeat liberam facultatem: quem quidem Monachum toties mutabit, & alium prædicto modo ſubrogabit, quoties viderit expedire: Salvis Romanæ Eccleſiæ & nobis omnibus oneribus & juribus Canonicis, & hoſpitalitate ſolita, contra quæ nullam immunitatem concedimus per præſentes. In cujus rei teſtimonium præſentes dedimus litteras noſtro & Capituli noſtri Sigillis munitas. Teſtes autem ſunt Dnus *Gotfridus* Tumpræpoſitus, *Wolff* Decanus. *Ulricus de Styria*, Magiſter *Engelſchalcus*. *Mengotus de Waldek*. *Pilgrinus de Capella*. *Witigo de Lobenſtain*. *Henricus de Goltniz*. *Schazlang de Hurlaur*. *Otto & Ludvicus* Notarii & alii fide digni.

Datum *Patavie* Anno Dni M. CC. Nonageſimo Nono. Octavo Kalend. Martii.

CCLXXVIII.

*Ulricus Peuger * feudum ſuum, ſitum * Preu. ad S. Bernhardum, vendit Offinai. § 5.*
næ Abbatiſſæ Parthenonis S. Bernhardi in Auſtria.

1299. Ex autogr. P. H.

Ich Ulrich gehaizzen der Peuger tun Chunt allen den di diſen Brief hörent oder ſechent, peideu di nu lebent, oder hernach chinftig ſint. Daz ich, mit guetem Willen min ſelbes und miner Hauſfrowen Vron Agneſen, und miner Chinde Nyclas, und Johans, Petres, und Ulriches miner Sune, Sophein und Katerin miner Töchter/ han verchauffet ain Lehen daz Sant Bernhart, daz e ze Chrueg hiez, und dinet ain Phunt fuer rechtez aigen Vron offinein der Apteſſine von Sand Brenhart und aller der Sammunge um funffzehen phunt Phenninge der gemainen Munzze, und vergiehe, daz ich des Guetes gentzlich gewert pin, und han iz aufgegeben mit ſamt miner Hauſfrouen, und

vnd minen Kinden ledichlichen fuer rechtez aigen; und zu pezzrer Statichkeit ſetze ich den vorgenanten Frowen Purgel, Herrn Almar von Speiſſendorf, Herrn Perchtolten den Gobel, Nycla minen Sun, di von aigem Willen mit ſamt mir und miner Hausfrowen und minen Chinden gelobent Scherm fuer alle Anſprach, und abzelegen allen Schaden, als in dem Lande recht iſt. Und wand ich nicht ain aigenz Inſigel han, ſo gib ich den oftgenanten Frouen diſen Prief verſigelten mit dem Inſigel des erwern Heren Hern Seyfrides, der Apte ze Altenburch iſt, und auch mit dem Inſigel des Hern Hern Stephans von Meyſſawe der Marſchalch in Oſterreiche iſt. Der Dinge ſint Gezuge Her Adolt und ſein Sune, Her Haurich und Her Chunrat von Chyawe, Her Hauch und Her Otte und Her Reinprecht von Liechtenvels, di Dinſtherrn ſint in Oſterriche, Her Wolfhart von Dürrenpach, Her Otte von Neunburch, di Reitter ſind, Her Hainrich der Wilperger, und Her Leutwin ſin Aidem, Her Gotſchalch von Vronhouen, und ſin Sun Her Chunrat, und Her Ludwich von Sand Marein, und andere frumer Leut genuch. Diſe Dinch ſind geſchehen, do von Chriſtes Geburt waren tauſent Jar und zwai hundert und neunzig, und neun Jar, an Sant Stephans Tag.

CCLXXIX.

Alberti Rom. Regis Diploma, quò confirmat Magiſtratui Novæ Civitatis in Auſtria Privilegia, quæ eidem ut Dux Auſtriæ anno 1285. impertiverat.

1899. *Exaratum graph. P.H.*

Albertus DEI gracia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, univerſis Sacri Romani Imperii fidelibus, præſentes litteras inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum.

Ad perpetuam vobis memoriam declaramus, quòd cùm Viri prudentes Iudex . . Conſules, & univerſi Cives *Novæ Civitatis* in *Auſtria*, fideles noſtri Dilecti quoddam privilegium ipſis per nos, Principatus Auſtriæ, & *Styriæ* tunc tenentes, traditum & conceſſum, noſtræ aſpectibus Majeſtatis tranſmiſerunt humiliter ſupplicantes, ut ſibi idem privilegium, confirmare de benignitate Regia & gratia ſolita dignaremur. Cujus quidem privilegii tenor per omnia talis eſt.

Albertus DEI gracia Dux *Auſtriæ* & *Styriæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ* & *Portus Naonis*, Univerſis preſentibus & futuris, ad quos præſens ſcriptum pervenerit in perpetuum. Fidelium noſtrorum merita conſiderationis directæ recenſentes intuitu, gratiarum ſtipendiis arbitramur eos eſſe per amplius confovendos, quorum fidelitas à ſui debito non aberrans conſtantiæ, meretur honores aſſequi, & condigna participare præmia probitatis. Ea propter Viros commendabiles & prudentes, Cives noſtræ Civitatis fideles noſtros dilectos, pro ſuæ puritate fidei, qua perſeveranter hactenus & devote ſuo Domino adhæſerunt, & intendent fideliter in futurum, dignum ducentes beneficentiæ noſtræ munire ſuffragiis, ad humilem inſtantiam eorundem, ipſis civibus omnia jura, gratias & libertates ſibi per illuſtrium Principum terræ prædeceſſorum noſtrorum liberalitatem conceſſas pariter & indultas, nec non approbatas confirmatasque à Sereniſſimo Domino & Genitore noſtro Kariſſimo Domino *Rudolpho* Romanorum Rege ſemper Auguſto, approbationis noſtræ amminiculo innovamus per ſingula, ac ſi ipſas de verbo ad verbum præſentibus inſeri contigiſſet. Nichilominus, quosdam articulos libertatum ipſarum apertiùs declarantes, videlicet, quòd dictæ Civitatis Cives, ſibi moventibus quæſtionem coram nobis, vel ſuo Iudice ſecundùm formam juris et conſuetudinem Civitatis *Viennenſis* de juſtitia debeant reſpondere. Item conſenſu benigno annuimus & ſpondemus, dictos Cives, viduas, filios & filias ac nepotes eorum, immò alias civitatis ejusdem perſonas utriusque ſexus, per nos non debere compelli invitos ad ſponſalia & matrimonia legitimè contrahenda. Item munificè indulgemus prædictis civibus libertates & gratias, quas de non ſolvendis mutis in terminis *Auſtriæ* & *Styriæ* & *Carinthiæ*, *Carniolæ*, & *Marchiæ*, à terrarum Principibus noſtris Anteceſſoribus tenuerunt, ita quòd in remiſſione ejusdem telonei, ſive mutæ modus teneatur, hactenus obſervatus. Item Cives memorati feuda tenere poterunt, & à Miniſterialibus, Militibus ſeu à quibuscunque perſonis

ſonis aliis comparare proprietates & feuda valebunt, ipſas legitimè poſſeſſuri, dum tamen ritè & rationabiliter easdem poſſeſſiones comparent & conquirant.

Item nolumus ipſos Cives noſtros, ab ullo Capitaneo, noſtro Iudice, vel ab aliis quibuſcunque in Talliis vel precariis aggravari ſuper id, quod iidem Cives noſtri ſpontanea fecerint voluntate. Item nullum dictis Civibus præficiemus Iudicem contra ipſorum beneplacitum voluntatis niſi idem per unum annum ad minus cum eisdem civibus tanquam civis fuerit converſatus, dummodo incola civitatis tantam penſionem de Iudicio velit exſolvere, quantam extraneus & advena dare voluerit de eodem.

Item firmam de ipſorum Civium fideli conſtantia gerentes fiduciam, & portas & turres Civitatis prædictæ in eorundem manere volumus Civium poteſtate, nec ab ipſis obſides requiremus. Præterea ſi Miniſterialis aliquis ſive miles ratione contractus alicujus habiti cum Civibus civitatis jam dictæ, ſe in certo termino civibus eisdem permiſſo aſtrinxerit ad ſolvendum, nec ſolverit, ſi idem in civitate repertus fuerit vel res ſuæ, Capitaneus civitatis exhibere tenebitur querelantibus de ipſo juſtitiæ complementum.

Nulli ergo omnino hominum hanc noſtræ liceat innovationis & approbationis infringere paginam, noſtri communitam appenſione ſigilli, vel eisdem in eadem poſitis aliquatinus contraire. Quod qui attentare præſumpſerit, indignationem noſtram graviſſimam ſe non dubitet incurriſſe. Datum in *Nova Civitate* Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo octogeſimo quinto, III. Idus Octobris.

Nos dictorum Civium fidem inviolabilem & devotionem ſedulam, quibus gratiæ & favoris noſtri beneficia meruerunt, benigniùs recolentes, ac proinde eorundem commodis & honori liberaliùs intendentes, ipſis privilegium ſupradictum in ſingulis his clauſulis & articulis auctoritate Regia, ex certa ſcientia, ſcripti hujus patrocinio confirmamus & pleniùs indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ confirmationis infringere paginam, vel eidem auſu temerario contraire; quod qui ſecùs attentare præſumpſerit, indignationem ſe noverit noſtri culminis incurſurum. In cujus rei teſtimonium & robur perpetuò valiturum has litteras Majeſtatis noſtræ ſigillo fecimus communiri.

Signum Domini *Alberti* Romanorum Regis Invictiſſimi.



Datum in *Ezzelinge* VI. Idus Octobris Indict. XIII. Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Nonageſimo Nono, Regni verò noſtri anno ſecundo.

CCLXXX.

Albertus *Romanorum Rex confirmat Privilegium à Rudolpho Duce Auſtriæ Capellæ in Regia Wiennenſi indultum.*

1301. *Ex Autogr. P. H.*

ALbertus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Univerſis Sac. Rom. Imperii fidelibus, ad quos præſentes pervenerint, Gratiam ſuam & omne bonum. Honorabilis Vir *Martinus* Rector capellæ Caſtri *Wiennenſis*, Capellanus noſter dilectus, noſtræ Celſitudini humiliter ſupplicavit, ut privilegium dictæ Capellæ ab Illuſtri *Rudolfo* Duce Auſtriæ, Principe & Primogenito noſtro Kariſſimo traditum & conceſſum dignaremur ex noſtra benignitate Regia confirmare. Cujus quidem privilegii tenor talis eſt:

In nomine Domini, amen. Nos *Rudolfus* Dei gratia Dux *Auſtriæ* & *Styriæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ* ac *Portus Naonis* præſentium inſpectoribus univerſis in perpetuum. Temporales actus de facili ſupplantare poteſt ruina temporis, niſi firmentur apicibus ſigillatis &c. quod nos ob reverentiam Omnipotentis DEI, glorioſæ Virginis Ma-

Digitized by Google

Mariæ, Beatorum Johannis Baptistæ & Evangelistæ, Pancratii & aliorum in Capella castri nostri *Viennæ* quiescentium: Nec non discreti Viri *Martini* Sacerdotis Capellani ejusdem merita, &c. &c. Quod qui secùs fecerit, nostram ultionem & offensam ipso facto se noverit incursurum. In quorum testimonium sigillum nostrum duximus præsentibus appendendum. Datum *Viennæ* anno 1298.

Nos ipsius nostri Capellani devotis supplicationibus favorabiliter inclinati dictum privilegium, & contenta in eodem, ob præfatorum Sanctorum in ipsa Capella, cujus fundator existimus, quiescentium reverentiam, & animæ nostræ remedium ac salutem, ex solita nostra benignitate Regia confirmamus præsentium testimonio litterarum, nostri sigilli robore signatarum.

Datum *Spiræ* XIV. Kalen. Januarii A. Dni 1301. Indict. XV. Regni nostri anno IV.

CCLXXXI.

Rudolphus Dux Austriæ Parthenonem ad S. Spiritum Ord. Cist. extra Civitatem Ybbsensem in inferiori Austria per incendium & alias ærumnas ad inopias redactum, in suam suscipit protectionem.

1301. P.H. * *Hoc Diploma sine dubio à Latino, sequioris tempore, in Germanicum versum fuit.*

WIr Rudolff von Gottes Gnaden, Hertzog ze Oesterreich, und Steyr, Herr in Windisch Land, und Portenau, tuen chund yedermenigleich, so diser Brief fürchombt zewissen neben Unsern Grues.

Aus vorgehunden gueten Werchen, wird chünftig eines yeden Lon gesehen werden, wie daz der Prophet bezeugt, der sagt: Der gesparsam seet, der wird auch wenig einfernen, und der in den seen reichlich aussern tut, der wird auch reichlich einärdnen.

Nachdem derowegen die Geistleich Abbtissin, und ganzes Conuent des Jungfrauen Closters zum heiligen Geist Cisterzienser Ordens ausserhalb der Statt Ybbs gelegen, lander allerley Gefahr und Schaden durch die unversehenliche Prunst erlitten, haben Wir ein grozzes Mitleyden mit denselben tragen, und eine hohe Begierd Iren Schmertzen und Seuffzen mit einem Trost etwas ze lindern, damit der Gotsdienst nit gemindert oder gar undergehe. Disem nach so nemen Wir hiemit solches Closter sambt allen dessen Zuegehörungen, und Personen, so woll die anjezo aldort sein, als die zuekünfftig sein werden (dessen neuen Aufferpflantzung und Erhebung Wir mit der Durchlauchtigen Frauen der Röm. Künigin unsere Mutter Catarina die fürnembsten Stüffter sein wollen) in unsere besondere Beschutz, und Beschirmung in Crafft ditz Briefs, und haben ein sonders Verlangen, gesagten Closter und deren Personen unsere Gnaden, und Befürderung zu fürfallun den Zeiten zuerzaigen, und alle Landsfürstliche Hülff zeleisten, damit alle Gotseelige und Cristglaubige dester inbrinziger angereitzt werden, gesagtes Closter ze befürdern ꝛc. Geben ze Wien nach der Geburt Christi dreytzehenhundert Jar, darnach in dem ersten Jar.

CCLXXXII.

Johannes Dux Silesiæ confirmat donationem, factam Ecclesiæ S. Catharinæ in Gora à Balthasare Donin, Capitaneo Crobensi.

IN nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis. Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui in benedictionibus seminat, de benedictionibus & metet vitam æternam, Amen. Hinc est, quòd Nos *Johannes* DEI gratia Dux *Silesiæ*, Dominus *Stynaviæ*, & heres Regni *Poloniæ*, ad notitiam præsentis scripturæ testimonio universorum tam præsentium, quàm in æviternum futurorum, volumus pervenire: quia Strenuus Miles *Balthasar Donin*, in Provincia nostra Capitaneus *Crobensis* à Domino suo Episcopo favorabiliter licenciatus ad introcontenta peragenda cum assistentia Virorum Ecclesiasticorum, Discreti Domini *Cornelii* Præpositi in oppido nostro *Gora*, & districtus ejusdem Custodis *Andreæ* Præpositi in *Osten*, *Berchtoldi* Plebani in *Ponicia Ausgarii* Plebani *Lubinensis*, & aliorum ad id congregatorum, ipse personaliter coram Nobis constitutus, instinctu Divino permotus, mente sanus, rationisque compos, non coactus, non compulsus, immò verò matura deliberatione intra se præhabita, & amicorum suorum salubri consilio usus, pro ipsius suorumque Genitorum, Fratrum & Propinquorum animarum salute, ad laudem Omnipo- 13 1. *Ex ad. tegr.* P. H.

tentis

tentis DEI, ad Eccleſiam Divæ *Katharinæ*, & in oppido noſtro *Gora*, à *Mauro de Malta* Salvificæ Chriſti Crucis baculo, & per partes *Sileſiæ* Paganiſmi Extirpatore erectam, & poſtmodum à *Ludovico Modeſto* opiparè dotatam, ad eos duos manſos agrorum in antiqua *Gora* ſitos, ſecus viam *Fibig* dictam, quà itur versùs villam *Schlavviz*, Dominus *Donin* duntaxat *Balthaſar* nomine, Eccleſiam SS. Jacobi & Georgii ob propinquitatem locorum *Goravienſi* incorporando, pro incremento & uſu, moderno *Goravienſi* Præpoſito, & omnibus poſt hunc in æviternum ſucceſſuris. Adhuc alios duos integros agrorum Manſos illis primis ex parte versùs villam *Jaſterzen* continguos poſt defunctam ſuam Avunculam *Annam* in *Tſchelazen* hereditariè ſortitos, amodo ſeſe omnes quatuor conjunctim extendentes in latitudinem ducentarum viginti lirarum, & longitudine usque ad limites villæ *Schlavvitz* directè cum ſuis quatuor agricolis ibidem in antiqua *Gora* poſſeſſionatis. Pariter Oeconomiam in ſuburbio *Gorenſi* cum omnibus horreis, ædificiis, hortis, ac deinceps ipſum Prædium, dictum *Tſchelazen*, cum omnibus fundis, agris, pratis, paludibus, & ſylva ſita, ſicut in ſe eſt, certis limitibus dislimitatum in convicinio villæ *Schlavvitz*, ut exinde ſervarentur duo idonei Miniſtri, quorum unus in Eccleſia Divæ Katharinæ qualibet hebdomada per annum celebraret unum ſacrificium Miſſæ pro defunctis animabus ex familia Dominorum: Alter verò Miniſter apud eandem Eccleſiam in antiqua Capella primæ fundationis ſalvificæ Crucis Chriſti Miſſam: *Humiliavit ſemetipſum*, cum Collecta pro peccatis, totidem vicibus. Prædictorum agrorum & Oeconomiæ, ſicut & prædii *Tſchelazen*, ſibi nec ſuis ſucceſſoribus quidquam juris aut dominii excipiendo, vel reſervando, cum omnibus uſibus, fructibus memoratus Balthaſar Donin donavit, dedit, legavit, aſcripſit, & firmiter in perpetuum reſignavit per præſentes. Quæ Nos cum unanimi conſenſu Venerabilis Domini Epiſcopi noſtri *Poſnanienſis*, amplectantes, Eccleſiaſticaque libertate gaudeant, authoritate noſtra utrorumque confirmamus, approbamus, & appenſione ſigillorum noſtrorum roboramus.

Actum in oppido *Gora* Anno Milleſimo Trecenteſimo ſecundo, Dominica, qua cantatur: *Invocavit me.*

CCLXXXIII.

Rudolfus Dux Auſtriæ confirmat patris ſui Alberti litteras, quibus ſententiam definitivam in cauſa Advocatiæ pro Sanctimonialibus in Kirchberg contra Hermannum de Kranichberg ratificat &c.

NOs *Rudolphus* DEI gratia Dux *Auſtriæ* & *Styriæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ* ac *Portus Naonis* &c. præſentibus profitemur, literas Sereniſſimi Domini *Alberti* Romanorum Regis, tunc Ducis Auſtriæ, Genitoris noſtri in hæc verba recepiſſe: 1302. *Ex Autogr.* P. H.

Nos *Albertus* DEI gratia Dux *Auſtriæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ* ac *Portus Naonis*, proteſtamur tenore præſentium, publicè profitentes, quòd cùm inter Conventum Sororum Ordinis Sancti Auguſtini in *Kirchberg* ex una, & fidelem noſtrum *Hermannum de Kranichberg* ex altera parte ſuper Advocatia, quam de ipſis Sororibus & bonis ſuis *Hermannus* ſibi competere aſſerebat, *Viennæ* Eædem Sorores Juris ordine obſervato per ſententiam definitivam dictum *Hermannum* evaſerunt, Nosque ſuum evicerunt & obtinuerunt Advocatum: Ipſas Sanctimoniales officii noſtri debito in protectionis noſtræ præſidium, favoris plenitudinem, & in gratiæ amplexus duximus aſſumendas: Mandantes fidelibus noſtris univerſis & ſingulis, quatenus memoratas Sorores nullis attentent in ſe aut bonis ſuis gravaminibus, injuriis vel jacturis, ne Jurisdictionem ullam ſibi vendicent in easdem. Qui verò ſecus fecerint, indignationem noſtram ſe noverint graviter incurriſſe. Datum *Viennæ* VII. Idus Octobris, Anno Domini Milleſimo, Ducenteſimo Octogeſimo ſexto.

Nos igitur Genitoris noſtri veſtigiis inhærere volentes præfatas Sorores, tanquam Advocatus unà cum ſuis rebus & perſonis manutenere & defendere volumus propter DEUM, harum teſtimonio traditarum.

Datum *Viennæ* Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſecundo VIII. Kalend. Aprilis.

CCLXXXIV.

CCLXXXIV.

Teſtamentum Blankæ Reginæ Franciæ & Auſtriæ Duciſſæ, quo Capellam S. Ludovici Viennæ in Monaſterio S. Crucis Ord. FF. Min. Conventualium conſtitutam dotat, & in locum ſepulturæ ſuæ eligit, diverſiſque Auſtriæ Monaſteriis, & Noſocomiis plurima dona legat & confert.

1304. *Ex autograph.* P. H.

IN dem Namen des Vaters, und des Sunes, und des Heiligen Gayſtes, Amen. Wir Blancka von den Genaden GOtes des Chuniges Tochter von Franchrich, und auch Hertzoginne von Oeſterrich, und von Styer, ordenen und ſchaffen Unſer Geſchefte, als iz hernach geſchriben ſtat. Des erſten, ſo wol Wir Unſere biuilig, ob GOt über Uns gebeute, daz den Müneren Pruedern ze Wienne in dem Chore vor dem Altar, und ſchaffen hundert Phunt, darumbe man chaufe ein gewiſſe Gülte, und daz man darumbe Unſeren und Unſerer vordern Jar Tag bege alle Jar daz denſelben münerern Prudern, und ſchaffen umb ein erwer Grab von Mermelſtaine über Uns fünfzig Phunt, und ſchaffen, daz man an den erſten Tage Unſerer biuſlig Tail under arme Leute zwaintzich Phunt, an dem dritten zehen, an dem ſybenden zehene, an dem dreizigiſten zehene: Und ſchaffen tauſent Phunt, daz man darumbe die Chirchen, und daz Münſter, daz den Vorgenanten münren Prudern ze Wienne in Eren ſand Ludwiges neue mache, und von neuen Dingen erboue, und wihr in Eren ſand Ludwiges dieſelbe Chirchen.

Wir ſchaffen auch hundert Phunt, darumbe man chaufe Gülte, damit man alle Jar beleuchte und berichte ſand Ludwiges Alter mit aller dru, und darzu gehört, alſo daz man alle Tage da Meſſe ſpreche, und ſchaffen auch hundert Phunt, di man tailen ſol under die Chlöſter münner Pruder, di von Oeſterrich ſint, und allen den Chlöſtern ſand Claren Orden in Oeſterrich vierzig Phunt.

Wir ſchaffen allen Prudern und Sweſtern von Prediger Orden hundert Phunt. Wir ſchaffen den Auguſtinern fünfzehen Phunt. Wir ſchaffen auch den Nunnen hintze Neumburg fünff Phunt, und den Nunnen Hintze ſand Jacob fünff Phunt, und den Nunnen daz der Himel-Porte fünff Phunt, und den Nunnen Hintze ſand Marie Magdalene fünff Phunt, und allen den Spitalen, di in Oeſterrich ſint, drizehen Phunt, und hintz allen den Auſſetzigen, di in Oeſterrich ſint, zwainzig Phunt.

Wir ſchaffen auch den vier Brauen Unſern Dienerinen, der von Puchperch, Agneten, Gertrouden, und der Weſchen, ſechzig Phunt, und dem andern Unſern Geſinde, di Tuſch ſint, hundert Phunt. Daz alles, daz hie benemet iſt, und Wir verſchaffet han, und darzu zwai hundert Phunt, di Wir noch ſchaffen, daz man da mit gelte, ob iemant chome in Jares Friſt der deheine gülte von Uns aiſche, ob daz nichtnuwere, oder ſwaz über di Gülte beliebe, daz man daz geb durch GOt, daz ſol man alles nemen von Unſern Chleinodien, ſwi di genant ſint, und von Unſerem Gewande. Daz aber ditz Geſchefte ſtete beliebe, darumb empfelhe Wir iz Unſer liben Brouen Chünegine von Rome, und Unſerm liben Wirte Hertzogen Rudolfen von Oeſterrich, und Unſerm Pichtiger auf ir Treue, und auf ir Sele, datz ſi ditz Geſchefte volfüren nach GOtes Lobe, und nach miner Sele Troſt, und darumbe zu ainer Stetichеit haben Wir diſen Prif haizen ſchriben, und haben in verſigelet mit Unſerm Inſigele. Ditz iſt geſchehen, do von Chriſtes Geburt ergangen waren touſent Jar, dreyhundert Jar, an dem virden Jare, an ſand Mauricien Tage.

CCLXXXV.

Indulgentiæ Congregationi Notariorum Viennæ (vulgo die Schreiber-Zöch) *à Bernardo Epiſcopo Paſſaviensi datæ.*

WErnhardus, DEI gratia Eccleſiæ *Pataviensis* Epiſcopus, Vniverſis Chriſti fidelibus ſalutem in Domino Jhu Xpo. Pia devotio & devota pietas univerſorum Notariorum Civitatis *Viennenſis* ſuis ſumptibus, laboribus, & expenſis in Civitate *Viennenſi* procuravit cottidie & omni die pro ſalute vivorum, & remedio defunctorum unam Miſſam, ad

1304. *Ex autograph.* P. H.

honorem DEI perpetuò celebrati. Nos igitur devotionem ipſorum compleƈtentes in Domino & volentes huiuſmodi Miſſam tantò celebriùs peragi, quantò per fideles Xpi fuerit devotiùs frequentata omnibus verè pœnitentibus & contritis, qui eidem Miſſæ devotè curaverint intereſſe, decem dies criminalium, quindecim venialium miſericorditer in Domino relaxamus, ratas habentes & gratas omnes indulgentias & gratias, quas Reverendi Patres Domini Archiepiſcopi & Epiſcopi pro dictæ miſſæ reverentia conceſſerunt.

Datum *Viennæ*, Anno Domini M. CCC. IV.

CCLXXXVI.

Rudolfus Dux Auſtriæ Parthenoni extra muros Vrbis Ipſenſis, Ord. Ciſt. confert ius Patronatus Eccleſiæ in Chirbach.

1305. *Ex authent.* P. H.

NOs *Rudolphus* DEI gratia Dux *Auſtriæ*, & *Styriæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ* ac *Portus Naonis*, ad univerſorum notitiam volumus pervenire, qui præſentibus fuerint requiſiti, quòd nos habentes in deſideriis, ut pia loca continuis proficiant incrementis, & in his prompti ſimus ad gratiam, quæ profectum reſpiciunt animarum, ad honorem & laudem Omnipotentis DEI ſuæque Genitricis Mariæ Virginis glorioſæ & omnium Cæleſtium virtutum, Eccleſiam *Chirchbach*, cuius nobis Jus patronatſis pertinet, unà cum ſua dote, iuribus & pertinentiis univerſis, ſecundùm quod eam *Gotſchalcus* quondam Civis *Ybbſenſis* olim comparaverat, purè & ſimpliciter propter DEUM ad Monaſterium & ad menſam Religioſarum in Chriſto Abtiſſæ & Conventus Sanƈtimonialium in *Ybbſa* extra muros Civitatis Ordinis Ziſtercienſis, his literis duximus conferendam, & ſuis uſibus perpetuò poſſidendam, modo & conditione huiuſmodi nobis ſalvis, videlicet, quòd dictæ Moniales, quæ pro tempore fuerit, annuatim omnibus Progenitoribus noſtris anniverſarium Generale, nec non claræ memoriæ Dominæ *Blanzæ* Ducisſæ *Auſtriæ*, quondam conthoralis noſtræ, ac etiam nobis, poſtquam carnis debitum perſolvemus, anniverſarios depoſitionis noſtræ dies ſingulos ſingulariter & ſolemniter in Divino officio debeant celebrare.

Alioquin ſi forte, quod abſit, idem Conventus executione huius memoriæ noſtræ peragendæ negligens fuerit aut remiſſus, ex tunc nobis vacet gratia ſeu donatio ſupradicta, & ad Nos noſtrosque Succeſſores, qui pro tempore fuerint, liberè devolvatur. In cuius donationis teſtimonium præſentes, noſtro ſigillo ſignatas præfatis Monialibus dari fecimus.

Datum & actum Viennæ, Anno Domini Milleſimo Tricenteſimo quinto, in Feſto Sanƈti Nicolai Confeſſoris & Pontificis.

CCLXXXVII.

Idem Cartuſiam Seitzenſem in ſuis privilegiis & libertatibus vult illæſam ſervari.

RUdolfus, DEI gratiâ Dux *Auſtriæ* & *Styriæ* prudentibus Viris --- Land. Schreiber noſtro *Styrens.* Judici -- iuratis & vniverſis Civibus in *Marchpurg* gratiam ſuam & omne bonum. Volumus & præcisè mandamus, quatenus --- Religioſos Viros -- Priorem & Conventum Monaſterii de *Seits* Ordinis Cartuſienſis ſuis libertatibus & iuribus iuxta tenorem privilegiorum ſuorum gaudere ſinatis pacificè & quietè, ipſos ad inconſueta ſervitia nullatenus compellendo, ſicut noſtram diligitis gratiam & favorem. Datum *Raggerſpurch* Dominica poſt inventionem Sanƈti Stephani. *Ex Archiv. Seitz.*

CCLXXXVIII.

Idem eidem Cartuſiæ confirmat omnia privilegia a ſuis Illuſtribus Anteceſſoribus conceſſa.

RUdolfus DEI gratiâ Dux *Auſtriæ* & *Styriæ*, Dominus *Carniolæ*, *Marchiæ*, & *Portus Naonis* Univerſis præſentium inſpectoribus in perpetuum. Privilegium Venerabilibus Patribus, Religioſis Viris, Priori & Conventui Domus *Vallis Sanƈti Johannis in Seits* Ordinis Cartuſienſis à piæ recordationis Domino *Otbacharo* Illuſtri Duce *Styriæ* olim traditum & indultum diligenter perſpeximus, & vidimus per omnia ſub his Verbis: *Nos Otacharus* & cætera * 1305. *indid.*

Nos igitur æternæ retributionis intuitu, noſtra & Progenitorum noſtrorum ſalute ac remedio animarum, eorundem Fratrum piis precibus inclinati, dictum privilegium & ſingulos in eo contentos

* *integrum habes ſupra ad fin. Part. I.*

Digitized by

tentos articulos de verbo ad verbum, unà cum privilegiis, & libertatibus, & gratiis univerſis (quas piæ memoriæ Dominus *Rudolfus* Rex Romanorum quondam, Àvus noſter, & Dominus *Albertus* Rex Romanorum, Geniter noſter, tunc Dux *Auſtriæ*, ſuper ſingulis dictorum Fratrum privilegiis confirmarunt) approbamus, innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio confirmamus, noſtri ſigilli munimine roborantes in evidens teſtimonium præmiſſorum.

Hujus rei teſtes ſunt Illuſtris *Leupoldus* Dux *Auſtriæ*, Frater noſter, Venerabilis Pater Dominus *Ulricus Secovienſis* Epiſcopus, Magiſter *Berchtoldus* Prothonotarius noſter, *Hermannus* Marſchalcus de *Landenberch*, *Ulricus de Waltſee* Capitaneus *Styriæ*, *Berchtoldus* Dapifer de *Emberberch*, & quamplures alii fide digni.

Datum & actum in *Brukka Styrenſi* anno Domini Milleſimo trecenteſimo quinto, Nonis Maii.

CCLXXXIX.

Ottobonus Patriarcha Aquilejenſis omni ſuo Clero præcipit, ut ejusdem Carthuſiæ immunitati, rei familiaris conſervationi & cunctis commodis, etiam immiſſis Eccleſiaſticis cenſuris, conſulat.

1305. *Indict.* 1.

OTtobonus DEI gratia Sanctæ *Aquilegienſis* Sedis Patriarcha Dilectis in Chriſto Filiis, Archidiaconis, Plebanis, & eorum Vicariis, per *Aquilegienſem* diœceſim conſtitutis ſalutem in Domino ſempiternam. Quoniam divina providentia Nos in eminenti loco non ſine cauſa poſuit, oculos pietatis ac manus protectionis ad eos ſpecialiter, qui die noctuque DEO pro viribus ſerviunt, debemus dirigere: quia propter diverſas afflictiones & injurias, quas crebrò patiuntur, venit tempus ipſis neceſſariò miſerendi. Sanè igitur ſervitiorum DEI arduitatem & Sanctæ hoſpitalitatis generalitatem, quas dilecti in Chriſto Filii Prior & Conventus Domus *Vallis S. Johannis in Seits* Ordinis Carthuſienſis, Viri Religioſiſſimi, præ cæteris faciunt, cum gaudio perpendentes Veſtræ Diſcretioni injungimus firmiter, & mandamus, quatenus Servos & Ancillas dictæ Eccleſiæ proprios, qui in animarum ſuarum periculum, & ipſius Eccleſiæ præjudicium, atque DEI & Sanctorum ejus contemptum, alieno ſe ſubdiderunt, vel ſubdiderint, dominatui, ubicunque in veſtris plebibus vel Parochiis fuerint, competenti ammonitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam & Divinorum ac Sacramentorum ſubtractionem, quibuslibet occaſione vel excuſatione poſtpoſitis, compellatis redire, ſi id à Priore, vel ejus Vicario & Conventu fuerit poſtulatum. Inſuper violentos læſores ſeu oppreſſores familiarum & colonorum raptores, & univerſaliter invaſores poſſeſſionum vinearum, ſilvarum, nemorum, ſaltuum, paſcuorum, agrorum, piſcationum, ſeu rerum & bonorum qualiumcunque & eorum defenſores, tutores & occultatores, manifeſtos & occultos præhabita ammonitione condigna, ad ſatisfactionem plenariam, vel quam præfati Prior & Conventus pro bono acceptaverint, cenſura ſimili, & ſub maledictionis anathemate compellatis. Præterea donationes, beneficia, libertates & gratias, quas ipſi vobis privilegiis Papalibus ſibi indultas monſtrare poterint, pro dictarum conceſſionum integra conſervatione, in parochiis veſtris pro poſſe ad plenum exequamini, in hac parte auctoritate noſtra, imò veriùs Apoſtolica, perfruentes. Igitur, ſi prædictis Priori & Conventui expedire videbitur, Prior vel ejus Vicarius, ſive qui de conſilio Conventus ordinatè mittitur, ea, quæ dicta ſunt, in Eccleſiis veſtris exſequi poterit, quotienscunque eorum neceſſitas ſeu utilitas exigit & requirit, ita etiam, quòd omnes injurias, quantumcunque antiquas, harum literarum immò Apoſtolicarum (quas, ſi requiritur, oſtendere tenentur) auctoritate valeant recuperare. Vos quoque in his omnibus tam benignos quàm benevolos exhibeatis, ut meritum à DEO ſperetis, & Canonicam & divinam, in Papalibus expreſſas, evadere poſſitis terribiles ultiones.

Datum *Utini* anno Domini MCCCV. in Craſtino Converſionis S. Pauli Apoſtoli.

Digitized by Google

CCXC.

Clemens V. Scholastico Eystettensi mandat, ut restitutionem injustè alienatorum bonorum Monasterio Teggingensi procuret.

1305. *Ex autogr. Tegging.*

CLemens Episcopus, Servus Servorum DEI, dilecto Filio . . Scholastico Ecclesiæ Evstettensis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Dilectorum Filiorum. . . Abbatis & Conventus Monasterii in *Teggingen* Ordinis Sancti Benedicti *Augustensis* Diœcesis precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate Apostolica mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ipsius Monasterii in civitate & Diœcesi *Eustettensi* consistentibus alienata inveneris illicitè vel distracta, ad jus & proprietatem ejusdem Monasterii legitimè procures, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere.

Datum *Burdegalis* VIII. Id. Junii Pontificatus nostri anno Primo.

CCXCI.

Epistola Decani N. ad Episcopum Ratisbon. * *de divisione regni Hungariæ.*

* Heinricum puto

Circ. 1305. *Ex Cod. Altah. Sup.*

OPinabilia nova per patriam susurrantur, quòd videlicet Rex Romanorum regnum *Vngariæ* illustribus Principibus Regi *Bohemiæ* ac Duci *Austriæ* feodaliter contulerit pro diviso, sic ut meatus *Danubii* limes esse debeat regionum. Quod si ita est, Dominis Ducibus *Bavvariæ* præjudicare videtur, qui ad dignitatem illius coronæ fuerant tanquam nepotes jure proximitatis filiis cessantibus, ut creditur, admittendi.

Responsio Episcopi Ratisbon.

IN palam securè dicite, quòd de divisione ac limite regni *Ungariæ* vos in clam dicitis audivisse: nec etedit Dominus Rex alicui per hoc injuriam fieri, quòd ipse de terris imperio vacantibus utitur jure suo, asserens, quòd in feodo regnorum vel principatuum, materna successio non vendicat sibi locum.

CCXCII.

Ottonis Ducis Bavariæ Epistola ad Ducem Austriæ Albertum. Graviter fert, quòd per Bavariam profectus ad se non diverterit.

CUm solitum sit & decens, ut amicus apud amicum requiem post laborem capiat & refrigerium post sudores, tristamur, quòd terram nostram sic in silentio transvistis, ut ad nos notitia transitus ejusdem minimè perveniret, quatenus processui vestro cum lætitia occurrentes honorem congruum vobis impendere quivissemus.

Responsio Alberti Ducis Austriæ.

OCcursu & honore vestro voluimus hac vice carere, quia confœderatos vos esse comperimus nostris adversariis manifestis. Nos tamen contra eos jura nostra tuebimur, & injurias persequemur non obstante auxilio quorumcunque.

CCXCIII.

Epistola Ducis Bavariæ ad Ministerialem suum: ut castrum Schardingense adversùs impetum Ducis Austriæ strenuè defendat.

TUmens cor Ducis *Austriæ* illa non est limitatione contentum, qua usi fuerunt retro Principes, dominium, quod ipse nunc possidet, ex successionis gradibus gubernantes. Immò spreto Patris sui consilio ad obsidionem castri nostri in *Srhærding* se præparat, ut narratur. Tu ergo collectis amicis contra ejus insultus sic potenter accingere, quatenus inter zelatores nostri honoris pro merito virtutis & fidei præcipuus adscribaris.

Responsio Ministerialis.

VEritatis est verbum, organo Dominicæ vocis emissum, quòd humiliabitur se exaltans: experientiâque cottidiana comprobat hujus verbi Dominici veritatem. Non est ergo impossibile, quin cor Ducis *Austriæ* proponens grandia, & os ejus loquens ingentia dexterâ Divinæ ac humanæ potentiæ prosternatur, ad cujus rei ministerium vires meas alacriter elevabo.

CCXCIV.

Digitize

CCXCIV.

Ejusdem Ducis ad Judicem in Vilshoven: ut milites in Auſtriam deſcendentes diſciplinæ legibus contineantur.

EXercitus ad partes *Auſtriæ* nunc deſcendens, non gregatim, ſed ſimul per turmas diviſus incedet, & ſunt ei pro faciendo innoxio tranſitu largiora ſtipendia conſtituta. Sed quia illud genus hominum vix ſe continet à rapinis, ſagacitas tua tibi commiſſos præmuniat ad cautelam.

Reſponſio Judicis.

SIc habet in vobis patria glorioſum Principem, ut pium ſe ſentiat habere amatorem, quæ nunc per vim majorum diripientium denudata fuiſſet, niti foret veſtro monitu præmunita.

CCXCV.

Epiſtola Civium Ratiſbonenſium ad Ottonem, ut puto, Ducem Bavariæ. Rogant, ut patris exemplo ſe ipſis familiarem exhibeat.

CUm inclytæ recordationis Genitor veſter diu noſtram benigno favore foverit civitatem, dolemus, quòd veſtra Serenitas adeò ſe facit extraneam, quòd poſt adeptum Principatum *Ratiſpona* nondum meruit vos videre, petentes, quòd, ſicut paternarum rerum & virtutum hæredes exiſtitis, ſic ei quoque in familiaritate, quam ad nos habuit, ſuccedatis.

Reſponſio Ducis Bavariæ ad præcedentem Epiſtolam.

QUoniam magiſtra rerum eſt experientia, Dominus & Genitor noſter propter diu continuatum gubernationis exercitium in rebus agendis fuerat expeditus, ideoque de facili ſe convertit de ſolicitudine ad ſolatium quaſi delectabiliter alternando. Sed nos in hoc recenti principatu negotiorum tumultibus immergimur, cauſarúmque fluctibus operimur deficiente nobis experientia, quæ tanquam lucerna lucens & prævia de laqueis involutionum viam oſtenderet, faciens jocundari per conſequens cum amicis.

CCXCVI.

Ejusdem, ut ſuſpicor, Ottonis Epiſtola ad Wernhardum Abbatem pro tributo.

NIſi debitorum noſtrorum abyſſus extenuatione celebri minuatur, collis concreſcet in montem, conſurgétque cumulus in acervum, & ſic fortis & accreſcentiarum voragine abſorbebimur, quod ad exonerationem totius patriæ non ſufficient facultates. Quare carere non poſſumus, quin nobis centum marcas de veſtris hominibus impendatis.

Reſponſio Abbatis Altahenſis ad precedentem Epiſtolam.

IMportabilibus homines noſtri continuè vexantur angariis & perangariis. Ad hæc habemus gratiæ veſtræ privilegium, per quod nobis immunitatem plenam ab omnibus hujus anni præſtationibus conceſſiſtis. Quare petimus, ut eos hoc tempore non gravetis.

CCXCVII.

Ejusdem Ottonis Epiſtola de eadem exactione.

VBi periculum eſt in mora, ei, per quem fit, ultima mora nocet. Unde ſi aliis per tempeſtivam ſolutionem ſe liberantibus homines veſtri tardabunt, in eos ſolos ſubſequens accreſcentia redundabit: & ſic illud, quod modo in ſimplum ab eis petitur, forſitan in quadruplum ſolvere compellentur.

Reſponſio Abbatis.

ETſi mole vexationis continuæ vix poſſint noſtri pauperes reſpirare: nos tamen à veſtris beneplacitis in nullo diſſidere volentes permittimus, ut pecuniam, quam petiſtis, ex contributione noſtrorum pauperum veſtris ærariis inferatur.

CCXCVIII.

Idem Dux eidem Abbati. Ejus Scholis quendam commendat.

TAm diſciplinæ floribus, quàm ſcientiarum coloribus diu Eccleſia viguiſſe dicitur *Altahenſis*. QuareScholarem iſtum vobis tranſmittimus, quatenus ipſe apud vos proficiat in utroque.

Responsio Abbatis Altahensis.

SCholaris iste nec frequentandis studiis, nec studendis conformitatibus aptus existit, cum respergatur illius morbi maculis, qui & ab humana societate disjungit, & econtra lex dicit, quòd ex convictu mores hominum informantur.

CCXCIX.

Responsio Ducis ad præmissam Epistolam.

HOnestatem vestram audire non decet, ut mali & nequam homines virum honoris improbè dehonestent. Unde volumus, ut Scholarem istum à morbo objecto prorsus immunem omnimodis observetis.

Responsio Abbatis.

COhabitationem istius Scholaris morbo contagioso utique laborantis sani non sustinent. Nec mirum: cùm una ovis morbida inficiat totum gregem.

CCC.

Epistola Ducis Bavariæ ad Ducem Austriæ. Rogat, ut Altahensium navem ex Austria ascendentem benignè protegat.

QUamvis omnia Monasteria terræ nostræ libenter habeamus pro nostra possibilitate fideliter commendata, *Altahensi* tamen Monasterio, ubi cultum Divinum magis vigere cognoscimus, benivolentiam meritò adhibebimus ampliorem. Cum igitur navis nutrimenti Fratrum DEO ibi servientium jam fit, prout dicitur, in ascensu, Amicitiam vestram rogamus omni studio & affectu, quatenus res & homines existentes in illa vestra speciali protectione & gratia foveatis, scituri, quòd in beneficiis eis impensis DEUS specialiter honoratur, nosque pro sinceritate suæ devotionis eos amplectimur, & respici nos reputamus specialiùs in eisdem.

CCCI.

Idem ad Materteram suam Austriæ Ducissam de eorundem Monachorum protectione.

TAm fervens est apud *Altahense* Monasterium regularis observatio, tam amabilis est DEO Fratrum ejusdem loci devotio, ut totam nostram Progeniem speremus & hìc & in futuro felicitate majori gaudere pro eo, quòd infra terminos nostri Principatus tantorum Virorum societas concluditur & fovetur. Ut ergo tu bonorum operum, quæ ibi in sinceritate cordium Domino exhibentur, eò plenius habeas speciale consortium, quantò efficaciùs ipsos servitores DEI quò ad corporale promoveris incrementum, Dilectioni tuæ consulimus, immò ferventissimè deprecamur, quatenus vinum ipsorum cum navi, rebus & hominibus in tuam protectionem & gratiam recipias ipsos more solito defendendo, ut tu principaliter totáque nostra Progenies ob tuam benivolentiam in his & in aliis ipsis impensam de ejus remuneratione, cui fideliter famulantur, confidentiam meliorem obtineas, Fratrésque memorati ex hoc consolationem nihilominus consequantur, quia frequenter nobis & aliis referunt, quòd tu sis illius domus protectrix præcipua & specialissima consolatrix.

CCCII.

Ducum Bavariæ Ottonis, Ludovici & Stephani Epistola ad Ministeriales suos de auxilio Regi Bohemiæ contra Polonos ferendo.

IN principio Principatus nostri Serenissimi *Bohemorum* Regis, avunculi nostri, prima petitione recepta, quatenus ei contra *Polonos* auxilium militiæ præberemus, Fidelitatem vestram duximus instantissimè requirendam, ut pro complemento sui nostríque desiderii nobis alacriter assistatis, ne in ortu suo gloriæ nostræ sol occidat, & nimis subitò paterna nobis claritas obscuretur.

Responsio Ministerialium.

CIrca propositas Regalium precum primitias Excellentiæ vestræ ac suæ, vires nostræ fortitudinis ostensuri ad hoc vitam nostram periculis exponemus, ut gloria vestra non intereat, sed per terras & insulas æstimatio vestri nominis augeatur.

CCCIII.

Eorundem Epistola ad Ludovicum Bavariæ Ducem, de expeditione eadem Bohemica.

INfelix est mundi felicitas, quæ, dum præbet amoris osculum, submittit à tergo jaculum insperatum: sicut & nos concessa nobis pro tempore beatitudine charissimi Genitoris orbavit. Sperantes tamen

ment, quòd tu nobis de patruo conjungaris, in patrem, nósque tibi volentes intendere tanquam devoti filii pio patri ſine tuo ſcitu nihil arduum faciemus. Quare noveris, quòd in procinctu expeditionis exiſtimus, ad ſuccurrendum dilecto avunculo noſtro Principi Bohemorum.

Reſponſio Ludovici.

ADtendentes, quòd illuſtris memoriæ frater noſter, * pater veſter, importabile vobis debitorum reliquit abyſſum, quæ cottidie per obſtagia & alias acceſſionum voragines ſic augentur, quòd niſi celeri ſuccurratur remedio, vires patrimonii veſtri finaliter abſorbebunt, conſiderationi noſtræ placere non poteſt, quòd vos expeditionibus immiſceris, per quas prædicta ſarcina non minuitur, ſed cumulus in acervo conſurgit, & colles montibus imponuntur.

* *Hæc frater noſter, inſulſa erant minia* in Cod. *Ober-Altahenſi.*

CCCIV.

Iidem Duces ad eundem Ludovicum: cur expeditionem Bohemicam ſuſceperint.

CUm nobis expediat in hujus novitatis initio captare benivolentiam quorumlibet Principum, durum fuerat avunculi noſtri repellere primas preces, de cujus tamen legalitate eſt ſperandum, quod non noſtra requiſitione monitus, ſed virtute proprii honoris inductus munificentiæ regiæ manus aperiens ſervienti ſibi militiæ digna ſtipendia ex ærario ſuo fluat & tribuat affluenter.

Reſponſum alterum Ludovici Ducis.

EA facta, per quæ vobis conciliatis amicos, & robur honoris proprii cumulatis, non ſunt contraria votis noſtris, hoc duntaxat expeto, ut quamdiu tanta debitorum mole gravamini, proceſſibus non quæratis calcar apponere, ſed curetis potiùs frœnum moderaminis adhibere. Quia decentius eſt, ut Muſica veſtræ laudis, ab exili ſono incipiens gradatim adſcendat in altum, quàm, quòd abſit, ab altis incipiens in defectivum ſilentium terminetur.

CCCV.

Stephani Bavariæ Ducis Epiſtola ad Ducem Poloniæ, cujus neptem in matrimonio collocandam expetit.

COrdi nobis eſt, quatenus amicitia inter nos concepta cum tempore non tranſeat, ſed æternæ ſtabilitatis fœdere perennetur. Et ob hoc petimus, ut de matrimonio alicujus perſonæ vobis * ſtudeat pro nobis veſtra providentia cogitare, ut per hanc viam familiaritatis nunc initam ad ſucceſſionis noſtræ gradus firmo vinculo dirivetur *, amicitiæ veſtræ in gaudium declarantes, quod regia Majeſtas nos gratioſis affatibus decentiùs ſaluravit.

* *ita Cod.*

Reſponſio Ducis Poloniæ.

CLaritas illuſtris veſtri generis & præclarior altitudo virtutis gemina nobis allegatione perſuadent ad hoc dare operam, quatenus veſtra noſtráque poſteritas in unam propaginem conjungantur. Quare talem . . . * neptem noſtram matrimonialibus veſtris amplexibus parati erimus copulare, quæ nobilis genere, & nubilis eſt ætate, locuples patrimonio, ac pulchritudinis admirandæ.

* Utam ſeu Geutam.

CCCVI.

Ludovici V. Regis Rom. Epiſtola ad Epiſcopos Alamanniæ. Nuntiat eis obitum filii.

AMara & avara mors, omnium generabilium corruptiva, vitam chariſſimi nati noſtri N. in flore juventutis abſcidens plantulam virendis adhuc teneritudinis arefecit. Unde cum poſt mortem non ſit ſpes aliunde ſalutis, niſi quæ immediatè diſtillat à gratia Salvatoris, obnixè rogamus, quatenus pro eo veſtra Sanctitas intercedat, ut pius Dominus ipſum rore ſuæ dulcedinis conſoletur, qui nobis eo ſublato ſeveritatem ſuæ potentiæ acerbiſſimè demonſtravit.

Circ. 1315.

Reſponſio Epiſcoporum ad præcedentem Epiſtolam.

NAturalis inſtinctus inducit, ut pro amiſſione prolis decentiſſimæ regia ſublimitas in confractione cordis exiſtat, cujus perſonam forma veſtivit elegans, quem virtus omni forma præſtantior effecerat omnium conſpectui gratioſum. Hoc tamen inter lamenta debet animum conſolari, quòd ſicut pater [illegible] filium quem diligit, ſic DEUS illum, quem recipit, caſtigare conſuevit. Qui dum lædit aut lenit, dum pungit vel ungit, utrobique illud peragit, quod ſuis fidelibus expedit.

CCCVII.

Digitized by Google

CCCVII.

Wernhardi · Abbatis Altahenſis Epiſtolæ.

* *Obiit 1317.*

1.

Ad Epiſcopum N. de commodis nuperæ pacis, & repentini belli malis ac incommodis mortuo Rudolfo I. Imp.

Ex Cod. Altah. Sup.

POſt dulce pacis ſilentium, in quo cuilibet tutum fuit refugium domus ſua, ſedentibus omnibus in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta, nec eſſet, qui alium violenter præſumeret exterrere, nunc ecce armorum fragor intonuit, flagrat ignis noxius, diripiuntur ſpolia, captivati homines abducuntur, & ubi prius reſonabant cantilenæ lætantium, modò ploratus & ululatus auditur: turbata eſt ſerenitas, jubilus in nubilum eſt converſus.

2.

Reſponſio Epiſcopi.

LUgenda certe ſcribitis, ſed plura plus quàm lugubria præteritis. Nam licet privatorum incommodum compaſſionis eſſe debeat inductivum: profundius tamen illa ſagitta cor penetrat, ubi ipſa Reſpublica cernitur interire, ſicut in amaritudine præſentis temporis intuemur, dum ſibi Sacri Imperii Principes ſcilicet Alamannici maternum corpus eviſcerant, patrimonium imperiale diſcerpunt, ac ex parte altera hoſtes ipſius tranſcenſo limite terras ejus atterunt & devaſtant.

3.

Ad N. Epiſcopum de eodem.

OLim confugientes ad Imperiales ſtatuas ab inſequentium periculis erant tuti. Sed quò tunc ſe oppreſſi convertent, ſi Romanum regnum vim patitur, in quo erat univerſale refugium conſtitutum? Gravis eſt ergo hæc malorum coacervatio, cùm ſtatus privatorum per Rempublicam non defenditur, nec Reſpublica poteſt privatorum miniſterio ſublevari. Cauſas autem mutationis hujus per vos cognoſcere affectamus.

4.

Reſponſio Epiſcopi ad præcedentem Epiſtolam.

SOl inſolita nubium nebularumque denſitate velatus velut in latibulo ſe abſcondit, Luna eſt diſcolor, ſtellæ in ſua irradiatione fuſcantur; & per hoc inſenſibilia prædicant elementa Orbem ſuo Domino eſſe orbatum. Dominus ſiquidem noſter *Rudolphus* Romanorum Rex de medio eſt ſublatus: unde inſurrexerunt turbationum turbines, & concordia dato libello repudii extra Mundi terminos exulavit, de quo gaudent impii, lugent pii.

5.

Ad eundem, ut puto, Epiſcopum. Condolet Rudolfo Rom. Regi mortuo, ejusque laudes commemorat.

NIſi natura eſſet in hoc ſtatu inſtabili ſtabilita, quòd quicquid generatio in eſſe producit, illud totum corruptio ab eſſe in non eſſe diſſolvat, ac per hoc mors accepiſſet in omnes viventes generalem & invincibilem poteſtatem, aliàs nunquam auſa fuiſſet invadere impavidum conſtantiſſimi Regis corpus, quo ſæpè in bivio mortis & vitæ viſibiliter conſtituto mens ejus omni metu ſuperior ad conflictum velut ad convivium feſtinabat. Sicut & modò in ultimo puncto vitæ conſtantia vincente naturam non de mortis anguſtiis, ſed de futura dilatatione ſacri Imperii loquebatur.

6.

Reſponſio Epiſcopi N. ad præmiſſam Epiſtolam.

GEmat nunc Germania, quæ ſub *Rudolfo* Rege gloriæ germinavit germen honoris. Plangat *Alamannia*, quæ ſuo tempore dici poterat *Ala Magna*: quia ejus victrix Aquila ultra omnem Romani limitis latitudinem expanderat alas ſuas, eratque apud gentes exteras formidabile nomen ſuum. Sed quid modò ſupereſt? Hoc ſolum, ut ejus animam DEO, qui aufert ſpiritum Principum, commendemus.

7. *Ad*

7.

Ad Episcopum Ratisbonensem Heinricum: ut Heinrici Ducis Bavariæ hæredes ad satisfaciendum pro debitis Ecclesiæ Altahensi inducat &c.

EX fructu operum vestrorum colligitur evidenter, quòd decorem Divinæ domus diligitis: immò quòd ex devotione amoris intimi zelus vos comedit domus DEI, quia renovationi nostri ruinosi Monasterii subventionum subsidia non tam promisistis alacriter, quàm & liberaliter obtulistis. Circa quod non sine multa spe nobis blanditur in animo, quòd inclytæ recordationis Dominus *Heinricus* Dux, quondam noster Advocatus, in sinceritate vestræ considerationis & fidei testamenti sui posuit factionem, Dominationem vestram non ignorare credentes, quòd nomine ipsius ab Ecclesia nostra plurima sunt exacta, quorum etsi hæredibus nulla per læsos opponatur repetitio, ab iis tamen, quorum interesset, salubriter eis restitutio vel saltem aliqua satisfactio persuadetur, sperantes, quòd vestro moti consilio subsidium competens tam pio operi conferant pro emenda. Ad hujus etiam favorem consilii plura eos motiva poterunt inclinare, scilicet paternæ ac suæ satisfactionis debitum, & quia talis oblatio non transibit cum tempore, nec cum personis consumitur, aut ab eis, * sed Divino cultui applicabunt in perpetuum duraturo. ac etiam domus nostra suis progenitoribus semper fuit, ipsisque suæque posteritati erit favente Domino in servitium & honorem, nosque vice Dominationis eorum erimus temporali remissione contenti, quæ aliàs à nobis per annos singulos exiguntur.

8.

Ad Episcopum Eystadiensem, ut Menacho suo, quem administrandi prædii causâ Ingolstadium misit, facultatem prædicandi Divini verbi elargiatur.

CUm prædium in *Ingolstat*, cujus nobis aliquæ tantùm reliquiæ remanserunt, tantò chariori amplectamur affectu, quantò circa fundationis originem fuit Ecclesiæ nostræ à regia liberalitate donatum: & devotio, quam memorata civitas ad nos diu habuit, propter rarum nostrum ad partes illas accessum à statu sui fervoris jam cœperit inclinari: nos ad desiderium civium eorundem unum de Fratribus nostris Presbyterum in administratione dicti prædii duximus pro tempore collocandum, quatenus per amicabilem commansionis suæ frequentiam renovetur inter nos & eos prior familiaritas, & ætati, quæ nunc est, jura nostra efficaciùs imprimantur, & non pereant cum periculo detinentium census nostri. Rogamus igitur, ut, si idem Frater noster precibus Plebani in *Ingolstat* ad prædicationis officium vel aliud Ecclesiasticum ministerium fuerit invitatus, hujus executio per vestram sibi licentiam concedatur.

9.

Responsio Episcopi Eystadiensis.

PRopter odorem suavitatis, qui ex *Altahensi* Monasterio velut ex aromatum spargitur Apotheca, vestri confratris ad partes nostras adventum congratulantes amplectimur, plenam executionem totius Sacerdotalis officii non solùm in Parochia de *Ingolstat*, sed etiam per totam nostram Diœcesim generaliter indulgentes eidem, prævia duntaxat licentia Plebanorum.

10.

Ad Cives Ingolstadienses, quibus mittit Monachum suum, antiquam utriusque loci conjunctionem confirmaturum.

SIcut arbor nobilis conservat vigorem suæ radicis, & sicut rivus clarissimus amœnitatem exhibet sui fontis: sic vestra civitas Monasterio nostro in prima fundatione donata primævæ translationis originem integerrima semper fidei devotione servavit. Sed quia nunc fervor amoris illius aliquantisper elanguit ex eo præcipuè, quòd à Prælatis & Fratribus Altahensibus desiit frequentari: ecce nos familiaritatem venerandæ antiquitatis extingui nolentes, sed potiùs continuæ benivolentiæ nutrimento foveri, misimus ad vos unum de Fratribus nostris Presbyterum, per cujus industriam memorata renovetur antiquitas, & jura nostra ætati, quæ nunc est, efficaciùs imprimantur.

11.

Reſponſio civium Ingolſtadienſium.

FLorida urbis noſtræ Juventus, ſequens fidelium proavorum veſtigia, domum libenter venerabitur *Altahenſem* & ſic apud ſenes & iuvenes huius oppidi primitiva illius Sancti loci donatio permanebit perenniter illibata. Quia etſi quoad fortunam rerum & corporum alteri dominio modò ſubdamur, ſperamus tamen, quod Thebæi Martyres Domini & Duces noſtrarum eſſe debeant animarum. Inſpicientes etiam in Fratre ad nos tranſmiſſo veſtræ religionis habitum, in illo beati Mauritii triumphale vexillum nos gaudemus & credimus intueri.

12.

Ad Auſtriæ Ducem. Rogat, ut Altahenſem navem, qua vina ex Auſtria Altaham advehuntur, benignè protegat &c.

APparet evidenter in DEI Eccleſiis, veſtræ protectioni ſubiectis, quàm ardenti amore DEUM, qui in eis colitur, diligatis. Quia dum a miniſtris eius turbationes avertitis, dum eos ad laudem DEI in pace fovetis, ipſis ad inſerviendum in Sanctitate Domino corda pacifica præparatis. Quare & nos humiles, licèt corpus Monaſterii noſtri extra limites Principatuum veſtrorum exiſtat, quia tamen gratiæ veſtræ ſubiacent ſubſidia vitæ noſtræ, ſub cuius dominio ſita ſunt quædam prædia, de quibus pro maiori percipimus corporalia nutrimenta, docti per frequentem experientiam, ad veſtram benignitatem recurrimus, rogantes humiliter, quatenus navem, in qua vinum noſtrum fuit deducendum, ſcuto protectionis ſolitæ defendatis, ut propter hæc & alia beneficia DEUM remuneratorem bonorum omnium deprecemur. quatenus abſterſis a vobis cunctis moleſtiis cor veſtrum faciat in gaudiorum amœnitate florere, præſentemque lætitiam vobis continuet cum futura.

13.

Ad Decanum Patavienſem. Miſſa quadam contributione rogat, ne deinceps ruralium Decanorum mandatis ſubijciatur.

REdeuntes ad domum noſtram intelleximus, quòd Decanus de . . . tempore abſentiæ noſtræ litteras direxerat continentes, ut infra certum terminum duas libras *Patavienſes* pro Domino *Johanne Tuſculano*, quondam Legato, procurationis nomine ſolveremus: alioquin eſſemus ab ingreſſu Eccleſiæ tunc ſuſpenſi. Cùm autem *Patavienſis* Eccleſia Prælatis ſibi ſubiectis eam ſemper ſervare conſuevit honeſtatem, ut in contributionibus his vel aliis per Diœceſim imponendis Epiſcopalis providentia illos ſuo moderamini reſervaret, litteras eis etiam ſpeciales ſuper petitiones huiusmodi dirigendo, triſtamur, quòd nunc in gradu infimo collocamur, quòd per Archipresbyteros rurales inter alios Clericos ſimplices nobis huiuſmodi taxatio & pœnalis ſententia imponitur, maximè cùm nuper fuerimus apud veſtram Amicitiam, & nihil nobis locuti fueritis de hoc facto. Credentes igitur, quòd per oblivionem vel occupationem iſtud ſic hoc tempore geſtum eſſet, licèt litteras prædicti Decani non viderimus, denarios exactos per latorem præſentium Dilectioni veſtræ tranſmittimus, rogantes, ut in antea in caſu conſimili non includamur Decanorum ruralium iuſſionibus, ſed aut Domini Epiſcopi, aut veſtris litteris honoremur.

14.

Ad Epiſcopum Patavienſem. Rogat ſe ab excommunicatione abſolvi, & ſibi ſatisfactione præſtitâ conventionalia inſtrumenta reſtitui.

REcipientes iam pridem in cauſam depoſiti certam quantitatem decimalis pecuniæ, nos ad pœnam excommunicationis adſtrinximus, ſi non eandem certo loco & termino ſolveremus. Soluta itaque nunc pecunia petimus a vinculo excommunicationis abſolvi ac reſtitui conventionalia inſtrumenta, quatenus ſicut ſolutione debiti extinguitur obligatio, ſic reſtitutione chirographi calumnioſa repetitio retundatur. Quia ſicut nunc ex inſtrumentorum vigore pecunia in eis repoſcitur: ſic apud creditores ſalvis manentibus litteris & ſigillis poſſet ex eorum tenore iteratò repeti res ſoluta.

15.

Reſponſio ad præcedentem Epiſtolam.

MOx ut in termino, faciendæ ſolutioni præfixo, ſolvere diſtuliſtis, pœna-

Digi ed by Google

poenalis conditionis exaltabat eventus, & tenuit excommunicatio, ad quam vos sub hoc tenore, motu proprio, approbante iudice ordinario, adstrinxistis. Unde quia instant mercatotes curiæ, nec vobis absolutionis beneficium debeat impertiri, nisi eis de damnis & expensis, ex mora contractis, fuerit satisfactum, Fraternitas vestra pro malo non habeat, quòd vos absolvere non possimus, nisi priùs idonea cautione recepta, quòd nos ab omni periculo ac quæstione, quæ de absolutione præpropera fortassis emerserint, in iudicio & extra totaliter absolvaris, reddentes nos super his omnino quietos, liberos, ac indemnes.

16.

Ad Conradum Archiepiscopum Salisburgensem, cui ius fraternitatis addicit.

GRata & acceptabilis est DEO, ùt speramus, vestra devotio, in qua sublimitatem dignitatis præcipuæ veneranda commendat humilitas, dum a nobis fraternitatis consortium dignamini postulare. Quare nos & Fratres nostri salutarem vestræ Paternitátis affectum in Domino commendantes fraternitatem petitam reverenter vobis offerimus, statuentes vos tam in vita quam in morte fieri & esse participem ac consortem omnium, quæ in orationibus ac ieiuniis & aliis quibuslibet, quæ de genere bonorum operum apud nos Domino exhibentur, promittentes etiam sub præsentium testimonio litterarum, quòd, cùm nobis de transitu vestro constiterit, tantum pro vestra requie fiet ab omnibus in communi, & a quolibet sigillatim, quantum pro fratre nostro defuncto fieri est consuetum; optantes nihilominus, quatenus Omnipotens DEUS ad honorem & profectum Ecclesiæ suæ diu personam vestram in tranquillitate conservet, & tandem æternam vitam vobis continuet cum præsenti.

17.

Idem ius indulget Episcopo Lavendinensi.

IN eo, quòd vestra Paternitas ad humile nostrum Collegium dignatur recurrere, spiritualis a nobis fraternitatis consortium postulando, devotionem vestram tam nos quam Fratres nostri sinceris laudibus in Domino commendantes, desiderio vestro cum reverentia duximus annuendum, dando vobis tam in vita quàm in morte plenam participationem bonorum omnium, quæ quibuscunque modis & formis apud nos Domino exhibentur: & cùm nobis de obitu vestro constiterit, tantum pro vestra requie faciemus, sicut pro uno defuncto ex nostris fratribus fieri est consuetum, præsentes litteras Benignitati vestræ super hoc in testimonium porrigentes.

18.

Ad Abbatem Affligensem. Ei gratias agit pro Fratrum suorum, qui disciplinæ causâ Affligemium accesserant, receptione.

LUminosa vestra conversatio in splendore bonorum operum DEUM Patrem glorificans de se scintillas exemplares emittit, per quas minùs ferventes accendit, suique claritate in viam rectam dirigat a religionis tramite aberrantes. Ad hanc igitur semel gustatam conversationis eiusdem dulcedinem Fratres nostri iterum atque iterum sitientes licentiam petunt, tot terrarum spatia pertranseunt, quatenus ipsi rectè vivendi sumant primitias, & ad nos redeuntes cum exultatione referant * de messe vestra manipulos fructuosas. Super quorum & præcipuè *F.* & *G.* nunc apud vos commorantium receptione benigna vobis in gratiarum assurgimus actione. Et licèt nobis grata fuisset ipsorum apud vos per spatium unius anni commansio, ut sic sanctæ religionis in eis fuisset plantatio radicata, eosdem tamen statim potestis remittere, si hoc reverentiam vestram gravat, scientes, quòd de omnibus vestris sinistris eventibus tanquam de propriis acerbiùs contristamur.

* *Cod.* veniant.

19.

Ad eundem. Rogat, ut quendam è suis Monachis benigne recipiat.

PRopter multam honestatem, quæ de vestro refertur Monasterio, cujus vestigia apparent in fratribus vestris, qui apud nos interdum pro tempore commorantur, eos, quos in religionis statu desideramus proficere, ad vos potiùs, quàm ad alia loca destinamus. De sincera igitur, quæ inter nostram & vestram Ecclesias diu viguit, familiaritate fiducialiter præsumentes dilectum in Christo Fratrem . . vestro Venerabili Collegio duximus transmittendum,

Digitized by Google

dum, rogantes obnixè, quatenus eum ob honorem DEI & Ordinis ac noſtri amorem per unius anni ſpatium obſervetis, ſcituri, quòd in ejus receptione prompta & pertractatione benigna honor noſtro Monaſterio, & nobis ſpecialis amicitia demonſtratur: nósque Fratrem ex veſtra parte transmiſſum libenter tam diu tenebimus, immo etiam ulterius, ſi vobis & ſibi viſum fuerit expedire, aliàs vobis in rationabilibus deſideriis grato animo occurrentes.

20.

Abbatis in Chremſmunſter Epiſtola ad Abbatem Altahenſem Wernhardum. Auctor eſt, ut pro ſervanda regulari diſciplina Capitulum Generale celebretur.

QUamquam vos zelus ſanctæ religionis comedat & inflammet, & pro bono ejus ſtatu curetis erigere ſurſum corda, quia tamen hoc tempore *Patavienſis* Diœceſis eſt tam rectoris quàm viſitatoris gubernaculo deſtituta, (&) nos per conſequens omni regulari regimine ac coërcitione caremus, intereſt noſtrâ, ut pro ſupplendo tali defectu celebrationi Generalis Capituli præ cæteris inſiſtamus.

21.

Reſponſio ad præcedentem Epiſtolam.

ADmonitio quidem veſtra de celebratione Capituli fulcitur ratione motiva. Sed cauſa de novo emergens dilationem ſuadere videtur, ut ſcilicet inſtans adventus Domini *Salzpurgenſis* Archiepiſcopi per univerſalem concurſum Prælatorum Ordinis poſſit circa primitias ſui felicis introitus convenientiùs honorari.

22.

Wernhardus ad Abbatem Aſpacenſem. Graviter queritur, Priorem à ſe poſtulatum & datum, ab eo ſemel atque iterum rejectum &c.

AMemoria noſtra non excidit, nec à veſtra credimus excidiſſe, qualiter vobis Priorem de noſtro Monaſterio concedere pro tempore deberemus, qui vos in Muſica & ſignis inſtrueret, ac informaret in aliis, quæ ad ſalutaria diriguntur. Unde & tunc exultavit cor noſtrum in Domino, quia ſperabamus vos ſpiritum concepiſſe ſalutis de fontibus Salvatoris. Sed certè ſpes ipſa in ortu ſuo fuit mortua: quoniam miſſo poſt nos veloci nuntio hujus ſalubris petitionis effectum propoſitis occaſionibus paupertatis frivolè revocâſtis. Sic & modò cùm clamor de vobis aſcendens nos ad idem viſitationis officium peragendum ad vos denuo revocaret, à nobis iterum voce humili, prece ſupplici perivíſtis, ut in dando vobis Priore veſtrum deſiderium compleremus, nósque priore varietate remiſſa ex commiſſo nobis Rectoriæ officio hunc unanimem conſenſum approbavimus, ipſúmque ſicut ſalubris extitit, duximus confirmandum. Sed quia vos varietatem priſtinam geminantes poſt tergum noſtrum iterum revocationis litteras transmiſiſtis, credentes inaniter, quòd electionem Prioris coram nobis factam nobísque propoſitam, & per nos tanquam per Rectorem, prout decuit, confirmatam, ſine noſtro poſſetis immutare conſenſu: noveritis, quòd nos contemptum DEI, iteratam eluſionem noſtram, Ordinis obprobrium, ad quæ in hoc negotio veſter conatus aſpirat, Venerabili Patri Domino noſtro Epiſcopo, noſtróque Generali Capitulo proponemus, transmiſſuri vobis nihilominus de Monaſterio noſtro Priorem, ſicut in nos concorditer compromittere curaviſtis.

23.

Ad eundem. Dat optionem, ut aut ex inferioris, aut ex ſuperioris Altachii Monaſterio ſibi eligat Priorem.

SUper eo, quod ſcribitis, ex tenore litterarum noſtrarum veſtrum eſſe animum conturbatum, hoc ex propoſito reſpondemus, quòd, etſi nos longè libentiùs vobis mandaremus conſolatoria, quàm triſtitiæ inductiva, veſtra tamen ægrè ferre non debet Fraternitas, ſi poſt inanem diu infuſi olei lenitatem aliquando ſequatur vini ſalubris acerbitas, cùm hoc non fiat lædentis ſtudio, ſed medentis. Recordatur ſanè veſtra Dilectio, quomodo non ſemel tantùm, ſed ſæpiùs petiviſtis Priorem vobis de Monaſterio noſtro concedi, qui eruditet inſtios, & ad bonum flecteret inexpertos. Cúmque nos hujusmodi precibus promptum, ut decebat, applicaremus animum, ecce ſtatim à tergo veſtri nuntii ſubſecuti præmiſſis precibus contraria poſtulabant, per quos ſcribebatis, quòd aliquem de Fratribus noſtris non poſſetis pro Priore tenere, paupertatis cauſam vel potiùs occaſionem veſtri Monaſte-

nasterii prætendentes, licèt priùs acceperitis in promissis, quòd destinato Priori vellemus de plena vestium sufficientia providere, & aliàs vobis subsidium facere, sic ut ejus commansio onerosa domui vestræ non existeret, sed potiùs fructuosa. Quia tamen vos in concepta persistitis negativa, nos nolentes ex parte Fratres nostros vobis invitis ingerere, nec etiam ex parte altera negligentias vestras sub dissimulatione fovere, Fraternitati vestræ hanc relinquimus optionem, ut vobis juxta formam prioris electionis Priorem de nostro assumatis Monasterio, vel ad illud regimen aliquem de *Superiori Altah* idoneum eligatis, qui locus vestram Ecclesiam in rebus temporalibus non multùm excedit, in virtute sanctæ obedientiæ vobis præcipientes, ut ad alterum istorum statim effectui mancipandum continuò procedatis, scituri, quòd, si non feceritis, nos contemptum DEI, transgressionem Ordinis, animarum vestrarum periculum, multiplicatam elusionem nostram sine digna diutiùs non sustinebimus ultione.

24.

Ad M. Wolfgangum, Monachum suum. Jubet, ut consilio & opera Ecclesiæ Patavienſi semper adsit.

CUm Monasterium nostrum Ecclesiæ *Patavienſi* in spiritualibus subjaceat, & nihilominus in temporalibus, immò in his, quæ specialiter ad Fratrum nostrorum sustentationem pertinent, dominationis ac defensionis ejus beneficio gratuletur, & ob hoc in ejus statu honorifico nostra versetur utilitas, Fraternitati vestræ districtè præcipiendo mandamus, quatenus in causis ipsam *Patavienſem* Ecclesiam respicientibus fidele consilium, justúmque patrocinium præbeatis eidem, cùm super hoc per Reverendum Patrem Dominum nostrum Episcopum suumque Capitulum fueritis requisitus.

25.

Ad Episcopum N. Intercedit pro Monasterio Ozzarawve, cujus prædia à Mendicantibus, ut videtur, appetebantur.

NE locustæ se jam quasi super omnem terræ superficiem dispergentes cuncta virentia Cleri devastent, expedit, ut corpus Ecclesiasticum sic mutuò se confoveat, & ita coadunet, ut totam ejus substantiam illud genus hominum non absorbeat, quòd se nihil habere prædicans indesinenter depascitur aliena. Cùm igitur famem suam jam extenderit ad *O.* Monasterium florida ejusdem Monasterii depascendo, idéoque cœnobium, sicut à nobis sumpsit religionis exordium, sic decenter expectet consilii & auxilii firmamentum, Paternitatem vestram supplicite deprecamur, quatenus ei ac Rectori Parochiæ in *Tauſt* habenti causam ab ipsis, gratiosè in sua justitia faveatis, in hoc amorem Divinum ac Ecclesiasticam necessitatem adtendentes, quibus nos adjungimus piæ devotionis augmentum, qui in ejus profectibus sicut in decore dilectæ ac venerabilis filiæ delectamur.

26.

Epistola Wolfgangi Monachi Altahensis ad Judices causæ prædictorum Fratrum. Rogat, ut se his benevolos præbeant.

QUoniam *O.* Monasterium ab *Altahensi* tanquam membrum de membro processit, & ob hoc mater & filia in prosperis & adversis alterno statui mutuò se conformat: ideo rogo, quatenus Fratribus Monasterii filialis in causa, quam intentant, esse dignemini judices gratiosi. Ego enim considerata æquitate suæ causæ reputo DEO justo judici honorem fieri, si ipsi foventes justitiam fuerint ab offensionum injuria liberati.

27.

Wernhardus ad Præpositum Prædiorum in Austria: ut sibi Esoces quatuor, id est: Husones, mittat.

DElicati pro debilitate, ac voluptuosi propter ingluviem consueverunt per Quadragesimam cibaria appetere lautiora, quatenus sic vices pluries comedendi ferculorum numero & varietate compensent. Nósque sumus tam illis quàm istis in exhibenda hospitalitate & benivolentia debitores. Quare carere non possumus, quin nobis Esoces quatuor transmittatis.

28.

Responsio Præpositi.

LIcèt adhuc pauci Esoces ad *Austriam* sint delati, quia tamen vestris jus-

Digitized by Google

ſionibus nihil unquam duxi charius neque ducam, ideo nec piſcium raritas, nec pretii gravitas, nec aliqua efficiet difficultas, quòd veſtræ contrarier voluntati. Eſoces ergo ſufficienter coram vobis habebunt, qui cibos appetunt accuratos.

29.

Ad Abbatem Ciſtercienſem: ut Monaſteriis ſui Ordinis poteſtatem faciat Feſtum S. Godehardi celebrandi.

STella matutina & ſol in templo DEI refulgens dulciſſimus Pater noſter, Sanctus videlicet *Godehardus*, Confeſſor & Pontifex Eccleſiam DEI doctrinæ fundavit imbribus, illuſtravit & illuſtrat miraculorum radiis, & præclaris confirmat exemplis propter quæ ad gloriam illius, qui mirificat Sanctos ſuos, ad venerationem tanti Patris corda fidelium invitantur devotiùs & ferventiùs inflammantur, ſic ut in multis Mundi partibus ejus feſtum feſtivis laudibus celebretur. Cùm igitur idem Sanctus Pater, noſtri Monaſterii per viginti ſex annos exiſtens, per vitæ refulgentiam famæque redolentiam DEO & hominibus complacuerit, ſic ut ſuarum imitatione virtutum ſicut in odore unguentorum ad ſanctæ religionis titulum multitudo concurreret devotorum: nos humiles ejus filii in ejus gloria gloriantes deſideramus eadem ſuæ laudis præconia dilatari, & præſertim apud eos, quos ſcimus hujus ſanctæ Regulæ, quam ipſe ſervavit & docuit, præcipuos Zelatores. Ideoque Paternitatem veſtram devotis precibus humiliter imploramus, ut, ſi aliqui Conventus veſtri Ordinis vel ob honorem vel amorem noſtri Feſtum ejus elegerint celebrare, illud eis de veſtra permiſſione ac pia licentia concedatur, ſciturі, quòd in ſimilibus, immò ſine exceptione in omnibus, quæ rationabiliter mandaveritis, viciſſitudinem veſtræ Reverentiæ rependemus.

30.

Ad Capitulum Ciſtercienſe: jus fraternitatis, & facultatem Monachos Altahenſes ad Ciſtercienſia Monaſteria, diſcendæ diſciplinæ cauſa mittendi petit.

VEſtigiis pulcherrimorum greſſuum, quibus ſacer Ordo veſter in via Regulari progreditur, cupientes, prout Dominus dederit, imitari, quantum in nobis eſt, operam diligenter adhibebimus, ut quemadmodum profeſſione unius & ejusdem Regulæ ad invicem ſociamur, ſic etiam dulcedine amoris intimi ſcimus unum in idem fœdus Domino nos uniente redacti, concludamur infimul uno dilatato pallio charitatis. Ut autem hæc plena fraternitas eò uniatur dulciùs, & fortiùs confirmetur, rogamus humiliter, quatenus domum noſtram in veſtræ ſocietatis admittere dignemini conſortium, ut non ſolùm in patentibus obſervationibus, immò etiam in ſecretis conſolationibus nos mutuò foveamus, ut, ſi aliqui ex noſtris pro addiſcendis Ordinis articulis, vel aliis ſalubribus actibus & ſequendis, aut etiam ſuper recipiendis ſuarum (culparum) pœnis aut pœnitentiis ad monaſteria veſtra fuerint deſtinandi, in his & conſimilibus tanquam fratres ipſius Ordinis admittantur, in hoc nobis facturi gratiam gratioſam, qui Fratres noſtros diligimus obſervare diſciplinam Monaſticam, & nihilominùs illorum, quos DEO placere cognoſcimus, modeſtiam diſcere ac tenere.

31.

Ad Conradum Epiſcopum Ratisbonenſem. Gratias agit pro clementia erga Abbatem Prunfeningenſem, cujus in adverſis conſtantiam laudat &c.

EXeo, quòd veſtra paternitas dilectum Dominum & amicum noſtrum Venerabilem Abbatem de *Prunfiningen* ad ſuam præſentiam propriúmque Monaſterium revocavit, gratam certè conſolationem recepimus, & ſuper hoc in gratiarum vobis aſſurgimus actione, ſperantes, quòd ſic aperto ſinu gratiæ de bono fiat ad meliora proceſſus, ut hoc benignum principium per medium clementius ad finem optabilem deducatur. Nec immeritò, cùm fuerit & ſit tam patiens modeſtia & patientia modeſta, ut pro virtute ſuæ manſuetudinis ſit meritò inferioribus & paribus exemplaris, ac propterea non egeat ulteriùs vino rigoris, ſed leniri debeat oleo pietatis, virgáque correctionis omnino depoſita per manna dulcedinis ſit fovendus. Nósque libenter feciſſemus ſocialem itineris comitivam, niſi Dominicæ Paſſionis devotio & Capitulum, quòd in Cœna Domini per Ordinem noſtrum ſolemniter exerceri conſuevit, nos hac vice ab exitu Monaſterii prohiberent. Propoſuit etiam idem Dominus coram nobis noſtroque Conventu, quòd

quòd renovatio sua cum ea potestate fiebat, quòd non deberet ordinationi priùs per vos factæ in aliquo derogare, prioribus peractis, & actis secum gestis in sua remanentibus firmitate, sincerè adjiciens, quòd, etsi nulla protestatio esset emissa, ipse tamen in his, quæ ante sunt disposita, vel secum per vos in posterum disponenda, humiliter se vestræ voluntati committit, cupiens semper vestris obedire mandatis, ita ut tantùm beneplacita sint doctrina seu linea vitæ suæ. Sed & nos in tantum suæ disciplinæ favemus, quòd licèt ejus congratulemur honori credentes præsentiam ejus utilem esse commissæ domui, & amabilem suo gregi, si tamen, quod non speramus, ad nos eum redire contingeret, aperta sunt sibi benignæ receptionis ostia, & favorabilis pro toto posse nostro pertractatio præparata.

32.

Ejusdem fortè Wernhardi ad N. Epistola de ejusdem Prunfeningensis Abbatis constantia in adversis &c.

SInceritatem vestram in Domino commendamus, quòd cum venerabili Domino & amico nostro, Abbate vestro in tempore tentationis sic constanter, sic fideliter perstitistis, ut, quemadmodum stantes Angeli in bono confirmati meruerunt, nullam ruinam in posterum formidantes, sic & vestra perseverantia debeat in benedictionibus coronari. Idem siquidem Dominus Abbas sic se in regulari custodia, omnique virtutum pulchritudine conservavit, ut proinde non tantùm sua persona, immò commissa sibi familia sint nobis omni tempore amplectenda. Et si eum ad nos redire contingeret, læto sibi occurreremus assensu facturi pro eo universa, quæ facere pro Domino & amico (oportet).

33.

Sententia judicialis Wernhardi, qua Ecclesiam de Vischa Syfrido Notario Curiæ Salisburgensis adjudicat.

WErnhardus DEI gratia Abbas in *Altah* inferiori *Patavienſis* Diœcesis, Iudex in causa, quæ inter discretos Viros Dominum *M.* Hospitalarium de *Cervvald* ex parte una, & Dominum *Syfridum* Notarium curiæ *Salzpurgensis* ex altera super Ecclesia de *Vischa* vertebatur, à Sede Metropolitica delegatus honorabili viro *Ch.* Plebano .. salutem in Domino. Citato legitimè ad præsentiam nostram Domino *M.* Hospitalario in *Cervvald*, & non solùm eo ad causam, immò ad singulos processus causæ in terminis distinctis & competentibus, litteris citatoriis evocato, quia tamen in præsentia nostra nec per se, nec per Procuratorem comparere curavit, nos probationes Domini *Syfridi* Notarii Curiæ *Salzpurgensis* super Plebanatu in *Vischa Salzpurgensis* Diœcesis adhibita debita solemnitate recepimus, justitia exigente. Qui cùm per Procuratorem idoneum nobis fecisset in judicio de concessione Patroni, investitura, seu approbatione Ordinarii, immò etiam de ministerio Archidiaconi, qui in possessionem corporalem Ecclesiæ ipsius illum induxerat, claram * fidem, ita ut plenè de suo jure liqueret: nos assidentibus nobis Venerabili Abbate de Prunfiningen, ac duobus Ordinis nostri Prioribus, aliisque pluribus idoneis & honestis, præhabito etiam maturo peritorum consilio Ecclesiam de *Vischa* prædicto Domino *Syfrido* per diffinitivam sententiam in scriptis adjudicavimus, memorato Hospitalario super ea perpetuum silentium imponentes. Quare Discretioni vestræ districtè præcipiendo mandamus, quatenus præmissam nostram sententiam in Parochiali Ecclesia de *Vischa* suisque capellis & aliàs, ubi expedire videritis, solemniter publicantes plebi mandetis, ut Domino *Syfrido* Notario Curiæ *Salzpurgensis* tanquam suo vero Plebano & Pastori obediant in omnibus & intendant, contradictores & rebelles coércitione Ecclesiastica compescentes.

34.

Ad Episcopum Patavienſem. Compatitur ei ob calamitates, quas W. Canonicus Ratisbonensis ejus Diœcesi cum fratre intulit &c.

CUm naturale sit, ut membrum positum in corpore reputetur & existat aridum, si non sentit sui capitis læsiones, noverit vestra Paternitas, quòd revera in vestris adversitatibus, quas injustè

juſtè patimini, cor noſtrum affligitur, & plaga vobis inflicta vulnus ingerit cordi noſtro. Significamus tamen vobis, quòd temeritas, quæ nunc per Dominum *W.* Canonicum *Ratisbonenſem* in veſtris prædiis perpetrata Optimatibus *Bavvariæ* valde diſplicet, ac etiam ipſi Domino noſtro *Ottoni* Duci eſt contraria & adverſa, & ad comparationem ultionis eius brachio ſuæ poſſibilitatis vobis aſſurgeret, ſi non Frater ejusdem Comes *Peringerus* alligaretur pro eo in obſtagio *Ratisponæ*. Tamen ſicut ex corde compatimur, ſic omni cooperatione manifeſtabimus, quòd offenſiones veſtras nobis illatas eſſe ſentimus, & acerbiores, quam proprias reputamus, ſicut etiam malignorum malitia nos involvit, quia quatuor villas noſtras uſque ad exinanitionem ultimam deſtruxerunt. Cæterùm credimus non dubitare veſtram Reverentiam, quòd ad omnia mandata veſtra noſtra debita ſequatur obedientia, in his tamen, quæ ad noſtrum diriguntur Ordinem, dignè ac ex debito habemus animum ampliùs inclinatum. Quare ad *Auſtriam* libentiſſimè, ſicut veſtra præceperat providentia, mandati veſtri tempore veniſſemus, ut communicato Comprælatorum conſilio fuiſſet de bono ſtatu Ordinis aliquid pertractatum. Sed quia tunc inſtabant, meſſes & vindemiæ, in quibus Prælatos *Auſtriæ* ſcivimus occupari, & malitia terræ noſtræ, ad quam aliqualiter ſublevandam manus & corda, opus & conſilia non ſufficiunt, prout unà nobiſcum veſtra benignitas experitur, eæ nobis fructum deſcenſus & utilitatem itineris tunc temporis denegabant.

35.

Ad Henricum Ep. Ratisbonenſem. Vrget executionem contractus & pacti, quod Duces Bavariæ de Advocatia Monaſterii Altahenſis in manus Henrici pepigerunt &c.

SCientes, quòd recta veſtræ Paternitatis conſilia ſemper ad ſalutaria diriguntur, in contractibus, nuper cum Illuſtribus Principibus Dominis noſtris Ducibus *Bavvaria Ratipsonæ* initis & pœnis tranſgreſſionum, veſtro ſincero arbitrio nos duximus cum plena fiducia ſubmittendos, executionem pœnarum in veſtris manibus velut in certo ac firmo repoſitorio collocantes. Cùm igitur contractui de quibusdam decimis, piſcariis & tertia parte mutæ, quam iidem Principes habebant in nemore circa *Regem*, & alia loca in inſtrumento venditionis expreſſa, talis inter cætera fuit appoſita conditio, per quam prænominati Principes Advocatiam Monaſterii noſtri in manus veſtras collocaverunt & depoſuerunt ſub hac forma, ut ſervatis pactis, in eodem inſtrumento contentis, eam ſine difficultate rehabeant, ſed eis neglectis vos utilitatem *Altahenſis* Eccleſiæ, & alia, quæ juſta fuerint, de illa Advocatia debeatis ſecundùm veſtram providentiam ordinare; & in ipſo Contractu ſit patenter expreſſum, quòd ante feſtum beati Iohannis Baptiſtæ tunc futurum, ſed modò, prout conſtat, præteritum, deberet talis Advocatiæ translatio apud Venerabilem Patrem Dominum *Babenbergenſem* Epiſcopum, utpote Dominum feodi, prædictorum Principum ſumtibus & laboribus impetrari: jamque elapſo præfixo termino confirmatione præmiſſa minimè ſubſecuta, iidem in pœnam ceciderint, nec admoniti per nos purgare curaverint moram ſuam; Benignitatem veſtram una cum noſtro Conventu ſuppliciter deprecamur, quatenus executionem in manibus veſtris depoſitam ſic, prout confidimus, exequamini, ut ſæpe dictis Dominis noſtris ſalubriter conſulatur, & Eccleſiæ ſua juſtitia conſervetur. In quo DEO facietis obſequium, honorem proprium defendetis, nósque Paternitati veſtræ ad orationes & obſequia fideliter adſtringetis.

36.

Ad Duces Bavariæ de eadem re.

SPeramus à veſtra memoria nullatenus excidiſſe, quòd ſuper Contractibus, per vos cum Eccleſia noſtra *Ratisponæ* nuper initis ratione pœnæ, ſi pacta in inſtrumento venditionis expreſſa forſitan non ſervarentur, Advocatione *Altahenſi* mentio facta fuit, & ob hoc adjectum, quòd ante feſtum beati Iohannis Baptiſtæ veſtris ſumptibus & labore deberet Venerabilis Patris Domini *Babenbergenſis* Epiſcopi tanquam Domini feodi confirmatio impetrari, alioquin ex tunc commiſſa eſſet pœnalis ſtipulatio in eodem inſtru-

inſtrumento venditionis expreſſa. Verùm cùm promiſſa præmiſſæ confirmationis impetratio non appareat termino jam elapſo, & ob hoc pœnam conventionalem incideritis, nec etiam poſtea per nos admoniti purgaveritis illam moram, Clementiam veſtram requirimus & rogamus, quatenus in præſenti negotio ſub tali diligentia vigiletis, ut veſtræ gloriæ ſit honeſtum, ac Eccleſia in ſua iuſtitia conſervetur, vos a pœna commiſſa liberemini, alijſque libentiùs vobiſcum contrahant, ſi pacta promiſſa viderint & ſibi ſperaverint obſervari.

37.

Ad Canonicos Eyſtadienſes. Rogat, ut cum eorum bona venia & conſenſu reditus Eccleſiæ Parochialis in Ingolſtat Monaſterio Altahenſi conferantur.

Cùm venerabiles Patres Domini Canonici Cathedrales Senatus Eccleſiæ cenſeantur, & pars corporis Epiſcopalis exiſtant, utpote qui conſilijs & conſiſtorio eius ſemper adeſſe debent, immò unum corpus cum Epiſcopo faciant, cuius ipſe quidem caput, illi autem membra eſſe probantur, & Pontificalis auctoritas a conſenſu Capituli robur accipiat firmitatis: petimus humiliter, quatenus veſtra ſuffragante gratia Eccleſia Parochialis in *Ingolſtat* ſuſtentationis ſeu præbendæ noſtræ uſibus applicetur, reſervata tamen perpetuo Vicario, auctoritate Epiſcopali inſtituendo ibidem, ſufficienti & idonea portione: quia malitia ſtatus terræ noſtræ, cuius a tempore, de quo non extat memoria, non creditur ſimilis extitiſſe, intolerabilis advocatorum exactio, importabilis hoſpitum importunitas, ſumptus ædificiorum fabricæ noſtræ, quam a fundamentis diruram de novo cogimur reparare, ac alia incommoda, nos ſic ad inopiam proſtraverunt, ut, niſi veſtra & aliorum Superiorum benignitas ruinæ noſtræ manum ſubmiſerint ſuſtentantem, & Congregatio noſtra in diſperſionem abire cogatur, & ſancta religio in noſtro Monaſterio diſſolvetur. Et ideo placita talis oblatio: quia, cùm Notarij Principis, ſub cuius dominio reſidemus, itemque illius, ſub quo ſita eſt prænominata Parochia, preces armatas pro illa porrigere conſueverunt alternatim, ſive exaudiendo ſive negando indignationes & incommoda incurremus. Eritque ſalubre animabus: quia cum per mutationes cerebras Vicariorum plebs tam honorabilis multum oneris & tœdij ſuſtinere dicatur, admiſſa per veſtram pietatem petitione propoſita, ad præſentationem noſtram Epiſcopali auctoritate inſtituetur ibi perpetuus Vicarius, qui in loco reſidens indeſinentes vigilias faciet ſuper cuſtodiam ſui gregis, & cogetur de cura animarum per ſe ipſum, & de ſeipſo ſuo Magiſtratui reſpondere. Super quibus humiliter poſtulandis miſimus chariſſimos fratres noſtros *G. W.* quos veſtra Paternitas gratioſe audire dignetur, & gratioſiùs exaudire.

CCCVIII.

Chunradi Archiepiſcopi Salzburgenſis Indulgentiæ pro Capella S. Virgilij Viennæ in cœmeterio S. Stephani, ſita in crypta eccleſiæ S. Magdalenæ, quondam dicta Die Schreiber-Zöch unter den neuen Cärner.

VNiverſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, *Chunradus* Dei gratiâ Sanctæ *Salzburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem in omnium Salvatore. Cupientes Chriſti fideles quibusdam muneribus illectivis, Indulgentijs ſcilicet & peccatorum remiſſionibus, ad devotionis & caritatis opera invitare, ut exinde divinæ reddantur gratiæ aptiores, Omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui Capellam *Sancti Virgilij* in Cimiterio *Sancti Stephani Viennæ*, *Patavienſis* Dioec. in anniverſarijs dedicationis, feſtis Patronorum eiusdem, ſcilicet *Rudberti*, *Virgilij*, *Vdalrici*, & in quatuor feſtivitatibus *S. Mariæ* Virg. Glorioſæ, de Omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Apoſtolorum eius Petri & Pauli confiſi ſuffragijs, ſi Zelo devotionis frequentaverint, quadraginta dies de iniuncta ipſis pœnitentia miſericorditer in Domino relaxamus. Datum *Viennæ* Ao. M. CCC. VII. VII. Idus Ianu. 1307. *Ex autogr. P. H.*

CCCIX.

Wernhardus Epiſcopus Patavienſis eccleſias Parochiales in Sancto Loco & S. Martini Monaſterio Clauſtroneoburgenſi de novo incorporat.

WErnhardus Dei gratia Eccleſiæ *Patavienſis* Epiſcopus, Dilecto in Chriſto fratri Præpoſito & Conuentui Eccleſiæ *Niumburgenſis* Ordinis S. Auguſtini, eiusdem Diœceſis, ad perpetuam rei memoriam. 1307. *Ex autogr. P. H.*

Digitized by Google

Bonæ rei dare conſultum & præſentis habetur vitæ meritum, & æternæ remunerationis cernitur præmiũ expectare, quod tunc maximè fieri credimus, cùm religioſam vitam eligentibus congrua conſideratione proſpicitur, ne cuiusquam neceſſitatis occaſio aut deſides faciat, aut robur, quod abſit, conuerſationis infringat. Sanè inuenimus, quòd Eccleſia Parochialis de *Sancto* loco*, ſita inter *Niunburgam* & *Wiennam* olim fuerat vobis pleno iure ſubiecta, ſicut & Eccleſia Sancti Martini in *Niunburga*, cui illa extitit filialis. Verùm per negligentiam prædeceſſorum noſtrorum ab eius gubernatione cecidiſtis, ita quòd tantummodo ius præſentandi Rectorem nobis in ea remanſit in grave ueſtræ Eccleſiæ præiudicium & gravamen. Nos itaque ex Paſtoralis officij debito conſiderantes, quòd Eccleſia ueſtra, quæ ſemper in cultu Divino, obſervantia regulari & hoſpitalitate glorioſa extitit & inſignis, nunc propter malitiam temporum, debitorum oneribus & alijs indigentijs non mediocriter prægravatur, ut eò commodiùs conſuetis poſſitis inſiſtere Divinis ſervitijs & pietatis operibus, quò ab indigentia relevati bonis exterioribus amplius abundatis, de benigno conſenſu Venerabilium in Chriſto fratrum dominorum *Gotfridi* Præpoſiti, *Wolfkeri* Decani & Capituli noſtri *Patauienſis*, prædictam Eccleſiam *de Sancto Loco* ad primum ſtatum reducimus, & cum præfata *Eccleſia Sancti Martini* unimus, donantes vobis eam pleno iure & in perpetuos uſus ueſtros, ita ut in illa, videlicet *Eccleſia Sancti Loci*, ſicut & in *Eccleſia S. Martini*, inſtitutionem, deſtitutionem, regimen & gubernationem per Canonicos ueſtros liberam habeatis: concedentes nihilominùs vobis, ut cedente uel decedente Rectore eiusdem Eccleſiæ poſſeſſionem auctoritate propria vobis liceat apprehendere & intrare, ſalvo ſemper, quòd Rector eiusdem Eccleſiæ ibidem perſonaliter reſideat, curam plebis ſufficienter peragat, hoſpitalitatem conſuetam obſervet, Synodos Epiſcopales, conuentus Archidiaconorum & Decanorum viſitet, ſtatuta & mandata eorum recipiat, viſitationem quoque & procurationes aliáque onera Canonica reverenter ſufferat & perſolvat.

* Zeil/ ligen Statt.

Datum *Patauij* Anno Domini Milleſimo CCC. VII. ſexto Idus Aprilis, præſentibus & conſentientibus dilectis in Chriſto fratribus Præpoſito & Decano prædictis, *Meingoto de Waldekk*, *Leutoldo de Schaumberch*, *Iohanne de Preyſing*, *Shahtlano de Haſlau*, *Eberhardo* Comite *de Wartſtein*, *Alberto de Morſpach*, *Wichardo de Starchenberch*, *Heinrico de Chalheim*, Magiſtro *Heroldo*, Magiſtro *Ottone*, *Siſrido de Paulſtorf*, *Gebhardo de Walſe*, *Chunrado de Ernuels*, *Wernhardo de Prampach*, Magiſtro *Dietrico*, Canonicis noſtræ Eccleſiæ Kathedralis. In cuius rei teſtimonium præſentes damus litteras, noſtro & prædicti Capituli noſtri ſigillorum appenſionibus communitas.

CCCX.

Idem donat proventus Eccleſiæ Parochialis in Aſparn Monaſterio S. Lamberti in Altenburga.

NOs *Wernhardus* Dei gratia Eccleſiæ *Patauienſis* Epiſcopus præſentibus profitemur, quòd, cùm nuper de aſſenſu Venerabilis Capituli noſtri, parochialem Eccleſiam in *Aſparn* noſtræ Dioeceſis, Monaſterio *Sancti Lamperti in Altenburga* dictæ Diœceſis, ad quos Jus patronatus eiusdem Eccleſiæ pertinuit, in perpetuos uſus donaverimus, ut exinde pauperibus decumbentibus in hoſpitali, quod nobilis vir Dominus *Hadmarus de Sunnenberch* fundaverat in *Altenburga*, in ſuis provideretur neceſſitatibus, & nihilominus commodo fratrum Monachorum ſervientium Deo in Monaſterio prædicto, & inofficiantium hoſpitale memoratum, conſuleretur, ſalva prębenda perpetui Vicarij, nobis præſentandi, & per nos inſtituendi: cuius moderamen, eò quòd tunc certam notitiam proventuum, fructuum & obventionum eiusdem Eccleſiæ in *Aſparn* non habuimus, futuræ noſtræ ordinationi & deliberationi duximus reſervandam, prout hæc omnia & ſingula in noſtris literis exinde confectis, noſtro & præfati Capituli noſtri ſigillis communitis pleniùs continetur. 1308. *Ex archiuo* P. H.

Nos conſideratis redditibus, proventibus & fructibus Eccleſiæ in *Aſparn* prædicte, conſideratione ſollicita & . . . diligenti & proborum virorum Clericorum & Laicorum conſilio præhabitis, infra ſcriptos redditus, obventiones & . . . perpetuo Vicario in *Aſparn*, qui pro tempore fuerit, pro ſuis neceſſitatibus & canonicis oneribus ſubportandis, ordinamus, deputamus, & ſine diminutione perpetuò annectimus, primò cottidianum queſtum cum minutis decimis, & cum cultura duorum laneorum, & alterum medium Juger vinearum ibidem, & duas Eccleſias filiales, & prata circa Eccleſiam ſita, & decimam in *Naſſenſlez*, & decimam in *Dürrenſlez*, & decimam in utroque *Algerſtorff*, & decimas vini in monte Eccleſiæ & in monte *Haſenleuten* & generaliter omnia, quæ ex devotione fidelium donata fuerint in futurum Eccleſiæ in *Aſparn*, eidem Eccleſiæ integrè permanebunt. Reliqua verò omnia, quæ non ſunt in præſentibus ex nomine expreſſa, quæ hactenus usque hodie ad Eccleſiam *Aſparn* pertinuerunt amodo in æternum ad Monaſterium in *Altenburga* ſine diminutione qualibet pertinebunt. In cuius rei teſtimonium præſentes dedimus literas, noſtro ſigillo munitas.

Teſtes ſunt Dominus *Siſridus de Paulſtorff*, Dominus *Ortolfus de Murringen* Vicedominus, Canonici Eccleſiæ *Patauienſis*, Dominus *Gottfridus* Decanus *Cremenſis*, *Otto* Notarius noſter, *Vtricus* Capellanus noſter & alij plures fide digni.

Datum *Vienna*, Anno Domini Milleſimo, Tricenteſimo Octavo, in circumciſione Domini.

CODI-

CODICIS DIPLOMATICO-HISTORICO-EPISTOLARIS

TOM. V.

PARS III.

Ab Anno Chriſti MCCCVIII. uſque ad MCCCCXXXVIII.

Digitized by Google

I.

Teſtimonium de authentico exemplo Privilegiorum Ordinis Carthuſienſis, è Maiori Carthuſia ad Priores Sclavoniæ miſſo.

1208. *Ex Arch. Seitz.*

NOs G. Divina miſeratione *Gratianopolenſis* Epiſcopus, & Nos Frater *Boſo* humilis Prior Majoris domûs Ordinis Carthuſienſis, cæteriquè Diffinitores Capituli Generalis dicti Ordinis, videlicet Priores *P. Excubiarum*, *P. Montis Dei*, *Jo. Vallis Sanctæ Mariæ*, *R. de Witthaam*, *Ia. Montis Merulæ*, *P. Caleſii*, *Simeon de Alaveſcho*, Monachus Domus Carthuſiæ, Univerſis Chriſti fidelibus, & ſpecialiter Reverendo in Chriſto Patri, Domino Patriarchæ *Aquilegenſi*, cæterisque Prælatis dicti Patriarchatus, ad quos præſens tranſcriptum oblatum fuerit, Salutem & notitiam rei geſtæ.

Noverit veſtra Paternitas, quòd, cùm Priores Prioratuum Ordinis Carthuſienſis, in *Sclavonia* exiſtentium, Nos requiſierint humiliter, quatenus privilegia toti Ordini Carthuſienſi à Summis Pontificibus conceſſa, quæ ſunt in dicta majori Domo dicti Ordinis, faceremus & præciperemus eis tranſcribi per aliquem, & dictum tranſcriptum ſub ſigillis authenticis, prædictis Prioribus mitteremus ad probationem eorum, cùm neceſſe fuerit, quæ in dictis privilegiis dicto Ordini ſunt conceſſa, maximè quia dicta privilegia non poſſunt habere dicti Priores *Sclavoniæ*: quæ, etiam ſi traderentur eis, non poſſent ſine periculo amiſſionis per tam longa terrarum ſpatia deportari. Nos attendentes petitionem & ſupplicationem prædictorum Priorum fore conſentaneam rationi nolentes probationes juris alicujus ob defectum noſtrum in aliquo illis deeſſe, commiſimus Dno *Iacobo de Ayma* Monacho dictæ Domus majoris, ut dictis privilegiis diligenter inſpectis, & eis inventis, ſine læſione aliqua, non corruptis, dicta privilegia & eorum tenores de verbo ad verbum, nihil addito vel mutato, tranſcriberet, & in unum volumen redigeret. Quibus per dictum Fratrem *Iacobum* diligenter peractis, & à Nobis diligenter inſpectis, præſens volumen Sigillo noſtro & Sigillo dictæ Domûs Carthuſiæ unà cum Sigillo, quo in arduis utitur dictum Capitulum generale, ſigillavimus ad probationem, cùm neceſſe fuerit, eorum, quæ in dictis privilegiis continentur, & toti Ordini Carthuſienſi à Sede Apoſtolica ſunt conceſſa. Datum & actum in Capitulo Generali dicti Ordinis anno Domini MCCCVIII.

II.

G. Epiſcopus Gratianop. Iacobo de Ayma in mandatis dat, ut prædicta privilegia colligat.

1208. *Ex Arch. Seitz.*

GDivina miſeratione *Gratianopolis* Epiſcopus, & Frater *Boſo* humilis Prior majoris Domus Ordinis Carthuſienſis, Dilecto ſibi in Chriſto Filio Fratri *Iacobo de Ayma* Monacho Domus Carthuſiæ ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

Cùm Priores Ordinis Carthuſienſis in *Sclavonia* Patriarchatus *Aquilegenſis* aliquotiens neceſſe, ut aſſerunt, habeant oſtendere privilegia, à Summis Pontificibus toti Ordini Carthuſienſi conceſſa, ad probationem immunitatum & gratiarum à dictis Summis Pontificibus dicto Ordini conceſſarum: & quia dicta privilegia non poſſunt habere dicti Priores *Sclavoniæ*, nec eſſet ſecurum ea per tam longa terrarum ſpatia deportari: rogaverunt

Digitized by Google

nos; mediante fratre *Simeone de Alaveſcho* Monacho dictæ Domus Cartuſiæ, ut tenorem dictorum privilegiorum faceremus, de verbo ad verbum tranſcribi, & in unum volumen redigi, & dictum volumen tenorem dictorum privilegiorum de verbo ad verbum continens ſub ſigillis noſtris, impendente & ſubſigillo, quo Generale Capitulum dicti Ordinis utitur in arduis, eis mitti ad probationem, cùm neceſſe fuerit, immunitatum & gratiarum dicto Ordini à Summis Pontificibus conceſſarum. Nos nolentes, maximè ob defectum noſtrum probationem jurium alicujus deperire, rogamus Vos, & Vobis damus per præſentes litteras in mandatis, quatenus, tanquam Vir Religioſus & alta conſcientiæ, dictis privilegiis diligenter inſpectis, & eis inventis non corruptis, non cancellatis, non abolitis, nec in aliqua ſui parte vitiatis, eorum tenorem de verbo ad verbum, nihil addito nihilque diminuto, in unum volumen redigatis, & illud nobis ad ſigillandum fideliter tranſmittatis.

Datum in Octavis Apoſtolorum Philippi & Jacobi anno Domini MCCC VIII. ſub ſigillis noſtris in teſtimonium omnium præmiſſorum.

III.

Auguſtini Epiſtola Zagrabienſis teſtimonium de litteris a Boſone Generale Ord. Cart. ad Henricum Ducem Sclavoniæ datis.

Indid. FRater *Auguſtinus* DEI gratia *Zagrabienſis* Eccleſiæ Epiſcopus, univerſis præſentia inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam.

Noverint omnes præſentium inſpectores, quòd litteras Venerabilis & Religioſi Viri Domni *Boſonis*, Generalis Prioris Ordinis Cartuſienſis, vidimus, & perlegimus per omnia ſub hac forma:

Magnifico Principi, famoſo Domino, Domino *Heinrico*, Magiſtro *Tavarnicorum* Sereniſſimi Regis Vngariæ, Illuſtri Duci *Sclavoniæ*, Frater *Boſo* Generalis Prior Ordinis Cartuſienſis orationes in Chriſto devotas, & poſt hujus mundi proſpera vitam felicitatis æternæ. Veſtræ Dominationi gratiarum in Domino referimus uberes actiones, eò quòd Fratribus noſtris *Vallis S. Iohannis in Seitz* ac *Vallis S. Mauritii in Geiravv* gratiam protectionis & promotionis, ſicut ab ipſis didicimus, facitis ſpecialem: & nunc novæ Domûs (*Vallis S. Antonii in Lechnitz*) plantulam ab antiquo DEO & Ordini noſtro exhibitam, laudabilem ſecundùm inceptionem veſtram intenditis perducere ad effectum, ſicut nobis, imò DEO & Ordini noſtro, veſtris patentibus litteris promiſiſtis. Ideoque tali & tantæ felicitati veſtræ ferventiùs congaudentes, ſalubri conſilio attentius ſupplicamus, quatenus id, quod incepiſtis laudabiliter, perficiatis ſalubriter, aſſignantes Fratribus noſtris, imò Domino DEO noſtro, poſſeſſiones veſtræ hæreditatis infra duas diætas à loco, quem fundare cœpiſtis, ſitas. Super quibus, fratribus noſtris de *Valle S. Iohannis in Seitz* licentiam largam & liberam, ſicut petiſtis, concedimus & donamus, rogantes, ut DEUS vobis, & felicibus Conjugi & hæredibus veſtris, poſt hujus vitæ curſum proſperum, reddat præmium ſempiternum. Nos quoque in Generali Capitulo noſtro unà cum omnibus diffinitoribus noſtris, Vobis & prædictis Conjugi ac hæredibus veſtris, nec non progenitoribus, Spiritualia beneficia vigiliarum, jejuniorum, miſſarum & orationum, DEO volente, abundantiori, qua poterimus, gratia conferemus, ſuperaddita convenienti & perpetua confirmatione omnium prædictorum. Datum in Craſtino Beatæ Mariæ Magdalenæ cum Sigillo pendenti, quo utitur in arduis noſtrum Capitulum Generale, anno Domini MCCCVIII.

Quas quidem litteras vidimus, perlegimus, & probavimus diligenter, & invenimus eas juſtas & veras, nec in aliqua ſui particula vitiatas, cum vero & pendente in Charta Sigillo, quo prædicti Ordinis Generale Capitulum in majoribus negotiis ſolet uti. In cujus rei teſtimonium has litteras dedimus noſtri Sigilli munimine roboratas.

Datum *Zagrabiæ* anno Domini MCCCVIII. in craſtino Nativitatis Beatæ Mariæ, Virginis glorioſæ.

IV.

Clemens V. P. M. Henrico III. hujus nominis Abbati Dekhingensi decisionem litis inter Adelhaydem viduam Pincernæ de Pinburch & Johannem dictum Episcopum de Altorff committit.

1312. *Ex Archiv. Dekhing.*

CLemens Episcopus Servus Servorum DEI dilecto Filio . . Abbati Monasterii in *Dekhingen* Augustensis Diœcesis salutem & Apostolicam benedictionem.

Conquesta est nobis *Adelhaydis*, relicta quondam Pincernæ de *Pinburch* laici vidua, *Constantiensis* Diœcesis, quòd *Ioannes* dictus *Episcopus de Altorff*, laicus dictæ Diœcesis super quadam curta, ad dotem suam spectante injuriatur eidem. Cùm autem dicta conquerens, sicut asserit, dicti injuriantis potentiam merito perhorrescens eum infra civitatem seu Diœcesim Constantiensem nequeat convenire securè, Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias causam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens, quod decrevimus, per censuram Ecclesiasticam firmiter observare. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratiâ, odio & timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere.

Datum *Avinione* Nonis Januarii, Pontificatus nostri anno octavo.

V.

Wernhardus Ep. Patavienſis Clementem V. P. M. rogat, ut usum insignium Pontificalium Præposito Clausteroneburgensi indulgeat.

1312. *Ex Archiv. Clausteroneburg.*

SAnctissimo in Christo Patri Domino *Clementi* Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Vicario JESU CHRISTI . . *Wernhardus* DEI gratia Ecclesiæ *Patavienſis* Episcopus cum orationibus devota pedum oscula beatorum.

Cùm Ecclesia beatæ Virginis in *Nevvnburga*, *Patavienſis* Dyocesis, Ordinis S. Augustini, inter omnes Ecclesias meæ Dyocesis dicti Ordinis plus sit in statu regularis observantiæ celebris, & in omnibus conditionibus plus sollemnis, utpotè quam Principes Ecclesiastici & seculares frequentiùs frequentare consueverunt, & quæ curam gerit populi infiniti (illa est enim, in qua Divinus cultus sine intermissione perseverat, & jugis hospitalitas jugiter non quiescit) Sanctitatem vestram, Pater Sanctissime, condecet, & ego humiliter ac devotè rogo & supplico genibus provolutis, quatenus eidem *Nevvenburgensi* Ecclesiæ pro reverentia Virginis gloriosæ, ad honorem DEI & decorem militantis Ecclesiæ liberaliter indulgere dignemini, ut Præpositus ipsius, qui pro tempore fuerit, ex indulgentia Sedis Apostolicæ infulam & baculum & alia insignia Pontificalia, licitè deferat, & eisdem utatur de gratia speciali.

Datum *Viennæ* Anno Domini MCCCXII. XVII. Kal. Januarii.

VI.

Clemens V. præcipit Abbati Scotorum Viennæ, ut quæ de bonis Ecclesiæ Clausteroneburgensis illicitò alienata & distracta sunt, ad jus & proprietatem ejusdem legitimè revocet.

CLemens Episcopus, Servus servorum DEI, dilecto Filio Abbati Monasterii Scotorum in *Vienna*, *Patavienſis* Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. *Indict.*

Dilectorum Filiorum . . Præpositi & Conventus S. Mariæ in *Nevvnburg*, per Præpositum soliti gubernari, Ordinis Sancti Augustini Patavienſis Diœcesis, precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatinus ea, quæ de bonis ipsius Monasterii alienata inveneris illicitè vel distracta, ad jus & proprietatem ejusdem Monasterii legitimè revocare procures, contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere.

Datum *Avinione* X. Kal. Junii Pontificatus nostri anno octavo.

VII.

Charta emptionis quorundam reditu-um pro Parthenone S. Nicolai extra muros civitatis Wiennenſis Ord. Ciſt.

1319. *Ex Origin. P. H.* NOs *Chunegundis* miſeratione divina Abbatiſſa & totus Conventus Sanctimonialium Monaſterii *Sancti Nicolai* extra muros civitatis *Wiennenſis*, Ordinis Ciſtercienſis, præſentibus publicè profitemur, quòd, cùm olim *Heinricus Bavarus* dictus *Verber*, Civis *Wiennenſis*, in remedium animæ ſuæ ad clauſtra ſubnotata &c. Hos quidem .. redditus de conſenſu & beneplacito Venerabilis in Chriſto Patris, Domini *Iohannis* Abbatis Monaſterii Sanctæ Mariæ Scotorum *Wiennæ*, in cujus dominio & fundo ſiti ſunt redditus prælibati, unde ſibi de eisdem ſingulis annis in die beati Michahelis .. denarii ſerviuntur, emimus ſeu comparavimus nobis & noſtro Monaſterio, quietè & pacificè perpetuis temporibus poſſidendos, ſalvo tamen omni eo jure, quod prænotato Domino *Iohanni* Scotorum ſuisque Succeſſoribus, jure fundi ſeu Dominii in bonis competit prænotatis, videlicet Auctoritate judicandi, inſtituendi, deſtituendi, & generaliter omnibus, quæ hactenus in eisdem habere conſuevit, in quibus ſibi per nos nullo modo volumus derogari, nec præjudicium aliquod generari &c. In cujus rei teſtimonium & evidentiam firmiorem, præſentes damus literas Sigilli noſtri, ac Sigilli Venerabilis in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini *Ottonis* Abbatis Monaſterii *Sanctæ Crucis*, appenſionibus roboratas.

Datum Anno Domini MCCCXIX. Vincentii Martyris.

VIII.

Fridericus Rex Romanorum ſignificat Civitati in Anaſo privilegium Eccleſiæ Clauſtroneoburgenſi conceſſum, ſuper jure XV. Carratas vini propinandi, & quod ſupereſt, per vaſa vendendi.

1319. *Ex autogr.* FRidericus DEI gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Prudentibus Viris .. Judici, Juratis, & univerſitati Civium in *Anaſo*, Fidelibus ſuis dilectis, gratiam ſuam, & omne bonum.

Quia honorabilibus & religioſis Viris .. Præpoſito & Capitulo Eccleſiæ *Neunburgenſis*, Devotis noſtris dilectis, jus propinandi quindecim Karratas vini in Civitate *Anaſi* & vendendi per vaſa vinum, quod ultra dictum numerum adduxerint in dictam civitatem, confirmavimus & innovavimus, ſicut in ipſorum antiquis privilegiis continetur: Fidelitati veſtræ mandamus. Omnino volentes, quatenus jus prædictum ratum & gratum habentes, nullum prædictis .. Præpoſito & Capitulo, impedimentum in eo penitus facientes *, Littera ipſa teſte.

* faciatis.

Datum *Wiennæ* IIII. Kalendas Auguſti Anno Domini Milleſimo trecenteſimo decimo nono, Regni verò noſtri anno quinto.

IX.

Engelberti Abbatis Admontenſis Prologus in Commentarium ſuum ſuper Pſalmum CXVIII. Beati immaculati in via &c.

VAdam in agrum, & colligam ſpicas, quæ fugerunt manus metentium, ubicunque clementis patris familias reperero gratiam, Ruth. 2. *Ruth*, quæ ſecundùm Hieronymum interpretatur *videns*, vel *defectio*, vel *feſtinans*, cùm eſſet in terra Moab peregrinans cum Noëmi ſocru ſua, videns *defectionem* famis ſibi in terra illa imminere, quæ ibidem prævalucrat: *videns* etiam, quòd Dominus propitius terræ Iſraël dederat ibi eſcas, *feſtinavit* cum eadem ſocru ſua revenienti in terram Iſraël: & ne per deſidiam fame deficeret, vel per impudentiam rem alienam invaderet, prudenti uſa conſilio dixit ad ſocrum ſuam: *Vadam in agrum, & colligam ſpicas* &c. Cist. 1320. *Ex Cod. Admon.*

Ex quo ſecundùm allegoriam datur intelligi, quòd quilibet Religioſus, & maximè Prælatus, *videns* & prævidens ac providens velut illa Ruth *defectionem* famis non cibi corporalis, ſed verbi DEI docendi & audiendi Clero & populo imminere ſecundùm illud Amos 8. *Mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi*

Digitized by Google

di verbum DEI, prudenti consilio *festinare* debet ad revertendum in terram Israël, id est: ad retrahendum se pro tempore ab exteriori actione, & contrahendum se ad studium & quietem contemplationis & lectionis Divinæ, ubi Dominus propitiatus & miseratus desiderio se exercitantium & meditantium in lege Divina, dat escam illorum in tempore opportuno, cùm viderit eos in agro Dominico, id est: in Sacra Scriptura diligenter, & non impudenter sibi in escas colligere, quæ fugerint, id est: indiscussæ & non collectæ dimissæ fuerint post manus primorum metentium illam copiosam messem in horreum Dominicum, de quo dictum est discipulis Luc. 10. *messis multa*, *operarii autem pauci* &c.

Proinde ergo studiosè advertendum est, quòd, cùm non omnes messores, id est: non omnes Expositores & Interpretes una via & modo, sed alius sic, alius verò sic vadant in agrum Sacræ Scripturæ ipsam Scripturam tractando & exponendo, circa ipsam tractationem & expositionem plerumque contingit unam ex tribus abusionibus fieri. Primò enim quidam contenti aliqua superficiali intelligentia non vadunt in agrum, sed circa agrum Sacræ Scripturæ vagantur, ad interiorem & solidum sensum ipsius non attingentes, cùm tamen dicatur Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Notanter ibi dicitur: *in agro*, & non: *circa agrum*. Tales sunt Expositores, qui, licèt aliquando veraciter aliquas sententias ex Scripturis proferant, non tamen consequenter secundùm continuum sensum præcedentium ad sequentia ipsas intelligunt & exponunt. Quia, ut dicit Augustinus super illud Joh. 6. *nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* &c. convenire debent sequentia præcedentibus, ubi veritas loquitur.

Secundò verò quidam in exponendo non mittunt manus ad *spicas*, id est: ad reliquias distinctionum & declarationum, quas originales Expositores obmiserunt, circa multæ & magnæ messis latitudinem occupati, sed ad manipulos & acervos, quos illi jam collectos in horreum Domini contulerunt, & verba aliqua sola Expositorum originalium mutantes, sed sensui & scientiæ parum vel nihil addentes non afferunt sua, sed proferunt aliena: cùm secundùm Hieronymum in Prologo *miserum* sit *semper aliena & vetera retexere, & nova nulla cudere*, cùm etiam omnis scriba doctus in regno cœlorum debeat de thesauro suo proferre nova & vetera.

Tertiò autem quidam in exponendo non colligunt spicas illas, *quæ manus primorum metentium fugerunt*, cùm eandem messem tamen pertinerent, * sed alienas spicas ex aliena messe nituntur colligere, & in horreum Dncum cumulare. Quales Expositores reprehendit Hieronymus in Prologo dicens: *quid enim ineptius, quam ad suum sensum Scripturam trahere repugnantem, quasi nos non noverimus homerocentones* * *& Virgiliocentones.*

* *Luc. cor. rupt.*

* *Cod.* Homerocentonas &c.

Ad vitandum itaque in expositione Scripturarum suprà dictas tres abusiones tria sunt necessaria. Primum est interioris intelligentiæ perscrutatio, quæ innuitur, cùm dicitur: *vadam in agrum*, id est: in profundum Scripturæ, non contentus extra vagari in superficie: Psalm. 118. *beati, qui scrutantur testimonia tua Domine.* Et ibidem: *mirabilia testimonia tua Domine, ideo scrutata est ea anima mea.*

Secundùm est convenientium & pertinentium distinctionum & declarationum additio, quæ insinuatur in eo, quod subditur: *Et colligam spicas* &c. Quia sub eadem comparatione habent se distinctiones & declarationes modernorum ad expositiones originalium, sicut spicæ collectæ post messem ad manipulos & acervos. Psalmista: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.*

Tertium est inutilium repetitionum aut appositionum obmissio, quæ notatur, cùm subjungitur: *quæ fugerunt manus metentium.* Quia spicas, quas primi metentes collegerunt, non debemus iterando nobis usurpare, aut alienas apponere, sed quas illi de vera & propria messe dimiserunt, colligere iuxta illud Joh. 6. *colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.*

Et quia sine Divinæ gratiæ munere circa hoc nihil possumus facere, rectè subjungitur: *ubicunque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam.* Ne igitur

igitur ſolicitudo temporalium, quæ de neceſſitate mentem turbat, & turbatur erga plurima, meipſum mihi ipſi & penitus abſtraheret & auferret, ideo ego *Engelbertus* Abbas, licèt immeritus, Monaſterii *Admontenſis*, Ord. S. Bened. *Salisburgenſis* Dioceſis, interdum tempore ſe offerente, cum aliqua parte diei majorem partem noctis miſcens, quæ eſt amica contemplationis juxta illud Pſalmiſtæ: *meditatus ſum nocte cum corde meo* &c. meditationem, quam DEUS inſpiravit, attentiùs aliquando converti ſuper illum Pſalmum CXVIII. *Beati immaculati* &c. & maximum inter alios prolixitate pariter & virtute, qui ex Patrum ordinatione & S. Spiritus inſtinctu, hoc ipſum procurante ad Horas Canonicas quotidie decantatur. Et invenies apud Sanctos & Expoſitores ipſum præcipuis laudibus commendari, ut dicit Gloſſa, tanquam apothecam Spiritus Sancti, plenam cœleſtium aromatum & ſpiritualium virtutum fragrantia & odore, ſicut odore agri pleni, cui benedixit DEUS. Et perpendens in ipſo ſenſuum & myſteriorum ſpiritualium pondus eximium, & modum & ordinem pulcherrimum procedendi, tanquam ex Spiritus Sancti ſingulari ſtudio excogitatum, me ad ipſius Pſalmi meditationem & diſcuſſionem ſtudio, quo potui, invocata Spiritus Sancti gratia applicavi.

Itaque inſpectis diligenter tribus translationibus, & ad invicem collatis propter litteralem ſenſum ex eis rectius elliciendum & continuandum (cùm, ſicut dicit Auguſtinus, diverſitas interpretum ſenſum non confundat, ſed oſtendat) ac perſpectis originalibus pluribus, ſicut patet, propter extrahendum magis convenientem intellectum myſticum & moralem juxta conſequentiam ſenſuum & verborum (quorum utique originalium veſtigiis rectius imitandis, quantum potui, me ingeſſi) expoſitionem, quam DEUS inſpirare dignatus fuit, ſuper ipſum Pſalmum collegi cum diſtinctionibus & declarationibus additis, ut convenientiùs potui, ſuper originalia fundata, veniam humiliter poſtulans à legentibus, ſi quid minus benè aut plenè, quàm tanta materia exigebat, à me dici potuit & conſcribi. Si quid autem dignè & utiliter dictum eſt, ſoli DEO, bonorum omnium auctori cum gratiarum actionibus tribuatur.

X.

Fœdus ab Alberto, Henrico & Ottone Ducibus Auſtriæ cum Alberto Epiſc. Patavienſi initum adverſus Ludovicum Bavarum.

1314. *Ex authent. P. H.*

WIr Albrecht / Hainrich / und Otto von Gottes Gnaden Herzogen ze Oeſſterreich / und ze Steyr / Herrn ze Crain / auch der March und ze Portenau. Bekennen und tun chund mit diſem Brief allen den die in anſehent / leſent oder herent leſen / daz Wir freundlich gedingt haben / und uns verpunden haben mit dem Erwürdigen Fürſten unſern Lieben Ohaimb Piſchoffen Albrechten von Paſſau / alſo das Wir beidenthalben ainander beholffen ſollen ſein / mit Leib und mit Guett / mit Leuthen / und mit Roſſen / ſo Wir beſſt mügen / an alles Geverde / gegen allermenigleich / und ſonderlich gegen Herzog Ludwigen von Bayern / und gegen ſeinen Helffern / und das der vorgenant unſer Ohaimb Biſchoff Albrecht von Paſſau deſſer bas uns müge geholffen ſein: Geben Wir nu zu diſen Zeiten ze ainer Hilff vier tauſend Phunt Wienner Phening / der Wir in ze diſer Stund wehren / und verrichten ſullen: Tauſend auf die Täg die hernach geſchrieben ſein / fünffhundert Phundt auf die Pfingſten / die in ſchieriſt koment / und fünffhundert Phunt auf St. Martins Tag / der dan noch ſchieriſt kumt / und der übrigen drey tauſend Phunt ſullen Wir In wehren und verrichten von den Mautten und Aemptern ze Gmundten / die von den Weinachten die ſchieriſt koment über ain Jar ingeent / alſo das er derſelben drey tauſend Phunt ſull gewehrt werden / und von denſelben Aembtern und Mautten an allen Underlaß gar und genzleich: und das in das alſo ſtet und unzebrochen gehalten werden ſullen / Im der Burggraff auf dem Haus / und unſer Burger in der Statt ze Gmundten freyen zu wartben und gehorſam ſein / mit der Veſſt und mit der Statt daſelbſt: ob nun ein Bruch daran geſchäch / das er getrret wurde an dem Guett / das Im werden ſull und gefallen von denſelben Aembtern und Mautten / und ſoll die Weiſſe mit dem Guett / das von den egenanten Aembtern und Mautten gefallen / ſull nie-

niemand zuschaffen haben / als lange Untz er das egenant Guetts gar und genzlich verricht und gewehrt werde / wer auch / ob es darzu chäm / das Wir unsere Leuth senden wolten in Unsers Ohaims des Bischoffs Vesst dauon zekriegen / und darzu / das man Uns soll gehorsamb sein / so sullen Wir Unser Leuth selber darzue richten und vercossten: were aber das der Krieg so lanz weret / das der obgenant Unser Ohaimb der Bischoff das nicht wol erleiden noch erzaigen möcht; so sullen Wir Im fürbas geben und helffen mit Phening / und mit Cossl / nach vier Man Rath / die Wir auß Unser baider Rath nemen sullen / und der Wir zwen nemen sullen aus Unsers Ohaimbs des Bischoffes Rath / und Er zwen aus Unsern Rath / und was Sie darüber sprechen umb Guett / und umb Cossl / das sullen Wir In gehorsamb sein: Wär aber / das dieselben vier darüber nit überain kommen möchten / so sollen dieselben vier vollen Gewalt haben / den fünfften der ain gemain Man sei / ze ainem Uberman zenemen / und was dan derselbe darüber sprech / das sullen Wir baidenthalb stet an allen Arglist haben / nem auch der vorgeschrieben Unser Ohaimb der Bischoff von Passau / oder sein Gottshauß Schaden an Guett mit Vencknus seiner Leuthe an Vesstten / oder an wem das wer / den sullen Wir In und seinen Gotshaus richten / auch nach vier Man Rath / in aller der Mass / als vorgeschriben steet. Wir sullen auch unsern vorgenanten Ohaim dem Bischoff ze Passau und seinem Gottshaus seinen Schaden / den er genomen hat Unsern Bruder König Fridrich an dem Streitt zu Bayrn richten genzlichen; Swenn Wir Unsern Bruder Herzog Leopold schirist gesprochen / Wir selber oder mit unsrer gewissen Petschafft / und wan Wir von demselben Bischoff Unsern Ohaimb genant worden / so sullen Wir darnach in zweyen Monathen / an allen Aufschub vier oder sechs Man baidenhalben nemen / wie vorgeschriben ist / und swen dieselben über denselben Schaden erfindent / und sprechent umb Guett und umb Täg / das sullen Wir stät haben / an all Widerrede. Es sullen auch dieselben vier oder sechs / ob Si nicht überain kommen möchten / vollen Gewalt haben / zu nemen ainen Uberman / und was der dan darüber sprech / das sullen Wir auch stät haben / wie vorgeschriben steet: Wir haben auch den egenanten unsern Ohaimb dem Bischoffen von Passau gelübt mit unsern Treuen / das Wir In und seinem Gotshaus an den Rechten / die das Gottshaus untz an nu in Nuz und in Gwer bracht hat / nicht hintern noch irren sullen / geschehe aber das / das ain Krieg darüber erstunde / so sullen Wir baidenthalben zwen Man nemen / die sich erindern sullen einer Kundschaft über derselben Recht / und was dieselben dan nach derselben Kundschafft darüber sprechen / so sull es bei bleiben / und sullen dieselben zwen umb den Spruch schauen / dhainen Ungrues noch Ungmst leiden: Swen Wir auch zu unsern Bruder Herzog Leopold komen / so sullen Wir vollen Gewalt von Im gewinnen / also / das der Eltist under uns bey dem Lande gelubet vollen Gewalt habe ze thettigen mit unsern offtgenanten Ohaimb dem Bischoffen von Passau und seinem Gotshaus umb alle Krieg / die zwischen uns seindt: Es seye umb alte Recht / die seinem Gotshaus entzogen sullen sein / oder umb andere Sachen / und sullen Wir uns mit demselben Bischoff von Passau darüber freund- und güettlich verrichten / und vereben / und er sich mit uns herwider / so Wir schierist mügen / an alles Geverde / also das jedweder fürbas belibe bey dem / und er recht hat / und sull das geschegen / so unser Bruder König Fridrich ledig wird. Wer aber / das er in zweien Jahren nit ledig wurde / so sullen Wir uns doch mit Im verrichten und vereben nach Biderman Leuthe Red / die Wir baidenthalben darzu nemen. Wir loben auch für unsern Brudern Herzog Leopold / das er in disem Punct sei mit sambt uns / und dise aydige / als si vor verschriben seindt / stet halte / und sich des verbindte mit seinen Brieffen / als Wir uns verbunden haben / und das dise Thäding also stet / und ungebrochen behalten werden von uns / des haben Wir geschworen zu den Heiligen / und darüber zu ainen offnen Urkunde / geben Wir dem vorgenanten unsern Ohaimb dem Bischoff von Passau disen Brieff besigelt mit unsern Insigln. Der Brieff ist geben zu Wienne / da man zalt von Christes Geburt dreizehenhundert Jare / und

darnach vier und zwanzig Jar / an Sand Andreas Abent.

XI.

Indulgentiæ XL. dierum pro capella Sanctæ Dorotheæ Viennæ ad Scotos.

1324. *Ex autograph.* P. H.

FRater *Rudolfus* miſeratione divina *Syringenſis* Eccleſiæ Epiſcopus, Vniverſis Xpi fidelibus ſalutem in Domino ſempiternam. Cupientes Chriſti fideles ad uberiorem devotionem, ſuarúmque animarum ſalutem per donorum ſpiritualium gratiam provocare, omnibus verè pœnitentibus, & devotionis causâ ad Capellam Sanctæ Dorotheæ, ſitam in Eccleſia Scotorum in *Vienna*, confluentibus XL. dies de injuncta ſibi pœnitentia in ſingulis feſtivitatibus, nec non in anniverſario ejusdem Capellæ dedicationis, de Omnipotentis DEI miſericordia, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, confiſi ſuffragiis, dummodo ad id Dyoceſani conſenſus acceſſerit & voluntas, in Domino miſericorditer relaxamus. Datum *Viennæ* Anno Domini Milleſimo CCC. XXIIII. in die S. Afræ Martyris.

XII.

Eliſabethæ Rom. Reginæ Privilegium immunitatis & libertatis pro ſubditis ſuis in Gleiſſenfeld & Buechperg.

1324. *Ex autograph.* P. H.

WIr Elſpeth von Gotts Gnaden Römiſche Künigin chundten offenleich an diſem Brîefe allen den / di in ſehent / oder hörent leſen / daz für uns chomen unſer arme Leutle von Gleiſſenfeldt und von Puechperg / und wo Wir ſi do haben auf unſerm aigen / und auch Vogtey: und legten Uns für Ire Recht / di ſy do von Alter gehabt habent / und auch herbracht / als ſy es auch alle Jar in Irer Panteiding meldent / bey iren Ayde / und ſonderlich / daz ſy dhain Maut noch Zolle geben ſchollen / in Stetten noch in Merckten / da ſy Iren Chauff treibent / mit Chauffen oder mit Verchauffen / in Ir Haus oder daraus / an alles / waz ein gewerbig Man auf Gewin chauffte / oder verchauffte / und Chauffmanſchaft damit treiben wolte / es ſcholl auch dhein Richter noch Ambtmann auf demſelben Unſerm Eigen und Vogtey ichtes zeſchaffen haben / mit Gerichten / dem umb di drey Sach / Todſchlag / Nottnuffet und Diperey / di ſcholl man auch ab den Eigen antwurtten / als ſy mit Gürtl umbfangen ſeint / und was andere Sach da zerichten beſchicht / die gehörent uns und unſern Richter au zerichten. Diſelben Recht / und auch andere alle Ire Recht / die ſy auf dem vorgenanten unſern Aigen / und auch Vogtey habent / von Alter hergebracht / und damit geſtüfft ſein / und Ihnen auch Er verſchriben geweſen ſint / di Brief ſy verloren habent / wollen Wir auch / ſeit ſy in Unſrem Gwalt ſein / geuallen / Inen fürbazz behalten werden / und unbetriebt bleiben. Und gebietten allen Richtern / Burggrauen / Ambtleuten und Burgern / di daz angehört / und di mit diſem Brief gemont werdent / daz ſy in die vorgenant / und alle neue Recht / veſticlich behalten / und nicht überfaren ſchollen. Wer daz darüber breche / und Unſer Gebot / und vorgenannten Recht an deheinen Sachen chranchte / der ſcholl wizzen / daz er in Unſer Ungnad gentzlich iſt geuallen mit Urchund des Brieues. Der geben iſt ze Wienn nach Chriſtes Geburt dreuzehenhundert Jar / und darnach in dem vier und zweintzigiſten Jare / an Sand Nyclas Tage.

XIII.

Bertholdus Comes de Hardekke agnoſcit plenum jus Monaſterii Scotenſis Viennæ in Eccleſiam in Pulka.

1325. *Ex autograph.* P. H.

ICh Graf Bertholt von Hardekke / vergich und tuen chund allen den / di diſen Prief leſent oder horent leſen / di nu lebent / und hernach chinftig ſint. Daz ich vollichlichen und geenzlichen verrichtet und beweiſet bin mit gueten Briefen und mit endehafter Beſtoettigunge / di mir di erbern geiſtlichen Herrn / Her Mauritz ze den Zeiten Apt und di Samenunge des Goteshauſe unſer Vrouen Sant Marien der Schotten / ze Wienne / gezaiget habent / und di vor mir von Wort ze Wort geleſen ſint / di ſi habent über di Chirchen ze Pulka / an denſelben Briefen in di Gnade geben und beſtätigt iſt / daz ſi diſelben Chirchen ze Pulka / ſo ſi in nu allerſchierſt ledich wirt fürbaz nicht mer verleihen ſuln / ſi ſuln ſi halt

halt danne furbaz mit allem Nutz und mit allem Recht zu irem Tische und zu irer Phruende inne haben/ und wanne ich des endichlichen und mit gantzer Warheit von den vorgenanten Herren / von den Schotten / und mit iren Priefen beweiſet pin / da von gelob ich Jn daz an diſem Priefe für mich / und für alle mein Nachchomen / wanne Wir Jr Vogl ſein über alles daz / daz ſi Guetes habent ze Pulka / und überall in der Grafſchafft / daz ſi fürbaz an derſelben Chirchen ze Pulka und an allen dem Rechten/ daz ſie daran habent von mir / noch von allen meinen Nachchomen dhainen Irreſal haben ſuln / und halt daz wir Jn alles ir Recht daran ſtaet haben wollen / und ſeu daran beſchermen / ſo wir aller peſte mügen vor aller menichlichen / ich und alle mein Nachchomen / und gib ich vorgenanter Graf Bertholt von Hardekke den vorgenanten Herren von den Schotten ze Wienne und allen iren Nachchomen darüber diſen Prief zu einer ewigen Beſtettigunge und ze einer Veſtenunge diſer Sache verſigelten mit meinem Jnſigel. Diſer Prief iſt gegeben nach Chriſtes Geburt dreitzehenhundert Jar/ und darnach in dem fünff und zwaintzigſtem Jare / des nechſten Suntags nach Sant Georgen Tage. *Ita originale.*

XIV.

Albertus Epiſcopus Patavienſis Eccleſiam in Enczesdorff ad Piſenbergam, antea filialem Parochiæ in Neuburga Forenſi, à Matrice ſeparat eámque in Parochiam erigit.

1326. *Ex Autogr.* P. H.

IN nomine Domini Amen. *Albertus* DEI gratia *Patavienſis* Eccleſiæ Epiſcopus ad memoriam ſubſcriptorum. Bonæ rei dare conſultum & præſentis vitæ habetur ſubſidium & æternæ remunerationis præmium cernitur expectare. Hoc ſanè reſpectu attendentes, quòd multitudo fidelium in Parochia *Nevvenburch*, ultra Danubium noſtræ Dioceſis favente Domino adeò accreviſſe dinoſcitur, ut univerſitas populi Villæ *Entzenſtorf*, ſub monte *Buſenperige* infra limites ipſius conſtitutæ, ſpecialis Parochiæ præſidio deſideret conſolari: Præſertim cùm retroactis compertum ſit temporibus, quòd dum *Neuenburgenſes* portæ nocturno vel aliàs hoſtilitatis tempore clauſæ ſervarentur, incolæ dictæ villæ propter infirmitates ſubitaneas, ex fragilitate humana inproviſè quandoque ſubrepentes abſque Eccleſiaſticis deceſſêre Sacramentis. Idcirco bonæ rei conſultus ſollicitudini noſtræ perſuadere videtur, ut contra talia pericula, congrua remedia adhibere ſatagamus. Conſideratione igitur hujuſmodi inducti de conſilio & conſenſu Venerabilium Virorum Præpoſiti & Conuentus *Nevvenburgenſis* citra Danubium Ordinis S. Auguſtini ejusdem noſtræ dioceſis præfatæ Parochiæ Patronorum, nec non de beneplacito diſcreti Viri *Rudolfi*, dicti Dapiferi tunc Plebani ibidem & omnium aliorum, quorum de jure deſideratur aſſenſus, Capellam in prædicta villa *Entzenſtorf* eidem loco *Nevvburgenſi* filiali iure ſubjectam in Parochialem Eccleſiam ereximus, jus ſepeliendi, ac quæcunque alia jura Parochialia licentiantes & concedentes eidem: quatenus fideles ipſius villæ magis ſedulo Divina ibidem frequentare valeant officia, & commodiùs, quotiens ipſorum requirit devotio, Eccleſiaſticis inibi procurari Sacramentis: ſtatuentes etiam & ordinantes, de præfatorum Patronorum conſenſu, quòd jus Patronatûs ipſius Eccleſiæ in *Enczenstorff*, apud plebanum ſeu Rectorem prefatæ *Nevvenburgenſis* Eccleſiæ ultra Danubium jugiter debeat remanere. Ut videlicet quotiescunque ipſam vacare contigerit, & Plebanus vel Rector jam dictæ Matris Eccleſiæ, qui pro tempore fuerit, perſonam idoneam ad regimen ipſius Eccleſiæ in *Enczenstorf*, & curam animarum plebis ſibi ſubjectæ, Nobis vel Succeſſoribus noſtris legitimè habeat præſentare, per Nos vel eosdem noſtros Succeſſores canonicè inſtituendam. Adjicientes nihilominus, quòd quicunque ibidem Rector inſtitutus fuerit, Plebano ſeu Rectori Matricis Eccleſiæ prælibatæ in ſignum ſubjectionis, & ne præſens noſtra Ordinatio in aliquo ſibi præjudicialis exiſtat, ſingulis annis VIII. lib. denariorum uſualis monetæ *Wiennenſis*, medias videlicet in feſto beati Georii, & medias in feſto beati Martini Epiſcopi, perpetuis temporibus abſque contradictione qualibet ſolvere teneatur. Quod commodè per ipſum fieri poſſe arbitramur, cum univerſitas villæ prædictæ, ultra oblationes, & ceteras obventiones cottidianas, nec non minutas decimas

quas ad antedictam Eccleſiam in *Enczenſtorff*, pertinere volumus, ipſi XVIII. librarum redditus annuos jam dictæ monetæ in dotem perpetuam promiſerit aſſignare. Et ut præmiſſa omnia & ſingula rata & inconvulſa perpetuò perſeverent, præſens ſcriptum fieri curavimus ſigilli noſtri appenſione munitum in memoriam ſuturorum.

Datum & actum in Ebelsperige noſtræ Dioceſis, Anno Dni M. CCCXXVI. Kal. Maij.

XV.

Teſtamentum ejusdem Eliſabethæ Romanorum & Arragonum Reginæ, quo diverſorum Ordinum & Provinciarum Monaſteriis plurima bona confert & legat, conditum Anno

1328.

1328. *Ex autogr. P. H.*

IN dem Namen Gotes / Amen. Wir Elſpet von Gotes Genaden Romiſch Chünigine tuen chunt allen / di diſen Prief leſent oder hörent leſen / di nu ſint / oder hernach chünftig werdent. Daz wir unſer Geſcheft getan haben mit gueter Fürbedechtigait / zu der Zeit / da wir iz wol getun mochten / do wir bei gueten Sünnen geweſen ſein / als hernach geſchriben ſteet.

Des erſten / ſo ſchaffe wir / und orden / daz wanne Got über uns gebeut / daz man uns danne begraben ſchole / datz den minnern Prudern ze Wienne in Sant Ludweiges Chapellen / di wir gepaun haben / do wir hin erwelen zeligen / von beſunder Lieb / und Andacht / die wir dar zue haben. Wir ſchaffen auch den Brauen darz Sant Claren zu Wienne vierhundert Marchk Silbers Wienner Gewichtes / der ſol man hundert Marchk nemen von unſer Morgengab / und dreu hundert Marchk von unſern Silber Vazzen / und ſwas des gebreſte / daz ſol man erfüllen von unſern guldein Chlainoten. Wir wollen auch daz die vorgenanten Brauen umb die vierhundert Marchk Gült kauffen / und diſelben Gült / di ſol man dienen auf Sant Ludweiges Chapellen / als lang vncz ſi gar berait werde an Maur / an Dache / und an Gleſern fürbaz / ſo ſol man der halben Gült alle Jar vierzk phunt Phenning Wiener Müntz geben den Minnern Prüdern an derſelben ſtat ze Wienne / di wir ligen / zu dem gewant / do man ſi von chlaiden ſol / und zwai phunt denſelben Prüdern an Sant Ludweiges Tag umb ain Mal / und zwai phunt umb ain Mal / wanne unſer Jar Tag iſt / und zwai phunt umb zwai ewige Liecht / di Tag und Nacht prinnen / ainez vor Sant Ludweiges-Altar / und ainez ob unſerm Grab. Wir wellen auch / daz di vorgenanten Brauen alle Jahr geben vier phunt / domit man pezzer die Gleſer an unſer Chapellen / und waz anders daran zepezzern iſt: waz über wirt über daz / daz hievor geſchaft iſt / daz ſchullen die dick genanten Brauen von Sant Claren zu irem Nutzen cheren; das GOt für uns biten / und unſern Jar Tag begeen / und daz ſi di Pürde mit den Prüdern deſter paz mügen getragen.

Wir wollen auch / ob der Gült icht wurd abgeent von teuren Jaren / daz daz abgeen den Brauen / und nicht den Prudern. Wir wollen auch / daß di Prüder noch di Schweſter chain Gewalt haben des Gültes verchauffen / oder in chainer Weiß verwandelen / domit verſaumet mecht werden / daz wir geſchaffet haben.

Wir ſchaffen auch den Brauen Sant Claren Orden ze Chunigesveld hundert Marchk / die man nemen ſchol von unſer Margengab / und darzue unſer guldein Schapel / daz wir prachten von Arragoni / daz do wigt drei Marchk Golt / und zwai Lot / daz ſi haben ain ewigen Prieſter Minner Prüder Ordens an derſelben Stat / der Got für uns bit / und daz ſi unſern Jahrtag begeen. Wir ſchaffen hintz Maurbach hundert Marchk / die man nemen ſchol von unſer Margengab / daz ſi haben zwen ewige Prieſter ires Ordens an derſelben ſtat / auch unſern Jartag begeen. Wir ſchaffen auch vierhundert Marchk / di man nemen ſol von unſer güldein Chlainoten / die man tailen ſol / als hernach geſchriben ſtet.

Wir ſchaffen den Predigern ze Wienne ocht phunt. Den Auguſtinern an derſelben Stat dreu phunt. Den Schotten dreu phunt. Den Brauen hintz Sant Marien Magdalenen zwai phunt. Hintz der Himmelporten zwai phunt. Hintz Sant Laurencen den Predigerinnen zwai phunt. Den Frauen hintz Sant Jacob zwai phunt. Den Frauen hintz Sant Nycla in der Stat

zwai

zwai phunt. Hintz Sant Nycla vor der Statt zwai phunt. Hintz der Purger Spitall zwai phunt. Hintz dem Spitall ze dem heiligen Geiſt zwai phunt. Hintz Sant Johanns den ſundern Siehen ain phunt. Hintz dem Chlagbaum den ſundern Siehen ain phunt. Hintz Sant Lazers ain phunt. Hintz der Pfarre datz Sant Stephan fünff phunt / die man tailen ſol under di Prieſter / daz ſie Got biten umb unſr Sel. Hintz Sant Michel dreu phunt / di man auch tailn ſol vnder di Prieſter / daz ſi Got für vns biten. Hintz Lambach Swartzen Münichen zwai phunt. Hintz Wilhering dem Graben Chloſter zwai phunt. Den Minnern Prüdern ze Lintz dreu phunt. Dem Spital daſelben ain phunt. Hintz Chremsmünſter dreu phunt. Hintz Wels Minnern Priedern drey phunt. Dem Spital ain phunt. Hintz ze Gerſten ain phunt. Dem Spital datz Steyr zwai phunt. Hintz Gleunichk bei Steyr zwai phunt. Hintz Sant Florian dreu phunt. Hintz Enns Minnern Prüedern dreu phunt. Dem Spital ain phunt. Hintz Erlach den Brauen dreu phunt. Hintz Seitenſteten dreu phunt. Hintz Waidhouen dem Spital ain phunt. Hintz Walthauſen zwai phunt. Hintz Ibs den Brauen zwai phunt. Dem Spital ain phunt. Ze Paumgartenberg dreu phunt. Hintz Zwetel vier phunt. Hintz Sant Pernharten zwai phunt. Hintz Melchk dreu phunt. Hintz Sant Polten dreu phunt. Hintz Sant Andre zwai phunt. Hintz Hertzogenburch zwai phunt. Hintz dem Chotweich dreu phunt : daſelbs den Brauen zwai phunt. Hintz Altenburch zwai phunt. Hintz Tyernſtain den Brauen Sant Claren Ordens dreu phunt. Hintz Stain den Minnern Prüedern vier phunt. Hintz Chrems den Predigern vier phunt. Dem Spital zwai phunt. Hintz Münnepach zwai phunt. Hintz Tuln den Predigerinne vier phunt / und den Predigern zwai phunt : den Minnern Prüdern dreu phunt. Dem Spital ain phunt. Hintz La den Prüdern dreu phunt : dem Spital ain phunt. Hintz Velſperch den Prüdern dreu phunt : dem Spital ain phunt. Hintz Retz den Predigern zwai phunt. Hintz dem heiligen Chreutz fünff phunt umb ein Mal / daz man in geben ſol an dem Tag / ſwen ſi unſer Piuild begeent. Hintz Lienveld vier phunt / auch umb ain Mal / daz man in geben ſchol / ſwen ſi unſer Piuild begeent. Hintz der Neunſtat Mündern Prüdern drei phunt / den Predigern drei phunt / und den Predigerinnen zwai phunt : dem Spital ain phunt. Hintz Haimburch den Prüdern drei phunt / dem Spital ain phunt. Ze Neunburch enhalb Tuemauer dem Spital ain phunt. Ze Neunburch dem Chloſter acht Marchk Wienner Gewichtes umb ein gantzes gerbe. Den Brauen an derſelben Stat zwai phunt / den Brauen Hintz Sant Jacob doſelben ain phunt. Hintz Sant Marien-Celle ſiben March ze pezzern / ob ſi chain Schaden von uns und von unſerm Geſind Gaſtunge haben. Hintz Marchekke den Auguſtinern ain phunt. Hintz Prukke den Auguſtinern ain phunt / datz Prukke in Steyrlant den Münern Priedern dreu phunt / dem Spital ain phunt. Hintz Gretz in Steyrlant der Pharre dreu phunt / Münern Prüdern dreu phunt / den Predigerinnen zwai phunt. Dem Spital ain phunt. Hintz Rein vier phunt. Den Reglern ze Steutz zwai phunt. Hintz Varawe zwai phunt. Hintz Martpurch Minnern Prudern dreu phunt / dem Spital ain phunt. Den Seitſern die zwiſchen Martburch und Pettau ſitzent dreu phunt. Hintz Pettau den Minern Prüdern dreu phunt / den Predigern dreu phunt / dem Spital ain phunt. Hintz Studenicz den Predingerinen zwai phunt. Den Predingerinen hintz Mernberch zwai phunt. Hintz Minchendorff Sant Claren Orden zwai phunt. Hintz Cili den Mindern Prüdern drei phunt. Hintz Laybach den Minnern Prüdern drei phunt / den Auguſtinern zwai phunt / dem Spital ain phunt. Hintz Leuben den Predingern vier phunt / dem Spital ain phunt. Hintz Judenburch Miñern Prüdern drei phunt / den Brauen Sant Claren Ordens zwai phunt. Hintz Wolffſprech Minnern Priedern dreu phunt / dem Spital ain phunt. Hintz Villach Minnern Prüdern drei phunt / dem Spital ain phunt. Hintz Loentze den Predigerinne ain phunt. Hintz Vniching den Predigerinn ain phunt. Hintz Prichſen den Brauen Sant Claren Ordens zwai phunt. Hintz Potzen Münern Prüdern drey phunt.

Darnach so schaffe Wir sibentzig Marchk Wiener Gewichtes under di Chlostre / die umb Ravelspurch ligent/ den auch von Uns Schade geschehen ist/ di man tailen sol/nach Unsre lieben Swester Rat Brauen Agnesen weilent Chünigin ze Ungern/ der Wir iz emphelichen hintz 'iren Treuen. Wir schaffen auch hintz Diezzenhouen den Predigerim fünf Marchk. Hintz dem Paradise den Brauen Sant Claren Ordens fünff Marchk. Hintz Schaffehausen swartzen Münichen fünff Marchk umb ain Gerbe. An derselben Stat hintz Sant Agnesen den schwartzen Nonnen zwo Marchk. In derselben Stat Münern Prüdern drey Marchk. Hintz Tözze den Predigerinn zwo Marchk / und Swester Elsbeten des Chüniges Tochter von Ungern/ di in demselben Closter ist / fünff Marchk. Wir schaffen auch Unserm Peichtiger zwaintzigk Marckh/ und seinen Gesellen ocht Marchk. Auch schaffen Wir unserm notigen Gesind vierzk Marichk Silbers. Wir schaffen auch unser treuen Diennerinn Ellen von Potenstain zwainzik Marchk Geltes / di Wir gelöst haben von unserm Ohem Graf Otten von Ortenburch / die da ligent in dem Enstal in dem Urbar ze Noppenperg in der Tulnich. So bit Wir Unsern lieben Herren / und Wiert Chünichk Fridreichen waz des gebrest / daz er daz erfülle und emphelichen Imauch hintz sein Treuen Unser Gesind / und Unser Junchvrauen di noch nicht beraten sind. Ditz Gescheft allez / doz hie vor geschriben ist/ daz emphelich Wir allez samot Unserm lieben treuen Herrn und Wiert dem vorgenanten Chünichk Friderichen hintz seinen Treuen/ und biten In durch der Treuen willen/der er Uns gebunden ist/ undwand Wir Im auf sein Treive emphelichen sein/ daz er daran gedench / und daz vor verschriben Gescheft/ als Wir iz aus sein Genad geschaft haben ze Trost unser Selgentzleich und gar/ und schier volfüre/als Wir Im des getraun. Daz ditz Gescheft stet / und unzebrochen beleib / dar über so geben Wir disen Prief zu ainem waren Gezeug diser Sache versigelten mit Unsern grozzen Insigel. Diser Prief ist auch gegeben / do von Christes Geburd ergangen worden dreuzehenhundert Jar/ in dem acht und zwainzkistem Jar/ darnach an Sant Georyen Tag.

XVI.

Albertus Ep. Patav. concedit Monasterio Altahensi decimas novalium in Spiz in compensationem damnorum toleratorum occasione belli inter ipsum Episcopum & Hartlibum Militem de Puechberg.

IN Christi nomine amen. *Albertus* 1328.
DEI gratia *Patavienſis* Episcopus *Ex Ar-*
ad notitiam præsentium & memoriam *chiv. Al-*
futurorum. Constitutus in præsentia *tah.*
nostra Venerabilis Frater *Rudigerus* Abbas Monasterii inferioris *Altach* Ord. S. Benedicti nostræ Diocesis, suo & Conventus sui nomine proposuit, quòd dudum in gvverra, quam contra *Hartlibum de Puechberg* pro defensione jurium Ecclesiæ nostræ movimus, ipsi in nonnullis possessionibus Monasterii sui districtui prædicti *Hartlibi* adjacentibus, per homines exercitus nostri gravia damna sustulerunt, supplicantes humiliter, ut eis paterna affectione condolentes, damna hujusmodi restauratione aliqua refundere dignaremur.

Nos igitur animadvertentes, quòd licèt damna hujusmodi nobis ignorantibus & dolentibus eis illata fuerint, ipsi tamen injuriantes audaciam tanti damni, quamvis injustè a nobis occasionaliter assumpserunt, matura deliberatione super hoc præhabita, de consilio & consensu Capituli nostri decimas novalium præsentium & futurorum, quæ ad nos tam de jure quàm privilegio, & etiam approbata consuetudine noscuntur pertinere infra limites Parochialis Ecclesiæ in *Spiz* ejusdem nostræ Diocesis, Monasterio eorum incorporatæ, in qua quidem Parochia ubilibet omnes decimas majores ab antiquo receperunt, prælibatis Abbati & Conventui donatione libera pleno jure concessimus, donavimus, ipsique Monasterio incorporavimus & appropriavimus in recompensam deperditorum præmissorum, ab ipsis perpetuis temporibus possidendas. Et ut hæc nostra donatio firma & illibata perpetuò permaneat, præsens scriptum super ea confici mandavimus, nostri & præfati Capituli nostri sigillorum appensione munitum. Datum & actum Pataviæ anno Domini MCCCXXVIII. II. Idus Martii.

XVII.

XVII.

Indulgentiæ à Michaële Monacho Sanct-Crucenſi pro Monaſterio S. Crucis impetratæ.

1318. *Ex Authent.* P. H.

VNiverſis Sanctæ Matris Eccleſiæ filiis, ad quos præſente, S. literæ pervenerint, Nos miſeratione divina *Simon* Archiepiſcopus *Piſanienſis*, *Wilhelmus Tergeſtinenſis*, *Iordanus Acernenſis*, *Metetius Gallipolitanus*, *Iohannes Anneſinenſis*, *Bonifacius Luſcitanus*, *Rudolfus Liriguenſis*, *Iohannes Derrivaltenſis*, *Madius Demitenſis*, *Antonius Sagonenſis*, Epiſcopi, ſalutem in Domino ſempiternam. Pia Mater Eccleſia de animarum ſalute devotionem Fidelium per munera ſpiritualia, remiſſionem peccaminum & per Indulgentias invitare conſuevit, ad debitum famulatus honorem DEO & ſacris ædibus impendendum: ut quantò crebriùs & devotius illuc confluit populus Chriſtianus aſſiduis Salvatoris gratiam precibus implorando, tantò delictorum ſuorum veniam & gloriam Regni cæleſtis conſequi mereatur æternam. Cupientes igitur, ut Monaſterium *Sanctæ Crucis* Religioſorum virorum juxta *Viennam* Ordinis Ciſtercienſis *Patavienſis* Dioceſis congruis honoribus frequentetur, & à Xpi fidelibus jugiter veneretur, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad dictum Monaſterium in utroque Feſto Sancte Crucis & in aliis feſtis infraſcriptis, videlicet Natalis Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, Cœnæ Domini, Paraſceves, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, Corporis Xpi, in omnibus & ſingulis feſtis Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis, & decollationis Beati Iohannis Baptiſtæ, Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum & omnium aliorum Sanctorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum, Sancti Michaëlis Archangeli, Sanctorum Laurentii, Vincentii, Stephani, Fabiani & Sebaſtiani, Georgii decem millium Militum, Benedicti, Bernardi, Ambroſii, Hieronymi, Nicolai, Martini, Dominici, Franciſci, Xixti, Egidii Confeſſorum, Beatarum Marie Magdalenæ, Catharinæ, Margaretæ, Barbaræ, Agnetis, Luciæ, Agathæ, Ceciliæ, Elizabeth viduæ, & undecim millium Virginum, in commemoratione Omnium Sanctorum & Animarum, & per octavas dictarum feſtivitatum octavas habentium, cauſa devotionis, Orationis, aut peregrinationis acceſſerint, nec non qui ad fabricam, luminaria, ornamenta, aut quævis alia dicto Monaſterio neceſſaria manus porrexerint adjutrices, vel qui in dedicatione prædicti Monaſterii vel infra octavas ad idem Monaſterium devotè acceſſerint, aut in ſerotina pulſatione, ſecundùm modum Curiæ Romanæ flexis genibus ter Ave Maria dixerint, vel qui in eorum teſtamentis, aut extra aurum, argentum veſtimenta aut aliqua alia charitativa ſubſidia dicto Monaſterio donaverint, legaverint, aut donari, vel legari procuraverint. ſeu qui Miſſis, Prædicationibus, Matutinis, Veſperis Religioſi viri Domini Abbatis dicti Monaſterii interfuerint, vel qui pro ſalubri ſtatu Fratris *Michaëlis* Monachi dicti Monaſterii, iſtius Indulgentiæ Impetratoris, dum vixerit, & anima ejus, cùm ab hac luce migraverit, & animabus omnium Fidelium defunctorum orationem Dominicam cum ſalutatione Angelica pia mente dixerint, quotieſcunque, quandocunque, & ubicunque præmiſſa vel aliqua præmiſſorum devotè fecerint, de omnipotentis DEI miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ſinguli noſtrum quadraginta dies Indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Dno relaxamus, dummodo Dioceſani voluntas ad id acceſſerit & conſenſus. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigillorum noſtrorum juſſimus appenſione muniri.

Datum *Avinione* decima die Menſis Aprilis, Anno Domini M. CCC. XXVIII. Pontificatus Domini Iohannis Papæ vigeſimi ſecundi anno duodecimo.

XVIII.

Albertus Ep. Patavienſis Monaſterium Scotorum Viennæ in plenam poſſeſſionem eccleſiæ in Pulka induci jubet.

ALbertus DEI gratia *Patavienſis* Epiſcopus, Dilectis in Chriſto *Hermanno* plebano in *Garvatz* Eccleſiæ noſtræ Canonico, ac *Pilgrimo de Praunſtorff* Officiali noſtro infra *Anaſum* ſalutem in Domino. Diſcretioni veſtræ committimus arctiùs injungentes, quatenus ambo vel alter veſtrûm, prout ſuper hoc fueritis

1331. *Ex Autogr.* P. H.

fueritis requiſiti, Venerabilem Fratrem noſtrum *Mauricium* Abbatem Monaſterii Sanctæ Mariæ Scotorum Ordinis S. Bened. noſtræ Dioc. ſuo & ejusdem Monaſterii ſui nomine in corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ Parochialis in *Pulka* ipſis & menſæ eorum per Reverendos Patres quondam Dominos *Rudigerum* & *Wernhardum* Epiſcopos *Patavienſes* Prædeceſſores noſtros, ſub confirmatione Reverendi Patris, Fratris *Guvidonis* Tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyt. Cardinalis, tunc Apoſtolicæ Sedis per *Alemaniam* Legati, noſtramque ratihabitionem & approbationem denuo ſubſecutis, incorporata & annexa, vacantis ad præſens per liberam reſignationem Diſcreti Viri *Dietrici* quondam Plebani ibidem, inducatis, facientes ipſi nomine, quo ſupra, de fructibus & proventibus ac juribus & obventionibus univerſis ad ipſam pertinentibus integrè reſponderi, juxta indultam eis gratiam & continentiam litterarum inde confectarum. Contradictores & rebelles auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum.

Datum apud Sanctum Ypolitum, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo triceſimo primo Id. Iulii.

XIX.

Ejusdem alia charta pro eodem Monaſterio & Eccleſia.

2331. *Ex autogr. P. H.*

ALbertus DEI gratia *Patavienſis* Epiſcopus, Religioſis Viris . . Abbati & Conventui Monaſterii Sanctæ Mariæ Scotorum in *Vienna* Ordinis S. Benedicti noſtræ Dioceſis, Salutem in omnium Salvatore.

Pia Prædeceſſorum noſtrorum opera laudabiliter proſequentes, ea gratiori affectu amplectimur, quæ pro religionis augmento ex ampliori devotionis zelo dinoſcimus proceſſiſſe. Sane quia Reverendi Patres, Domini quondam *Rudigerus* & *Wernhardus* Prædeceſſores noſtri Epiſcopi Patavienſes, pia erga vos intentione affecti, de conſilio & conſenſu Capituli *Patavienſis* ſub confirmatione Reverendi Patris Fratris *Guidonis* tituli S. Laurentii in Lucina Preſbyteri Cardinalis, tunc per *Alemaniam* Apoſtolicæ Sedis Legati, noſtra etiam ratihabitione & approbatione poſtmodum ſubſecutis, Eccleſiam Parochialem in *Pulka* ejusdem noſtræ Dioceſ. in qua jus patronatus ad vos pertinere dinoſcebatur, cùm eam vacare contingeret, vobis & veſtro Monaſterio prædicto pro neceſſitatibus veſtris relevandis & oneribus incumbentibus commodiùs ſupportandis tradiderunt & incorporârunt, ipſam menſæ veſtræ in perpetuum annectendo, prout in litteris autenticis inde confectis pleniùs continetur. Nos juſtis veſtris ſupplicationibus liberaliter annuentes, gratanter admittimus, ut corporalem poſſeſſionem ejusdem Eccleſiæ, quæ per liberam reſignationem Diſcreti Viri *Ditrici*, quondam Plebani ibidem in manibus noſtris factam, ad præſens vacare dinoſcitur, licitè apprehendere valeatis, fructus & proventus ipſius in utilitatem veſtram juxta indultam vobis gratiam & litterarum prædictarum continentiam convertendo: proviſo tamen, quòd cultus divinus hactenus inibi obſervari conſuetus cum hoſpitalitate ſolida, ex hoc nullatenus minuatur, ac onera incumbentia modo debito ſupportentur, luraque Epiſcopalia, ac quævis alia nobis ſeu quibuſvis aliis debita illibata conſerventur, tradentes vobis præſentes litteras figilli noſtri appenſione munitas in teſtimonium præmiſſorum.

Datum *Viennæ* Anno M. CCC. Triceſimo primo Id. Iulii.

XX.

Charta compoſitionis inter Dominos de Schowenberg & Wichardum ac Ottonem de Planchenſtain ſuper Advocatia Eccleſiæ in Rueprechtshofen.

EGo *Wichardus* & *Otto de Planchenſtain* Fratres, notum facimus omnibus hanc litteram inſpecturis, tam præſentibus quàm futuris, quòd, cùm ex obitu Fratris noſtri *Rudolfi* piæ memoriæ, Domini noſtri, Nobiles Domini de *Schobenberg Wernhardus* & *Heinricus* nobiſcum contenderent, quòd noſtra feoda, quæ Pater noſter ab ipſis habuerat, vacâſſent, prædicta lis & contentio ad petitionem Amicorum noſtrorum, videlicet Domini *Ulrici de Vihofen* & Domini *Vichardi* Fratris ſui de *Slæten*, & Domini *Chunradi de Sumerauv* & aliorum proborum & diſcretorum Virorum

Ex autogr. Genuas.

gitized by Google

rum taliter est decisa, quòd jus feodorum nostrorum Nobis benevolè recognoverunt & contulerunt tali modo conditionis: quòd jus Advocatiæ in Ecclesia *Ruprechtshofen* recipere taliter debemus imposterum, quòd, à quocunque manso seu curia Plebano in *Rueprechtshofen* triginta denarii persolvuntur, ab eodem Nos recipere debemus tres mensuras avenæ mensuræ veteris, quæ viguit temporibus Avi nostri, & unum pullum, & unum caseum valentem duos denarios: & ubicunque Plebano decem denarii persolvuntur, ibidem debemus recipere unam mensuram avenæ. Insuper ter in anno debemus celebrare placitum in Advocatia, & ibi pernoctare ter cum duodecim equitaturis tantùm. Præterea debemus locare Officialem de consilio Plebani & ad voluntatem: & omne lucrum sive acquisitio in tres partes dividi debet quod *Wandl* dicitur. Duæ partes cedere debent Plebano, tertia nobis. Et si præmissa forma conditionis vel pacti à Nobis, vel à nostris Successoribus violata fuerit, injuriam vel gravamen, ultra quam superiùs præmissum est, Plebano præhabito irrogando & suis Successoribus, hoc infra duodecim hebdomadas emendare pleniter debemus. Si verò Plebanus in recipienda emenda rigidus esse vellet nimiùm, tunc Domini nostri prænominati *de Schovvnberg* nos ad suam præsentiam evocabunt: & inter nos & Plebanum prædictum, vel inter nostros Successores vel Successores, Plebani, quæ tunc proponentur gravamina, per amorem vel justitiam terminabunt. Et si ad vocationem Dominorum nostrorum sæpedictorum venire neglexerimus, &, quod ante promissum est, facere tardaverimus, Advocatia præmemoratæ Ecclesiæ *Ruprechtshofen* Dominis nostris præhabitis sine impetitione qualibet vacabit, nisi tunc legitima ac probabili causa impediamur. Quo impedimento cessante, quod ante promissum est, tenebimur complere in tempore antea expresso. Ut ante præmissa pacta, & conditiones inconvulsæ permaneant à Nobis & à nostris Successoribus, præsentem literam conscribi fecimus, & sigillorum nostrorum & Amicorum nostrorum, huic facto qui interfuerunt, munimine firmiter roborari. Testes sunt hi, quorum etiam sigilla sunt appensa, Dominus *Wichardus de Sla-*

R.P. Pezii Thes. Anecd. Nov. T. V. P. III.

ten, Dnus *Ulricus de Vihofen*, Dnus *Chunradus de Sumeravv*, D. *Wernhardus de Dachsperg*, *Wernhardus de Styrbach* alii testes sine sigillis, D. *Hertnidus* Dapifer de *Schovvenberch*, D. *Hertvvicus de* Oertt, D. Chuntadus dictus Yfenbevvtel, D. Walchinus, D. Otto de Truna, Fridericus *de Hyrspach*, *Ulricus de Watzenkirchen*, *Hainricus* Notarius, *Fridericus* Latinus, *Heinricus* Camerarius, *Wernhardus de Zintzing*, *Wilhalmus de S. Leonhardo*, & alii quàm plures.

Acta sunt hæc temporibus Domini *Berichtoldi*, Plebani in *Ruprechtshaven* anno Domini M. CC. Septuagesimo quarto, quarto Idus Maij.

XXI.

Chunradus Comes de Schovvnberch Alberto Duci Austriæ cedit Ecclesiam Rueprechtshoffen pro Ecclesia in Obernleiss.

1332. *Ex Arch. Gemnic.*

WIr Graff Chunrad von Schotvnberch verjehen und tun chunt offenleich mit disem Prief fur uns / unsere Erben und Nachchomen / daz wir mit wolverdachtem Mut / und mit gutem Rat den Chirchensatz und die Vogtey der Chirchen ze Rueprechtshofen / die Uns zugehornt / ausgewechselt und geben haben den Hochgeporn Fursten / Unsern genedigen Herren / Hertzog Albrecht und Hertzog Ott ze Oesterreich und ze Steyr umb den Chirchensatz und die Vogtey der Chirchen ze Obernleizz: also daz seu / ir Erben und ir Nachchomen den vorgeschriben Chirichsatz ze Ruprechtshofen / und die Vogtey daselbs fürbaz ewiglich mit allen Rechten und Nutzen / als Wir sie / und unser Vorderen untzher pracht und inne gehabt haben / niezzen und haben schullen / und allen iren Frummen damit schaffen / so es in allerpeste fuegt. Wir sein auch irr / iren Erben / und irer Nachchomen des obgeschriben Auzwechsels rechter Schirm und Gewer gen allermenlich nach des Landes Recht ze Oesterreich. Und des zu einem offen Urchunde und Sicherhait geben Wir den vorgenanten unsern Herren / den Hertzogen / iren Erben / und Nachchomen disen Prief mit unserm Insigel / der geben ist ze Wienn / do man zalt von Christ Gepurde tausent dreuhundert Jar / darnach in dem zway und draizzigisten Jar des nästen Mitichens vor unser Vrowen Tag der Liechtmisse.

XXII.

Weichardus & Otto de Planchenstain eidem Duci Austriæ vendunt feudum suum in Villa Rueprechtshofen.

1333. *Indict.*

ICh Weichart von Planchenstain/ und ich Ott von Planchenstein sein Vetter/ Wir verihen und tun chunt allen den, die disen Brief sehent / lesent/ oder hörent lesen: daz Wir und unsere Chint mit guetem Rat/ zu den Zeiten / do Wir es wol getun möchten / die Vogtay zu Rueprechtshofen / die unser und unser Vordern Lehen was von unsern Herren von Schawenberch / e si dieselben Vogtay unserm Herren Hertzog Albrecht verchauften/ dieselben vorgenanten Vogtay ze chauffen haben geben unserm genedigen Herren Hertzog Albrechten ze Osterreich und ze Steyr mit allen den Rechten/ es sein gesatzter Tayding / Vogt Haben/ Hüener oder Phennig Dienst/ oder Nachtfeld / oder swie es sey / als wir es und unser Vordern in Nutz und in Gewer herpracht haben / umb ⁘ Phund Phennig Wienner Munzze / die wir recht und redlich gewert sein. Und schullen auch wir derselben vorgenanten Vogtay unsers vorgenanten Herren Hertzog Albrechts Schirm sein für all Ansprach/ als des Landes Recht ist ze Osterreich. Und swa wir des nicht taeten / ob in iemand mit ainem Rechten dar umb ansprech / swelhen Schaden er oder sein Gotzhaus daz Gemnik / do er die Vogtay hin geben hat / nem / den Schaden schullen wir in gentzlich und gar auzrichten. Darumb setzen wir im zu Phant uns selben / und alles / das wir haben in dem Land ze Osterreich. Das dise Red stet und gantz beleib / geben wir unserm vorgenanten Herren Hertzog Albrecht/ und dem vorgenanten Gotzhaus ze Gemnik disen Brief zu ainem Urchund / und zu ainem waren Gezeugen versigelt mit unser paiden Insigelen. Der Brief ist geben/ do man zalt von Christs Gepurde dreutzehen hundert Jar / darnach in dem drey und dreizzistien Jar an unsers Herren Auffarts Abent.

XXIII.

Ioannes XXII. Alberto Ep. Patavienſi præcipit, ut Eccleſiam in Rueprechtshofen Cartuſiæ Gemnicenſi penitus uniat.

Indict.

IOannes Episcopus Servus Servorum DEI Venerabili Fratri N. Episcopo *Patavienſi* Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Apostolicæ Sedis circumspecta benignitas desideria justa petentium congruo favore prosequitur: & circa ea, quæ Monasteriorum & aliorum piorum locorum conspiciunt commoda, se exhibet propitiam & benignam. Exhibitæ siquidem nobis pro parte Filiorum, Prioris & Conventus Monasterii *Throni Sanctæ Mariæ*, per Priorem soliti gubernari, Cartusiensis Ordinis, tuæ Diœcesis, petitionis series continebat, quòd Dilecti Filii, Nobiles Viri *Albertus* & *Otto* Fratres, *Austriæ & Styriæ* Duces, jus Patronatus, quod habebant in Parochiali Ecclesia in *Rueprechtshoven* dictæ diœcesis, præfato Monasterio per Eundem *Albertum* de bonis suis propriis fundato pariter & dotato, propria liberalitate donârunt. Quare iidem, Prior & Conventus, Nobis humiliter supplicârunt, ut pro meliori sustentatione ipsorum præfatam Parochialem Ecclesiam dicto Monasterio unire & annectere perpetuò dignaremur.

Nos itaque ejusdem Monasterii & personarum ipsius commoditatibus, providere volentes, hujusmodi eorundem, Prioris & Conventus, Supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus, si ita est, dictam Parochialem Ecclesiam cum omnibus Juribus & pertinentiis suis dicto Monasterio Auctoritate Apostolica in perpetuum unias & annectas; concedens etiam Auctoritate prædicta Priori & Conventui supradictis, ut ipsi post unionem hujusmodi, cedente vel decedente Rectore ipsius Parochialis Ecclesiæ, qui tunc erit, corporalem possessionem dictæ Ecclesiæ ac jurium ac pertinentiarum ejus liberè per se vel per Procuratorem ipsorum apprehendere valeant & tenere, ipsamque Ecclesiam in usus proprios retinere, tua vel alterius cujusquam licentia minimè requisita: Reservata tamen per te primitus de ipsius Ecclesiæ pro-

proventibus perpetuo Vicario inibi ſerviturо congrua portione, ex qua poſſit commodè ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare. Non obſtantibus, ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujusmodi Eccleſiis vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis, in illis partibus ſpeciales vel generales, noſtras vel Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum aut Legatorum Sedis Apoſtolicæ, litteras impetrârint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum. Quas litteras & proceſſus habitos per easdem ad dictam Parochialem Eccleſiam, ſi eam per te dicto Monaſterio uniri contigerit, ut præfertur, volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Eccleſiarum & Beneficiorum aliorum præjudicium generari; & quibuslibet ejusdem Sedis litteris & indulgentiis, generalibus vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quas præſentibus non expreſſas vel totaliter non inſertas effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Nos enim, ſi per te prædictam fieri contigerit unionem, irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis Auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum *Avinione* VI. Kal. Julii Pontificatus noſtri anno ſexto decimo.

XXIV.

Idem eidem Cartuſiæ confirmat omnia privilegia, Ordini Cartuſienſi conceſſa.

1312. *Indict.* P. H. JOhannes Epiſcopus Servus Servorum DEI, dilectis Filiis Priori & Conventui Monaſterii *Throni Sanctæ Mariæ in Gemnik*, per Priorem ſoliti gubernari, Cartuſienſis Ordinis, *Patavienſis* Dioceſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Sacræ Religionis, in qua mundanis abdicatis illecebris virtutum Domino in humilitatis ſpiritu devotum & ſedulum famulatum impenditis, promeretur honeſtas, ut ſuper illis, quæ vobis proſperi ſtatus incrementum afferre valeant, gratioſum Apoſtolici favoris præſidium libenter & liberaliter præbeamus. Hinc eſt, quòd porrectis nobis pro parte veſtra devotis ſupplicationibus annuentes, ùt vos & Monaſterium veſtrum, ſic canonicè inſtitutum, omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, & gratiis Ordini veſtro ab Apoſtolica Sede conceſſis gaudere, ac uti perpetuò liberè valeatis, vobis & per vos eidem Monaſterio de benignitate Apoſtolica & gratia ſpeciali, authoritate præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c.

Datum *Avinione* IV. Kal. Octob. Pontificatus noſtri anno ſexto decimo.

XXV.

Otto Dux Auſtriæ quoſdam reditus legat & donat Monaſterio S. Crucis.

NOs *Otto* DEI gratia Dux *Auſtriæ* & *Styriæ*, Dominus *Carniolæ* ac *Portus Naonis*, præſentibus profitemur, quòd nos proprietatem viginti denariorum *Wiennenſium* monetæ, reddituum ſupra curia *Ottonis Fabri* in *Peſtorf* ſitorum, quorum jus hereditarium ad nos pertinebat, in remedium animarum Progenitorum noſtrorum, noſtrique ſalutem honorabilibus ac Religioſis Viris Monaſterio Sanctæ Crucis liberè donavimus ac donamus, per ipſos in antea perpetuò ac irrevocabiliter poſſidendam harum teſtimonio litterarum. 1334. *Ex Autogr.* P. H.

Datum *Vienne* ſecunda feria poſt diem beatæ Petronellæ Virginis Anno Domini Milleſimo trecenteſimo triceſimo quarto.

XXVI.

Bulla Joannis Papæ XXII. ad Abbatem Scotenſem Viennæ, quâ eidem præcipit, ut detentores reddituum Monaſterii Throni B. Virg. Mariæ Ord. Cartuſienſis in Gemnik, ad reſtituendos hujusmodi proventus, compellat.

JOhannes Epiſcopus Servus Servorum DEI, dilecto Filio Abbati Monaſterii *Scotorum in Vienna*, *Patavienſis* Dioceſis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. 1334. *Ex Arch. Gemnic.* P. H.

Significârunt nobis Dilecti Filii Prior & Conventus Monaſterii *Throni Sanctæ Mariæ*, per Priorem ſoliti gubernari, Cartuſienſis Ordinis, *Patavienſis* Dioceſis,

Digitized by Google

quòd nonnulli iniquitatis filii, quos prorſus ignorant, decimas, redditus, cenſus, terras, domos, vineas, prata, paſcua, nemora, inſtrumenta publica, & nonnulla alia bona ad Monaſterium ipſum ſpectantia temerè ac malitiosè occultare, & occulta detinere præſumunt, non curantes ea præfatis Priori & Conventui exhibere in animarum ſuarum periculum & ipſorum, Prioris & Conventûs ac Monaſterii non modicum detrimentum, ſuper quo idem Prior & Conventus Apoſtolicæ Sedis remedium implorârunt.

Quocirca Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes huiuſmodi occultos detentores reddituum, cenſuum & aliorum bonorum prædictorum ex parte noſtra publicè in Eccleſiis coram populo per te vel per alium moneas, ut infra competentem terminum, quem eis præfixeris, ea dictis Priori & Conventui a ſe debita reſtituant & revelent, ac de ipſis plenam & debitam ſatisfactionem impendant. Et ſi id non impleverint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptoriè duxeris præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis ſententiam proferas; & eam facias, ubi & quando expedire videris, uſque ad ſatisfactionem condignam ſolemniter publicari.

Datum *Avinione* V. Nonas Octobris Pontificatus noſtri anno decimo octavo.

XXVII.

Idem confirmat Monaſterio Throni B. V. Mariæ omnia Privilegia à ſummis Pontificibus, Regibus & Principibus data.

1334. *Indict.* P. H. *Johannes* Epiſcopus Servus Servorum DEI, Dilectis filiis Priori & Conventui Monaſterii *Throni Sanctæ Mariæ* per Priorem ſoliti gubernari, Carthuſienſis Ordinis, *Patavienſis* Dioceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter Dilecti in Domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus, grato concurrentes aſſenſu omnes libertates & immunitates, a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per Privilegia vel alias Indulgentias vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones, à Regibus & Principibus ac aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & Monaſterio veſtro indultas, ſicut eas iuſtè & pacificè obtinetis, vobis & per vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum *Avinione* IV. Non. Octobris Pontificatûs noſtri anno decimo octavo.

XXVIII.

Indulgentiæ XL. dierum Monaſterio Gemnicenſi Ord. Cartuſ. ab Alberto Epiſcopo Patavienſi pro audientibus verbum DEI in dicta Eccleſia.

1335. *Indict.* P. H. *Albertus* DEI gratia *Patavienſis* Epiſcopus Religioſis & diſcretis viris, Priori & Conventui Monaſterii *Throni Sanctæ Mariæ* Ordinis Carthuſienſis, noſtræ Dioceſis ſalutem & affectus in Domino ſalutares.

Ut prædicationis officium, quod ſummè privilegiatum exiſtit, in Monaſterio veſtro populoſiùs frequentetur, utque tam illud proponentes, quàm audientes ad hoc ferventiùs excitentur, Devotioni veſtræ confiſi de miſericordia Altiſſimi, ac Apoſtolorum eius Petri & Pauli auctoritate concedimus, ut quivis veſtrûm, cùm propoſuerit Verbum DEI, omnibus audientibus verè contritis & confeſſis quadraginta dies Indulgentiarum valeat elargiri, harum teſtimonio litterarum, ſigilli noſtri appenſione munitarum.

Datum apud *Sanctum Hyppolitum* IX. Kalend. Maji Anno Dni Milleſimo trecenteſimo trigeſimo quinto.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX.

Friderici Archiep. Salzburg. Epiſtolæ.

1.

Ad Albertum Ep. Patavienſ. cui mittit litteras Joannis XXII. P. M. de expeditione in terram Sanctam ſuſcipienda, in quam conferendæ ſint ſexannales omnium redituum Eccleſiaſticorum decimæ &c.

1335. *Ex Cod. S. Nicol. prope Patavium.*

VEnerabili in Chriſto Fratri, Domino *Alberto* Epiſcopo *Patavienſi*, *Fridericus* DEI gratia Sanctæ *Saltzburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem.

Noverit veſtra Fraternitas, nos vidiſſe & diligenter inſpexiſſe quaſdam litteras Apoſtolicas, vera Bulla plumbea & filo canapis, ùt eſt moris, bullatas, non vitiatas, non cancellatas, non abraſas, nec aliqua in ſui parte ſuſpectas, quarum tenor de verbo ad verbum dinoſcitur eſſe talis:

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum DEI, Venerabilibus Fratribus - - Archiepiſcopo *Saltzburgenſi* eiusque Suffraganeis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad commemorandum recentiùs cunctorum fidelium mentibus, quomodo Salvator noſter, Vnigenitus DEI Filius JESUS CHRISTUS, in terra Sancta, ſuo purpurata ſanguine, ſalutem humani generis dignatus eſt miſericorditer operari; nec non qualiter ipſe poſt contumelias, flagella varia, ſpinas & ſputa, languoresque ineffabiles, innocens ſine cauſa damnatus, ſaturatus opprobriis, clavis affixus, aceto & felle potatus ac foſſus lancea, in crucis patibulo pro redemptione noſtra tam diræ mortis ſubiit paſſionem: ſic utinam Redemptor ipſe ſuo lumine in eiſdem fidelibus oculos hominis interioris illuſtret, quòd zelus eorum ad ſubveniendum ipſius terræ calamitatibus, & ſtatui prô dolor! miſerabili accendatur, ut ignis concaleſcat corda, & inflammetur affectus, ac prompta operis executio commendet effectum! Si enim ipſi fideles præmiſſa & alia innumerabilia ipſius Redemptoris beneficia, in dicta terra Sancta humano impenſa generi, nec non (quàm) opprobriosè ſpurcidi Agareni, perfidi hoſtes Chriſti, dum terram Sanctam, funiculum hæreditatis Dominicæ ab eis tam longo tempore occupatam, ipſorum nefandis actibus continuè dehoneſtant & polluunt in iniuriam & blaſphemiam nominis Chriſtiani, frequenter infra clauſtra pectoris attenta meditatione revolverint, & qua decet attentione penſârint, quem de eiſdem fidelibus non pudebit nota ingratitudinis argui vel potiùs quodammodo de infidelitate notari, ſi Creatori proprio, tam benefico Domino ad recuperationem hæreditatis ſuæ, terræ prædictæ potenter & viriliter non aſſurgat? Quis quoque fidelium prædictorum pia compaſſione non movebitur ad relevandas ab olim continuatas, & iugiter, quod dolenter referimus, augmentatas eiuſdem terræ Sanctæ contumelias & preſſuras, quas terra ipſa coinquinatorum pedibus tanto tempore conculcata, cunctis fidelibus clamoribus validis & voce gemebundæ lamentationis exponit?

Præmiſſis itaque cariſſimus in Chriſto Filius noſter *Philippus*, Rex *Francorum*, Anteceſſorum ſuorum, qui caritatis & devotionis fervore ſuccenſi tanquam fideles pugiles & Chriſti athletæ conſtantiſſimi terræ Sanctæ negotium per retroacta iam tempora cordi ſpecialiter habuerunt, illudque fuerunt frequenter & favorabiliter proſecuti, veſtigia imitando, debita conſideratione diſcuſſis, volens eidem Redemptori noſtro, qui eum ſublimavit in Regem, per debitum obſequium in hoc ſeculo gratitudinem exhibere, ac ſe ſibi reddere acceptabilem in excelſis, cunctisque fidelibus ad dictæ terræ Sanctæ ſuccurſum exemplum præbere, ac viam etiam præparare, nec non ſummum deſiderium, quod a longo tempore habuit, etiam priuſquam orthodoxi regni *Franciæ* gubernacula ſuſcepiſſet, ſubveniendi calamitatibus & miſeriis dictæ terræ, ac in eius ſubſidium transfretando, cupiens deducere in effectum, per ſuos ſolemnes Nuntios & Procuratores, ad Sedem Apoſtolicam pluries deſtinatos, ſolicitis & continuis inſtantiis nobis fecit humiliter ſupplicari,

Digitized by Google

quòd pro pleniori dictæ terræ succursu passagium generale indicere, ac pro illo celebriùs & utiliùs peragendo verbum Crucis cunctis Christi fidelibus cum Indulgentiis consuetis prædicari mandare, eiusque passagii & totius exercitus Christiani, qui in illo inspirante Domino transfretabit, præfatum Regem generalem Rectorem & Capitaneum constituere, ac pro huiusmodi faciendo passagio certa concedere subsidia dignaremur.

Nos itaque Sanctam intentionem eiusdem Regis & ferventem compassionis affectum, quem ad statum prô dolor! miserabilem dictæ terræ habere dignoscitur multipliciter in Domino commendantes, nec non gaudentes & exultantes in eo, sibique gratias & laudes humiliter exsolventes, qûia dignatus est tam pium tamque salubre propositum regalibus præcordiis inspirare: cupientes quoque, ut huiusmodi sanctum negotium DEO, cuius agitur causa, favente, felicibus prosperetur eventibus, & votivis proficiat incrementis, super his per nos cum Fratribus nostris matura & diligenti deliberatione præhabita, ipsius Regis piis & Sanctis annuentes affectibus & supplicationibus inclinati, ad honorem Omnipotentis DEI, exaltationem & dilatationem Catholicæ fidei, cunctorum fidelium animarum profectum, liberationem terræ ac exterminium hostium prædictorum, eisdem Nuntiis & Procuratoribus, nec non Prælatorum in curia Romana existentium & aliorum fidelium multitudine copiosa præsentibus, auctoritate Apostolica de dictorum Fratrum consilio passagium generale ad terram ipsam indiximus, ac præfatum Regem ipsius & totius exercitus Christiani, qui transfretabit, in illo Rectorem constituimus & Capitaneum generalem. Et nihilominus per universas Mundi partes decimam Ecclesiasticorum reddituum imposuimus sexannalem colligendam sub certis modis & formis, ac in ultimum dicti passagii terræ prædictæ subsidium & aliàs contra infideles ac inimicos fidei convertendam: nec non quædam alia subsidia pro ipso passagio fieri per alias nostras litteras ordinavimus & levari, quæ in eisdem nostris litteris plenè & particulariter exprimuntur. Dictique Procuratores & nuntii Regis eiusdem ad hoc per ipsius patentes litteras coram nobis & Fratribus nostris per ipsos exhibitas ad hoc sufficiens & speciale mandatum habentes, pro Rege ipso & eius nomine in nostra, Fratrum nostrorum & aliorum prædictorum præsentia ipsum passagium per nos, ùt præfertur, indictum illico assumpserunt & Capitaneatum & Rectoriam illius & dicti exercitus acceptârunt, & in animam dicti Regis, prout poterant ex eodem mandato, tactis Sacro-Sanctis Evangeliis iuraverunt, quòd ipse Rex III. * Kal. Augusti, quæ erunt annô Domini MCCCXXXVI. quas tam eidem Regi quàm cæteris crucesignatis & crucesignandis pro termino ad transfretandum in dicto passagio duximus assignandas, iter arriperet dicti passagii, illudque deinde prosequatur realiter & personaliter, iusto & legitimo impedimento cessante, sub certis tamen conditionibus, modis & formis, in aliis nostris litteris inde confectis serioſiùs annotatis.

* *al.* in Kal.

Et quia nemini venit in dubium, decimam & alia subsidia memorata ad tanti prosecutionem negotii non sufficere, ipsumque negotium longè maioris subventionis beneficio indigere, ac ad illud coadiuvandum cunctorum fidelium grata subsidia existere opportuna, fideles eosdem ad hoc quibusdam Spiritualibus munificentiis, indulgentiis videlicet ac remissionibus providimus invitandos. Quocirca Fraternitati vestræ de dictorum Fratrum consilio per Apostolica scripta committimus, & mandamus vos nihilominus per aspersionem prerioſi Sanguinis JESU CHRISTI, quatenus commemorantes attentè statum lugubrem dictæ terræ, ac proinde considerantes, quòd cùm fidelium suorum regimini vos velut in solicitudinis partem assumptos præfecerit Dominus, ad promotionem huius sancti negotii plus cæteris tenemini ex officio pastorali, tanquam præcones fideles & fortes athletæ fidei contra prædictos perfidos hostes Christi, singuli videlicet vestrum in singulis vestris civitatibus & diœcesibus contra prædictos blasphemos Christiani nominis, per vos & alias personas Ecclesiasticas, Seculares & Regulares Ordinum quorumcunque, quas ad hæc idoneas fore noveritis cunctis Christi fidelibus iuxta datam nobis & eis a DEO prudentiam proponatis publicè verbum crucis, & venerabile signum eius quibusvis fide-

fidelibus, illud ſuſcipere devotè volentibus, quos ad hoc utiles fore crediderit is, concedatis, ipſorumque humeris imponatis, fideles eoſdem, quos ad audiendum propoſitionem ipſam, quotiens expedierit, ad loca idonea convocare poſſitis, ſolicitis exhortationibus & opportunis inſtantiis inducentes, ut ſuſcipientes cum reverentia ſignum crucis, ipſumque ſuis cordibus imprimentes contra hoſtium prædictorum perfidiam, & ad eiuſdem terræ Sanctæ ſuccurſum aſſurgant viriliter, & negotium ipſum ferventer aſſumant, & ferventiùs proſequantur.

Porro quia dignus eſt operarius mercede ſua, ſinguli veſtrûm & eorum, quos ad prædicationem crucis, ùt dictum eſt, duxeritis aſſumendos, in hoc Divino fideliter laborantibus opere præter mercedem æternam, quam meritò ſperare poteſtis, quotienſcunque populis, ad hoc ſpecialiter convocatis, propoſueritis verbum crucis, unius anni & quadraginta dierum, nec non fidelibus ipſis, qui ad verbum huiuſmodi audiendum devotè convenerint, centum dierum, verè tamen pœnitentibus & confeſſis, indulgentiam elargimur. Volumus autem, quòd omnes, qui ſignum crucis huiusmodi hactenus in dictæ terræ Sanctæ ſubſidium receperunt, auctoritate Apoſtolica moneatis & inducatis attentè, ac nihilominus, ſi opus fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellatis, ut illud, ſi fortè dimiſerint, reſumentes alacriter votum Domino reddere ſtudeant, quod voverunt dictæ terræ ſubveniendo cum efficacia, ſit tenentur. Et ut cuncti fideles tantò libentiùs & efficaciùs præmiſſa proſequi ſtudeant, quantò ex ſuis laboribus potiorem gratiam ſe noverint percepturos, nos de Omnipotentis DEI miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, ac illa quam nobis Deus, licèt immeritis, ligandi atque ſolvendi contulit, poteſtate, omnibus Chriſti fidelibus, qui dicto Rege huiuſmodi paſſagium perſonaliter proſequente, in eiuſdem terræ Sanctæ ſuccurſum ad recuperationem ipſius transfretaverint, & laborem huiuſmodi in perſonis propriis ſubierint & expenſas, plenam ſuorum peccaminum, de quibus fuerint veraciter corde contriti & ore confeſſi, veniam indulgemus, & in retributione iuſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui licèt in alienis expenſis, in propriis tamen illuc perſonis acceſſerint, & illis ſimiliter, qui iuxta qualitatem & facultatem ſuam bellatores idoneos in expenſis propriis deſtinabunt, quamvis perſonaliter ipſi non vadant, plenam concedimus ſuorum veniam peccatorum. Pœnitentias quoque obmiſſas, ſeu rectè non factas per aliquos ex prædictis, niſi peregrinationem aliam aut aliquod pium opus, vel reſtitutionem ſeu aliam præſtationem aut erogationem concernerent, eiſdem miſericorditer remittentes, omnibus ipſis concedimus, quòd per confeſſionem generalem peccatorum, de quibus memoriam non habuerint, quæ tamen, ſi de illis in ſpeciali recolerent, confiterentur libentiùs, indulgentiam plenam obtineant taliter confitentes: ita tamen, quòd, ſi poſtmodum ad eorum memoriam huiusmodi peccata redierint, illa confiteri ſpecialiter teneantur.

Eos præterea, qui, licèt non iuxta qualitatem & facultatem ſuam, aliquem tamen, ſeu aliquos bellatores idoneos, ùt præmittitur, in ſubſidium dictæ terræ propriis ſumptibus deſtinaverint, vel de ſuis temporalibus bonis contribuerint ad aliquos deſtinandos, & illos, qui ad ſubventionem ipſius terræ de bonis eiſdem congruè miniſtrabunt, prout ſingulis fuerit divinitus inſpiratum: nec non conſiliarios teſtatorum, qui teſtatores eoſdem ad ſubveniendum dictæ terræ cum efficacia hortabuntur: ac illos etiam, qui pro huiuſmodi ſancto ſubſidio laborabunt & hactenus laboraverunt, & aliàs ad promotionem huiuſmodi negotii conſilium & auxilium impenderunt ſeu impenderint opportunum, iuxta qualitatem ſubſidii & devotionis affectum ac menſuram laboris participes volumus eſſe indulgentiæ memoratæ.

Cæterùm deſiderantes huiuſmodi ſanctum negotium votivo & felici exitu conſummari, ne fideles Chriſti, qui habent propoſitum in iſto paſſagio transfretandi, timentes forſitan ex aſſumptione crucis vel emiſſione voti huiuſmodi hæredes eorum, ſi eos præmori contingeret, ad iſtud paſſagium obligari, ex hoc ab huiuſmodi Sancto propoſito retrahantur, in maiorem favorem eiuſdem paſſagii, quantum conijcere poſſumus, de præſenti auctoritate concedimus ſuprà dicta

dicta: quòd ſi aliqui prætextu paſſagiis ſæpè fati vovendo vel crucem ſumendo intellexerint vel voluerint hæredes ſuos ex hoc nullatenus expreſſè vel tacitè obligari, & infra dimidium annum, à voto vel aſſumptione hujusmodi numerandum, coram dioceſanis ſuis vel aliis deputandis ab eis intentionem ſeu voluntatem ſuam hujuſmodi declarârint, & eos, per quos non ſteterit, quòminùs transfretando compleverint votum ſuum, nec hæredes nec bona in aliquo ſint vel remaneant obligati, niſi forſan ipſi crucefignati vel voventes aliquid pro paſſagio hujuſmodi, dum viverent, recepiſſent: quo caſu ad hoc reſtituendum ſint & remaneant, niſi obſiſtat aliud, obligati. Verùm ad illos, qui jam crucem aſſumpſerunt, vel qui quovis mòdo ad crucem ſumendam, ſeu aliàs ad transfretandum in dictæ terræ ſubſidium jam obligati exiſtunt, præcedentem conceſſionem extendi nolumus, ſed in ipſis ſtatuta Canonica obſervari. Non tamen noſtræ intentionis exiſtit, quòd ex iis, qui in præcedenti clauſula proxima continentur, aliquis in plus, quàm antea tenebatur, quomodolibet obligetur.

Vobis quoque & ſingulis veſtrûm, nec non & illis, quos ad prædicationem crucis hujuſmodi aſſumetis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quòd, antequam crucem concedatis eandem, cunctis illam recipere volentibus in veſtris prædicationibus exponatis, ut infra dictum dimidium annum intentionem ſuam de non obligando hæredes eorum, ſi eam talem habuerint, coram Dioceſanis prædictis vel deputandis ab eis debeant declarare. Quòd ſi infra dictum dimidium annum intentionem ſuam hujuſmodi non duxerint taliter declarandam, hæredes eorum ad exſecutionem dictorum aſſumptionis & voti remanere decernimus obligatos. Rurſus illos, qui crucem aſſumpſerint, vel aſſument, aut votum de transfretando in iſto paſſagio emiſerint vel emittent, ſi moriantur, antequam iter arripiant, dum tamen pro ſubſidio dicti paſſagii tantum dimiſerint, quantum expenſuri fuiſſent ſecundùm ſui ſtatus decentiam eundo, morando & redeundo per annum, ſi perſonaliter transfretâſſent, & quantitatem hujuſmodi in vita eorum juxta ſuas declaraverint conſcientias, quas ſuper hoc oneramus: nec non & eos, qui poſt aſſumptionem ſeu votum hujuſmodi viventes declaraverint, quo caſu quantitas ipſa per Legatum Sedis Apoſtolicæ vel taliter decedentium Ordinarius debeat declarari, plenè conſequi volumus indulgentiam memoratam, retenta nihilominus Sedis Apoſtolicæ poteſtate, quòd facultatem declarandi quantitatem prædictam poſſit aliis committere, vel transferre in alios, ſi hoc viderit expedire.

Volumus inſuper, quòd illi ex cruce ſignatis ſeu voventibus ſupra dictis, quòd * de intentione ſua non obligandi, ut præfertur, hæredes, infra dictum dimidium annum declaratione non facta, poſtea mori contigerit, plenam indulgentiam conſequantur: hæredes tamen ipſorum & bona ad quantitatem, qua illi, ſi transfretaſſent, fuiſſent per annum, ut de aliis prædicitur, expenſuri, convertendum in dictæ terræ ſubſidium remaneant obligata. Si autem aliqui ex cruce ſignatis ſeu voventibus memoratis infra dimidium annum præfatum, prius, quam declaraverint ſe velle plenam indulgentiam obtinere, ac dare pro dicto paſſagio, quantum eſſent expenſuri per annum, decedant, nullam habeant indulgentiam dictarum aſſumptionis ſeu voti prætextu: ſed ſi forſitan aliquid dederint pro paſſagio ſæpe dicto, juxta quantitatem ſubſidii & devotionis affectum ſint participes indulgentiæ memoratæ, hæredibus & bonis eorum aliàs in nullo remanentibus obligatis.

Circa morientes verò poſt inter arreptum dicti paſſagii, & bona, quæ tempore mortis eorum habuerint, vel habere ordinaverint pro ſuo paſſagio faciendo, ſic duximus ordinandum, videlicet quòd in caſu, in quo hæredes taliter decedentium taliter remanſerint ad faciendum pro ipſis paſſagium obligati, utpote quia priuſquam taliter decedentes crucem aſſumerent, transfretare tenebantur ex voto, vel quia votum eorum non fuiſſe perſonale conſtabit, ſeu quia cruce ſignati hujuſmodi vel voventes intentionem ſuam de non obligandis hæredibus infra præfatum dimidium annum per modum non declaraverint ſupra dictum, bona hujuſmodi decedentium, de quibus per eos, dum viverent, non fuerit aliter ordinatum, penes eorum hæredes debeant remanere, ipſique hæredes exequi teneantur vota hujuſmodi defunctorum, ita videlicet, ut perſonaliter vel

juxta

juxta ſtatus ſui decentiam transfretare, vel expenſas & ſubſidia, quæ transfretando fuiſſent facturi mortui, ſi vixiſſent, mittere in ſubſidium dicti paſſagii teneantur, ipſique decedentes plenè hôc caſu indulgentiam habeant ſupra dictam. In caſibus quoque, in quibus hæredes poſt arreptum iter dicti paſſagii decedentium ad dictam proſecutionem ipſius non remanſerint obligati, concedimus, quòd decedentes hujusmodi plenam indulgentiam conſequantur, ſic tamen, quòd omnia, quæ tempore mortis eorum habuerint vel ſe habere ordinaverint pro ſuo paſſagio faciendo, & de quibus ſpecialiter in vita vel in morte non diſpoſuerint, remaneant & cedant in ſubſidium Paſſagii antè dicti, proviſo tamen de bonis eisdem familiaribus defunctorum, & eis, qui eum illis transfretare debeant. Et hoc de bonis hujusmodi, taliter Paſſagio applicandis in perſonis votum habere volumus laicorum.

De Clericis autem & perſonis Eccleſiaſticis ſic morientibus ordinamus, quòd poteſtas diſponendi de bonis eorum in ſubſidium dicti paſſagii ad legatum Sedis Apoſtolicæ, qui cum dicto Rege in dicto paſſagio transfretabit, debeat pertinere, rebus ad cultum divinum pertinentibus, ut ſunt cruces, calices & ornamenta, & alia ſimilia, quæ ad eccleſias, ad quas pertinuerint, reſtitui volumus, dumtaxat exceptis.

Verùm quia dignum eſt, ut cæleſtis Imperatoris obſequiis inhærentes, prærogativis ſpecialibus & libertatibus ſint muniti, univerſis & ſingulis, qui in dicto paſſagio transfretabunt, ipſo Rege perſonaliter proſequente, auctoritate Apoſtolica concedimus, quòd ipſi à tempore arrepti itineris uſque ad eorum reditum vel obitum à collectis extraordinariis, nullo jure ſcripto debitis, ſint immunes: quorum etiam perſonas & bona poſt crucem aſſumptam ex tunc ſub beati Petri & noſtra protectione ſuscipimus, ſtatuentes, ut ſub Archiepiſcoporum & Epiſcoporum & aliorum Prælatorum Eccleſiæ ſanctæ DEI defenſione conſiſtant, propriis ad hoc protectoribus ſpecialiter nihilominus deputandis: quódquè, donec de ipſorum obitu vel reditu certiſſimè cognoſcatur, integri ab omni violentia & injuria permaneant & quieti. Et ſi quis contra præſumpſerit, cenſura Eccleſiaſtica compeſcatur. Si qui verò proficiſcentium illuc ad uſuras præſtandas juramento tenentur adſtricti, creditores eorum ut remittant eis hujuſmodi juramentum, & ab omni uſurarum exactione deſiſtant, præcipimus eadem diſtrictione compelli. Quod ſi poſt abſolutionem prædictam ipſos coëgerint uſurarum creditores, eosdem ad reſtitutionem eorum ſimili cogi animadverſione mandamus. Iudæos verò ad remittendas uſuras per ſæculares compelli præcipimus poteſtates, & donec illas remiſerint, ab univerſis Chriſti fidelibus per excommunicationis ſententiam eis omnino communio denegetur.

Cæterùm quia curſarii & piratæ nimis impediunt ſubſidium terræ ſanctæ capiendo & ſpoliando tranſeuntes ad illam, redeuntes ab ea, ipſos & adjutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus ſub interminatione anathematis inhibendo, ne quis cum eis ſcienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, ac injungendo Rectoribus civitatum & locorum ſuorum, ut eos ab hac inquietatione revocent & compeſcant. Alioquin in perſonas & terras ipſorum per eccleſiarum Prælatos volumus ſeveritatem eccleſiaſticam exerceri.

Quia verò ad hoc negotium exercendum eſt permaximè neceſſarium, ut Principes & populi Chriſtiani ad invicem aſtringantur vinculo caritatis & pacis, injungimus Eccleſiarum Prælatis, ut diſcordantes ad veram pacem reducere ſtudeant atque firmam trevgam inviolabiliter obſervandam: & qui acquieſcere contemſerint, excommunicationis & interdicti ſententias in terras eorum artiſſimè compellantur, niſi forte fuerit tanta inimicorum malitia, quòd ipſi non debeant tali pace gaudere. Quòd ſi forſan cenſuram Eccleſiaſticam vilipendant, non immerito formidare (debent), ne per auctoritatem Eccleſiaſticam contra eos tanquam turbatores negotii Crucifixi ſecularis potentia inducatur.

Verùm quia præſentes litteræ nequirent forſan propter viarum diſcrimina vel aliàs veſtrûm ſingulis commodè præſentari, volumus, quòd per te . . *Friderice* Archiepiſcope, dictarum litterarum tranſſumptum, manu ſcriptum publica, tuoque munitum ſigillo, vobis prædictis Suffraganeis tranſmittatur, cui adhi-

Digitized by Google

beri volumus per vos velut originalibus plenam fidem. Datum *Avinione* VII. Kal. Aug. Pontificatus noſtri anno decimo ſeptimo.

In cujus viſionis & inſpectionis teſtimonium præſens transſcriptum per *Iohannem de Volchenmarcht* publicum auctoritate Imperiali Notarium transſcribi & & publicari mandavimus, & noſtri ſigilli munimine roborari, vobísque de dictæ Sedis mandato per exhibitorem præſentium juſſimus exhiberi. Datum *Saltzburgæ* III. Kal. Iun. anno Domini MCCCXXXV.

2.

Ad eundem. Communicat Bullam Ioannis XXII. P.M. in quibus deſcribitur, quis modus in colligendis decimis Eccleſiaſticis pro expeditione in Palæſtinam ſervandus ſit.

Venerabili in Chriſto Fratri, amico cariſſimo, Domino *Alberto* Epiſcopo *Patavienſi*, *Fridericus* DEI gratia ſanctæ *Salzburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

NOverit veſtra ſinceritas, nos vidiſſe & diligenter inſpexiſſe quaſdam literas Apoſtolicas, vera bulla plumbea & filo canapis, ut moris eſt, bullatas, non vitiatas, non cancellatas, non abraſas, nec in aliqua ſui parte vitiatas, quarum tenor de verbo ad verbum depoſcitur eſſe talis:

Iohannes Epiſcopus, Servus Servorum DEI, Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopo *Saltzburgenſi* ejuſque ſuffraganeis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Non absque grandi mentis amaritudine debent cuncti catholicæ fidei cultores recenti memoriæ commendare occupationem gemebundam & ſtatum miſerabilem terræ ſanctæ, perfidorum Agarenorum, hoſtium crucis Chriſti, affectæ blaſphemiis & injuriis diutiùs laceſſitæ, in gravem redemptionis noſtræ contumeliam & Chriſtiani nominis injuriam & contemptum. Debent etiam tam dolenter quàm diligenter attendere, quòd filia Sion, videlicet terra ipſa juxta Prophetæ vaticinium, ut umbraculum in vinea & ſicut tugurium in cucumerario noſcitur derelicta: quodque urbes & loca ſanctiſſima dictæ terræ ſanctæ, quæ auctor vitæ Virginis glorioſæ puerperæ partui ſuoque ortui digniſſimo deputavit, ac ſuæ paſſioni ac mortui delegit, exhauſta fidelibus in ſolitudinem ſunt redacta. O quàm dolendum à fidelibus omnibus, quòd locus Chriſti ſanctificatus præſentia, blaſphemantium ipſum fœda reſidentia profanatur! O quàm gemebundum, quòd terra, in qua genus humanum de vetuſtæ captivitatis jugo liberatum extitit, in ignominioſam redacta eſt ſervitutem! O quàm improperioſum cunctorum Chriſtianorum opprobrium, quòd, ubi DEI filius temporali morte crucis nos de perpetuæ cruciatu mortis eripuit, ibi acerbitate blaſphemiarum & contumeliarum horrore jugiter exprobratur! Nec his Babylonici hoſtis, Regis Ægypti nefarii ſeveritas fera contenta, ſemper, ſicut fide dignorum habet relatio, intendit ſuper prædictis vulneribus dolorem adjicere, alia loca Catholica ejusdem terræ ſanctæ viciniora per ſuæ vires nequitiæ occupare. Præmiſſis itaque *& cætera, uti ſupra* uſque ad verba*: ſerioſiùs annotatis. *Tum pergit Pontifex*: * *Epiſt. præced.*

Nos igitur attendentes, quòd tam arduum tamque moroſum negotium innumeris egebit expenſis, ac volentes ad honorem illius, qui terram ipſam, dum genus humanum redemit, ſuo proprio ſanguine conſecravit, ad ſubventionem expenſarum hujusmodi apponere ſolicitis ſtudiis manum Apoſtolicæ poteſtatis, præmiſſis omnibus digna conſideratione penſatis, ac pluribus & diverſis temporibus, multis tractatibus & deliberationibus cum eisdem noſtris fratribus habitis ſuper illis, omnium Eccleſiaſticorum redituum & proventuum decimam per univerſas Mundi partes, perſonis & bonis Hoſpitalis S. Johannis Jeroſolymitani & aliorum militarium Ordinum, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, quæ obtenta licentia debita in iſto ſancto paſſagio perſonaliter transfretabunt, duntaxat exceptis, uſque ad ſex annos, à data præſentium computandos, auctoritate Apoſtolica de dictorum fratrum conſilio duximus propterea imponendam, ſingulis annis dicti ſexennii in duobus terminis medietatem, videlicet in Purificationis Beatæ Mariæ Virginis & aliam medietatem in Nativitatis beati Johannis Baptiſtæ feſtivitatibus à vobis & ab omnibus Archiepiſcopis, cæterisque perſonis Eccleſiaſticis quibuscumque, exemptis & non exem-

Digitized by Google

exemptis, univerſarum prædictarum partium, quantacunque præfulgeant dignitate, ſeu cujuscunque præeminentiæ, conditionis vel ſtatus, Ordinis aut religionis exiſtant, quibus vel eorum alicui nulla privilegia vel indulgentias, ſub quacunque forma verborum vel expreſſione conceſſa quoad hoc volumus ſuffragari, præterquam à perſonis & locis Hoſpitalis & militarium Ordinum prædictorum, ac aliis ab hujusmodi decimæ ſolutione ſupra exceptis, integraliter exſolvendam, ac in dictæ terræ ſubſidium & aliàs contra infideles & inimicos Catholicæ fidei convertendam cum modificationibus infrà ſcriptis, videlicet quòd in locis illis & partibus, in quibus ad certum tempus hujusmodi decima aliquibus eſt conceſſa, finito tempore conceſſionis hujusmodi decima ipſa per nos impoſita, in partibus ipſis colligi debeat & levari per illud tempus dumtaxat, quod reſiduum fuerit de dictis ſex annis ab expiratione conceſſionis ejuſdem, ita quòd in aliquo caſu ipſius decimæ duplex exactio non concurrat, quodque illi, qui cum licentia debita, ut præmittitur, transfretaverint, à præſtatione decimæ ſuorum Eccleſiaſticorum reddituum & proventuum modò, qui ſequitur, ſint exempti. Videlicet quòd decima eorum primi biennii aliorum quàm dioceſanorum tam exemptorum quàm non exemptorum penes dioceſanos eorum, dioceſanorum verò penes Eccleſiarum ſuarum Cathedralium Capitula deponatur in uſus eorum, ſi transfretaverint, convertenda. Volumus tamen, quòd illi, penes quos dicta decima deponetur, eis, à quibus ipſam recipient, permittere debeant, quòd eis, cùm transfretabunt, decimam ipſam reddent, ipſæque perſonæ Collectoribus dictæ decimæ cavere idoneè teneantur, quòd in caſu, in quo transfretare non contingat, eædem * tertii anni decimam excluſa cunctatione qualibet Collectoribus ipſis ſolvent.

* Col. eandem.

Exactionem & receptionem ejusdem decimæ tam de vobis, quàm à cæteris Archiepiſcopis & Epiſcopis ac aliis perſonis Eccleſiaſticis univerſarum partium prædictarum fieri volumus absque injuria & oppreſſione quacumque, quodque vos & ſinguli veſtrûm, quos in ſingulis veſtris civitatibus & dioceſibus auctoritate præſentium, nec non cæteri Archiepiſcopi & Epiſcopi univerſarum partium prædictarum, quos etiam in eorum ſingulis civitatibus & dioceſibus Collectores hujusmodi decimæ per alias noſtras litteras deputamus, eaſdem perſonas exemptas & non exemptas, in dictis Mundi partibus conſtituras, de omnibus redditibus & proventibus Eccleſiaſticis eorundem ad ſolutionem decimæ ſecundùm modum, morem & conſuetudinem in exactione & collectione hujuſmodi decimæ per dictos ſex annos in terminis ſuprà dictis ſub moderatione & forma infrà ſcriptis auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam ac etiam ſequeſtratione fructuum, reddituum & proventuum Eccleſiaſticorum ſuorum in eisdem veſtris civitatibus & dioceſibus conſiſtentium, ſi expedire videritis, per vos vel alium ſeu alios, quos ad exactionem & collectionem hujusmodi decimæ aſſumendos duxeritis, appellatione poſtpoſita compellatis, ita quòd ad fructus, reditus & proventus Eccleſiaſticos exiſtentes extra veſtras civitates & dioceſes, hujusmodi compulſionis poteſtatem nullatenus extendatis, nec ad compulſionem hujusmodi faciendam in aliquo caſu ſeu alios invocetis, nec invocari permittatis auxilium brachii ſecularis, niſi prædictorum non ſolventium contumacia exigente aliud circa hoc per Sedem eandem extiterit ordinatum. Cum quibus etiam perſonis Eccleſiaſticis poſt debitam abſolutionem ab excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententiis, ſiquas perſonas easdem occaſione ſolutionis dictæ decimæ non factæ per ipſas in terminis conſtitutis à vobis obtentam incurrere fortè contingat, ſuper irregularitate, ſiquam ipſæ perſonæ dictis ligatæ ſententiis non in contemptum clavium celebrando Divina, vel aliàs ſe immiſcendo eisdem forſan contraxerint, per vos auctoritate Apoſtolica diſpenſari valeat, injuncta eis ſuper hoc pœnitentia ſalutari.

Quocirca Univerſitatem veſtram monemus, rogamus & hortamur, attentè per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus vos & ſinguli veſtrûm præfatam decimam de reditibus & proventibus veſtris Eccleſiaſticis ſecundùm taxationem ipſius decimæ, ſi juxta illam ſolvere conſueveritis (alioquin ſecundùm conſuetudinem in exactione hujusmodi hactenus obſervatam) ſolvere per dictos ſex annos in eisdem terminis ſolvendo in qualibet dictorum terminorum medieta-

tem ejusdem decimæ, ſingulos veſtrûm ſecundùm dictos modum, morem & conſuetudinem contingentem, & ab aliis veſtrarum civitatum & dioceſium de reditibus eorundem decimam juxta prædictos modum & tenorem per dictos ſex annos colligere & exigere ac recipere ſtudeatis. Quòd ſi forſan aliquis veſtrum in ipſis terminis defecerit in ſolutione decimæ ſupradictæ, taliter deficientem ſimiles ſententias, quas per vos vel ſubdelegatos veſtros, ut præmittitur, deputandos ad eandem decimam in veſtris civitatibus & dioceſibus colligendam in non ſolventes decimam ipſam in terminis ſupradictis proferri contigerit, incurrere volumus ipſo facto, à qua poſt ſatisfactionem debitam per aliquem ex vobis vel aliis vicinis Epiſcopis excommunicationis ſententiam, non ligatum & aliàs gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habentem, facta ſibi fide de ſolutione hujuſmodi, poſſit abſolutionis, nec non ſuper irregularitate, ſiquam occaſione præmiſſa hujuſmodi ligatum ſententiis celebrando Divina, vel aliàs ſe immiſcendo eisdem, non tamen in contemptum clavium, forſan contraxerit, pœnitentia ſibi ſuper hoc impoſita ſalutari, opportunæ diſpenſationis beneficium obtinere.

Hujusmodi autem decimam, quæ per vos & aſſumendos prædictos exacta & collecta extiterit, & illam etiam, quam de veſtris reditibus & proventibus perſolvetis, cùm exacta & collecta extiterit, ubique per illos, quos ad hoc, ut præmittitur, aſſumendos duxeritis, aſſignata, ſingulis veſtrûm unà cum Capitulo ſuæ Cathedralis Eccleſiæ infra Eccleſiam ipſam ſub ipſius Capituli expenſis faciant diligenter & fideliter cuſtodiri, per eosdem ſingulos veſtrûm illi vel illis, quem vel quos ad id deputandum ſeu deputandos duxeritis, prout & quando vobis videbitur, aſſignandam, ac in dictæ terræ ſanctæ ſubſidium & alias contra infideles & inimicos ejuſdem fidei convertendam. Si vero, quod abſit, decimam ipſam veſtræ, ut præfertur, commiſſam cuſtodiæ, vel cjus partem aliquam in uſus alios converti contigerit, aut quomodolibet uſurpari, eos ex vobis & ſingularibus etiam perſonis Capitulorum veſtrorum, qui culpabiles in hoc extiterint, excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto.

Præterea ne de moneta, in qua ſolutio prætatæ decimæ fiet & fieri debebit, valeat hæſitari, vertanturque gravamina, quæ propter hoc hactenus viri Eccleſiaſtici ſunt perpeſſi, volumus, quòd decima ipſa per vos vel aſſumendos ad hoc à vobis levetur ad monetam currentem communiter, tempore, quo ipſius ſolutio facienda fuerit, & etiam exigatur juxta conſtitutionem ſuper hoc editam in Concilio Viennenſi, ita quòd prætextu alterius cambii debitores & ſolutores dictæ decimæ non graventur. Ad quam ſolutionem ejuſdem monetæ currentis perſonas Eccleſiaſticas veſtrarum civitatum & dioceſium extra civitates & dioceſes earundem faciendam volumus non teneri. Præfata etiam decima exigatur à perſonis Eccleſiaſticis ſupra dictis, & per veſtrûm etiam ſingulos exſolvatur ſecundùm taxationem decimæ in veſtris & earum civitatibus & dioceſibus hactenus factam: vel ubi hujuſmodi nulla certa taxatio fuerit ſecundùm conſuetudinem in exactione & ſolutione hujuſmodi hactenus obſervatam. Fiat quoque ipſa exactio abſque alio onere illorum, à quibus hujuſmodi decima exigatur, niſi fortè illis deficientibus in ſolutione ipſius in terminis antè dictis ob hujuſmodi eorum defectum expenſas fieri oporteret, ad quarum ſolutionem eos teneri volumus & aſtringi: quodque circa hæc juxta conſtitutionem ejuſdem *Viennenſis* Concilii calices, libros & alia ornamenta Eccleſiarum Divinis officiis deputata, ex cauſa pignoris vel diſtractionis cujuſpiam vos vel quivis alii per vos ad collectionem & exactionem hujuſmodi decimæ, ut præmittitur, aſſumendi, capere ſeu recipere, diſtrahere ſeu occupare nullatenus præſumatis.

Vobis autem & ſingulis veſtrûm contradictores, ſiqui fuerint Eccleſiaſticam contemnendo cenſuram, in ſolutione dictæ decimæ contumaces citandi ex parte noſtra peremptoriè ad Romanam curiám, & certum eis peremptorium terminum præfigendi, quo perſonaliter Apoſtolico ſe conſpectui præſentent, pro his, ſi expediens viſum fuerit, pro meritis recepturi, ac citationis hujuſmodi diem & præfixionis termini ſuprà dicti formam nobis per veſtras litteras & proprios nuntios referendi plenam concedimus facultatem, non obſtantibus, ſi vobis vel veſtrûm aliquibus & prædictis perſonis Eccleſiaſticis ac aliis quibuscunque communiter vel diviſim ſit à dicta Sede indultum, quòd ad ſolu-

ſolutionem alicujus decimæ minimè teneamini, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſitis per litteras Apoſtolicas, quæ de indulto hujusmodi & toto tenore de verbo ad verbum, & propriis ordinum & locorum ſeu perſonarum veſtrarum nominibus plenam & expreſſam non fecerint mentionem, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, exemptionibus & litteris Apoſtolicis quibuſcunque Dignitatibus ſeu Ordinibus eorundem, & ſpecialiter Ciſtercienſi, Præmonſtratenſi, Cluniacenſi, Cartuſienſi, Grandimontenſi, vel eorum univerſitatibus, aut perſonis ſecularibus generaliter vel ſpecialiter, ſub quacunque forma vel conceptione verborum à memorata Sede conceſſis, de quibus totis tenoribus, quorumque de verbo ad verbum in veſtris litteris ſpecialis, plena & expreſſa mentio ſit habenda.

Cæterùm quia præſentes litteræ nequirent forſan propter viarum diſcrimina vel alia impedimenta legitima veſtrûm ſingulis commodè præſentari, volumus, quod per te, *Friderice* Archiepiſcope, dictarum litterarum tranſſumptum, manu publica ſcriptum, tuóque communitum ſigillo vobis prædictis Suffraganeis transmittatur, cui adhiberi per vos volumus, velut in originalibus plenam fidem. Datum *Avinione* VII. Kal. Aug. Pontificatus noſtri anno XVII.

In cujus viſionis & inſpectionis teſtimonium præſens tranſcriptum per *Chunradum* quondam *Perichtoldi de Reythaim* publicum auctoritate Imperiali Notarium tranſcribi & publicari mandavimus, & noſtri ſigilli munimine roborari, vobisque de dictæ Sedis mandato per exhibitorem præſentium juſſimus exhiberi. Datum *Saltzburgæ* III. Id. Iunii anno Domini MCCCXXXV. Et ego *Chunradus* quondam *Perichtoldi de Reythaim* publicus auctoritate Imp. Notarius, prout in dicto originali inveni, de verbo ad verbum de mandato dicti D. Archiepiſcopi ſcripſi & publicavi, meoque ſigno conſueto ſignavi.

3.

Ad eundem. Mittit litteras Ioannis XXII. P. M. de Miſſa pro feliciChriſtianorum armorum inSaracenos ſucceſſu dicenda.

Venerabili in Chriſto Fratri, Amico chariſſimo, Domino *Alberto* Epiſcopo *Patavienſi*, *Fridericus* DEI gratia *Saltzburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

NOverit veſtra Fraternitas nos vidiſſe, & diligenter inſpexiſſe quasdam litteras Apoſtolicas, vera Bulla plumbea & filio canapis, ut moris eſt, bullatas, non vitiatas, non cancellaras, non abraſas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, quarum tenor de verbo ad verbum dinoſcitur talis eſſe:

Iohannes Epiſcopus, Servus ſervorum DEI Venerabilibus Fratribus .. Archiepiſcopo *Saltzburgenſi* ejusque Suffraganeis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pridem ad ſupplicem precum inſtantiam chariſſimi in Chriſto filii noſtri *Philippi* Regis *Franciæ* illuſtris ultramarinum generale paſſagium de conſilio Fratrum noſtrorum indiximus, & illius ac totius exercitus Chriſtiani, qui transfretabit in eo, Regem præfatum Rectorem conſtituimus & Capitaneum generalem, & nihilominus verbum crucis cum certis gratiis & indulgentiis cunctis Chriſti fidelibus generaliter mandavimus prædicari, prout hæc & alia multa pro ejusdem paſſagii proſecutione felici per nos ſalubriter ordinata, in noſtris aliis inde confectis litteris ſerioſiùs continentur. Verùm deſiderantes intenſè, quòd hujuſmodi negotium optatum ſortiatur effectum, & ejuſdem Regis ac aliorum Chriſti fidelium pia devotio orationum adjuta ſuffragiis circa proſecutionem ipſius negotii efficaciùs roboretur, de dictorum Fratrum conſilio duximus ordinandum, ut in ſingulis Cathedralibus, Regularibus, Collegiatis & Parochialibus eccleſiis qualibet hebdomada ſemel certa die pronuntianda populo una Miſſa pro liberatione terræ ſanctæ de manibus hoſtium perfidorum præfata proſecutione durante cum infrà ſcriptis orationibus ſollemniter celebretur, ita quòd in prima de Trinitate, in ſecunda de Cruce, in tertia hebdomada de Beata Maria Virgine, & ſic deinceps Miſſæ hujuſmodi debeant celebrari, niſi forſan id feſtiviratis ſollemnitas impediret: quo caſu poſt orationes feſti ordine ſuo ſemel in hebdomada dicantur orationes hujuſmodi, ut præfertur. Cunctis quoque fidelibus verè pœniten-

nitentibus & confessis, qui durante prosecutione dicti negotii pro ipsius consummatione felici devotè preces ad Dominum effuderint, decem dies, videlicet singulis diebus, quibus oraverint, de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Prædictæ autem orationes sunt istæ:

DEUS, qui admirabili providentia cuncta disponis, te supplicitèr exoramus, ut terram, quam Unigenitus tuus proprio sanguine consecravit, de manibus inimicorum crucis eripias, & eam in Christiana religione tuo nomini servire concedas. Per eundem &c.

Oratio secunda: *Sacrificium, Domine, quod immolamus, intende, ac propugnatores tuos ab hostium malignitate custodias, & in tuæ protectionis securitate conserves.* Per &c.

Alia Oratio: *Protector noster aspice DEUS, & fideles tuos ab hostium defende periculis, ut ab omni perturbatione semoti, libera tibi mente deserviant. Per Dominum* &c.

Ad hoc, ut hujusmodi sanctum negotium piis fidelium elemosynis promptiùs & pleniùs adjuvetur, volumus & ordinamus, ut in singulis Cathedralibus, Collegiatis & Parochialibus Ecclesiis singuli trunci concavi ponantur, tribus clavibus consignati. Prima videlicet penes Episcopum loci, secunda in qualibet Cathedrali Ecclesia penes eum, qui in illa majorem post Episcopum dignitatem habuerit, in aliis verò Ecclesiis penes cujuslibet earundem Prælatum seu Rectorem aut Sacerdotem: & tertia penes aliquem vitæ probatæ laicum conservandis, & in eis fideles Christi, juxta quod Dominus mentibus eorum inspiraverit, suas elemosynas deponere in suorum remissionem peccaminum moneantur. Quocirca Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestrûm in singulis vestris civitatibus & diœcesibus ordinationes nostras hujusmodi diligenter servetis, & faciatis ab aliis observari. Pecuniam quoque in truncis reponendam prædictis illi vel illis, qui ad id per Sedem Apostolicam deputati extiterint, assigneris, seu faciatis fideliter & integraliter assignari. Datum *Avinione* VII Kal. Aug. Pontificatus nostri anno XVII.

In cujus visionis & inspectionis testimonium præsentes litteras transscribi mandavimus, & sigilli nostri munimine roborari, vobisque de mandato Sedis Apostolicæ per latorem præsentium justimus exhiberi.

Datum *Salzburgæ* III. Kal. Junii anno Domini MCCCXXXV.

4.

Ad eundem: cui transmittit Bullam ejusdem Papæ de legatis, testatis &c. pro felici expeditione in terram sanctam factis vel faciendis.

Venerabili in Christo Fratri, Amico carissimo, Domino *Alberto*, Episcopo *Patavienſi*, *Fridericus* DEI gratia Sanctæ *Saltzburgenſis* Ecclesiæ Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, salutem & sinceram in Domino caritatem.

NOverit vestra Fraternitas, nos vidisse & diligenter inspexisse quasdam Litteras Apostolicas, vera Bulla plumbea & filo canapis, ut moris est, bullatas, non vitiatas, non cancellatas, non abrasas, nec in aliqua sui parte vitiatas, quarum tenor de verbo ad verbum dinoscitur esse talis.

Johannes Episcopus, Servus servorum DEI, venerabilibus Fratribus . . Archiepiscopo *Saltzburgenſi*, ejusque Suffraganeis salutem & Apostolicam benedictionem. Pridem ad supplicum precum instantiam carissimi in Christo Filii nostri *Philippi* Regis *Francorum* Illustris, ultramarinum generale passagium de consilio Fratrum nostrorum indiximus, & illius & totius exercitus Christiani, qui transfretabit in eo, Regem præfatum Rectorem constituimus & Capitaneum generalem, & nihilominus verbum crucis generaliter prædicari mandavimus, ac per universas mundi partes decimam Ecclesiasticorum reddituum propterea imposuimus sexennalem colligendam sub certis modis & formis, ac in utilitatem dicti passagii, terræ prædictæ subsidium & aliàs contra infideles & inimicos fidei convertendam, prout hæc & alia multa pro ejusdem passagii prosecutione felici, per nos salubriter ordinata, in nostris aliis inde confectis litteris pleniùs continetur. Verùm quia tam arduum tamque onerosum negotium innumeris egebit expensis, & ad supportandum tantarum farcinam expensarum, quas ejusdem negotii pro-

se-

ſecutio de neceſſitate requirit, ſunt majora ſubſidia opportuna: & propterea volentes ad honorem illius, qui terram ipſam pro redemptione noſtra proprio ſanguine conſecraviť, hujusmodi ſanctum negotium Apoſtolicis præſidiis confovere, omnia legata, donata inter vivos ſeu in ultima voluntate, ac pœnas, condemnationes, pœnitentias, impoſitas ſeu injunctas, & quæcunque alia ex voto, ſtipulatione, pacto vel promiſſione paſſagio generali, aut in dictæ terræ ſubſidium ſeu ſuccurſum in univerſis Mundi partibus dedita, * iis tamen, quæ per Sedem eandem pro aliis certis neceſſitatibus conceſſa, vel per eam pro variis urgentibus negotiis, quæ ſibi periculoſè nimiùm præteritis occurrerunt temporibus, expenſa non fuerint, ſuper quibus quidem conceſſis, ut præmittitur & expenſis ſtari ordinamus & volumus ſimplici verbo noſtro, & illis etiam, de quibus per legantes vel donantes extiterit ordinatum, quòd certis perſonis aſſignari deberent, duntaxat exceptis, nec non omnia & ſingula per dictos ſeu annos in univerſis partibus antè dictis, pro dicto paſſagio terræ ſanctæ ſubſidio & ſuccurſu leganda, donanda, pœnas & pœnitentias imponendas ſeu injungendas, & alia ex voto, ſtipulatione, pacto vel promiſſione, in ſubſidium expenſarum conceſſimus prædictarum levanda, exigenda & colligenda per dioceſanos locorum quarumlibet partium prædictarum, vel alios, quos ipſi Dioceſani ad hoc duxerint aſſumendos, ſub modis, formis, modificationibus, declarationibus infra ſcriptis, & per Sedem Apoſtolicam in hujuſmodi paſſagii ſeu terræ ſanctæ utilitatem, prout nobis videbitur expedire, durante proſecutione ipſius paſſagii integraliter convertenda.

* f debita.

Ordinamus quidem & volumus, quòd omnes habentes & detinentes ſpeciales quantitates vel corpora ſeu legata, quæ per dictam Sedem conceſſa vel expenſa, aut per donantes ſeu legantes certis perſonis aſſignari mandata non fuerint, ut præfertur, ad ea tradenda Dioceſanis ſeu deputandis præfatis per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ab ipſis, & nihilominus ut præmiſſa legata, donata & alia ſupra dicta tam pro præterito tempore quàm in futurum per ſex annos prædictos leganda, donanda, & alias pro eisdem paſſagio, ſubſidio ſeu ſuccurſu, ut præmittitur, diſponenda in publicam veniant notionem, Dioceſani prædicti, ſinguli videlicet eorum in ſingulis ſuis civitatibus & Dioceſibus tabelliones & Notarios publicos Civitatum & Dioceſium eorundem per juramentum per ipſos dioceſanos ab eorundem tabellionum & Notariorum ſingulis exigendum, vel per excommunicationis ſententiam, prout magis viderint expedire, compellere ſtudeant, ut ipſi clauſulis teſtamentorum vel prothocollorum ab ipſis ſcriptorum, vel ab aliis, ſi aliquorum aliorum teſtamenta vel prothocolla fuerint penes eos, ad ipſius terræ ſanctæ ſubſidium Canonicè extractis in forma publica copiam faciant Dioceſanis eisdem, per quos etiam hoc idem fiat circa teſtamentorum hæredes, & nihilominus per Dioceſanos eosdem in ſuis civitatibus & dioceſibus fiat monitio generalis, ut quicunque ſciunt aliqua donata vel relicta, ſeu quovis modo alio debita in ſuccurſum ſeu ſubſidium terræ ſanctæ vel paſſagii generalis, quoad illa, quæ ſuperiùs ſunt expreſſa, intra certum competentem terminum, ſuper hoc ſtatuendum, ipſis Dioceſanis vel deputandis ab eis, illa debeant revelare, lapſoque hujuſmodi termino poſſint ipſi Dioceſani contra contumaces procedere ad promulgandas excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententias, ſi & prout viderint expedire.

Porrò ut circa exactionem huiuſmodi donatorum, legatorum & aliorum prædictorum pro ipſo paſſagio, dictæ terræ ſubſidio, ſeu ſuccurſu, ut præmittitur, debitorum, viam malitiis, quantum poſſumus, præcludamus, ne illis, qui tenentur * ad legata, donata, & alia prædicta, vel illa decimæ forſitan dicerentur, contingat ſuper his indebitè moleſtari, volumus, & ordinamus, quòd de legatis, donatis, pœnis, pœnitentiis, & aliis ſupradictis a triginta ſex annis proximè præteritis nihil penitus exigatur, niſi fortè de eo, quod pro anteriori tempore fore debitum diceretur, Dioceſanis ſeu deputandis prædictis fieret prompta fides. Quo caſu ad illius ſolutionem huiuſmodi debitorem compelli volumus, niſi ſolutionem a ſe factam alleget, ſupra quam, etiam ſi eam probare non poſſit, ſuo ſtari volumus iuramento, dum tamen

* Cod. teneri.

fuerit

fuerit homo bonæ famæ. Aliàs huiusmodi debitum ſolvere compellatur. Vbi verò Prædeceſſorum aut aliarum perſonarum ſolutionem duxerit allegandam, cùm de facto proprio potiùs quam Prædeceſſorum ſuorum & perſonarum aliarum notitiam habere poſſit & debeat, factam eſſe ſolutionem huiusmodi oſtendere teneatur, quod niſi faceret, ipſum volumus ad ipſam faciendam compelli. Inſuper ſi Dioceſanis ipſis vel eorum alicui ſuper his forſan occurrerent, qui ſub verbis prædictis, videlicet: *Legata, donata tam inter vivos quàm in ultima voluntate, pœnas, condemnationes, pœnitentias impoſitas ſeu iniunctas, debita ex voto, ſtipulatione, pacto vel promiſſione*, non videantur incluſi, volumus, quòd ipſi Dioceſani caſus eoſdem præfatæ Sedi debeant intimare, ut circa illos per eam ordinari valeat, quod ad honorem DEI & utilitatem ipſius paſſagii viſum fuerit expedire. Quocirca Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſinguli veſtrûm in ſingulis veſtris civitatibus & Dioceſibus per vos vel alias perſonas idoneas, quas ad hoc duxeritis aſſumendas, legata, donata, & alia omnia ſubſidia, ſuprà particulariter expreſſa, iuxta ordinationes, declarationes & modificationes prædictas, & per tempus dumtaxat ſupra expreſſum, a quibuslibet perſonis Eccleſiaſticis vel ſecularibus, cuiuſcunque dignitatis vel ſtatus, Ordinis vel conditionis exiſtant, etiamſi Archiepiſcopali vel Epiſcopali præfulgeant dignitate, nec non Capitulis, Collegiis, Conventibus, Communitatibus & Univerſitatibus quibuſcunque auctoritate Apoſtolica exigere, levare, & recipere integraliter ſtudeatis, per dictam Sedem in utilitatem dicti paſſagii & terræ præfatæ ſubſidium convertenda.

Ordinamus tamen & volumus, quòd perſonæ prædictæ per veſtrûm ſingulos ad hoc, ùt præmittitur, aſſumendæ, legata, donata & omnia alia ſuprà ſcripta ſingulis annis, ſicut ea recolligent, recipient, & levabunt, ſingulis veſtrûm, per quos aſſumptæ fuerint, debeant integraliter aſſignare, quódque veſtrûm ſinguli huiuſmodi legata & alia ſuprà ſcripta, quæ per tam vos quàm deputandos huiusmodi colligentur, unà cum Capitulo ſuæ Cathedralis Eccleſiæ infra Eccleſiam ipſam aut etiam alibi, prout magis expedire cognoverint, in aliquo decentiori locô & tutiori conſignata reponi, eaque ſub ipſius Capituli expenſis faciant diligenter & fideliter cuſtodiri, per eoſdem ſingulos veſtrûm illi vel illis, quem vel quos ad id deputandum ſeu deputandos duxerimus, prout & quando nobis videbitur, pro huiuſmodi paſſagio ac dictæ terræ Sanctæ ſuccurſu ſeu ſubſidio aſſignanda. Si verò, quod abſit, legata ipſa aut alia ſubſcripta veſtræ, ùt præfertur, commiſſa cuſtodiæ, vel eorum partem aliquam in uſus alios converti contigerit aut quomodolibet uſurpari, eos ex vobis & ſingularibus etiam perſonis Capitulorum veſtrorum, qui culpabiles in hoc extiterint, excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto.

Vt igitur faciliùs & efficaciùs ſuper collectione & aſſignatione legatorum, donatorum & aliorum omnium ſubſcriptorum debitus ſubſequatur effectus, vobis & cuilibet veſtrûm, univerſas & ſingulas perſonas, Eccleſiaſticas, ſeculares, & regulares, Capitula, Collegia, Communitates & Univerſitates quaſcunque ad ſolutionem, & eaſdem per vos ad hoc aſſumendas perſonas ad collectionem legatorum, donatorum & aliorum omnium prædictorum, & aſſignationem vobis de illis, ùt prædicitur, faciendam ab eis auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compellendi, nec non illos, qui occaſione legatorum, donatorum, & aliorum ſuprà dictorum, non ſolutorum in terminis ſtatuendis, excommunicationum, ſuſpenſionum vel interdicti ſententiis ligati fuerint, poſt ſatisfactionem de ipſis habitam abſolutionis beneficium impendendi & diſpenſandi cum illis ex eis, qui dictis ligati ſententiis, & earum aliqua celebrando Divina, vel immiſcendo ſe illis, irregularitatis maculam contraxerint, plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatem, non obſtantibus exemptionis aut quibuſvis aliis privilegiis, gratiis ſeu litteris Apoſtolicis, quibuſcunque perſonis aut locis ſub quacunque forma vel expreſſione verborum ab eadem Sede conceſſis, etiam ſi de illis eſſet ſpecialis & expreſſa, ac de verbo ad verbum in præſentibus mentio facienda.

Verùm quia præſentes litteræ nequirent forſan propter viarum diſcrimina vel aliàs veſtrûm ſingulis commodè præſentari, volumus, quòd per te, frater Archie-

chiepiſcope, dictarum litterarum tranſumptum, manu ſcriptum publica, tuoque communitum ſigillo, vobis prædictis ſuffraganeis tranſmittatur, cui adhiberi per vos volumus velut originalibus plenam fidem. Datum *Avinione* VII. Kal. Aug. Pontificatus noſtri anno XVII.

In cuius viſionis & inſpectionis teſtimonium præſens tranſcriptum per *Chunradum de Ranshoven* publicum auctoritate Apoſtolica Notarium tranſcribi & publicari mandavimus, & noſtri ſigilli munimine roborari, vobisque de dictæ Sedis mandato, per exhibitorem præſentium iuſſimus exhiberi.

Datum *Saltzburgæ* III. Kal. Junii anno Domini MCCCXXXV.

Et ego *Chunradus*, quondam *Hainricus*, *de Randſhoven*, Clericus *Patavienſis* Dioceſis, publicus auctoritate Apoſtolica Notarius, prout in dicto originali inveni, de verbo ad verbum de mandato dicti Domini Archiepiſcopi ſcripſi & publicavi, meóque ſigno conſueto ſignavi rogatus.

5.

Ad eundem. Mittit litteras Benedicti XII. P. M. quibus urgetur exſecutio bullarum Joannis XXII. ſuper decimis Eccleſiaſticis &c. in expeditionem ſacram.

Venerabili in Chriſto Fratri, Amico charissimo, Domino *Alberto* Epiſcopo *Patavienſi*, *Fridericus* DEI gratia Sanctæ *Saltzburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem.

NOverit veſtra Fraternitas nos vidiſſe, & diligenter inſpexiſſe quaſdam litteras Apoſtolicas, vera bulla plumbea & filo canapis, ùt moris eſt, bullatas, non vitiatas, non cancellatas, non abraſas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, quarum tenor de verbo ad verbum dinoſcitur eſſe talis.

Benedictus Epiſcopus Servus Servorum DEI, Venerabilibus Fratribus - - Archiepiſcopo *Saltzburgenſi* eiúſque Suffraganeis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad eripiendum terram Sanctam, Redemptoris noſtri cruore preciosiſſimo rubricatam de fœdorum Agarenorum, vivificæ crucis hoſtium, qui eam viliter conculcatam infeliciter detinent, faucibus, piæ memoriæ *Johannes* Papa XXII. Prædeceſſor noſter fervidum gerens devotæ intentionis affectum, & clementer annuens chariſſimo in Chriſto filio noſtro *Philippo* Regi *Franciæ* Illuſtri qui zelo fidei & devotionis accenſus cupiebat, prout cupit, in manu forti & brachio excelſo ad terram præfatam perſonaliter tranſfretare, ad illatas Redemptori prædictas iniurias ulciſcendum, dum idem Prædeceſſor olim in huius vitæ ſtadio ad conſummationem tenderet ſui curſus, de Fratrum ſuorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, conſilio, debita ſolemnitate ſuper hoc adhibita indixit ad dictam terram paſſagium generale, certum ad id terminum ſtatuendo, & etiam deſignando, & eundem Regem ipſius paſſagii & totius exercitus Chriſtiani, qui tranſfretabit, in illo conſtituit Rectorem & Capitaneum generalem, multaque alia ſalubriter & utiliter de præfato conſilio auctoritate Apoſtolica ordinavit in fulcimentum paſſagii prælibati, & inter alia videlicet contra eoſdem Agarenos verbum crucis cum certis gratiis & indulgentiis conſuetis cunctis Chriſti fidelibus prædicari. Et prudenter attendens proſecutionem tanti negotii eiuſdem paſſagii maximis ſubventionis auxiliis neceſſariò indigere, omnium Eccleſiaſticorum redituum & proventuum decimam per diverſas Mundi partes; Ordinibus militaribus & certis aliis perſonis exceptis, duxit uſque ad certi temporis ſpatium imponendam, certis ſolvendam terminis, & in dictæ terræ ſubſidium aliaſque contra infideles & inimicos fidei Catholicæ convertendam, & nonnulla alia huiuſmodi negotium tangentia, piè ac ſalubriter ordinavit, prout in diverſis eiuſdem Prædeceſſoris inde confectis litteris, vobis directis, pleniùs continetur. Nos igitur, quod ſuper prædictis per eundem Prædeceſſorem tam celebriter & piè, quàm laudabiliter & meritoriè actum eſt, proſequi favorabiliter & efficaciter intendentes, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus formam dictarum litterarum omnium, prout explicatur in earum ſingulis, quas tibi, ſuprà dicte Archiepiſcope, tranſmittimus per præſentium portitores, exactâ diligentiâ obſervatâ,

Digitized by Google

tu Archiepiſcope, & vos Suffraganei procedatis ſuper demandatis vobis per ipſas litteras iuxta continentiam quarumlibet earumdem, ita quòd præter æternæ retributionis præmium apud nos, & eandem Sedem de obedientiæ virtute commendari evidenter & rationabiliter valeatis. Datum *Avinione* II. Kal. Febr. Pontificatus noſtri anno primo.

In cuius viſionis & inſpectionis teſtimonium præſentes litteras transſcribi mandavimus, & ſigilli noſtri munimine roborari, vobisque de mandato Sedis Apoſtolicæ per latorem præſentium iuſſimus exhiberi.

Datum *Saltzburgæ* III. Kal. Junii anno Domini MCCCXXXV.

6.

Ad eundem. Vt Salzburgam advolet, ibidemque ſua conſilia expromat, quomodo mandata Joannis XXII. & Benedicti XII. PP. MM. ſine graviori incommodo exſecutioni mandari poſſint.

Venerabili in Chriſto Fratri, Amico chariſſimo, Domino *Alberto*, Epiſcopo *Patavienſi*, *Fridericus* DEI gratia Sanctæ *Saltzburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem.

EX litteris Sanctiſſimi Patris & Domini, Domini *Johannis* felicis memoriæ Papæ XXII. quarum copiam per - - latorem præſentium vobis exhiberi mandavimus, colligetis, quòd idem Dominus *Johannes* ad inſtantiam Regis *Franciæ*, prout eædem litteræ videntur innuere, inter alia, quæ in ſubſidium generalis paſſagii & terræ Sanctæ ſuccurſum ſalubriter ſtatuit, omnium reddituum Eccleſiaſticorum impoſuit decimam ſexannalem, quod Sanctiſſimus Pater Dominus *Benedictus* XII. Papa modernus ſuæ Sanctitatis litteris approbavit, quarum etiam per dictum nuntium copia vobis fiet. Licèt autem huiuſmodi negotium tanquam pium & meritorium apud DEUM ſit non immeritò ab omnibus Chriſti fidelibus hilaritate debita amplectendum, & piæ devotionis ſtudio promovendum, expedit tamen, ut directa ſuper hoc nobis mandata ſic ea, qua decet, reverentia exequamur, ut ceſſante ſcandalo, deciſis quoque iniuriis & oppreſſionibus quibuſcunque Clerus noſtræ provinciæ contra mandantis intentionem ultra modum legitimum indebitè non gravetur.

Vt autem hæc & alia, quæ præmiſſum ponderoſum contingunt negotium, librentur æquo libramine rationis, Fraternitatem veſtram requirimus & hortamur vobis nihilominus iniungentes, quatenus ſolicitè revolventes, quomodo Creatoris Divina clementia vos in partem noſtræ ſolicitudinis evocavit, conſultis conſulendis & gravitate negotii, & aliis circumſtantiis provida penſatione penſatis, vos, ſi quoquomodo poteſtis, perſonaliter, alioquin per Procuratorem legitimè conſtitutum, & plenariter informatum, omni occaſione poſtpoſita, in *Saltzburgam* in craſtino Feſti beati Jacobi Apoſtoli proximè affuturi, modis omnibus veniatis ad præſtandum nobis in præmiſſis veſtri providi conſilii fulcimentum, facientes nobis fidem de præſentatione prædictarum litterarum Apoſtolicarum vobis facta, inſtrumentis publicis exinde confectis, vel ſaltem litteris ſigilli veſtri munimine roboratis. Datum *Saltzburgæ* III. Id. Jun. anno Domini MCCCXXXV.

XXX.

Henricus Archiep. Salzburg. confirmat collationem Capellæ S. Joannis Bapt. ab Auſtriæ Ducibus Monaſterio Clauſtroneoburgenſi factam.

HEinricus DEI gratia Sanctæ *Salzburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, ad perpetuam rei memoriam. Suſcepti cura regiminis perſuadere dinoſcitur, ut tractatibus de profectu & commodo quarumcunque Eccleſiarum noſtræ provinciæ illarum dumtaxat, quæ nos ſpecialiter ſuper eo requirunt, quantum noſtri intereſt, & de iure poſſumus, per maturam ſemper & promptam benivolenciam præbeamus. Sanè porrecta nobis ex parte dilectorum in Chriſto - - Præpoſiti & Conventûs Monaſterii *Newnburgenſis Patavienſis* Dioceſis ſupplicatio continebat, quòd, cùm Magnifici Principes, Dominus *Albertus*, Amicus noſter Kariſſimus, ac felicis 1340. *Ex authent.* P. H.

Digitized by Google

licis & Divæ memorie olim Dominus *Orto* Germanus ipſius, Illuſtres Duces *Auſtriæ*, *Styriæ*, & *Karinthiæ*, ſingulari devotionis ſpiritu, aliisque certis cauſis, quæ confectis ſuper hoc litteris Originalibus contineri dicuntur, inducti, Capellam *S. Johannis Baptiſtæ* prope dictum Monaſterium ſituatam, in qua ius Patronatus ad dictos Principes pertinebat, eisdem Monaſterio - - Præpoſito & Conventui cum ſuis iuribus & pertinentiis univerſis, Ordinarii, qui pro tempore extitit, accedente conſenſu plenè tradiderint ac donaverint. Cumque ſimiliter ipſis idem Ordinarius Parochialem Eccleſiam *Neunburgæ*, in qua ius Patronatus ad dictum ſpectabat Monaſterium cum omnibus ſuis iuribus, pertinentiis ac proventibus tam affectu pietatis, etiam quàm nonnullis motivis per certas litteras ſuper eo editas comprehenſis inductus, Capituli ſui interveniente conſenſu, liberaliter annectendam, incorporandam, nec non appropriandam duxerit: Nos traditionem, donationem, annexionem, incorporationem ac appropriationem prædictas roborare & confirmare de ſpeciali gratia dignaremur.

Nos itaque deſideriis prædictorum Præpoſiti & Conventûs favorabiliter diſponentes annuere, ac votiva eorum precamina, pro noſtrarum quantitate virium concupito effectui mancipare, traditionem, donationem, incorporationem, nec non appropriationem ſæpe dictas, quantum cum DEO & iure debemus & poſſumus, ſicuti providè factæ ſunt, duximus confirmandas. In cuius rei teſtimonium, noſtrum ſigillum præſentibus eſt appenſum.

Datum *Salzburg* Kalendis Octobris, Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo.

XXXI.

Ludovicus IV. Imp. Chriſtianum Abbatem Monſeenſem in protectionem ſuſcipit.

1341. *Ex autograph. Monſeenſ.* P. H.

Ich Ludewig von Gotes Genaden Römiſcher Käyſer / ze allen Zeiten Merer des Reichs / bekennen offenlichen mit diſem Briefe, daz Wir den Erbaren Geiſtlichen Man Chriſtianen Abte ze Mennſee / Unſern lieben Demüthigen / zu Unſern beſondern Kappelan empfangen / und In auch mit ſeinem Leib und Gut / in Unſern Schirm und Sicherheit genommen haben. Alſo daz Wir ſein Leib und ſein Gut fürbas verantwortten / und verſprechen wöllen gen allermenigleichen / an aller ſtat / als aller andern Unſeren Kappelan / Diener / und Hofgeſinde: Und dauon wöllen / und gebietten Wir allen Unſern Ambtleuten / Vitzum / Richtern / und allen andern / swie die genant ſint / die iezo ſint / oder fürbaz werdent veſtiglechen / daz ſi den vorgenanten Abte, uf diſer Unſer Gnade ſchirmen / und nicht geſtatten / daz In iemand / weder an ſeinem Leib / noch Gut drüber angreiff / oder an Recht blaidig / oder beſchwere bey Unſern Hulden. Wan Wir einen iegleichen / der hinter ſeinem Leib / oder Gut nichts zeſprechen hat / ein unverzogenes Recht tun / und ſchaffen wöllen / swan er dis von im begert. Und daz ze Vrchunt geben Wir in diſem Briefe verſigelt mit Unſerm Kaiſerlichen Inſigel / der geben iſt ze München / an Sant Andres Tag / nach Chriſtes Gepurt / druizehen hundert Jar / darnach in dem einem und viertzigſten Jar. In dem acht und zwaintzigſten Jar Unſers Reichs und in dem viertzehenden des Kaiſerthums.

XXXII.

Anna Abbatiſſa Parthenonis S. Bernhardi Ord. Ciſt. in Auſtria, Vlricum pro Eccleſia S. Martini Gotfrido Epiſcopo Patavienſi præſentat.

REverendo in Chriſto Patri & Domino *Gothfrido* Epiſcopo Eccleſiæ *Patavienſis* Venerabili, Devota Soror *Anna* Abbatiſſa in Sancto Bernhardo cœnobii, * reverentiam cum devotione & obſequio tam debito quàm parato. 1349. *Ex autograph.* P. H. * *f. l.* in S. Bernhardi Cœnobio.

Ad vacantem nobis Eccleſiam Sancti Martini in nova Eccleſia per mortem Domini *Vlrici* Plebani quondam Eccleſiæ eiuſdem, cuius ius Patronatûs ad nos dinoſcitur pertinere, diſcretum Virum Dominum *Nicolaum* Presbiterum, latorem præſentium Paternitati Veſtræ duximus præſentandum, rogantes intimè propter DEUM, quatenus ipſum de probitate & honeſtate &

omni diſcretione nobis notum, de cura plebis ejuſdem commiſſa ſibi aminiſtratione ſpiritualium dignemini inveſtire harum teſtimonio, quibus noſtrum appendimus ſigillum litterarum. Anno Domini M. CCC. XLIX. in die Sanctorum Coſmæ & Damiani Martyrum.

XXXIII.

Charta redemptionis & venditionis quorundam reddituum inter Monaſterium Scotorum Viennæ & Conventum Eremitarum O. S. Aug. ibidem.

1351. *Ex Autogr. P. H.*

NOverint univerſi præſentium litterarum inſpectores, quòd Nos Frater *Ulricus* Prior, *Leutoldus* Subprior totuſque Conventus Heremitarum Ordinis Sancti Auguſtini, Domûs in Wienna, propter quædam onera debitorum oppreſſi, & neceſſitate maxima urgente, unam dimidiam libram reddituum ad redimendum tradidimus & vendendum Venerabili in Xpo Patri & Domino, Domino *Clementi* Abbati, nec non ipſius Conventui Monaſterii *Sanctæ Mariæ Scotorum in Wienna*, per quatuor libras denariorum *Viennenſium* uſualis monetæ, in qua pecunia nobis ritè & rationabiliter miniſtrando ſatisfecit. Quam quidem dimidiam libram reddituum nobilis ac præclara Domina *Agnes de Talesprun*, piæ memoriæ pro ſpirituali noſtro ſubſidio & remedio ſuæ animæ erga ſuum Monaſterium dotaverat perpetuè, & donaverat veluti in ipſius Monaſterii litteris lucidiùs continetur. Hanc ſiquidem amminiſtrationem ſeu ſervitii porrectionem, à nobis & noſtra Domo ſeu Conventu redimerunt, ſumma pro præſcripta. In cujus rei teſtimonium & evidentiam pleniorem præſentem paginam ſigilli noſtræ Domûs appenſione juſſimus communiri. Datum *Viennæ* Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo quinquageſimo primo in die Beati Martini Confeſſoris & Pontificis.

XXXIV.

Carolus IV. Imperator confirmat fundationem Cartuſiæ Pragenſis, factam à patre ſuo Joanne Bohemiæ Rege.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, feliciter amen.

1356. *Ex Arch.* CArolus IV. divina favente clementia Romanorûm Imperator ſemper Auguſtus & Boëmiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Accedens Majeſtatis noſtræ præſentiam Religioſus Frater *Michael* Prior Monaſterii *Orti* * *Sanctæ Mariæ*, Fratrum ſacri Ordinis Cartuſienſis prope *Pragam*, Devotus noſter dilectus, pro parte Conventus ſui quoddam Privilegium recolendæ memoriæ Illuſtris *Ioannis* quondam *Boemiæ* Regis, Genitoris noſtri Chariſſimi, ſuper dicti Monaſterii fundatione, tribus pendentibus ſigillatum ſigillis continentiæ infra ſcriptæ, Imperiali noſtræ exhibuit Majeſtati, humili poſtulans devotione & inſtantia, ut prædictum privilegium, & omnia & ſingula in eodem contenta, de ſolita benignitatis noſtræ clementia approbare, innovare, ratificare & confirmare gratioſius dignaremur. Cujus quidem privilegii tenor, quem præſentibus plenariè interſeri fecimus, ſequitur in hæc verba. P. H. * *Hmi.*

In nomine Domini amen. Etſi Eccleſia militans aſſiduis oppreſſa adverſitatum incurſibus, inſidiis inquieta, & periculis, expoſita, circumquaque diverſos nutriat filjos, qui armis ſpiritualibus contra ſævum hoſtem humani generis non deſinunt dimicare, & adverſùs ipſius jacula viriliter ſe munire: Illos tamen tenerioris affectûs dulcedine tenetur proſequi & fovere, qui veluti pugiles & victores præcipui, per vitam ſolitariam à mundanis illecebris expediti, & à terrenorum contagiis plus exuti, agiliores ſe exhibent in certamine pro corona, quam triumphans Eccleſia genere univerſi præmii opulenta, & in omnes pro Chriſto laborantes dulciter exuberans, pugnantibus repromittit, ſolis autem vincentibus elargitur, ipſos perenni coronans gloriâ & honore. Hinc eſt, quòd nos *Ioannes* DEI gratiâ *Boëmiæ* Rex ac *Lucemburgenſis* Comes, univerſis tam viventibus quàm victuris, cupimus fore notum, quòd nos ad inſtar quorundam divorum Principum ad Regalis culminis ſolium divinitus aſſumptorum, quorum geſta magnalia poſt vitam morientium meruerunt vivere memoria æternali, cupientes aliquid operis operari, per quod memoria hominis, opus hujusmodi operantis, in generationibus ſucceſſuris vivere videatur, ad hoc intendere curavimus vigilanter, quòd ſaltem ſacer Ordo Fratrum Cartuſienſium, noſtris præcordiis non mediocriter inſidens, utpotè cujus prolis merita plus redolere

Digitized by Google

dolere credimus apud DEUM, per nos in Regno noſtro *Boëmiæ* primùm plantatus, & locum, in quo divinis vacet laudibus, aſſecutus, noſtram memoriam poſt hanc vitam mortalem colere debeat veluti cum juſtis fidelibus perenniter in gaudio permanſuram. Eapropter curiam *Tomlini* de monte in *Ugeſt* prope *Pragam* ſuper ripam fluminis *Multavæ* ſitam, æſtimantes habilem, ut in ſtatum Clauſtri ſeu Monaſterii, quod ob DEI, & piæ Genitricis ejus reverentiam fundare, conſtruere, & dotare, ac divina aſpirante clementia feliciter conſummare diſponimus, transferatur, *Hortum B. Mariæ* Virginis propriô vocabulô nuncupandum, ipſam curiam cum ſuis Molendinis in utroque littore dicti fluminis conſtituti, pomeriis, aratura, & cæteris pertinentiis univerſis apud eundem *Tomlinum* pro quadringentis ſexagenis groſſis denariis Pragenſibus comparavimus titulô emptionis, & Fratribus dicti Ordinis, ut in ea clauſtrum cum habitationibus, quæ Priori & viginti quatuor ſuis Confratribus ſufficiant, fundari de noſtris ſumptibus & conſtrui juxta Ordinis decentiam prælibati, & ſeptis per gyrum ſimiliter decentibus communiri ordinent ac diſponant, tradidimus liberaliter & donavimus, per eos in perpetuum poſſidendam. Pro ſtructuris autem hujusmodi fundationis noſtræ, & ſuis officinis ſingulis atque ſeptis conſummandis diſponimus, tradimus, ac virtute præſentium aſſignamus octo Marcas noſtri Regii pagamenti, de noſtrarum Urboræ & monetæ *Chutnenſis* proventibus, per Vrbarios noſtros Chutnenſes, quoscunque pro tempore eſſe contigerit, dictis Fratribus ſine intervallo quolibet perſolvendas ſingulis ſeptimanis, in antea continuè ſuccedentibus, nulla earum exceptâ, nulloque caſu interveniente, tam diu, quousque perceperint & ſuſtulerint duo millia marcarum Regii pagamenti antedicti, integrè & completè. Præterea dictis Fratribus mille trecentas ſexagenas groſſorum denariorum Pragenſium prædictorum, pro quibus in bonis perſonarum duntaxat ſecularium redditus perpetuos ſibi comparent, promittimus nos daturos. Prædictæ quoque fundationi noſtræ partem nemoris noſtri, dicti *Wirdæ*, quæ viginti quatuor lancos contineat, ubi dicti Fratres partem nemoris duxerint accepiandam, conferimus & donamus jure perpetuo obtinendam. In ceteris verò noſtris nemoribus univerſis, prædictos Fratres & eorum Officiatos, ſeu Familiam, ligna univerſi generis pro quibuscunque dictæ fundationis ſtructuris & uſibus optimis ſecare, tollere, ac abducere liberè ſinè impedimento quolibet, quoties & quando voluerint, nullus omnino Regnicolarum Boëmiæ noſtrorum fidelium, etiam ſi à quocunque ipſorum hujusmodi nemora in obligatione ſub quibuſcunque conditionibus contrariis teneantur, prohibere audeat aliquomodo vel præſumat. Cæterùm ſæpè dictam fundationem noſtram, univerſis & ſingulis libertatibus, immunitatibus, prærogativis & gratiis liberaliter præferimus infrà ſcriptis: Primò volentes, quòd omnes homines cujuscunque conditionis, & quæcunque res ſeu bona dicti Clauſtri, infra ſepta ipſius Clauſtri plena tranquillitatis, pacis & quietis ſemper gaudeant libertate. Item eosdem Fratres, homines, loca, & bona eorum, quæ in præſenti habent, & in futurum habebunt, abſolvimus, & omnino eximimus ab omni jure, Jurisdictione, jugo, judicio, gravamine & onere, quibus per Capitaneum *Boëmiæ*, Burgravium Pragenſem, Subcamerarium *Boëmiæ*, Judicem Curiæ noſtræ regiæ, Beneficiarios Pragenſes, vel per quoscunque Officiatos noſtros per *Boëmiam*, qui nunc ſunt, vel pro tempore fuerint, vel quempiam alium cujuscunque ipſorum vices gerentem, poſſent onerari, quomodolibet vel gravari: Abſolventes ipſos Fratres & homines, loca & bona eorum prædicta, à jurisdictione omnium & ſingulorum Regnicolarum Regni *Boëmiæ*, cujuscunque dignitatis & auctoritatis fuerint, niſi per nos, noſtrósve hæredes & Succeſſores *Boëmiæ* Reges ad hoc fuerint ſpecialiter deputati, quòd eis jurisdictio aliqua in certis & expreſſis caſibus competat in eosdem. Item abſolvimus dictos Fratres cum hominibus, bonis, & locis ipſorum prædictis, quæ nunc habent, & impoſterum fuerint juſtô titulô habituri, ab omni exactione, ſteura, contributione, ſubſidio, & à ſolutione cujuslibet dationis, quocunque nomine faciendæ, & ſpecialiter à generali collecta Regia, ſive Berna, quotiescunque in Regno noſtro prædicto, generaliter aut ſpecialiter fuerit recipienda

cipienda, ut ab ipſis nequaquam recipi debeat vel exquiri. Ipſis tamen Fratribus concedimus gratioſè, ut eandem Collectam, à ſuis hominibus univerſis de bonis ipſorum, ſecundùm communem modum recipiendi, poſſint recipere, & ſuis uſibus applicare. Item damus dictis Fratribus, ſuper omnes homines ipſorum, quos nunc habent, vel habituri ſunt in futurum, omnia judicia, in ſingulis cauſis & caſibus, quæ rebus & pecunia poterint emendari. Si verò aliquis quacunque enormitate vel exceſſu ſe reum mortis fecerit, in bonis vel poſſeſſionibus eorum mobilibus vel immobilibus, quem Burgravius noſter Pragenſis, vel quicunque Officiatorum noſtrorum ſecundùm terræ conſuetudinem poſtulaverit, Officiatus vel Judex à Priore tunc temporis inſtitutus, prædictum maleficum ſeu reum, ipſi Burgravio, vel Officiato alteri, cum ejusdem adjutorio, ut cingulo comprehenditur, extra Clauſtri judicium præſentabit. Item dictos Fratres, vel eorum certos nuncios cum vinis ſuis de *Auſtria* vel undecunque alias cum aliis rebus, quibus ipſi Fratres pro victu, amictu, ſtructuris, & aliis neceſſitatibus univerſis indiguerint, per *Boëmiam* & *Moraviam* procedentes, libertamus in ſingulis locis, per terras & aquas, ubicunque telonea conſueverunt ab aliquo, quacunque occaſione recipi vel requiri. Item dictos Fratres unam domum in majori vel minori civitate Pragenſi, una cum inhabitatore ipſius domûs & rebus omnibus habitis in eadem, ab omnibus oneribus Civilibus, cujuscunque generis aut ſpecici fuerint, liberam perpetuò volumus poſſidere. Inſuper ad majorem & fortiorem defenſionem dictæ fundationis, non propter aliquod temporale emolumentum, Advocatiam, ſed purè propter DEUM, & glorioſam DEI Genitricem, ac Sanctos Martyres *Vitum*, *Weneeslaum* & *Adalbertum*, nobis, hæredibus, & Succeſſoribus noſtris *Boëmiæ* Regibus, pro ipſius fundationis noſtræ uſibus & utilitatibus reſervamus, nulli unquam, niſi Prior & Conventus pro aliquo rogaverint, quamdiu ipſis placuerit, committendam. Item Prior, qui nunc eſt, vel pro tempore fuerit, ut meliùs & utiliùs dicti Clauſtri & Ordinis negotia valeat procurare, ſpecialis Capellanus noſter, Hæredum, ac Succeſſorum noſtrorum Boëmiæ Regum, ſemper erit cum tribus equis, & annumeratus noſtræ curiæ & adſcriptus. Item interdicimus, & firmiter inhibemus univerſis & ſingulis Officiatis noſtris per *Boëmiam*, Burgravio Pragenſi, ac aliis quibuscunque perſonis, ne ipſos Fratres in clauſtro, ſeu grangiis, horreis, curiis, domibus, campis, villis, ac homines eorum in hoſpitiis, ac aliis locis, hoſpitalitate, inquietudine, rerum ablatione, ac etiam gravamine quocunque ſeu genere moleſtiæ, tam in gverra quàm extra gverram, anxient aliqualiter vel perturbent. Volumus quoque & omnino firmum eſſe ſancimus, ut univerſæ & ſingulæ libertates, immunitates, prærogativæ & gratiæ à nobis noſtræ fundationi conceſſæ, quemadmodum præmiſſum eſt, ab omnibus inviolabiliter obſerventur. Quicunque autem tenorem hujus Privilegii infregerit, libertates, perſonas, res, vel bona ipſius Monaſterii in aliquo violando, omne damnum, quod exinde contrahitur, tenetur & debet ipſis Fratribus dupliciter emendare. Quod ſi infra menſem à læſione non fecerit, Nobis & Succeſſoribus noſtris pro qualibet transgreſſione, centum marcas argenti, ſine remiſſione ad Cameram noſtram ſolvere ſit aſtrictus, & inſuper dignitate ſeu officio, ſi quam, ſeu quod à nobis tenuerit, ſit privatus. Hanc etiam fundationem ſic inſtituimus, quòd Prior & Conventûs prædicti, dies anniverſarios ſingulis annis peragere debeant, infrà ſcriptos, videlicet divæ recordationis Domini *Henrici* Rom. Imperatoris, Genitoris noſtri, ac Clariſſimæ Dominæ, Dominæ *Margaretæ* Imperatricis, Genitricis noſtræ, Inclytarum Sororum noſtrarum, Dominarum *Mariæ* & *Beatricis*, *Franciæ* & *Vngariæ* Reginarum, & Domini quondam *Alrami* Patrui noſtri, ac Magnifici Principis felicis recordationis Domini *VVenceslai* Regis Boëmiæ, Soceri noſtri, ac Inclytæ Dominæ *Elizabeth* quondam conthoralis noſtræ, nec non liberorum noſtrorum, Filiorum & Filiarum, & ſpecialiter Dominarum *Margaretæ* & *Annæ*, *Bavariæ* & *Auſtriæ* Ducisſarum defunctarum, noſtrum, Domini *Balduini* Archi-Epiſcopi *Trevirenſis*, Patrui noſtri, Conthoralis noſtræ chariſſimæ, Dominæ *Beatricis* Reginæ Boëmiæ, Chariſſimi Primogeniti noſtri Marchionis Moraviæ, *Ioannis* Ducis *Carin-*

Carinthiæ, & Comitis *Tyrolis*, ac *Wenceslai* Comitis *Lucemburgenſis*, Filiorum noſtrorum Chariſſimorum, & conthoralium eorundem, videlicet Dominæ *Blanczæ* Marchioniſſæ *Moraviæ*, nec non præclaræ Dominæ, Dominæ *Bonæ*, Duciſſæ *Normandiæ*, Filiæ noſtræ chariſſimæ, ac Filiorum ſuorum, videlicet *Karoli*, *Ludovici*, & *Ioannis*, cùm Domino volente, de medio fuerimus evocati: Ita etiam, quòd in prædictis diebus Anniverſariis Prior & Procurator tenentur & debent Conventui ſecundùm decentiam ſtatûs Principum, & Ordinis exigentiam bonas pitantias miniſtrare. Ut autem hæc noſtra fundatio cum omnibus denominationibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, & gratiis, prout præmiſſum eſt, robur obtineat perpetuæ firmitatis, præſentem paginam, unà cum primogenito noſtro Marchione antedicto, tradidimus, noſtrorum ſigillorum appenſionibus roboratam.

Nos verò *Carolus*, prædicti Domini Regis Primogenitus, Marchio *Moraviæ*, tam ſalubri paterno propoſito aſſentientes, & quàm plurimùm congaudentes, ſæpè dictam ſuam fundationem, quam & noſtram, ſicut verè eſt, reputamus, videlicet Orti B. Virginis in *Vgeſt*, cum univerſis & ſingulis donationibus & aſſignationibus libertatum, immunitatum, prærogativarum & gratiarum ejuſdem ac Fratrum & hominum poſſeſſionumque quocunque nomine cenſeantur, prout in his & in aliis fortaſſis litteris paternis datis vel dandis expreſſum eſt, vel de cetero exprimetur, ex certa noſtra ſcientia approbamus, ratificamus, & præſentis ſcripti patrocinio confirmamus, ac ſigilli noſtri munimine communimus, univerſis & ſingulis, ad quorum notitiam præſentes venerint, unà cum dicto Domino & Genitore noſtro, ſtrictè & firmiter inhibentes, ne quidquam contra donationem, aſſignationem, ac litteras prænotatas, quacunque temeritate ſeu præſumptione audeant attentare. Quicunque autem contra prædicta in aliquo venire præſumpſerit, gravem Noſtram, Hæredum & Succeſſorum noſtrorum indignationem ſecundùm culpæ qualitatem & modum, cum omni pœna & emenda ut præmiſſum eſt, ſe noverit incurſurum. Datum & Actum *Pragæ* Anno Dni Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſecundo prima die Menſis Februarii.

Et Nos *Ioannes* DEI gratia *Pragenſis* Epiſcopus piæ devotioni memoratorum Principum, Dominorum noſtrorum, benigno occurrentes affectu, quodque per eos in præmiſſis providè factum eſt, ratum & gratum habentes, omnia & ſingula ſuprà ſcripta auctoritate ordinaria de conſenſu Venerabilis Capituli noſtri approbamus, ſigillum noſtrum in teſtimonium evidens appendi facientes. Datum ut ſuprà.

Nos itaque præfatorum, Prioris & Fratrum Ordinis Carthuſienſis, qui præſentis vitæ ſpretis oblectationibus ſemetipſos ſalubriter abnegantes, & à concupiſcentiis & illecebris abſtinentes, carnem ſuam gravibus domant & crucifigunt caſtigationibus, iuſtis & rationabilibus ſupplicationibus benigniùs annuentes, utque ipſi Divinis laudibus quietiùs intendere valeant, pro Noſtra ac Progenitorum noſtrorum animarum ſalute, ſuprà ſcriptum Privilegium ac omnia & ſingula contenta & expreſſa in eodem de verbo ad verbum in omnibus ſuis clauſulis & ſententiis, ſicut ipſius tenor præſentibus inſertus eſt, & totaliter intercluſus, meliori modo, jure & via, quibus poſſumus, Auctoritate Imperiali & Regia *Boëmiæ*, ac ex certa noſtra ſcientia, approbamus, innovamus, laudamus, ratificamus, & præſentis ſcripti Patrocinio confirmamus. Villas quoque vulgariter nuncupatas *Zahornice*, *Gindiz*, & mediam villam in *Poczapil*, cum earum pertinentiis, per eoſdem Carthuſienſes comparatas & emptas cum uno manſo, & dimidio agrorum, in villa dicta *Buttowitz*, & totum, ac quidquid ipſi in redditibus in villa *Luberdorczitz* habere noſcuntur, & generaliter omnia bona, quæ ipſi Fratres Carthuſienſes antedicti Monaſterii titulo emptionis, donationis, conceſſionis, aut ex teſtamentis, legatis & ultimis voluntatibus Chriſti fidelium futuris temporibus habere & obtinere quomodolibet poterunt, eiſdem, Priori & Conventui dicti Monaſterii, ſimiliter appropriamus, unimus, approbamus ac de plenitudine Regiæ poteſtatis, & virtute præſentium confirmamus, decernentes & volentes expreſſe, omnia ſuprà ſcripta, & quodlibet ipſorum, perpetuis temporibus obtinere inviolabilis roboris firmitatem.

Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque ſtatûs, conditionis, dignitatis,

tis, ſeu præeminentiæ exiſtat, liceat hanc noſtræ confirmationis, conceſſionis, approbationis, & innovationis gratiam infringere, aut ei auſu temerario quomodolibet contraire. Si quis autem, vel ſi



que medietatem ſupradictis Religioſis injuriam paſſis, applicari volumus, ſe noverint irremiſſibiliter incuſuros. Signum Sereniſſimi Principis & Dni Dni *Caroli* Quarti Rom. Impe- rat. Invictiſſimi & Glorioſiſſimi *Boëmiæ* Regis. Teſtes hujus rei ſunt Venerabiles *Ernestus* Sanctæ Sedis *Pragen.* Archi Epiſcopus. *Ioannes Olomucenſis*, & *Ioannes Luthomiſſlenſis* Aulæ Imperialis Cancellarius, Epi: nec non Illuſtres *Rudolphus Saxoniæ* & *Rudolphus Auſtriæ*, Styriæ & *Carinthiæ* Duces Principes: & devoti, dilecti, ac Nobiles *Czenko de Lypa* ſummus Regni Boëmiæ Marſcallus. *Iesko de Wartemberg*, Domicellus in *Weſele. Petrus* & *Iodocus* Fratres de *Roſemberg*, & alii quàm plures noſtri Nobiles & fideles, præſentium ſub Imperialis Majeſtatis noſtræ ſigillo teſtimonio litterarum.

Datum *Pragæ* Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Quinquageſimo ſexto, Indictione Nona XVI. Kalendis Septembris Regnorum noſtrorum Anno Roman. undecimo, *Boemiæ* decimo, Imperii verò ſecundo.

XXXV.

Privilegia ab Alberto Duce Auſt. Ducali ſuæ in Palatio Wiennenſi Capellæ conceſſa.

1357. *Ex autograph.* P. H.

WIr Albrecht von Gotes Gnaden Hertzog ze Oeſterreich / ze Steyr und ze Kernten / Herr ze Krain auf der Marich und ze Portenau / Graff ze Habſpurgk / und ze Kyburg / Lantgraf in Elſatz / und Herr ze Pfiert. Tun kunt / das unſer hertzen lieber Sun Hertzog Rudolff mit unſer Gunſt und guetem Willen / und Wir mit ſampt Im die Cappellen / die er in aller Hailligen Ere geſtifftet hat in unſer Purck ze Wienn in dem Turne neben Widmar Tor gefreyet haben recht und redlich / und freyen ſie auch mit diſem Brieff für uns / und für alle unſer Nachkomen und Erben mit ſolchen ausgenomenen Freyhaiten und Gnaden / als hienach geſchriben ſtend: Des erſten / das alle die Holden / Zünſer und Leut die in unſer Statt ze Wienn innerhalb der Ringmaur / oder auſſerhalb in denn Vorſtetten / und auch allenthalben anderſwo in allen andern unſeren Stetten / Landen und Herrſchafften Itzund geſeſſen ſyndt / oder hernach wonhafft werden inne den Heuſern / und auff den Güttern / die Wir und der vorgenant unſer Sun itzund an die egenant Capell gegeben haben / und die Wir und er oder unſer bayder Erben der yemand andrer fürbaſer ymer daran geben werden / und die auch ain Cappellan der egenanten Cappellen ſelber oder ander yemand dartzu kauffet / oder ſchaffet die Pfening oder Pfenings wert dohin dienent / wie ſo das genant iſt / frey und ledig ſeyn ſchullen von allen Uebergriffen Ungelten / Steuren und Dienſten / die Wir oder unſer Nachchomen und Erben von andern unſern Purgern / Landeſaſſen / Leuten und Holden in den vorgenanten unſern Stetten und Landen gewonlich oder ungewonliche nemmen oder ymer genemmen möchten: darnach das Wir noch unſer Nachchommen und Erben / noch kain unſer Richter über dieſelben Holden und Leut die itzund zu der vorgenanten Cappel gehorent / oder hernach ymer dartzu gehörent werden um kain unrecht Miſſitat und Freuel dy ſie immer geton nichtz richten ſchullen umb kainerlay Sach / den allein umb Mordt / Notzog / Manſchlacht / Deupſtal / und umb andere ſolche groſſe Sach / die inn durch Recht an den Liep gehut / do mit Sy pillicher den Todt verſchult habent / und was andere Miſſhellung Uebergriffe / Freuel und Krieg umb aller ander Sach Sie ſein klain oder gros /

zwiſchent

Zwischent denselben Holden und Leuten ymer aufgesiehent / darum schull von inn richten und recht bietten und tun ain Cappellan / we ye zu den Zeitten derselben Cappellen Fürweser und Capplan ist / dem sy der vorgenanten unser lieber Sun Hertzog Rudolff oder des Nachkommen und Erben dem verliben habend / des geben Wir ze Urkund disen Brieff versigelten mit unser Insigel. Der geben ist ze Wiem am Sambstag nach Sant Georgen Tag nach Crists Geburt dreutzehenhundert Jar darnach in dem siben und fünfftzigisten Jaren.

XXXVI.

Privilegia & libertates Ducali Capellæ in Palatio Wiennensi a Rudolfo Duce Austriæ indulta.

1357. *Ex autograph. P. H.*

Wür Rudolff von Gots Gnaden Hertzog ze Osterreich / ze Steyr und ze Kerndten / Herr ze Krain uff der March / und ze Portenau / Graff ze Habspurgk / ze Pfiert / ze Kyburg ze Veringen / ze Lax / ze Freyberg / ze Waltelstain / ze Raprechtzwill / ze Schlechlingen / ze Lentzburg / und auff dem Schwartzwalde / ze Glarus / ze Pilstain / ze Pernerstain / ze Ragts / ze Rechpreg / und ze Nürnberg uff den Inlant / Graff in Elsatz / Margraff ze Purgaw / ze Paden / und ze Dersendorff / Herr ze Freyburg in Oechtlandt / ze Lutzen / ze Wolhusen / ze Rottenburg / ze Schwitz / ze Underwalden / und ze Under-Lappen / ze Regenspurg / ze Tryberg / ze Hohengolfinger / ze Ottenberg / ze Tarterrienst / ze Rosenvels / ze Masmunsteri / und ze Abelant / und Vicari in Oberu Payren und mer. Allen Cristen Menschen ewigklich unserm Grues mit Erkantnus dier nachgeschribner Dingen. Von Sunde und des Valles wegen des ersten Menschen ist also bekrencket und verirret menslich Natur / das die Seelen der Gedencknus presthafft worden sind / darumb elich getacht / ewent weyse Leute mit Briefes Hantveste durch das darnach in künfftigen Zeitten mit Krieges Andtacht icht stosse / oder Irrsall darinn valle / und wann Wir mit guttem Rate nach synnerlicher Vorsichtigkeit erkennet / und betrachtet haben / das die Augen der Göttlichen Mogenkrafft gar sere erzürnet und schwerlichen enterent werden / wa und wen die Gottes Knechte und Diener die zu einer Vollbringunge der Ubunge seins Dienstes gesetzt und geordnet sint / Jmmer beschweret werden von kainen weltlichen Gewalt. Darumben Wir ze Eren der Hailligen Drivaltigkeit / des kostbaren haillichen Leichnams Jhesu Cristi / der allerdurchleuchtigsten hailligen Magt unser lieben Frauen Sant Marien Gotes Muter / und gemaingkleich aller Gottes Hailligen und Engeln / in der Namen und Ere Wir unser Cappell ze Wiennin unser Purckh in dem Turne neben Widmar Thor gestifftet und bewidmet haben / mit Rate / und Willen und Gunst des Hochgebornen Fürsten unsers hertzlieben Herrn und Vatter Herrn Albrecht / und Herrn der vorgenanten Landen / nach aller der Ordnung / Beschaidenhait / und Krafftworten und Geberde / die von Freyhait / Recht und Gewonhait unsers Landes ze Osterreich khaines weges dartzu gehorent / gesetzent / und geordent / recht und redlich setzen und ordnen auch für uns und unser Erben ewiglich mit disem Brieff / das alle die Holden / Zünser / und Leutte / die in unser Statt ze Wienn innerhalb der Rinckmaur oder usserhalb in den Vorstetten / und auch allenthalben und andersvo in allen andern unsern Stetten und in den vorgenanten Landen und Herrschafften / die Wir nu haben / oder in andern Landen und Herrschafften / die Wir mit Gottes Hülffe und Gnaden hernach gewynnen mochten / itzund geschafft syndt / oder hernach wonhaft werdent in den Heusern / und uff den Güttern / die Wir yetzundt an die vorgenant Cappellen gegeben haben / und auch die Wir und unser Erben oder ymand Fürbaser immer daran gebent werden / und die auch ein Cappellan selber oder jemand ander dartzu kauffet und schaffet die Pfennig oder Pfenningswert dohin dienen. Wie so das genant ist / oder ob kein Mensch mit Leib oder mit Gut sich selber dohin opfferte oder geb / mit solcher Beschaidenheit / das doch diselben Holden in dem Name / als davor / und auch die jetzgenante Leut fürtreffenlich / und mit gantzem Rechte umbegriffen von andern Gotsheüsern und Herrn kommen mögen / nach pillichen / und gewonlichen Rechten / und redlichen

redlichen Sachen / pey Eren und bey Fügen mit Leib und mit Gutte zu der egenanten unser Cappell / als zu ir obristen Herrschafft frey und ledig sein schullen, ewiglich von allem Uebergriffen, Ungelten / Steuren und Diensten, die wir oder unser Nachkomen und Erben von andern unsern Pürgern / Leutten und Holden in der vorgenanten Stetten und Landen gewonlich oder ungewonlich nemen / oder ymer genemen mochten. Wir haben auch in dem Namen / als davor gesetzt und geordnet von bsundern Gnaden / das Wir noch unser Nachchomen / noch Erben / noch kain unser Richter über die vorgenant Holden und Leut / die yetzund zu der vorgenant unser Cappell gehorent oder hernach gehorende werdent umb kain Unrecht / Missethatt noch Freuel / die sie ymmer gethundt nimmer gerichten schullen umb kaynerlay Sache / denn allain umb Mort / Notzog / Manschlacht / Dübstall und ander solche Sache / die In durch Recht an dem Leib gent; damit Sy den Todt pillich verschult haben / und was andre Mishellung / Uebergriffe / Freuel und Kriege umb all andre Sache / sie sein klain oder gross / under In selber oder zwischen In und andern Auffstendt / darumb scholl von In richten und Recht bietten und tun unsern Capplan / wer der ye zu Zeitten ist / dem Wir oder unser Erben und Nachchommen die vorgenant Cappell dan verleihen habend / was auch Holden / und Leut zu der egenanten unser Cappell ytzund gehörendt / oder hernach dienstlich mit vollen Rechten dartzu koment / die schullen kainen andern Gottshaus / noch Herrn weder mit Leib / noch mit Guet klain noch gross nimer Zünschafft untertänig / noch dienstbar gemachen: Es geschege dann mit Willen und Ratt des Obristen Cappellans / der dann zu der egenannten Capellen gehöret / der Im auch das nit anderst erlauben scholl / noch mag; dan mit solichen Gedingen / das das Gut / das zu der egenanten Capellen dient / maint ander Zünschafft noch dienstleich werde hat / oder aber gewinnet / ainnam icht anders Guttes / das zu derselben Cappellen nicht dient / das mag er mit ains Cappellans Willen und Ratt wol Zünschafft machen / nach Beschaidenhait / wo hin er will / doch also / das derselb Man mit seinem Leib vortrefflich vor allermeniklich / und auch mit dem Gutte allem / das der egenanten unser Cappellen dient pleiben scholl ewigkleich mit Dienste / und mit vollen Rechte bey derselben unser Cappell / als bey Ir obristen und ersten Herrschafft: welcher aber das überfuert / und darüber sein Leib oder Gut anderswohin dienstbar und Zünschaft machet / wider die yetzgenant unser Gesetze / der scholl nicht imer tailhaft sein an den vorgenanten Gnaden / Freyhaiten / und Rechten / die Wir der egenanten unser Cappellen Holden gegeben haben / und scholl auch darzu verlorn haben alles sein Guet / dauon er derselben unser Cappellen untz auf die Zeit gedient hat / das darnach derselben Cappellen alles gentzleich ledig und verualien sein / und auch ewigkleich mit vollem Rechten pleiben scholl dise vorgenante Freyheit und Gnade / die Wir inn dem Namen / als da vor Got ze Lobe nach unser Fürstlichen Wirdigkait zu ainem gesatzten Rechte / der vorgenanten Cappelle dem Cappellan und den Holden / die ye zu den Zeitten darzu gehörent / geordent und gegeben habent: mit vollen Gewaltempfehlen Wir ewiglich mit disem Brief allen unsern Nachchommen und Erben / also vollkommenlich stet zehaben und zehalten / als sie es zegedencken / geniessen an irer ewigen Salikait / und als sie auch an dem strengen Tag des lesten Gerichtes darumb antwurtten wellen unsern HErrn dem allmächtigen Gotte / und allen sein Hailligen. Mit Urkund ditz Briefs besigelt mit Unsern anhangunden Insigel. Der geben ist ze Wienn an dem Sybentzehenden Tag des Monatz Mertzen. Nach Cristi Geburt tausent dreuhundert funfftzig Jaren darnach in dem sybenden Jare. Unser gepurtlichen Zeit in dem achtzehendene Jare.

XXXVII.

Ludovici Abbatis Mellicensis testimonium de litteris Arnoldi Præpositi S. Benedicti de Bruna &c.

VNiversis Xpi fidelibus has litteras visuris seu audituris, Nos Lodvvicus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Abbas *Mellicensis* Ordinis Sancti Benedicti *Patavi-* 1359. *Ex autogr. P. H.*

ensis

enſis Dioc. ad Sedem Apoſtolicam nullo medio pertinentes, ſalutem & Religionis incrementum.

Noverit Univerſitas veſtra nos inſpexiſſe & ad plenum legiſſe litteras Domini *Arnoldi* Præpoſiti Sancti Benedicti de *Bruna* Sancti Benedicti Ordinis, nec non Domini *Thedrici* Decani *Medlicenſis Patavien.* & *Olomuc.* dioc. non raſas, non cancellatas, non ſolitas, nec in aliqua ſui parte vitioſas, quarum tenor dinoſcitur eſſe talis.

Nos *Arnoldus* Præpoſitus Sancti Benedicti de *Bruna* Sancti Benedicti Ordinis, nec non *Dietricus* Decanus *Medlicenſis* & *Olomucen*: Dioc. Subdelegati Delegatorum Sedis Apoſtolicæ, videlicet Abbatis *Sanctæ Crucis* & Decani *Znoimenſis* prædictarum Dioc: in cauſa, quæ vertebatur inter Abbatem & Conventum Eccleſiæ *Sanctæ Mariæ Scotorum de Wienna* ex una, & Magiſtrum G. Plebanum *Wiennenſem* ex parte altera, ſuper juribus Parochialibus ipſius Monaſterii & Capellarum ſibi attinentium, quibus Monaſterium ipſum & Capellæ præfatæ enormiter erat læſum per arbitrum Domini *Ot:* quondam *Patav.* Epiſcopi, ſic mediante juſticia duximus procedendum. Primò Magiſtrum G. prædictum ad inſtantiam ſæpedictorum Abbatis & Conventus peremptoriè ad certum diem citavimus & ad certum locum ipſius Abbati & Conventui de ſuis querimoniis reſponſurum. Die verò adveniente, partibúsque in Noſtri præſentia conſtitutis, Magiſter G. eodem die poſt multas allegationes partis utriusque, licèt cum magna difficultate firmato judicio per Aſſeſſores & tabelliones idoneos, recepit terminum ad exceptiones dilatorias, proponendas. Quo termino, cum exceptiones prædictas coram nobis proponere deberet, quandam fruſtratoriam exhibuit appellationem, cujus copiam in ſcriptis pluries requiſitus nobis facere denegavit, ſed illicentiatus à judicio receſſit. Nos vero de Aſſeſſorum noſtrorum conſilio ad convincendam ipſius Magiſtri G. malitiam terminum alium, ſcilicet, poſt nonam illius diei, ut coram nobis appareret, copiámque ſuæ appellationis nobis exhiberet, aſſignavimus eidem: in quo termino nec per ſe, nec per Procuratorem comparuit, nec comparere curavit. Nos igitur mandatum nobis commiſſum debitâ reverentiâ recqui volentes, viſo, quòd monaſterium cum ſuis capellis prædictum enormiter fuit læſum, ipſum Monaſterium cum capellis ſibi attinentibus, videlicet: ſanctæ Mariæ in Littore, Sancti Petri, Sancti Ruperti, Sancti Pancracii infra muros civitatis *Wyennenſis*, nec non Sancti Colomanni in *Lauben*, in poſſeſſionem rerum peritarum ſcilicet Iurium Parochialium causâ rei ſervandæ miſimus & mittimus auctoritate Domini Papæ, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Id eſt, quòd in prædicto Monaſterio & in *Lauben* prædicare, feſta indicere, commemorationem facere animarum, parvulos baptizare, confeſſiones audire, remiſſiones facere, dare corpus Xpi, pœnitentias injungere, matrimonium conjungere, mulieres poſt partum introducere, mortuos prætextu fraternitatis, ac hoſpites & peregrinos, nec non familiam Ducis ſepelire, fontes, carnes, & palmas in Paſcha, & in Pentecoſtes conſecrare, decimas quoque, quas ab antiquis temporibus habuerunt, percipere, remota prorſus omni queſtione: in capellis verò reliquis ſupradictis hæc omnia prædicta fieri liceat, præterquam baptiſmus, & mortuorum intumulatio ſecundùm conſuetudinem antiquam: Contradictores nihilominus & rebelles in his ſcriptis, in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti excommunicamus. Lata eſt hæc ſententia *Wiennæ* ante capellam Curiæ Regis, præſentibus teſtibus ſubnotatis Preſbyteris, Domino *Leone* Plebano de *Albrechtsperge*, Domino *Chunrado* dicti *Paratel*, Domino *Hainrico*, Domino *Gottfrido*, nec non Plebano de *Hainburch*: laicis verò fide dignis Domino *Wykhardo de Arenſtain* Miſteriali * *Auſtriæ*, *Ulrico* * *f.* Mi. *de Chalenberge*, *Reinbotone Celuebo*, miſteriis *Alberto de Symaningen*, *Arnoldo* dicto li. *Reinner*, *Ortwino Iohanne Welfario*, *Alberto de Stadelawe*, *Hermanno* dicto *Hakentirel*, *Rembotone* Fabro Ducis, & aliis multis. Datum Anno Domini M. CC. LXV. Indictione Octava, V. Kalendas Septembris.

In cujus rei fidem ac teſtimonium has litteras noſtri ſigilli munimine roboratas, eis fieri fecimus patentes. Datum *Wyennæ* in vigilia Nativitatis Mariæ Virginis. Anno Domini M. CCC. LIX.

XXXVIII.

Indulgentiæ datæ Parochiali Ecclesiæ ad S. Stephanum, & Capellæ novæ in Castro Viennæ, iuxta portam lignorum, in honorem omnium Sanctorum dedicatæ, & à Rudolpho Duce Austriæ fundatæ.

1359. *Ex Autogr. P. H.*

PEtrus DEI gratiâ Episcopus *Marchòpolensis*, Vniversis, ad quos præsentes pervenerint, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cupientes quoslibet Christi fideles quibusdam muneribus allectivis, videlicet indulgentiarum largitionibus, & peccatorum remissionibus, & bonorum operum exercitiis invitare, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores, omnibus verè contritis & confessis, quando, & quotiescunque Ecclesiam Parochialem S. Stephani *Viennæ Patavienſis* Dioc. atque Capellam novam in Castro *Viennæ* iuxta portam lignorum in honore omnium Sanctorum dedicatam & per Serenissimum Principem Dominum *Rudolfum* Ducem *Austriæ*, *Styriæ*, & *Karinthiæ* fundatam & constructam, vel qui sibi manus porrexerint adiutrices, de Omnipotentis DEI misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum confisi suffragiis, quadraginta dies de iniuncta eis pœnitentia, dummodò ad hoc Ordinarii consensus accesserit, in Domino misericorditer relaxamus harum testimonio litterarum, nostri sigilli munimine signatarum.

Datum *Viennæ*, die Dominico ante Simonis & Judæ Apostolorum. Anno Dni M. CCC. LIX.

XXXIX.

Innocentius VI. P. M. Ortolfo Præposito Clausträneoburgensi, eiusque Successoribus usum infulæ Pontificalis indulget.

1359. *Ex autogr. P. H.*

INnocentius Episcopus, Servus Servorum DEI, Dilectis filiis *Ortolfo* Præposito & Conventui Monasterii S. Mariæ in *Neunburga*, per Præpositum soliti gubernari, Ordinis S. Augustini *Patavienſis* Diocesis salutem & Apostolicam benedictionem,

Devotionis vestræ sinceritas exposcit ac religionis promeretur honestas, ut tam vos, quos speciali dilectione prosequimur, quàm Monasterium vestrum congruis honoribus attollamus. Nuper siquidem pro parte vestra nobis exposito, quòd tam tu, Fili Præpositе, quàm Prædecessores tui Præpositi dicti Monasterii, qui fuerunt pro tempore insigniis Pontificalibus, mitrâ duntaxat exceptâ, consueveratis ex concessione Apostolicæ Sedis uti, Nos, cùm etiam alii Præpositi partium earundem, ut asserebatur, mitra Pontificali uti consuevissent, tibi, ut mitra temporibus & locis, quibus prædictis aliis Pontificalibus insigniis uti poteras, liberè, quoad vivetes, uti valeres, auctoritate litterarum nostrarum duximus indulgendum, prout in nostris super hoc litteris confectis pleniùs continetur: Volentes itaque vos & Monasterium ipsum, huiusmodi vestræ devotionis & religionis obtentu favoris prærogativa prosequi ampliоris, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut Successores tui, Fili Præpositе, dicti Monasterii Præpositi, qui pro tempore fuerint, mitra, temporibus & locis, quibus prædictis aliis Pontificalibus insigniis, ùt præfertur, uti possent, liberè uti valeant, Apostolicis & aliis quibuscunque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, eis de speciali gratia auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum *Avinione* XV. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno septimo.

XL.

Idem Papa Ducalem Capellam in Palatio Viennensi ad preces Rudolfi Ducis Austriæ in Ecclesiam Collegiatam erigit.

1359. *Ex autogr. P. H.*

INnocentius Episcopus Servus Servorum DEI Venerabilibus Fratribus *Gurcensi* & *Lavantinensi* Episcopis ac dilecto Filio Abbati Monasterii *Scotorum in Vienna Patavien.* Dioc. Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Intenta Salutis operibus Apostolicæ Sedis benignitas circumspecta illorum, qui divinâ præventi gratiâ augmentum cul-

cultûs divini nominis intentis deſideriis affectantes, ad id eorum opem & operam impendere cupiunt, libenter Apoſtolicum impertitur aſſenſum, eaque favoribus proſequitur gratioſis. Sanè petitio pro parte dilecti Filii Nobilis Viri *Rudolphi* Ducis *Auſtriæ* nobis exhibita continebat, quòd ipſe cupiens terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, & ad laudem glorioſi nominis illius aliqua dare & deputare de ſuis, qui ſibi ea omnia de ſui benignitate conceſſit, deſiderat Capellam non curatam per eum in Caſtro ſuo *Viennæ Patavien.* Dioc., in qua ipſe habet, & ab antiquo Principes *Auſtriæ*, qui fuerunt pro tempore Progenitores ſui præcipuum domicilium habere conſueverunt, conſtructam & dotatam in honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jheſu Chriſti, Glorioſæ Mariæ Virginis, Sanctorum Angelorum & Electorum DEI ampliatam ad DEI gloriam & honorem & eius cultûs augmentum, ac Parentum & omnium Progenitorum ſuorum & cunctorum aliorum fidelium animarum ſalutem, in Collegiatam Eccleſiam erigi, à qua Principes Auſtriæ pro tempore exiſtentes aliqua feuda teneant & conducant & in ea unum Collegium ſeu Capitulum viginti quatuor Canonicorum & unius Præpoſiti, qui eis præſit, & viginti quinque præbendarum, quarum unam idem Præpoſitus, & ſinguli Canonici ſingulas obtineant ſtatui, & unam Theſaurariam, ac certa alia, dignitates, perſonatus & officia, quæ prædictos Canonicos creari, & quod idem Præpoſitus duos & ſinguli Canonici prædicti ſingulos Capellanos habere debeant, qui cum ipſis, ſeu pro eis tempore infirmitatis vel abſentiæ ipſorum in Eccleſia eadem obſequiis divinis inſiſtant, & quod ipſe pro præmiſſis præbendam dicto Præpoſito aſſignandam de Trecentis & ſingulas præbendas alias prædictas ipſorum Canonicorum Centum florenis auri ponderis & - - - - Florentin. in perpetuis annuis redditibus de bonis ſibi à DEO collatis dare, & eas in poſterum in redditibus augmentare proponit.

Nos igitur huiuſmodi tam pium tamque DEO gratum & acceptum deſiderium & propoſitum dignis in Domino laudibus commendantes, & præterea illud ad effectum perduci & favore Apoſtolico proſequi cupientes, ipſius *Rudolphi* in hac parte ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Veſtræ, de quo in his & aliis gerimus in Domino fiduciam ſpecialem, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos vel duo Veſtrûm dote huiuſmodi primitus realiter aſſignata eandem Capellam in Eccleſiam Collegiatam erigere & in ea huiuſmodi Collegium ſeu Capitulum viginti quatuor Canonicorum & unius Præpoſiti, qui eis præſit, & viginti quinque præbendarum, quarum unam, illam videlicet, quæ de huiuſmodi Trecentis florenis auri dotata fuerit, Præpoſitus, & ſinguli Canonici ſingulas alias obtineant, ſtatuere, & unam Theſaurariam ac alia huiuſmodi, dignitates, perſonatus & officia creare, ſtatuere ac ordinare. Quod idem Præpoſitus plenam in ſpiritualibus, & temporalibus Jurisdictionem in Canonicos, etiam Theſaurariam ac dignitates, perſonatus & officia huiuſmodi obtineat ac Capellanos prædictos & eorum omnium familiares, cuiuſcunque ſtatus vel conditionis exiſtant, idemque Præpoſitus duos, & ſinguli Canonici prædicti ſingulos Capellanos, qui, ùt præfertur, cum eis vel pro eis in eadem Eccleſia divinis inſiſtant, Ipſeque Præpoſitus & Canonici omnes horas Canonicas, nocturnas videlicet & diurnas, regulariter & ordinatè in eadem Eccleſia ſonora voce depromere, perſonalem reſidentiam, niſi in ſervitiis dicti *Rudolphi* Ducis aut alterius Ducis *Auſtriæ* Succeſſoris ſui, Senioris tamen, pro tempore exiſtentis, facere, ac in memoriam paſſionis Dominicæ, & in ſignum ignis Divini amoris, albedinis Innocentie, quæ in eis exiſtant, ſuperiorem & inferiorem tunicam & cappam rubri coloris, quarum veſtis ſuperior ſit cruce aurea inſignita, & camiſiam albam, *Rochetum* nuncupatam, deſuper huiuſmodi ſuperiorem tunicam portare debeant. Quodque oblationes publicæ & ſecretæ ad dictam Eccleſiam obvenientes pro tempore Theſaurario dictæ Eccleſiæ, pro tempore exiſtenti vel eius locum tenenti, præſentari, & per eum ſingulis menſibus inter Canonicos & Capellanos dictæ Eccleſiæ, qui in ea divinis obſequiis interfuerint, & qualiter dividi debeant, facta tamen priùs pro huiuſmodi oblationibus competenti recompenſatione Parochiali Eccleſiæ, infra cuius limites Capella ipſa exiſtit, & alia ſtatuta & ordinationes iuſta

ſta & rationabilia pro vita & regimine ac conſervatione eorundem. Præpoſiti, Canonicorum & Capellanorum, & pro huiusmodi cultûs augmento facere, auctoritate noſtra curetis, Jure tamen dictæ Parochialis Eccleſiæ aliàs & cuiuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, conſtitutionibus Apoſtolicis & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Noſtræ tamen intentionis exiſtit, quòd nullum per hoc Rectori dictæ Capellæ, qui nunc eſt, præiudicium generetur.

Datum *Avignione* II. Kalend. Januarii, Pontificatûs noſtri Anno VII.

XLI.

Rudolphus IV. Dux Auſtriæ Parochiali Eccleſiæ S. Stephani, abs ſe in Præpoſituram converſæ & ſublimatæ, Saltum legat quatuor montes complexum.

In dem Namen: Unſers HErrn Jhu Xpi, Amen.

1360. *Ex autographo.* P. H.

Wir Rudolf der Vird von Gotes Gnaden/ Ertz-Hertzogze Oeſterreich/ ze Steyr/ und ze Kernten/ Fürſt ze Swaben/ und ze Elſazzen/ Herr ze Krain/ auf der Marich/ und ze Portknau/ und des Heiligen Romiſchen Reichs Obriſter Jegermaiſter. Veriehen/ und tun Chunt/ allen Leuten die yetzunt lebent/ oder künftig ſint eweklich/ die diſen Brief ſehent/ leſent/ oder hörent leſen/ daz Wir/ von Fürſtlicher Miltekait/ betrachtet habn die manigualtig Zugehörung/ der bedurffent/ und notdurftig ſint/ die Gotzheuſer/ die von newn Dingen gewirdet/ und mit ſonder Freihait erhöhet werden/ durch daz die Phaffhait/ die dar inne GOtte ze ritterſcheftend/ und ze dienend/ geordend/ und beſchiket wirt, ane Preſten leiplicher Dinge/ der menſchliche Kraukait in diſer Zeit/ nicht empern mag/ Gottes Lob freilich begen/ und vollebringen mug. Und haben darumb/ mit gutere Rate/ Unſerer Getrewn/ geſunt und gewaltig/ libes und ſinne/ zu der Zeit/ und an der ſtat/ do Wir ez wol getun mochten/ in Namen Unſer ſelbs/ und der Hochgebornen Fürſten/ Friderich/ * Albr. und Leup. Unſrer lieben Prüder, der gantzen/ und vollen Gwalt Wir/ als der Eltiſt haben/ und mit Rate Unſerer Lieben Hertzoginn Frawn Kathrein/ Tochter des Allerdurchleuchtigiſten Herrn Karlen Römiſchen Käyſers/ und Küniges ze Peheim/ und an ſtat aller Unſer Erben/ und Nachkomen/ der Pharr-Kirchen ze Wienn/ die in Ere des grozzen Hailigen Sand Stephans des erſten Marterer geſtift/ gewidmet/ und geweicht iſt/ und in ain Probſtey und zu ain Tum gemacht/ und verwandelt wirt/ und geweicht/ in aller Heiligen er/ gegeben und gefügt/ geben und gefügen auch/ einer ewigen ſteten/ volkomen/ und unwiderrufflichen Gabe/ der man ſpricht/ under den Lebenden/ mit Kraft diſes Briefes/ und mit Behaltnizz aller der Worten/ Werken/ und Geberden die von Recht/ oder von Gewonhait darzu gehörent/ und notdurftig ſint/ den Walt dar inne ligent vier Perge/ die hienach geſchriben ſtent/ mit dem nach beſchaidenen Kraizze/ und Jwange/ den Wir reitende auf aim Räyde mit aim klainen Geſinde umberitten, und mit Unſer ſelbs Henden gezaichent/ und mit Gemercken ausgeſchaiden haben auf den Tag alz der Brief geben iſt. Mit der Beſchaidenhait/ daz ain Probſt/ und die Korherren dezſelben Gotzhauſes/ welche ie zu den Zeiten da ſint in demſelben Walde Holcz howen/ und nemen ſullent/ wie vil ſi des bedurffent und notdurftig ſint/ ane allez geuer. Und ſullent auch freyn und ganczen Gewalt haben/ mit irn Wegenen umb Holcz in den Walt ze varend/ ze welcher Zeit des Jars ſi wellent/ und ſol des niemt vor ſein/ durch dhains Gebottes/ oder dhaine Geſezde willen/ die Unſer Voruordern/ oder Wir von alter Gewonhait da her getan/ oder oder geſeczt habn/ oder die Wir Unſer Prüder Unſer Erben oder Nachkomen/ fürbaz tund/ oder ſeczend wurden. Und wan Wir dis gabe tun ze Ere dem Allmechtigen GOtte/ der in Seinen Wercken kain Unvollkommenhait erchant hat. So haben Wir Uns ſelber Unſern Prüdern Unſer Erben oder Nachkomen an dem Walde nichts auzgenomen noch vorbehebt/ und haben inn geben dem genanten Gotzhaus nicht alain zu dem Nucze/ und in der Weiſe/ als vorbeſchaiden iſt/ ſunder Wir geben in dem Namen/ als da vor dem Gotzhaus

* Albrecht und Leupold.

haus dem Probst und den Korherrn dem Walt mit sampt dem Grunde der Aigenschaft mit Wilt pennen / und mit allen Nuczen / Eren / Rechten / Gwalt und Zugehörung / als Wir und Unser Vordern den gehabt / und her pracht habent. Und wellen / ordnen / und seczen mit Fürstlicher Macht / daz si allerlay Gewilt darine iagen und haben mügen ane alle Irrung / und was Gewildes si in dem Walde an irm Geiäyd auftreibent / daz sol in werden / und beleiben / wa es halt auzzerhalb den Gemerken des Waldes eriagt / und gevangen wirt ane menglichs Widerrede. Wurden auch hienach ze dhainen Zeiten innerhalb den Gemerken des egenanten Waldes funden dhain Erczt / Goldes / Silbers / oder anderes Geschmeides / daz sullent si auch haben / und niezzen volleklich / als des Perchwerchs Obristen / Fürsten / und rechte Herrn. Nu sint di Nament der vorgedachten Perge. Der aine ist genant der Aichperg / der ander der Purchperg / der dritt der Mitter Chogel / der vierd der auzzer Chogel. Die ingevangen und begriffen sint mit disen Gemerken. Dez ersten der Weg der von dem Dornech anhin get / hie der halb des Schuppels Wis / und hie der halb des Witigens Graben / und nach dem Weg auf der da haizzet der Staynig Weg / uncz auf alle Höch / ze Haupt aller Greben die da gent in den Wurczbach uncz auf den rechten Rennweg / der da her get von dem Hanpawm / und von dem Schalcheins Graben / und an demselben Weg stözt / des Hagens Kinder Holcz von Pilperch / und der Frawn Holcz von Sand Nicla / alles der Höch nach hin, als der vorgenant Rennweg sagt überall ze der rechten Hant uncz an den Puchperch. Von dem Puchperg ab ze nechst der Vrown Holcz von Sand Nicla Uncz auf dem Schozzgraben / der hinab in den Mawrbach get / und nach dem Mawrpach zetal, uncz auf daz Henn-Reirt / und dem Henn-Reirt nach uncz auf dem Weg / der den Spicz und den Puchperch schaidet und demselben nach über / uncz ab in den vorgenanten Würczbach / und dem Würczbach nach wider Wazzer uncz auf daz End der Wis / die da ist Andres des Richter ze Weydungsair / und darnach über an des vorgenanten Richters Holcz / daz da leit vor dem auzzern Chogel. Dem rechten Weg nach und hin. Uncz auf den Schozzgraben / der da get zwischen des egenanten Richter Holcz / und dem Aychperch zetal ab / in die Wienne / und nach der Wienne wider Wazzers auf / uncz an daz vorgenant Dornech / daz da stoczt an den obgenanten Staynweg an des Schüppels Wis / und legen auch all Hochter und alle March auf die rechten Hant. Diser Dinge sint Gezeuz die bey Uns auf dem Geyaid waren / und mit Uns den iez genanten Walt überritten / und die gemelte Zaichenn und ausschaiden hulfen / der egenante Herzog Friderich Unser Pruder. Johans von Prun Unser Jegermaister. Hainrich von Prun Unser Schenck. Alber der Schenck von Ried. Niclas vom Haus. Vlrich von Empts. Jans der Lozperger. Hainrich von Zelking. Wernhard der Streun. Jans von Walse von Drosendorff. Jans der Druchsecz von Walpurg. Enderlin Zurggrab. Hensli Türs von Liechtenvels. Erczlich Unser Kamrer / / Unser Jeger / und andre Unser Hofgesinde. Dis geschach / und ist diser Brief geben ze Wienn / versigelt mit Unserm grozzen anhangunden Insigel. An Fritag nach Sand Margreten Tag. Do man zalt von Kristi Gepurd Tausent dreyhundert / und sechtzig Jar. Unsers Alters in dem Ayn und zwaintzigisten. Und Unsers Gewaltes in dem andern Jare.

Wir der vorgenant Herzog Rudolf stercken diesen Prieff mit dirr Unterschrift selbs Hant.

Et nos Johannes DEI & A. S. gratia Electus & confirmatus Ecclesiæ Gurcensis, præfati Domini Ducis *Austriæ* primus Cancellarius, recognovimus omnia prænotata.

XLII.

Confœderatio inter Rudolphum IV. Ducem Austriæ, & Godefridum Episcopum Patavienſem, contra omnes invasores.

WIr Rudolff der Viert von Gotes Gnaden Herzog ze Oesterreich / ze Steyr / und ze Khärndten / Herr ze Crain / auf der Windischen March / 1362. *Ex authent.* P. H.

March / und ze Portenau / Graff ze Habspurg / ze Phirt / und ze Küburg / Marggraff ze Burgau / und Landgraff in Elsassen. Bekennen / und tun kund offenleich mit disem Brief / allen den / die in sehent läsen / oder hörent lesen / nu oder hinach / daz Wir mit guetem Rate / und zeitigen Vorbetrachtung / durch Frides und gemainen Nuz / und Gemaches willen / unser Lande / und aller unser Unterthanen / für uns und für die Hochgeborn Fridrich / Albrecht und Leupolden / Herzogen und Herrn der genanten Lande / unser liebe Brieder / und für all unser Erben und Nachkomen / verhaissen und gelobt haben bey unsern Treuen / und mit Worte unser Fürstlichen Wirdigkeit verhaissen / und geloben auch mit disem Brief; das Wir den Erwürdigen Herrn Gottfriden Bischoffen ze Passau / allen seinen Nachkomen Bischoffen und dem Gottshaus daselbst ze Passau / beholffen sein sullen / und wellen firderleich und endlich / mit aller unser Macht / zu allen iren Eren / Wirden / Rechten / und Frommen / wider allermeniglichen / niemand ausgenomen / wen in das Not geschicht / und Wir darumb von Jn gefordert / und geant werden / an alles verziehen: und daz Wir Jm auch alle unser Vessten offen haben sullen ze allen Zeiten / da und ir des Gotshauß Krieg und Nöten / an Geverd: wer aber / daz iemands / der uns angehörte / wider den Bischoffen und das Gotshaus ze Passau / oder wider die seinen icht tett / darumb sull der Bischoff uns ze Red sezen / und sullen Wir den von dem unsern Müe und Recht tun / nach Gelegenheit der Sachen an Geverde / wolt aber der unser des wider sein / und Müe und Raths von uns nit gehorsamb sein; so sull Wir dem Bischoff und dem Gotshaus von Passau auf demselben geholffen seyn / also lang / untz das er darumb gebessert wird / und bindten auch vestigleich ze den vorgeschriben Gelübden und Dinge unser egenante Brieder / und alle unser Erben / und Nachkomen ewigleich. Mit Urkund dits Briefs / der geben ist ze Wienn an Montag vor unser Frauen Tag der Kindigung / nach Cristi Gepurd dreitzehenhundert Jar / darnach in dem zwey und sechtzigisten Jar / unsers Alters im drey und zwaintzigsten / und unsers Gewalts im vierten Jar.

XLIII.

Iohannis Creutzeri testimonium publicum de quibusdam Rudolfi, Alberti & Leopoldi Ducum Austriæ litteris &c.

IN nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejusdem Millesimo trecentesimo sexagesimo quinto, Indictione tertia, Pontificatûs Sanctissimi in Cristo Patris & Domini nostri, Domini *Vrbani* divina providentia Papæ quinti, Anno quarto, decimo octavo die mensis Decembris horâ quasi Vesperarum in mei Notarii publici ac testium infrà scriptorum præsentia personaliter constituti, Reverendi ac Discreti Viri: Dominus *Fridericus* Physicus, Dominus *Petrus*, Dns *Ioannes* Marchionissæ Capellanus, Dns *Rapoto*, Dns *Petrus*, Dns *Iacobus*, Dns *Thomas*, & alii quàm plures Canonici Ecclesie S. Stephani ac Præposituræ omnium Sanctorum *Viennæ* de communi consensu ac voluntate, quasdam litteras pergamenas in Teutonico scriptas Illustrium Principum *Rudolphi*, *Alberti* & *Leopoldi* Ducum *Austriæ* Germanorum suis veris sigillis tribus circularibus de cera rubea communi impressis in filis sericis, partim viridibus partim rubeis pendentibus sigillatas: Quorum primum, videlicet sigillum, Ducis *Rudolphi*, in medio interioris suæ circumferentiæ, quæ duodecim semicirculis interjectis triangulis totidem distinctum erat, similitudinem hominis ex toto armati, equo fallerato, signum salutiferæ Crucis fronte sua & supra caput ejus aquilæ formam habente insidentis, prout prima facie videbatur, repræsentabat. Cujus equi pedibus anterioribus semicirculum, qui quintus est â semicirculo, quantum ad partem interiorem numerando, cristam hominis dicti continens, extensis, posteriores â dicto semicirculo cristæ in nona ponebatur. Hominis verò præfati imago in galea sive corona, in cujus medio fasciculus pulmarum caudæ pavonis positus erat, habere videbatur, habens in latere sinistro clypeum, in quo arma Ducatus *Austriæ* apparebant, gestansque manu dextra lanceam, cui banderia aquilam continens fuerat

1365. *Ex autograph. P. H.*

NOs *Albertus* DEI gratia *Luthomislensis* Episcopus, ac Dominus in *Sternberg* ad perpetuam rei memoriam notum facimus Vniversis, quòd, Divina nobis inspirante gratia, iusto & recto examine comperimus, quanta huius Sæculi sit vanitas: qua in huius vitæ labilis stadio sub incertis momentis naufragium præstolantes occupamur, in tantum etiam, ut nulla spes sit salutis, nisi miserator ille Clementissimus de multitudine suæ miserationis ad portum per grata virtutum opera nos reducat salutarem. Sed quia prô dolor fragilitas nostra, illecebrosis corrupta contagiis, non sufficit veniam Omnipotentis consequi pro dilectis perpetratis, vel de huius mundi labentis naufragio liberari, nisi Virorum Cooratorum, quos totis viribus desideramus habere, & præsertim Virorum Religiosorum Sacri Ordinis Cartusiensis, qui præ cæteris omnino à terrenis voluptatibus exuti solam vitam ducunt contemplativam, in simplicitate cordis Altissimo famulantes, suffragio mediante. Devotionis itaque zelo, salubríque conceptu, & animo deliberato, pro nostræ nec non parentum nostrorum & omnium amicorum animarum salute dicto Sacro Ordini Cartusiensi pro divini cultus augmento perpetuo Monasterium seu Domum ad modum ipsius Ordinis, quam *Rubum Beatæ Mariæ* ex speciali devotione censuimus appellari, pro integro Conventu, videlicet Priore, Duodecim Monachis, ac Conversis & aliis personis ipsius Ordinis Domino ibidem perpetuò famulaturis, in honorem Omnipotentis DEI, Beatissimæ suæ Genitricis intemeratæ Mariæ, & specialiter sub vocabulo felicissimæ Annunciationis Dominicæ, Sanctique Johannis Baptistæ, omniumque Sanctorum, in fundo bonorum & possessionum ad nostram Episcopalem mensam spectantium propè civitatem nostram *Luthomisl*, & iuxta fortalitium & Curiam in *Tirzka* nuncupatam, ut puta in spatio, quod à septis in horto ferarum ex transverso positis usque retro ad stratam publicam, & pro hortis olerum ultra viam communem usque ad ripam fluvii à molendino dicurrentis protenditur, Monasterio & Domui prædictis pro termino areæ deputato, competentibus redditibus, proventibus ac bonis aliis de nostris patrimonialibus bonis Auctore Domino comparandis, dotandam fundavimus, erexímus, ac ipsum Ordinem Cartusiensem in persona Religiosi Viri Fratris *Iohannis* dicti *de Leupach*, Monachi Domus Sancti Michaëlis propè *Maguntiam* eiusdem Ordinis, pro Rectore ipsius nostræ fundationis novæ Auctoritate Prioris & Capituli Generalis Cartusiæ ad nostram magnæ petitionis instantiam Nobis ad hoc directi, de loco, fundo & area prædictis corporaliter & præsentialiter investivimus: Subijcientes ipsum locum, domum, fundum & aream memoratis omnibus libertatibus, privilegiis ipsius Ordinis Cartusiensis liberaliori donatione, qua valuimus & potuimus, nihil penitus juris, proprietatis, aut dominii Nobis aut Successoribus nostris Reverendis Patribus *Luthomislensibus* Episcopis in talibus Monasterio, domo, loco, fundo & area, quomodolibet reservantes. Et ex nunc in virtute Altissimi dictam Domum seu Monasterium erigimus & fundamus in Monasterium Cartusiense supradictum; ac fundum, locum, seu aream, prænominatam donamus, tradimus, & assignamus, dictumque fratrem *Iohannem* Rectorem de præmissis omnibus, & ipsum Ordinem Cartusiensem investimus: ac ipsum locum, fundum, aream, Monasterium sive Domum ab omni iurisdictione nostra & omnium Successorum nostrorum totaliter eximentes, prænominato Ordini Cartusiensi, privilegiis & libertatibus singulis & universis subijcimus: Et ad omnem dotationem præmissam faciendam, ac structutam omnium ædificiorum Monasterii sive Domus præfatæ, tam in Ecclesia, quàm in Capella, Cellis, & quibuslibet aliis Officinis, & commodis necessariis, & secundùm modum ipsius Ordinis Cartusiensis opportunis, perficiendam; & ipsis Fratribus, & suis, debitam & convenientem pro utensilibus, victu & vestitu, libris & ornamentis Sacris, & singulis aliis necessariis provisionem, usque ad perceptionem & adeptionem possessionis supradictorum bonorum, liberaliter faciendam, Nos, &, Nobis deficientibus, nostræ ultimæ voluntatis

executores deputatos, vel in futurum deputandos, modo, via & forma, quibus meliùs fieri poterit, firmiter obligamus, & astringimus per præsentes. In quorum testimonium has nostræ fundationis & erectionis, investituræ & donationis litteras Ordini prædicto Cartusiensi, & ad manus Fratris *Iohannis* prænominati, damus sigillis nostris communitas.

Actum & datum in dicto fortalitio nostro *Tirzka* præsentibus Reverendo Patre Domino *Iohanne* Episcopo *Nazarotensi*, Domino *Wenceslao* Archidiacono *Boleslaviensi*, & Honorabilibus Viris & Dominis *Iaroslao*, *Wytiechio*, & *Harclebo*, Canonicis *Olomucensibus*; & præsentibus Dominis strenuis Militibus, *Marquardo de Dobrommelicz* nostro Magistro Curiæ, & *Vito de Kralicz*, ac aliis quampluribus fide dignis, Anno Domini Millesimo Trecentesimo Septuagesimo Octavo in Vigilia Nativitatis Eusdem Domini nostri Iesu Christi.

LI.

Idem Albertus fundationem suæ novæ Cartusiæ amplius stabilit & communit.

1379. *Indict.* NOs *Albertus* DEI gratia Episcopus *Luthomislensis*, ac Dominus in *Steremberg*, notum facimus tenore præsentium universis, quòd, cùm pridem, tam collabentis mundi ruinam, quàm certissimæ mortis appropinquantes molestias, læsæque conscientiæ tenebras, &, quod nihil lateat æterni Iudicis notitiam, intuentes: &, ut eò fortiùs Omnipotentis DEI misericordiam tam pro nobis quàm pro nostris Progenitoribus, Consanguineis, Amicis, & subditis possemus impetrare, quò devotioris & excellentioris famæ Divinorum cultores, & præsertim tales, qui viram solitariam, à mundanis illecebris & terrenorum contagiis plùs cæteris exuti, ducentes, ad omne spirituale certamen agiliores, sub maiori spe divinæ misericordiæ impetrationis, tam pro nobis quàm omnibus nostris supradictis orationes possent effundere puriores, nostros Coadiutores adiungeremus: Nostris perpetuis sub expensis ad instar Sanctissimorum Romanorum Pontificum, ac Serenissimorum Principum Sæcularium, qui novissimis temporibus Ordinem Sacrum Cartusiensem, diversis in locis, specialibus gratiis & favoribus ampliando, prosecuti fuerunt, ad eosdem Cartusienses, utpote tales, quorum merita plus redolere credimus apud DEUM, ad erectionem & fundationem unius Domus dicti Sacri Ordinis Cartusiensis conceptu, sicut indubitanter speramus, salubri, & deliberato animo, de certaque scientia direxerimus mentem nostram. Nec non Sanctissimæ Trinitatis, & Gloriosissimæ Genitricis DEI, Beatæ Mariæ, suæque Beatissimæ Annunciationis ad honorem, & in nostræ Ceterorumque prædictorum animarum salutem, de horto nostro ferarum propè Civitatem nostram *Luthomislensem* pro area dictæ fundationis tantum assignavimus, quantum apparet à fine dicti horti usque ad septa, quæ per eundem hortum à fine fossatorum Curiæ nostræ in *Tirzka* protenduntur ex transverso. Quam quidem aream modis pluribus, tam in ædificiis quàm expensis aliis, in utilitatem ipsius Ecclesiæ nostræ, de bonis nostris patrimonialibus convenienter dictæ nostræ Ecclesiæ compensavimus priùs. Speciali quoque devotione Domum ipsam erigendam, *Rubam B. Mariæ* communiter appellari cupientes, in eodem fundo Ecclesiam cum Sacristia pro maiori parte, tres quoque Cellas iam actu fecimus: quia Venerabilis Pater, Dominus Cartusiensis Prior oblatam sibi nomine & loco totius Ordinis per nos præmissam fundationem tanquam gratam suscipiens, ipsi novæ Domui de Rectore cum duobus Monachis & duobus Conversis fecit provideri, donec sibi per Capitulum Generale ipsius Ordinis de ulteriori numero Conventus secundùm eiusdem Ordinis instituta meliùs valeat provideri.

Proviso itaque per Nos dictis personis & ad se pertinentibus de libris ad Divina officia spectantibus, ac Oratoriis, Cellis, & aliis commodis pro ipsis sufficientibus, ac aliis ad victum & vestitum eorundem, nec non cæteris necessariis, & oneribus ipsis personis & fundationi quomodolibet incumbentibus, usque ad perceptionem reddituum sufficientium ipsis assignandorum opportunis competenter, ut tam concessæ quàm ad dictam fundationem concedendæ personæ, Successoresque eorum, eò quietiùs cultui divino vacare valeant, atque laudes divinas liberiori animo depromant, quò meliùs & sufficientiùs tam in ædificiis quàm

Digitized by Goog

quàm in temporalibus aliis ſuffragiis fuerint præmuniti: Nos & noſtros manuſideles ad hoc iam actu deputatos, ad conſummationem quindecim Cellarum lapidearum cum Galilæa tota benè tectarum, nec non Eccleſiæ, Sacriſtiæ, Capitularis loci, Refectorii, parvi Clauſtri, ac Cellarii benè teſtudinali, puteorum, coquinæ & aliarum officinarum, & habitationis Converſorum & hoſpitum, ac aliorum familiarium, cum ſeptis muratis per gyrum dictorum terminorum ipſis perNos aſſignatorum, iuxta Ordinis ipſius decentiam, noſtris ſumptibus & expenſis, continuatis laboribus, nulla mora notabili vel irrationabili quomodolibet interpoſita, Glorioſæ DEI Genitricis interveniente præſidio devotoque charitatis ſtudio de Bonis noſtris patrimonialibus liberè continuandam: Nec non ad dotationem ipſius fundationis noſtræ uſque ad centum Sexagenas groſſorum Pragenſium, & legalis monetæ perpetuorum & liberorum annuorum reddituum, nec non quatuor araturarum & ſufficientiam nemorum ſeu ſylvarum, ac etiam omnium privilegiorum, graſiarum & libertatum nobis poſſibilium, abſque omni notabili mora de dictis Bonis noſtris faciendam, Nos omni via & modo, quibus meliùs valere poteſt, firmiter obligamus per præſentes. In quorum teſtimonium Venerabilibus Viris & Dominis, *Iohanni* Domûs *Horti Beatæ Mariæ* propè *Pragam* dicti Ordinis Priori, tanquam Commiſſario ad hoc deputato, nec non *Iohanni* dictæ noſtræ novæ fundationis Rectori, litteras has noſtro maiori ſigillo appenſo ſigillatas tradidimus ſuper eo.

Datum *Pragæ* anno Domini Milleſimo treceteſimo ſeptuageſimo nono in Cœna Domini, quæ eſt ſeptima dies Menſis Aprilis.

LII.

Idem Carthuſiæ a ſe fundatæ certa bona & prædia aſſignat.

inlid. NOs *Albertus de Sternberg* DEI gratia *Luthomiſlenſis* Epiſcopus, ad perpetuam rei memoriam. Notificamus tenore præſentium univerſis, quòd Divina nobis inſpirante gratia, iuſto & recto examine comperimus, quanta huius ſæculi ſit vanitas, qua in vitæ huius labilis ſtadio ſub incertis momentis naufragium præſtolantes occupamur, in tantum etiam, ut nulla ſit ſalutis, niſi miſerator ille clementiſſimus de multitudine ſuæ miſerationis ad portum per grata virtutum opera nos reducat ſalutarem. Sed quia prô dolor fragilitas noſtra, illecebroſis corrupta contagiis, non ſufficit veniam omnipotentis conſequi pro delictis perpetratis, & de huius mundi naufragio liberari, niſi noſtrorum cooratorum, quos totis viribus habere anhelamus, ſuffragio mediante, & præſertim Sacri Ordinis Carthuſienſis Virorum Religioſorum qui præ cæteris omnibus omnino à terrenis affectibus ſunt exuti, & ſolam ducunt vitam complativam, in ſimplicitate cordis devotiùs famulantes. Ut autem tantò ferventiùs & commodoſiùs pro Nobis, noſtris Progenitoribus, Succeſſoribus, Conſanguineis & Amicis, miſericordiam Altiſſimi valeant deprecari, quantò per Nos, non ſolùm in ædificiis, verùm etiam in rerum temporalium ſuſtentatione, ad corporis neceſſitatem pertinente, noverint ſe eſſe refectos pariter & proviſos. Sanè igitur prædicti Sacri Ordinis Carthuſienſis Monaſterium (quod de bonis noſtris patrimonialibus pro divini cultus augmento & honore in fundo noſtræ poſſeſſionis Epiſcopalis propè *Luthomiſchl* per certos terminos ad hoc deputato, fundavimus & ereximus) ex devotione ſpeciali *Rubum Beatæ Mariæ* id Monaſterium appellari cenſuimus, in quo tredecim Monachi cum certis Converſis eiuſdem Ordinis perpetuis degere temporibus debebunt ad frequentandum laudes divinas iuxta præfati Ordinis Carthuſienſis Sancta inſtituta.

Ne autem ex rerum temporalium defectibus iam dicti noſtri cooratores in Divinis obſequiis deficiant, ipſis rerum temporalium pro ſuſtentatione tot perſonarum, ùt præfertur, ibidem degentium in bonis noſtris per nos pecuniis & laboribus noſtris conquiſitis fecimus & facimus proviſionem in hunc modum: Videlicet, quòd Bona & villas *Dolan* & *Thowvitz* propè *Olomutz*, nec non *Moravvitzan* & *Palonin* in *Moravia* per nos empta ſeu emptas cum hominibus, cenſibus, curiis, agris, pratis, paſcuis, cum pleno iure Dominii, & generaliter cum omnibus libertatibus & pertinentiis ſuis (iure Patronatus & una curticula duntaxat excluſis) cum aliis verò omnibus Iuribus

ribus & utilitatibus, prout dicta Bona emimus, nihil amplius nobis reſervantes in eiſdem, dedimus & donavimus, ac præſentibus, Priori, Fratribus, ac Conventui Ordinis Cartuſienſis Monaſterii *Rubi B. Mariæ*, per nos, ùt præmittitur, fundati & erecti, damus & donamus ad habendum perpetuò, & cum pleno iure Dominii hæreditariè poſſidendum ac de ipſis, ſicut de propriis, liberè diſponendum. Eorumque omnium bonorum cum eorum univerſis & ſingulis pertinentiis in manus ipſorum, Prioris, Fratrum, & Conventus Ordinis & Monaſterii prædictorum damus & tradimus realem poſſeſſionem, ſolùm iure Patronatus Eccleſiæ in *Moravvitzan* nobis reſervato: Volentes fideliter omnia & ſingula bona, & ſpecialiter *Moravvitzan* & *Palonyn*, villas prædictas cum ſuis univerſis Iuribus & proprietatibus, ſolùm iure Patronatus, ùt præfertur, excluſo, ſæpefatis Priori, Fratribus ac Domui, in quantum nobis poſſibile fuerit, intabulari procurare. Et eaſdem Villas Honorabilibus Viris & Dominis, *Petro de Roſemberg* Regiæ Capellæ ad omnes Sanctos in Caſtro *Pragenſi*, & *Sazemæ de Vſk Tynenſi*, Præpoſitis, Fratribus noſtris Chariſſimis, & noſtræ ultimæ voluntatis executoribus, quibus dictæ villæ ſunt etiam aſcriptæ, commiſimus, ut in caſu, quo Nos priùs decedere, quod abſit, contigerit, ſupradictas villas cum earum pertinentiis, Priori, Fratribus, & Conventui intabulari fideliter procurent, prout ſuper eo prænominati Fratres noſtri, & ultimæ voluntatis noſtræ executores ſecuritatem litteris ſuis patentibus, ipſis Priori, Fratribus & Conventui iam fecerunt: Sic ut omnia & ſingula præmiſſa, aut per Nos favente Altiſſimo, aut per noſtros ultimæ voluntatis executores prædictos efficaciter debeant adimpleri; & votum noſtrum, quod erga prædictum Sacrum Cartuſienſem Ordinem gerere incepimus ad laudem perpetuam Omnipotentis DEI & eius intemeratæ Matris Virginis Mariæ feliciter conſummari. Ut autem huiuſmodi dotatio per nos, ùt prædicitur, facta perpetuum robur obtineat firmitatis, præſentes litteras dedimus noſtris ſigillis communitas.

Actum & Datum *Pragæ* Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Septuageſimo nono, Indict. ſecunda, die prima Novembris, quæ dies fuit omnium Sanctorum.

LIII.

Petrus de Roſemberg & Zazema de Vſk, Præpoſiti ſpondent, ſe fideles voluntatis Alberti Ep. Luthomislenſis circa fundationem & dotationem Cartuſiæ Rubi B. Mariæ Virg. exſecutores futuros.

NOs *Petrus de Roſemberg* Regiæ Capellæ ad omnes Sanctos in Caſtro *Pragenſi* Præpoſitus, & *Sazema de Vſk Tynenſis* Præpoſitus, Reverendi in Chriſto Patris Domini *Alberti Luthomislenſis* Epiſcopi ultimæ voluntatis executores recognoſcimus tenore præſentium univerſis, quòd, cùm aliàs Idem Reverendus Pater & Dominus certam Domum, videlicet *Rubi Beatæ Mariæ*, Ordinis Cartuſienſis propè Civitatem ſuam *Luthomislenſem* erexerit, ac fundaverit; ac in dotationem eiuſdem Domus bona & villas, videlicet *Moravvitzan* & *Palonym*, in *Moravia* ſita ſeu ſitas, cum omni iure & pleno dominio ſine aliorum quocunque præiudicio comparaverit, & eidem Domui, iure Patronatus Eccleſiæ ibidem excepto duntaxat, condonaverit: gerens de nobis, tanquam ultimæ ſuæ voluntatis aliàs ab ipſo conſtitutis executoribus, fiduciam ſingularem, eadem bona cum eorum univerſis iuribus & pertinentiis, prout ea comparavit, & litteræ ſuper eo ſunt confectæ, per venditores ipſorum bonorum & villarum, Nobis loco dictæ Domus eaſdem litteras aſcribi fecerit confidenter, ſub pactis & conditionibus infrà ſcriptis, videlicet, quòd in caſu, ubi ipſe Dominus Epiſcopus ac Fundator præfatus dictas villas & bona cum eorum pertinentiis, vel dictæ Domui, vita ſibi comite, intabulari, vel in alia bona convenientiora permutari, non poſſet efficere, Nos ex tunc intabulationem vel commutationem huiuſmodi bonorum dictæ Domui deberemus, quantum poſſibile nobis foret, fideliter procurare; Religioſique Fratres, Prior & Conventus, præfatæ Domus pro tempore deberent in antea totali dominio & uſufructu dictorum Bonorum & villarum cum ipſarum pertinentiis, tanquam propriorum, vigore litterarum ſuarum deſuper *Indict.*

super ipsis datarum, pacifica possessione gaudere.

Nos igitur sui manufideles antedicti suprà dictam ascriptionem Bonorum nobis factam eo modo, ùt præfertur, ratam & gratam habentes, bona nostra fide & sincera, absque omni fraude & dolo, ipsis Priori & Conventui, qui pro tempore fuerint, & eorum Successoribus, ac Domui suæ prædictæ, præfatas in tabulationem, dispositionem & ordinationem, venditionem vel permutationem, pro omni utilitate dictæ Domus faciendas promittimus juxta posse nostrum exequi cum effectu, nec non alia omnia & singula præmissa volumus fideliter promovere, & rata ac grata tenere promittimus, omnibus dolo & fraude procul motis. In quorum omnium evidentiam & certitudinem firmiorem Sigilla nostra propria de certa nostra scientia præsentibus sunt appensa.

Actum & datum *Pragæ* die Sancti Ieronymi anno Domini Millesimo trecentesimo septuagesimo nono; hoc est, ultima die Mensis Septembris.

LIV.

Potha de Willemberg Alberto Episcopo Luthomislensi vendit prædia Dolany & Thovvitz.

Indid. NOs *Potha de Willemberg*, aliàs de *Lostitz*, notum facimus tenore præsentium universis, quòd matura deliberatione & Amicorum nostrorum sano consilio præhabitis, bona nostra, scilicet *Dolany* & *Thovvitz* quidquid ibidem habere dinoscimur, cum araturis, agris, cultis & incultis, pratis, pascuis, sylvis, montibus, vallibus, venationibus, aucupationibus, aquis aquarúmve decursibus, piscinis, fluminibus, rivulis, viis, semitis, accessibus & regressibus, cum grenitiis, limitibus & terminis, ac cum pleno jure & Dominio, specialiter jure Patronatus incluso, cum omnibus juribus & jurisdictionibus, cum libertatibus ac universitatibus, cum hominibus & incolis, cum censibus & aliis solutionibus, & generaliter cum omnibus ipsorum pertinentiis, intra & extra ad eadem bona spectantibus, in quibuscunque rebus consistant, aut quibuscunque censeantur nominibus, juris aut proprietatis, in eisdem bonis nihil penitus nobis reservantes, vendidimus Reverendo in Christo Patri Domino *Alberto Luthomislensi* Episcopo, & honorabilibus viris & Dominis, *Petro de Rosemberg* Præposito Regiæ aulæ Pragæ ad omnes Sanctos, & *Sazemæ de Usk* Præposito *Tynensi*; & præsentibus vendimus pro - - - - - Marcis grossorum Denariorum monetæ Pragensis.

Nos igitur *Potha de Willemberg* prænominatus *Benesius* & *Protzko de Willemberg*, aliàs de *Buzavv*, *Potha de Culenstain*, aliàs de *Wzdunka*, *Wocko de Holenstain*, *Pauliko de Evvlenburg*, aliàs de *Sovvienetz*, & *Suliko de Konitz*, cum ipso & pro ipso compromissores, promittimus omnes in solidum manu nostra conjuncta, nostra fide sincera, absque omni fraude & dolo, eadem Bona cum ipsorum omnibus pertinentiis jam expressis, ab omni impetitione & impedimentis jure terræ *Moraviæ* libertare & exbrigare; ac etiam in proximo colloquio Dominorum, cum tabulæ terræ *Moraviæ* apertæ fuerint, dicta bona cum ipsorum singulis pertinentiis Domino *Alberto* Episcopo, Dominis *Petro & Sazemæ* memoratis intabulare promittimus, qualibet difficultate procul mota.

Quod si aliquid in toto vel in parte non fecerimus, quod absit, statim quatuor ex nobis, per præfatos moniti, in Civitatem *Stermberg* prope *Olomutz*, quilibet loco sui, unum honestum Clientem militaris status & conditionis cum uno famulo & duobus equis ad præstandum verum obstagium in domo honesti hospitis nobis deputata promittimus sine omni dilatione mittere & locare: abinde per nullum modum exituri, donec ante omnia prænominata Bona cum ipsorum singulis & pertinentiis jure terræ *Moraviæ* fuerint libertata, & ab omni impetitione disbrigata; & quousque omnia damna proinde per nuntios, rayfas, & alias vias contracta, quæ rationabiliter possent demonstrari, plenè per nos ipsis, Domino *Alberto* Episcopo, *Petro* & *Sazemæ* Dominis Præpositis, prædictis fuerint persoluta: eo specialiter adjecto, quòd nos omnes prænominati in solidum promittimus sæpefata bona cum omnibus & singulis eorum pertinentiis ab excussione, quæ dicitur in vulgari Sutye, etiam libertare.

Quod si eadem Bona ab excussione

non libertaverimus, mox infra quatuor ſeptimanas, ammonitione nobis facta immediatè ſequentes, promittimus & tenemur mille Marcas groſſorum prædictorum Moravici veri pagamenti Domino *Alberto* Epiſcopo ac etiam *Petro* & *Sazemæ* præfatis dare, ſolvere & aſſignare pecunia cum parata. Quod ſi non fecerimus, quod abſit, ex tunc quatuor iterum ex Nobis per eos moniti promittimus in civitatem *Sternberg*, quilibet loco ſui unum honeſtum Clientem ſtatus militaris cum uno famulo & duobus equis ad præſtandum verum obſtagium eodem modo mittere, ut præfertur. In quo obſtagio ſi quatuordecim diebus manſerint dictis mille marcis groſſorum nondum perſolutis, ſtatim ipſi Dominus *Albertus* Epiſcopus, *Petrus* & *Sazema* præfati habent & habere debent plenam & omnimodam poteſtatem dictas mille marcas groſſorum conquirere inter Iudæos & Chriſtianos noſtra omnium ſupra damna. A prædicto etiam obſtagio nullo modo exituri, donec mille marcæ groſſorum cum omnibus & ſingulis damnis quocunque modo contractis, quæ tamen rationabiliter poſſent demonſtrari, plene per nos fuerint datæ & ſolutæ. Inſuper omnia præmiſſa & ſuperiùs contenta. promittimus omnes in ſolidum ad manus Nobilium Dominorum, *Iohannis de Sternberg* aliàs *de Lucavv*, & *Beneſſii de Cravar* aliàs *Crumnavv*, tenere rata & grata, ac inviolabiliter in omnibus ſuis ſententiis obſervare. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra propria de certa noſtra ſcientia præſentibus ſunt appenſa.

Actum & datum *Sternberg* anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octavo, Dominica die infra Octavas Aſſumptionis Beatæ Mariæ Semper Virginis.

LV.

Beneſſius & Proczko de Willmberg eidem Alberto titulo venditionis cedunt prædia ſua Moravvitzan & Palonyn.

Indid. NOs *Beneſſius*, & *Proczko* filius ejus, *de Wilmberg* aliàs de *Buzavv*, notum facimus tenore præſentium Univerſis, quòd animo deliberato & ſano Amicorum noſtrorum conſilio præhabitis Bona & hæreditates noſtras, videlicet *Moravvitzan* & *Palonyn*, villas integras, quas habuimus, cum agris cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſylvis, rubetis, nemoribus, montibus, vallibus, piſcinis, aquis, rivulis, aquarumque decurſibus, viis, ſemitis, acceſſibus & regreſſibus, venationibus, aucupationibus, cum terminis, metis, areis & limitibus, cum pleno jure & dominio, ſpecialiter jure Patronatus Eccleſiæ Parochialis in *Moravvitzan* incluſo, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus, cum hominibus & incolis, cum cenſibus & aliis ſolutionibus, & generaliter cum omnibus ipſorum pertinentiis, intra & extra ad easdem villas ſpectantibus, in quibuſcunque rebus conſiſtant, aut quibuſcunque cenſeantur nominibus: unam etiam Curiam allodialem in *Moravvitzan* cum agris & ſegetibus, hyemalibus & æſtivalibus, pomeriis, pratis, paſcuis, & ſingulis ipſius pertinentiis vendidimus juſto venditionis titulo Reverendo in Chriſto Patri Domino *Alberto de Sternberg Luthomiſlenſi* Epiſcopo, & honorabilibus Viris & Dominis, *Petro de Roſemberg* Regiæ Capellæ ad omnes Sanctos *Pragæ* & *Sazemæ de Vsk Tynenſi*, Præpoſitis; & cum pleno jure vendimus pro - - - - - Marcis groſſorum minus quinque groſſis monetæ Pragenſis, Nobis iam in parata pecunia ſolutis, nihil nobis aut noſtris hæredibus in eisdem Bonis & villis, ac etiam in curia cum ipſorum pertinentiis juris aut proprietatis penitus reſervantes.

Nos igitur *Beneſſius* & *Proczko* prænominati prædictorum Bonorum venditores principales, *Vlricus de Bozkovictz*, *Beneſſius de Cravar*, aliàs de *Crumnavv*, *Wocko de Holenſtain*, *Iohannes* dictus *Kropacz de Holnſtain*, & *Pauliko de Eulmburg*, cum ipſis & pro ipſis compromiſſores promittimus omnes in ſolidum manu noſtra conjuncta, ſincera fide, ſine omni fraude & dolo eadem Bona & Curiam cum ipſorum pertinentiis omnibus jam expreſſis ab omni impetitione &c. *Cùm ferè eadem ſint, quæ ſequuntur, cum iis in præcedenti inſtrumento expreſſis, ab eorum deſcriptione abſtinere volui, & ſolùm addere finem, qui talis eſt:*

Actum & datum *Sternberg* anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Septuageſimo Nono, die Sancti Stanislai Martyris & Pontificis.

LVI. *Procz-*

LVI.

Proczko de Willmberg aliisque plures fidejubent pro venditione & ceſſione bonorum, priori numero recenſitorum.

NOs *Proczko de Willmberg* alias de *Buzavv*, *Ulricus de Botzkovicz*, *Beneſſius de Cravar* aliàs de *Crumnavv*, *Wocko de Holnſtain*, *Johannes* dictus *Kropacz de Holnſtain*, *Pauliko de Evvlmburg*, & *Heinricus de Alberſtorff*, pro parte Nobilium Virorum Dominorum *Beneſſii de Willmberg* alias de *Buzavv*, & *Pothæ de Vilmberg*, aliàs *de Lostitz*, notum facimus tenore præſentium univerſis, quod prædictus Nobilis Dominus *Beneſſius* matura præhabita deliberatione villas ipſius integras, videlicet *Moravvitzan* & *Palonyn*, ac etiam Curiam in *Morabitzan*, cum agris cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſylvis, hominibus, cenſibus, & aliis ſolutionibus, jure Patronatus Eccleſiæ in *Moravvitzan* incluſo, cùm pleno jure & Dominio, nihil ſibi in eisdem villis juris aut proprietatis, ac etiam in Curia cum ipſis pertinentiis penitus reſervando vendiderit Reverendo Patri Domino *Alberto de Stermberg Luthomiſlenſi* Epiſcopo, & honorabilibus Viris & Dominis *Petro de Roſemberg* Regiæ Capellæ ad omnes Sanctos *Pragæ* & *Sazemæ de Vsk Tynenſi*, Præpoſitis pro - - - - - Marcis minus quinque groſſis groſſorum monetæ Pragenſis; quas iam plenè & ex toto percepit: prout in alia littera patenti hujuſmodi bonorum venditio plenius continetur. Quas quidem Villas, *Moravvitzan* & *Palonyn*, ac etiam Curiam, cum ipſorum omnibus pertinentiis ratione Dotalitii, quod Nobiles Dominæ, *Annæ* ipſius Domini *Beneſſii* & *Elizabeth* ipſius Domini *Pothæ*, Conthorales in eisdem villis habere dinoſcuntur, Nos omnes prænominati fidejuſſores promittimus manu conjuncta indiviſim, noſtra ſincera fide, ſine omni fraude & dolo, ab omni impetitione & impedimentis ipſarum Dominarum, aut pro eis facientium, tribus annis & uno die poſt mortem ipſorum Dominorum immediatè ſequentibus, videlicet *Beneſſii* & *Pothæ* prædictorum, exbrigare & omnimodè libertare, eo ſpecialiter expreſſo, quòd ſi medio tempore aliquem ex nobis fidejuſſoribus decedere contigerit, quod abſit, ex tunc, infra duos menſes poſt monitionem nobis factam ſequentes, promittimus præſentem litteram ſtatim innovare, & alium fidejuſſorem loco ipſius, qui deceſſerit, quotieſcunque illud fieri contigerit, æquivalentem priori reformare ad ſtandum nobiſcum in omnibus compromiſſis, quæ in præſenti littera ſuperiùs ſunt deſcripta.

Quod ſi aliquid in præmiſſis non fecerimus, quod abſit, ex tunc quatuor ex nobis, quicunque per ipſos, Dominum *Albertum* Epiſcopum *Petrum* & *Sazemam* præfatos moniti fuerimus, tenemur & promittimus quilibet dare & mittere loco ſui unum militem aut honeſtum Clientem militaris ſtatus & conditionis cum duobus famulis & tribus equis in Civitatem *Stermberg* prope *Olomutz* ad domum honeſti hoſpitis Nobis deputatam ad præſtandum ibidem verum obſtagium & conſuetum ab eadem nullo modo exituri, donec ante omnia prædictæ villæ & Bona cum ſuis ſingulis pertinentiis ab omni impetitione & impedimentis, ut præfertur, fuerint per nos exbrigata, & omnia promiſſa tam de præſentis litteræ innovatione & fidejuſſorum reformatione, quàm etiam de ipſorum Bonorum exbrigatione per nos fuerint efficaciter adimpleta, & omnia damna ſoluta, quæ ſæpedicti Dominus *Albertus* Epiſcopus, *Petrus* & *Sazema* per vias, nuntios, rayſas aut alio quocunque modo perceperint, quæ rationabiliter potuerint demonſtrari.

Inſuper nos omnes prænominati fidejuſſores promittimus manu conjuncta, noſtra ſincera fide, ſine omni fraude & dolo, omnia noſtra promiſſa ſuperius contenta in omnibus eorum ſententiis & clauſulis de verbo ad verbum, de ſenſu ad ſenſum, ad manus eorum, qui præſentes litteras habuerint, firmiter & inviolabiliter obſervare. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras dedimus, quibus ſigilla noſtra propria de certa ſcientia ſunt appenſa.

Actum & datum *Stermberg* anno Domini MCCCLXXIX. in die S. Staniſlai Pontificis & Martyris.

LVII.

Iudocus Marchio Moraviæ præcipit, ut villæ Dolany, Thovvirtz, Moravvitzan & Palonyn Cartuſiæ Rubi B. Mariæ V. intabulentur.

1380. *Indict.* I *Udocus* DEI gratia Marchio & Domi-

nus *Moraviæ*, notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd ad donationem Villarum *Dolany*, *Thovvirzz*, *poravvitzan* & *Malonyn*, quas venerabilis Dominus *Albertus* quondam *Luthomiſlenſis* Epiſcopus Religioſis Prioti & Conventui novæ ſuæ plantationis prope *Luthomisl* Ordinis Cartuſienſis dediſſe & contuliſſe dinoſcitur, noſtrum conſenſum dedimus & donavimus, damus, donamus, virtute præſentium & largimur: committentes Camerario ſupremo Czudario, Notario & aliis Vicedominiconibus Czudæ *Olomucenſis* præſentibus ſeriosè, quatenus præfatas Villas ſupradictis Priori & Conventui intabulent, & auctoritate ſuorum officiorum intabulari disponant, dum primum celebrabitur colloquium Dominorum, præſentium ſub appenſo noſtro ſigillo teſtimonio litterarum.

Datum *Brunæ* anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Octuageſimo, Dominica *Reſpice in me*.

LVII.

Joannes Epiſc. Luthomiſlenſis confirmat fundationem Cartuſiæ prædictæ, ac novis favoribus auget.

Indit. JOannes DEI & Apoſtolicæ Sedis grátia Epiſcopus *Luthomiſlenſis* ad perpetuam rei geſtæ notitiam præſentibus cupimus pervenire, quòd olim Reverendus in Chriſto Pater & Dominus *Albertus* ejusdem *Luthomiſlenſis* Eccleſiæ & immediatus Prædeceſſor noſter ſuo duntaxat nomine, & licèt pro magna animæ ſuæ ſalute, tamen, quod reprehenſibile videtur, propria auctoritate & penitus ſine conſenſu ſuæ *Luthomiſlenſis* Eccleſiæ Capituli, fundavit & erexit ad laudem DEI, & Beatæ Virginis Mariæ, & Sancti Johannis Baptiſtæ, de titulo Monaſterium *Rubi Beatæ Mariæ* Sacri Cartuſienſis Ordinis in fundo ſui Epiſcopatus imò ad menſam Epiſcopalem ſpectante, comparatis & emptis per eundem Dominum *Albertum* Epiſcopum certis & competentibus Bonis extra noſtram Diœceſim in terra *Moraviæ Olomucenſis* Diœceſis, videlicet *Moravvitzan*, *Palonyn* & *Dolan* de propriis ſuis laboribus & impenſis, per omnia ſine noſtri Epiſcopatus & quorumcunque aliorum præjuditio, ad ſuſtentationem perſonarum dictæ Domus, ſicut ſuper hoc Originales & ſpeciales litteræ ſunt confectæ.

Itaque, defuncto jam prædicto Domino *Alberto* Epiſcopo prædictæ Domus Fundatore, ad humiles preces Prioris & totius Conventus jam dictæ novæ fundationis Cartuſienſis, ad cavendum illorum futurum periculum, volentes inſtaurare prædictam negligentiam, habito tamen priùs Fratrum noſtrorum jam dictæ Eccleſiæ noſtræ Capituli conſilio & conſenſu pariter, approbantes ejusdem fundatoris pium opus, & eosdem Fratres Cartuſienſes, noſtræ ſalutis Cooperatores in noſtra diœceſi libenter habentes, cedimus eisdem, & ad honorem DEI & Beatæ Virginis liberaliter damus fundum, ut prædicitur, noſtri Epiſcopatus (in quo ipſum Monaſterium fundatur in diſtinctis limitibus & certis ſeptis propè fortalitium noſtrum, dictum *Trzka*,) per eosdem Fratres Cartuſienſes & eorum Succeſſores perpetuò poſſidendum.

Damus nihilominus eisdem Fratribus Cartuſienſibus ligna ſylvæ eidem Monaſterio contiguæ (in qua jam dicta Dominus *Albertus* hortum ſibi ferarum fecerat) in uſum eorundem Fratrum pro iſta duntaxat vice per omnia ſuccidenda. Hoc etiam publicè profitemur, quòd in Collationibus Eccleſiarum in prædictis Villis, *Moravvitzan* videlicet ex nomine (cujus Patronatus jus ſæpè dictus Dominus *Albertus* Epiſcopus in ſuam duntaxat perſonam reſervaverat) nullum nobis & noſtræ Eccleſiæ jus convenit: quæ Eccleſia, ut veriùs dicamus, ad collationem dictorum Cartuſienſium per mortem Domini *Alberti* dicti Epiſcopi cum eorundem Bonorum univerſitate eſt devoluta.

Volumus præterea dictam novam fundationem cum ſuis perſonis, divino adjutorio, ſub tuitione noſtræ Eccleſiæ ſemper gratioſè & fovere, & reſpicere, & eorundem profectum & pacem omni, qua poterimus, diligentia tam libenter quàm fideliter promovere. in cujus rei teſtimonium, ſigillum noſtrum majus cum ſubimpreſſo Secreto noſtro, ac etiam ſigillum dicti noſtri Capituli, præſentibus eſt appenſum.

Datum in *Trzka* Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Octogeſimo primo die Octava Menſis Januarii.

LIX.

LIX.

Vrbanus VI. P. M. Eccleſiam in Muningen unit Monaſterio Deggingenſi.

1381. *Ex autograph. Degging.*

VRbanus Epiſcopus Servus Servorum DEI Venerabili Fratri - - - Epiſcopo Auguſtenſi Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Humilibus ſupplicantium votis, illis præſertim, per quæ Monaſteriorum & piorum locorum & Religioſarum perſonalibus commoditatibus conſulitur, libenter annuimus, & volumus, favorabiles inveniri. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum - - - Abbatis & Conventus Monaſterii in *Dekbingen* Ord. S. Bened. *Auguſtenſis* Diœceſis petitio continebat, quòd olim quondam *Ludovicus* Comes in *Oetinghen* piè conſiderans, quòd fructus, redditus & proventus dicti Monaſterii propter guerras, quæ in illis partibus viguerant, & tunc vigebant, adeò erant diminuti, & tenues ac exiles, quòd Abbas & Conventus prædicti ex eis nequibant commodè ſuſtentari & hoſpitalitatem debitam ſeruare, & alia onera eis incumbentia ſupportare, jus Patronatus Parochialis Eccleſiæ in *Muningen* dictæ Diœceſ. ad ipſum Comitem pertinens, eidem Monaſterio conceſſit, atque donavit, quódque poſtmodùm Venerabilis Frater noſter *Marquardus* Patriarcha *Aquileienſis*, tunc Epiſcopus *Auguſtenſis*, eandem Parochialem Eccleſiam, cuius fructus, redditus & proventus octuaginta florenorum auri ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuum, ùt aſſeritur, non excedunt, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis prædicto Monaſterio Auctoritate ordinaria cum conſilio & conſenſu dilectorum Filiorum Capituli Eccleſiæ *Auguſtenſis* canonicè univit, annexuit & incorporavit perpetuò, prout in quodam publico inſtrumento eorundem Patriarchæ tunc Epiſcopi & Capituli ſigillis munito dicitur pleniùs contineri, & quòd iidem Abbas & Conventus eandem Eccleſiam vigore unionis, annexionis & incorporationis earundem aſſecuti, illam ex tunc per viginti annos & ultra tenuerunt & poſſederunt, prout tenent & poſſident pacificè & quietè. Quare pro parte ipſorum Abbatis & Conventus fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut unionem, annexionem & incorporationem huiuſmodi confirmare, auctoritate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, & quia etiam in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus, ſi per diligentem informationem præmiſſa inveneris veritate fulciri, unionem, annexionem, & incorporationem prædictas auctoritate noſtra confirmare procures, proviſo, quòd, ſi congrua portio pro perpetuo Vicario in ipſa Eccleſia inſtituendo aſſignata non fuerit, portio ipſa pro huiuſmodi Vicario, qui Clericus ſæcularis exiſtat, & fructibus, redditibus & proventibus ipſius Eccleſiæ, per te congrua & ſufficiens aſſignetur, de qua idem Vicarius valeat congruè ſuſtentari Epiſcopalia jura ſolvere, & alia incumbentia ſibi onera ſupportare. - -

Datum *Romæ* apud Sanctum Petrum VIII. Kal. Junii Pontificatus noſtri Anno III.

LX.

Wenceslaus Romanorum Rex Wilhelmum creat primum Ducem Montenſem.

WEnceslaus DEI gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & *Bohemiæ* Rex, Illuſtri *Wilhelmo* Duci *Montenſi*, & Comiti de *Ravenſpergh*, Principi conſanguineo, Conſiliario ſuo & Imperii fideli, dilecto, gratiam Regiam & omne bonum.

Sceptrigera Regiæ Maieſtatis ſublimitas ſicut inferioribus poteſtatibus officii & auctoritatis elatione præfertur, ut commiſſos ſibi fideles a DEO, optatæ conſolationis præſidio *, quòd Thronus Regius tantò ſolidetur fortiùs, & uberiori proſperitate proficiat, quantò largifluæ ſuæ benignitatis donaria largiore liberalitatis munificentia fuderit in ſubiectos: ſic a coruſcante ſplendore Imperialis ſolii Nobilitates aliæ velut a ſole radii prodeuntes, ita fidelium ſtatus & conditiones illuſtrant, quòd primæ lucis integritas minorati luminis detrimenta non ſentiat, immò veriùs, ut ipſa amplioris undique ſcintillantis iubaris exſpectato decore melliflue perabundet, dum in circuitu Sedis Auguſtæ Illuſtrium Principum numerus ad Imperii Sacri decorem feliciter adaugetur.

Sanè attendentes multiplicia merita probitatis ac præclaræ devotionis inſignia, quibus tu & tui Progenitores, Comites Domus *Montenſis* S. R. Imperium dignis quidem ſtuduiſtis honoribus venerari: conſiderantes etiam fervidum tuæ mentis amorem, & Regiæ conſiderationis intuitu limpidiùs intuentes, quòd ad noſtros & Sacri Imperii procurandos honores attentiùs inclinaris, animo deliberato, maturoque tam Principum Electorum quàm etiam aliorum noſtrorum & S. R. I. Principum & Procerum accedente conſilio, te hodie in nomine Domini Salvatoris noſtri, a quo omnis honor, Principatus & Nobilitas provenire noſcuntur, in verum Principem & Ducem *Montenſem* illuſtravimus, creximus, creavimus & ſublimavimus, & tenore præſentium illuſtramus, erigimus, creamus & ſublimamus, & de certa noſtra ſcientia, nec non Romanorum Regiæ poteſtatis plenitudine ſolemniter decoramus, decernentes expreſsè, & edicto Romanorum Regio firmiter ſtatuentes, quòd tu, hæredes & Succeſſores tui, Duces *Montenſes* perpetuò omni dignitate, Nobilitate, iure, poteſtate, libertate, honoribus & conſuetudinibus continuò gaudere debeatis & perfrui, quibus cæteri Imperii Sacri Principes, & ſignanter Duces Illuſtres fruiti ſunt hactenus, & cottidie potiuntur. Terras quoque tuas, civitates, caſtra, munitiones, oppida, villas, provincias, diſtrictus, montes, colles & plana cum omnibus ſylvis, rubetis, pratis, paſcuis, aquis aquarumque decurſibus, piſcinis, piſcaturis, teloneis, iudiciis, bannis ſive inhibitionibus, quod vulgariter Wilpen dicitur, accuſationibus & pœnis inde ſequentibus de conſuetudine vel de iure, Baronibus, Baroniis, feudis, feudatariis, vaſallis, vaſallagiis, militibus, clientibus, iudicibus, civibus, Nobilibus & plebeis, ruſticis, agricolis, pauperibus & divitibus, & omnibus eorum pertinentiis, ſicut prædicta & eorum quælibet latitudo tui Dominii comprehendit, in verum Principatum & Ducatum *Montenſem* ereximus & erigimus & inſignimus, & prædictæ Regiæ poteſtatis plenitudine decoramus, Tibi Illuſtri Duci *Montenſi* prædicto Ducatum ſive Principatum huiuſmodi cum omnibus, Nobilibus, iuribus, privilegiis, emunitatibus, quemadmodum Ducatus ſeu Principatus inſignes ab illuſtribus Sacroſancti Romani Imperii Ducibus ſive Principibus poſſidentur vel tenentur, ſive poſſideri conſueverunt hactenus, & in quantum a S. R. Imperio in feudum dependent, de benignitate Regia conferentes. Decernimus etiam, & hac edictali conſtitutione ſancimus, quòd tu, hæredes & Succeſſores tui, perpetuò Duces *Montenſes* nominari & appellari debeatis in antea, & tanquam cæteri Imperii Sacri Duces & Principes teneri & honorari, & ubique ab omnibus reputari, omnique iure, privilegio, honore, gratia, dignitate & emunitate abſque impedimento perfrui, quibus alii Sacroſancti Imperii Duces & Principes in dandis ſeu recipiendis iuribus, in conferendis ſeu ſuſcipiendis feudis & in omnibus aliis, illuſtrem ſtatum & conditionem Ducum ſeu Principum concernentibus, fruiti ſunt hactenus, ſeu quomodolibet potiuntur.

Et ut Ducatus ſeu Principatus *Montenſis* ſolido fundamento firmetur, & tantò ſe Romano Imperio magis obligatum conſpiciat, quantò ampliori fuerit Regiæ liberalitatis munere decoratus, te, hæredes & Succeſſores tuos Duces *Montenſes* perpetuò, infraſcripto claro quidem officio gratioſiùs inſignimus, ut quotiens nos aut Succeſſores noſtros Romanos Imperatores ſive Reges, ad reprimendam rebellium noſtrorum ſuperbiam, ſeu Imperii procurandos honores, armatos contingat incedere, tu, hæredes aut Succeſſores tui Duces Montenſes, qui pro tempore fuerint, Imperialis ſeu regalis dextrarii noſtri a latere dextro gubernare & proſpicere debitæ fidei diligentia debeatis, & in recubitu menſæ noſtræ cibos Regios, qui in ſolemnibus curiis noſtris adminiſtrati fuerint, coram nobis incidere, ut ſic tanquam Principes & fideles Imperii: & guerrarum & pacis noſtræ curam & cuſtodiam habeatis.

Et quia tu, Princeps chariſſime, tanquam Dux *Montenſis* S. R. Imperii Vaſallus & Princeps, dum eundem tuum Principatum ſeu Ducatum *Montenſem*, à Regia Maieſtate in feudum ſuſciperes, nobis velut Romanorum Regi & Domino tuo, fidelitatis, obedientiæ & ſubiectionis debita iuramenta ſolita præſtitiſti, quòd in Principatu ſeu Ducatu tuo prædicto pacem & iuſtitiam omnibus & ſingulis æquè pauperibus & divitibus procura-

re

re velis & debeas efficaciter & fideliter iuxta posse: decernimus, & hoc regali edicto duximus perpetuò statuendum, quòd tu, hæredes & Successores tui Duces *Montenses*, Ducatum sive Principatum *Montensem* prædictum cum omnibus suis pertinentiis, sicut expressatur superiùs, a nobis, nec non a Serenissimis Imperatoribus seu Regibus Romanorum, Successoribus nostris, & ab ipso Romano Imperio, quotiens opportunum fuerit, debito solemnitatis honore, cum vexillis ùt moris est, & solita reverentia suscipere debeatis, nobisque ac eisdem nostris Successoribus in casibus præmissis, sicut alii Imperiales Duces & Principes, præstare & facere fidelitatis, homagii, obedientiæ, & subiectionis debita corporalia iuramenta.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ illustrationis, erectionis, insignitionis, decorationis & collationis paginam infringere, seu ei ausu quovis temerario contraire sub pœna mille marcarum auri puri, quas ab eo, qui contravenire præsumpserit, irremissibiliter exigi volumus, & earum medietatem nostræ regalis cameræ fisco, residuam verò partem iniuriam passorum usibus applicari, præsentium sub Regiæ Maiestatis nostræ sigillo, testimonio litterarum.

Datum *Aquisgrani* anno Domini MCCCLXXX. Indict. III. IX. Kal. Junii, regnorum nostrorum, *Bohemiæ* anno XVII. Romani verò IV.

LXI.

Fridericus Dux Austriæ Parthenoni ad S. Spiritum propè Ibbsum Ord. Cist. donat Ecclesiam in Kirchpach.

1381. *Ex authent. P. H.*

WIr Fridrich von Gotes Gnaden Hertzog in Oesterreich/und Steyrmarkt/ Hertzog ze Kernten/ der March und Portenau/ tun kunt und zewissen allen denen/ so mit disem gegenwertigen Prieff ersuecht werden. Nachdem Wir eine grosse Begierd haben/ das die Geistlichen und Heiligen Orden von Tag zu Tag aufnemen/ und gemert werdent/ auch mit Gnaden geneigt sein/ dieselben zebefürdern/ ze Haill Unserer Seellen/ ze Lob und Eer GOtt des Allmechtigen/ seiner Heiligen und werten Mueter der Junkfrauen Maria/ und allen Himmlischen Heer: haben Wir die Chirch und Pfarr Kirchbach/ welcher Schutz-Herr Wir sint/ mit aller irer Gerechtigkeit/ und Zugehörungen/wie sie Gottschalch gewester Burger ze Ybbs etwa zewegen gepracht/ und innen gehabt hat/ pur lauter/ und in gueter Mainung umb Gottes willen verschenckt/ vergeben/ und verschafft zu den Closter und Tisch der Erwürdigen in GOt Geistlichen Frauen Abbtissin/ und gantzen Conuent ze Ybbs ausserhalb der Mauren Zisterzienser Ordens; und geben Inen dieselbig hiemit in Crafft ditz Priefs auf ewig innen zehaben und zenutzen; doch mit diser Gestalt und Mainung: nemblich das gedachte Geistliche Frauen/ so yezund sint/ oder künfftig sein werden/ in berürten Gotzhaus sullen alle Jar järlich Unsern Voreltern/ auch Uns und Unsern geliebten Brudern/ wenn Wir mit Tod abgen Unsere Jartág/ und Besingnus Unsers Ableibens allen und ieder besunder mit dem gebürenden Gotzdienst/ und Heiligen Ambt der Mess gar herrlich begeen/ halten und celebriren: Wo aber solches nicht beschech/ und bemeltes Conuent hierinen nachlässig und saumig wurde sein (welches doch nicht beschehen sull) alsdann sull solche Genad und Schankung der Pfarr Kirchbach wider uff Uns und Unsere Nachchomen/ die zur selben Zeit sein werden/ frey ledig heimfallen.

Zue Zeugnus solcher Gab/ und Schankung haben Wir gedachter Closter-Frauen disen gegenwertigen Prieff mit Unserem Sigill zu geben befohlen. Geben ze Ybbs nach Cristi Gepurt im tausend/ dreuhundert/ und achtzigsten Jar/ an Unser Lieben Frauen Gepurt Abend.

LXII.

Wenceslaus Rom. & Bohemiæ Rex dat facultatem Cartusiæ B.M.V. Pragensis emendi curiam Mokrzko &c.

Wenceslaus DEI gratia Roman. Rex, semper Augustus & *Boëmiæ* Rex.

NOtum facimus tenore præsentium 1381.
universis, quòd nuper pro parte Re- *Ex Arch.*
ligiosorum, Prioris & Conventus *Mona-* *Gemnic.*
sterii Sanctæ Mariæ Ordinis Cartusien-

sis

ſis propè *Pragam* noſtræ Majeſtati extitit humiliter ſupplicatum, quatenus ad hoc noſtrum conſenſum, tanquam Rex *Boëmiæ*, dare dignaremur, & ipſis gratioſiùs indulgere, quòd ipſi pro mille ſexagenis groſſorum denariorum Pragenſium bona ſeu poſſeſſiones in Regno noſtro Boëmiæ licitè poſſent emere, & nominatim Curiam *Mokrzko* cum ſuis pertinentiis in diſtrictu *Wltanienſi* propè Villam *Ezelyna* ſituatam. Nos igitur attendentes eorum vitam commendabilem, quam ducunt, mundam & religioſam ſperantes, quòd quidquid gratiæ ipſis impendit noſtra Serenitas, quòd ob hoc ipſorum orationum interventu augeatur noſtra felicitas, & in æterna vita nobis retribuatur feliciter per bonorum omnium Largitorem, animô igitur deliberatô, non per errorem aut improvidè, ſed de certa noſtra ſcientia tanquam Rex *Boëmiæ* præfatis - - Priori & Conventui indulgendum duximus, & indulgemus præſentibus, noſtrumque favorem & licentiam impertimur, quòd ipſi præfatam Curiam & alia bona infra Regnum noſtrum Boëmiæ conſiſtentia uſque ad valorem mille ſexagenarum dictorum groſſorum denariorum Pragenſium licitè poſſint & valeant pro ſe & dicto Monaſterio ſuo perpetuò comparare, ita tamen, quòd de ſylva, ad Curiam pertinente ſupradictam, nulla penitus ligna vendere, ſecare, aut diſtrahere debeant, niſi duntaxat combuſtibilia quò ad uſum ipſorum, & ædificiis reparandis ſeu per eos conſtruendis. Mandamus igitur Honorabili *Stephano* Notario Tabularum Regni *Boëmiæ* devoto, dilecto quatenus, poſtquàm dictos Priorem & Conventum Monaſterii Cartuſienſis bona huiuſmodi pro mille ſexagenis emere contigerit, ex tunc ſtatim bona ipſa tabulis terræ inſerere, & inſerta taliter debeat roborare, quòd dicti - - Prior & Conventus in pacifica poſſeſſione bonorum ipſorum ex nunc in antea permaneant, ipſaque in perpetuum poſſideant ſub iſta libertate & conditione, quemadmodum alia ſua & ſui Monaſterii bona poſſidere noſcuntur, Superioritatis tamen Dominio, Berna, & aliis Juribus de dictis bonis nobis debitis, ſemper ſalvis, præſentium ſub Regiæ Majeſtatis noſtræ ſigillô teſtimonió litteratum.

Datum *Pragæ* Anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo primo Indictione quarta Kalend. Septembr. Regnorum noſtrorum Boëmiæ Anno decimo nono Roman. verò ſexto.

De Mandato Domini Regis, Domino Duce *Teſchinienſi* referente, *Conradus* Epiſcopus *Lubicenſis*.

LXIII.

Fœdus Alberti Ducis Auſtriæ cum Johanne Ep. Patavienſi.

WIr Albrecht von Gotes Gnaden Hertzog ze Oeſterreich/ ze Steyr/ ze Kerndten/ und ze Crain/ Graf ze Tyrol ꝛc. Bekennen und tun chund offenleich mit diſem Brieff/ allen den di in ſehent/ leſent/ oder hörent leſen nu/ und hienach/ daz Wier mit guetem Rat/ und zeitiger Vorbetrachtung/ durch Frides und gemaines Nutzes und Gemaches willen/ Unſer Landt/ Herrſchaften/ und aller Unſer Unterthanen für Uns/ und all Unſer Erben und Nachkomen Hertzogen ze Oeſterreich verhaizzen/ und verlobt haben bey Unſeren Treuen/ und mit Worten Unſer Fürſtlichen Würdigkeit/ verhaizzen und verloben auch mit dem Brief/ daz Wir dem Erwirdigen Unſern Lieben Freindt/ Herrn Johanſen Biſchoffen/ dem Tumb Probſt/ dem Techant und dem Capitl ze Paſſau und allen Iren Nachkomen geholffen ſein ſcholl/ und wellen fürderlich und endlich/ mit aller Unſer Macht/ zu allen iren Eeren/ Wirden Rechten und Frume/ wider allermeniglich/ niemand ausgenohmen/ wen in des Not gſchicht/ und Wir darum von In gevordert und gemant werdent/ an alles Verzieben/ und daz Wier In auch all Unſer Veſſten offen haben ſchollen/ zu allen Iren/ und Ir Herrſchafften/ Kriegen und Nötten an geuerde. Wer aber/ daz yemant/ der Uns angehörte, wider den vorgenanten Biſchoffen von Paſſau/ oder das Capitl daſelbs/ oder Ihr Nachkomen/ oder under Irren icht tete/ darum ſchullen Si Uns ze Red ſetzen/ und ſchullen Wier deme von den Unſern Mün und Recht tun/ nach Gelegenheit der Sachen/ 1381. *Ex Authent. P. H.*

chen / an Geuerde. Wolt aber der underdetz wider Sin/ und Mün und Recht vor Uns nit Gehorſam ſein/ ſo ſchullen Wier dem Vorgenanten von Paſſau/ oder ſeine Nachkomen auf demſelben geholffen ſein/ als lang unß/ daz er darumb gepeſſert wurd/ und verpinden Uns auch veſtiglich zu den vorgeſchriben Gelöbden / und Dingen/ all Unſer Erben und Nachkomen / ewigleich mit Urkund dits Briefs / den Wir darüber geben/ beſigelt mit Unſerem anhangunden Inſigl/ der geben iſt ze Wienn/ am Mittichen in der Oſterwochen/ nach Chriſti Geburt / dreyzehen hundert Jar/ darnach in dem ainem und achtzigiſten Jar.

LXIV.

Litteræ Pilei Presbyteri Cardinalis, quibus Cholomanno Præpoſito Clauſtroneoburgenſi conceditur, ut tam ipſe, quàm Succeſſores ſui, præter mytram & baculum paſtoralem in celebrationibus divinorum, etiam ſcandaliis liberè uti valeant.

1382. *Ex Autogr. P. H.*

Pileus miſeratione Divina tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, ad infrà ſcripta Apoſtolica auctoritate ſuffulti, Dilecto nobis in Chriſto *Cholomanno* Præpoſito Monaſterii Sancte Marie in *Nevvnburga* Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini *Patavienſis* Dioeceſis, ſalutem in Domino.

Eximiæ tuæ devotionis ſinceritas, ac fundationis tuæ Religionis ſublimitas, aliáque dicti Ordinis & perſonarum eiusdem præeminentia non immeritò promerentur, ut votis tuis, quantum cum DEO poſſumus, favorabiliter annuamus. Cùm itaque, prout pro parte tua nobis oblata petitio continebat, dudum à felicis recordationis Domino *Innocentio* Papa VI. Præpoſitis dicti Monaſterii gratioſè ſit conceſſum, quòd in celebrationibus Divinorum mitra & baculo paſtoralibus uti poſſitis, & in dictæ conceſſionis tempore, ut etiam ſandaliis uti valerent, propter negligentiam & inadvertentiam impetrantium eſt omiſſum: Nos ad perſonam tuam & ordinem ac perſonas eiusdem ſingularem devotionem & affectionem obtinentes, ac cupientes te in laudabilibus petitionibus exaudire, gratioſè tibi & tuis in dicta Præpoſitura Succeſſoribus, ut ſandaliis in celebrationibus Divinorum una cum mitra, & Baculo paſtorali uti valeatis, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur, tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hòc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum *Wiennæ Patavienſis* Dioceſis &c. Kal. Martii Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Dni *Vrbani* Divina providentia Papæ VI. Anno quarto.

LXV.

Wenceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex plenam ab omnibus oneribus immunitatem indulget cũriæ Mokrzko, ad Cartuſiam Pragenſem ſpectanti.

1383. *Ex Arch. Gemnic.*

WEnceslaus DEI gratia Rom. Rex ſemper Auguſtus, & *Boemiæ* Rex. Notum facimus tenore præſentium univerſis. quòd attendentes vitam devotam ac cœlibem Religioſorum Prioris & Conventûs *Monaſterii Sanctæ MARIÆ* Cartuſienſis propè *Pragam*, & ut eo liberiùs ſervire valeant Altiſſimo, quò à mundanis curis & temporalibus oneribus liberiores reddũtur, Ipſis & dicto eorum Monaſterio, animô deliberatô, & ex certa ſcientia Curiam eorum *Mokrzko* cum ſuis bonis & pertinentiis, quam aliàs de noſtris conſenſu & ſpeciali licentia emiſſe noſcuntur, ab omni ſervitutis onere, quô eadem Curia cum ſuis bonis hucuſque extitit obligata & onerata, libertandam & eximendam duximus, eximimus & Auctoritate Regia *Boem.* libertamus, decernentes, quòd ex nunc in antea perpetuis affuturis temporibus, ab omnibus ſervitiis & oneribus, inde priùs nobis, tanquam Regi *Boëmiæ*, debitis liberata, exempta penitus eſſe debeat & immunis. Mandamus igitur univerſis & ſingulis Officialibus noſtris, qui ſunt, aut qui pro tempore fuerint, quatenus præfatos Priorem, Conventum & Monaſterium contra præſentem liberationem, libertationem & exemptionem impedire

ſeu gravare non debeant, ſicut noſtram voluerint indignationem graviſſimam evitare, præſentium ſub Regiæ Majeſtatis noſtræ ſigillô teſtimoniô litterarum.

Datum *Pragæ* Anno Dni Milleſimo trecenteſimo octuageſimo tertio, Indictione ſexta, viceſima die Menſis Januarii, Regnorum noſtrorum Annô Boëm. viceſimo, Romani verò ſeptimô.

LXVI. (a)

Idem eidem Cartuſiæ privilegium impertit, bona ſua, prout viſum fuerit, alienandi.

1384. *Indict.* WENCESLAUS DEI gratia Rom. Rex, ſemper Auguſtus, & *Boëmiæ* Rex. Notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd ad honorem Omnipotentis DEI, ſuæque intemeratæ Genitricis, nec non ob ſingularis favoris intuitum, quem ad Religioſos, Priorem & Conventum *Monaſterii, Domus Orti* * *Beatæ MARIÆ* propè Pragam Cartuſienſis Ordinis, devotos noſtros dilectos, paternis inhærendo veſtigiis gerimus. Ipſis & eorum Monaſterio prædicto animô deliberató & maturô Principum, Baronum, & Procerum noſtrorum fidelium accedente conſilio, hanc de ſpecialis noſtræ gratiæ munificentia fecimus, & tenore præſentium de certa noſtra ſcientia, nec non auctoritate Regia *Boëmiæ* facimus gratiam, ut videlicet ipſi, & eorum Conventus de bonis ipſorum, & Monaſterio fortaſſe minùs utilibus, pro fructu & utilitate Monaſterii vendere, exponere, ſeu permutare poſſint & valeant, prout ipſis meliùs & utiliùs videbitur expedire: Quodque ipſi, Prior & Conventus prædicti Monaſterii bona ipſorum omnia, præſentia & futura cum voluntate noſtra Regia poſſidere valeant atque poſſint: Et in ipſis & eorum quolibet, ſuos Officiales, videlicet Judices, Tabernarios, fabros & alios ſervitores, cujuscunque conditionis exiſtant, locare & conſtituere, ac etiam deſtituere, iuxta ipſorum libitum voluntatis.

* *Herti.*

Quibus omnibus conſenſum noſtrum Regium præbemus liberum & aſſenſum, mandantes omnibus & ſingulis Regni noſtri Boëmiæ Officialibus, qui ſunt vel pro tempore fuerint, firmiter & diſtrictè, quatenus præfatos noſtros devotos & ipſum Monaſterium in ante dictis noſtris gratiis & indultis quomodolibet non impediant, nec impediri permittant per quempiam, ſed potiùs in his noſtro nomine manu teneant efficaciter & defendant, prout indignationem noſtram graviſſimam voluerint evitare, præſentium ſub Regiæ noſtræ Majeſtatis ſigillô teſtimoniô litterarum.

Datum *Pragæ* Anno Dni Milleſimô trecenteſimô octuageſimô quartô, die octava decima Menſis Februarii, Regnorum noſtrorum annô *Boëmiæ* viceſimô primô, Rom. verò octavô.

LXVI. (b)

Idem Rex idipſum Privilegium confirmat, nominatim de curia Mokrzovv.

WENCESLAUS DEI gratia Rom. Rex 1385, ſemper Auguſtus, & *Boëmiæ* Rex. *Indict.* Notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd cupientes conditionem Religioſorum . . Prioris & Conventûs Monaſterii Cartuſienſis propè *Pragam* devotorum nobis dilectorum facere meliorem, ad quorum utique bonum ſtatum tanrò Serenitas noſtra inclinatur attentiùs, quantò confidimus de acceptis Orationibus eorundem, animabus Progenitorum noſtrorum, ac noſtræ ſimiliter æternæ ſalutis compendia auctore Domino procurari, Ipſis animô deliberatô, ſanoque fidelium noſtrorum accedente conſilio, gratioſè indulſimus, & tenore præſentium de certa noſtra ſcientia, & Auctoritate Regia *Boëmiæ* gratioſiùs indulgemus, ut Curiam ſuam *Mokrzovv*, quam alias de conſenſu noſtro Regio, & ſpeciali licentia emiſſe noſcuntur, cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis ſub ea libertate, & immunitate vendere liberè valeant, qua eandem ipſis pridem libertâſſe dinoſcimur, prout ſuper hoc emanârunt certæ litteræ libertationis noſtræ continentiæ plenioris: Decernentes expreſsè, & hoc Regali ſtatuentes edictô, quòd hi, qui prædictam Curiam *Mokrzovv* emerint, eandem ſub ea libertate & immunitate tenere & poſſidere valeant perpetuis temporibus ab omnibus oneribus & ſervitiis liberam & immunem, quâ iidem Prior & Conventus ipſam hactenus poſſederunt. Mandamus igitur univerſis & ſingulis Principibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus, Baronibus, Militibus, Clientibus,

bus, Burggraviis, Officialibus, ac ceteris nostris subditis & fidelibus, quatenus præfatos Priorem & Conventum, aut eos, quibus præfatam Curiam suam vendiderint, ut præfertur, contra præsentem gratiam nostram impedire nullô modô præsumant, seu permittant impediri per quempiam, sed potius eosdem nostro nomine circa hujusmodi fideliter manuteneant, protegant & defendant, prout indignationem nostram gravissimam voluerint arctius evitare, præsentium sub Regiæ nostræ Majestatis sigillo, testimoniô litterarum.

Datum *Pragæ* Anno Dni Millesimo trecentesimo octuagesimo quinto, die decima Novembr. Regnorum nostrorum Anno *Boëmiæ* vicesimo tertio, Rom. verò decimo.

LXVII.

Ioannes Archiepiscopus Pragensis confirmat litteras Cartusiæ Horti S. Mariæ Pragensis, quibus quædam ejusdem areæ in emphyteusin elocantur.

1386. *Ex Archiv. Gemnic.*

IOannes DEI gratia Sanctæ *Pragensis* Ecclesiæ Archiepiscopus & Apostolicæ Sedis Legatus, notum facimus tenore præsentium universis, quod ex parte Religiosorum & devotorum in Christo nobis dilectorum Prioris, & Conventus *Domus Orti* Sanctæ Mariæ propè Pragam* Ordinis Cartusiensis, constituti coram nobis Religiosus & devotus Dns *Joannes* Procurator ejusdem Domûs quandam litteram cum sigillo appenso dicti Conventûs, confectam super nova fundatione, quam in agris ipsorum, retrò Monasterium prædictum erexerunt & tradiderunt hominibus censualibus in jus Emphiteoticum, quod vulgariter Purkrecht nuncupatur. Ipse quoque Dominus *Ioannes* Procurator prædictus, nomine Prioris & Conventus prædictorum, nobis instanter supplicavit, quatenus eandem litteram eorum per ipsos super hujusmodi fundatione confectam, copiare & inscribi præsentibus mandaremus, & sigillô nostrô sigillare dignaremur. Cujus quidem litteræ tenor sequitur in hæc verba.

* *Horti.*

In nomine Domini, Amen. Nos Frater *Albertus* Prior, totusque Conven-

* Horti. tus Monasterii Orti * Sanctæ Mariæ propè Pragam, Ordinis Cartusiensis, tenore præsentium recognoscimus universis, quòd intendentes conditionem & statum ejusdem nostri Monasterii facere meliorem, bona deliberatione præhabita, agrum nostrum seu campum situm retrò idem nostrum Monasterium prope nostrum humularium, incipiendo à littore aquæ *Multaviæ*, & directè sursum eundo usque ad stratam seu viam publicam, quæ ducit de minori Civitate *Pragensi* versus villam nostram *Slechovv*, in longitudine & latitudine à fossato, quod est propè nostrum humularium directè usque ad navigium sub Wyssegrado, ad aliud novum fossatum penes aquam sursum transeundo, in viginti quatuor areas æquales, justè divisas, & bina vice per generalem Mensuratorem Regis *Boëmiæ* mensuratas, quarum quælibet quatuor mensuras seu strichones seminis in se continent, & quæ de cætero non debent mensurari, locavimus & exposuimus in jus Emphiteoticum, quod vulgariter Purchrecht dicitur, hominibus nostris censualibus infra scriptis. Primo *Simoni* Civi & Notario minoris Civitatis *Pragensis* unam. Item *Stephano* hortulano Dni Archiepiscopi *Pragensis* unam. Item *Eyrzikovi* dicto *Baska*. Item *Wenceslao* dicto *Ebalnopa* alteram dimidiam. Item *Matthiæ* de institis Minoris Civitatis *Pragensis* prædictæ alteram dimidiam. Idem *Mikssovi* humulatori Monasterii nostri Cartusiensis duas. Item *Zdenikoni* vinitori duas. Item *Gregorio de Gretz* duas. Item *Hanusic* dicto Pssynæ *Pssynæ* unam. Item *Andreæ* oleatori unam. Item *Michaeli* dicto *Wertel* unam. Item *Krzkoni de Podskala* & *Blahutoni* sutori ambobus unam. Item *Ioanni de S. Castulo* unam. Item *Matthiæ* dicto *Wsse* & *Barthonio de Vgezd Pragensi* ambobus unam. Item *Mykessoni* Vinitori unam. Item *Kubitoni* unam. Item *Mikssoni* dicto *Holata* unam. Item *VVenceslao* servitori *Roulitonis* Vinitoris unam. Item *VVernhero de Blatovia* unam. Item *Marziconi* brasiatori unam ac uxoribus hæredibusque & successoribus eorum hominum universis, quas à nobis & nostro Monasterio suscepotunt, ad habendum, tenendum, utifruendum, donandum, legandum, & jure proprietario perpetuò possidendum sub conditionum articulis infrá scriptis, ita videlicet, quòd quilibet illorum

Digitized by Google

hoſpitum in loco ipſius noſtræ novæ fundationis & erectionis, qui *littus Sanctæ MARIÆ* debet nuncupari, in area ſua ſic à nobis recepta, unam domum pro inhabitatione ſua perſonali, aut alterius, quem loco ſui ibidem locare debebit, conſtruere debet more ſolito & conſueto; & hoc à feſto S. Georgii nunc proximè venturo inchoando. Pro quibus quidem areis & earum qualibet, nobis atque noſtro Monaſterio quilibet quindecim groſſos nomine areæ in prompta pecunia nunc dedit, atque plenè perſolvit. Et quandocunque Berna generalis fuerit danda in Regno *Boëmiæ*, ex tunc quilibet dictorum hominum de area ſua nobis pro Berna dare debet unum groſſum, & duos parvos delenriales: etiam tenentur quilibet eorum nobis dare medium groſſum annis ſingulis nomine decimæ parochialis Eccleſiæ S. Iacobi ante noſtrum Monaſterium ſituatæ, & nos ulterius de eisdem agris ſeu areis eorum, eidem Plebano ſatisfacere debemus pro decima Eccleſiæ ſuæ memoratæ, ſicut à fundatione noſtri Monaſterii conſuevimus dare, videlicet undecim ſtrichones utriusque grani, ſex ſtrichones ſiliginis, & quinque hordei: ad quam quidem Eccleſiam Parochialem S. Iacobi dicti noſtri cenſuales dignoſcuntur pertinere, & debent facere eidem Eccleſiæ parochialia jura conſueta, exceptis decimis, quas nos pro ipſis, ut præmiſſum eſt, tenemur, & promittimus anno quolibet expedire. Et ſi Plebanus prædictus, qui nunc eſt, vel, qui pro tempore fuerit, ipſis hominibus, aut alicui eorundem ſuper aliquibus decimis aliquam moveret quæſtionem coram judice quocunque, tunc nos pro eis debemus intervenire, & cauſam & cauſas defendere noſtris propriis ſumptibus & expenſis, ſic, quòd omnino ſint indemnes. Etiam dicti noſtri homines de facultate ipſorum communiter teuentur facere unum pontem perfoſſatum, quod eſt juxta humularium noſtrum immediatè, & illum de communitate ſumptibus eorum reficiant, quoties fuerit oportunum. *Simon* verò Notarius, qui proximè refidebit juxta illud foſſatum ſeu ripam fluvii, qui defluit de villa *Loſſyerz*, pro ſua utilitate debet habere omnes ſalices, quæ creſcunt penes domum ſuam in parte ſua directè ſurſum eundo uſque ad ſtratam publicam prius, nominatam, ut ſe valeat ab impetu ſeu fluxu aquæ ibidem cò melius defenſare. Sed aliæ ſalices, quæ ſimul ſtant & creſcunt in littore aquæ *Multavie*, incipiendo à foſſato fluvii, qui defluit de villa *Loſſyerz* ante dicta, & prout ſe extendunt ſurſum verſus navigium ſub *Wyſſegrado* tranſeundo, ad totam communitatem hominum noſtrorum cenſualium prædictorum debent perpetuè pertinere: per quas quidem ſalices duæ areæ, & iterum aliæ duæ areæ, ante quas hujusmodi ſalices creſcunt, unam viam uſque ad flumen *Multavie* debent habere, impedimento quocunque non obſtante. Et ſemper una vacantia ante fores & domos eorum pro via publica ipſis maneat libera & nullô modô occupata. Item præfati noſtri cenſuales homines, hæredes & ſucceſſores eorum, in aqua *Multavæ* cum parſis ſeu retibus, quæ vulgariter ſachi & ezrizeny appellantur, poterint piſcari duntaxat. Alia verò piſcatura ibidem ad nos & ad noſtrum Monaſterium pertinet atque ſpectat, prout ab antiquo pertinuit & ſpectavit, & quòd iidem noſtri Cenſuales, hæredes & ſucceſſores eorum univerſi in omnibus & ſingulis eorum querelis, cauſis, negotiis, tractatibus, emptionibus & venditionibus tanquam alii noſtri homines nobis & judicio ejusdem noſtri Monaſterii & juri parere debent atque ſubjacere. In cauſis verò appellationum, ſeu aliis quibuscunque dubietatum articulis in Minori Civitate Pragenſi jus recipient & requirent homines noſtri antedicti, ſi in judicio ipſorum tales cauſas ipſi judicialiter non poſſint terminare. Inter quos noſtros homines prædictos, Judicem & Juratos ſtatuemus, qui homines ligna per ipſos empta & emenda, quilibet ad littus ſuum & ante aream ſuam poterit applicare & reponere ibidem. Propterea quilibet dictorum noſtrorum hoſpitum de fundo, ſeu unaquæque area ſua, ut præmittitur, ſic accepta, nobis & dicto noſtro Conventui unam ſexagenam groſſorum denariorum Pragenſium cenſus annui & perpetui, per medium in feſto S. Galli proximè venturo, & per medium in S. Georgii feſto; deinde proximè ſecuturo iſto anno, & ſic deinceps annis ſingulis & perpetuè tenentur cenſuare. Et quandocunque cenſus ille non ſolveretur infra octo dies, tunc poena duorum groſſorum creſcet ſingulis ſeptimanis. Prô quibus quidem cenſu & pœnis accretis,

Nos

Nos Frater *Albertus* Prior, vel qui pro tempore fuerit, & Conventus, poterimus in præmiſſis domibus & ipſarum areis, quandocunque voluerimus, eos propria auctoritate impignorare. Si autem cenſus non ſolutus cum pœnis deſuper accretis forſitan ultra unum annum protraheretur, ex tunc domus hujusmodi, de qua Cenſus cum pœnis non fuerit perſolutus, tunc cum ejus area & ſuis pertinentiis univerſis ad præfatum noſtrum Monaſterium totaliter debet devolvi, impedimento quolibet non obſtante. Et qui habent aream duplam, eodem modô, & eisdem temporibus, prout prædicti, ſolvent annui cenſûs duas ſexagenas. Item quilibet dictorum noſtrorum hominum poterit Domum ſuam cum area & ſuis pertinentiis vendere eo jure, ſicut ipſam habuit, dummodo talis venditio fiat de conſenſu & voluntate noſtra, & tali homini probo eam vendat, qui aliis vicinis ſuis ibidem omnibus, aut ſaniori parti eorum placeat, nec non bonæ famæ ſit atque laudabilis converſationis. In quorum omnium teſtimonium præſentes ſcribi fecimus litteras, & ſigillô noſtri Conventûs iuſſimus communiri. Datum & actum annô Dni Milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſexto in die S. Vincentii Martyris glorioſi.

Nos itaque *Ioannes* Dei gratia *Pragenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus & Apoſtolicæ Sedis Legatus petitioni antedictorum devotorum noſtrorum Dilectorum Prioris & Conventûs, in hac parte favorabiliter inclinati, ipſam eorum litteram præſentibus inſcribi fecimus, noſtroque ſigillô appenſô communiri mandavimus in teſtimonium omnium condictorum præmiſſorum.

Datum in *Praga* in vigilia Purificationis Sanctæ MARIÆ. Anno Milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſexto.

LXVIII.

Capitulum Olomucenſe Cartuſienſibus facultatem impertit ædificandi Monaſterium propè villam Dolan.

1388. *Ex Archiv. Germ.*

NOs *Andreas* Decanus, & Capitulum Eccleſiæ *Olomucenſis*, tenore præſentium recognoſcimus univerſis, quòd pridem, dum viveret ſanctæ memoriæ Reverendus in Chriſto Pater Dominus *Petrus* Epiſcopus *Olomucenſis*, unà nobiſcum conſenſit, quòd Religioſi Fratres Ordinis Cartuſienſis propè villam *Dolan* in quodam loco novum Monaſterium ſui Ordinis erigere poſſent & ædificare. In quorum teſtimonium ſigillum Capituli noſtri præſentibus eſt appenſum, datis annô Domini Milleſimô trecenteſimô octogeſimô octavô, feria ſexta infra octavas Pentecoſtes.

LXIX.

Capitulum generale Cartuſienſe transfert fundationem Cartuſiæ ſeu Domus Rubi ad Domum Vallis Ioſaphat propè Dolan.

FRater *Ioannes* humilis Prior Majoris Domûs *Cartuſiæ*, nec non cæteri Diffinitores totius Capituli Generalis, Ordinis Cartuſienſis, notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd, quia translationem *Domûs Rubi* ad *domum Vallis Ioſaphat* noſtri Cartuſienſis propoſiti, ex juſtis & rationabilibus cauſis legitimè factam per diffinitionem generalis Capituli confirmavimus finaliter & approbavimus, auctoritate ejusdem generalis Capituli nunc diffinitoriè declaramus, quòd omnes facultates bonorum & rerum in grangiis, villis, cenſibus, hominibus, incolis, agris, ſylvis, piſcinis ad dictam *domum Rubi* hactenus incorporatis, cum omnibus aliis rebus, ſive ad ritum Eccleſiaſticum in libris vel ornamentis aliis, ſive ad hoſpitalitatem ſeu domeſticam ſuſtentationem in pecudibus vel pecoribus, & generaliter in quibuscunque rebus conſiſtant, mobilibus vel immobilibus, nihil excipiendo, ipſo facto cum eadem domo translatis ad eandem *Domum Vallis Ioſaphat* ſpectant & pertinent, & ex nunc perpetuis temporibus ſine quorumlibet contradictione, perpetuis temporibus pertinebunt. Nulli igitur, ſive noſtri Ordinis, ſive alterius conditionis perſonæ huic generali noſtræ ex juſto ordinationi liceat contraire: & ſi ſecus attentatum fuerit qualitercunque, ipſô factô ſit irritum & inane. Salvâ tamen hâc præſenti ordinatione noſtrâ, non prohibemus, ſi ſalvo moderamine aliquam partem facultatum prædictarum in Diœceſi *Luthomiſlenſi* habitarum, Prior & Conventus prædictæ *Domûs Vallis Ioſaphat*, etiam de conſenſu Fundatoris ſui ad prædictum locum

Rubi ſponte obtulerint, & libenter dimiſerint, ſine ſui gravi diſpendio in caſu tamen, ſi idem locus ſucceſſu temporis per aliquem certum Fundatorem, diſponente Domino, procederet perficiendus. Addito etiam, ſi id ipſum generale Capitulum legitime admitteret, & approbaret in futurum. In cujus rei teſtimonium ſigillum Capituli Generalis manu Prioris *Carthuſiæ* præſentibus eſt appenſum.

Datum in *Florentia* præſidente Generali Capitulo Annô Domini MCCC LXXXIX. XV. Idus Junii.

LXX.

Fœdus inter Albertum Ducem Auſtriæ & Georgium Ep. Patavienſem.

1289. *Ex autograph. P. H.*

WIr Gorig von Gotes Gnaden Biſchoff ze Pazzau/ und Wir N. der Techant und daz Capitl gemainleich der Stüft daſelbs. Bekennen offenleich für uns und all unſern Nachkomen / allen den di den Brief ſehent leſen / oder hörent leſen ewigleich / daz wir mit billeicher Betrachtung angeſehen und bedacht haben die lauter Treu und Freindſchaft/ Beſchirmung/ Hilff/ Firderung/ und manigfaltige Guttete / di von den Durchleichtigen Fürſten / den alten Hertzogen ze Oeſterreich / ſeliger Gedechtnus / und auch dem Hochgebornen Fürſten unſern lieben Herrn Hertzog Albrechten Herzogen ze Oeſterreich/ Unſern Vorvordern/ und unſerer Stüft ze Paſſau widerfahren ſint / und di auch noch fürbaz von demſelben unſeren Herrn/ und ſeinen Nachkomen widerfahren mügent / ſonderlich und mit Namen/ daz er iezt genant unſer lieber Herr Hertzog Albrecht von Oeſterreich unſere Veſſten und geſchloſſen auf der Tonau/ Viechtenſtain/ Obern Weeſen/ und Nidern Weeſen/ Remna Rigel / Hochenbach / Velden und Riedegkh / di gar ſwerlich von unſerm Gotzhaus verſatzt/ und entpfründet waren/ geholfen hat/ felichleich wider in unſers Gotzhaus Gewalt und Gewer zubringen/ und darumb nach billicher Danckbarkeit mit guter Vorbetrachtung/ nach Rate unſerer Getreuen: So haben Wir uns geen den vorgenanten unſeren lieben Herrn Hertzog Albrechten Hertzog ze Oeſterreich/ und all ſeinen Erben und Nachkomen verbunden / und In gelobt von neuen Dingen/ als auch daz vormals weilent unſer lieber Herr und nagſter Voruroder Biſchoff Johannes ſeeliger getan hat/ und geloben auch wiſſentlich mit dem Brief / durch daz uns ſelber und unſere Stift/ und auch dem genanten Hertzog Albrechten und ſeinen Landen und Leuten ze Oeſterreich/ ſolche Kriege und Anfäl fürbaz ymer aufſtehen von den egenanten unſern Geſloſſen/ als von irer Entphründung vormals beſchegen iſt / daz Wir diſelben unſere Geſlos / als ſy oben benant ſint / vorbaz von unſern Gotzhaus nimmermer verſatzen / verchauffen / oder enphrömden ſchollen / in dhain Weis/ funder daz Wier ſy ſelber innehaben/ unuerkumert : und auch damit dem egenanten unſern Herrn / und ſeinen Nachkomen / Landen und Leuten ewigleich beigeſtendig / und behelffen ſei / und ſi In ze aller irer Not offen haben / und damit bei In bleiben / nach Laut der Pintnuzze / und Briefe / di zwiſchen unſern Voruordern / und uns beedenthalben gemacht ſint. Eſchege aber / daz uns und unſerer Stift / ſolch redliche haft not angieng / daz Wier diſelben Geſlos verſetzen oder verchauffen müeſſten / ſo ſchullen Wier denſelben Satz / oder Chauff niemanden tuen / dan dem vorgenanten unſern Herrn dem Hertzogen ze Oeſterreich/ oder ſeinen Erben. Wer aber / daz der oder di den nicht aufnemen wolten/ ſo ſchullen Wier den tuen mit Iren Willen und Gunſt / ainem oder mer / der in dem Landte ze Oeſterreich / der oder di ze In oder Iren Lande gehörent / damit di egenanten Veſſten und Geſlozze von dem Lande ze Oeſterreich / und von unſerm Gotzhaus / und der egenanten Herrſchafft ze Oeſterreich nicht enphrömdet werden in dhainer Weis. Und darüber zu ewigen Urchund und Sicherhait geben Wier In den Brief beſigelten mit unſern obgenanten Biſchoff Georgen / und auch unſerem des Capitls anhangunden Inſigeln / der geben iſt / ze Wienn am Sontag nach Sand Michaels Tag / nach Criſti Gepurt dreizehenhundert Jar / und darnach in dem neun und achtzigiſten Jare.

LXXI.

LXXI.

Collucii Cancellarii Florentini Epiſtolæ, vel ſuo vel aliorum nomine ſcriptæ.

Ex Biblioth. Wiblingani propè Vlmam.

I.

Conſolatur Malateſtam in obitu Polabianchæ ſororis.

Circ. 1389.

MEns erat, Excellentiſſime Domine, percepto, quàm graviter ferres inſignis & ſanctiſſimæ ſororis tuæ deceſſum, te ſuper hoc amicabiliter conſolari. Sed cogitanti mihi, ſimulque ſuper illius fatalitate commoto ratio longioriſque ætatis experimentum occurrit, nullum efficacius conſolationis eſſe remedium in his, quæ recuperari nequeunt, quàm temporis curſum, hoc enim ſolum tacito labens cælo, nil dicens, nil operans, ſeque ſolum in volumina ſua convertens, cunctis animorum commotionibus medetur, ut nihil humanis mentibus tam durum occurrat, quod ipſum non emolliat, cuncta decoquens licèt cruda, cuncta mitigans licèt aſpera, ad cuncta nos aſſuefaciens licèt mala, cunctaque nos oblivîſci faciens licèt magna. Volui, ne rei tam divinæ colluctari crederer, ipſumque vincere, quod cætera vincat & ſuperet, meditari fruſtra viderer, relinquere ſibi provinciam ſuam, & hoc conſolationis officium ſine intermiſſione dimittere. Nam ſcio, quòd me tacente perfectiſſimè tempus efficiet: immò forſitan iam effecit longè plus quàm ſcriptione facerem vel ſermone. Sola quidem æternitas tempus ipſum inter cætera dominatur, cuncta deterit, omnia delet, & donec in æternitatem evaſerimus, nimis in nos poteſt. Nonne ſtultum eſt, illúd aſſumere, quod non poſſis, cùm alium id ſine dubio videris effecturum? Et quis unquam tam divinæ eloquentiæ fuit, qui recenti mœrori modum poſſet imponere, mentémque graviter commotam ſine lapſu temporis quietare? Nam habent equidem mentes noſtræ ſimilitudinem cum navibus, quæ per mare ferantur, ex quibus tranquillitatis tempore non intus ſolùm audiantur monitus, ſed etiam tranſeuntium ſalutationes, & conſilia, quæ porriguntur extrinſecus, nautæ percipiant: ſin autem tempeſtas ingruerit, tum externa, licèt de propinquo veniant, non poſſint intelligi nec audiri: vix quod intus jubetur, fremitu maris impediente ſentitur, nec poteſt magiſter cum ratione præcipere, nec poſſunt remiges, ſicut expedit, obedire. Sic ferveute turbulentia paſſionum mens, quæ de foris inculcantur, non recipit, & quidquid ab intra conetur ratio, fruſtra facit. Vacuas aures, non ex ſtrepitu paſſionum obtuſas, & plenas, conſolationis ſuadela requirit. Aliàs, ſicuti quod in vas plenum infundas, ſpargitur: ſic in vanum conſolationis miniſterium operatur, non ad vivum usque pervenit, ſed ſummo tenus effluit, quod monendo dicitur, ſi non pacatis paſſionibus acceptatur. Non ſentit medicinæ remedium morbus, niſi poſtquam minui cepit ægritudo.

Scio temet jam contra dolorem iſtum ſtetiſſe validæ munimine rationis, ſenſualitatique dixiſſe: quid agis? Quid tibi tanto turbationis fremitu vis aut cupis? Naturæ conceſſit maximum virtutum ſpecimen ſoror mea chariſſima *Polabianchæ*. An tibi mirum eſt, mortuam eſſe, quæ mortalis genita fuit, & vixit? An neſcis legem hanc eſſe naturæ, quòd quidquid corporale naſcitur, moriatur? Dies illa, qua nata fuit, quaque & egomet editus ſum in lucem, nos cepit ab invicem ſeparare, & ipſa & ego circulos noſtræ durationis incepimus. Ipſa perfecit ambitûs ſui curſum, ego adhuc giror, & volvor. Ipſa requiem attigit, ego laboro. Ipſa periculis defuncta eſt, ego ſubjaceo. Ipſa pervenit in patriam, ego ſum errans in via. Præceſſit illa, nos ſequemur. Cur dolorum puncturas acuis, & urges, cùm diutiùs durare non poſſis? aut ego te deſeram, aut tu me. Te tempus idem, quod tranſeo, deterit, emollit, exarmat. Citò te pudebit tui ſupercilii, tuarumque minarum. Exſpecta parumper, & noſces, quid inter mentem paſſionibus obſeſſam, etiam ſe in libertatem vendicantem interſit. Docebo te nil nobis dolendum, niſi quod criminoſum,

noſum, vel moribus turpe commiſimus. Nam iſtam quam adeò dolendam ſororis meæ ſanctiſſimæ mortem obtendis, niſi turpe aliquid in ea fuiſſe monſtraveris, nunquam malum eſſe convinces. Malum quidem naturæ mors non eſt, niſi forſitan illis, quæ ſic reſolvuntur, ut forma, ſub qua manebant, intereat. Homini verò, cujus forma creata fuit in incoruptibilem æternitatem contingere non poteſt, quòd in totum penitus moriatur. Corpus in terram ſuam redit, quoniam cinis eſt, & in cinerem revertetur: anima verò incorruptibilis & immortalis ad ſuum ſe convertit auctorem, purificandi mirabiliter corporis expectatura gratiam, cui denuo conjungatur. Naturaliter enim incommoda nobis noſtrorum mors poteſt eſſe, non mala, poſtquam mala non eſt illis, quibus obvenit. Quis enim malum ſecundùm naturam dixerit, quod natura ſic facit, ut omnibus obtingere videamus? Non ſic Philoſophus Silenus, qui cùm, quid homini contingere poſſet optimum, rogaretur, ſcribitur reſpondiſſe: *non naſci*: poſtulantique, quid ſecundum: *quàm primùm mori.*

Certus ſum his & aliis rationibus, quæ mentibus ſapientibus occurrunt, medenti tempori te feciſſe obviam, & ipſum in conſolationis officio præveniſſe. Quid eſt enim præter primos mentium noſtrarum motus, qui in poteſtate noſtra non ſunt, in mœrore, & lacrimis perdurare, niſi damnare damnabiliter, quæ DEUS fecit, niſi voluntati divinæ tam ſtultè quam inaniter refragari? O ſi daretur nos poſſe ſupra carnis ſarcinam nos erigere, videréque ſimul omnia ſicuti ſunt, præterita præſentibus jungere, & præſentia futuris alligare, cernercque in omnibus, quæ videremus, Dei juſtitiam, Dei ſapientiam, miſericordiamque, & miſerationem ejus eſſentem, quæ cum ſumma bonitas ſit, benè ſine dubio cuncta facit! O ſi daretur hæc intueri! quid nobis occurreret, niſi ſtultitia noſtra & injuſtitia noſtra? Abſtergamus magnanimè Malateſta, precor, lacrymas, reminiſcique velimus, quòd Deus longè magis nos diligit, quàm nos ipſi nos, & denique talia, quòd niſi nos ſenſualitas obliquos duceret, non ſolum cum æquanimitate ferremus, ſed ſic nobis non eveniſſe, non obveniſſe nollemus, pudeatque non gaudere ſummaque cum complacentia non amplecti, quidquid erga nos divina ſapientia, divinaque bonitas ordinavit.

Hucusque progreſſurus, accepi, tibi prolem maſculam obveniſſe. Volo, ſic & hoc gaudeas, quòd ſemper ante oculos tibi ſit, te genuiſſe mortalem, quòd ſic eum poſſideas, quòd ipſum ſis grata mente Domino, ſi repetierit, redditurus. Commodatum ſi neſcis, immò precarium eſt, præter æternæ beatitudinis gratiam, quòd Deus nobis in hac vita concedit. Lætus accipe, lætior poſſide, lætiſſimè redde: nec ſperes aut velis eſſe perpetuum, quod rerum auctor conſtituit periturum. Vale, & puèrum meum benignè recipias, atque ſicut ſtatui ſuo & magnificentiæ tuæ convenit, perſequaris.

2.

Ad filium Turchum, Malateſtæ Cancellarium. In quo ſita ſit vera laus & commendatio.

SI literæ tuæ, dilectiſſime fili, me permulcent, me alliciunt, mihi placent, meque decipiunt, non miteris. melliflua quidem eloquentiæ dignitate redundant, ſententiarum gravitate movent, ſtili majeſtate renitent, lepidaque commendationum mearum relatione diſſimulanter obrepunt, immò panegyrica oblectatione luxuriant. Et quid efficacius ad decipiendùm, quàm compoſita & ornata dulcedo. Quid gratius aut placidius, quàm omni ex parte reſpondens ſtilo perpolita locutio? Quid humanam mentem magis trahit, permovet, atque flectit, quàm oratio gravibus innixa ſententiis? quid magis delectat, quàm dulcis & artificioſa narratio? Hæc enim res maximè noſtris mentibus dominatur, quove ſibi placet, impellit & revocat voluntatem.

Verùm ut naturam cognoſcas meam, nihil mihi ſuſpectius eſt, atque ridiculoſius, quàm verba vel ſcriptio, quæ me laudent. Propertius mihi quidem autor eſt, ut aſſentationibus nemo credat. Inquit enim, quòd *tutum nullis credere blanditiis.* Ut quoties videam aliquem in meis laudibus occupari, mecùm dicam, quod *tutum nullis credere blanditiis.* Faceſſas poſthac ab his mecum, precor, Non ſum Cecropius Themiſtocles, qui, cum interrogaretur, cujus vox ſibi gratior eſſet auditu? reſpondiſſe fertur; *ejus, à quo meæ laudes elegantius canerentur.* Gaudeo, fateor, quòd de me commendabilis fama ſit. Vellem, quòd eſſet ex meritis. Nunc cùm ſentiam ipſam eſſe vanam & fallam, quid me mihi conſcium cogitare putas, cùm ſentio me laudari, niſi vel me derideri, vel tandem cùm veritas innotuerit, deriden-

Digitized by

deridendum planè, quòd & ex ſententia cum Ataroëno, *lucida mendico ſunt mihi carmina, me quoque dicunt Vatem paſtores; ſed non ego credulus illis.*

Nec tibi ſuper hoc, nec aliis crediderim fili mi. Quid enim credam laudantibus me, qui ſciam nihil meum eſſe laudandum, imò ſi laudandum ſit, prorſus eſſe non meum? Meum eſt, ſi defecerim, quod debitum ſit feciſſe: Eorum autem, quæ bona ſint, ſi qua per me dignatus eſt facere DEUS, non actor, ſed omnium bonorum opificis inſtrumentum. Et quid? Gloriabiturne Cythara ſe cantus dulcedinem & artificium peregiſſe? Gloriari poteſt Cythara, quod optimè facta ſit & egregiè, quodque non impediat Cythariſtam: honor autem & commendatio cantilenæ pulſantis eſt, & remuneratio cytharœdi. *Luceant*, inquit Veritas, *opera veſtra coram hominibus, ut laudetur Pater veſter, qui in cælis eſt.* Illi laus & gloria debetur, non nobis, ſi videamur facere aliquid commendandum. Si quid aliud, quàm DEI gloriam intendimus, erramus, & laudem penitus non meremur. Sic laudem nobis ex merito provenire gratulari debemus. quòd tamen eam aliquando contingere non optemus. Facienda laudabilia ſunt, quoniam bona, non quia ſint nobis commendationem, aut honorificentiam allatura. Sicut enim de Orpheo legitur, qui coniugem ante conſeſſum aſpexit & perdidit: ſic bonum aliquod agens, ſi laudem intendit, dum agit, laudem perdit. Finiendum eſt opus, & demum ſi laus te proſequitur, amplectenda: quam ſi dum agis, aſpicias finem debitum non intendens, & actum corrumpis, & laudem perdis. Cave tamen, ne laudem, ſi qua provenit, tibi tribuas, ſed illam in DEUM converte, cui laus ex bonis omnibus ſine dubitatione debetur. Monent tamen nos laudes, ſi veræ ſint, ut ſicut incepimus, proſequamur: ſin autem falſa fuerint, inſtruunt, ut laudanda facias: reprehendunt, quòd ſi non laudanda commiſeris. Fortè quidem nullum reprehenſionis genus mordacius eſt, quàm falſa laudatio, quibus fit, ut laudibus, quæ veniunt ad laudatum, ſemper abſtinendum ſit. Vel errorem injicias, vel ruborem. Hæc hactenus.

R. P. Pezii Theſ. Anecd. Nov. T. V. P. III.

Nunc autem ſcito me cum familia tota valere, peſtis, quæ iam hîc inepit, intrepida mente ſecurum facit, non quòd illam me contingere poſſe non ſperem, ſed quòd ſi voluntas DEI non eſt, certus ſum, me intactum fore: ſin autem id forte decreverit, ſcio me fruſtra fugam & omne remedium paraturum. Scio, quòd Magiſter Franciſcus, & alii Medici me deridebunt. Tantum enim naturæ tribuunt, ut ipſi velint vitam & mortem, ſanitatem & morbos dare. Ego autem nihil in eius poteſtate ſcio, niſi quod ſummum illud Numen vult, cuius, ùt atteſtatur Aurelius, voluntas rerum eſt neceſſitas. Tu verò ſi mihi credes, tenebis DEI diſpoſitionem, quæ naturæ ſint, & aliis donatur, cuncta regere, nec illam, quocunque te verteris, poſſe mutare. Dic, obſecro, cum Pſalmiſta: *Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Si tibi ſententia mea placuerit, nec ibis obviam morti, nec venienti cedes. Vale.

3.

Ad Comitem Virtutum nomine Reipublicæ Florentinæ. Gratulantur ſibi ictum cum eo fœdus, nihilque non cupiunt, ut id firmum ac ſtabile ſit.

Magnifice & Excelſe Domine Frater, & amice chariſſime.

Sicut Excellentia Veſtra videt, ligæ fœdus tanto iam tempore ventilatum, tum benignitate veſtra, tum veſtra bona diſpoſitione, tum ſumma prudentiâ communis & Magnifici Fratris veſtri & noſtri, Domini *Petri de Gambacurtis*, cuius circumſpectionem & fidem ſatis non poſſumus commendare, concluſum eſt, & cum ingenti gloria veſtræ Magnificentiæ conſummatum, & illa vera mutuæ charitatis affectio, quæ in noſtræ mentis & animorum noſtrorum penetralibus ſemper viguit atque viget, non inter occultos pectorum abditus latet, ſed fœderum evidentia cunctis poteſt, niſi fortè diſſimulent, apparere. Reſtat autem, quòd hoc tantum & tale bonum nullis hinc inde

ſuggeſtionibus, violetur, nullis detur ſuſurrationibus aditus: ſed quicunque tentaverint hoc unionis vinculum relaxare, vel rumpere, utpote utilitatis & pacis publicæ turbatores utrinque, ne dum à pravæ intentionis obtentu, ſed etiam ab auditionis ingreſſu cum verecundia repellantur. Sicque fiet, quòd nullus tentabit veſtram aut noſtram ſinceritatem pervertere, cùm viderint obrepere ſibi per malitiam non licere. Maximæ quidem Principum inſidiæ, atque præſidentium ſunt ſub fidei & cautionis velamine conficta mendacia, quæ plerumque mentem adeò commovent, & perturbant, quòd omne bonum tranquillitatis & pacis diruunt & ſubvertunt. Quam ob rem placeat, quoties contigerit vobis aliqua contra nos narrari vel ſcribi, nobis totum fraternè reſcribere. Hem cùm intentionis noſtræ ſit, veram amicitiam, & inconcuſſam benevolentiam conſervare, cuncta, quæ ſuggeſta fuerint, talitet expurgabimus, quòd Fraternitas veſtra de bona intentione noſtra clariſſima manebit. Et quia certi ſumus, ſicut eſſe debemus, magnitudinem veſtram non aliter eſſe affectam ad hanc amicitiam diligentiſſimè conſervandam, quod & ſinceris mentibus verſa vice nos ſimiliter, ſi quid forſitan referatur, Excellentiæ veſtræ curabimus intimare. Quo quidem commercio, & optimo, ni fallimur, veræ amicitiæ cultu conſervabitur mutua dilectio, recidetur malevolis nocendi facultas, & hæc fraternitas indiſſolubilis nexûs vinculum adoleſcet.

Cæterùm quia non eſt perfectæ dilectionis officium ſolum ab offenſionibus abſtinere, quod faciunt etiam aliquoties inimici, noſtrum eſt ſine titubatione propoſitum, veſtram Fraternitatem in neceſſitatibus noſtris requirere, ac veſtrum auxilium, ſi quid ingruat, implorare. Nos autem econtra pro cunctis, quæ ſtatum veſtrum reſpiciant, cum omni noſtra potentia ſemper inveniet veſtra Fraternitas præparatos. Datum *Florentiæ*.

4.

Epiſtola Comitis Virtutum ad Florentinos, quos in necem ſuam publico conſilio & contra fœderis fidem conſpiraſſe graviter queritur &c.

Magnifici Fratres, & Amici Chariſſimi.

NE tantum bonum, quantum annuente DEO allaturum eſt patriæ firmatum nuper ligæ fœdus, parvis violetur ſuggeſtionibus, prout eleganter innuunt amicabiles & affectuoſæ litteræ veſtræ, ſummo hinc inde ſtudio providendum eſſe fatemur. Laudamus, ut non ſolùm ſuſurrones, & pernitioſi oblocutores, ſubtractâ eis audientiâ (repellantur) dilectio, & cordialis amicitia dietim fortiùs coaleſcat. Et ſignanter illud inter cætera genus remedii, quod veſtræ recitant litteræ, quodque nos pluries vobis propoſuiſſe recolimus, & commendamus, videlicet, quòd vos nobis, & nos vobis quæcunque ſcandala ſuggeſta fuerint, alterna viciſſitudine confeſtim ſine palliatione aliqua propalemus. Quem quidem modum hactenus per nos multoties ſervatum, ut noſtis, ſumus impoſterum ſervaturi. Et quia caſus hoc exigit, incipiemus non ſine admiratione & diſplicentia magna pro obſervantia dicti ordinis vobis detegere, quæ non contra ſtatum, ſed contra ipſam perſonam noſtram machinari ſentimus.

Nuper ſiquidem non ab una ſolum parte fide digna percepimus, quòd per hoc tempus in civitate veſtra Florentiæ inter aliquos concives veſtros, quorum conſilia DEUS vertat in melius, magna ventilatum fuit indagine, & aliquibus in ſpeciali commiſſum eſt, ut omnia tentarentur, quibus ſubita, & improviſa nece, Clandeſtinis tenſis inſidiis, nulla in hoc menſurata appenſa nos vitali ſpiritu privaremur. Ob quam cauſam circumſpicere, & ſecuritati noſtræ perſonæ providere coacti deliberavimus, inviti tamen, nec ſine magno terrarum noſtrarum diſpendio, quòd quicunque ſint de terris veſtris habitantes ſub noſtro Dominio, debeant infra competentem terminum venditis pro libitu bonis ſuis ad partes alias ſe tranſferre. Itemque illi *Bononienſes*, qui in terris noſtris principaliter moram trahunt, non quia tale aliquid inter conſilia *Bononienſium* ſentiamus fuiſſe tractatum, ſed quia conſequaces veſtri ſint. Non aliter talium machinationem, quæ nimia unquam prudentia vitari nequeunt, ſuſpiciones & materiæ tolleretur. Maluimus enim, quòd extra noſtra territoria bene agant, & quòd à remotis noſtri ſint amici, quàm quòd unius perfidia, vel plurium, qui in aliquibus deprehen-

de-

derentur inſidiis, ad exaſperandum contra reliquos nos poſſit, vel debeat incitare: tantamque de prudentia veſtra opinionem habemus, quòd prædicta tandem ad conſervandum ſine fictionibus amicitiæ cultum, licèt aliquantiſper prima conſideratione dura videantur, non modò utilia cenſebitis, ſed quodammodo opportuna.

Eſt tamen intentionis noſtræ, quod Mercantiæ per noſtra territoria ſoluris da-
f. denariis riis * poſſint hinc inde conduci, ſed ſi conductores aliunde, quàm de terris veſtris fuerint, vel Comitatûs *Bononienſis*, ſummè nobis placebit reſpectibus ſupra dictis, præſertim cùm ex ipſorum converſatione per terras noſtras non poſſit niſi ſcandalum evenire. Sic enim ſuſpiciones ceſſabunt, & amicitia hinc inde perfectè durabit, ad cuius perſeverantiam offerimus diſpoſitione reciproca nos voluntarios & conſtantes, oblationemque veſtram libenter admittimus, uſuri in cunctis noſtris opportunitatibus civitatis veſtræ favoribus, habituriſque gratiſſimum, ut in quibuſcunque caſibus veſtris nos eadem indubitata confidentiâ requiratis, paratos ad quæcunque conformia votis veſtris. Data *Papiæ* 16. Octobris 1378.

5.

Reſponſio Collucii nomine Florentinorum. Docet merum eſſe calumniam, ſeſe in Comitis necem conſpirâſſe, petitque auctorem tantæ criminationis ſibi nominari.

Magnifice, & Excelſe Domine, Frater, & Amice Chariſſime.

REcepimus litteras Excellentiæ veſtræ, quarum prima frons & extrema concluſio nihil ſunt niſi charitas, veræque dilectionis & amicitiæ fervor & ardor. Vos etenim iuxta requiſita noſtra non ſolum ſuſurronibus, & perniciosis obloquutoribus præcludendum cenſeris aditum, ſed omnibus modis poſſibilibus ducitis providendum, quibus inter vos & nos mutua dilectio & cordialis amicitia (ut veſtris utamur verbis) dietim ferventius coaleſcat: Vos demum ad huius dilectionis perſeverantiam offertis intentione reciprocâ diſpoſitum & conſtantem: Tandem vos declarantes acceptatis oblationibus noſtris gratiſſimum habiturum, quòd in quibuſcunque caſibus noſtris vos indubitata confidentia requiramus. Quibus verbis veſtris nil amicabilius, nihil fraternius vel excogitari potuit, vel proferri.

Quæ ſi ex animo, & ex veris affectibus, ut tantùm detur, Domini dicta ſunt, quomodo poteſt, aut debet in mentem veſtram aſcendere, quòd, ſicut ab utroque diſcrepans extremorum medium Epiſtolæ veſtræ ſonat, inter aliquos noſtros cives, quorum conſilia (ut ſcribitis, DEUS vertat in melius) magna fuit indagine ventilatum, & aliquibus in ſpeciali commiſſum, ut omnia tentarentur, quibus ſubita & improviſa nece clandeſtinis inſidiis nullis in hoc menſuratis expenſis perſona veſtra vitali ſpiritu privaretur, quàm quod, ſicut in prohibitione veſtra poſt paucula continetur, nihil tale ſentire vos dicatis inter *Bononienſium* conſilia fuiſſe tractatum. Et quia nihil adumbratum debet inter amicos eſſe, ſublato prorſus omni integumento verborum, omnique duplicitate repulſa, quidquid ſentimus, apertiſſimè proloquemur.

Hæcce igitur verba veſtra quid aliud ſonant, niſi nos publico conſilio decreviſſe vitam veſtram exſtinguere clam immiſſis percuſſoribus, aut veneno ſceleratiſſimè miniſtrato? O tempora, o mores! Ergo potuit immenſæ veſtræ prudentiæ perſuaderi, quòd, cùm per DEI gratiam uſque nunc aliquid offenſionis inter vos & nos nęcdum occurrerit, ſed nec dici valeat attentatum, Nos tamen contra vos, cùm ſocietatem, & fraternæ colligationis fœdus inivimus, tantum, & tale ſcelus, quantum & quale nunquam dici poteſt, ratione noſtrûm etiam contra publicos hoſtes aut inimicorum perfidiam cogitâſſe, violata fide, & obducto tanti criminis maculâ ſplendore nominis Reipublicæ noſtræ tam deteſtabiliter ordinâſſe. An gloriam, quam à maioribus noſtris accepimus, qua ſuper omnes populos, & inter cunctos mundi Principes obſervatores noſtræ fidei celebramur, tam recentis fœderis oblitteratâ memoriâ, imò violato tenore tanta cum perfidia perderemus? Et quis unquam fuit noſtri communis clandeſtina ordinatione peremptus? Quis unquam dici poteſt ſub noſtræ fidei promiſſione deceptus? Et DEUM, atque homines ad noſtræ veritatis teſtimonium invocamus.

Quibus dici poteſt nos bellum omiſſo ferro occultis machinationibus intuliſſe? Non, nos hæ Florentinorum, nec aliquorum populorum artes. Illi videant, qui miniſtris talium ſcelerum abutuntur. Nos autem Romanum genus progenitorum noſtrorum memores, qui Medicum caput Pirri Regis, tunc hoſtis graviſſimi, pollicentem, ad Regem ex Senatus decreto vinctum cum iudicio remiſerunt, ferro bella gerere didicimus, non veneno, & pro libertate noſtra collatis ſignis in campo, non venenis in thalamo decertare.

Deinde quando dici poteſt, nos ſine iuſtiſſima cauſa bellum indixiſſe, aut iam indictum præter militares aſtutias, quas ſtratagemata vocant, non niſi juſtè, & omni cum honeſtate geſſiſſe? ſed ridemus, amantiſſime Frater: quòd æmuli veſtri ſtatus & noſtri, qui ſub prætextu magnificationis quærunt, ut ſibi conſulant, Excellentiam veſtram & nos in præcipiti ponere, & ſe per communis ruinæ turbinem exaltare. Poſtquam de primæ ſuggeſtionis conatibus non ſucceſſit, dicentibus illis, quòd contra vos bellum gerere volebamus, nunc aliud ingeſſerunt, quo Fraternitatem veſtram à nobis modis omnibus alienent. Cum his iuvat aliquantulum diſputare. Dicite nobis, o iniquitatum & ſcandalorum auctores, in quibus noſtris conſiliis repertum eſt aut de præfati noſtri magnifici Fratris morte, aut alterius cuiuſpiam agitatum? Quæ ſunt propoſita pro tanto periculo præmia? Quæ ſunt ad tantum perficiendum facinus ſubornati? An Florentini? Et cui noſtrorum talis exhibetur, tantaque facultas, aut tam libera de præfato Domino copia, quòd vel in perſonam eius gladium poſſibile ſit injicere, vel epulis ſuis venenum ad interitus efficaciam admiſcere? Non ſolent iſta, nec poſſunt iſta per extraneos, ſed per familiares, & domeſticos perpetrari. Quæ cùm ita ſint, an aliquem in falſæ teſtificationis mendacium induxiſtis, cui forſan impunitate donata tale quid de nobis, aut aliquo Florentino per calumniam mentiatur? Abſit à nobis vel tanta malignitas, quòd horribilia cogitemus, vel tanta dementia quòd tam impoſſibilia moliamur.

Nunc autem ad veſtram Excellentiam, cui ſumme compatimur, redeamus, & cùm certus eſſe poſſitis, nos nunquam etiam contra quoſcunque, quamvis capitaliſſimos inimicos ſimiles inſidias inſtruxiſſe, cúmque conſiderare debeatis rei tantæ occultationis & ſecretæ, tantique ſumptus, quæ non poſſunt apud nos abſque deliberationis multitudine ordinari, non eſſe congruentem practicam, & commercium populorum, in quibus renovantur quoridie Magiſtratus, cùm manifeſtiſſimè videatis talia perpetrantes non poſſe extrinſecus * imprimi, ſed oportere intra perimendi familiam reperiri: & clariſſimè pateat, nos ſemper fuiſſe noſtræ fidei curioſiſſimos ſervatores, & nunc ex illius concordiæ ſerie cunctis ab offenſionibus per nos abſtinentia ſit promiſſa: conſtantiſſimè teneat veſtra Dilectio, nos nunquam auctoritate reipublicæ talia tractaviſſe, nec credimus aliquos cives noſtros in adeò reprobum ſenſum datos, quòd privatim talia molirentur. Et quoniam tale facinus obſtupefactis mentibus abhorremus, ſi quid de hoc habetis indicii, placeat nobis totum amicabiliter aperire. Nam veritate reperta credite nobis, quicunque tantum nefas auſus fuerit inquirere, non minori ſupplicio faciemus affici, quàm ſi contra noſtram rempublicam tractaviſſet.

Et quoniam eò deventum eſt, ut huius ſuſpicionis formidine decernatis noſtros cives, & *Bononienſes*, Fratres noſtros, veſtris finibus prohiberi, quamvis videamus, quòd ſuſpicione ſolum ſuſpicionis & veneficii repellantur, nihilominus tamen quidquid exinde feritis ſolummodo pro bono concordiæ, ſicut feribitis, reputare debemus, & non ob aliam cauſam ordinari. Quamvis univerſo mundo notum ſit, *Florentinos*, ubicunque permanſerint, nunquam exſtitiſſe ſcandalo, ſed quietè ſemperque utilitati, atque decori fuiſſe tam publico, quàm privato, ubicunque gentium elegerint incolatum. Prudentia tamen veſtra conſideret, quàm vera, quàmque veriſimilis cauſa prætendatur, & cur etiam huius prohibitionis edicto ſubditi nos ſequacium Magnificorum noſtrorum Fratrum Bononienſium involvantur. Dolemus tamen, quòd qui nos moturos arma contra Excellentiam veſtram mentiebantur, poſtquam ligæ fœdere ſe in hoc aſpexerint remanſiſſe mendaces, nunc in re tam deteſtabili penes vos inveneruntaudientiam atque fidem. Veruntamen firmiſſimè teneat veſtra Dilectio, nos contra

ſtatum,

ſtatum, aut perſonam veſtram nihil penitus tentaturos, ſed diſpoſitos eſſe, & amicitiam inter vos & nos, & ea, quæ promiſimus, ampliſſimè & efficaciter obſervare. Nec à nobis, quamquam malevoli ſuggerant, aliquid ſcandaloſum incipietur, cùm in inconcuſſo propoſito firmi ſimus amicitiam veſtram colere, & Excellentiam veſtram cunctis honoribus celebrare. Datæ *Florentiæ* die 5. Novembris 1389.

6.

Epiſtola Comitis Virtutum ad præcedentes litteras Florentinorum, in qua cruenti conſilii auctorem facit Dominum de Riciis.

Magnifici Fratres, & Amici chariſſimi.

NOn credebamus (adeò inter tot res deducta fuit ad verificandum tractatum in civitate veſtra *Florentiæ* circa inſtruendas perſonæ noſtræ inſidias, de quibus pridie in litteris noſtris reſponſionis ad veſtras mentionem fecimus) ullis aliis indiciis opus eſſe. Sed poſtquam aperiri vobis, quæ de hoc habemus judicia poſtulâſtis, facti hujus ſeriem (quod ſi abhorrueritis, quantum veſtræ narrant litteræ, veſtra nullo pacto impunitum linquet juſtitia) ſummariè ac ſuperficietenus detegemus, ſufficeritque nobis de tam execrabili materia propoſitum thema expandere cum expreſſo nomine proponentis. Nam comperto principio proceſſus reliqui circumſpectum, & curioſum inquiſitorem fallere non potuerunt, nec latere.

Et ne vos teneamus verborum implicatione ſuſpenſos, plenam & claram informationem habemus non à ſuſurronibus, quibus dudum in animum induximus, audientiam nullam dare, nec ab alienigenis perinde transeuntibus, ſed à concivibus veſtris fide dignis, qui, quæ nunc ſcribimus, ſuis auribus audiverunt: Quòd Dominus de *Riciis* olim ſemel Ambaſiator veſter ad nos, quem ita, dum hic fuit, tractâſſe non meminimus, ut magiſtratus & collegia civitatis veſtræ ad tractandam necem noſtram deberet tanto fervore perfido & inducere & hortari, erectus habuit in pulpito perorans, ut conſiliis ſit coram veſtro officio, ac decem balie & nonnullis aliis requiſitis, hæc verba proferre: *Homo iſte multa ſigna facit. Quid igitur faciendum? neceſſe eſt, ut unus pro populo moriatur, ne tota gens pereat.* Utque conceptum ſuum melius auribus audientium infunderet, mox adjecit, ſe pluribus diebus, quibus in hac *Papienſi* civitate noſtra fuerat, notaviſſe, perſæpè ad falcones, venationésque alias, equitâſſe, in quibus plurimùm delectabamur, & conſiderâſſe multoties modos callidos, quas licèt difficiles, ceu tamen benè poſſibiles affirmabat, ut cum centum milibus florenis factum pulcherrimum tentaretur.

Poſſemus, ſi vellemus, ſimiliter pandere vobis, quibus commiſſum, ut inter ſe de modis tenendis ſecretè conferrent, quibusve onus recuperandi denarios opportunum. Sed nec expedit, nec honori noſtro, nec amicorum noſtrorum concivium veſtrorum ſaluti, & honeſtati competeret, qui bona fide verentes inter veſtram communitatem & nos ſcandalum oriri poſſe, nobis omnia, quæ ſub oculis ſuis geſta fuerant, propalarunt. Quibus amicabiliter expenſis debitum noſtrum circa conſervandum mutuæ dilectionis cultum feciſſe putamus, & conventum ordinem invicem apertè vivendi, quantum illæſa honeſtate noſtra licuit, adimplêſſe. Vos igitur, ſi placet, in non permittendo tantum crimen inultum, quod veſtræ pollicentur litteræ, veſtrum pro honore communitatis veſtræ & ſatisfactione juſtitiæ debitum faciatis. Datum *Papiæ* 18. Novembris 1389.

7.

Reſponſio Collucii, qua Dominum de Riciis cæteroſque Florentinos de impacto crimine purgare adnititur.

ALiquamdiu ſteterimus in ſuſpenſo, Magnifice & Excelſe Domine, & Amice chariſſime, nunquid officii noſtri foret, ad ultimas Excellentiæ veſtræ litteras reſpondere. Supervacuum enim videbatur, ſi quid in noſtræ civitatis medio conſilii viget, ſiquave rerum gerendarum intra nos ratio reperitur, ad illa reſponſionem tradere, quæ, certiſſimi ſumus, voſmet, ne dum non vera, ſed nedum veriſimilia reputare. Sed videntes vos primas & ultimas litteras tranſmiſſis hinc inde copiis per Italiam ſemi-

Digitized by Google

nâſſe, quod quidem potiùs videtur odii, quàm benevolentiæ ſignum eſſe, convenientes eſſe cenſuimus vobis omnino reſcribere, ne taciturnitate noſtra videremur, quæque tam aſſertivè ſcribitis, conſentire.

Nec volumus vobis & vitæ veſtræ periculum & ſuſpicionem tollere vel timorem: Nec petimus, quòd de cautela conſervationis veſtræ perſonæ, cujus ſalutem diligimus, ſi locum, & tempus, de quibus reſcripſiſtis, apta tanto negotio videretis, aliquid ob illa, quæ ſcribimus, remittatis, ne cùm hujus incogitatæ ſuſpicionis propalatione facta docueritis veſtros, qua ratione poſſitis offendi, & iſte caſus, quem Deus avertat, acciderit, vobis poſſit, aut noſtris ordinationibus imputari. Et ut ad rem breviter veniamus, ſcribitis vos, ab amicis veſtris fide dignis, & civibus noſtris, metuentibus, ne inter vos & nos ſcandalum oriatur, informationem certiſſimam habuiſſe, quòd egregius legum Doctor D. Jo. de *Riciis*, qui penes vos fuerat ſemel ut noſter Orator, coram noſtro Officio, decemOfficialibus, & aliis ad noſtra conſilia requiſitis de ſumma noſtræ reipublicæ diſceptando, ſic exorſus eſt: *Homo iſte multa facit, quid igitur faciemus? Oportet unum mori pro populo.* Aptiſſimum equidêm arbitramur inſtruendæ proditionis exordium. Scimus enim hoc Caipham in Pontificum Concilio, dum mortem JESU CHRISTI quæreret, proruliſſe. Sed reliqua videamus. Subjunxit autem, ut ſcribitis, quòd modum viderat, quòd cum expenſa centum millium florenorum, cum recreationis cauſa venatum, aut aucupatum pergitis, facinus pulcherrimum tentaretur. O ſimplices Dominorum autes! O quàm facile, cùm de ſalute perſonæ tangitur, quidvis Principibus perſuaderit. Ergo cuiquam niſi familiaribus, & ſervitoribus veſtris aut aucupatione venatica, aut in aucupii verſatione poſſibile foret corpus veſtrum ad cædis efficaciam adoriri? Dicite, quæſumus, ecce, poſſint eſſe licet occulti percuſſores, in nemore locus, ſi quidem notus eſſe poteſt, eſtne poſſibile tempus & horam, qua venatum exiveritis, quod ſolum in poteſtate veſtra ſitum eſt, aliquibus indiciis perſentire? An fortè credendum ipſos poſſe tam diu deliteſcere, quòd tandem ſuum propoſitum conſequantur? Deinde quis compertum habere poteſt, quòd & iam ex ſolito ſilvæ regionem tunc temporis adeatis? Eritne unus, an pauci, qui ignoti vobis, & comitatui veſtro tantum, & tam audax facinus molientur? Iſti non poterunt totius nemoris ambitum occupare. An fortè multi miniſtri tanti negotii transmittentur? At multitudini nec adeſſe poterunt latebræ, nec tutè poſſet quis eis ſecretum tanti negotii propalare. Denique perficieturne cædes iſta communis gladio, an eminus ſagittâ vel telo? Vosne ſic ſolus, ut pauci, aut ſic cum veſtris ineautus, ut multi tutè poſſint veſtræ perſonæ copiam adipiſci? An vos in agitato venatico ſic fixum & immobilem exhibetis, quòd poſſibile ſit cuiquam, ſit ille Codrus licèt. Sit Etorion, ſit & ille, qui Philippum Regem Macedonum ſagittâ percuſſit, inſcripto, ſicut legitur, haſtula vulneris loco, quòd cuiquam ſit poſſibile corpus veſtrum certo vulnere penetrare? Vana ſunt iſta, Frater chariſſime, & res talis, quòd nedum actu non valeat perfici, ſed nec etiam verbis ſine manifeſtis inconſequentibus deſignari.

Ite nunc, Frater chariſſime, & illis civibus noſtris amicis veſtris, ſi qui tamen ſunt cives noſtri, aut vobis amici, qui talia ſcripſerint, quodammodo non credimus, fidem, ſi vobis viſum extiterit, adhibere, qui, ſi vera forent, quæ ſuggeruot, Priamum produnt: ſi falſa, prout aliàs pleniſſimè novimus, vos & puritatem veſtram decipiunt, & ſupplantant, & quod certiſſimè fateri oportet, quidquid veritas habeat, ſemen maximæ diſcordiæ, & perpetuæ diffidentiæ inter vos & nos, niſi ſapientia veſtra provideat, jactaverunt. O ſi daretur, iſtos cognoſcere: quam manifeſtiſſimè doceremus, qui qui ſint, & vobis turpiter fuiſſe mentitos, & graviter noſtram civitatem, & pacem publicam offendiſſe.

Sed credite nobis, Frater chariſſime, non ſunt apud populos liberos Achillas & Photinus, ſicut legitur apud juvenem Tholomæum, qui in Curia noſtra ſuadeant proditiones & ſcelera, quive cenſeant hominum fata deliberationis occultæ flagitio pecuniâ redimenda. Nec eſt vir optimus D. Jo. ita humanitatis expers, aut immemor honeſtatum, quòd tam crudelia ſuggereret, aut tam turpia cogitaret;

Digitized by

ret. Nos autem ſcimus, quicquid illi, vel alter pro illo finxerint, nec D. Joa. nec aliud unquam aliquid tale in noſtris conciliis protuliſſe. Et cùm per Cancellarium noſtrum iſta notentur, nunquam poterit reperiri, quòd hoc fuerit inter noſtra Collegia diſceptatum. Non ſunt hi populorum mores, non etiam noſtri, nec talia tractari vel conſuli nota noſtræ civitatis humanitas pateretur. Relegite, ſi placet, hiſtorias, & præcipuè Romanorum, à quibus noſtra generatio propagatur: diſcurrite per ipſorum annalia ab exactis Regibus per annos circiter quingentos ſexaginta, quousque Conſulibus Cæſares ſucceſſerunt, cùm habuerunt hoſtem Brennum, Alexandrum, Pirrum, Hanibalem, Siphacem, Mettidates atque Philippos, Teutonum, aut Cimbrorum Duces, & alios infinitos, quos referre tædium eſt: Quem invenire poteritis Principum orbis terræ data fide publica, ſicut nos vobiſcum pepigimus, ipſorum inſidiis periiſſe, & ut ad Faregum & mundi Principes veniamus, externorum facinore cecidiſſe. Cunctis inſtructæ ſunt inſidiæ domi. Sic Philippus Amintæ ſcelere, ſic filius eius Alexander Magnus non ab aliis quàm à ſuis domi vel in urbe propria ſunt extincti. Vnum ſolum inter alios ab hoſte legimus fuiſſe tentatum, in quo licet feliciter ad ſalutem patriæ, inaniter tamen ad cædis efficaciam percuſſori ſucceſſit. Errante Micio cum Prorege Porſenna non obſeſſorem urbis, ſed unum ex purpuratis eius legitur occidiſſe. Sed, ùt dictum eſt, non intendimus vobis ſalutis veſtræ metum tollere, aut ſolicitudinem amputare, ne ſumpta ſecuritas vobis in periculum convertatur. Credite tamen nobis ſubſiſtente amicitiæ perfectione, quam habere intendimus, & quantum in nobis eſt, habemus Excellentiæ veſtræ ſalutem, pro qua, ſicut aliàs ſcripſimus, intentionis noſtræ eſt, amicabiliter exponere poſſe noſtrum, & ad vos ſicut ad verum Fratrem in neceſſitatibus noſtris recurrere, & velut noſtræ defenſionis theſaurum veſtram benevolentiam conſervare, ſperantes quòd illuminabit DEUS mentem veſtram, & ex huius falſæ opinionis tenebris eruet, ut cognitis & exploſis his ſuggeſtionibus, & fictionibus fraudulentis, vivens amicitiâ furgamini, & ipſam veſtris poſteris relinquatis. Datum 16. Decembris 1389. *Florentiæ.*

8.

Ad Bononienſes: Quos in fœdere perſtare, contemptis Comitis Virtutum clamoribus, communi Florentinorum nomine gaudet.

COnfratres Chariſſimi. Certi ſumus, quid prætendant inventiones, atque commenta illius magnifici Fratris noſtri, qui tam vehementer dedit ſuſpicioni frenum, quòd ſibi falſa pro veris, & impoſſibilia pro veriſimilibus perſuadet, aut quod potius arbitramur, cupit aliis perſuaderi. Quidquid ſeu vetus iſte metus, ſeu ficta trepidatio tanta produxerit, Fraternitatem veſtram nobis, ſicut amicabiliter ſcribitis, nullatenus defuturam (ſperamus) pro quibus dilectioni veſtræ pleniſſima referimus gratiarum munera, & veſtram Fraternitatem mutua viciſſitudine declaramus nos pro vobis non aliter fore diſpoſitos, quæcunque pericula forſan immineant, quæcunque damna vel inſidiæ vobis privatim, aut publicè præparentur, quaſi pro ſalute noſtra totius noſtræ potentiæ corpore dimicare. Speramusque DEUM, cuius infinita & incommutabilis iuſtitia eſt, veſtram & noſtram libertatem diſſipando perverſorum conſilia defenſurum. Et videbit univerſus orbis alteram iſtam civitatum ſine alterius exitio non poſſe perire, ſed ambas ſimul bello paceque coniunctas tam bello confligere, quàm pacis tempore triumphare.

Cæterùm Oratores noſtros ituros in *Franciam* præparamus, & cùm res erit in articulo profectionis (nondum etenim ſcire poſſumus diem vel iter) totum vobis per litteras noſtras reſcribemus. Noſtræ tamen intentionis eſt, quòd recta & breviſſima viâ, quantociùs poterunt, præſentiam Regiæ Celſitudinis aſſequantur, & optimis neceſſariiſque reſpectibus inconcuſſæ decrevimus, ipſos nec alicubi debere divertere, aut aliud quàm Principale propoſitum, vel cum aliis, quàm cum Rege, vel Regalibus agitare. Data *Florentiæ.*

9. *Ad*

9.

Ad Ianuenſes & Venetos, apud quos Collucius ſuos Florentinos a crimine ſtruēæ Comiti Virtutum necis penitus immunes præſtare conatur.

Magnifici, & Excellentiſſ. Domini Fratres & Amici chariſſimi.

AUdivimus magnificum Fratrem noſtrum Dominum Comitem Virtutum poſt ligæ cum ipſo contractæ fœdera (tantum valuerunt apud eum pacis mutuæ turbatores) id, quod nobis amicabiliter intimavit, vobis etiam per ſuas litteras indicâſſe, quoſdam videlicet noſtros cives de ſuæ clandeſtinæ mortis excidio cogitâſſe, & ob id decreviſſe tam noſtros, quàm magnificam noſtrorum fratrum *Bonon.* ſubditos atque cives ab incolatu ſuorum finium prohibere. Nec putet Fraternitas veſtra ipſum adeò levis eſſe conſilii, quin manifeſtè videat tam exiſtentiâ veri, quàm apparentiâ veriſimilitudinis non vigere. Quid autem in hoc ipſe intendat & cogitet, ipſe viderit, præſertim cùm non contentus id nobis domeſticè ſcripſiſſe ſparſerit etiam per Italiam, quaſi Communitatem noſtram velit crimine tanti facinoris accuſare. Nobis autem nihil pro nunc ad purgationem famæ noſtræ viſum eſt ſcribere, niſi dumtaxat illa, quæ reſpondentes per noſtras litteras cum eodem decrevimus agitare. Ut igitur totamcauſam videatis, copiam ſuam litterarum, & noſtræ reſponſionis Excellentiæ veſtræ mittimus interclusam, per quæ, ni fallimur, ſatis apertè vobis poterit apparere, uter noſtrum veris rationibus movearur, parati nos ſuper hac materia, ſi quid dubitationis fortè videritis, abundantiſſimè declarare. Propium etenim veritatis eſt, ut, licèt poſſit per malitiam concuti, nunquam tamen queat ſubrui vel convelli. Data Florentiæ.

10.

Ad plures eiuſdem argumenti.

QUia certi ſumus Magnificum, & excelſum Dominum D. Comitem Virtutum copiam reſponſionis, quàm nobis ſecundo loco tranſmiſit, ſuper illa materia, de qua aliàs adſtruere conatus eſt, in civitate noſtra ſuæ cædis habitum (conſilium) exſtitiſſe, vobisetiam tranſmiſiſſe ut & manifeſtè videatis, quàm veriſimiliter, quamque verè tantum facinus affirmetur; & ſuarum litterarum, & noſtræ reſponſionis exemplar vobis duximus cum præſentibus deſtinandum, ut quanquam certiſſimi ſimus, firmiſſimè vos tenere, comunitatem noſtram omnino fore à culpa tanti ſceleris alienam, nihilominus tamen videre poſſitis, quàm congruenter nobis poſſit aut ordinationibus noſtris tale conſilium imputari. Neſcimus autem, quàm facile ſibi poterimus, ea quæ ſcribimus, perſuadere. Vna tamen certiſſima nobis ſpes eſt tanta mendacia finaliter taliter omnino non poſſe confringi, quòd noſtra ſinceritas & veritas inconcuſſa non pareat, & quòd illos perfidos ſuggeſtores falſiſſimi illius Domini nimiùm patulis auribus inſtillâſſe ad totius orbis evidentiam non clareſcat. *Florentiæ.*

11.

Ad Peruſinos: a Florentinis nullos, quos equidem ſciant, exules Peruſinos, excepto Angelo, retineri.

Confratres Chariſſimi.

NOn oporter inter nos pro his, quæ pertinent ad ſtatum veſtrum, ligæ fœdus, aut conventiones aliquas allegare. Una eſt nobis vobiſcum indiſſolubilis obligatio, qua cunctis retro temporibus pace & bello cum animarum identitate mutuis affectibus obligamur. Iſta, iſta dilectio, iſta charitas eſt, quoties aliquid profertur in medium, alleganda. In eius equidem fervore parati ſumus pro ſtatu veſtro, ſicut ſemper fecimus, nihil omittere, ſed tanquam pro noſtro proprio, quidquid dilectio veſtra (poſtulat) providere. Verum eſt tamen, quòd aliquos veſtros exules præter Dominum *Angelum*, qui iam viginti annis & ultra civis noſter eſt, in civitate noſtra neſcimus morari, ut nobis omnino ſit incognitum, quos habeamus à noſtris finibus prohibere. Et ob id, cùm certa debeat eſſe veſtra Dilectio, nos in damnatorum favorem contra veſtræ civitatis regimen omnino nihil permiſſuros; pro cuius conſervatione intendimus exponere poſſe noſtrum, poteſtis nobis fraternè & amicabiliter aperire, ſi qui ſunt apud Nos, qui talia moliantur: Et nos providebimus, quantum

quantum ſaluti veſtræ & honori noſtro videbimus convenire. Datum *Florentiæ.*

12.

Gratulatur Regi Boſniæ reportatam de Turcis victoriam.

Sereniſſime, atque Chriſtianiſſime Princeps.

GLorioſiſſimam victoriam, quam Omnipotentis & æterni Numinis veneranda benignitas ab alto reſpiciens gregem ſuum, Serenitati Veſtræ conceſſit veſtrarum litterarum ſerie gratulanter accepimus, & in ipſa cum Majeſtatis Veſtræ culmine lætis animis exultamus. Hem quamvis iam diu triumphum hunc Sublimitati Veſtræ cælitus traditum tum famâ, tum multorum ſcriptionibus noſtra devotio percepiſſet, nobísque notiſſimum foret die XV. Menſis Junii proximè elapſi ſuperbam temeritatem, temerariamque ſuperbiam Machometicolæ *Lamoratti*, qui Phrygum ſive Turcorum Imperio violenter adepto Chriſtianitatem, & Salvatoris noſtri nomen ex Orbis facie tollere cogitabat, &, ſi potuiſſet, de libro viventium abolere, quique ſtultè fines veſtrorum regnorum invaſerat, in loco, qui *campus turdorum* dicitur, cum infinitis gentium ſuarum millibus, cumque duobus filiis multo cum ſanguine cecidiſſe: Nihilominus tamen hoc fuiſſe humilitati noſtræ per regales litteras intimatum, & glorioſum, & gratiſſimum nobis fuit. Quid enim potuit nobis veris Chriſti cultoribus pulchrius, aut glorioſius nuntiari, quàm pugna illa cunctis memoranda temporibus, qua tot Troianorum, infidelíumque millia cum illo duce terribili ceciderunt? Felix tantæ ſtragis campus, qui cæſorum oſſa, æternum victoriæ munimentum in ætates plurimas reſervabit! Felix *Boſnæ* Regnum, cui contigit tam glorioſum certare certamen, tantamque in Chriſti dextra victoriam obtinere! Felix & illa dies, ac beati Viti Martyris celebris, & veneranda memoria, qua datum eſt, hoſtem illum ferociſſimum ſuperare! Felices & ter quatérque felices duodecim illæ Procerum iuratæ manus, qui turmas hoſtium perrumpentes, concatenatósque in circuitu camelos, ad *Lamoratti* tentorium, aperientes viam ferro vigoroſiſſimè perveneruntl Felix & ille ſuper alios, qui ducem tantæ potentiæ, gutturi atque inguini adacto gladio, fortiter interemit, beatique cuncti, qui glorioſo Martyrii genere, quaſi victimæ cæſi Ducis ſuper illud inane cadaver vitam & ſanguinem effuderunt! ſed omnium feliciſſima eſt Veſtra Maieſtas, quam tam glorioſa victoria nunquam abdendæ memoriæ conſecravit, cuíque, ſi veri Chriſti pugilibus & Athletis Regnum DEI, ùt piè credendum eſt, præparavit Omnipotens, vera illa, & interminabilis gloria reſervatur!

Illi ergo cunctarum rerum auctori DEO, cuius pugnam tam feliciter pugnaviſtis, infinitæ ſint laudes & gloria, Veſtræque Maieſtati talis & tanta gratia, qualis & quanta poteſt verbo promi, aut animo cogitari, quæ noſtram humilitatem dignata fuit tantæ felicitatis tam benignè & tam amicabiliter nedum facere conſciam, ſed participem, & conſortem. Feliciter itaque DEUS Maieſtatem veſtram, cui nos, & commune noſtrum devotiſſimè commendamus ad exaltationem veſtri culminis, & totius Chriſtianitatis culmen & honorem. Datum *Florentiæ* 20. Octobris 1389.

LXXII.

Georgii Epiſcopi Patavienſis fœdus cum Alberto Duce Auſtriæ.

WIr Jorig von Gottes Gnaden Biſchoff zu Paſſau/ bekennen und thun chund offenlich mit dem Brieff allem den die in ſehent leſen, oder hörent leſen/ nu oder hienach ewiglich/ das Wir mit gutem Rat, und zeitiger Vorbetrachtung/ durch Frid/ und gemaines Nuz und Gemachs willen, Unſer Herrſchafft/ und aller Unſerer Unterthanen/ für Uns und all Unſer Nachkhomben Biſchoff zu Paſſau verheiſſen/ und verlobt haben bey Unſern Treuen und mit Wortt Unſer Fürſtlichen Würdigkeit verhaiſſen/ und verloben auch mit diſem Brief/ das Wir dem Durchleuchtigen Hochgebornen Fürſten Unſern Gnädigen Herrn/ Herrn Albrechten Hertzogen zu Oeſterreich/ zu Steyr/ zu Kherndten/ und zu Crain/ Grauen zu Tyroll ꝛc. und allen ſeinen Erben/ und Nachkommen geholffen ſein ſollen und wollen fürderlich und endleich/ mit aller Unſer Macht, zu allen Iren Eren/ Würden/ Rechten/ und Frü-

1391. *Ex apographo P. H.*

men wider allermeniglich/ niemand ausgenomben/ wen Jn des Not geschicht/ und wir von Jn darumb geuodert und gemont werden/ an alles Verziehen/ und das Wier Jn auch alle Unser Vesten und Geschlos/ wo die gelegen/ oder wie sie genandt sein/ offen haben schollen und wellen/ zu allen Iren und Irer Lande Kriegen und Notturfften; getreulich an alles Gevär: Geschehe aber/ daz Uns/ oder Stüfft/ solch redlich ehafft Not angieng/ daz daz GOtt wende/ daz Wier derselben Unser Vesten und Geschlos/ der Jr dhains ausgenomen/ Viechtenstain/ Obern Wesen/ und Nidern Wesen/ Rennarigl/ Haichenbach/ Velden/ und Riedegg verchauffen müessen: So schollen Wier: daz niemand tun/ den unsern egenanten Herrn von Oesterreich oder seinen Erben: oder ob sie des nicht wolten/ ainem oder Menigern Irer geborsamben Unterthanen/ der oder die zu Iren Lande ze Oesterreich gehörent/ und darinen gesessen sint. Müesten Wier aber daz versetzen/ oder in dhain ander Weiß verkümern: So schullen Wier daz Unsern egenanten Herrn von Oesterreich oder sein Erben vor redlich anbieten/ und Jn des vor meniglich gunnen: Wolten aber Er oder sein Erben das nit aufnemen; so schollen Wir den Satz zu gleicher Zeit/ ungevärlich tuen/ ainen oder menigern Irer getreuer und geborsamben Unterthanen/ der oder die zu Irem Lande daselbs ze Oesterreich gehören/ und darinne gesessen sein: Wer denn/ das derselben ainer oder meniger an Gevar/ daz auch nicht aufnemen wolt/ so mügen Wier in solch Geschicht/ den Satz wol ainen andern tun mit solchem Getreg: Wenn Wier solich Satzung tun/ Er sey in Oesterreich oder anderstwo gesessen/ daz der oder die vor wol versichern und gewis machen/ daz sie Uns und Unserm Gotshaus zu allen Unsern Notturften/ und Unserer egenanten Herrschaft von Oesterreich zu allen iren Noturften dieselben Geslos offen haben/ und damit gewertig sein/ wider aller meniglich/ niemand ausgenommen/ getreulich/ und an alles Gevero/ nach Laut und Weisung der Bindtnus und Brief/ die vormals zwischen Uns beedenthalben gemacht sint/ und auch als an dem gegenwertigen Brieff begriffen ist/ denn umb die obgenanten Unser Geslos Viechtenstain/ Obern Weesen und Nidern Weesen/ Rennarigl/ Hayhenbach/ Velden und Riedegg/ schollen Wir und Unser Stifft/ gern Unserer egenanten Herrschafft von Oesterreich steen und bleiben/ nach Lautt der Brief/ die vormals sonderlich darüber geben sindt. Wier haben auch in der vorgeschribenen Bündtnus wissentlich vorbehebt/ und ausgenomen Unseren Heiligen Vatter den Pabsten/ in allen Geistlichen Sachen/ als daz billich ist. Mit Vrchunt dits Briefs, den Wier darüber geben versigelten mit Unserm anhangunder Insigel: Und Wier N. der Thumb Probst/ N. der Techand, und N. das Capitl gemainiclich des Gotzhaus ze Passau verjehen und bechenen offenleich mit dem Brieff/ daz die vorgeschriben Bindtnus und Gelibde mit Unsern Wissen/ Willen und Rat geschehen ist. Und loben auch die stett zehaben für Uns und alle Unsere Nachchomen ewiglich bey den Ayden/ die Wier darumb geschworen haben/ wissentleich mit angerierten Handen auf das Heilig Evangeli: und darüber zu vesster Sicherhait haben Wier als egenant Unsers Capitls Insigel zu Unsers vorgenanten Herrn Bischoffs Irrigen ze Passau Insigel gehenckt an disem Brieff/ der geben ist ze Wienn am nägsten Sontag nach den Prechentag. ∴ Nach Christi Gepurt dreitzehen hundert Jar/ darnach in ain und neuntzigsten Jare.

LXXIII.

Guilielmi Prioris Cartusiæ Majoris Epistola ad Albertum III. Austriæ Ducem. Paratum se ait ad remittendum Ortolphum, olim Priorem Gemnicensem, Ducemque rogat, ut ad partes Clementis VII. accedat

Illustris & Magnifice Princeps &c.

POst recommendationem humilem, æternam pacem & utriusque hominis sospitatem. Sicut nuper Vestræ Dominationis magnitudo Fratrem *Orthol-phum*, Priorem Domus in *Gemnico*, alias *Throni*, *Patavienſis* Diœcesis (cujus 1392. *Ex Archiv. Gemnic.*

vos

vos eſſe aſſeruiſtis, prout revera eſtis, Advocatum hæreditarium & Patronum) litterætenus requiſivit remitti ad dicti regimen Prioratus, paratum me offero hæc & omnia veſtræ Magnificentiæ beneplacita pro poſſe modulo adimplere, ac eundem Fratrem *Ortholphum* inducere & informare, ut redeat, & ſolerti cura ac diligentia eundem Prioratum regat, ſollicitet, & gubernet: dummodo Veſtra Magnifica Potentia Eum & Domum prædictam, tanquam Advocatus & tutor, una cum veſtris dignetur protegere, defendere, & juvare, quod in via veritatis & juſtitiæ, & in obedientia Capituli Generalis noſtri Ordinis poſſit & valeat Domino famulari.

Sereniſſime Princeps! Cùm veſtrorum Progenitorum, Chriſtianiſſimorum Principum, ac veſtræ poteſtatis ingenuitas & Devotio noſtrum Ordinem per inſtitutionem dictæ *Domus Throni*, & per multa alia utilia & charitativa adjutoria evidentiſſimè proſequendo, præcipuis & gratioſis favoribus meruit tam inæſtimabilem recompenſam, quòd non ſolùm ego cum toto Ordine noſtro me obligatum confiteor pro veſtra & omnium veſtrorum ſalute corporis & animæ debere eſſe crebris orationibus ſollicitum, imò teneri etiam præcipuè devotis & charitativis exhortationibus in his maxime, quæ honorem & gloriam veſtræ concernunt Magnificentiæ, pacem Eccleſiæ & ſalutem præcipuam animarum, veſtram excellentiam monendam, ac etiam æſtimo, requirendam.

Dignemini ergo verba ſequentia (quæ offero in vera charitate & humilitate, & non, tanquam Doctor ant Magiſter cujusquàm videri deſiderem, ſed omnium ad ſalutem & veritatem director) charitativè & ſine indignatione & diſplicentia ſuſcipere & audire.

Cùm vos, Egregie Princeps, ſitis de Principalioribus & præcipuis, quibus, prout ſcripta tradunt & dicunt Evangelica, ille ſummus Paterfamilias Chriſtus Ieſus, omnium Conditor & Redemptor, talenta plurima, id eſt, multarum divitiarum, terrarum, & patriarum regimina tradidit augmentanda: & Vobis non liceat tantas divitias, tantamque potentiam, tanquam talentum ſervo inutili commiſſum, negligenter in terram fodere, ſed duplicando ex temporalibus ſpiritualia, ex tranſitoriis æterna elicere, & commiſſum terrenum Principatum ſuper cœli ſydera exaltare; & quia ſumus Spiritus vadens, & non rediens, nec habemus ſecundùm Paulum hic manentem Civitatem in hoc ſæculo, expedit memorare de noviſſimo, & quid noſtra miſera anima, ſit odii vel præmii acceptura, inſtigante nos ad hæc Sapiente, dicente: *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Et cùm ſit Vobis Principibus, qui plus aliis recepiſtis, & quotidie recipitis à Domino, in reddendo rationem diſtricto judici metuendum, dicente Beato Gregorio: *Cùm enim augentur dona, rationes creſcunt donorum.* Ex quo apparet lucidè, quod non ſolùm pro Vobis tantùm, ſed etiam pro omnibus ſubditis veſtris, usque ad noviſſimum & minimum quadrantem reddituri eſtis DEO viventi, ſevero & juſto Judici rationem, in cujus manus, atteſtante Paulo, incidere eſt horrendum.

Ideo multùm vobis, videre meo, animadvertendum arbitror, ne favor, amor, lucrum, odium, vel quisquis alter affectus indiſcretus trahat vos à ſemita veritatis. Nam quod agitur à Principibus vel Prælatis, facilè trahitur à ſubditis in exemplum: & Principes ſic delinquentes ſecundùm B. Gregorium tot mortibus digni ſunt, quot ſuo malo exemplo ad inferna transmittunt. Imò pro ſubditis, quos ita decipiunt, pœnas & ſupplicia in anima ſuſtinebunt, prout ſcribitur in Regum hiſtoria, ubi dicitur: *Cuſtodi virum hunc, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro eo.*

Sed abſit, abſit hoc à me, ut talem vos reputem, quem revereor ut Dominum, veneror ut Patrem, & ut Fratrem diligo & amplector. Omnes etenim in Chriſto fratres ſumus, qui uno ſumus Chriſtiano nomine inſigniti, habentes unum Patrem, qui eſt in cœlis, & unam Matrem Sanctam Eccleſiam. Hanc prô dolor, non à Barbaris, non à Judæis vel Paganis, ſed ab ipſis Chriſtianis, filiis uteri ſui, modernis temporibus videmus in Capite, hoc eſt, in Sancta & Apoſtolica Sede, tam turpiter, tam nequiter, tamque crudeliter & in tantum dividi & ſecari, ut videatur à pluribus habere duo capita tanquam monſtrum. Quod quàm ſit falſum, quàm execrabile, quàmque

pernitioſum ac perverſum, nemo ſanæ mentis ignorat.

Et revera valde moleſtum eſt mihi talia ſcribere, ſed moleſtiùs talia cogitare, adeò, ut in hoc fragili corpore non ſperem conſolationem recipere, niſi priùs cognito, pacem Eccleſiæ reſtituram.

Et cùm non ſit dubium, quin ad Vos, Sereniſſime Princeps, ſicut & ad cæteros Prælatos, Rectores & Gubernatores Catholicos pertineat populi Chriſtiani tollere ſcandala de medio, vepres & ſpinas ſuccidere (quæ conantur in agro Domini, veræ fidei triticum ſuffocare) & omnes errores Schismaticorum extirpare: vos exhortor, vobisque cum fletibus humiliter ſupplico in viſceribus miſericordiæ JESU CHRISTI, ne patiamini tam magnam & immenſam potentiæ veſtræ gloriam poſt nefandi ſchiſmatis cultores, ſeductis cæteris Doctoribus, per erroris devia declinare. Sed dignemini ob ſalutem animarum, tam propriæ quàm veſtrorum, ſequi in hoc devio illos, quibus illuxit Sapientia Spiritus, qui juſtis & juridicis utuntur rationibus, ac neminem perire vellent: nec affectant pro ſua juſtitia quærere temporalia, nec cujusquam interitum in anima procurare, ſcilicet omnes Dominos veros & antiquos Cardinales, qui rei geſtæ hujusmodi unanimiter interfuerunt, Regésque illuſtres *Franciæ*, *Caſtellæ*, *Portugalliæ*, & *Cypriæ*, nec non quamplures alios Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Provincias, Terras, Civitates, Communitates, atque plurimorum Ordinum Religiones, inter quos Ego una cum noſtris Ordinis Capitulo generali, licèt de minimis, volui ut Zelator veritatis & juſtitiæ aggregari:

Qui omnes per certas & veridicas rationes, informationes, & allegationes, facti veritatem ab utraque parte, evidenti teſtimonio cognoverunt & veraciter receperunt, & illum, qui Romæ, ut ipſe aſſerit, tanquam Papa reſidet, per impreſſionem Sedem Apoſtolicam occupare veriſſimè repererunt, Dominumque *Clementem* Papam VII. veſtrum conſanguineum, verum eſſe Chriſti Vicarium, Sancti Petri Succeſſorem & in Papam Canonicè electum cognoverunt: & ideo eidem Domino *Clementi* obedierunt, & obediunt, & ſe pro ipſo declaraverunt ſolemniter & patenter, prout ex his reſplenduit orbis terræ apud pia & fidelia pectora, & veros cultores Catholicæ veritatis.

Si tamen rationes & informationes, quæ ſupradictis profuerunt in cognitione ſereniſſimæ veritatis, fortè Vobis non ſufficerent, ut deberent, nolite iuxta conſilium Sapientis propriæ tamen inniti ſapientiæ, & ab unam partem foventibus fabulis decipi & ſeduci. Sed ſicut auditis & auditis unius partis narrationes, aliâ non reſpondente, ac inſcia, nec præſente: ſic etiam aliam partem Domini noſtri *Clementis VII.* veritatis relatorem, adverſa parte præſente & ſe defendente, dignemini audire & recipere; &, ut à Regibus & Principibus audiatur aliis, procurare ac effectualiter promovere: ut ſic veritas in cognitione veri Paſtoris vobis & aliis poterit elucere, ſequendo doctrinam Catonis dicentis, *Cognatos cole*, & veſtro Cognato & Conſanguineo, quantum ad juſtitiam eſt non ultra, debitis favoribus aſſiſtere nullatenus negligendo, ex quibus honor veſter, laus DEI, pax Eccleſiæ, exultatio patriæ, & animarum ſalus plurimarum poterit uberrimè reſultare. Bona ante tacta in Vobis operari dignetur, qui cuncta regna ſuſtinet & gubernat, quique vos Spiritus Sancti gratia in cunctis animæ & corporis proſperis in æternum illuminet, protegat, dirigat, & exaltet. Anno Domini MCCCLXXXXII. ex *Cartuſia* Sedente Capitulo Generali.

Orator Veſter *Guilhelmus* Prior *Cartuſiæ*.

Illuſtri Principi Dno Dno *Alberto* Duci *Auſtriæ* &c. Fundatori * *Domus Throni Beatæ Mariæ* in *Gemnico*.

* i. e. Fundatoris filio.

Nota Ven. P. Leopoldi Wydemanni Gemnicenſis in præcedentem Epiſtolam.

ORtholphus, de quo in Epiſtola mentio, fuerat per annos ferè quatuor Prior in *Gemnico*, nec non Annis 1380. & 1381. Provinciæ huius Viſitator. Viſitatoris munus anno 1382. & Prioris anno 1383. depoſuerat ob notum illud uti Eccleſiæ, ita Ordinis Schiſma, ſeque ad alteram obedientiam contuleraf. Interim in Prioratu eidem ſucceſſit *Leonardus* huius nominis primus, & huic die 8. Februarii ann. 1389. *Paulus de Buda*,

de. Hic dum nimium videbatur tueri privilegia à Fundatore Nobis conceſſa, gratia excidit *Alberti III.* Et hæc ratio, quod *Paulo* à Gemnicenſi Prioratu ad Prioratum *Vallis S. Antonii in Hungaria* translato, *Albertus* Dux *Ortholphum* repetierit ab utroque tunc temporis Capitulo Generali, & ab illo, quod in Cartuſia maiori celebrabatur, receperit, ùti Epiſtola docet. Interim ut *Ortholpho* locus pararetur, Capitulum *Seitzii* celebratum eodem anno, menſe & hebdomada, Priorem *Gemnicenſem* in hæc verba abſolvit: *Priori Throni ſit miſericordia* (id eſt, abſolvitur: *& committimus Prioribus Domorum Vallis omnium Sanctorum* in Maurbach, *& de Arſpach: ut indilatè ſe transferant ad eandem Domum, electionem de futuro Priore confirmaturi, onerantes eorum conſcientias, quòd in perſonam non idoneam ad regimen tantæ Domus nullatenus conſentiant.* Ita illi per clauſulam ultimò adiunctam electioni liberæ (quam *Albertus* Dux pro eo tempore vix admiſiſſet) viam præcludentes, *Ortolphum* à Schiſmatico, ut cum cæteris loquar, remiſſum, & ſine dubio etiam Schiſmaticum, non ſolùm honorificè ad regimen Domus noſtræ admiſerunt, ſed Eundem anno 1393 (quod nulli adhuc ibidem in *Seitz* contigerat) in Capitulo Generali elegerunt, ut primus Generalem, quem *Reverendum Patrem* appellamus, *Seitzii* reſidentem, & Domum Eidem ſubjectam more Ordinis viſitaret corrigenda correcturus. Indicium ſatis apertum, quàm invitè Patres tulerint Ordinis diviſionem. Ipſe quoque *Ortholphus* ut in Prioratu ſibi commiſſo remaneret, iterum & iterum cogi debuit & moneri. Hinc in Charta anni 1393. Prior Throni *patientiam habeat in officio propter meritum obedientiæ ſalutaris.* Et in charta anni 1394. *Onus officii patienter portet pro animæ ſuæ ſalute, & aliorum conſolatione & pace.* Tandem anno 1395. die 15. Octobris obiit *Ortolphus*, Menſibus nondum elapſis duobus poſt obitum Ducis *Alberti*, à quo fuerat repetitus.

Alberti III. obitum ita noſtra Charta Capituli Generalis refert: *Obiit* (anno 1395.) *Illuſtriſſimus Princeps Dominus Albertus Dux Auſtriæ &c. in die Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, & habet Monachatum per totum Ordinem.*

LXXIV.

Jodocus Marchio Brandenburgenſis & Marchio Moraviæ Cartuſiam Vallis Joſaphat curiis, in villa Palonyn ſitis, dotat.

Jodocus DEI gratia Marchio *Brandenburgenſis*, Sacri Romani Imperii Archicamerarius, Marchio & Dominus *Moraviæ*, notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd, cùm præcipuè inter omnia opera humanæ negotiationis præ oculis habeamus, qualiter ſalutem noſtram, quam interdum juxta imbecillitatem conditionis naturæ fragilis & caducæ, propriâ culpâ negligimus, ſaltem interceſſione aliorum, ne apud vineam Dominicam ſtemus otioſi omnino, in conſpectu altiſſimi reſtauremus, oculos deliberationis internæ ad Fratres Cartuſienſes convertimus, qui ſpretis hujus ſæculi ornamentis, ſub ſtrictura clauſuræ, veſte tecti hiſpidâ, cibô aſperrimo, & hôc moderatiſſimô pro ſuſtentatione vitæ potientes, devotarum orationum in odorem ſuavitatis pro peccatis non ſolùm ſuis, ſed univerſi populi Chriſtiani, ſupplices diebus & noctibus pinguia offerunt Altiſſimo holocauſta. Quocirca ut orationum ipſorum & bonorum operum ſimus participes, Religioſo ac Honorabili Fratri *Stephano* Priori & toti Conventui, ac eorum Succeſſoribus novæ plantationis noſtræ, *Domus Vallis Joſaphat* Virginis Glorioſæ MARIÆ Ordinis Cartuſienſis in *Dolan* prope *Olomucium* & glorioſi Hieronymi Doctoris eximii (ubi ſtruendi templi ſeu Eccleſiæ gratiâ, per ſe primum lapidem injecimus fundamento) Curias noſtras in Villa *Palonyn* ſitas cum agris cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſylvis, rubetis, aquis, fluminibus, & ſingulis aquarum decurſibus ad eaſdem curias ab antiquo tempore pertinentibus, cum plenis jure & dominio, quemadmodum eaſdem curias in ſuis limitibus & terminis ab aliis bonis circumjacentibus diſtinctas, olim felicis memoriæ Illuſtris Dominus *Joannes* Marchio *Moraviæ*, Genitor noſter, tenuit & habuit, ſuis pecuniis comparatas, dedimus, donavimus, & virtute præſentium animô deli- 1392. *Ex Arch. Gemnic.*

beratô ac de certa noſtra ſcientia damus, donamus, per ipſum Priorem ac Conventum ipſius, & Eorum Succeſſores perpetuis temporibus Jure hæreditariô tenenda, habenda, fruenda, & etiam poſſidenda: Et poſſeſſionem omnium bonorum illorum eis mox dedimus, ut hæc noſtra donatio robur validiùs acciperet firmitatis. Mandamus igitur Camerario, Czudario & Notario Czudæ noſtræ *Olomucenſis*, Officialibus fidelibus dilectis, ut omnia bona iſta juxta tenorem præſentis litteræ, dum primùm tabulæ terræ in *Olomucz* apertæ fuerint, ipſis tabulis more patriæ ſine alia requiſitione, mox viſis præſentibus, inſcribant pariter & imponant, præſentium ſub noſtri appenſione ſigilli teſtimonio litterarum.

Datum *Olomucii* Anno Domini Milleſimô trecenteſimô nonageſimô ſecundô, tertiâ die Menſis Julii.

De mandato Domini Marchionis, Decanus *Olomucenſis Andreas*.

LXXV.

Monumenta ius Monaſterii S. Emmerammi in Parochialem Eccleſiam S. Ruperti Ratisbon. ſpectantia.

1.

Proceſſus & ſententia definitiva in Erhardum Sittawer, perpetuum Vicarium Eccleſiæ Parochialis S. Rupetti Ratisbonæ, qua is, & eius Succeſſores ad dandum annuum cenſum Monaſterio S. Emmerammi, cui illa Eccleſia incorporata eſt, condemnantur &c.

1394. *Ex Autogr. Emmeram.*

IN nomine Domini, Amen. Dudum per Venerabilem in Chriſto Patrem, Dominum Abbatem, & Religioſos Viros Priorem & Conventum Sancti *Emmerammi Ratiſponenſis* perpetuis litteris conſervatorialibus maiori forma impetratis a Sede Apoſtolica & obtentis, ad Reverendos in Chriſto Patres, Dominos Epiſcopum Eccleſiæ *Bambergenſis*, ac ad *Elbacenſem*, *Auguſtenſis* Diœceſis, ac Sancti *Udalrici Auguſtenſis* Monaſteriorum Abbates eorundem nominibus non expreſſis ſub tenore, ùt ſequitur in hæc verba:

Johannes Epiſcopus Servus Servorum DEI Venerabili Fratri Epiſcopo *Bambergenſi*, & dilectis Filiis *Elbacenſi*, *Auguſtenſis* Diœceſis, ac Sancti *Vdalrici*, *Auguſtenſis*, Monaſteriorum Abbatibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Etſi quibusliber Religioſis perſonis & locis ex iniuncto nobis ſervituris officio aſſiſtere defenſionis præſidio teneamur, tamen illis ſpecialius, & efficaciùs adeſſe nos convenit, qui Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecti non habent præter Romanum Pontificem alium defenſorem. Sanè dilectorum Filiorum Abbatis & Conventus Monaſterii Sancti *Emmerammi*, *Ratiſponenſis* ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis Ordinis S. Benedicti conqueſtione percepimus, quòd nonnulli Venerabiles Fratres noſtri Archiepiſcopi & Epiſcopi, ac Abbates, & alii Clerici, Eccleſiaſticæque perſonæ tam Religioſæ, quàm ſæculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, & alii laici Civitatis, & Diœceſis *Ratiſponenſis*, ac partium vicinarum occuparunt, & occupari fecerunt Præpoſituras, Prioratus, Eccleſias, Capellas, Grangias, Obedientias, Decimas, Caſtra, Caſalia, Villas, domus, terras, poſſeſſiones, vineas, prata, paſcua, nemora, molendina, cenſus, maneria, redditus, & proventus, penſiones, iura, iuriſdictiones, & nonnulla alia bona mobilia, & immobilia ad dictum Monaſterium ſpectantia, ſeu eadem detinentibus præſtant auxilium, conſilium, vel favorem: nonnulli etiam civitatum Diœceſis, & partium prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipi non formidant, dictis Abbati & Conventui in Præpoſituris, Prioratibus, Eccleſiis, Capellis, Grangiis, Obedientiis, Decimis, Caſtris, Caſalibus, Villis, domibus, terris, poſſeſſionibus, vineis, pratis, paſcuis, maneriis, molendinis, cenſibus, redditibus, & proventibus, penſionibus, iuribus & iurisdictionibus, ac bonis præfatis, & rebus aliis ad ipſum Monaſterium ſpectantibus, multipli-

Digitized by Google

tiplices injurias inferunt & jacturas. Quare dicti Abbas & Conventus nobis humiliter ſupplicârunt, ut, cùm valde difficile reddatur eiſdem pro ſingulis querelis ad Apoſtolicam Sedem habere recurſum, providere eis ſuper hoc pro noſtra diligentia curaremus. Nos igitur adversùs occupatores, detentores, præſumptores, moleſtatores, injuriatores hujusmodi de illo eis volentes remedio ſubvenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus committendi ſimilia præcludatur, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrûm per vos vel alium ſeu alios, etiam ſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis conſervatores & judices, eiſdem Abbati & Conventui efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eos ſuper his, & quibuslibet aliis bonis & juribus ad ipſos, & dictum Monaſterium ſpectantibus, ab eisdem, & quibuslibet aliis indebitò moleſtari, nec eis gravamina ſeu damna aut injurias irrogari, facturi ipſis Abbati & Conventui, cùm ab eis, vel eorum aliquo ſeu Procuratore vel Procuratoribus eorundem fueritis requiſiti de prædictis, & aliis perſonis quibuscunque ſuper reſtitutione Præpoſiturarum, Prioratuum, Eccleſiarum, Capellarum, Grangiarum, Obedientiarum, Decimarum, Caſtrorum, Caſalium, Villarum, Domorum, Terrarum, Poſſeſſionum, Vinearum, Pratorum, Paſcuorum, Nemorum, Molendinorum, Cenſuum, Penſionum, Jurium, Jurisdictionum, & aliorum bonorum prædictorum, reddituum quoque & proventuum, & aliorum quorumcunque bonorum, & rerum, nec non de quibuscunque injuriis, moleſtiis atque damnis præſentibus, & futuris, & in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, de plano ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis, prout qualitas ipſorum exegerit, juſtitiæ complementum, occupatores, ſeu detentores, moleſtatores, præſumptores, & injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet & rebelles cujuscunq; ſtatus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocunque, & quotiescunque expedierit, auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtantibus felicis recordationis *Bonifacii* Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, in quibus cavetur, ne aliquis extra ſuam civitatem, & diœceſim in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam diætam à fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices & Conſervatores à Sede deputati prædictam extra civitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere ſive alii vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam diætam à fine diœceſis eorundem trahere præſumant, ſeu quod de aliis, quàm de manifeſtis injuriis & violentiis & aliis, quæ judicialem indaginem exigunt, pœnis in eos, ſi ſecus egerint, & in id Procurantes adjectis, Conſervatores ſe nullatenus intromittant, dummodo ultra duas diætas aliquis extra ſuam civitatem vel diœceſim auctoritate præſentium non trahatur; quàm aliis quibuscunque conſtitutionibus à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus tam de Judicibus delegatis & Conſervatoribus, quàm perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliquibus aliis editis, quæ veſtræ poſſent in hac parte juriſdictioni aut poteſtati, ejuſque libero exercitio quomodolibet obviare, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim à prædicta ſit ſede indultum, quòd excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per Litteras Apoſtolicas, facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi & eorum perſonis & locis, Ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuscunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam veſtræ jurisdictionis explicatio, in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cujuſque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris litteris habenda ſit memoria ſpecialis. Cæterùm volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod quilibet unum proſequi valeant articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis ideo inchoans nullo fuerit impedimento Canonico impeditus, quodque à data præſentiarum ſit vobis, vel unicuique veſtrûm in præmiſſis omnibus & eorum ſingulis cœptis, & non cœptis, præſentibus & futuris perpetuata poteſtas, & juriſdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omni-

omnibus, & ſingulis, cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia & ſingula coram vobis cœpta fuiſſent, & jurisdictio veſtra, & cujuslibet veſtrûm in prædictis omnibus & ſingulis per citationem, vel modum alium perpetuarum legitimum extitiſſet, conſtitutione prædicta ſuper conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obſtante. Datum *Avenione* II. Idus Januarii Pontificatus noſtri anno undecimo.

Et quia in dictis litteris conſervatorialibus talis clauſula: *quatenus vos vel duo, aut unus veſtrûm, per vos, vel alium ſeu alios* continetur, quilibet dictorum Conſervatorum procedendi & ſubdelegandi habuit poteſtatem, Reverendus in Chriſto Pater Dominus *Lampertus* Epiſcopus Eccleſiæ *Bambergenſis* vices ſuas in eiſdem litteris conſervatorialibus per Sedem Apoſtolicam ſibi traditas, & conceſſas ad inſtantiam dictorum Dominorum Abbatis, & Conventus Monaſterii *Emmerammi* prædictorum Venerabilibus in Chriſto Patribus Dominis in *Monte Monachorum* propè *Bamberg*, *S. Iacobi* Ordinis S. Benedicti Abbatibus, Præpoſito *Sancti Magni* Ordinis Sancti Auguſtini Canonicorum Regularium *in pede Pontis* Monaſteriorum, & Decano Eccleſiæ *Beatæ Mariæ Veteris Capellæ Ratisponenſis*, & eorum cuilibet in ſolidum eorum nominibus non expreſſis commiſit, & ſubdelegavit, donec eas ad ſe duceret revocandas per ſuas ſigillatas litteras hujuſmodi ſub tenore, ut ſequitur.

Lampertus DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Eccleſiæ *Bambergenſis* Epiſcopus, Conſervator & Judex ad infra ſcripta unà cum infra ſcriptis Collegis noſtris à Sede Apoſtolica deputatus, Venerabilibus in Chriſto Patribus Dominis *in monte Monachorum Bambergæ*, *S. Iacobi* Ordinis S. Benedicti Abbatibus, Præpoſito *S. Magni* Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium *in pede Pontis* Monaſteriorum, & Decano *B. Mariæ Veteris Capellæ Ratiſponenſis* ſalutem, & ſinceram in Domino charitatem. Noveritis, nos litteras Sanctiſſimi Patris, & Domini noſtri, Domini *Iohannis* Divina providentia Papæ XXII. non abolitas, non cancellatas, non raſas, nec in aliqua ſui parte vitiatas, ſed ſanas & integras cum filo canopis, & bulla plumbea recepiſſe per omnia in hæc verba:

Iohannes Epiſcopus Servus Servorum DEI Venerabili Fratri Epiſcopo *Bambergenſi*, & dilectis filiis *Elbacenſi Auguſtenſis* Diœceſis, & S. *Vdalrici Auguſtenſis* Monaſteriorum Abbatibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi quibuslibet Religioſis perſonis, & locis ex injuncto nobis ſervitutis officio defenſionis præſidio teneamur &c. Et ſic finit: Datum *Avenione* II. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno undecimo.

Cujus quidem commiſſionis, ſeu Conſervatorii Originale ſive autenticum pars Monaſterii S. *Emmerammi* prædicti vobis Dominis Abbatibus, Præpoſito, & Decano de prædictis, ſeu ei, cuius interierit, opportunis loco & tempore exhibebit, vel alias de eisdem fidem faciet, ſicut dictaverit ordo juris. Cùm igitur noſtris, & Eccleſiæ noſtræ adeò ſimus præpediti negotiis, quòd cauſis Monaſterii præſcripti commodè intendere nequeamus, mandamus vobis auctoritate Apoſtolica, qua in hac parte fungimur, firmiter & diſtrictè, quatinus vos vel duo, aut unus veſtrum, qui cum præmiſſis requiſiti, vel requiſitus fueritis, vel fuerit ſecundùm formam commiſſionis præſcriptæ in omnibus ſæpe dicti Monaſterii negotiis, & cauſis quandocunque, & quotieſcunque pro parte ipſius Monaſterii requiſiti fueritis, auctoritate noſtra, imò veriùs Apoſtolica procedetis, quouſque mandatum ipſum ad nos duxerimus revocandum. Datum *Bambergæ* noſtro ſub impendenti ſigillo duodecima die menſis Septembris anno Domini milleſimo, trecenteſimo, octuageſimo nono, Indictione duodecima, Pontificatus Sanctiſſimi in CHRISTO Patris, ac Domini noſtri, Domini *Vrbani* Divina providentia Papæ ſexti anno duodecimo.

Cujus

Cujus quidem commissionis, & subdelegationis vigore Venerabilis in Christo Pater, Dominus *Wilhelmus* Abbas Monasterii *S. Michaelis Montis Monachorum* propè *Bamberg*, prout ex forma litterarum Apostolicarum, & subdelegationis prædictarum potuit, procedendo ad instantiam Dominorum *Friderici* Abbatis, *Heinrici* Prioris, & totius Conventus dicti Monasterii S. *Emmerammi* Actorum quondam Dominum *Erhardum Sittawer* Vicarium perpetuum Ecclesiæ Parochialis S. *Emmerammi Ratisponensis*, in honore Sancti *Ruperti* dedicatæ, tunc viventem reum super duplicibus causis ad dicendum contra commissionem, ut præmittitur, ei factam, & alias dictorum actorum querimoniis respondendum ad certum peremptorium terminum competentem coram se ad judicium evocavit. In quo quidem termino comparentibus coram eodem Domino *Wilhelmo* Abbate, & Subconservatore in dicto suo Monasterio ad jura reddenda pro tribunali sedente, Religioso viro Domino *Altmanno Spizer*, Monacho, & Oblegiario dicti Monasterii S. *Emmerammi Ratisponensis* Ordinis S. Benedicti Procuratore, & procuratorio nomine Dominorum Abbatis, Prioris, & Conventus ejusdem Monasterii prædictorum, prout de ejus mandato fidem fecit per publica documenta, & constat etiam apud acta & citationem per eundem Dominum *Wilhelmum* Abbatem, & Subconservatorem contra præfatum quondam *Erhardum* Reum emissam repræsentante, & executam debitè per documenta publica demonstrante, & citatorum in ipsa contentorum non comparentium, nec eidem termino satisfacere non curantium contumaciam accusante, & in eorum contumaciam in dictis causis procedi; & ad dandum, & recipiendum libellum seu libellos, vel petitiones summarias, & ad respondendum eisdem terminum assignari cum instantia postulante: & ex adverso *Friderico* dicto de *Eyfinfelt* Procuratore, & procuratorio nomine quondam Domini *Erhardi Sittawer* prædicti, prout de ejus mandato plenario docuit, & constat apud acta per publica documenta, & de non consentiendo in jurisdictionem ejusdem Domini Abbatis Subexecutoris, nisi in quantum de jure teneretur, primitus proponente, & sibi ac suo aspectui ad videndum, & recognoscendum origenales litteras Conservatoriales, & Subdelegationis nobis factæ exhiberi, & libellum seu libellos, & summarias petitiones offerri, & terminum convenientem ad easdem respondendi assignari cum instantia postulante, supradictus Dominus *Wilhelmus* Abbas, Subconservator præfatus hujusmodi origenales litteras Conservatoriales, & Subdelegationis eiusdem *Friderici* Procuratoris visui & recognitioni repræsentavit pariter & ostendit. Et cùm idem *Fridericus* Procurator dicto nomine easdem vidisset, legisset, & recognovisset taliter, quòd sibi sufficere recognovit, & quòd se vel partem suam nihil velle dicere, aut opponere contra commissionem eidem Domino Abbati Subconservatori factam allegavit, ex tunc Dominus *Wilhelmus* Abbas, & Subconservator præfatus citatos non comparentes, nec dicto termino satisfacientes quoad actum & terminum hujusmodi reputavit, prout erant merito, exigente justitia contumaces, & statuit parti actrici ad dandum & offerendum libellos, seu petitiones summarias, & parti reæ ad respondendum eisdem libellis seu petitionibus, aut exceptiones quaslibet proponendi, terminum peremptorium competentem; & ibidem præfatus Dominus *Almannus* Procurator dicto nomine discretos Viros Magistrum *Johannem de Weissnein*, & *Petrum Dithmar* in solidum Procuratores substituit apud acta, & in eosdem omnem suam transfudit, & transtulit plenariè potestatem. Quo termino ad libellandum adveniente comparentibus in dicto loco coram Domino *Wilhelmo* Abbate, & Subconservatore prædicto Domino *Altmanno* constituto, & Magistro *Johanne* Substituto actorum, atque *Friderico* Rei Procuratoribus, & procuratoriis nominibus supradictis, dicti *Almannus* & *Johannes* Procuratores Actorum duos libellos obtulerunt, quos ipse *Fridericus* Procurator Rei habuit, & recepit, & dicti Procuratores utrarumque partium plures hinc & inde protestationes fecerunt publicè & expressè. Quorum libellorum amborum tenores sequuntur de verbo ad verbum per omnia, & sunt tales:

Coram vobis Venerabili in Christo Patre, ac Domino, Domino *Wilhelmo*

DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbate Monaſterii *Sancti Michaelis Montis Monachorum* propè *Bamberg*, à Reverendo in CHRISTO Patre ac Domino, Domino *Lamperto*, Epiſcopo *Bambergenſi*, Judice & Conſervatore jurium, libertatum, & privilegiorum Religioſorum virorum Dominorum Abbatis, & Conventus Monaſterii Sancti *Emmerammi* Ordinis Sancti Benedicti *Ratiſponenſis*, Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjecti, à Sede Apoſtolica deputato Subdelegato dicit, & in jure proponit cum querela Sindicus, & Procurator Venerabilium, & Religioſorum Virorum Dominorum *Friderici* Abbatis, *Heinrici* Prioris, totiusque Conventus Monaſterii antedicti nomine Sindico, & Procuratorio pro Dominis ſuis & Monaſterio antedictis contra Dominum *Erhardum* dictum *Sittæwer*, perpetuum Vicarium Parochialis Eccleſiæ Sancti *Emmerammi* intitulatum in honore Sancti *Ruperti* dedicatæ, & præfato Monaſterio contiguæ, & annexæ, ſeu aliam perſonam quamcunque pro ipſo in judicio legitimè comparentem: quod, licèt ipſi actores, eorumque Prædeceſſores, & eorum Monaſterium per X. XX. XXX. XL. annos & citra & ultra fuerint in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, ratione dictæ Eccleſiæ, dicto Monaſterio per Sedem Apoſtolicam incorporatæ & unitæ, percipiendi à quibuslibet ejuſdem Eccleſiæ perpetuis Vicariis, quo tempore fuerunt, ipſius Rei Prædeceſſoribus, nomine cenſus annui in ſignum ſubjectionis, eò quòd collatio dictæ Vicariæ perpetuæ ad dictos actores, & eorum Monaſterium ex indulto Sedis Apoſtolicæ dinoſcitur pertinere, tredecim cum dimidia libris denariorum Ratiſponenſis monetæ ſingulis annis terminis ſubſcriptis ſolventibus. De quo quidem cenſu ſingulis quatuor temporibus tres libræ, & in Vigilia Nativitatis Chriſti una libra Domino Abbati dicti Monaſterii, Priori verò & Conventui ejuſdem Monaſterii in die Dedicationis Eccleſiæ dimidia libra monetæ antedictæ per dictum Vicarium miniſtrari conſueverunt etiam ab antiquo, licèt etiam præfatus Reus, poſtquam ab ipſis actoribus de dicta Vicaria fuit proviſus, data fide prædicto Domino Abbati promiſerit dictum cenſum annuum ſic ſolvere, ut præfertur, ac dictam Vicariam contra quemlibet impetrantem Apoſtolicum, & ſpecialiter contra Dominum *Andream Huter* Presbyterum fideliter & diligenter ſuis propriis ſumptibus, & expenſis in Romana Curia & extrà via juris defendere, dictumque Monaſterium omnimodè indemne conſervare, & in caſu, quo præfatus Reus in præmiſſis, aut eorum aliquo negligens foret, ſive præmiſſa, aut eorum aliquod ſic, ut præmittitur, non perficeret, ex tunc ſumptus, quos ipſi actores facerent, & ſuſtinerent, ac damna & intereſſe, quæ præmiſſorum occaſione, aut eorum aliquo exinde incurrerent, & contraherent, eoſdem & eadem dictus Reus ipſis actoribus refundere teneretur & deberet fideliter omni dilatione frivola & contradictione ſemota: licèt quoque dictus Reus pro præmiſſis omnibus & ſingulis perficiendis ad evidentem ſecuritatem Actorum, & ipſorum Monaſterii dicto Domino Abbati fide data promiſerit, ipſis actoribus idoneos conſtitueret fidejuſſores & principales debitores, ſuos conſanguineos, videlicet *Thomam* & *Leonhardum* dictos *Sittæwer* cives *Ratiſponenſes* cum bonis, & authenticis litteris ſuo, & eorundem ſigillis roboratis infra certum terminum dudum lapſum, Ipſe tamen Reus in ſuæ ſalutis diſpendium & dictorum actorum, & eorum Monaſterii præiudicium & gravamen eoſdem actores, & eorum Monaſterium percipiendum dictum cenſum annuum vel quaſi ſpoliavit, & iam viginti tres cum dimidia libr. denar. *Ratiſponenſis* monetæ nomine dictæ Vicariæ actoribus dicto monaſterio debitas ſubtraxit, & ſolvere contradixit, & alia præmiſſa minimè adimplevit: nec non litem ſuper dicta Vicaria in Curia Romana pendentem indefenſam reliquit ita, quòd ob ſui negligentiam præfatus *Andreas* duas ſententias diffinitivas, & unum ſequeſtrum contra ipſum Reum obtinuit & reportavit, propter quod ipſi actores, & dictum eorum Monaſterium ſumptus fecerunt & ſuſtinuerunt, & intereſſe incurrerunt, & contraxerunt ad octuaginta florenos auri boni

boni & legalis æſtimata, veſtra iudiciali taxatione ſemper ſalva, quos & quæ tamen prædictus reus dictis Actoribus, & eorum Monaſterio refundere neglexit, & contradixit, & adhuc indebitè contradicit contra fidem ſuam datam temere veniendo. Quare petit Syndicus ſeu Procurator memoratus nomine, quo ſupra, quatenus vos, Domine Judex, per veſtram ſententiam diffinitivam pronunciare, decernere, & declarare dignemini præmiſſas ſpoliationem, fidei fractionem fore & eſſe temerarias, illicitas, & iniuſtas: ipſosque & dictum eorum Monaſterium ad dictam poſſeſſionem vel quaſi, dictum annuum cenſum a prædicta Vicaria, & ab ipſo Reo eiuſdem Vicariæ nomine percipiendi reducendos, & reintegrandos fore & eſſe, & per vos reduci, & reintegrari, dictumque Reum condemnandum & compellendum fore & eſſe, & per vos condemnari, & compelli, ut fidem ſuam datam ſervet, & adhuc litteram autenticam, ſuo & prædictorum civium in fideiuſſores, & Principales debitores per eum conſtituendorum ſigillis roboratam ſic, ùt præfertur, dictis Actoribus det, præſentet, & aſſignet, dictumque Monaſterium omnino indemne conſervet, ipſisque actoribus, & eorum Monaſterio antedicto viginti tres cum dimidia libr. denar. monetæ *Ratiſponenſis* nomine cenſus annui ſic, ùt prædicitur, ſubtracti, ac octuaginta flo. renos auri boni & legales in refuſione ſumptuum, per dictos Actores factorum ac damnorum & intereſſe per ipſos contractorum, ſalva taxatione veſtra, tradat, atque ſolvat, & in antea prælibatam litem ſuis propriis expenſis legitimè defendat, & alia, quæ promiſit, ùt ſuperiùs eſt deductum, adimpleat debito cum effectu ex cauſis, & rationibus antedictis coërcitione Canonica mediante. Et aliàs petit prædictus Procurator dictis Actoribus, & ipſorum Monaſterio in, de, & ſuper præmiſſis fieri iuſtitiæ complementum. Veſtrum deſuper officium humiliter implorando petit etiam expenſas in lite factas, de faciendis ac damnis & intereſſe in futurum contrahendis debitè proteſtando, ſalvo iure addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, & declarandi aliisque iuris beneficiis in omnibus ſemper ſalvis. Petit inſuper, ut in dicta cauſa cavillationes ipſius Rei minimè advertentes procedatis ſimpliciter & de plano ſine ſtrepitu, & figura iudicii iuxta traditam a Sede Apoſtolica vobis formam. Et proteſtatur Procurator ſæpè dictus, quod duntaxat ad probandum neceſſaria in præmiſſis, nomine, quo ſupra, ſe aſtringit, & aliàs, ùt eſt moris.

Coram vobis Venerabili in Chriſto Patre, ac Domino, Domino *Wilhelmo* DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbate Monaſterii *Sancti Michaëlis Montis Monachorum* propè *Bamberg*, a Reverendo in Chriſto Patre, ac Domino, Domino *Lamperto*, Epiſcopo Eccleſiæ *Bambergenſis* Judice & Conſervatore iurium, libertatum, & privilegiorum Religioſorum virorum Dominorum Abbatis, & Conventus Sancti *Emmerammi* Ordinis S. Benedicti *Ratiſponenſis*, Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubiecti, a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputato ſubdelegato dicit, & in iure proponit cum querela Procurator, & procuratorio nomine Venerabilis Viri Domini *Friderici* Abbatis Monaſterii ſupra dicti pro ipſo, & Monaſterio antedicto contra Dominum *Erhardum* dictum *Sittarver*, perpetuum Vicarium Parochialis Eccleſiæ Sancti *Emmerammi* intitulatum, ſeu aliam perſonam quamcunque pro ipſo in iudicio legitimè comparentem, quòd licèt quondam Dominus *Erneſtus* dictus *Burchauſer* perpetuus Vicarius prædictæ Parochialis Eccleſiæ compos mente, quamvis debilis corpore, ſuum condiderit teſtamentum in ſcriptis redactum, & ſuo ſigillo proprio ſigillatum, ad quod exequendum dictum actorem & ipſum reum, necnon *Conradum Loybel* Civem *Ratiſponenſem*, & quondam *Johannem Chufftem* ſervitorem ſuum executorem ſimpliciter deputaverit: & deinde proceſſu temporis memoratum teſtamentum ſuum adhuc ſanæ mentis exiſtens magis ſpecificaverit, pluraque legata in ſpecie verbotenus in eo reliquerit, & inter alia decem libras denar. monetæ *Ratiſponenſis* præfato Monaſterio pro anniverſario inibi in perpetuum peragendo legaverit, dari iuſſerit, & mandaverit, licèt quoque præfatus *Johannes* unus de executoribus de medio ſit ſublatus, ipſeque actor prælibatum teſtamentum una cum Reo &

alio ſuperſtite executore antedicto paratus ſit, & fuerit exequi, & adimplere, & ea, quæ tenet de bonis & rebus dicti teſtatoris per ipſum ex dicto teſtamento, & ipſius occaſione perceptis, deducto tamen priùs, & defalcato prædicto legato, ſic ùt prædicitur, dicto Monaſterio relictæ iuxta diſpoſitionem & ordinationem dicti teſtatoris vel aliàs pro animæ ſuæ remedio reſtituere, expendere, ſive dare; ipſe tamen reus in ſuæ ſalutis diſpendium ea, quæ de bonis & rebus dicti teſtatoris penes ſe detinet, ſic ùt præfertur, reſtituere, expendere, ſivedare, & aliàs prælibatum teſtamentum unà cum actore, & alio ſuperſtite executore exequi, & adimplere hactenus neglexit, & recuſavit, & adhuc negligit, & recuſat: ſed prædicti bona uſui ſuo applicavit, & applicat minus iuſtè impediens, quò minùs prædictum teſtamentum exequi valeat cum effectu, quamvis prædictum teſtamentum dudum promiſerit exequi & implere. Quare petitProcurator prædictus nomine, quo ſupra, quatenus vos, Domine Judex, per veſtram diffinitivam ſententiam prælibatum Reum condemnetis,& compellatis,ac compellendum & condemnandum fore decernatis, ut ea, quæ de bonis & rebus dicti teſtatoris penes ſe detinuit, & detinet, iuxta diſpoſitionem & ordinationem dicti teſtatoris reſtituat, & pro animæ ipſius remedio expendat, & aliàs dictum teſtamentum unà cum actore & dicto alio ſuperſtite executore exequatur, & adimpleat, & a dicto impedimento deſiſtat, &, ſi exequi noluerit, ipſum actorem, & alium ſuperſtitem executorem aut ſolum actorem eodem ſuperſtite nolente prædictum teſtamentum exequi, & implere ſinat & permittat ex cauſis & rationibus antedictis coërcitione Canonica mediante. Et aliàs petit Procurator prædictus dicto actori in, de, & ſuper præmiſſis fieri iuſtitiæ complementum. Veſtrum deſuper officium humiliter implorando petit inſuper etiam expenſas in lite factas, & de faciendis ac damnis & intereſſe in futurum contrahendis debitè proteſtando ſalvo iure addendi, minuendi, mutandi, & declarandi, aliiſque iuris beneficiis in omnibus ſemper ſalvis. Petit inſuper, ut in dicta cauſa cavillationibus ipſius rei minimè advertentes procedatis ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu & figura iudicii iuxta traditam a Sede Apoſtolica vobis formam. Et proteſtatur Procurator prædictus, quòd duntaxat ad probandum in præmiſſis neceſſaria nomine, quo ſupra, ſe aſtringit, & aliàs ùt eſt moris.

Deinde pluribus terminis propter abſentiam dicti Domini Abbatis & Subconſervatoris circumductis & continuatis de Procuratorum præſentium voluntate, tandem in termino ad reſpondendum libellis, vel exceptiones quaslibet proponendum aſſignato comparentibus in iudicio in dicto loco coram Dominó *Wilhelmo* Abbate, & Subconſervatore præfato Domino *Almanno* conſtituto citra tamen revocationem ſubſtituti ſui Procuratore actorum, & Procuratorio nomine prædicto & Honorabili Viro quondam Domino *Erhardo Sittavver* Principali reo tunc vivente, citra tamen Procuratorum ſuorum revocationem, & dictus reus nihil velle dicere aut excipere contra conſervationem, & ſubdelegationem factam dicto Domino Abbati renunciavit, & proteſtando, quòd ſi aliquæ cauſæ vel actiones in dictis libellis exprimuntur, ad iuriſdictionem in præfata littera conſervatoria conceſſam non pertinentes, nec ſpectantes, quòd in, & ſuper eiſdem eſſet remittendus ad ſuum forum & iudicem competentem cum refuſione congrua expenſarum, ſed in eiſdem quoad eandem iuriſdictionem dictæ litteræ conſervatoriales ſpectarent animo litem ſuper eiſdem libellis & totis ambabus cauſis conteſtandi negant narrata, prout narrabunrur, dicens petita fieri non debere *Almanno* Procuratore actorum, & *Erhardo* reo Principali prædictis petentibus ſibi ad iurandum hinc & inde ſuper utriſque cauſis iuramentum de calumnia vitanda, & veritate dicenda terminum aſſignari, dictoque Domino *Erhardo* Principali ac reo conſtituente pro ſe Venerabilem & Peritum Virum Magiſtrum *Fridericum Groſſe* Bacalarium in Decretis in ſuum Procuratorem cum mandato in cauſis huiuſmodi plenario apud acta, Dominus *Wilhelmus* Abbas, & Subconſervator præfatus huiuſmodi conſtitutionem admiſit, & ſtatuit utriſque partibus ad iurandum de calumnia vitanda, & veritate dicenda hinc & inde ſuper utriſque libellis, & totis cauſis cum ſuis capitulis ſolita iuramenta terminum peremptorium competentem. In quo quidem termino comparen-

parentibus coram dicto Domino *Vilhelmo* Abbate & Subconſervatore in dicto loco judicio præſidente Magiſtro *Iohanne* Actorum, & Magiſtro *Friderico* Rei Procuratoribus, & procuratoriis nominibus ſupradictis, & dicto Magiſtro *Iohanne* Procuratore eodem nomine quandam cedulam, correctionem ſuorum libellorum continentem offerente, & dicto Magiſtro *Friderico* Procuratore ſimili nomine parti ſuæ de eadem cedula copiam decerni, & terminum ad excipiendum contra ipſam aſſignari cum inſtantia poſtulante, & deinde per utroſque Procuratores ambarum partium, quo ſupra, nomine iurato in dictis utriſque cauſis de calumnia vitanda, & veritate dicenda cum ſuis capitulis corporalibus & ſolitis juramentis præfatus Magiſter *Iohannes* Procurator dicto nomine obtulit poſitiones, & articulos, ad quas & quos dictus Magiſter *Fridericus* Procurator præfato nomine reſpondit ſuper præfatis præſtitis juramentis: & dicto Magiſtro *Iohanne*, quo ſupra, nomine terminum ad probandum primò aſſignari, & examinationem teſtium pro parte ſua producendorum Honorabili Viro Magiſtro *Petro de Remago*, Vicario Reverendi Patris Domini *Ratiſponenſis* Epiſcopi in Spiritualibus Generali committi cum inſtantia poſtulante, prælibatus Dominus *Vilhelmus* Abbas Subconſervator copiam dictæ cedulæ continentes libellos parti & Procuratori dicti rei dandam decrevit, & ad contra eandem excipiendum, & parti actrici ad probandum primò competentes terminos aſſignavit, & de conſenſu prædictorum Procuratorum ambarum partium prædictarum examinationem teſtium, & ut partem ream ad hoc daret, interrogatoria, & ut videret teſtes recipi & jurare, citaret, & debitè evocaret, commiſit, & factos per partem actricem intentionis articulos ſibi judicialiter exhibitos ſuo ſigillato commiſſioni intercluſos & clauſos debitè tranſlegavit, & terminum, in quo hujuſmodi atteſtationes cum commiſſione, articulis, & interrogatoriis hujuſmodi remitteret, aſſignavit.

Deinde comparentibus in judicio coram dicto Domino *Vilhelmo* Abbate, & Subconſervatore prædictis Magiſtris *Iohanne* Actorum, & *Friderico* Rei prædictorum Procuratoribus, & procuratoriis nominibus ſupradictis dicto Magiſtro *Iohanne* Procuratore dicto nomine, ex quo dictus Dominus *Petrus* Vicarius & Commiſſarius ſe excuſabat, quòd non poſſet teſtes per Actorem producendos infra conſtitutum remiſſionis terminum examinare, & remittere eoſdem in termino conſtituto, ut terminum examinandi eoſdem teſtes, & atteſtationes remittendi prolongaret cum inſtantia poſtulante, præfatus Dominus *Vilhelmus* Abbas & Subconſervator conſentiente prædicto Magiſtro *Friderico* Procuratore & dicto nomine prædictam commiſſionem ad examinandum dictos teſtes & terminum ad atteſtationes hujuſmodi remittendum continuavit, & de novo commiſit in certum terminum competentem. Quo termino adveniente, & comparentibus coram eodem Domino *Vilhelmo* Abbate & Subconſervatore Magiſtris *Iohanne* Actorum, & *Friderico* Rei prædictorum Procuratoribus & procuratoriis nominibus ſupradictis, & dicto Magiſtro *Iohanne* Procuratore dicto nomine atteſtationes dictorum teſtium unà cum commiſſione, articulis, & interrogatoriis ſupradictis per præfatum Dominum *Petrum* Vicarium, & Commiſſarium remiſſas, & ſuo ſigillo clauſas, & debitè intercluſas repræſentante, & quaſdam litteras ſigillatas, & etiam privatas manu dicti quondam *Erhardi* Rei conſcriptas in robur teſtimonii offerente, & ut dictæ atteſtationes publicarentur, & quòd dictæ litteræ productæ recognitioni dicti Magiſtri *Friderici* Procuratoris ſubjicerentur: & ex adverſo dicto Magiſtro *Friderico* Procuratore dicto nomine litteras & ſigilla producta præfata ſe non recognoſcere, nec recognoſcere poſſe aſſerente, eaque parti ſuæ principali ad recognoſcendum transmitti, ſibique & parti ſuæ de atteſtationibus, & productis hujuſmodi copiam dari, & terminum contra ipſa ad excipiendum aſſignari, atque præfato Magiſtro *Iohanne* Procuratore, quo ſuprà, nomine ad recipiendum recognitionem dictarum litterarum productarum de Reo principali dicto Domino *Petro* Vicario committi petentibus, & poſtulantibus debitè & inſtanter, ſupradictus Dominus *Vilhelmus* Abbas, & Subconſer-

ſervator prædictarum litterarum productarum, & recognitarum dictæ parti reæ, & dictarum exceptionum parti actrici copiam dari, & concedi decrevit pariter & conceſſit, & dictæ parti reæ ad excipiendum contra hujusmodi litteras & inſtrumenta, & parti actrici contra præfatas exceptiones ad replicandum aſſignavit terminum peremptorium competentem. Quo termino adveniente & de conſenſu Procuratorum prædictorum dictarum partium continuato comparentibus in huiuſmodi continuationis termino coram præfato Domino *Wilhelmo* Abbate & Subconſervatore in dicto loco iudicio præſidente præfatis Magiſtris *Iohanne* Actorum, & *Friderico* rei prædictorum Procuratoribus & procuratoriis nominibus ſupradictis, & dicto Magiſtro *Iohanne* Procuratore dicto nomine replicationes contra præfatas exceptiones, & dicto Magiſtro *Friderico* Procuratore dicto nomine contra dictas productas exceptiones offerentibus: Et eiſdem Procuratoribus ſupradictis de huiuſmodi oblatis replicationibus, & exceptionibus petentibus copias ſibi dari, & eiſdem Procuratoribus, videlicet *Iohanne* actorum ad replicandum contra exceptiones, & *Friderico* rei dictis nominibus ad duplicandum contra replicationes huiuſmodi terminum aſſignari poſtulantibus debitè & inſtanter, præfatus Dominus *Wilhelmus* Abbas, & Subconſervator hinc & inde copias huiuſmodi decrevit dari pariter & conceſſit, & parti actrici ad replicandum contra exceptiones, & parti reæ ad duplicandum contra replicationes huiuſmodi aſſignavit terminum peremptorium competentem. Poſt quæ præfatus Dominus *Wilhelmus* Abbas & Subconſervator ſe non poſſe in dictis cauſis procedere ex impedimentis rationabilibus excuſavit, & cauſas eaſdem in ſtatu, in quo tunc erant, remiſit Domino *Lamperto*, *Bambergenſi* Epiſcopo ſupradictô, qui commiſſionem, & ſubdelegationem eidem Domino Abbati factam ad ſe penitus revocavit, ſubdelegatos ſuos alios minimè revocando, & de novo cauſas eaſdem in eodem ſtatu, in quo pro tunc coram eodem Domino *Wilhelmo* Abbate erant, & ultimò remanſerunt, Cuſtodi Eccleſiæ *Bambergenſis* eius nomine non expreſſo commiſit, & ſubdelegavit per ſuas certi tenoris litteras ſigillatas quarum tenoris principium fuit tale:

Lampertus DEI gratia Epiſcopus *Bambergenſis*, Judex & Conſervator cum certis infraſcriptis Collegis mei, cum illa tamen clauſula, *quatenus vos vel duo aut unus veſtrùm per vos vel alium, ſeu alios* per Sedem Apoſtolicam Delegatus, Venerabilibus & Religioſis Viris noſtris devotis in Chriſto nobis dilectis Abbati & Conventui Monaſterii *S. Emmerammi Ratisponenſis* ſuper ipſorum, & cuiuslibet, & eorundem privilegiis, Juribus, libertatibus, damnis, moleſtiis, & iniuriis univerſis, prout in littera Apoſtolica Conſervatoriali deſuper confecta pleniùs continetur, honorabili & devoto noſtro dilecto Cuſtodi Eccleſiæ noſtræ *Bambergenſis* prædictæ ſalutem in Domino ſempiternam, & mandatis noſtris, veriùs Apoſtolicis, firmiter obedire &c. finis verò talis: Nos itaque huiuſmodi iuſtis, & rationi conſonis petitionibus inclinati, & favorabiliter annuentes ſupradictas cauſas, & earum quamlibet in eo ſtatu, prout fierent de præſenti, atque omnes vices, poteſtatem, & auctoritatem ſupradicto Domino *Wilhelmo* Abbati Subconſervatori per nos, ut præmittitur, virtute dictæ litteræ Apoſtolicæ conſervatoriæ ſubdelegatas, traditas, & commiſſas revocamus, & tenore præſentium revocamus auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, cæteros ſubdelegatos noſtros prædictos nullo modo revocando. Et quia diverſis noſtris, & dictæ noſtræ Eccleſiæ negotiis impediti ſupradictis cauſis & aliis ex dictis litteris conſervatorialibus requiſitis exſequendis, & neceſſariò faciendis etiam intendere non poſſumus, quò ad præſens inſtanter requirente, & conſentiente Procuratore dictorum Dominorum Abbatis, & Conventus Monaſterii S. *Emmerammi* tibi de tua legalitatis induſtria gerentes in Domino fiduciam pleniorem unà cum ſupradictis Dominis ſubdelegatis Abbati *S. Iacobi*, Præpoſito *S. Magni*, & Decano Eccleſiæ *Veteris Capellæ Ratisponenſis*, ac veſtrûm cuilibet in ſolidum communiter, & diviſim ſuper reſumptione dictarum cauſarum iam, ùt præmittitur, incœptarum in eo ſtatu, ùt fuerunt, & ultimò remanſerunt coram prædicto

prædicto Domino *Wilhelmo* Abbate & Subconſervatore, per nos, ùt prædictum, ſubdelegato, & ſicut eas duximus reſumendas, & ſuper omni, & qualibet poteſtate & auctoritate nobis in dictis litteris Apoſtolicis conſervatorialibus traditis & conceſſis præſentibus delegamus, & committimus plenariè noſtras vices, donec eas ad nos duxerimus revocandas, Tibique & aliis ſupradictis auctoritate prædicta, & veſtrûm cuilibet in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut ſervata via Regia dictas cauſas, & quaslibet alias, prout ex dictis litteris Apoſtolicis fuerit opportunum, dum, quando, & quotiens per ſupradictos Dominos Abbatem & Conventum dicti Monaſterii Sancti *Emmerammi* ſeu pro parte ipſorum per Procuratores & nuntios eorundem fueritis requiſiti, audiatis, reſumatis, tractetis, decidatis, & ſine debito terminetis, atque iuſtitiam faciatis iuxta traditam ſeu directam in dictis litteris conſervatorialibus Apoſtolicis nobis formam: & ſi nos contigerit procedere in præmiſſis, de quo nobis poteſtatem omnimodam reſervamus, propter hoc non volumus, nec intendimus Subdelegatos prædictos in aliquo revocare, niſi de revocatione huiuſmodi fuerit in noſtris litteris mentio ſpecialis. In quorum omnium & ſingulorum fidem, robur, & teſtimonium noſtrum ſigillum duximus præſentibus apponendum. Actum & datum in Caſtro civitatis noſtræ *Bambergenſis* in Curia habitationis fidelis & devoti noſtri Dilecti *Eberhardi Fuchs* Canonici noſtræ *Bambergenſis* Eccleſiæ ſupradictæ præſentibus honorabilibus & devotis noſtris Dilectis *Johanne de Egloffeem* Canonico dictæ noſtræ Eccleſiæ atque *Johanne Nazzach* Magiſtro noſtræ Cameræ, & pluribus fide dignis. Anno a Nativitate Domini Milleſimo trecenteſimo nonageſimo primo die penultima Menſis Aprilis.

Cuius commiſſionis & ſubdelegationis vigore Nos *Hermannus*, Cuſtos & Canonicus dictæ Eccleſiæ *Bambergenſis* ad requiſitionem honorabilis Viri Magiſtri *Johannis Weiſſmein* Procuratore & procuratorio nomine dictorum actorum præfato, prout de eius mandato nobis fuit plenaria fides facta, in cauſis huiusmodi procedentes per Eccleſiaſticum *Bambergenſem* (quia Eccleſiaſticis Judices delegati & ſubdelegati in civitate *Bambergenſi* uti pro curſoribus conſueverunt) citavimus, & citari mandavimus Venerabilem Virum Magiſtrum *Fridericum Groſſen* Baccalarium in Decretis Procuratorem & Procuratorio nomine dicti Rei prout de eius mandato certificati fuimus apud acta, ad dicendum & excipiendum contra commiſſionem, & ſubdelegationem nobis factam, & aliàs ad videndum & audiendum dictas cauſas reſumi, prout ſuperiùs eſt expreſſum, & aliàs in dicto negotio procedendum, & procedi videndum & audiendum, prout iuſtum oret, & ordo concedet rationis, & terminum certum peremptorium competentem. In quo quidem termino comparentibus coram nobis in *Bamberg* in Curia habitationis noſtræ iudicio præſidentibus, Magiſtris *Johanne* Actorum, & *Friderico* Rei prædictorum Procuratoribus, & Procuratoriis nominibus ſupradictis: & Magiſtro *Friderico* Procuratore prædicto dicto nomine, quòd nova emergentia novis conſiliis indigeant, allegante, & ſuo Principali dictam novam ſubdelegationem & commiſſionem intimari, & eundem ad dicendum contra ipſam commiſſionem per ſe vel Procuratorem in hoc negotio informatum citari & debitè evocari cum inſtantia poſtulante, Nos *Hermannus* Cuſtos & Subconſervator præfatus decrevimus citandum, & citavimus Dominum *Erhardum Sittavver*reum Principalem prædictum, ut præfatos actus per eius Procuratorem petitos, ùt ſuperiùs eſt expreſſum, in certum peremptorium terminum competentem. Quo termino adveniente, & comparentibus coram nobis *Hermanno* Cuſtode, Subconſervatore præfato in *Bamberg* in curia habitationis noſtræ ad iura reddenda pro tribunali ſedentibus, Magiſtris *Johanne* Actorum, & *Friderico* Rei prædictorum Procuratoribus, & procuratoriis nominibus, & dicto *Iohanne* Procuratore dicto nomine citationem noſtram, ùt præmittitur, emiſſam, noſtro ſigillo ſigillatam repræſentante, & eam debitè eſſe exſecutam per documenta publica demonſtrante, & dicti Domini *Erhardi* non comparentis, nec dicto termino ſatisfacere curantis contumaciam accuſante, & ipſum contumacem reputari, & in eius contumaciam cauſam, & cauſas huiuſmodi reſumi, & in eiſdem

ſecun-

ſecundùm retroacta procedi petente: Et ex adverſo Magiſtro *Friderico* Procuratore prædicto dicto nomine, quòd ipſe & pars ſua in nos tanquam iudicem, & in noſtram iuriſdictionem tanquam incompetentem non vellent conſentire, niſi in quantum de iure, proteſtante, ſibique & parti ſuæ de dicta nova ſubdelegatione & commiſſione copiam dari, & ad dicendum & excipiendum contra eam & nos & locum noſtrum, & ad dictam cauſam ſeu cauſas reſumendum, vel aliquid rationabile, quare reſumi non debeant, proponendum de novo aſſignari terminum cum inſtantia poſtulante. Et habitis pluribus altercationibus & allegationibus ſuper petitis huiuſmodi inter eosdem Procuratores iudicialiter hinc & inde, demum nos *Hermannus* Cuſtos & Subconſervator præfatus de conſenſu dictorum Procuratorum ambarum partium decrevimus dictæ parti reæ, & eius Procuratori copiam de præfata ſubdelegatione & commiſſione nova fore dandam, & aſſignavimus eiſdem ad dicendum & excipiendum contra ipſam & utriſque partibus & eorum Procuratoribus ad reſumendum dictas cauſas, ùt præmittitur, terminum peremptorium competentem.

In quo quidem termino comparentibus coram nobis *Hermanno* Cuſtode, & ſubconſervatore præfato in dicto loco iudicio præſidentibus, Magiſtris *Iohanne* Actorum, & *Friderico* rei prædictorum Procuratoribus, & Procuratoriis nominibus ſupradictis, & dicto *Friderico* Procuratore dicto nomine nihil velle excipere, nec dicere contra dictam commiſſionem & ſubdelegationem & contra nos & noſtrum locum, & noſtram iuriſdictionem prædictam allegante, & utriſque Procuratoribus nominibus ſupradictis petentibus per nos dictas cauſas reſumi, & in eiſdem procedi, ac parti reæ ad duplicandum, & parti actrici ad replicandum terminum aſſignari debitè & inſtanter, Nos *Hermannus* Cuſtos & Subconſervator prædictus de conſenſu & voluntate, & ad requiſitionem prædictorum Procuratorum dictarum partium cauſam & cauſas præfatas in eo ſtatu, & per omnia, ſicut fuerunt & ſunt, & coram dicto Domino *Wilhelmo* Abbate & Subconſervatore ultimò remanſerunt, & reſumpſimus, & habuimus pro reſumptis, & ſtatuimus parti reæ ad duplicandum contra replicationes actorum exceptioni rei oblatæ contra perſonas & dicta teſtium oppoſitas, & parti actrici ad replicandum contra exceptiones partis reæ litteris productis oppoſitas certum peremptorium terminum competentem. Quo termino adveniente, & comparentibus coram nobis *Hermanno* Cuſtode & Subconſervatore prædicto in dicto loco iudicio præſidentibus Magiſtris *Iohanne* Actorum, & *Friderico* Rei prædictorum Procuratoribus, & Procuratoriis nominibus ſupradictis, & dicto Magiſtro *Iohanne* Procuratore dicto nomine replicationem contra exceptionem ultimam contra litteras per reum ultimò oppoſitam, & Magiſtro *Friderico* Procuratore & Procuratorio nomine prædicto duplicationem contra replicationes primas offerentibus, & quolibet eorundem Procuratorum dicto nomine ſibi & parti ſuæ de eiſdem oblatis copiam dari, & terminum parti reæ ad duplicandum contra ultimas replicationes Actorum aſſignari petentibus debitè & inſtanter, Nos *Hermannus* Cuſtos & Subconſervator præfatus utriſque Procuratoribus dictarum partium eaſdem petitas copias decrevimus & conceſſimus fore dandas, & ſtatuimus dictæ parti reæ & eius Procuratori ad duplicandum contra ultimam exceptionem terminum peremptorium competentem.

In quo quidem termino comparentibus coram nobis *Hermanno* Cuſtode & Subconſervatore præfato Magiſtris *Iohanne* Actorum, & *Friderico* Rei prædictorum Procuratoribus, & Procuratoriis nominibus ſupradictis, & dicto Magiſtro *Friderico* dicto nomine Procuratore duplicationem contra ultimam replicationem Actorum offerente, & dicto Magiſtro *Iohanne* Procuratore dicto nomine ſe triplicare non velle contra duplicationes præfatas iudicialiter offerente & triplicationibus renuntiante, & utriſque Procuratoribus ambarum partium ſuper deductis hinc & inde in dictis cauſis interloqui, & ad interloquendum terminum aſſignari petentibus debitè & inſtanter, Nos *Hermannus* Cuſtos & Subconſervator præfatus decrevimus, & dictis Procuratoribus reſpondimus, poſtquam deliberati eſſemus, tunc vellemus utriſque partibus ad interloquendum terminum aſſignari. Deinceps antequam deliberati eſſemus, dictus quondam *Erhardus*

hardus eſt, ſicut Domino placuit, vita functus. Poſt quæ ad inſtantiam dicti Magiſtri *Johannis* Procuratoris actorum in noſtra præſentia judicialiter conſtituto decrevimus citationem contra dicti quondam *Erhardi Sittavver* hæredes, ſucceſſores, teſtamenti executores, fideicommiſſarios, & bonorum & rerum obtentores citavimus & citari fecimus ad noſtram in dictis cauſis interlocutoriam ſententiam audiendam in certum peremptorium terminum competentem. Quo termino adveniente & comparentibus coram nobis *Hermanno* Cuſtode & Subconſervatore in dicto loco judicio præſidentibus, dicto Magiſtro *Iohanne* Procuratore dictorum actorum ſupradicto nomine prælibato & dictam noſtram citationem repræſentante, & executam demonſtrante, & citatorum non comparentium, nec dicto termino ſatisfacere curantium contumaciam accuſante, & in eorum contumaciam interloqui ſuper deductis hinc & inde cum inſtantia poſtulante, Nos *Hermannus* Cuſtos, & Subconſervator præfatus dictos citatos non comparentes & dicto termino etiam continuato ſatisfacere non curantes quò ad actum & terminum hujuſmodi reputavimus contumaces, & in eorum contumaciam interloquendo pronuntiavimus non obſtantibus exceptionibus, replicationibus & duplicationibus ſupradictis, fore & eſſe ad ulteriora in cauſa hujuſmodi procedendum, & aliquos ſe non eſſe executuros teſtamenti excuſantes ab inſtantia noſtri judicii duximus abſolvendos, & decrevimus citationem contra dicti quondam *Erhardi* hæredes, ſucceſſores, teſtamenti executores, & commiſſarios, & bonorum & rerum obtentores, eosque citavimus ad concludendum in dictis cauſis, vel aliquid rationabile, quare concludi non debeat, proponendum ad certum peremptorium terminum competentem, & eundem terminum ſtatuimus dictæ parti actrici, & ſuo Procuratori ad eundem actum & terminum, & ad idem. *

* *ſ.* diem

In quo quidem termino comparentes coram nobis *Hermanno* cuſtode & Subconſervatore præfato dicto Magiſtro *Iohanne* Procuratore actorum, & procuratorio nomine ſupradicto, & dictam noſtram citationem repræſentante, & executam eſſe demonſtrante per publica documenta, & dictorum citatorum non comparentium, & dicto termino ſatisfacere non curantium (contumaciam) accuſante, & eos contumaces reputari, & in eorum (contumaciam) concludente, & concludi petente debitè & inſtanter, Nos *Hermannus* Cuſtos, & Subconſervator præfatus dictos citatos non comparentes, nec dicto termino non curantes quò ad actum & terminum hujuſmodi reputavimus contumaces, & in eorum contumaciam cum dicto Magiſtro *Iohanne* Procuratore actorum prædictorum & Procuratorio nomine prædicto concludente, & concludi petente, in præfatis cauſis concluſimus cum eodem, & habuimus pro concluſo, & decrevimus citationem contra dicti quondam Domini *Erhardi* hæredes & ſucceſſores, Teſtamenti executores, & fidei commiſſarios ac bonorum & rerum obtentores præfatos ad noſtras in dictis cauſis diffinitivas ſententias audiendum in certum peremptorium terminum competentem, & eundem terminum prædicto Magiſtro *Iohanni* Procuratori & parti ſuæ duximus ſtatuendum ad eundem actum & terminum, & ad idem. Quo termino adveniente, & comparente coram nobis *Hermanno* Cuſtode præfato dicto Magiſtro *Iohanne* Procuratore & Procuratorio nomine prædicto, & dictam noſtram citationem repræſentante, & executam debitè demonſtrante, & dictorum citatorum non comparentium, nec dicto termino ſatisfacere curantium accuſante, ipſosque reputari contumaces, & in eorum contumaciam dictas noſtras diffinitivas ſententias in præfatis utrisque cauſis per nos fieri cum inſtantia poſtulante, Nos *Hermannus* Cuſtos & ſubconſervator præfatus omnes & ſingulos in dicto mandato citatorio comprehenſos, & citatos, non comparentes, nec dicto termino ſatisfacere curantes reputavimus, prout erant meritò, quo ad actum & terminum hujuſmodi exigente juſtitia contumaces, & in eorum contumaciam. Diligenter itaque viſis, intellectis, examinatis, rimatis, recenſitis, & æquâ lance juſtitiæ ponderatis, propoſitis, allegatis, confeſſis & probatis, atque aliis meritis cauſarum hujuſmodi utrarumque & communicato Iurisperitorum conſilio, nobiſcumque deliberatione præhabita diligenti: Et quia inveni-

mus dictam partem actricem in utriſque cauſis ſuam intentionem ſufficienter & plenariè fundaviſſe, per ea, (quæ) vidimus & cognovimus, & nunc cognoſcimus, & videmus, juxta petita in dictis libellis, & confeſſa, ac probata in præfatis cauſis, ad noſtras diffinitivas ſententias proceſſimus in hunc modum.

CHRISTI nomine invocato: pro tribunali ſedentes habentes præ oculis ſolum DEUM, per has noſtras diffinitivas ſententias, quas in his ſcriptis ferimus, pronuntiamus, decernimus, & declaramus primò in cauſa primi libelli incorporationem, & annexionem dictæ Eccleſiæ Parochialis S. *Emmerammi Ratisponenſis* in honore *S. Ruperti* dedicatam, incorporatam & annexam per Sedem Apoſtolicam & auctoritate Sedis Apoſtolicæ Abbati & Conventui, ac Monaſterio *S. Emmerammi* prædicti cum ſuis juribus, & pertinentiis univerſis, & aſſignatione de fructibus & reditibus provenientibus, juribus, & obventionibus univerſis ejuſdem Eccleſiæ Parochialis *S. Emmerammi* dedicatæ in honore *S. Ruperti* virtute & vigore incorporationis & annexionis prædictarum tredecim librarum cum dimidia libra denariorum *Ratisponenſium* pro cenſu annuo & perpetuo Dominis Abbati & Conventui, ac Monaſterio præfatis ad dandum & ſolvendum eiſdem pro tempore exiſtentibus annis ſingulis in ſtatutis temporibus in dicto libello plenius expreſſatis, per quemlibet Vicarium perpetuum, & Rectorem dictæ Parochialis Eccleſiæ pro tempore exiſtentem aſſignatis, aſſemperatis perpetuè, & unitis, atque poſſeſſione, qua præfati Abbas, Conventus, & Monaſterium pro tempore exiſtentes incorporationem, & annexionem, & cenſus aſſignationem, aſſemperationem, & unitionem, & ejusdem cenſus petitionem, perceptionem, & exactionem hactenus poſſederunt, fore & eſſe juſtas, legitimas, Canonicas, perpetuas, & præſcriptas, & ſuum debitum, vim, vigorem, & effectum ſortiiſſe, & ſortire debere: & ſic per quemlibet Vicarium perpetuum, & Rectorem ejuſdem Parochialis Eccleſiæ tenendum & ſervandum fore & eſſe, & teneri, & obſervari debere. Spoliationem verò, per quam dictus quondam *Erhardus Sittavver* eoſdem Abbatem, Conventum, & Monaſterium ſpoliavit, poſſeſſione perceptionis dicti cenſus, fore & eſſe temerariam, illicitam, & injuſtam, dictoſque Dominum Abbatem, Conventum, & Monaſterium *S. Emmerammi*, & ſucceſſores eorum quoslibet pro tempore exiſtentes, ad poſſeſſionem petendi, exigendi, & percipiendi dictum cenſum annuum & perpetuum de præfatis perpetuis Vicariis, & Rectoribus prædictæ Parochialis Eccleſiæ pro tempore exiſtentibus reſtituendos, & reintegrandos fore & eſſe, & reſtituimus, & reintegramus, atque eos in eandem poſſeſſionem, in quantum in nobis eſt, inveſtimus, mittimus, reponimus per præſentes, eoſdemque Vicarios perpetuos & Rectores dictæ Parochialis Eccleſiæ pro tempore exiſtentes, ut eundem cenſum annuum & perpetuum ſolvant, miniſtrent annis ſingulis & temporibus prælibatis præfatis Dominis Abbati, Conventui & Monaſterio pro tempore exiſtentibus, & à dicta ſpoliatione, & ſolutionis cenſus neglectione deſinant, & deſiſtant, condemnandos, & compellendos per cenſuram Eccleſiaſticam fore & eſſe, & condemnamus, & compellimus, eiſdemque Vicariis perpetuis & Rectoribus dictæ Parochialis Eccleſiæ ſuper ſpolio, & ſolutionis neglectione, dilatione, & contradictione ſolutionis dicti cenſus annui & perpetui & omnibus & ſingulis, quorum poterit quomodolibet intereſſe, ſilentium perpetuum imponendum fore & eſſe, & imponimus. Nec non præfati quondam *Erhardi Sittavver* hæredes, ſucceſſores, fidei commiſſarios, & executores teſtamenti, & bonorum & rerum receptores, & obtentores, ut de præfatis viginti tribus libris cum dimidia libra denariorum *Ratiſponenſium* prædictorum de dicto cenſu ſolvendo neglectorum, & de quibuslibet aliis cenſibus præfatis ante ſequeſtrum poſitum auctoritate Apoſtolica de fructibus dictæ Parochialis Eccleſiæ neglectis & non ſolutis, atque de damnis in dicto libello expreſſis ad octuaginta florenos auri æſtimatis debitam & idoneam ſatisfactionem faciant, & impendant, condemnandos, & compellendos fore & eſſe, ac condemnamus & compellimus in his ſcriptis.

Nec non in ſecunda cauſa ſecundi libelli impeditionem, & neglectionem executionis teſtamenti dicti quondam *Erneſti Burghauſer*, per dictum quondam *Erhardum Sittavver* factam, fore & eſſe,

eſſe temerariam, illicitam, & injuſtam, & dicti quondam *Erhardi Sittavver* hæredes, ſucceſſores, fidei commiſſarios, executores teſtamenti, & ultimæ voluntatis, ac bonorum & rerum receptores, & obtentores quoſcumque, ut dictum teſtamentum quondam *Erneſti* prædicti alios executores ejuſdem teſtamenti exequi ſinant, & permittant, & bona, quæ præfatus Dominus quondam *Erhardus* de bonis dicti quondam *Erneſti*, & ad ejus teſtamenti executionem ſpectantia, & pertinentia ad huiuſmodi teſtamenti exſequendum dent, exhibeant, & perſolvant, atque in utriſque cauſis in præſentem litem expenſis factis legitimis, quarum exactionem & moderationem nobis impoſterum reſervamus, condemnandos, & compellendos fore & eſſe, & condemnamus, & compellimus diffinitivè & ſententialiter in his ſcriptis. In quorum omnium & ſingulorum fidem, robur, & teſtimonium præſentes noſtras ſententias in formam publici inſtrumenti per *Gotfridum* Notarium publicum & præſentis cauſæ ſcribam ſub ſcriptis redigi, ſubſcribi & ſignari mandavimus, & ſigilli noſtri appenſione fecimus communiri. Lectæ, latæ, & in ſcriptis promulgatæ ſunt hæc noſtræ diffinitivæ ſententiæ in Caſtro Civitatis *Bambergenſis* in Curia habitationis noſtræ nobis ibidem ad jura reddenda pro tribunali ſedentibus, Anno à Nativitate Domini milleſimo, trecenteſimo nonageſimo quarto, Indictione ſecunda Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini *Bonifacii* divina providentia Papæ Noni anno quinto, Menſis Januarii die decima ſexta, hora eiuſdem diei tertiarum vel quaſi, præſentibus Honorabilibus Viris Dominis *Gotfrido Liſperger* Canonico Eccleſiæ S. Stephani *Bambergenſis*, *Heinrico Gunnhmit* Plebano in *Pavvnnach Herbipolenſis* Diœceſis, *Iohanne Lempe* Clerico *Herbipolenſi*, & *Conrado Mürlein* Laico *Bambergenſis* Diœceſis teſtibus in teſtimonium ad præmiſſa vocatis pariter & rogatis.

Et ego *Gotfridus* dictus *Fingerlein* Clericus *Maguncenſis* Diœceſis publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia præmiſſæ ſententiarum prolationi, omnibusque & ſingulis aliis ſupradictis, dum ſic, ut præmittitur, per Honorabilem Virum Dominum *Hermannum de Auffeſs* Cuſtodem, & Subconſervatorem prædictum, & coram eo agerentur & fierent, unà cum prænominatis teſtibus præſens fui, cáque ut ſic fieri vidi & audivi: ideo ſuper his hoc præſens inſtrumentum publicum confeci, & me aliis impeditô negotiis per alium fidelem ſcribi feci, & hìc manu mea propria ſubſcripſi, & in hanc formam publicam redegi, ſignoque meo ſolito & conſuero una cum appenſione ſigilli dicti Domini Subconſervatoris ſignavi rogatus & requiſitus in teſtimonium omnium præmiſſorum.

S. *Gotfridus.*

2.

Altera ſententia definitiva in Franciſcum Tanhavvſer, Vicarium Ejuſdem Parochialis Eccleſiæ, quâ is ad annuum cenſum Abbati & Monaſterio Emmerammenſi pendendum condemnatur &c. Inſeruntur Epiſtolæ Clementis IV. P. M. & Leonis Ep. Ratiſbon. quibus plenum Emmerammenſis Monaſterii jus in eandem Eccleſiam clariſſimè aſſeritur.

IN nomine Domini, amen. Orta nuper coram nobis *Iohanne de Reinbach* Decano Eccleſiæ *Beatæ Mariæ Veteris Capellæ Ratisponenſis* Subconſervatore jurium, Privilegiorum, & bonorum Monaſterii *S. Emmeramni Ratisponenſis*, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, à Reverendo in Chriſto Patre & Domino *Heinrico* Dei gratia Abbate Sanctorum *Vdalrici & Affræ* Monaſterii *Auguſtenſis* Conſervatore Principali Auctoritate Apoſtolica Subdelegatis inter Reverendum in Chriſto Patrem, & Dominum Dominum *Fridericum de Wydenberg* DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbatem Monaſterii *S. Emmeramni* prædicti Actorem ex una, & Honorabilem Virum Dominum *Franciſc. Tanhavvſer* Canonicum Eccleſiæ *Ratisponenſis*, perpetuum Vicarium Eccleſiæ *S. Emmeramni Ratisponenſis* de & ſuper annuo cenſu tredecim librarum bonorum *Ratiſponenſium* denariorum cum dimidia libra ejuſdem monetæ ipſi 1394. *Ex autograph.*

Digitized by Google

Domino Abbati singulis annis de dicta Ecclesia Parochiali *S. Emmerammi* prætextu cujusdam incorporationis Apostolicæ, ut asseruit, debitarum rerum ex parte altera, lite & materia quæstionis. Oblato siquidem coram nobis libello in ipsa causa & lite super eodem legitimè contestata, tandem ipse Dominus Abbas in termino sibi præfixo certas positiones & articulos in judicio exhibuit, & produxit per omnia subsequentis tenoris:

Positiones & articulos infra scriptos dat, facit, exhibet, & producit Reverendus in Christo Pater, Dominus Dominus *Fridricus* DEI & Apostolicæ Sedis gratia Abbas Monasterii *S. Emmerammi Ratisponensis*, ad Romanam Curiam nullo medio pertinentis omni meliori modo & forma, quibus potest & debet conjunctim & divisim, narrativè & dispositivè, , quibus per Honorabilem Virum Dominum *Franciscum Tanhauser* Presbyterum, Vicarium Parochialis Ecclesiæ *S. Emmerammi Ratisponensis* responderi petit per verbum *credit*, vel *non credit*. Quæ si negatæ fuerint, probare intendit, ad superfluam tamen probationem se non astringens, sed ad illam tantùm, quæ ad suam intentionem sufficere videbuntur. Inprimis quidem ponit, & probare intendit, quòd collatio Parochialis Ecclesiæ *Sancti Rupperti Ratisponensis*, quæ alias à populo communiter Parochia *S. Emmerammi* appellatur, quæ contigua est ipsi Monasterio, ad Abbatem ejusdem Monasterii, qui pro tempore est, pleno jure pertineat, & spectare noscatur. *Credit*. Item ponit, quòd ipsa Parochialis Ecclesia Abbatiæ & Conventui ad humilem & instantem petitionem bonæ memoriæ Domini *Leonis* Episcopi *Ratisponensis* ex certis, piis, & rationabilibus causis tunc expressis per sanctæ memoriæ Dominum *Clementem* Papam Quartum sub data: *datum Viterbii tertio Idus Maji Pontificatus sui anno secundo* sit unita, annexa, & incorporata cum talibus Apostolicæ mansuetudinis & pietatis verbis: *Nos itaque tam piis ejusdem fratris nostri . . Episcopi, tam vestris devotis supplicationibus inclinati devotioni vestræ præsentium auctoritate concedimus, ut prædictam Parochialem Ecclesiam S. Emmerammi Ratisponensis, cujus estis Patroni, vos & vestri Successores in perpetuum in usus vestri Monasterii deinceps habeatis* &c. cum clausula: *nulli* ergo &c. Dato super hujusmodi concessionis gratia & unione certo Apostolico executore cum clausula: *contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo*, & cum non obstantiis in eisdem litteris Apostolicis expressatis, *Credit*. Item ponit & probare intendit, quòd ipse suique Prædecessores Abbates & Conventus prædicti Monasterii *S. Emmerammi Ratisponensis* virtute unionis, & incorporationis prædictorum fuerint in quieta & pacifica possessione percipiendi singulis annis de prædicta Parochiali Ecclesia *S. Emmerammi* tredecim libras *Ratisponensium* denariorum cum dimidia in hujusmodi terminis, ipse videlicet Abbas in vigilia Natalis Domini cuiuslibet anni unam libram *Ratisponensem* in bursa fericea, sex libras in festo Epiphaniæ Domini, & totidem in festo Paschatis cujuslibet anni, & Conventus mediam libram in die dedicationis ipsius Parochiæ, vel pro ipsa media libra unam urnam boni medonis. Sicque est tentum & observatum à X. XX. XXX. XL. L. annis citra & ultra per tempus & tempora, cujus initii contrarium in memoria hominum non existit, & usque ad exordium præsentis litis, prout hæc per Apostolica & Pontificalia monumenta, ac certa registra, & probationem tabularem poterit efficaciter, & luculenter probari: *Credit, quòd prædecessores sui solverint*. Item ponit, quòd ipse Dominus *Franciscus* perpetuus Vicarius dictæ Parochialis Ecclesiæ per tres annos immediatè præteritos sibi dari censum tredecim librarum bonorum *Ratisponensium* denariorum, quamvis sæpiùs super ipsius solutione monitus & requisitus charitativè, persolvere recusavit, quorum summa ad triginta novem libras denariorum dictæ monetæ excrevit, & se extendit, *Credit, quòd à tempore, quo fuit in possessione Plebaniæ*. Item, quòd de præmissis omnibus & singulis fuit & est communis assertio, ac publica vox & fama. *Credit de confessatis*. Item ponit, & probare intendit ipse Dominus Abbas sui & Conventus nomine, quòd prædictus Dominus *Franciscus* perpetuus Vicarius dictæ

dictæ Parochialis Eccleſiæ *S. Emmerammi* pro plebe ſua unum ſolùm habeat cimeterium. Item ponit, quòd, quando exequiæ funerum in prædicta Parochia peragendæ ſunt, ex tunc feretro non niſi quatuor candelæ tantùm apponendæ erunt, quælibet de una media libra in pondere, prout per Sanctum *Wolfgangum* hoc inſtitutum dinoſcitur, & ſicuti hucuſque uſque ad præſentem controverſiam inconcuſtè & laudabiliter obſervatum exiſtit. Item ponit, quòd ſi aliqua perſona ad Parochialem Eccleſiam prædictam pertinens, cuiuſcunque ſtatus, Ordinis, vel conditionis fuerit, quæ ſano corpore aut in extremis in prædictis locis & ſepulturis ſepeliri eligit, Fraternitates ſupradictas comparando ſeu emendo, quod hoc licitè fieri debeat & poſſit, neque hoc dictus Plebanus impedire debet, retardare quovis modo, ſed potiùs promovere. Et ſic eſt tentum & obſervatum a X. XX. XXX. XL. L. annis citra & ultra, & per tempus & tempora, cuius initii contrarium in memoria hominum non exiſtit. Item ponit, quòd omnibus proceſſionibus funerum, quæ fiunt per Conventum, ipſe Plebanus cum ſociis & Capellanis ſuis intereſſe debeat, ſimiliter & Miſſæ defunctorum in Monaſterio prædicto. Item ponit, quòd præfatus Dominus Plebanus omnibus feſtivitatibus, quæ in dicto Monaſterio celebrantur, & per ipſum Dominum ponentem peraguntur in Pontificalibus, intereſſe debeat in Miſſa, Proceſſione, & Veſperis ſibi aſſtare, & famulare, prout hactenus per ſuos Prædeceſſores obſervatum exiſtit. Item ponit, quòd præfatus Plebanus omnia patrocinia & dedicationes Capellarum & Altarium præſcripto Monaſterio, dummodo pronunciationis cedulas a cuſtode dicti Monaſterii receperit, populo fideli in ambone pronunciare debeat, nec non omnibus diebus Dominicis & feſtivis poſt ſuas prædicationes cum generali & communi publica commemoratione fidelium orationibus committere omnes fraternitatem Sancti Wolfgangi in ſuo Monaſterio habentes, ſive mortui fuerint ſive vivi, pro quo ſingulis annis LII. Rat. ipſe Plebanus, vel alter, qui pro tempore fuerit, recipere conſuevit. Item ponit, quòd ſpeciales dicti Monaſterii S. *Emmerammi* ſepulturæ, puta ſicut ſunt Cimiterium, Conventus, & Sepultura illa ante Capellam Sancti *Zenonis*, & hoc Cimiterium, quod eſt ante valvas maiores ſui Monaſterii, quod a populo vulgariter *Paradiſus* appellatur: nec non cæteræ omnes ambitus dicti Monaſterii, & Capellarum ſepulturæ ad Cuſtodem dicti Monaſterii pertineant, ipſasque concedere poſſit, & omnium funerum exequias ſepulcrorum in dictis locis, ſimiliter & omnium aliorum Fraternitatem S. Wolfgangi habentium, quæ exterior dicitur Fraternitas, ipſe Cuſtos expedire habeat ita, quòd, cùm defunctorum corpora ad dictum Monaſterium deportanda, primò ad Capellam Sancti *Zenonis* deferenda erunt, & deinceps ipſe Cuſtos debeat per ſe, vel alium eiſdem de Miſſa providere defunctorum, & poſtea ſepelire, ac omnia ſacrificia & oblagia, & alia inde provenientia recipere, levare, & in uſus Sacriſtiæ ipſius Monaſterii convertere præter dicti Plebani impedimentum, & contradictionem.

Item ipſe Dominus *Franciſcus* ad omnes ſupraſcriptos articulos non aliud reſpondit, niſi quòd referat ſe ad conſuetudinem hactenus per Prædeceſſores ſuos dictæ Parochialis Eccleſiæ perpetuos Vicarios ſeu Plebanos ſervatam. Dictisque poſitionibus oblatis antedictus Dominus *Franciſcus* ad reſpondendum eiſdem citatus per nuntium noſtrum iuratum ad eaſdem & eoſdem reſpondit, prout apud ipſas continetur. Et mox ſtatim ipſe Dominus Abbas ibidem palam in iudicio ad probandum effectum incorporationis dictæ Parochialis Eccleſiæ *Sancti Emmerammi* litteras Sanctæ memoriæ Domini *Clementis* Papæ Quarti unam incorporationis in filis ſericeis, & aliam executoriam ſuper eadem incorporatione in chordula canapi more Romanæ Curiæ bullatas, non abolitas, non raſas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed prorſus omni vitio & ſuſpicione carentes, & unam aliam litteram in pergameno ſcriptam bonæ memoriæ Domini *Leonis* Epiſcopi *Ratiſponenſis* ſigillo ſuo oblongo impendente de cera rubei coloris in filis ſericeis ſigillatam exhibuit & produxit, quorum productorum tenores de verbo ad verbum per ordinem ſequuntur, & ſunt tales:

Clemens Epiſcopus Servus Servorum DEI dilectis Filiis - - Abbati & Conventui Monaſterii *S. Emmerammi Ratiſponenſis* *A. Chr.* 1266.

Digitized by Google

ſis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem Monaſticam & Religioſam vitam ducentibus decet, ut in ſuis iuſtis petitionibus pariter & honeſtè eam ex liberalitatis dono favoris gratiam impendamus, per quam temporalis vitæ ſubſidia percipiant, ac ad æternæ vitæ gloriam totis deſideriis anhelantes, quò minùs eos temporalium ſollicitudo præpedit, eò liberiùs vacent cœleſtis ſtudiis diſciplinæ. Sanè Venerabilis Fratris noſtri - - *Ratiſponenſis* Epiſcopi, ac veſtra lecta coram nobis petitio continebat, quòd, cùm Monaſterium veſtrum tanta prematur ſarcina paupertatis, ut non habeatis, unde poſſitis commodè ſuſtentari, Parochialem Eccleſiam *S. Emmerammi Ratiſponenſis*, Monaſterio veſtro immediatè coniunctam, in qua ius Patronatus obtinetis, vobis in uſus proprios concedere dignaremur, ita, quòd ipſius Eccleſiæ Rectore cedente vel decedente poſſitis eiuſdem Eccleſiæ poſſeſſionem intrare, ac perpetuum Vicarium in eadem inſtituere, Diœceſani Epiſcopi, aut loci Archidiaconi, vel cuiuscunque alterius aſſenſu minimè requiſito. Nos itaque tam piis eiuſdem Fratris noſtri - - Epiſcopi, quàm veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, devotioni veſtræ præſentium auctoritate concedimus, ut prædictam Parochialem Eccleſiam *S. Emmerammi Ratiſpon.* cuius eſtis Patroni, vos ac veſtri Succeſſores in perpetuum in uſus veſtri Monaſterii deinceps habeatis. Præterea cedente vel decedente eiuſdem Eccleſiæ Rectore poſſeſſionem ipſius Eccleſiæ intrandi, ac non requiſito aſſenſu Diœceſani Epiſcopi, aut loci Archidiaconi, vel cuiuſcunque alterius perpetuum Vicarium inſtituendi in eadem liberam vobis concedimus facultatem, ita duntaxat, ut de fructibus ſive proventibus ipſius Eccleſiæ, qui triginta marcharum ſummam annuatim non excedere aſſeruntur, eidem Vicario, quem inſtituendum duxeritis in præfata Eccleſia, reſervetis congruam portionem, de qua commodè ſuſtentari, ac ſpiritualia, ac alia incumbentia ſibi onera valeat ſupportare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum *Viterbii* III. Idus Maji Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum DEI Dilecto Filio - - Abbati Monaſterii in *Eberſperg*, *Friſingenſis* Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Venerabilis Fratris noſtri - - Epiſcopi, ac dilectorum Filiorum - - Abbatis & Conventus Monaſterii *Sancti Emmerammi Ratiſponenſis* lecta coram nobis petitio continebat, quòd, cùm Monaſterium ipſum tanta premeretur ſarcina paupertatis, ut non haberent, unde poſſent commodè ſuſtentari, Parochialem Eccleſiam *Sancti Emmerammi Ratiſponenſis*, in qua idem - - Abbas & Conventus ius obtinent Patronatus, ipſis in uſus proprios concedere dignaremur. Nos itaque tam piis quàm devotis eorum precibus annuentes, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus cedente vel decedente præfatæ Eccleſiæ Rectore dictos - - Abbatem & Conventum inducas in corporalem eiuſdem Eccleſiæ poſſeſſionem, ac defendas inductos, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, non obſtante, ſi aliquibus a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quòd interdici, ſuſpendi, aut excommunicari non poſſint, vel qualibet alia indulgentia Sedis eiuſdem, de qua|cuiusque tenore de verbo ad verbum oporteat in noſtris litteris plenam & expreſſam mentionem fieri, & per quam id impediri valeat vel differri. Datum *Viterbii* tertio Idus Maji, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Nos *Leo* miſeratione Divina *Ratiſponenſis* Epiſcopus univerſis tam præſentibus quàm futuris per præſentes litteras declaramus, quòd Reverendus Pater, & Dominus *Clemens* Papa Venerabili Abbati & Conventui Eccleſiæ *Sancti Emmerammi Ratiſponenſis* Ordinis Sancti Benedicti mediante noſtra petitione hanc fecit, & in perpetuum confirmavit gratiam ſpecialem, quòd Parochialem Eccleſiam *Sancti Emmerammi*, cuius ius Patronatus ad eundem Abbatem dinoſcitur pertinere, quando eam vacare contigerit, conceſſit in uſum dictorum Abbatis, & Conventus *Sancti Emmerammi* cum omnibus iuribus & pertinentiis ſuis, ac redditibus, qui de ipſa Parochiali Eccleſia poterunt provenire, reſervata congrua portione Sacerdoti vicario, eidem

dem Eccleſiæ deputato. Verùm quia prædictos Abbatem & Conventum Eccleſiæ *Sancti Emmerammi* ſpeciali dilectione amplectimur & favore, ac eandem Eccleſiam *Sancti Emmerammi* præ aliis Eccleſiis noſtræ civitatis & diœceſis tenemur gratia proſequi ampliori, utpote quæ cum noſtra Eccleſia maiorem habet præ cæteris unionem, nos huiuſmodi Apoſtolicæ conceſſionis gratiam ſpecialem, ſicut de noſtra petitione promovimus, ut procederet ad effectum, ſic iam exhibitam, & completam, ratam habemus omnimodis atque gratam, & plenum conſenſum noſtrum eidem conceſſioni perpetuò adhibemus. In cuius rei evidentiam atque robur præſentes litteras noſtras præfatis Abbati & Conventui Eccleſiæ *Sancti Emmerammi* dedimus ſigilli noſtri robore communitas. Actum anno Domini M. CC. LXVI. Septimo Kal. Septembris.

Quibus quidem litteris exhibitis & perlectis petebant dictæ partes cauſa in huiuſmodi per nos concludi omnibus terminis & dilationibus, qui tam de iure, quàm conſuetudine obſervari conſueti ſunt, voluntariè & expreſsè renuntiantes & ſtatim ibidem, in quantum poterant & debebant, & prout in eis erat, concluſerunt. Nosque cum ipſis partibus concluſimus, & habuimus pro concluſo: & inſuper præfatis partibus cum debita diligentia pro diffinitiva ſententia ferenda inſtantibus, nos ad ipſam ſententiam proferendam in DEI nomine in ſcriptis acceſſimus, & accedimus per omnia in hunc modum:

Chriſti nomine invocato Nos *Johannes de Reynbach* Decanus Eccleſiæ *B. Mariæ Veteris Capellæ Ratiſponenſis* Subconſervator & Judex prædictus pro tribunali ſedentes, & habentes præ oculis ſolum DEUM, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam pronunciamus, decernimus, & declaramus, Parochialem Eccleſiam *S. Emmerammi*, contiguam ipſi Monaſterio, ad inſtantiam bonæ memoriæ Domini *Leonis* Epiſcopi *Ratiſponenſis* per Sanctæ memoriæ Dominum *Clementem* Papam Quartum incorporatam, unitam, & annexam eſſe, ipſamque Parochialem Eccleſiam ipſi Monaſterio virtute dictarum incorporationis, unionis & annexionis fuiſſe & eſſe per tantum tempus, cuius contrarium in memoria hominum non exiſtit, etiam per tempus legitimæ præſcriptionis ſingulis annis cenſualem ipſi Domino - - Abbati in tredecim libris, & Conventui dicti Monaſterii in dimidia libra bonorum *Ratiſponenſium* denariorum, prout hæc clarent per privilegia Apoſtolica, & articulos per prædictum Dominum - - Abbatem coram nobis productos, & per præfatum Dominum *Franciſcum* in iudicio confeſſatos. Ideo ipſi Domino *Franciſco* Plebano & ſuis Succeſſoribus mandamus, ut dictum annuum cenſum ùt rem recognitam, & confeſſatam ſingulis annis abſque qualibet contradictione in terminis ſuprà in articulis expreſſis tradant prædictis Dominis - - Abbati & Conventui, & perſolvant realiter & cum effectu condemnationem expenſarum coram nobis in præſenti lite factarum, hinc inde omittentes ex cauſa: Super contentis verò in aliis articulis coram nobis, ùt præmittitur, productis, videlicet ceremoniis funeralibus, proceſſionibus, & aſſiſtentia ipſi Domino - - Abbati, dum in Pontificalibus celebrat, & ſepulturis factis in eiſdem articulis, eaſdem partes ad conſuetudines hactenus obſervatas, præſenti ſententia remittendo: Si verò aliquæ aliæ diſcrepantiæ inter ipſas partes ſunt ſubortæ, ipſas partes ad arbitrium virorum bonorum, ut amodo pacificè virtutum Domino famulentur, in his ſcriptis ſententialiter ſimiliter in Chriſti nomine remittentes.

Lecta, lata, & in ſcriptis pronunciata eſt hæc noſtra ſententia per nos *Johannem* Decanum, Subconſervatorem, & Judicem prædictum ad conſilia peritorum & prudentum Virorum Dominorum *Arnoldi de Weidenberg* Decani, *Vlrici de Hohenvels*, *Alberti Staroſſer*, *Heinrici de Veldchirchen*, & *Erhardi Weichſer* iunioris, ac *Heinrici Reym* Sancti *Johannis Ratiſponenſis* Eccleſiarum Canonicorum, & *Werneri Moſhamer* Rectoris Parochialis Eccleſiæ in *Aurbach Patavienſis* Diœceſis ſub anno nativitatis Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo quarto, Indictione ſecunda die decima nona Menſis Novembris hora Veſperorum vel quaſi in ſtuba noſtra media Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini *Bonifacii* Divina providentia Papæ Noni, anno ſexto præſentibus prædictis Dominis, ac diſcre-

diſcretis Viris Dominis *Iohanne de Pol*, *Conrad Brunet*, & *Paulo* dicto *Werdis* Preſbyteris *Colonienſis*, *Maguntinenſis*, & *Nevvnburgenſis* Diœceſis teſtibus ad præmiſſa vocatis, & rogatis.

Et ego *Conradus Pünharter* Clericus *Ratisponenſis*, publicus Imperiali auctoritate Notarius & Scriba cauſarum Conſiſtorii *Ratisponenſis* juratus, prædicto proceſſui Judiciario, ac actis & actitatis ſupraſcriptis, & ſententiæ diffinitivæ promulgationi, omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic per prædictum Dominum . . Decanum, Subconſervatorem & Judicem & coram eo per partes ſupradictas agerentur & fierent, unà cum prænominatis teſtibus præſens fui, vidi, & audivi. Ideoque hoc præſens publicum inſtrumentum, quod per alium Notarium diverſis præpeditus negotiis ſcribi feci, hic me ſubſcribens de mandato antedicti Domini . . Subconſervatoris & Judicis exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, ſignóque meo & nomine ſolitis & conſuetis unacum appenſione ſigilli ipſius Domini . . Decani, Subconſervatoris & Judicis conſignavi in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

Pünharter.

3.

Alexander VI. P. M. Eandem S. Ruperti Parochiam Monaſterio S. Emmerammi Ratisponenſis de novo penitus unit & perpetuò annectit.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum DEI ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto nobis deſuper, meritis quanquam inſufficientibus, Apoſtolicæ Servitutis Officio ad ea libenter intendimus, per quæ Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium neceſſitatibus valeat ſalubriter provideri, operam & opem efficaces, quantum nobis ex alto conceditur, ſuper his ſollicitè adhibendo, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica cum cura & ſine cura apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia & inantea vacatura collationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes extremè irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingeret attemptari. Cùm itaque poſtmodum perpetua Vicaria Parochialis Eccleſiæ *S. Ruperti*, ſitæ infra ſepta Monaſterii *S. Emmerammi Ratisbonen.* Ord. S. Benedicti per liberam reſignationem dilecti filii *Sigiſmundi Kreutzer* nuper ipſius Eccleſiæ perpetui Vicarii, de illa quam tunc obtinebat, per dilectum filium *Georgium Schvvab* Clericum *Eyſtetens.* Procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte factam, & per nos admiſſam, apud ſedem eandem vacaverit, & vacet ad præſens, nullusque de illa præter nos hac vice diſponere potuerit ſive poſſit reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis: Et ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum *Eraſmi* Abbatis, & Conventûs dicti Monaſterii, petitio continebat, ſi ipſa Vicaria, cujus, dum pro tempore vacat Collatio & proviſio, ac commoda diſpoſitio ad Abbatem pro tempore exiſtentem dicti Monaſterii ac ejusdem Conventum de antiqua, & approbata hactenúsque obſervata conſuetudine pertinet, eidem Monaſterio, cui dicta Parochialis Eccleſia perpetuò canonicè eſt annexa, & cujus decimarum ex tribus partibus Abbas & Conventus prædicti duas partes percipiunt, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto Abbas & Conventus prædicti onera eis incumbentia, quæ non parva ſunt, ut facilius perferre poſſent, ac alias eorum commoditatibus non mediocriter provideretur: Pro parte Eraſmi Abbatis, & Conventus prædictorum aſſerentium, quòd fructus, redditus, & proventus dictæ vicariæ centum & viginti florenor Renens. ſecundùm communem exiſtimationem valorem annuum non excedunt, nobis ſuit humiliter ſupplicatum, Ut dictam Vicariam eidem Monaſterio perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quòd petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem annuum ſecundùm exiſtimationem prædictam etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus fieret commiſſio ad partes vocatas quorum intereſſet, *Eraſmum* Abbatem, & Conventum præfatos, ac eorum ſingulos, à quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, nec non Monaſterii prædicti fructum, redditum, & proventum verum annuum valorem præſentibus pro expreſſo habentes, ejusmodi ſupplicationibus inclinati, Vicariam prædictam ſive præmiſſo, ſive aliô quôvis modô, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti *Sigiſmundi* vel alicujus alterius de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram Notario publico & teſtibus ſponte factam, aut conſtitutionem, felicis recordationis *Ioannis* Papæ XXII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Execrabilis* vel aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quòd ejus collatio juxta Lateranenſis ſtatuta concilii ad ſedem præfatam legitimè devoluta, ipſaque Vicaria diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi voluimus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuô unimus, annectimus, & incorporamus: Ita quòd liceat exinde *Eraſmo* Abbati & Conventui præfatis per ſe vel alium ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Vicariæ juriumque & pertinentiarum prædictorum propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illiusque fructus, reditus, & proventus prædictos in ſuos ac dicti Monaſterii uſus & utilitatem convertere, ac eidem Vicariæ per Presbyterum ſæcularem vel regularem idoneum, ad nutum eorundem Abbatis & Conventus ponendum, & amovendum, in divinis deſerviri, ac illius parochianorum animarum curam exerceri facere Diœceſani loci, & cujusvis alterius licentiâ ſuper hoc minimè requiſitâ, non obſtantibus piæ memoriæ *Bonifacii* Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri, & aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non voluntate noſtra prædicta, ac Monaſterii & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis alia firmitate robotatis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuscunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis, in illis partibus ſpeciales vel generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetrârint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & Decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem litteras, & proceſſus habitos per eaſdem inde ſecuta quæcunque ad ipſam Vicariam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibusliber aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impedire valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis terroribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Proviſo, quòd propter unionem, annexionem, & incorporationem prædictas dicta Vicaria debitis non fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, ſed ejus congruè ſupportentur onera conſueta. Nos enim, prout eſt, irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter attemptatum forſan eſt hactenus, vel impoſterum contigerit attentari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incur-

incursurum. Datum *Romæ* apud Sanct. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quingentesimo, octavo, Kalend. Octob. Pontificatûs nostri anno nono.

LXXVI.

Michaël de Gyrio describit terminos Cartusiæ Vallis Iosaphat.

EGo Frater *Michaël* Prior indignus *Domus S. Mauritii in Gyrio*, au- 1396. *Ex Arch. Gemnic.* ctoritate Reverendi in Christo Patris Domini *Christophori* Prioris *Cartusiæ* & Generalis Capituli Visitator Superioris *Alamaniæ*, juncto in socio eadem auctoritate Venerabili in Christo Patre Domino *Georgio* Priore *Domûs Sanctæ Trinitatis* prope *Brunam*, ad visitandum *Domum Vallis Josaphat* ejusdem Ordinis nostri propè *Olomucium*, peracta, sicut decuit, ibidem visitatione, ex speciali commisso & mandato Domni Cartusiæ, & Generalis Capituli, ut prædicitur, terminos ejusdem *Domûs Vallis Josaphat*, & etiam terminos Monachorum sic constituimus nos jam dicti *Michaël* & *Georgius* Priores, & confirmamus, videlicet, ut termini ejusdem Domûs extendere se valeant, & possint ad unam dietam circum circa. Termini verò Monachorum incipiant in latere montis, ubi est major hortus ad meridiem à Monasterio sursum tendendo usque ad proximam viam, quæ vadit ad Sylvam Plebani villæ *Dolan*, non intrando eandem sylvam, nec ultrà, sed perpendiculariter descendendo ad parvam piscinam, quæ inter duas piscinas sub Monasterio sita est, & dicitur vulgariter *Kalchynka*, à qua piscinula tendendo versus orientem sursum, termini illi finem habeant usque ad quandam scaturiginem, quæ per Monachos dicitur *Fons Solis*, à qua poterunt revertendo usque ad crucem positam pro signo, temporibus suis secundùm consuetudinem Ordinis nostri descendere per semitam, quæ ab eadem cruce vergit ad *Vallem Iosaphat*, & sic non attingendo radices alterius montis ex altera parte ejusdem vallis positi poterunt & debent descendere ad Monasterium per latus montis, in quo contra domum jam dictam nova vinea plantata est. In quorum testimonium & memoriam sigilla Domorum nostrarum præsentibus sunt appensa, datis Anno Domini MCCCXCVI. feriâ sextâ post B. Barthol. Apostoli ibidem in *Valle Iosaphat*. Ego Fr. *Michael* terminos Domûs do pro terminis Procuratori mea manu.

LXXVII.

Bonifacius IX. P. M. confirmat translationem Cartusiæ ex Rubo B. M. V. ad Vallem Iosaphat propè Olomucium.

BOnifacius Episcopus, servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Cartusiensis Ordinis sacra Religio, & personarum ipsius conspicua merita promerentur, ut ea, quæ pro divini cultus augmento, ac propagatione dicti Ordinis, & sustentatione personarum earundem, matura deliberatione facta sunt, cùm à nobis requiritur, Apostolici præsidii munimine roboremus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Prioris & Fratrum *Domus Vallis Iosaphat* dicti Ordinis *Olomucensis* Diœcesis, petitio continebat, quòd olim bonæ memoriæ *Albertus* Episcopus *Luthomuslensis*, cupiens terrena in cælestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare, *Domum Rubi B. Mariæ* dicti Ordinis, Luthomuslensis Diœcesis construi & ædificari fecit, ipsamque de bonis ad eum ratione personæ suæ spectantibus dotavit: & deinde cùm ipsa *Domus Rubi B. Mariæ* secundùm ejusdem Ordinis consuetudinem fundata seu locata non esset dilecti Filii Capitulum Generale dicti Ordinis, habitis super hoc inter eos pluribus deliberationibus, bona prædicti *Domus Rubi B. Mariæ* præfatæ *Domui Vallis Iosaphat* applicarunt, & voluerunt, quòd ipsa *Domus Vallis Iosaphat* loco dictæ *Domûs Rubi B. Mariæ* foret. Quare pro parte Prioris & Fratrum præfatorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut fundationem & constructionem dictæ *Domûs Vallis Iosaphat*, & hujusmodi applicationi, ac omnibus aliis & singulis, per præfatos Capitulum circa præmissa factis & ordinatis robur Apostolicæ confirmationis adjicere de benignitate Apostolica dignaremur. *Indict.*

Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, fundationem & constructionem dictæ *Domûs vallis Iosaphat* & applicationem prædictas, nec non omnia & singula, per dictos Capitulum circa præmissa ritè facta & ordinata, ac etiam omnes Ecclesias, grangias, & bona

bona alia, spiritualia & temporalia, ubicunque consistentia, quæ Prior & Fratres *Domûs Vallis Iosaphat* prædicti impræsentiarum legitimè possident & in futurum, dante Domino, justis titulis poterunt adipisci, eis auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in præmissis: Proviso tamen, quòd Ecclesia dictæ *Domûs Rubi B. Mariæ* ad profanos usus, velut hæreditas, minimè redigatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, communitionis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum *Romæ* apud S. Petrum VI. Non. Octobris Pontificatûs nostri anno VIII.

LXXVIII.

Jodocus Marchio Brandenburg. & Moraviæ facit Cartusiæ Vallis Iosaphat potestatem Bona immobilia & hereditaria pro DCC. marc. gross. comparandi.

1398. *Indict.*

JOdocus Dei gratiâ Marchio *Brandemburgensis*, ac Marchio & Dominus *Moraviæ*, S. R. I. Archicamerarius, notum facimus tenore præsentium universis, quòd ad pia loca, in quibus cultus viget divinus, singularem habentes affectum, eorum præsertim intendimus promotionem, qui in ferventiori devotione perseverantes DEO sedulum exhibent famulatum. Ne igitur devotio Religiosorum Virorum, Prioris & Conventus Monasterii *B. Mariæ Vallis Iosaphat* Ordinis Cartusiensis, *Olomucensis* Diœcesis, propter penuriam bonorum temporalium tepescat, & cui Monasterio, quod de novo erigitur, nondum de bonis temporalibus sufficienter est provisum. Nos ad hoc volentes gratiosè suffragari, ut personæ in eodem Monasterio degentes, possent meliùs sustentari, & in devotione perseverare, prædictorum Prioris & Conventûs precibus inclinati, ut ipsi pro dicto eorum Monasterio bona temporalia in terra nostra *Moraviæ* pro 700. Marcis grossorum possint comparare, & eorum Monasterio appropriare, nostrum favorem dedimus, & tenore præsentium de certa nostra scientia damus & consensum, volentes omnino & decernentes, quatenus præfati Prior & Conventus Monasterii prædicti habeant plenam potestatem à quocunque homine, eis aliqua bona vendere volente, prodictis septingentis marcis grossorum semel vel successivè, simul vel divisim, bona hæreditaria comparandi: Mandantes Camerariis, Czudariis, & Notariis tabularum Czudæ tam *Olomucensis* quàm *Brunensis*, fidelibus nostris dilectis, quatenus dum prædicti Prior & Conventus pro eorum Monasterio aliqua bona hæreditaria comparaverint usque ad valorem septingentarum Marcarum grossorum, ad ipsorum requisitionem, pro eorum Monasterio intabulari juxta consuetudinem terræ nostræ admittatis præsentium sub nostri sigilli appensione testimonio litterarum.

Datum *Brunæ* Anno Domini MCCC XCVIII. feriâ tertiâ proximâ post festum Pentecostes.

LXXIX.

Wilhelmus & Albertus Duces Austriæ oppignerant Casparo & Gundacaro Dominis de Staremberg arcem Waldenvels pro certa summa pecuniæ.

WIr Wilhalm und Albrecht Gebruettern von Gottes Gnaden Herzogen ze Oesterreich / ze Steyr / ze Kernden / und ze Krain / Graven ze Tyrol &c. Bekennen / daz Wir unsern getreuen lieben Casparn und Gundakern Gebrüedern den Starchenbergern / und irn Erben / gelten sullen / und schuldig sein tausend guter Gulden / und achthundert und fünf und neuntzig Phunt Wienner Phening / die sy uns yetzunt berait gelihen habent / zu unsern grossen Notdurfften / und geloben / und verhaissen mit dem Brief / daz Wir In dafür ynner ainem Moneid dem nechsten / in Phandsweis sullen und wellen inantwurtten unser Vesst Waldenvels mit allen Zuegehörungen. Tetten Wir das nicht / so sullen Wir In das egenant Ir Gelt ynner desselben Moneids Frist zu Wiltperg in ir Vest wider geben und betzalen / an all ir Scheden / und an alles vertziehen. Und zu pesserr Sicherhait / so haben Wir In zu rechten / Selbgescholn und Pürgen gesatzt / unser lieben Getreuen / Heinrichen von Walsse / Rudolfen von Walsee unsern Lant-Marschalch in Oesterreich Fridrichen von Walsse / Reinprechten von Walsse / und Ulreichen von Walsse unsere Hoffmaister / Albern den Ottenstainer / Hannsen

1396. *Ex autogr. P. H.*

Hannsen den Kuchendorffer / und Vöschlein den Innprugger / Unser Kammermaister / und Ir Erben in solcher Mass / ob Wir den egenanten Starchembergher die egenant Vest nicht inantwurteten / oder ob Wir In das Gelt ynner dem egenanten Moneid ze Wiltperg nicht richteten / wenn den dieselben Unser Selbgescholn / und Pürgen / oder Ir Erben von In genant wordent mit Iren Briefen oder Potten / so soll ir yeglicher nach der Mainung in den nechsten acht Tagen ane Vertziehen / einen erbern Knecht mit zwain Pferden her gen Wienn in ain offen Gasthaus senden / dahin Sy In denn zaigent / die da innligen und laisten / als ynnligens und laistens recht ist / und aus der Laistung nymmer komen / den egenanten Starchembergern / und iren Erben / sey denn die egenant vest ingeantwürtt / oder ir egenant Gelt gentzleich ausgericht / als oben geschriben steet. Wer aber / daz sy als lang ynnligen und laisten / daz des dieselben Starchenberger oder ir Erben Verdruzz / oder ob Sy nicht laisteten / was des denn dieselben Starchenberger und ir Erben Scheden nemen zu Kristen / oder zu Juden / oder wie der Schad genant wer / den Ir ains bey seinen nen Treuen ungeschworn gesprechen mag / denselben Schaden mit sampt dem Haupt-Gut / sullen Wir in auch gentzleich auzrichten und bezalen / an allen iren Schaden / und sullen auch das haben auf Uns und Unsern egenanten Selbgescholn und Pürgen / und Iren Erben / und auf allem Unserm und Irm Gut unverschaidenleich. Wenn auch denselben Starchenbergern oder iren Erben die egenant Vest Waldenveis ingeantwurtt / oder daz Sy aber irs egenanten Gelts auzgericht und bezalt sind / als vorgeschriben steet / so sol diser gegenwürtiger Unser Brief gentzleich tod sein / und kain Kraft mer haben in dhainem Weg. Und des zu Urchund / so geben Wir In den Brief versigelten mit Unsern und Unserer egenanten Selbgescholn und Pürgen Insigeln. Der geben ist ze Wienn an Sand Barthlomes Tag / des Heiligen Zwelfpotten. Nach Kristi Geburd / dreyzehenhundert Jar / darnach in dem Sechs und neuntzigisten Jare.

LXXX.

Appellatio Monasterii Gemnicensis Ord. Cartusiani ad Summum Pontificem contra Georgium Episcopum Pataviensem ob quandam exactionem ab eo factam.

1396. *Ex Archiv. Gemnic. P. H.*

TAm debitam quàm pronam obedientiam filialem cum omni humilitate ad pedum oscula Beatorum.

Sublimium ac Potentum ac maximè spiritualium Prælatorum est apprehendere arma & scutum, & exurgere in adiutorium subditorum adversarios propulsando, & ab iniqua infestatione pauperum compescendo, & præcipuè cultui divino deditos a litigiis forensibus semovere, ut divinis Ministeriis piè ac solerter invigilent, ne distenta mens per varias causarum curas effluat, & ad exequendum opus debitum & consuetum torpeat & tepescat.

Beatissime Pater ac Domine metuendissime!

Licet Domnus *Vrbanus* VI. Sanctæ memoriæ, & alii Summi Pontifices pro tempore vestræ Sanctitatis Prædecessores salubri nostri Ordinis & status continuationi consulere volentes, per certas suas nos litteras gratiosissimè libertârunt in tantum, quòd, nisi de nostro Ordine Cartusiensi, & de singulis Domibus eius super procuratione seu alia pecuniaria contributione quacunque, & personis quibuscunque, indulgentiis quovis modo concessis, singularis fiat denominatio, aliàs ad dandum aliquid in præmissis minimè obligamur: Tamen Reverendus Pater Dominus *Georgius* Episcopus *Pataviensis* occasione cuiusdam indulgentiæ a vestra Sanctitate (salva impetrantis honestate) subreptitiè impetratæ nos per quosdam ipsius executores indulgentiæ eiusdem ut omnium nostri Monasterii fructuum medietatem sub excommunicationis, suspensionis & interdicti sententiis sibi infra triginta sex dies daremus, instantissimè requisivit. Propter quod exemptiones nostras & libertates ostendimus eidem, humiliter supplicando, ne contra DEUM & iustitiam indebitè nos gravaret. Qui DEI abiecto timore Apostolicas litteras, nostras continentes libertates, inconsultè parvipendens ad dandum sibi prædictam nostrorum medietatem fructuum per præfatas sententias & poenas

pœnas compellere nos conatur. Unde ſi conceptus perverſi volitionem huiusmodi perficerent, in nobis divinus minueretur cultus, noſtræ libertates læderentur, ac noſtrum Monaſterium, in quo ad præſens viginti Presbyteri unà cum aliis ſexdecim perſonis, Subdiaconis, Diaconis, Redditis & Conv[illegible]ſis DEO famulantur, iugiter inqui[illegible]retur, aut forſitan, uti formidatur funditùs deperiret.

Quapropter Sanctiſſime Pater & Paſtor æterne, ne lupi gregem dominicum diſpergant & devaſtent rapaces, totâ, qua dignè valemus, orationum inſtantia Veſtram Sanctitatem affectu petimus ampliori, quatenus ſempiternæ remunerationis intuitu deſuper veſtræ Sanctitati largita benignitate ſolita ſuper prædictis inauditis & iniuſtis dicti Epiſcopi impetitionibus perpetuum ſilentium eidem imponentes, nos in libertatum & exemptionum gratiis, a Sede Apoſtolica toti Ordini in noſtro conceſſis, miſericorditer dignemini, conſervare: Cauſam appellationis contra Reverendum Patrem Dominum *Georgium*, *Patavienſem* Epiſcopum ad veſtram Sanctitatem per nos interpoſitam, inſpectis & trutinatis gratiis utriusque partis, præfati ſcilicet Epiſcopi & noſtri, clementer annullantes, ipſam nulli Judicum in partibus decidendam remittendo, Vos ipſe, Pater Sanctiſſime, eam fine laudabili claudatis. Altiſſimus Nobiliſſimam veſtram Dominationem conſervet feliciter & longævè.

Datum anno Domini M. CCC. XC. VI. Dominica Quinquageſimæ.

Fr. *Petrus* Prior totusque Conventus Monaſterii ad *Thronum Gloriosæ Virginis Mariæ in Gemnico* Ordinis Cartuſienſis, Diœceſisque *Patavienſis*.

LXXXI.

Bulla Bonifacii Papæ IX. qua Monaſterium Gemnicenſe à præmemorata Exactione Epiſcopi Patavienſis eximitur, eique Privilegia ab Anteceſſoribus impertita confirmantur de A. 1396.

1396. *Ex autograph. Gemnic. P. H.*

BOnifacius Epiſcopus Servus Servorum DEI ad perpetuam rei memoriam.

Sedis Apoſtolicæ providentia circumſpecta perſonas ſub Religionis obſervantia vacantes aſſiduè ſtudiô piæ vitæ benigno favore proſequitur, & ut eorum conſulatur commoditatibus, ac quietiùs Domino famulari valeant, libenter ſe propitiam exhibet & benignam. Sanè exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum univerſorum Priorum & Conventuum omnium & ſingulorum Monaſteriorum ac Domorum Ordinis Cartuſienſis, Civitatis, & Diœceſis *Patavienſis* petitio continebat, quòd, licèt prædicto Ordini ac Priori Generali, & omnibus Fratribus ipſius Ordinis a Sede Apoſtolica etiam per felicis recordationis *Vrbanum* Papam VI. immediatum Prædeceſſorem noſtrum per ſua certi tenoris litteras indultum exiſtat, ut ad dandum ſeu præſtandum aliquas procurationes quibuslibet Legatis ſeu Nuntiis dictæ Sedis, etiamſi huiuſmodi Legati eſſent à latere aut alia quævis ſubſidia ſeu exactiones, quocunque nomine cenſeantur, quibuscunque perſonis, vel ad contribuendum in procurationibus ſeu ſubſidiis huiusmodi minimè teneantur, neque ad id compelli poſſint inviti prætextu quarumcunque litterarum dictæ Sedis ſub quavis forma verborum conceſſarum, vel impoſterùm concedendarum, niſi in eiſdem litteris nominatim expreſſa fuerint nomina Monaſteriorum dicti Ordinis. Nosque etiam ipſos, Ordinem & Priorem cum omnibus & ſingulis Monaſteriis, Prioratibus, Domibus & locis eiuſdem, & cum perſonis degentibus in eiſdem, præſentibus & futuris, ab omni ordinaria iurisdictione, Dominio, Viſitatione ac Poteſtate qualibet omnium & ſingulorum Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & aliorum quorumlibet Judicum per noſtras litteras prorſus exemerimus, illaque in Jus & proprietatem B. Petri ac Sedis prædictæ, ac ſub eorum & noſtra ſpeciali & immediata protectione ſuſceperimus, & tam Nos quàm ipſe Prædeceſſor noſter ex tunc decreverimus, quoscunque proceſſus, & ſententias, quos & quas contra tenorem dictarum litterarum contra eos fieri contingeret, ſeu etiam promulgari, irritos & inanes, prout in dictis litteris pleniùs continetur; Tamen certi executores quarundam litterarum, per quas Venerabili Fratri noſtro *Georgio* Epiſcopo *Patavienſi*, ut

pro redemptione nonnullarum terrarum, villarum, Caſtrorum, & aliorum bonorum immobilium ſuæ Eccleſiæ *Patavienſis* diverſis Creditoribus, etiam ſub fœnere & uſura certis de cauſis tunc expreſſis, impignoratorum ſeu obligatorum, ab omnibus perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus & Regularibus, exemptis & non exemptis, beneficia Eccleſiaſtica in Civitate & Dioceſi obtinentibus, in redemptionem huiuſmodi integrè convertendam, petere & recipere valeret, duximus indulgendum, per Nos eidem *Georgio* deputati ſeu eorum ſubdelegati prætextu litterarum & indulti huiuſmodi nonnullos proceſſus fecerunt, per quos inter cætera ipſis Prioribus & Conventibus Civitatis & Dioceſis prædictarum ſub certis pœnis & etiam cenſuris mandaverunt, ut medietatem prouentuum Monaſteriorum & Domorum ipſorum unius anni infra certum terminum tunc expreſſum eidem *Georgio* Epiſcopo perſolverent, alioquin pœnas & ſententias in dictis proceſſibus contentas incurrerent: à quibus pro parte Priorum & Conventuum prædictorum, quamprimùm huiuſmodi proceſſus ad eorum notitiam pervenerunt, fuit ad Apoſtolicam Sedem appellatum, & nobis humiliter ſupplicatum, ut auctoritate Apoſtolica declarare, noſtræ intentionis nec fuiſſe nec eſſe, quod ipſi ad huiuſmodi ſolutionem tenerentur, ac prædictos proceſſus, quò ad ipſos Priores & Conventus, eorumque Monaſteria & Domos, irritos & inanes fuiſſe & eſſe decernere, & aliàs ſuper præmiſſis eis providere de opportuno remedio de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati prædictum indultum ipſius Prædeceſſoris auctoritate Apoſtolica confirmantes, eadem auctoritate tenore præſentium declaramus, noſtræ intentionis non fuiſſe nec eſſe, quòd prætextu indulti prædicti præfato *Georgio* Epiſcopo per nos, ùt præmittitur, facti, Priores vel Conventus Monaſteriorum & Domorum prædictorum aliquid ſolvere tenerentur, & ad id à quoquam poſſent inviti quomodolibet coarctari: decernentes quò ad Priores & Conventus prædictos & Monaſteria ac Domos eorum prædicta, prædictos & quoscunque alios proceſſus tam habitos quàm habendos prætextu indulti & litterarum huiuſmodi, & quæcunque inde ſecuta, irrita & inania, ac nullius exiſtere valoris vel momenti: ac eidem *Georgio* Epiſcopo & quibuſcunque aliis ſuper exactione & petitione huiuſmodi medietatis ipſorum fructuum, ab ipſis Prioribus & Conventibus ac Monaſteriis & Domibus eorum prædictis, factis & faciendis ſilentium perpetuum eadem Auctoritate imponimus per præſentes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis, declarationis, impoſitionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum *Romæ* apud S. Petrum VII. Idus Aprilis Pontificatûs noſtri anno Septimo.

LXXXII.

Wilhelmi Ducis Auſtriæ Diploma, quò concedit Sanctimonialibus ad S. Spiritum propè Ibbſium Ord. Ciſterc. ut vina ſua ibidem vendere poſſint, liberatque eas ab exactione vulgò Umgelt *dicta.*

WIr Wilhelm von Gottes Gnaden Hertzog ze Oeſterreich / ze Steyr / und Kärnten / und ze Crain / Graff ze Tyroll ꝛc. Bekennen / das Wir durch Unſere Vorvordern löblicher Gedechtnus Unſer / und Unſer Nachkomen Seel Hail willen / dem Erbarn Geiſtlichen den Cloſter-Frauen ze Ybbs die Gnad getan haben / und tuen es auch wiſſentlich mit diſem Brieff / das Sy Iren Weinn daſelbſt ze Ybbs mögen laſſen ſchenkhen / und dauon kein Ungelt geben ſchollen / doch Uns auff Uns oder Unſer Erben widerrueffen. 1397. *Exapograph.* P. H.

Davon gebieten Wir Unſern Getreuen / allen Unſeru Ambtleuten / und Ungeltern ze Ybbs / das Sy die obgenanten Cloſter Frauen bei diſer Unſer Gnad gentzlich laſſen pleiben / und darwider nicht tuen, inn dhainen Weeg / dann Wir das ernſtlich mainen / mit Vrkund ditz Briefs. Geben ze Wienn am Sontag nach dem Heiligen Auffarts Tag / nach Chriſti Geburt im dreuzehenhundert und ſiben und neuntzigſten Jare.

LXXXIII.

LXXXIII.

Bonifacius IX. P.M. Eccleſiam omnium Sanctorum aliàs S. Stephani Viennæ ab excommunicatione aut interdicto Epiſcoporum Patavienſium immunem reddit.

1397. *Ex autogr. P.H.*

BOnifacius Epiſcopus ſervus ſervorum DEI, dilecto filio *Antonio* Præpoſito Eccleſiæ Omnium Sanctorum, alias S. Stephani in *Wienna* Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjectæ *Patavien.* Dioceſis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Nonnunquam inſtans devotorum ſupplicatio, præſertim Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjectorum, nos induxit, ut ipſorum petitiones, per quas gravaminibus eorum obviatur, & quieti conſulitur, ad exauditionis gratiam admittamus. Sinceræ igitur devotionis affectum, quem ad nos & Romanam geris Eccleſiam, attendentes, & propter hoc tuis & Eccleſiæ tuæ omnium Sanctorum, aliàs S. Stephani in *Wienna*, *Patavienſis* Dioceſis dictæ Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjectæ cupientes commoditatibus providere, tibi auctoritate præſentium indulgemus, ut Epiſcopus *Patavienſis*, qui nunc eſt, & qui erit pro tempore, aut ſubdelegatus, vel executor, ſeu conſervator à Sede Apoſtolica eidem Epiſcopo, vel Succeſſoribus ſuis *Patavienſibus* Epiſcopis datus, ſeu quomodocunque deputandus, vigore cujuscunque conceſſionis, eisdem Epiſcopis per nos ſeu auctoritate litterarum Apoſtolicarum faciendæ à te, vel ſucceſſoribus tuis predictæ Eccleſiæ omnium Sanctorum Præpoſitis pro tempore exiſtentibus, ac Eccleſia tua prædicta, aut perſonis beneficia ſeu officia obtinentibus in eadem, aliquid exigere, vel in te, aut perſonas hujuſmodi Excommunicationis, vel Eccleſiam tuam hujuſmodi interdicti ſententias proferre non poſſint, niſi de ſpeciali mandato Sedis ejusdem plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem faciente. Decernimus etiam, ſi aliquid contra hujuſmodi conceſſionis noſtræ tenorem à quoquam propria fuerit temeritate præſumptum, irritum & inane, & ſi forſan aliquæ ſententiæ contra te, ac Eccleſiam tuam, & perſonas hujuſmodi prolatæ fuerint, nullum robur obtineant firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum *Romæ* apud S. Petrum II. Idus Novembris, Pontificatûs Noſtri Anno octavo.

LXXXIV.

N. N. Monachorum ad S. Gallenſes epiſtola adverſùs quendam Fratrem, qui deſerto ſuo Monaſterio ibidem ſe ſtabilierat.

FRatres, dirigimus vobis hic unam informationem, veſtræ incorporationi nuper factæ in Monaſterio S. Galli maximè repugnantem. Primo Capitulum Regulæ ſexageſimum primum, ubi Beatus Benedictus dicit in eodem Capitulo: *Caveat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monaſterio Monachum ad habitandum ſuſcipiat ſine conſenſu Abbatis ejus, aut litteris commendatitiis* &c. Unde decretum 19. q. 3. C. *Nullus Abbas, vel Monachus Canonicos regulares à profeſſionis propoſito canonicæ revocare, atque ad Monaſticum habitum trahendo ſuſcipere audeat, ut Monachi fiant, quamdiu Ordinis ſui Eccleſiam*, id eſt, Monaſterium, *invenire quiverint, in qua Canonicè vivendo DEO ſervire & animam ſuam ſalvare poſſint. Quod ſi temerario auſu tentaverint, anathematis vinculo obligentur.* Unde Apoſtolus: *In ea vocatione, in qua quis vocatus eſt, in ea permaneat.* Idem in eadem q. c. *Statuimus, ne profeſſionis Canonicæ quispiam, poſtquam DEI vice ſuper caput ſibi hominem impoſuit, alicujus levitatis inſtinctu, vel diſtrictioris religionis obtentu ex eodem clauſtro audeat ſine Patris, aut totius congregationis permiſſione recedere: diſcedentem verò nullus Abbatum vel Epiſcoporum, & nullus Monachorum ſine communi literarum cautione ſuſcipiat.* 71. D. C. *Extraneo Clerico & Lectori extra ſuam civitatem ſine commendatitiis litteris proprii Epiſcopi nuſquam penitus liceat mini-*

Circ. 1399. *Ex Cod. S. Galli ſec. hoc circ. exarato.*

miniſtrare. Unde Boherius ſuper capitulo decretalis: *licet quibuſdam Monachis*, ubi quæritur, utrum & quando perſona religioſa de ſua religione ſive Monaſterio ad aliam religionem ſive Monaſterium valeat transferri, & ibi dubitatur probabiliter, utrum ſit arctior vel laxior religio vel obſervantia, ad quam quidam tranſire petit, & utrum quis velit ad Ordinem arctiorem vel laxiorem ex caritate, an ex temeritate tranſire, & tunc Superioris eſt judicium requirendum, ne fortè Angelus Satanæ in lucis Angelum ſe transformet. Tranſire autem de religione ad religionem, ſive de Monaſterio ad Monaſterium, & ſpecificè æqualis vel laxioris obſervantiæ non propter magnam neceſſitatem vel utilitatem non eſt laudabile, tum quia de hoc plerumque ſcandalizantur illi, qui relinquuntur, cùm quia etiam faciliùs aliquis proficit in religione ſive Monaſterio, quod quis inhabitare conſuevit. Unde in Collationibus Patrum Abbas Neſtorius dicit: *Unicuique utile eſt, ut ſit ſecundùm propoſitum, quod elegit, ſummo ſtudio de diligentia & nequaquam a ſua, quam elegit, profeſſione diſcedat.* Et poſtea rationem aſſignans ſubdit: *impoſſibile namque eſt, unum eundemque hominem ſimul univerſis fulgere virtutibus, quas ſi quis voluerit ſimul attentare, unam cum moderari neceſſe eſt, ut dum omnes ſequitur, unam integrè conſequatur.* Unde in *ſpeculo Regulæ*: *cùm quis Monachus cauſa virtutis & propriæ ſalutis tranſit ad aliud Monaſterium vel æqualis, vel laxioris obſervantiæ, debet conſiderare, quod ſe in proprio Monaſterio non poteſt ſalvare, & ut præfatum eſt, in alio quoad . . . . . ſuam ſalutem valeat invenire. Non poteſt autem de facili ſalvari, ubi ſpes non eſt de ordinatione & reformatione Monaſterii, & ubi ſubſtantialia regulæ contingit ab omnibus prævaricari. Tunc enim Monachus ſic exeat, quod alibi ſuam ſalutem attendat, & non Monaſterium peſtilens eligat. Sanus enim aër, & non peſtilens debet eligi, quando vis ab ægritudine peſtilentiæ ſanari.* Unde Severus: *non tantùm corporibus, ſed etiam animabus eligere ſalubrem locum debemus.* Iſtis convictus delicatus . . . . . & emollit iſte . . . . . debet eſſe diſtrictus cùm conſilii maturitate tum Superiorum licentia & auctoritate. Unde Beatus Bernhardus: *ſanè de religiosè, & benè ordinatis Monaſteriis nullus profeſſus, meo conſilio, nec arctioris quidem deſiderio vitæ ſine licentia ſui Superioris egredietur.* Et ſubdit: *Fortè vult aliquis de Cluniacenſibus inſtitutis venire ad noſtram paupertatem, eligens nimirum præ illis conſuetudinibus magis regulæ puritatem? ſi me conſulit, non conſulo, ſi ſine uſurpaverit Abbatis id aſſenſu, primo propter ſcandalum ipſorum, quos deſerit: deinde relinquere certa pro dubiis, tutum non erit. Forſan hoc tenere poteſt, illud non poterit: & ibi ſuſpecta haberi poteſt levitas, quia id ſæpè, quod facere volumus, antequam probemus, experiri iam nolumus, uno quippe momento ad ipſum & cupientes, & reſpuentes tam leviter quam etiam irrationabiliter.* Idem Beatus Bernhardus: *Scio non nullos de aliis congregationibus & inſtitutionibus ad noſtrum Ordinem pervolaſſe, pulſaſſe, intraſſe, qui hoc agentes & ſuis ſcandala reliquerunt & nobis nihil minus attulerunt, dum, quantum illos ſua temeraria diſceſſio, tantum nos conturbat ſua miſera converſatio: & qui ſuperbè ſpreverant, quod tenebant, & temerè præſumpſerunt, quod non valebant, digna DEUS eorum exitum patefecit ignominia: quia impudenter deſeruerunt, quod imprudenter arripuerunt, & turpiter ad id redierunt, quod leviter deſeruerunt. Et ideo non ſuadeo Monacho, quod etiam ſub obtentu arctandi ad aliud Monaſterium, ſeu religionem ſe conferat, aut transferat, dummodo in prima ſalvari valeat.* Unde idem Beatus Bernhardus in quodam ſermone de Sancto Andrea: *Vos intendite, quæ dicuntur: quia veſtræ proderunt utilitati. Via enim ejus eſt, ſine qua nemo venit ad patriam, quam qui perdiderit, perdet Deum. Cum ergo de . . . . . diſponis . . . . . ad illum præcipuè ſit tibi refugium tuum, cui tua anima commiſſa eſt, quem impoſuit DEUS ſuper caput tuum. Nec te moveat, ſi illiteratus eſt, vel indiſcretus: quia hoc ipſum ſignum humilitatis eſt. Memento,*

Digitized by Google

mento, quia non est potestas nisi à Deo. Super cathedram nempe Moysi sederunt, Scribæ & Pharisæi. Et tu non attende sedentem, sed sedem, Cathedram, non personam. Quòd si fortè licentiâ ejus ad alium tibi fugere permittatur, ... priùs credis, cui revelas . . . . . quia non est plena salus, si ille fugitur, aut contemnitur, cui adhærere, quem & honorare debueras. Quòd si minùs tibi sufficiens videtur ejus instructio . . ad libertatem, ... ut coram alio literato, atque discreto effundas cor tuum, reservato illi privilegio suo, cui tu animam tuam commendasti. Hæc vobis Fratres ad informationem, ut ad Monasterium vestrum redeatis, scripsimus.

LXXXV.

Burchardus Ep. Augustanus Ecclesiam S. Viti in Hirnheim Monasterio Deggingensi O. S. B. penitus unit.

1398. *Ex Archiv. Dogging.*

IN Nomine Dni, Amen. Si personas honestatis titulo decoratas, & Divini Nominis Cultores ad devotionis & fidei confovemus augmentum, & gratiis ac favoribus ampliamus, tenemur tamen indubiè DEI omnipotentis gratiam in præsenti sæculo, & in futuro suorum consequi merita gaudiorum, sperantes infallibiliter Ecclesiam nostram una cum credito nobis grege earundem personarum devotis orationibus & precibus consonare. Idcirco nos *Burcardus* DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ecclesiæ *Augustensis* notum esse volumus præsentium inspectoribus, quòd consideratis multitudine personarum Conventualium Monasterii in *Teggingen* Ord. S. Benedicti nostræ Diœcesis nobis in Christo dilectarum, devotissimè DEO famulantium, & paucitate reddituum, de quibus minùs commodè sustentari possint, nec hospitalitatem exercere, eleemosynas elargiri, peregrinos & pauperes colligere, ac alia pietatis opera frequentare, quæ tamen exercere laudabiliter consueverunt; & semper ibidem patuit ostium viatori, & quæ ad sublevanda sua gravia onera nostrum animum alliciunt & inducunt, ac pro quorum augmento, cùm spiritualia sine temporalibus minimè subsistant, Ecclesiam Parochialem in *Hirnheim*, ad præsens vacantem *Decanatum* in *Allerheim*, cujus quidem Jus Patronatus ad Abbatem & Conventum Monasterii in *Teggingen* prædicti dignoscitur pertinere, cum omnibus & singulis redditibus, obventionibus & juribus ipsis Ecclesiæ, quocunque nomine censeantur, ipsis Abbati & Conventui Monasterii in *Teggingen*, ac eorum interest & Monasterii, ipsorum consensu & voluntate Venerabilium Dominorum, & nobis in Christo dilectorum *Waltheri Schübel* Præpositi, *Ulrici Burggravii* Decani, totiúsque Capituli Ecclesiæ nostræ *Augustensis*, etiam per campanæ sonitum ad hoc solemniter convocatorum, prout moris est, pleniùs accedentibus, ac solemnitatibus & deliberationibus præhabitis, quæ in talibus requiruntur tam de consuetudine quàm de jure, incorporavimus & univimus, & auctoritate nostra ordinaria annectimus, unimus & ex certa scientia incorporamus, præsentibus his inscriptis volumus & concedimus, ut præscriptus Abbas & Conventus, & ipsorum Successores Auctoritate propria singulos & divisos fructus, redditus & obventiones cum omnibus juribus, ad eandem Parochialem Ecclesiam in *Hirnheim* pertinentibus, pro sustentatione ipsorum recipiant & colligant, ac de ipsis disponant, sicut sui & Monasterii sui utilitatibus crediderint expedire.

Insuper volumus & ordinamus, quòd ipse Abbas & Conventus Monasterii in *Teggingen* prælibati & ipsorum Successores, nobis nostrisque Successoribus Episcopis *Augustensibus* canonicè & ritè intrantibus, quando & quoties ipsam Ecclesiam in *Hirnheim* vacare contigerit, Presbyterum idoneum, attamen sæcularem pro perpetuo Vicario per nos ritè & rationabiliter instituendum assignent canonicè ad eandem & præsentent, pro cujus sustentatione congrua & honesta de ejusdem Ecclesiæ Parochialis in *Hirnheim* fructibus, redditibus talem constituant præbendam, de qua hospitalitatem tenere, jura Principalia, Episcopalia, & Archidiaconalia exsolvere possit & valeat, ac commodosiùs alia incumbentia onera tolerare. Item quòd idem Sacerdos per nos & nostros Successores instituendus in dicta sua Ecclesia Parochiali residentiam

Digitized by Google

faciat perſonalem, quam ſic facere promittat loco vitæ * juramenti Collatoribus prædictis in ſua prima receptione ad eandem. Et ſi præfatus Sacerdos ad dictam Eccleſiam inſtitutus ſe ab Eccleſia ſua prædicta ad ſex menſes vel ultra conſenſum & voluntatem noſtram ac prædictorum Collatorum Abbatis & Conventus Monaſterii in *Teggingen* ſupradicti contumaciter abſentaverit ſine cauſa legitima, ex tunc ſtatim ipſo facto nulla cognitione ſeu monitione præmiſſa, dicta Eccleſia Parochiali in *Hirnheim* ſit privatus & totaliter deſtitutus. Præfatis quoque Abbati & Conventui Monaſterii in *Teggingen*, ſæpè dictis Collatoribus Eccleſiæ præfatæ, & ipſorum Succeſſoribus, licentiam damus alium Presbyterum idoneum ad ipſam Eccleſiam in *Hirnheim* præſentandi modis & formis præconceptis. Et ut præmiſſa omnia rata permaneant, & inviolata perpetuò conſerventur omnibus quoque modis & conditionibus, quibus ex nunc & in futurum valere poterunt & debebunt, præſentes litteras ipſis Abbati & Conventui Monaſterii in *Teggingen* antedicti tam noſtro, quàm Capituli noſtri ſigillis legitimè tradimus roboratas in evidentiam & firmitatem ſingulorum præmiſſorum.

* *ſ* vice.

Datum *Auguſtæ* XV. Kal. Julii Anno Dni Milleſimo Trecenteſimo nonageſimo octavo, ſexta Indictione.

LXXXV.

Eberhardus Ep. Auguſt. indulget, ut eadem Eccleſia à Monachis Degging. adminiſtretur.

Indict. EBerhardus DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus *Auguſtenſis* Religioſo & nobis in Chriſto Dilecto Abbati Monaſterii in *Teggingen* Ord. S. Bened. noſtræ Diœceſis ſalutem in Dno.

Ut Eccleſiam Parochialem in *Hirnheim* per veſtros Conventuales aut alios Presbyteros ſæculares per vos ad hoc conſtitutos inofficiare valeatis curamque animarum plebis ejusdem Eccleſiæ liberè exercere Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, vobis tenore præſentium concedimus & indulgemus facultatem, volentes in hoc conſcientiam veſtram onerare uſque ad noſtram aut Succeſſorum noſtrorum revocationem, hoc tamen adjecto, quòd nobis aut Succeſſoribus noſtris à vobis ſeu Monaſterio veſtro ſuper teſtum S. Martini quatuor florenos Rinenſes boni auri & legalis ponderis nomine dictæ Eccleſiæ in *Hirnheim* medio tempore annuatim præſententur. Datum *Auguſtæ* noſtro ſub ſigillo Anno Domini MilleſimoCCCCX. X. Kal. Maji.

LXXXVI.

Bonifacius IX P. M. Monaſterium S. Coronæ Ord. Ciſt. Abbatis Monaſterii Sanctæ Crucis in Auſtria jurisdictioni ſubjicit.

1400. *Ex autheut. P. H.*

BOnifacius Epiſcopus ſervus ſervorum DEI ad perpetuam rei memoriam. Pro ſingulis fidelibus, præſertim Religioſarum perſonarum ſtatu ſalubriter dirigendo, ipſóſque in ſuis juribus & libertatibus conſervando, prout ex debito immeriti Nobis Paſtoralis officii tenemur, ſollicitæ conſiderationis intuitum extendentes ad ea, quæ earum profectui conſuluunt, libenter adhibemus ſollicitudinis noſtræ partes. Ad noſtrum ſiquidem nuper pervenit auditum, quòd Monaſterium *Sanctæ Coronæ* Ciſtercienſis Ordinis, *Pragenſis* Dioceſis ab ejus primæva fundatione Abbati Monaſterii *Sanctæ Crucis* dicti Ordinis, *Patavienſis* Dioceſis ex Inſtitutione ejusdem Ordinis tanquam Patri Abbati & viſitatori immediatè ſubeſſe, & per illum velut per Superiorem viſitari & gubernari conſuevit: licet dudum ipſum Monaſterium *Sanctæ Coronæ* occaſione guerrarum, quæ inter Regnicolas & habitatores Ducatûs Auſtriæ diutiùs viguerunt, Abbati Monaſterii in *Plas* Ordinis Ciſtercienſis, & Dioceſis *Pragenſis*, tanquam Patri Abbati & Viſitatori ſubmiſſum fuerit, & per eum eisdem guerris durantibus, & poſt eas uſque in hodiernum diem tanquam ſuperiorem gubernatum. Cum autem, ſicut accepimus, guerræ prædictæ dextera Domini faciente virtutem, dudum ſopitæ fuerint & terminatæ, Nos volentes in his ſalubriter providere, Monaſterium *Sanctæ Coronæ* præfatum, ab omni jurisdictione, viſitatione, obedientia, correctione, & ſuperioritate dicti Abbatis Monaſterii in *Plas* Auctoritate Apoſtolica præſentium prorſus eximimus, & perpetuò liberamus, ipſumque Monaſterium *Sanctæ Coronæ*

in

in priſtinum & eum ſtatum, in quo erat, antequam eidèm Abbati Monaſterii in *Plas* ſubmitteretur, ac præſertim eadem auctoritate reſtituimus & reponimus per præſentes ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus Abbati prædicti Monaſterii *Sanctæ Crucis*, qui nunc eſt, & erit pro tempore tanquam Patri Abbati & viſitatori, ſicut prius conſuetum fuerat, ſubeſſe volumus & mandamus, ita quòd de cætero Abbas dicti Monaſterii de ſive in *Plas*, qui nunc eſt & erit pro tempore, in Monaſterium Sanctæ *Coronæ*, ejuſque perſonas & Bona, Iuriſdictionem, Viſitationem, Correctionem aut Superioritatem aliquam nequeat exercere, decernentes irritum & inane ex nunc, ſi ſecus ſuper his à quocunque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, Ordinis ac Monaſterii *Plaſenſis* prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus ac privilegiis & aliis in contrarium forſan faventibus non obſtantibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ exemptionis, libertationis, reſtitutionis, repoſitionis, voluntatis, mandati & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI & SS. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum *Romæ* apud S. Petrum Nonas Iulii Pontificatus Domini Bonifacii Papæ IX. Anno XI.

LXXXVII.

Latzko Epiſcopus Olomucenſis definit terminos quarundam poſſeſſionum Cartuſiæ Vallis Ioſaphat.

1404. *Ex Archiv. Gemnic.*

IN Nomine Domini Amen. Nos *Latzko* DEi gratiâ Epiſcopus, nec non *Iohannes de Straznicz* Decanus, & Capitulum Eccleſiæ *Olomucenſis* ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus univerſis tamætati priſtinæ, quàm poſteritati futuræ, per hoc præſens Privilegium ſeu publicum Inſtrumentum: quòd proſpicientes diligenter utilitatem & commodum futuris ac profectum Eccleſiæ noſtræ propter diverſas diſplicentias, tædia ac controverſias, quæ inter nos ac Capitulum & Eccleſiam noſtram ex una, nec non Honorabiles ac Religioſos *Stephanum* Priorem primitivum ac Conventum Monaſterii *Vallis Ioſaphat propè Dolan* Cartuſienſis Ordinis, *Olomucenſis* Diœceſis ſæpè ac ſæpius ex altera oriebantur, & damnoſiùs oriri poſſent in futurum, anfractus hujusmodi volentes præcidere ſuper quibusdam plagis & poſſeſſionibus ſylvarum antiquitus ad dominia Villarum *Dolan* & *Bielkovvicz* ſpectantium, per certos Benefactores Eccleſiæ noſtræ *Olomucenſi* ac Monaſterio *Vallis Ioſaphat* prædictorum nomine perpetui teſtamenti datis & donatis, quas inſimul obtinebamus, & eisdem utebamur, ac ipſas indifferenter, nec non indiviſim ſuccidebamus. Easdem Sylvas ac poſſeſſiones per Honorabilem Virum Dominum *Ioannem de Czlavvings* Canonicum, Vicarium in ſpiritualibus & Officialem *Olomucenſem*, Confratrem noſtrum, hujuſmodi negotii Directorem & Procuratorem, habentem à nobis ad hoc ſpeciale plenum mandatum cum præfatis Dominis Priore & Conventu per certa ſigna metarum, gadium ac finium, ac terminorum, certis vocabulis & ſignis conſignatis dividi, distingui ac limitari diſpoſuimus, ac diviſimus, diſtinximus & limitavimus ad effectum, ipſamque diviſionem, diſtinctionem ac limitationem approbavimus, ratificavimus & confirmavimus, necnon approbamus, confirmamus, & ratificamus per præſentes per omnia, prout factis & obſervatis exiſtunt in hunc modum, ita videlicet, quòd pars hujusmodi Sylvarum media Eccleſiæ *Olomucenſi* ad menſam D. Epiſcopi, qui pro tempore fuerit, ſorte attributa his modis ſeu terminis ac ſignis & vocabulis diſtinguitur ac terminatur. Incipiens à plaga Auſtrali verſus *Dolan* Villam à ſtrata via publica ſeu via tendente verſus *Syvvovvam* à quadam quercu magna, ſtante juxta viam eandem, & protenditur ab eadem quercu incipiendo per aliam viam, quæ ducit per tranſverſum montis, qui dicitur *Skalicze*, uſque ad locum ſeu acumen montis ejusdem, qui dicitur *Humencze*; à quo loco ſunt certæ diſtinctæ metæ, certis ſignis conſignatæ uſque ad vallem proximam verſus orientem, per quam vallem defluit fluvius, qui dicitur *Gvvovvecz* contra quandam rupem dictam *Suchygyuovvecz* ex oppoſito montis Sylvarum ad communitatem villarum *Dolan* & *Byelkovvicz* ſpectantium, quas dictæ villæ ſimul obtinent in

communi. Quæ quidem Vallis prædicta ab illo loco mediat & dividit montes *Skalicze*, & *Tyſſovva*, ac *Krzecovva* uſque ſurſum ad viam communem, quæ ducit ad prata Monaſterii prædicti. Et ad hanc partem diviſionis primam prædictam annexus eſt quidam mons dictus *Karzecoba* cum ſylva ſua & alio *Krzecovv*; quam quidem ſylvam mediat & dividit quidam rivulus dictus *Krzecovv*, ſcaturiens à prædicta via & pratis prædicti Monaſterii, dividens ſylvas *Krzecovv* & *Tyſſovvam*. Secunda verò pars Sylvarum prædictarum per diviſionem Priori ac Conventui & Monaſterio *Vallis Ioſaphat* prædictis ſic, ùt præmittitur, ſimili ſorte attributa his terminis ac ſignis & vocabulis terminantur. Incipiens à via & quercu magna ſupradictis versùs ſeptemtrionem ſeu verſus *Byelkovvicz* Villam, quæ pars etiam *Skalicze* dicitur, & eſt alia, ſeu reſidua pars montis illius *Skalicze* prædictis, qui tranſit ad dexteram & ſiniſtram cum *Anthrolhocka* usque ad terminos ſylvarum ad Dominium in *Byelkovvicz* propriè & liberè ſpectantium, quæ *Dyecanovvecz* & *Iempnicze* nuncupantur, & ſuis pertineneiis, & terminantur in fluvio, qui deſcendit de monte caſtri *Tepeneczs* cui parti iunctus eſt mons, qui dicitur *Tyſſovva*, in poſſeſſionem ex alia parte vallis, per quam defluunt rivuli *Krzecovv* & *Gyvvovvecz*. Qui quidem mons *Tyſſovva* incipit aſcendendo per tranſverſum quaſi à media valle ab illo monte communitatis villarum *Dolan* & *Byelkovvicz*, qui dicitur *Lypovva*, & protenditur ulteriùs uſque ad viam & *pratum Monaſterii prædicti & ibi terminantur*.

Vt autem hujuſmodi diviſio, diſtinctio ac limitatio, omniaque alia & ſingula præmiſſa in omnibus ſuis terminis, punctis & clauſulis per nos & Succeſſores noſtros in ævum firma, rata, atque grata obſerventur, & robur perpetuæ obtineant firmitatis, præſentes litteras Privilegiales ſeu præſens publicum Inſtrumentum exinde fieri fecimus, ac per Notarios publicos, infra ſcriptos, ſcribi & publicari mandavimus, noſtrorumque ſigillorum, videlicet Epiſcopi & Capituli, appenſione juſſimus communiri.

Teſtes autem hujus rei, qui aderant, ſunt honorabiles, diſcreti, ac validi Viri Domini, Magiſter *Franciſcus*, dictus de *Gervvicz Olomucenſis* & *Wratislavienſis* Eccleſiarum Canonicus, *Andreas de Selcz* Canonicus, *Iacobus de Budvvicz* ac *Laurentius* dictus *Rabl*, perpetui Vicarii Eccleſiæ *Olomucenſis*, *Wenceslaus Huſſeronis de Kozuſſan*, auctoritate Imperiali publicus Notarius, *Martinus* olim Judex nunc verò Proconſul Civitatis *Olomucenſis*, *Philippus* Judex de *Byelkovvicz*, *Stephanus* Proviſor Profeſſus, ac Wenceslaus de *Trzeſſicz* Purgravius, & *Wenceslaus de Moravviczan* armigeri familiares & ſervitores Monaſterii prædicti *Olomucenſis* Diœceſis, & alii plures fide digni circa præmiſſa conſtituti.

Datum *Olomucii*, & actum in Monaſterio *Vallis Ioſaphat* ſupradicto ſub anno à Nativitate Dni MCCCCIV. Indictione duodecima, die verò 14. Menſis Decembris hora meridiei vel quaſi, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini *Innocentii* divinâ providentiâ Papæ VII. annô ipſius primo.

LXXXIX.

Jodocus Marchio Brandenburgenſis & Moraviæ eidem Cartuſiæ donat quasdam Sylvas Marchionales.

IOdocus DEI gratiâ Marchio *Brandemburgenſis*, S. R. I. Archicamerarius, Marchio & Dominus *Moravia*. Notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd conſideratâ conditione humanâ, & mortalium fragilitatem in animo revolventes, cùm ipſe homo de utero genitricis egreſſus, tanquam flos, æſtu miſeriarum atteritur, & breviſſimi ſpatii revolutô tempore evaneſcit ſubitò velut umbra: ſpeculationis noſtræ acie ad ordinem Religioſarum perſonarum reflexa, ritè advertimus, quòd hi duntaxat ſoli ab huius mundi eruti involutionibus, excuſsô de cervicibus jugô, continuum exhibent Altiſſimo liberaliter famulatum: Præſertim cùm ſæculares perſonæ in his præcipuè, quæ ſunt carnis & ſanguinis, delectentur. Inter cæteros verò Religioſos Viros ad Venerabilem Cartuſienſem ordinem noſtræ devotionis vires direximus, quorum ubique loca egregia ad honorem Omnipotentis DEI, & ad gloriam Chriſtianæ militiæ, ſalutaria recipiunt incrementa. Igitur Religioſis Fratribus Cartuſienſibus Priori & Conventui Mona- 1405. *Indict.*

Monaſterii *Vallis Ioſaphat* prope Villam *Dolan*, in quodam vertice ſiti, qui nunc ſunt, & inantea ſucceſſu temporis erunt (quorum nova propago, tanquam ſecus fluenta decurrentium aquarum plantata, ſuavis odoris flagrantiam pro æterna ſalute animæ naribus noſtris ſpargit) omnes ſylvas, nemora, rubeta, virgulta cum pratis & paſcuis, quos, & quæ talium ſylvarum ambitus in ſuo circuitu incluſit. Quæ quidem ſylvæ Marchionales fuerunt, & pro Caſtro *Tepenecz* à Sereniſſimo Principe Domino *Carolo* Sanctæ memoriæ olim Imperatore Romanorum & *Boëmiæ* Rege, ſed pro tunc Marchione *Moraviæ*, Patruo noſtro & Domino deputata, & quæ ad Villam *Gywwowwa* pertinebant) cum pleno jure & Dominio dedimus, donavimus, & virtute præſentium animô deliberatô voluntate libera ac de certa noſtra ſcientia, damus, deputamus, donamus, per ipſos Fratres Cartuſienſes & Succeſſores eorum pro dicto Monaſterio *Vallis Ioſaphat* habenda, tenenda & perpetuis temporibus poſſidenda, ac in uſus ſuos & utilitates Monaſterii qualicunque modô, ſicut hæreditatem propriam, pro voluntate & arbitrio convertenda. Quoniam hanc memoriam poſt huius caducæ vitæ occaſum ibi relinquimus, ut pro ſalute noſtra perpetuis pariter temporibus apud Creatorem Altiſſimum in ſuis nocturnis & diurnis orationibus intercedant. Mandamus igitur Camerario, Czudario, & Notario Czudæ Olomucenſis, Officialibus noſtris fidelibus & dilectis, qui nunc ſunt, vel pro tempore fuerint, quatenus præfatas ſylvas, rubeta, virgulta & nemora juxta tenorem præſentis litteræ prænominatis Fratribus, illo loco & Monaſterio, dum primùm tabulæ terræ apertæ fuerint, libro ſeu tabulis terræ inſcribant pariter & imponant præſentium ſub noſtri appenſione ſigilli teſtimonio litterarum.

Datum *Olomucii* Anno Domini MCCCCV. Sabbato ante Feſtum Converſionis S. Pauli.

XC.

Procopius Marchio Moraviæ eidem Cartuſiæ confert omnia ſua bona, ad caſtrum Tepenecz ſpectantia.

Indict. NOs *Procopius* DEI gratia Marchio *Moraviæ*, notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd de innata clementia, quam erga noſtros ſubditos gerimus, & præſertim illos, qui quærunt remedium animæ noſtræ, ipſorum petitionibus obviantes, hâc nactâ occaſione, vobis Honorabilibus Viris & Dominis, *Stephano* Priori & toti Conventui & Fratribus ejuſdem, præſentibus & futuris, Cœnobii B. MARIÆ Virginis Glorioſæ in *Valle Ioſaphat* Ordinis Cartuſienſis prope *Dolan* ſituati, Jus noſtrum in & ſuper omnibus & ſingulis bonis ad caſtrum *Tepenecz* ſpectantibus, & ex nomine in villa dicta *Gywowwa*, & univerſis ipſius pertinentiis in ſylvis, nemoribus, rubetis, lucis, vallibus, aquis, fluminibus, fluviis, rivulis, aquarumque decurſibus, & ſignanter in deſerto molendino, ſito in flumine *Biſtrziczie*, in pratis, paſcuis agris cultis & incultis, venationibus, aucupationibus, & in omnibus ipſorum graniciis & limitibus, quæ ab antiquo ſunt limitatæ, nihil nobis proprietatis aut dominii reſervantes, quod Jus in eisdem bonis ad nos pertinet, & dignoſcitur pertinere, dedimus, donavimus, ac de certa noſtra ſcientia virtute præſentium damus, donamus & largimur, per præfatos Dominos *Stephanum* Priorem, & totum Conventum, ac Fratres ipſius Conventûs, præſentes & futuros prædicti cœnobii B. Virginis *Vallis Ioſaphat*, prædicta bona cum ſuis pertinentiis ut præfertur, ad ſæpè fatum caſtrum *Tepenecz* ſpectantia, Noſtro jure, perpetuis temporibus tenenda, habenda, poſſidenda, in uſus ipſorum, & Monaſterii prædicti convertenda pro ipſorum libitu voluntatis, noſtro Hæredumque noſtrorum quovis absque impedimento & Succeſſorum, præſentium noſtro ſub appenſo ſigillo dedimus teſtimonio litterarum.

Datum & actum Annô Dni MCCCCV. *Brunæ* feriâ ſecunda die & Feſto S. Viti Martyris Glorioſi.

XCI.

Iodocus Marchio Brandenburg. & Moraviæ, Cartuſiam Vallis Ioſaphat veluti de novo fundat, ac præclaris privilegiis communit.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Nos *Iodocus* DEI gratiâ Marchio *Brandemburgenſis*, Marchio & Dominus *Moraviæ*, ad univerſorum noti- 1406. *Indict.*

notitiam cupimus pervenire, quòd, dum humanæ vitæ exitum puriore mente revolvimus, & caducæ ejus fragilitatis habitudinem ſolertiùs animô agitamus, in hoc quidem intentionem noſtram figimus, & diverſos cogitatus finaliter ſtabilimus: quemlibet hominem, cujuscunque ſtatûs, conditionis vel eminentiæ exiſtat, & præcipuè, qui ſe excellentiori Principum dignitate cum abundantioribus rebus præferri cæteris recognoſcimus, ad hoc duntaxat ab Omnipotenti DEO tanta ſibi credita cum cura animi ſuſcepiſſe talenta (quæ propterea, quia mentes mortalium ſolicitudinibus afficiunt, ſpinis Evangelicô teſtimoniô comparantur) ut ſe in conſpectu Domini gratos villicos, id eſt, diſpenſatores idoneos, in die ultimati Judicii comprobarent. Et licèt non tam temerè de bonis confidamus temporalibus, ut largitione eorum nobis Regnum cælorum emere præſumamus, tamen in diſpenſatione eorum Sancta voluntas cujuslibet cognoſcitur diſpenſantis. Vt igitur ad exemplum proborum partem rerum noſtrarum cum illo videamur partiri, cujus totum fore dignoſcitur, quod habemus, ad omnes Religioſos deliberationis noſtræ oculos convertimus, qui quotidie Miſſarum ſolemnitatibus ejus Paſſionis agunt memoriam, qui larga effuſione ſui pretioſiſſimi Sanguinis in Crucis ſtipite nos redemit. Inter horum verò cœtum devotiſſimum, ſtrictiorem vitam ducentes Fratres Cartuſienſes animadvertimus, quorum eſui caro abominabilis, cogit ſingulos Profeſſores mundi delicias cum corporalibus voluptatibus ultra, ſicut opinamur, humanam patientiam ſpe ſalvifica penitus refutare. Quamobrem confidentes nos ipſorum orationibus in tantùm poſſe proficere, ut ab ipſo, qui divinâ potuit potentiâ linguam pecudis in vocem humanam ſolvere, gratiâ nobis datâ, bonis operibus redimiti de virtute in virtutem per ſemitas juſtitiæ, imò vias orthodoxæ fidei ampliſſimas, Sancta converſatione & ſincerâ vitâ diutiùs prorogata, feliciter ambulemus; propoſitum olim Reverendiſſimi Patris Domini *Alberti de Sternberg*, *Luthomiſlenſis* Epiſcopi in fundatione, erectione & dotatione Fratrum dictorum propè *Luthomisl* circa *Terczck* caſtellum Monaſterii, noſtro intuitui præpoſuimus: quod quidem inhabilitate loci partim, & partim bonorum temporalium penuria, morte inopinatâ præventus, non poterat conſummare, prout litteris & Bullis Summi Pontificis, ne imperfecta res cœpta maneret, erogatis ſuper eo, ut translatio de Diœceſi in Diœceſim poſſet fieri, manifeſtiſſimè illud liquet. Nam talis translatio ad noſtrum Principatum Moraviæ absque noſtro ſpeciali conſenſu fieri nequiverat, neque Fratres, proviſione ejus exigua poterant pro vitæ humanæ neceſſitatibus ſuſtentari. Et quia omne opus à principio & à fine debet meritò judicari, ut medium, quòd nunc tranquillô, nunc modô aſperô ſolet regi, fine optimo nullatenus fraudaretur, præfatum propoſitum prædicti Domini Epiſcopi continuantes, feliciter pro loco dicti Monaſterii collem quendam ſeu promontorium, propè *Dolan*, quod *Vallem Joſaphat* primis Auctoribus placuit nominare, deputavimus; & animô deliberatô, voluntate libera, ac de certa noſtra ſcientia, habito ſuper eo cum fidelibus noſtris latô & ſanô conſiliô, virtute præſentium deputamus, donavimus & donamus, in ſignúmque bonæ voluntatis noſtræ ad hoc pronæ ſiquidem atque promptæ, initialis ejus ſtructuræ primum lapidem manibus propriis injecimus fundamento. Sanè pro ſuſtentatione, victu pariter & amictu, ac neceſſariis uſibus Fratrum Ordinis ſupradicti, quorum primus Prior Frater *Stephanus* loco ſuperiùs nominato dignoſcitur præfuiſſe, qui ſua ſolicitudine, cura, precibus & opera ad omnia & ſingula, quæ ſub ſpe ſalutis æternæ pro dicto loco fecimus vel faciemus in antea, DEO dante, occaſionem ſalutiferam nobis dedit. Ipſi quidem Priori ejus loci Fratri *Stephano* & Conventui, ac eorum Succeſſoribus, in perpetuum ad laudem & gloriam Altiſſimi Creatoris, DEI Genitricis intemeratæ Virginis MARIÆ, & Hieronymi glorioſi, donavimus, dedimus, erogavimus, aſſignavimus, & virtute præſentium animô deliberatô ac de certa ſcientia noſtrorum fidelium maturô conſiliô accedente damus, donamus, ac cum effectu realiter aſſignamus, & in corporalem poſſeſſionem omnium bonorum, ſeu reddituum infra ſcriptorum præfatum Fratrem *Stephanum* & Conventum ſolemniter mandavimus introduci ad hoc, ut ipſe *Stephanus* & Conventus, qui nunc ſunt, & Succeſſores

ſores eorum præfatis bonis in perpetuum potiantur.

Primo igitur donamus & damus loco ſuperiùs nominato duas curias allodiales, in villa *Palonyn* ſitas, cum agris, cultis & incultis, & cum ſuis, in quibuscunque rebus conſiſtant, ſeu qualitercunque vulgaribus nominibus appellentur, pertinentiis univerſis cum pleno & mero dominio, ſylvis, nemoribus, rubetis, virgultis, aquis, aquarumque decurſibus, fluminibus, rivis, piſcinis ab aliis bonis circumadjacentibus ab antiquo diſtinctis, quemadmodum olim felicis recordationis Genitor noſter Illuſtris Princeps Dominus *Ioannes* Marchio *Moraviæ* poſſedit ea, & tenuit ſuis propriis pecuniis comparata.

Item donamus & damus eisdem, Fratri *Stephano* & Conventui, ac eorum Succeſſoribus bona noſtra in montibus propè caſtrum *Tepenecz* jam ſolo æquatum pariter & deſtructum ſita, videlicet villam *Gyrovva* cum agris cultis & incultis, montibus, vallibus, ſylvis, nemoribus, piſcinis, pratis, aquis, aquarumque decurſibus, flumine *Biſtrzicze*, rivis, & cæteris pertinenciis univerſis, & ſpecialiter cum quadam curia in *Ranyczvicz* ad Marchionatum noſtrum ab antiquis temporibus pertinente, prout ab aliis bonis ibidem adjacentibus ſunt diſtincta, & cum deſerto molendino. Et quia donationes cæteræ, quibus Reverendus Pater Dominus *Albertus de Sternberg*, *Lotbomiſlenſis* Epiſcopus, Monaſterium pro ipſis Fratribus voluerat inſtaurare, ſinè noſtro ſpeciali conſenſu, favore & gratia, quoad ſuum propoſitum non (effectum) poterat obtinere: Idcirco de novo ipſis, Fratri *Stephano*, Conventui & ipſorum Succeſſoribus, villam *Dolan*, villam *Thovvic*, villam *Moravviczan*, villam *Palonyn* integras; item villam *Luczan* integram, quam noſtro interveniente adjutorio à Nobili *Erhardo de Leſſnz* pro pecuniis comparaverunt, cum omnibus villarum illarum agris, cultis & incultis, montibus, vallibus, ſylvis, nemoribus, virgultis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, fluminibus, rivis, piſcinis, molendinis, venationibus, aucupationibus, limitibus, gadiribus, graniciis, & aliis ſpectantiis, quibuſcunque ſpecialibus cenſeantur nominibus, univerſis, in quibuſcunque rebus conſiſtant, ſeu quibus vocabulis vulgaribus nominentur, cum mero & pleno dominio, nihil prorſus ibidem excluſo, & eorum antiquis poſſeſſoribus reſervato, ac expreſſè cum Jure Patronatûs omnium villarum, quæ ſuperiùs diſtinctiùs ſunt expreſſæ, dedimus, donavimus, aſſignavimus, & inſcribi tabulis terræ *Moraviæ* mandavimus & imponi. Volumus autem, & vigore præſentium decernimus, ut prænominati Fratres, Prior & Conventus, ſive Succeſſores eorum, ſæpè dicta bona liberaliter & hæreditariè poſſideant, teneant, regant pariter & gubernent, neque ad quempiam hominum occaſione ipſorum bonorum reſpectum habeant & recurrant. Et de univerſis illis bonis per ſe nobis, dum & quoties ipſam indici contigerit, ſecundùm librorum ſeu Regiſtrorum continentiam Bernam ſolvant. A cæteris verò oneribus, gravaminibus inconſuetis, exactionibus, teloneis duntaxat ad eos ſpectantibus, ipſos eximimus, excepimus & libertavimus, ac vigore præſentium omni modo libertamus: Ita tamen, ut eorum ſubditi & villani in locis, ubi teloneum ſolvitur, ſicut cæteri ruſtici, ſemper ſolvant. Et quia divina portio nullius fraudis humanæ patitur detrimenta, ſi quis ergo hominum præfatos Fratres in ſæpè dictis libertatibus, redditibus & poſſeſſionibus, prout de verbo ad verbum ſunt ſpecificè ſuperiùs expreſſa, auſu temerariô & ſtolidâ audaciâ præſumpſerit violare, ſciat ſe veridicè ultionem divinam tam in hoc ſæculo, quàm etiam in futuro, non poſſe, dexterâ Domini rompheâ flammigerâ ſuper noxios minitante, maximè in die noviſſimo, nullatenus evitare. Ad quorum omnium reale & efficax firmamentum Majeſtatis noſtræ majoris appenſione ſigilli omnia præſentia juxta ſolitam & priſtinam conſuetudinem mandavimus communiri.

Datum *Olomucz* Annô Domini MCCCCVI. 17. die Januarii.

XCII.

Idem Marchio ducentas marcas groſſorum denariorum Prag. in ædificia ejuſdem Carthuſiæ legat.

Jodocus DEI gratia Marchio *Brandemburgenſis*, Marchio & Dominus *Moraviæ*, notum facimus tenore præſentium 1407. Indict.

um

um univerſis, quòd habito reſpectu ad novæ plantationis Monaſterii Fratrum Cartuſienſium *Vallis Joſaphat* propè villam *Dolan* exordia, quæ omnipotentis pia clementia tam in ſpiritualibus quàm temporalibus ſemper de die in diem ſub adminiſtratione noſtri regiminis felicia in Chriſto Domino recipiunt incrementa, ita ut nonnulli Chriſti fideles, devotione accenſi, ſpem ſalutis ſuæ in eorum reponant orationibus, auxilia eiſdem Fratribus pro facultate ſuæ ſubſtantiæ ſub maxima fiducia porrigentes; ita ut & nos confiſi in Domino DEO, ad offerenda ipſis Fratribus præſidia, internis affectibus devotiſſimè imitemur. Animò igitur deliberato, ac de certa noſtra ſcientia, ad ſtructuram ædificiorum illius loci felicisſimi ducentas marcas groſſ. denariorum Pragenſium Moravicalis numeri in villa noſtra *Mladcze* ſpectante ad caſtrum *Auſſovv*, & ejus cenſibus univerſis, fructibus, uſibus, emolumentis & proventibus, quibuſcunque ſpecialibus appellentur nominibus, univerſis piſcationibus ac teloneo, & ſpecialiter cum molendino, ſic etiam, ut ad reformationem molendini illius ligna de noſtris ſylvis, quoties opportunum fuerit, recipere habeant plenariam poteſtatem, deputavimus, donavimus, prout vigore præſentium damus, deputamus pariter & donamus. Et ad hoc, ut prænominatas ducentas marcas de villa illa & univerſis ejus cenſibus & proventibus tollant, colligant & recipiant de ipſa villa, præfatis Fratribus condeſcendimus, & eam eis ad tenendum & poſſidendum, donec prænominatas ducentas marcas plenariè & integraliter, tam ex cenſibus, teloneo, quàm cæteris fructibus & uſibus, excluſâ Curiâ allodiali in villa *Hanyovicz* cum ſuis pertinentiis collegerint, reſignamus, ita tamen, quòd ipſa Curia allodialis in villa *Hanyovicz* cum ſuis fructibus, quam eis hæreditariè donavimus, non debet in ſortem donatæ pecuniæ computari. Si denique in nobis medio tempore, quidquid humanitus fieri contigerit, tunc noſtri Succeſſores non debebunt eis præfatam villam auferre, niſi ipſis aſſignent, quidquid adhuc recipiendum ſuperfuerit pecunia in parata, præſentium ſub noſtri ſigilli appenſione teſtimoniò litterarum.

Et nos *Petrus de Cravvar*, aliàs *de Plumlavv*, & *Erhardus de Cunſtat*, aliàs *de Sskal*, vocati in hujus donationis teſtimonium, ſigilla noſtra præſenti Privilegio appendi mandavimus in evidentius teſtimonium præmiſſorum.

Datum & actum *Brunæ* Annò Domini MCCCCVII. feriâ ſecundâ poſt Feſtum S. Stanislai.

XCIII.

Wenceslaus Rom. & Bohemiæ Rex omnia Cartuſiæ Vallis Joſaphat privilegia confirmat.

WEnceslaus DEI gratiâ Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, & *Boëmiæ* Rex, notum facimus tenore præſentium univerſis: Etſi Regiæ Dignitatis circumſpecta benignitas univerſorum ſaluti de innata ſibi pietatis clementia teneatur intendere, ad illa tamen conſiderationis præcipua diligenter attendit, quæ Religioſarum perſonarum, qui mundi derelictis illecebris Conditori altiſſimo condignum præſtant obſequium, commodum reſpiciunt & profectum. Sanè pro parte Honorabilium Prioris & Conventûs Monaſterii *Vallis Joſaphat in Dolan* Ordinis Cartuſienſis, propè *Olomucz* ſiti, devotorum noſtrorum Dilectorum extitit Majeſtati noſtræ humiliter ſupplicatum, quatenus ipſis & eorum Monaſterio univerſa & ſingula privilegia, jura, litteras, indulta, libertates & gratias, ipſis à Divis Prædeceſſoribus noſtris *Boemiæ* Regibus, aut Marchionibus *Moraviæ* data, tradita & conceſſa, datas, traditas & conceſſas, de innatæ nobis pietatis clementia approbare, ratificare, innovare & confirmare gratioſiùs dignaremur. Nos verò, qui quorumlibet juſtè petentium vota clementer amplectimur, præſertim cùm juſtè petentibus non ſit denegandus aſſenſus, ad humilem & ſupplicem prædictorum Prioris & Conventûs petitionis inſtantiam, animò deliberatò, tanoProcerum & Fidelium noſtrorum accedente conſilio, & de certa noſtra ſcientia, ipſis univerſa & ſingula ipſorum privilegia, litteras, jura, libertates, immunitates, gratias & indulta, ipſis à Prædeceſſoribus noſtris *Boemiæ* Regibus aut Marchionibus *Moraviæ* data, tradita & conceſſa, datas, traditas & conceſſas, ſic & in quantum ritè & rationabiliter proceſſerunt, approbavimus, ratificavimus, innovà-

1411. Indict.

novavimus & confirmavimus, approbamus, ratificamus, innovamus, & virtute præsentium Regia auctoritate *Boemica* gratiosiùs confirmamus: decernentesAuctoritate Regia prædicta, & volentes expresse, ipsa & ipsas in omnibus suis punctis, clausulis, sententiis & articulis, ac si de verbo ad verbum præsentibus forent inserta & insertæ, perpetuam in antea obtinere roboris firmitatem. Nostris tamen & quorumlibet aliorum Juribus semper salvis, præsentium sub Regiæ nostræ Majestatis sigillo testimonio litterarum.

Datum *Pragæ* Annô Domini MCCCCXI. die 17. Martii Regnorum nostrorum annô Boëmiæ XLVIII. Romanorum verò XXXV.

XCIV.

Sententia à Nicolao de Sava, Regni Hungariæ Palatino promulgata, super hæreditate Eyslaunichanæ & Herkenianæ familiæ.

1411. *Ex autogr.*

NOs *Nicolaus de Sava* regni *Hungariæ* Palatinus & Iudex Cumanorum, memoriæ commendantes, tenore præsentium significamus, quibus expedit universis, quod in congregatione nostra generali universitati Nobilium *Nitriensium* & *Tringinensium* Comitatuum feria secunda proxima ante festum Beati Martini Confessoris propè villam *Zelchen* celebrata, *Clemens* filius *Wartholomei de Eyslaunicha* de medio aliorum exurgendo proposuit eo modo, quomodo Nobilis Domina *Anna* vocata, avia sua, & Nobilis Domina mater *Johannis, Petri* & *Nicolai* filiorum *Herke* de eadem sorores extitissent utrinæ, filiæ scilicet Dominæ *Elizabet*, filiæ quondam *Maraz* de dicta *Eyzlaunicha*, medietasque possessionis *Eyzlaunicha* prædictæ, eoque eadem Iuri femineo attineret, ipsorum esset, cujus medietatis majorem partem *Petrus* filius *Jacobi* de eadem *Eyslaunicha* occupando conservaret, verum tamen esset, ut ipse ac successores præscriptorum *Johannis, Petri* & *Pauli* filiorum *Herke* in Dominio alicujus partis ejusdem medietatis existerent. Et ibidem primò duas literas nobis præsentavit, quarum prima Domini *Nicolai* de dicta *Sava*, Patris nostri carissimi, olim similiter Palatini affirmatoria quarto decimo die Congregationis suæ generalis Universitati Nobilium *Nitriensium* & *Trinchiniensium* Comitatuum prædictorum, feria secunda, proxima ante festum Beati Jacobi Apostoli in Anno Domini Millesimo, Trecentesimo Octuagesimo primo præterito, propè Civitatem *Nitriensem* celebrata. Emanata declarabat, quòd Vicecomes, Judices Nobilium, Juratique Assessores dicti Comitatus *Trinchiniensis* ad petitionem dicti *Nicolai* filii *Herke* per ipsum Dominum *Nicolaum* Palatinum requisiti ad fidem eorum DEO debitam, fidelitatemque Dno Regi, & suæ sacræ Coronæ Regiæ conservandam, pro dicenda veritate & justicia observanda, tacto vivificæ Crucis ligno, præstitam taliter affirmâssent, quòd præscripta Nobilis Domina *Elizabet*, avia ipsius Nicolai filii *Herke*, filia fuisset præfati quondam *Maraz de Eyzlaunicha* prædicta, & quòd ipsa possessio *Eyzlaunicha* Iuri femineo attineret, cujus medietas præscripta *Nicolao* filio *Herke*, alia verò medietas ante fato *Petro* filio *Johannis*, item *Georgio*, *Jacobo*, *Nicolao* & *Philippo*, fratribus suis, præmisso titulo avitico pertinerent.

Secunda verò earum Capiti *Nitriensis* privilegialis, decimo die feriæ quartæ proximæ ante Dominicam *Reminiscere* Anno Dni M. CCC. LXXXIII. confecta denotabat, quòd præfati Domini *Nicolai de Sava* Patris nostri & ejusdem Capituli *Nitriensis* homines præscriptam medietatem ipsius possessionis *Eyzlaniche* cum suis utilitatibus, præscriptis *Joanni* & *Petro* filiis *Herke* statuissent Jure ipsis incumbenti, perpetuo possidendam.

Adhuc idem *Clemens* duas literas præfati Capituli *Nitriensis* Ecclesiæ privilegiales, unam feria tertia proxima post Dominicam *in excelso throno*, & aliam octavo die feriæ sextæ proximæ post Dominicam: *Invocavit*, ambas anno Dni M. CCC. XCVI. editas nobis præsentavit, explicantes, quòd præfatus *Johannes*, filius *Herke* ad ipsius Capituli *Nitriensis* accedendo præsentiam confessus fuisset, quòd ipse tertiam partem portionis suæ possessionariè in eadem *Eyzlaunicha* in Comitatu *Trinchiniensi* habitæ, præscripto *Clementi*, filio *Wartholomei* & Nobili puellæ, *Elene* vocatæ, sorori ejusdem cum suis utilitatibus universis, ad eandem tertiam partem spectantibus dedisset, contulisset

& reſignâſſet Jure perpetuo & irrevocabiliter in filios filiorum heredum per heredes tenendi pariter & habendam, quam tandem regius & dicti Capituli *Nitrienſis* homines, literis in eisdem conſcripti, eisdem *Clementi* & Dominæ *Elene* ſorori ſuæ, nullocontradictore apparente, ſtatuiſſent. Quibus quidem literis exhibitis præſcripto *Petro* filio *Iacobi* exurgente, & præmiſſa allegata annotati *Clementis* in ſuperioribus prænarrata variatione ſine omni ſuo modo ex iſtis affirmante, *Georgius de Zthanch* exurgenda, retulit tali modo:

Quoniam præſcripti *Nicolaus*, *Petrus* & *Iohannes* filii *Herke* de medio ſublati haberentur, qui tres ſorores, *Dorothea*, *Elena* & *Anna* vocatas ſuperſtites haberent, & quòd Dna Martha filia annotati *Nicolai* filii *Herke* in rerum natura eſſet, præſcriptis *Clemente* filio *Wartholomei* & *Petro* filio *Iacobi* hæc non abnegantibus; unde licèt hactenus dictus *Clemens* filius *Wartholomei* cum præſcripta Dna *Elena* ſorore ſua tertiam partem portionis præfatorum filiorum *Herke* in dicta *Eyzlaunicha* habitæ tenuerint & poſſiderint: Tamen quia & vigore dictæ literæ affirmativæ ſub præmiſſo titulo avitico, medietas ejuſdem poſſeſſionis *Eyzlaunicha* præfatorum filiorum *Herke* ac *Clementis* & Dominæ *Elene* ſimul, reliqua verò medietas præſcriptorum filiorum *Iacobi*: Illa etiam medietas quæ præfatorum filiorum *Herke* præfuiſſet, partim ipſius *Clementis*, partim verò dictarum trium ſororum eorundem filiorum *Herke*, Dominæ etiam Marthæ, filiæ præfati *Nicolai Herke*, eſſe & exiſtere lucidè reperiebantur, pro eo, cùm vicecomite, Judicibus Nobilium, & Juratis aſſeſſoribus dictæ noſtræ congregationis illam medietatem prætactæ poſſeſſionis *Eyzlaunicha*, quæ circa manus præſcriptorum filiorum *Iacobi* hactenus extitit, eisdem cum his, quibus congruit, relinquentes, aliam medietatem, ipſius poſſeſſionis, illam, ut puta, quam præſcripti filii *Herke*, nec non *Clemens* poſſederunt, in una recta & æquali medietate, eidem *Clementi*: In alia verò ſimiliter æquali medietate, præſcriptis tribus ſororibus eorundem filiorum Herke, nec non Dnæ Marthæ filiæ præfati *Nicolai* filii *Herke*, adjudicantes relinquimus & committimus eis in heredum per heredes jure eis ex præmiſſis attinenti, cum cunctis earundem utilitatibus in æviternum tenere & habere, ſalvo jure alieno, auctoritate noſtra judiciaria mediante. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam, præſentes literas noſtras privilegiales, pendentis authentici ſigilli noſtri munimine roboratas, eidem *Clementi* filio *Wartholomei* duximus concedendas.

Datum ſedecimo die Congregationis noſtræ prædictæ, in loco memorato, Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Undecimo.

XCV.

Epiſtola invectiva Matris Eccleſiæ in contendentes de Papatu G. Io. P. auctore, ut videtur, Stephano Priore Cartuſiæ Vallis Ioſaphat.

ALma Mater, Catholica & Apoſtolica Eccleſia, unica, & virgo ſine ruga, ſponſáque boni Paſtoris JESU CHRISTI illibata, maledictis filiis maledictisque Paſtoribus de Papatu contendentibus, & in Cathedra peſtilentiæ damnabiliter præſidentibus, ſummis, ut dicitur, Principibus Sacerdotum. *Circ.* 1415. *Ex Cod. Gemmicenſ.*

Ad vos, Filii Belial, hæc rudis epiſtola, exordii dignitate privata dirigitur: ad vos filii Effrem eſt hoc verbum malè tendentes arcum, pœnisque ſagittas emittentes. Contra vos, nempe paſtores Aſſur ſuper ovium craſſitudine diſceptantes, loquar in amaritudine animæ meæ, conquerarque verbis dolore pleniſſimis Deo ac Domino ultionum. Si teſte Apoſtolo *quæcunque ſcripta ſunt, ad veſtram* præ cæteris *doctrinam ſcripta* ſore, præſertim fideliſſima Prophetarum teſtimonia, noveritis. Quæ ad veſtræ confuſionis cumulum, tanquam faſciculos, colligens, ex ipſis contra vos invehi ac duro verborum certamine acriter contendere ſtimulor in præſenti.

O juſte Judex, Pater miſericordiarum & Domine. Si dolorum meorum immanitatem, quibus miſeram me matrem à filiis abortivis jamdiu paſſam intueris, ſique lachrymarum, non quidem fœminei ſexus, ſed virilium de oculis meis manare conſpicis profluvios; cùm ſis ſummè miſericors, cur meas miſerias, faciem tuam avertendo, non advertis?

&

& qui cuncta vides, quomodo obliviscéris inopiæ nostræ & tribulationis, quæ ab insipientibus non tantùm mihi, sed etiam tuo nomini, tota die irrogantur? Quid est, quæso, quòd tu Custos Israël, qui nec dormitare nec dormire consueveras, tanquam fortis & crapulatus à vino, nunc à tot & tantorum fremitu peccatorum excitari non potes?

Exurge, quæso Domine, & adjuva exurge & libera, exurgens, intende judicio meo, & vide, quid patiar ab hostibus sub tui nominis clypeo contra me insurgentibus. An mala non vides, quæ nec cœli ambitus, nec abyssi profunditas, nec stillicidia, nec arborum folia, nec arenæ numerus, nec stellarum herbarumque varietas, sed nec animantium multitudo valent explicare ad perfectum? An odio tibi tuas oves existimas, quas usque adeò amare consueveras, ut ipsarum amore victus, cœli regnator DEUS, in terram humillimus descenderes, atque in crucem, homo mortalis, alacriter ascenderes?

O Custos hominum, quare me posuisti contrariam tibi, & facta sum mihimet ipsi gravis? O juste Judex, cur me ita judicas, ut me opprimendo, consilium impiorum adjuves? Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut, sicut videt homo, tu vides? Vides fortè, & diligis? Sed quid te retrahit, ne succurras? impotentia succurrendi? ac si non esses Omnipotens. Quid speramus? Num te tuorum terret hostium fortitudo? sed non puto; imò disputo, quòd sæculi superbia, & ambitionis effrænata ingluvies, homines pestiferi, se tibi DEO excelso parificant.

Infallibilis nempe Judex, & Arbiter incorrupte vide, ne, dum paucis, imò tribus tantùm, parcis, perdas innumeros; & vide, ne pietas sceleratis, bonis crudelitas, & innoxiis officiat severitas. Quid me sub tantarum ærumnarum congerie credis, nisi velis, posse diutiùs subsistere? si judex es, judica & vindica nocentes me, expugna impugnantes me &c. Discerne igitur causam meam contra filios abortivos, turpiùs de Papatu, quàm Gemelli in utero Rebeccæ pro primogenitatu, collidentes, & mea, ferocitate sua, distorquentes præcordia.

Tu judex & testis poteris esse legitimus, quòd ego eosdem filios non sine dolore parturiens, castis ablactavi, ac fœcundis enutrivi uberibus. Ipsos denique tantillos & inopes, erectos è stercore, sedere nedum cum Principibus, imò supra capita Principum tu conspicis. Nec est tibi curæ me solam in tanta securitate positam, adinstar civitatis in vastitate hostili, ministrando distrahi? méque, ut quondam Susannam pudicam à duobus inveteratis dierum malorum Sacerdotibus, quin imò turpiùs tertio concurrente rabidiori, zelotypiæ impudicis amplexibus attrectari?

O DEUS, judex justus, fortis & patiens! Nunquid mihi irasceris per singulos dies? Si justus es, & justè judicas, cur Spiritum pueri junioris, scilicet Danielis, non susCitas, qui mecum adversùs nequam Presbyteros consistat? Qui Angelum, habentem gladium versatilem, ut ipsos scindat per medium, non permittis, nisi quia patiens es, & præstabilis super malitia? Quis ergo, te nolente, consurget mecum adversùs operantes iniquitatem, & præsertim contra illusores & regnantes super populum tuum, qui teste Isaia circumsepti mendacio, malignari non cessant, ac si fœdus cum morte, & pactum cum inferno pepigissent?

Usquequo ergo, usquequò peccatores gloriabuntur, qui populum tuum humiliaverunt, & hæreditatem tuam vexaverunt, & quòd sequitur? O tu, qui bella conteris, & gentium dissipas consilia, quam ob rem homines pestiferos concitò non dissipas, qui tuam Sanctam & unicam tripartiuntur, tanquam *Tripolim* Civitatem?

O Pastor æterne, quid prohibet, quòd contra tot Pastores, pascentes semetipsos, & tot annorum lustris gregem tuum dispergentes, frameam non susCitas? Quamdiu vineam tuam Sabaoth per dolosas vulpeculas demoliri sustinebis? Pastores enim multi demoliti sunt vineam tuam, conculcaverunt partem tuam &c. Et quia dormitaverunt Pastores in peccatis, perditus est factus grex tuus. Pastores enim seduxerunt eos. Cùm enim impii sumpserint Principatum, ut scriptum est, gemet populus.

O crudelis & impia secta hominum, num nisi se & sua amantium! Quis nempe orbem sic per vos nefariè perversum relevabit? Quis demùm Sedem Petri per vestram ambitionem tripartitam resar-

ciet? Quis tandem ipſam delictorum veſtrorum contagiis exterget ſordidatem? Cur non timetis illud Propheticum: *Reddam*, inquit, *Vltionem hoſtibus meis, & eis, qui oderunt me, retribuam?* ac ſi, prout reor, dubitaretis: *Quomodo ſcit DEUS, an ſit ſcientia in excelſo*, qui iniquitatum abditarum ſolus & cognitor eſt & vindex? *Quomodo, qui plantavit hominem, non arguet, aut qui finxit oculum, non conſiderat?* Ipſe enim ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt, veſtræ autem vaniſſimæ.

Num vos eſtis illi, qui teſte Jeremia abominationem deſolationis in templo facientes, erubeſcere neſciiſtis? Corrucre igitur in die Viſitationis Domini vos oportet. Væ, inquit, Iſaias vobis, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, domumque domui coniungitis, & civitatem, ùt dicit Habacuc, in ſanguinibus ædificare non ceſſatis. Vos præterea, ut teſtatur Princeps Apoſtolorum, cuius Vos eſſe ſucceſſores falsè prætenditis, maledictionis filii animas pelicientes, inſtabiles cor in avaritia habetis penitùs excæcatum, quique in via Balaam errando inceditis, ut tandem mercedem iniquitatis reportetis. Vos etiam fontes ſine aqua, & nebulæ exagitatæ turbinibus & ſepulchra non immeritò dici poteritis dealbata. Vos equidem ſal infatuatum, Principes infideles, ſocii furum, diligentes munera, retributiones expectantes. Vos denique coloratii & pictores obſtinati, qui templum Domini Sanctum diverſa vitiorum manèria ignominiosè depingere, ac Altare Sacro-Sanctum iam luſtris ſex continuè polluere non ceſſatis. Nec fortè unquam, in quantum veſtra experit ambitio, ceſſaretis, niſi quia Pater miſericordiarum, & DEUS totius conſolationis, non in æternum iraſceretur, ſed pauperum ſuorum his diebus miſerebitur, rumpetque faciliter veſtrarum iniquitatum triplicem funiculum, quo ſic quaſi indiſſolubiliter fueratis circumplexi.

Tempus enim miſerendi venit, in quo potentes de ſede potenter ejiciet, diésque veſtros quàm citò breviabit, quoniam ſcriptum eſt: *Omnis potentatus vita brevis, & maximè malæ fidei præſidentis.* Tempus præterea viſitationis Domini advenit, in quo niſi citò reſurrexeritis, *inter corruentes*, ùt dicitur Jeremiæ 6. *cadetis.* Et illud Pſalmographi, *ibi*, inquit *ceciderunt, qui operantur iniquitatem; expulſi ſunt, nec poterant ſtare.* Et iuxta Amos ſententiam, ſi aſcenderitis in cælum, indè detrahemini in ruinam. Avaritia enim in capitibus veſtris, ùt idem inquit. Vnde noviſſimum ex Vobis interficiet populi iudicantis gladius. Venit enim plenitudo temporis, in quo, translato Sacerdotio, legis translationem neceſſe fieri oportebit: & quia teſte Scriptura, multi Tyranni ſederunt in throno, inſuſpicabilis portabit diadema, ceſſabítque unctio veſtra.

Qua de re non incaſſum Principes populorum congregati ſunt, & convenerunt in unum. Aſtiterunt etenim Reges terræ, & Principes convenerunt in civitatem Domini virtutum: conſtantiſſimè ſteterunt adversùs vos Dominos, quin imo contra Dominos & Principes tenebrarum. Congerunt nempe Pontifices non Phariſæi, ſed contra Vos Phariſæos, ſalutare Concilium ad hoc potiſſimè, ut vincula veſtrarum iniquitatum intrepidè diſrumpentes, iugum de collo filiæ Sion potenter proijciant, meque a Pharaonica liberent & redimant ſervitute. Ad hoc præterea convenerunt, ut capite tricipiti & quodammodo horrendo naturæ prodigio detruncato, membris decentibus aliud & unicum, conforme & debitum ſurrogetur.

Ecce enim iam ſecuris poſita eſt ad radicem: jámque in ſecuri & aſcia, illa ficus vacua & arbor peſſima decurſus aquarum *Neapolis* radicata, & in abyſſo iniquitatis complantata, ſtirpetenus evulſa, patiatur excidium, ne ampliùs fructus ſui putredine vineam Domini Sabaoth corrumpat fœtoribus. Quæ niſi ſucciſa & ejecta fuerit, extendet palmites ſuos nequiſſimos uſque ad mare: *Vidi*, inquit, Propheta, *impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut Cedros Libani, & transivi, & ecce non erat, quæſivi illum, & ecce non eſt inventus locus eius.*

Hoc idem ſentite in vobis, vos duo inveterati dierum malorum, Domini inimici, ne, dum ſtare vos creditis, ſine mora ad caſum properare ſit neceſſe. Scriptum eſt enim: *Inimici vero Domini, mox ut honorificati & exaltati fuerint, deficientes, quemadmodum fumus,*

fumus, deficient: Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem ei diſperibunt. Iam non multa loquar Vobiſcum, nec veſtrorum cordium duritiem vobis exprobrare contendo, ſciens, quòd *perverſi*, ùt ſcriptum eſt, & præſertim inveterati, *difficilè corriguntur: Qui autem rectus eſt, corrigit viam ſuam.* Nec tanto fœdere naturæ vos corripiendo vobis afficior; cum vos, non filios, ſed veriùs privignos, de paternis laribus pridem in Concilio Piſano profugatos recognoſco, neque mea intereſt de his, qui foris ſunt, fatigari.

Tibi igitur, Fili perdite, qui tanquam adoleſcentior nocte, contingente te ex paternæ ſucceſſione hæreditatis particulâ, in regione diſſimilitudinis, famæ famelicus & honoris prodigus tanto tempore oberrâſti, loqui duriùs & virgis expedit te acrioribus caſtigare, ut correctus dicere poſſis; *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Scio enim, quia durus es, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea. Quem enim diligit Mater filium, caſtigat & corripit. Sed neſcio, cur te incorrigibilem diligere debeam, qui adhuc inermis iacens, innocentiæ ſtuduiſti eſſe inimicus? Nam tranſgreſſorem ex ventre vocavi te. Et qui, ut præceptis meis obſecundare debueras, te tuæ voluntati propriæ regendum commiſiſti, ut me matrem, teſte Scriptura, confunderes. Sed rurſus ſcriptum eſt: *Qui fugit, & confundit matrem ſuam, ignominioſus erit & infelix.*

Pœnitet igitur me, te feciſſe hominem: & te, ſi rectè intelligas, hominem huiuſmodi fuiſſe non delectet. Eatenus non impertinenter poteris lamentari poſt Propheram inquirens: Heu me, mater mea, ùt quid me genuiſti virum rixæ, & virum diſcordiæ in univerſa terra? Tu enim vix ablactatus, mox manus ad prælium, & digitos ad bellum docere ſtuduiſti. Artus denique robuſtos ad arma non ineptè componere ſatagebas, adeò, ut alter Achilles apud Italiam dicebaris.

Quis ergo, ſtulte hominum, tibi hoc infudit conſilium, ut tu inſignis armiger, & miles ſæculi ſic ſeverus, te ad otium Clericalis militiæ, ne dicam malitiæ, ſic inconſultè converteres, ut ſic à virtute in vitium te verteres tranſeundo? Mira res, ut vir bellicus loricâ indutus, femur accingens gladio, veſte nuptiali poſtergata, ſic audacter ad ſpirituales nuptias non vocatus ingreditur, ſed veriùs interdicitur! Dic, quæſo, quomodo & ad quid intrâſti, non habens veſtem nuptialem, ſed veſtimentum, teſte Iſaia, ſanguine permixtum? Dic, quo pacto portas dignitatis, tibi non modica conſperſo infamia penitùs interdictas, penetrare auſus fueris, & intrâſti? An fortè te Regem gloriæ & Dominum fortem in prælio autumans, portas Principum attolere præcepiſti, ut intrares? aut quomodo in montem Domini aſcendere, & ſtare in loco Sancto ſuo, nocens manibus & immundo corde, auſus ſis & fuiſti, niſi fortè in tuæ confuſionis diffugium falsò te *vocatum* prætendas?

An vocatus ſis, dubito. *Multi* etiam *vocati*, inter quos tu fortè te connumeras, *pauci verò electi*, præſertim ad tantæ dignitatis faſtigium. Sed quòd electus ſis de numero paucorum, & vocatus ùt Aaron, prorſus inficior. Vnde fortè tu te ipſum eligens intruſiſti, qui abiectus meritò eſſe debueras de Domo Domini, & habitare in tabernaculis peccatorum. Nam etſi fortè paſtorem ovium te fore decertabas contra regulam infallibilis veritatis, non niſi per oſtium intrare debueras. Tu verò, ut reor, nec per oſtium, nec per poſticum, ſed veriùs, ſicut mors in ovile Domini, intrâſti per feneſtras: Vel, ùt vulgaris de te canit opinio, quòd ligone aureo limen oſtii clanculò ſuffodiens, & moloſſis canibus, ne contra te latrare poſſent, buccellâ panis ora præcludens, ſicut fur & latro, in ovile ovium famaris intraviſſe. Quapropter & hi, qui te hoc modo intraſſe paſſi ſunt, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. Et quia in ovile non intrâſti per oſtium, extra ovile per tabulas ſive tectum deorſum præcipitaberis, ſi non fallo.

Quantùm autem pervigil ovilis cuſtos & paſtor fueris, quantisque in tanto culmine, ùt idolum, coruſcâſti præclaris virtutum miraculis, facta tua infallibile perhibent teſtimonium veritatis. Nempe ſi durè feras verborum meorum quaſi inſons acrimonias, teque ignorare diſſimules, quantas habuiſti, & nunc habes iniquitates & peccata: Si placet, ſcelera tua atque delicta oſtendam tibi. Si

autem mecum ampliùs diſceptare refugis, ecce Prophetam loco mei ſubſtituo: reſponde illi, & vide, an tu ſis ille, cuius ipſe præconia in ſui Pſalterii principio concinit, inquiens: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum; & in via peccatorum non ſtetit: & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.*

Beatus reverà fuiſſe potueras, ſi inventus fuiſſes ſine macula, & poſt aurum non abiiſſes, & in theſauris pecuniæ non ſperâſſes. Feciſſes profectò mirabilia in vita tua. Noſciebas, quòd nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam? Beatus ergo vir fuiſſe, non avarus, debueras. *Vir* enim *avarus*, ùt teſtatur Salomon, *deſtruit terram.* Item ſi beatus eſſe volueras, in conſilio impiorum abiiſſe & in via peccatorum ſtetiſſe, te penitùs dedecebat. Tu verò juxta conſiliorum tuorum conſilium, tales ſemper conſiliarios, qualis erat Achitophel, dilexeras, qui non te, ſed tua veriùs, diligentes, te infeliciter deciperent, atque deſpicerent te deceptum. Non enim tantum Rectorem & Dominum aliud conſilium habere oportuit, niſi quod terminos nullatenus ſuæ præteriret voluntatis, ſed veriùs voluptatis, ut verum ſit Salomonis Proverbium: *Qualis Rector civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Et illud vulgatum dicitur: *Qualis Dominus, talis & aggregata familia*, talibus & conſiliis diriguntur.

Præterea ſi vir beatus fuiſſe contendebas, in via peccatorum nedum ſtetiſſe, ſed etiam ambulâſſe multòminùs debueras. *Beati* enim *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Sed quia inquinatæ ſunt viæ tuæ in omni tempore, odiſti diſciplinam & proiecisti ſermones meos retrorſum: Aſtitiſti omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiſti. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas, & cætera quæ ſequuntur. Qua de re non miteris, ſi ſic gradiendo, templum Domini pompatiçè, ùt dicit Amos, ingreſſus es.

Sediſti igitur in Cathedra peſtilentiæ, de qua præcipitandum te ſcias in momento. *Arrogantia* enim *tua, & ſuperbia cordis tui*, inquit Jeremias *decepit te*: dominatúsque es hominibus in malum tuum. Non enim conſtitutus fueras ſuper gentes & regna, ut iuſtitiam evelleres, veritatem deſtrueres, fidem diſſipares; ſed ut plantares æquitatem, ac templum in ſanctitate & iuſtitia ædificare non ceſſares.

Rurſus tu, qui Pædagogus Chriſti fuiſſe decertabas, non in ruinam bonorum & in reſurrectionem malorum, ſed è converſo poſitus fueras tanquam ſignum ad ſagittam: Ecce quampluri-mos ad ruinam, & paucos, vel fortè nullum in reſurrectionem exemplariter provocâſti. Vnde ſignum, cui contradicetur graviſſimè, factus poteris dicere cum Ezechiele: *ad omne caput viæ ædificaſti me ſignum proſtitutionis tuæ.*

Tu denique rurſus ſuper ſpeculam poſitus, tanquam filius lucis, ſapientior filiis ſæculi fuiſſe debueras. Cur igitur tenebras plùs quàm lucem diligere, & noctem in diem vertere, & econtra, ſatagebas? Non enim dormitare nec dormire debet, qui cuſtodit Iſraël. Dormitaverunt, inquit Propheta, Paſtores tui, qui iuxta ſui gregis excubias, noctes inſomnes ducere tenebantur. Væ ergo paſtoribus Amos prædixerat dormientibus in lectulis eburneis. Nonne & tu ex illis es, quos obiurgando increpat Iſaias inquiens: *Speculatores eius cæci, canes muti, neſcientes latrare, & amantes ſomnia?* Propter quod David *media*, inquit, *nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Tu verò ventris cultor eximius, cùm totam ferè diem in lecto, tanquam porcus in volutabro, conſumeres: necesse te fuit media nocte ad gurgitandum plerumque conſurgere, ac Baccho, Deo vini, devotiùs confiteri. Non recolis, Holofernem per crapulam ſopori deditum infelices in lecto excepiſſe delitias? Non veteris te pridem ſomno deditum, per tuum coætaneum & ſocium *Ladiſlaum* Regem perditæ memoriæ, de Vrbe Regia, a ſomno tanquam ſortem & crapulatum a vino, turpiter & cum impetu excitatum?

O tui ferrei pectoris duritiem! Quantis oculus tuus deberet lachrymarum redundare profluviis, quòd ex tuæ ſomnolentiæ deſidia, civitas plena populo, capta, & quæ Domina gentium & Princeps provinciarum dici meruerat, facta ſit ſub tributo? Parvuli enim eius ducti ſunt in captivitatem ante faciem perſequentis. Virgines eius & matronæ pudicisſimæ, impudicè ab hoſtibus contrectatæ, ductæ ſunt in ignominioſam ſervitutem

vitutem, viris ipsarum & aliis, à facie gladii fugientibus, miserabiliter interemptis. Quamobrem memores erunt Romani Nominis tui in generatione & generationem, & memoriale tuum, in perpetuo defiendum, non delebitur in sæcula.

Nam & illa mater studiorum, *Bononia*, tui regiminis, sed veriùs tyrannidis, jugem habebit memoriam, in qua tanto tempore mirandis & execrandis coruscas miraculis & portentis. Nec immeritò. *Italia* tuum adventum suspirans flagitat, creditque & postulat, ut non priùs revertaris in *Italiam*, nisi cum Messia diutissimè è Judæa præstolato. Unde juxta Job sententiam, per viam, qua venisti in *Germaniam*, nec fortè per aliam ad *Italiam* reverteris.

Ob hoc, ni fallor, tædet animam tuam vitæ tuæ, quòd sic inconsultè dimisisti *Italiam*, in qua sicut Seraphin super pennas ventorum ambulabas. Sanè non usquequaque hoc modo fuerat ambulandum. Cautè enim consuluit Apostolus in diebus malis tempus redimendo ambulare.

Quis unquam mortalium, plurium malorum expertus est congeriem, quæ in diebus tuæ præsidentiæ, ne dicam desidentiæ, in toto ferè orbe terrarum sic subito surrexerunt? Unde bella Civilia? Cur super Reges & Principes effusa est contentio? Unde, quæso, scandala? unde rixæ & cætera mala in membris singulis traxerunt originem, nisi ex tuo capite enormiter vulnerato? Et velut ex adipe, teste Propheta, prodiit iniquitas, sic à te, tanquam à fonte fœtido, non modica scandalorum occasio scaturiit & defluxit. Vides etenim & fide palpare poteris oculata, quòd in tuo præsidio justitia perit, libertas obiit, victa est æquitas, libido regnat, sævit avaritia, fervet invidia, & omne genus hominum sua gaudet tyrannide.

Nam & ego insignis aula, & arx divini cultus eximia, prædictis malis id agentibus, cœlestibus destituta gaudiis, spelunca latronum & navis fluctuans sine remige, tuis prô dolor! maximè temporibus demerui nuncupari. Jamque diu obducta fluctibus, triste passa fuissem naufragium, nisi humanæ perfidiæ Divina pietas occurrâsset. Turbari enim Petri naviculam dicit Scriptura Canonica, in qua Judas fuit, perire* non debuit, dum ipso ejecto mox cessavit quassatio. Sic non è diverso te tuisque complicibus, propter quos orta est hæc tempestas, ejectis cessabit maris effrænata insanies & tempestas. * Cod. perpetuam.

Quæ quidem navicula in mari magno & spatioso, referto reptilibus, ventis admodum agitata contrariis, te Draconem sibi illudere volentem, secum trans montes abduxit, & divino gubernata præsidio applicuit *Germaniam*, & ad portum voluptatis, *Constantiæ* sic quassata requievit. Ubi, quia ferè totius orbis viros in arte remigandi expeditos reperit, persistit fortiter anchorata, nec priùs inde quoquam moveri videbitur, nisi dato sibi fideli, unico & experto Patroni præsidio. Sub cujus tuto patrocinio non debebit timere naufragium, nec ampliùs tot fluctibus conquassari.

Hæc est nempe illa navis institoris, quam Salomon panem suum de longè portâsse præviderat. Quæ etiam merces incomparabiles, spirituali duntaxat pretio compensandas, copiosè adduxerat. Quæ veteris & novæ legis edictis publicis, ne cuipiam temporali pretio venderentur, prorsùs fuêre prohibitæ: solis tantùm egentibus & aliàs benè meritis gratuitæ, quia gratis datæ fuerant, non sine magna discretione eas dispensando. At tu insignis mercator, tantarumque rerum, ut credebatur, institor industrius & Patronus, licèt per antea tam per te quàm per tuos mercatellos in *Italia* & alibi non paucas de dictis mercibus, non obstantibus edictis prædictis, vendere & rem pro re commutare incessanter & indiscretè convinceris. Ultimò tandem volens cautius hujusmodi negotia facere, venisti ad nundinas per te in partibus *Germaniæ* aliàs convocatas, ubi dictas merces in publicum venditioni passim & emptioni expositas, lucratus es cum Simone non modicam pecuniæ quantitatem. Quæ, nisi pœnitueris, &, quantum in te fuerit, satisfeceris, te in perditionem detrahet & in abyssum.

Sed nec tui argutè proscenici trapezitæ seu campsores, sine quorum industria hujusmodi negotia & pacta fieri non commodè poterant, quia te jubente contra leges mercati sunt, legis pœnas minimè evadere poterunt. Qui etiam te permittente thesaurum immarcessibilem

&

& in agro abſconditum habentes pro nihilo, margaritas optimas & lapides pretioſos minimè verentur projicere ante porcos, vel ſaltem rem inæſtimabilem turpi pretio compenſare.

Taceo, quod plerumque rem uni ſemel venditam habita numerata pecunia, mox alteri vel pluribus eandem rem, ſi plus oblatum erat, illegaliter venundâſti. Nec propterea primo emenți ad reſtitutionem vel aliis ad - - compelli potueras, te allegante, quòd legibus mercantium de fide ſervanda nullatenus tenebaris, omniaque tibi licere, etiam illicita, ex plenitudine poteſtatis, imò verius tempeſtatis.

Tunc demum, cùm jam paucæ rerum ſpiritualium ad vendendum reſtabant apud te reliquiæ, & haberes rem ſuſpectam, de villicatione nequam te ad rationem protrahi, & ad reſtituendum, quæ injuſtè receperas compelli horreſceres, patrocinium prædictæ navis, ſcilicet Papatum, ultimò vendere, vel ſaltem per pactum expreſſum, annuæ ſcilicet penſionis XXX. mill. floren. Eidem renuntiare decreveras. Et procul dubio feciſſes forum optimum, ſi quis ſecum numerata pecunia obtuliſſet. Sed, ut alibi dicitur, *Nemo illi dabat.*

Sanè igitur, dum te negotiis ſolitis ſic conſtanter incumbentem Sacer Clericorum Conventus conſpiceret, audiretque multorum gemitus, quos tuæ avaritiæ ingluvies non mediocriter uſque ad ſanguinem emunxerat, quibusdam ſe in contractu emptionis ultra dimidium juſti pretii defraudatis, aliis nullatenus demeritis & invitis de loco nobili ad ignobilem per te translatis conquerentibus; multis perpetua ſilentia . . . ad infernum, motus proprios, commiſſiones - - - - & abſurdas & his ſimilia contra te & tuos ſuccurſores audacter opponentibus: tu, ut oculos ſimplicium tua excæcares cordis cæcitate, ceſſurum te bonis ſimulando oſtentans, ad novum genus & apud te nusquam ſolitum, ſcilicet ad hypocriſim, te converriſti, ut ſic plagas pro tuis demeritis condignas evaderes. Propter quòd de lupo agnum, de Saulo Paulum, & de pirata Monachum, te ſubdola cordis fictione conſimulans, veteriſque hominis quaſi abjectis exuviis novum hominem induere in oculis hominum videbaris, dum ſcilicet ad cedendum Papatui verbis, ſcriptis ac jurejurando in cordis falſitate ſpoponderas, ac pacem promittendo gladium mittere in terram ſubtiliter molitus es.

Vir peſſime & Judæ Iſcariotæ diſcipule, qui ut Chriſtum traderet, oſculum audacter obtulit, quod tamen in pectore non habebat! Ah vulpes argutiſſima, quot & quantos tunc tua deriſit ſimulata devotio, quamque ſubdola hypocriſis ſcivit Chriſti fidelibus hoc modo illudere, ut & ille Rex Romanorum mitiſſimus, Cæſareis fulcitus inſigniis, zelo fidei ac pacis futuræ admodum inflammatus, flexis humi popliribus pedes tuos ſordidos oſculari minimè fuerit dedignatus! Alia præter hæc inaudita præconia, tibi, non tibi, ſed Petro fuerunt concorditer acclamata. Ecce laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur! Nam, ut autumo, lætari poteras in animo, cùm malefeceras, & in rebus peſſimis ultra ſolitum delectari. Utinam in te non ficta, aut ſuperba, fuiſſet humilitas, ut tunc voci tuæ vocem virtutis dare, & Altiſſimo vota reddere ex debito ſtuduiſſes! Sed, quia de te ſcriptum non ambigis illud, ſcilicet: *Eſt qui ſe nequiter humiliat, interiora ejus plena ſunt dolo, lingua omnium fallax* ùt dicunt Parabolæ, *non amat veritatem*, non indigneris igitur, ſi de malo opere, cùm bonum feciſſe potueras, lapidaberis; ut verum ſit Sapientis proverbium: *Propter peccata labiorum ruina proximat malo.*

Os enim tuum, ut teſtatur Pſalmographus, abundavit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos. Tu etenim, ſicut novacula acuta dolum faciens, gloriabaris in malitia, non dubitans, quia, qui gloriantur, exterminabuntur. Unde tibi dictum eſt per Prophetam: *Propterea*, inquit, *DEUS deſtruet te in finem, evellet & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.* Inclinaberis, & cades, cum dominatus fueris pauperum. Videbunt ergo juſti, & timebunt; & ſuper te ridebunt, & dicent: ecce homo, qui non poſuit DEUM adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum & prævaluit in vanitate ſua.

Scriptum non dubitas Habacuc præſagium: *Væ*, inquit, *ei, qui multiplicat*

cat

cat non ſua, ac contra ſe aggravat denſum lutum. Nunquid non repente conſurgent, qui mordeant te, & ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis? Quia exſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis. Væ, inquit idem, *qui congregat avaritiam malam domui ſuæ, ut ſit in excelſo nidus ejus; & liberari ſe putat de manu mali.*

Nunquid non fuit hæc vanitas vanitatum, imò ſumma dementia, velle Deo, qui ſcit cogitationes hominum, illudere, & in lingua ſibi mentiri, ac ſi non eſſet ſcientia in Excelſo? ipſiusque iram vindicem propter tantæ prævaricationis inſaniam, ac ſi ſibi eſſet ſimilis, non timere? Nunquid non dixit DEUS tibi: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtimonium per os tuum?* Sedens enim in tanti culminis faſtigio, loquebaris adverſùs fratres tuos (ſcilicet Prælatos in Concilio) mendacia, & adverſùs filiam Matris tuæ, ſcilicet eccleſiam, ponebas ſcandalum. Hæc feciſti, & tacui; exiſtimâſti iniquè, quòd ero tui ſimilis. Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.

Quamobrem quia odiſti diſciplinam, & noluiſti intelligere, ut benè ageres: noluiſti præterea benedictionem, elongabitur à te, imò veriùs tu à benedictione paterna elongâſti temetipſum. Et qui ùt lucerna ſuper candelabrum poſita his, qui in tenebris ſedent, illuxiſſe debueras, dum medium ſilentium tenerent omnia, obductus tenebroſa noctis caligine, amictu velatus apoſtatico, ſicut gigas ad currendam viam accinctus gladio ſuper femur tuum, de *Conſtantia* inconſtans, ut eſſes inconſtantior, tu te tibimet inconſtantiſſimè abduxiſti: Qui XXI. menſis Martii, aliàs in Feſto S. Benedicti ut maledictus de nocte aufugiſti, ut ires in viam gentium, elongaſti fugiens & manens in ſolitudine.

Hæc profectò tua fuga te profugum & vagum, ſicut Cain, faciet ſuper terram; atque te ſic errantem tantus timor accipiet, ut ſolus temetipſum, ſicut ovis, quæ periit, reperire non valeas. Tunc quippe dicere poteris cum Propheta: *in via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueum* ſuperbi *mihi. Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognoſceret me. Periit* ergo *fuga a me*, & quòd ſequitur: Dices ergo: *intende ad deprecationem meam, quia humiliatus ſum nimis; libera me à perſequentibus me, quoniam confortati ſunt ſuper me. Educ de cuſtodia animam meam &c.*

O tuam ſtupendam dementiam! Cur fugis? Quis timor te ad fugam tantæ ignominiæ impulit, ut velociùs à finibus vitæ ad portas mortis accurreres? Si mortem refugis, hanc profectò ſic fugiendo & timendo quàm citò reperies. Timidis enim & ſuſpectis aptiſſima mors eſt. Cur times hoc, quod neceſſe eſt te nullatenus evitare? Si mortem horres, fallis. Quid enim te tantis objurgatum ſceleribus mors tua delectaret, cùm omnipotens, qui morti imperat, in morte peccatorum minimè delectetur? Quid putas, quòd pretioſa in conſpectu Domini mors tua, ſicut Sanctorum, fuiſſet reputata? Abſit à ſæculo. *Mors enim peccatorum peſſima*, dicit Propheta. Quis namque, niſi mentis inops, te ſic mori indiſpoſitum citra pœnitentiæ fructus ad mortem corporis & animæ aſpiraret?

Vano igitur timore concuſſus, ubi timor non erat, trepidans te ad fugam converiſti, non ut mortem, ut prætendis, ſed ut diſciplinam matris effugeres, ut ſcriptum eſt: *ab increpatione tua fugient.* Increpandus nempe & corrigendus meritò, te ſponte offerre debueras, quatenùs caput tuum ſuperbiæ refertum ulceribus, pectine paternæ correctionis purgatum ſanaretur: manus denique repletæ muneribus, ceu avaritiæ puſtulis, ſcabie admodum deformatæ, forti lixivio ab omni prorſus prurigine lavarentur. Cæteræ tui corporis ultra modum vitiatæ & oppilatæ compages, à planta pedis uſque ad verticem variis conflictæ doloribus, aceto pœnitentiæ & demum oleo miſericordiæ perunctæ, redditæ fuiſſent priſtinæ ſanitati. Et ſicut exhibuiſti membra tua immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ſic conſulente Apoſtolo exhibere debueras membra tua ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Eatenus à correctione tibi præſumere neceſſaria, nedum fugere, non debueras: Quin imò te corrigendum exhibere tenebaris, cùm & Propheta, ſe corripi deſiderans, ait: *corripiat me juſtus in miſericordia, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Cæterùm non ſine gravi admiratione te ferè totus orbis ad fugam ſic turpem converſum deridet & cauſatur, quid & quem timere debueras, tot & tantorum piiſſimorum Patrum, & Virorum quoque fortium ſtipatus aciebus. Nunquid lupum venientem aut irati Neronis vidiſti ſævitiam, ut ſic attonitus Paſtor gregem Chriſti, pro quo mori dubitare non debueras, ſcandaloſe deſereres & fugeres, ſciens, ſcriptum eſſe, quòd, qui perſtiterit, non autem qui fugerit, ſalvabitur? Et ſi, ut reor, falſè prætendas Regem Romanorum tibi fuiſſe infeſtum, vel aliàs operibus tuis contrarium, verum fateor: non tibi, ſed tuis obſtans operibus, meritò debuit, licèt noluit, ut potuit, nedum gravis viventium, fuiſſe graviſſimus contradictor, teque ſic furtim & clanculo, ut tibi videbatur, fugientem fortiter reducere juxta votum.

Quid ergo ad tuæ excuſationis titulum, ut fugeres, allegabis, neſcio, niſi illud, quod inquit Salomon: *fugit impius nemine perſequente.* Rurſus & ſi fugâ neceſſe tibi fuiſſet, dic, quæſo, quo fugis? Revera neſcis: quorſum tendas, ignoras, & quò tandem ducendus eris, penitùs ignorabis. Neſcis enim juxta Salomonis ſententiam, quòd ſicut bos duceris ad victimam: ut hoc modo, fugiendo ignem in prunas incideres, vel, ut veriùs Job ſe offert præſagium, fugiens arma ferrea in arcum æneum incidiſti.

Sed quò fugis, Paſtor optime, ovibus in ſolitudine penitùs derelictis? Num non audis te per Zachariam à turpi fuga hoc modo revocari: *O paſtor & idolum derelinquens gregem! Revertere, revertere Sunamitis.* En hoc modo, Paſtor bone, Paſtoris æterni ſectaris veſtigia, ut nomen digniſſimum Paſtoris ſic fugiendo, in ignominioſum mercenarii nomen non immeritò commutaveris. *Mercenarius* enim, inquit Veritas, *fugit, quia mercenarius eſt* &c.

Præterea & ſi Paſtoris titulo gloriari non curas, nec tibi eſt cura de ovibus; dic, quæſo, te precor, quomodo de Civitate munita in Idumæam, aut quomodo de templi pinnaculo à Spiritu Pithonico duceris in deſertum, ubi non mediocriter tentatus à Diabolo, Miniſtros tuos advocas & allicis, ut ipſos calamitatis tuæ faceres eſſe participes, & tandem in foveam, quam feciſti, ut cæcus cæcos, perduceres ad ſpeluncam? Ubi enim corpus, ibi & aquilæ congregari, ſicut ſcriptum eſt, conſueverunt. Sic non è diverſo tui proſcen. . . te licèt tranſfugam & deſertorem ſequi debuerant. Veriùs tamen prædam, non hominem, ſequuntur.

O te magni conſilii Principem, qui paulò ante fugam purpura & byſſo circumdatus, ſedebas in ſolio, ac epulis ſplendidis utebaris! Neſciebas, quòd grandes ac obſcænæ delitiæ, ac divitiarum coacervata cupiditas de tanto feraliores ac inſperatas meras excipiant, de quanto ipſarum alumnus ſe extulit præ cæteris in eiſdem? Eatenus te pudet, me miſeret, ut tu vulpis aſtuta à gallina ſimplici ſic pulchrè deciperis, & teneris, ac duceris, imò reduceris, quò tu non vis, ut ſic aurea libertate deperdita ad ſervitutis ignominioſæ Ægyptum ſic aufugientem, remeare non ſine ingenti pudore te oporteat. Credebas enim, quòd, ſicut in exitu Iſraël de Ægypto, ſic & tu de populo barbaro in nocte effugeres. Sed ecce de domo Jacob in Barbaros, & de Jeruſalem tranſiens in Jericho, per deſertum in latrones incidiſti.

Die, cur & quid eſt tibi mare, ne dicam, amare, quòd fugiſti, ex quo tanquam Jordanis converſus es retrorſum, licèt invitus? Credebas forſan, quòd ſicut fugientibus Iſraëlitis de Ægypto, ſic & ex fuga tua montes exultare debuerant ſicut arietes? Quódque ſicut à facie Domini pro tunc mota eſt terra, ſic & nunc te profugiente putabas terram commoveri, & fundamenta montium conturbari? Verùm quòd non fruſtra conturbari debuit omnis homo, ſed fortiùs propinquitate tua ſic fugiendo turbari poteras, ſicut pelles terræ Madian, egreſſus es in ſalutem populi, & fugiſti. Te namque fugiente, tecum profuga facta eſt iniquitas de medio terræ.

O fuga nimium beata, quæ ineffabiles malitiæ & nequitiæ fugas tenebras, negotium quoque peſſimum & Dæmonium procul in exilium propellis meridianum! Hæc nox fugæ tuæ feliciſſima, ſicut dies illuminari promeruit, quæ velut dies mundo ſanctificata illuxit. Hæc nox illa, de qua ſic ſcriptum eſt: *Nox nocti indicat ſcientiam.* Sic te Ducem Dux *Auſtriæ* ſecum inducens in tentationem, à malo liberare non potuit.

Sicque

Sicque uterque veſtrûm in foveam, quam feciſtis, fortuna nobis favente collapſi, cùm alios ſalvos aliquando feceritis, vos ipſos ſalvos facere non poteſtis.

Sanè ſi tu verecundiæ ſqualores detergere, ac ad excuſandum excuſationes in peccatis allegare prætenderes, qualiter bona confidentia ductus ſis, & de Principibus minimè diffidere debueras, erras. Nam ſcriptum legeras in Propheta: *Nolite*, inquit, *confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.* Et illud: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Si enim in Domino confiſus fuiſſes, trans migraſſes per montes, ſicut paſſer. Qui enim, ut vulgò dicitur, facile credit, facilius decipitur. Quamobrem *ſcio*, inquit Apoſtolus, *cui credidi, & certus ſum, quòd potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Non indignor, quia tibimet, me inconſulta, tale dediſti conſilium. Unde & tibi imputes, ſi ætas tuum, ut dicit Ezechiel, effunderetur, tuaque ignominia fuerit revelata. *Ponam* igitur, juxta Iſaiæ Conſilium, *circulum in naribus tuis, & frænum in labiis, & reducam te per viam, per quam non veniſti.* Quique in viam gentium & in diſperſionem per loca inaquoſa & arida, quærens requiem & non inveniens, egreſſus fueras, in domum, de qua exiiſti, reverſus, ipſam tuis per prius *refertam Simoniæ pulveribus, ac luto avaritiæ defœdatam, ſcopis Scripturarum purgatam reperies. In quam dum reverſus fueris, te tantis maculis labefactum non dubites purgaturum. Sic enim David, non paucis iniquitatibus ſe gravatum ſentiens, petiit hyſſopo aſpergi, & demum ſuper nivem mundatus dealbari. Nec tibi diſpliceat, quemadmodum ægrotus medicinam plerumque refugit, ſi, te adducto, ad modicum carnis tuæ putredo ferro correctionis abſcindatur.

*al. propriis.

Nec obſtat, ſi renitens & invitus remeare cogaris. Craſſæ enim gallinæ, quia per ſe ad forum non veniunt, ligatis pedibus communiter apportantur. Nempe quia inſalutato grege, clam ipſum deferendo, aufugeras, inconſentaneum rationi fieret, ſi grex tibi invito revertenti occurreret, ac in tuæ laudis exurgens præconia, illud, quod pueri Hebræorum in occurſu Salvatoris concinebant, concineret: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sufficit ergo te veniſſe. Adveniſti igitur deſiderabilis! Deſiderabilis ſiquidem non ad hoc, ut ovium adipem emungas de cætero, ſed ut tu ex adipe ovium primò impinguatus, incraſſatus, dilatatus, tanquam is, qui dereliquerat DEUM factorem ſuum, Paſtoris ampliùs nullatenus fungaris officio; ſed nec nomen mercenarii mereris.

Non te ergo tædeat, ſi de tenebris ad lucem, & à viis perditis & lutoſis ad viam reductus es puriſſimæ veritatis, juxta illud Iſaiæ: *Adducet* inquit, *Magiſtratus, ſicut lutum.* Adductus es tu, qui oves alias, etiam proprias, ad ovile unicum reducere non curabas: Ut verum ſit, quod ſcriptum eſt: *adduxi eum, & directa eſt ſemita ejus.* Unde non impertinenter dicebat Apoſtolus, quòd *benignitas DEI ad pœnitentiam te adduxit.* Quid ergo nunc, te adducto, tibi conſulis, ut ſciàs reſpondere exprobrantibus verbum? Quomodo juſtificaberis in ſermonibus tuis, cùm iniquitates tuæ ſupergreſſæ ſint caput tuum? niſi dicere velis cum Propheta: *Factus ſum, ſicut homo non audiens, & non habens in ore redargutiones, amici mei & proximi mei adverſum me ſteterunt &c.*

Væ tibi, ut qui tanta mole obrutus peccatorum ad tanti ſtatus apicem conſcenderas! En Lucifer, qui manè oriebaris, præcipitaberis ſine mora. *Peccàſti enim, & ejeciſti te*, inquit Ezechiel, *de monte Sancto DEI. Quid* ergo *profuit tibi ſuperbia*, dicit Salomon *aut divitiarum iactantia?* Ubi ſunt Dii tui aurei, in quibus habeas fiduciam? Surgant & opitulentur tibi, & in neceſſitate te protegant; ac in mendicitate & ferro vinctum eripiant? Ubi ſunt Palpaniſtæ tui, qui te in ſummo tanti faſtigii titubantem, beatum dixerunt, cui hæc ſunt, ut te ſic deciperent, cùm ſcriptum ſit: *Populus meus, qui te ſanctam dicunt, ipſi te decipiunt.*

Argutus Poëta dicebaris: ſed illud Sapientis, ſcilicet Franciſci Petrarchæ, non legeras, qui contra te tibique ſimillimum, temeritatis audaciam invehit, inquiens: *Summi Pontificatus Sedem tenes? non tenebis diu. Brevis eſt vita hominum, brevior Regum, breviſſima Pontificum. Namque*, inquit,

Sedes ſublimior, caſus gravior: Vixque ex alto ſine periculo aut labore deſcenditur. Hæc ille.

Vides etenim, qui pridie omnes iudicaturus fueras, nunc ab omnibus iudicaris: & inimici tui ſunt iudices, qui te diiudicent, qui mores perditiſſimos arguentes diſtorqueant, famam lacerent, vitam turpent penitùs depravatam. Præterea quidquid uſquam mali in toto ferè orbis ambitu eſt, vel factum fuit, ex te tanquam ex adipe ac ex fonte unico dicetur prodiiſſe. Tu enim diſcordiarum ſceleruméque cauſa unus vocaberis. Hoc quippe ignorare non debueras, quòd ſummi Pontificatûs officium, ſi ritè geritur, ſummus honor, ſummumque onus, ſumma ſervitus & ſummus labor ſit. E diverſo, ſi malè gubernatur, ſummum animæ periculum, ſummum malum, ſumma miſeria, pudorque ſit ſempiternus.

O Vertigo morum peſſima! Quid eſt, quod pro Papatu, tanquam probravio, certatim in agone contenditur? Quondam enim ad tantum honoris, ſeu verùs oneris, aut trahi aut compelli conſueverant Pontifices: fuitque aſſenſus ad Papatum, ac ſi ad martyrium quis traheretur. Nunc verò ſordidis munerum ac ſponſionum pactis ſpes Sacerdotii emitur pinguioris, a quo nec minis retrahi, nec æternæ mortis interitu ullatenus poterint revocari. Jamque in cordibus talium, ſicut in clibano, tanta ebullit ambitio, ut non Chriſtianus pudor, ſeu clericalis modeſtia, ſed potiùs ardor indomitus & paganorum - - - videatur. Hucuſque Franciſcus Petrarcha.

Qua de re Sapiens pulchrè ad propoſitum ait: *Eſt malum, quod vidi ſub ſole, ſtultum poſitum in dignitate.* Impacati quippe temporis opportunitas, ùt alibi dicitur, te indignum ac longè extra Sacerdotale meritum conſtitutum, ad ſummum Paſtoratus faſtigium provexit. Tu verò, qui aſcendiſti ad DEUM malignè, abominabilemque feciſti decorem tuum, faciat tibi Dominus, ut ampliùs Sacerdotio non fungaris ſibi. Jam enim iudicium mundi advenit, in quo tu Princeps mundi ejicieris foras: & iuxta Verbum David, cùm iudicaberis, exibis condemnatus, & Epiſcopatum tuum accipiet alter, fientque dies tui pauci, in quibus dices: Heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt. Manducabis quippe panem doloris, & cum lachrymis potaberis in miſeria. * Et in hanc rem accipies DEI iudicium, ut ſcilicet, in quantum te extuliſti & in delitiis fuiſti, in tantum Scripturæ teſtimonio luctum recipias & tormentum. * *f.* menſura.

Ambiit igitur Dominus, ùt ſcriptum eſt, plagas tuas & perſeverantes infirmitates tuas, ad hoc, ut ſanus ſit Spiritus tuus. *Propter iniquitatem* enim, inquit Propheta, *corripuiſti hominem:* ut accedat illud Iſaiæ: *Propter audaciam eius percuſſi eum. Dereliquí eum*, inquit Ezechiel, *nudum & plenum omni ignominiâ.* Vnde non ſine cauſa, ùt ibidem ſcriptum eſt, *portabis confuſionem:* quia victiſti contendentes tecum tuis ſceleratis peccatis: ut verè & aptè dici poterit tibi per tuos complices contendentes: *poſuit Dominus in te iniquitates omnium noſtrorum.*

Præterea, quia in calculo negotiationis bonorum tanquam dilapidator graviter deficiens oberrâſti, iam ampliùs non poteris villicare. Prudenter ergo pro te feciſſes, ſi de Mammona iniquitatis, ad inſtar villici nequam, tibi amicos comparâſſes, non immeritò, tanquam ſervus inutilis eijciendus, qui ſerviens peccatis te *Servum Servorum* nequiter nominâſti. Quamobrem nequaquam ultrâ vocaberis *Joannes*, ſed *Balthaſar* erit nomen tuum: quod tibi non ſine grandi myſterio in unda baptiſmatis fuerat impoſitum. *Balthaſar* enim *Capillus capitis*, vel *abſorbens divitias* interpretatur in Scripturis. Capillus enim capitis per excellentiam dici non ſine cauſa poteris, cùm piloſus & hiſpidus tanquam Eſau fueris. Sed quòd *abſorbens divitias*, dictus ſis, veriſſimum reputo. Tu enim abſorbens divitias, miſerabiliter abſorberis ab eiſdem. Dicebas enim iuxta illud Apoc. *Dives ſum, & locupletatus ſum; & nullius egeo; & neſcis, quia miſer es, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* En, qui alios deprædatus es, num & tu ipſe, ùt ſcriptum eſt, deprædaberis? Habuiſti etiam teſte Iſaia, fiduciam in malitia tua, & dixiſti: non eſt, qui videat me. Sapientia enim tua & ſcientia tua hæc decepit te, & dixiſti in corde tuo: ego ſum, & præter me non eſt alter. Veniet igitur malum ſuper te, & neſcies ortum eius: & irruet ſuper te calamitas, quam non pote-

poteris expiare. Veniet itaque super te miseria, quam nescis. Laborâsti enim in multitudine maleficiorum ab adolescentia tua.

Quapropter nudabunt te iam depositum & ejectum vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui, & derelinquent te plenum ignominiâ, & adducent super te multitudinem, & condemnabunt te. Pudenda etiam tua, ùt dicit Nahum, in facie ostendentur gentibus; & omnis, qui videbit ignominiam tuam, resilier à te, quia pessima plaga tua. Omnes, qui audierint auditionem tuam, compriment manus super te, peribitque memoria tua cum sonitu, ducerisque super flumina Babylonis ad locum prorsus tibi incognitum, ubi sedebis solitarius & tacebis, dicesque cum Jeremia: *Solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me*: ibique in medio eius sedens suspendes organa tua, eruntque tibi lachrymæ tuæ panes die ac nocte. Et quia olim delectabaris in lectis eburneis, bysso & purpura circumdatus, nunc sternes in tenebris lectulum tuum, dicesque putredini: Pater meus es, mater mea & soror mea vermibus. Si dederis somnum oculis tuis & palpebris dormitationem, tunc hi, qui te corrodent, non dormient. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Antequam comedas, suspirabis; eáque præ angustia comedes, quæ priùs tangere noluit anima tua. Esurienti enim animæ & amara dulcia esse videntur.

Videbunt ergo multi, & timebunt, & sperabunt in Domino: fietque illis, cæteris tuis Successoribus, terribilis locus iste, de quo sic repentè irreparabile præcipitium honoris & honestatis passus es. Dictum enim tibi audiveras, quòd *sic transit gloria mundi.* Memento ergo, unde excideris, & age pœnitentiam: Gratias Divinæ misericordiæ reddere non postponens, quia castigans castigavit te Dominus, & morti non tradidit te.

Ego autem Mater pulchræ dilectionis, & amoris, & Sanctæ spei pro te orare non omittam, ut fides tua non deficiat. Propter quod non desperes, sed speres indubiè misericordiam consequi à DEO, ut sis fidelis. Non enim venit ille vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Nec te in desperationis sententiam moles tuorum peccaminum detrahat, sciens ex Scripturæ Sacræ testimonio: *Ubi superabundavit delictum, superabundavit & gratia.* Attamen, quia scriptum est: *Ne addas de cætero peccatum super peccatum*, & dicas: *Misericordia Domini magna est; peccàsti*, inquit Scriptura, *quiesce*, ut verè pœniteas, qui verissimè filius perditionis esse debueras. Esau quia falsè pœnituit, locum pœnitentiæ non invenit. Tanta enim est virtus integræ pœnitentiæ, ut invicibilem vincere, & protervum vindicémque tremebundum poterit in patrem piissimum commutare: Qui, ut scriptum est, *odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus*, facítque Angelos gaudere super uno peccatore, præsertim te tanto, pœnitentiam agente.

Et si scire cupis, quantis vera pœnitentia extollitur præconiis & quantis salutaribus referta sit affectibus, hæc est Scriptura Cypriani: *Pœnitentia, quæ miserante DEO peccata remittit, Paradisum reserat, contritum serenat, tristem exhilarat, ad vitam de interitu revocat, statum instaurat, fiduciam reformat, gratiamque abundantiorem refundit. Hæc est nempe, quæ avaritiam respuit, luxuriam horret, formæ amorem, calcat superbiam, linguam continet, mores componit, odit malitiam, excludit invidiam. Ipsa denique est, quæ percutienti maxillam, præbet ultrò alteram; castigatus agit gratias, provocatus tacet, exasperanti blanditur; Superiori supplex, inferiori subiecta, in corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas* &c.

Sanè si cordis livores & corporis ulcera, quibus te a summo usque deorsum lethaliter sauciatum esse convinceris, mederi salubriter expectas, necesse est, ut vulnus detegas. Sic enim David non paucis se gravatum maculis præsentiens, *Dixi*, inquit, *confitebor adversùm me iniustitiam meam Domino.* Et alibi: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Sagittæ enim Domini infixæ sunt tibi, & mutatio dexteræ Excelsi confirmata est super te. Nec te pudeat, si illi, qui solus laborem & dolorem considerat, tuas calamitates, quibus iustè detineris, fatearis post Prophetam inquiens: *Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem, tota die* &c.

Effundas igitur coram ipſo animam tuam, ipſiusque magnam miſericordiam ſupplex invoca, ut ſecundùm multitudinem miſerationum ſuarum deleat iniquitates tuas, reddatque tibi certiſſimè lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirmet cor tuum. Nec illud Pſalmographi ori tuo deficiat, quod quaſi Propheta in perſona tua cecinit dicens: *Domine DEUS ſalutis meæ, intret in conſpectu tuo oratio mea, quia repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquat. Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber &c. Super me confirmatus eſt furor tuus* &c. *Longè feciſti notos meos a me, poſuerunt me abominationem ſibi. Traditus ſum, & non egrediebar, oculi mei defecerunt præ inopia* &c. *Conturbata ſunt* enim *omnia oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde.*

Quis ergo dubitabit, ſi te ſic humiliatum & correptum in conſpectu Domini effundes, quòd tui Omnipotens DEUS, cuius miſerationes ſunt ſuper omnia opera eius, miſereri non debeat? Abſit. Ipſe enim iratus miſericordiæ recordabitur, & in ira nullatenus miſericordias continebit. Spera igitur in Domino, & fac bonitatem, ipſum in ſpiritu humilitatis & in animo contrito deprecare, ut te de carcere huius corporis liberet, ac iniquitatum tuarum immemor, citò te ſuis miſericordiis anticipet, tuisque peccatis propter nomen Sanctum ſuum propitius exiſtens, de reliquo tibi reddat coronam iuſtitiæ iuſtus Iudex, qui non ſecundùm peccata tua faciet, nec ſecundùm iniquitates tuas retribuet tibi, ſed te, tanquam mulierem in adulterio deprehenſam, lapidari non permittet. Vade igitur in pace, & ampliùs noli peccare.

Quapropter confiteor tibi Pater, Rex, & Creator cœli & terræ? laudem retribuam nomini tuo, qui facis mirabiles res. Tu enim in Sapientia omnia feciſti. Ecce enim veritas de terra oriri, & iuſtitia de cœlo proſpicere incipit. Ecce nempe te regente, nova facis omnia, ut iam dolorem meum, certa parte funiculi fortioris diſſoluta, alleviatum intelligam. Tuam proinde clementiam ampliùs obſecro, quatenus & alios duos, inveteratos malorum dierum Presbyteros duplici fune damnabiliter colligatos, dextera tuæ potentiæ religatos ſimiliter comprimas, ac ad ovile tuum, per ipſos lamentabiliter tanto tempore direptum, ſi ſua ſponte venire nolint, compellas intrare, &, ſi iubes, Prophetarum tuorum præconiis longè a ſalute poſiti revocentur. Stulti enim ſunt & tardi corde ad credendum in his, quæ locuti ſunt Prophetæ: Generatio prava, & infideles filii ſunt, quin gens ſine conſilio & ſine prudentia. Utinam ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent!

Intelligite igitur, inquit ac comminatur ſermo Davidicus, qui obliviſcimini DEUM, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat. Intelligite, & ſtulti aliquando ſapite. Convertimini, inquit loël, ad Dominum in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimentum inconſutile, Eccleſiam ſcilicet Jeſu Chriſti, quam per prius tanquam velum templi per medium veſtra ſcidit ambitio. Convertimini, inquit Zacharias, a viis veſtris & a cogitationibus peſſimis, bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra. Niſi enim converſi fueritis, gladium ſuum vibravit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis: Vosque, niſi converſi fueritis, in momento ſagittis ardentibus afficiet.

Mox etenim converti ad Dominum neceſſe eſt, & non differre de die in diem. Iuxta enim eſt dies perditionis veſtræ, & adeſſe feſtinent tempora. Ecce enim nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, in qua, quæ ad pacem ſunt rogare & deprecari Propheta conſuluit. O utinam appenderentur peccata veſtra, & calamitas, quam meritò pati deberetis in ſtatera? Quâ putaris pro qualitate tantorum peccaminum iuſto DEI iudicio compenſari pœnitentiâ? niſi fortè, quemadmodum Rex Ninive propter ſcelera, quibus divinam iram meruerat, ſe & ſuos ſubvertendos non dubitans, regali deſcendens de ſolio, Veſtibusque delicatioribus peſſundatis, ſaccum induens reſedit in cinere! Sic & vobis dico in verbo Domini, quia vos, qui vix vivitis & reſidui eſtis, quibus etiam, ùt verbis Job utar, nihil reſtat niſi ſepulchrum, quàm citò de cathe-

thedra peſtilentiæ deſcendere, & tunicam inconſutilem, qua quilibet veſtrûm falsè gloriatur, ſe indutum exuere, & in ſortem mittere deberetis: Hoc idem de vobis ſentientes, quod & in Chriſto Ieſu, qui cùm in forma DEI eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem DEO. Qui etiam propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendens de cælo ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, mortuus tandem propter iuſtificationem noſtram.

Ipſe denique, cùm ovium ſuarum Petro pervigilem commendaret cuſtodiam, de quarum lacte & lana ſic pernitiosè perdiu contendiſtis, non veſtras, ſed ſuas proprias oves aſſeruit, cùm inquit: *Paſce oves meas.* Ergo de re aliena, quemadmodum & Paſtores Abrahæ ſuper adipe ovium rixati leguntur, contenditis. Quo pacto vos, qui in iniquitatibus concepti, & in peccato nati, ac infinitorum eſtis, & fuiſtis multorum occaſio, ſic pro ovibus Chriſti putrida cadavera aut res tranſitorias dubitatis exponere? Quo pacto Succeſſores Petri fore prætenditis, qui nedum omnia, quæ poſſedit, verùm etiam propriam voluntatem, ut Chriſti eſſet Diſcipulus, abdicavit? Niſi enim crucem veſtram tollentes, ipſum ſequi volueritis, ac his, quæ malè poſſidetis, ſeu veriùs occupatis, renuntiaveritis, non potueritis ſui eſſe Diſcipuli.

Cavete, ne iuxta verbum Apoſtoli ſitis illi, qui diſcedentes a fide, attendentes ſpiritui erroris & doctrinis Dæmoniorum, in hypocriſi locuti ſunt mendacium conſcientias habentes cauteriatas, & cor in divitiis & delitiis excæcatum. An putatis, quòd per delitias ad aſtra transvehitur? Abſit. Oportet nempe illas, ùt alibi dicitur, tormenta ſequi. *Arcta* enim inquit Veritas, *eſt via, quæ ducit ad vitam.*

Rurſus, ſi timor DEI vos ſemivivos & exſangues à luto ambitionis non retrahit, ſaltem hoc, quod adoleſcentiori ex vobis evenit, vos terreat, & duram veſtrorum cordium cervicem provocet ad exemplum. Summæ etenim honeſtatis eſt voluntariè ſacrificare Domino, nec eſt inhoneſtum de neceſſitate virtutem facere, præſertim dum tempus poſtulat, aut res ipſa exigit, faciendi. Vocati etenim eſtis ad nuptias, unde iuxta veritatis ſententiam, ſi cum virginibus fatuis veneritis, nedum intrare compellemini ad ianuam, verùm etiam tanquam ſomnolenti & deſides repellemini, diem neſcientes neque horam.

Sed ſi, ùt meditor, magnalia, quæ fecit DEUS in civitate munita, falsè allegantes prætenditis, quoniàm ſcilicet non divina, ſed humana induſtria ac fatis fortunæ faventibus facta fuerunt: nolite, quæſo, in cælum os ponentes adversùs Deum loqui iniquitatem. Magna enim ſunt hæc opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, quæ res deſperatas & ferè deperditas ad ſalubertimos effectus deduxerunt. Palpate, & videte ſaltem oculis carnalibus: Quis illum fugientem *Balthaſar*, complicem veſtrum, tanta armorum ſtipatum potentia, tantisque redundantem vitiis, invitum retrocedere coëgiſſet, niſi is: qui bella conterit, & corda filiorum convertit ad Patres & e converſo? Quis denique illum indomitum, & potentem in fortitudine equi & in tibiis viri, ad ſic depreſſæ humilitatis qualitatem deduxiſſet, niſi mutatio dexteræ Excelſi, quæ hunc humiliat, & hunc exaltat?

Alia verò mirabilia teſtimonia in Civitate Domini virtutum facta ſcrutari poterit anima veſtra, quæ tamen ab oculis veſtris ſunt abſcondita, ſed ſolis credentibus ac in luce ambulantibus, luce videntur clariora. Nimirum ſi obſtinati cordis oculus, ac tenebris interioribus eſt obfuſcatus, lumen clariſſimum limpidè intueri non poterit veritatis. *Impii* enim, dicit Pſalmigraphus, *in tenebris conticeſcent*: propter quòd *hora eſt, vos*, ùt inquit Apoſtolus, *de ſomno ſurgere.*

Surgite igitur, poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris, qui tot dierum curriculis in pulvere avaritiæ & in luto ambitionis dormitâſtis. Surgite, quæſo, & abijcite opera tenebrarum, & induamini arma lucis, ſic ut in die reſurrectionis cum Domino ambuletis. Ecce enim nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Tempus ſiquidem acceptabile, in quo miſerator & miſericors Dominus de præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper filios hominum, fecitque iudicium conſcriptum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis diverſarum hæreſum ac errorum maculis labefactatis (in Regno Bohemiæ,)

&

& ad alligandos Reges eorum, Hæreſiarchas ſcilicet, in compedibus, & fautores eorum Nobiles in manicis ferreis, ipſoſque tanquam malos malè perdere, & tanquam malas arbores, quæ fructum bonum non afferunt, in ignem, ut ardeant, mittere diſpoſuit: quia hæc eſt gloria Sanctis ejus, qui eſt in Sæcula benedictus. amen.

XCVI.

Gaſparini de Barziziis, Bergomatis, Oratio habita in exequiis Franciſci de Zabarellis S.R.E. Cardinalis.

1417. *Ex Cod. MS. Bibliotb. Wiblingan.*

ETſi unus ex omnibus minimè ſim, Patres Ampliſſimi, in hac funebri pompa ad conſolandum accommodatus, quòd tantum ex hujus Viri Sanctiſſimi morte moleſtiæ cepi, ut conſolatione ipſe potiùs egerem: Exiſtimavi tamen hunc dicendi locum ſine magna ingratitudine à me prætermitti non poſſe. Par quidem judiciô meô fuerit, ut ego, qui ipſi vivo tantum ſemper detuli, quantum propè nemini, & à quo præter admodum cæteros ſingulari ſignificatione amoris profectus ſum, hac ſuprema exequiarum die huic tam neceſſario, ac pio officio non deeſſem. Neque tamen aut orationem meam, aut cujuſpiam, etiam cumulatiſſimi oratoris, ad hujus Summi Viri antè actam vitam illuſtrandam neceſſariam eſſe arbitror, aut ad dolorem veſtrum leniendum ſatis validam. Ipſe enim in omni ætate ſic vixit, ut omnia ſumma, virtute duce, omnium gentium ac populorum conſenſu continuè conſecutus ſit. Et cùm veſtrûm omnium dolorem, orium geſtu, vultu, omni denique motu corporis maximum ſignificari ſentiam, hac mea exigua exhortatione hanc vobis moleſtiam exhauriri nullo pacto poſſe confido. Agam tamen more inſtitutoque majorum, qui hunc ipſum locum religione quadam & pietate ducti oratione vacuum eſſe noluerunt. Dabitis mihi tamen, Viri Doctiſſimi, veniam, ſi ego in hoc acerrimo caſu pro homine benè de me merito longè à Stoicorum præceptis abhorruero. Neque etiam, ut verum jam fatear, is ſum, qui tantâ conſtantiâ ac temperantiâ valere didicerim, ut adverſùs hos inopinatos eventus non formidarem, aut tanto Fortunæ impetu non permoverer. Conabor tamen, quantum potero, vobis coadjuvantibus id rationibus efficere, ſi tamen gravi hac jacturâ priùs paucis deterſâ patiemini de hujus integerrimi hominis vita, ac moribus in medium aliquid afferre.

Plurima ſunt, Humaniſſimi Patres, quæ hoc gravi vulnere nobis ex hujus optimi hominis morte altiſſimè illato, dolorem hunc noſtrum juſtiſſimum reddant. Tali enim Parente orbati ſumus, quali (de Scipione ſcribit Cicero:) nemo, ut arbitror, unquam erat exutus. Firmare poſſim, hac mea ætate nemo unquam fuit, qui nec otioſam ætatem, aut quietam ſine ullo labore & contentione traduxit: ſed modò publicis, modò privatorum commodis intentus nullum temporis ſpatium officio vacare ſinebat: quia ita vixit, ut ne fruſtrà quidem eum natum exiſtimare poſſemus, qui huic regiæ urbi *Patavii*, multis jam ſæculis nobiliſſimæ, ex qua & ipſe natus eſt, tantùm conſilio, & auxilio profuit, ut meritò quidem defenſionem patriæ deflere poſſit. Si quid enim jurgii, ſi quid contentionis inter cives, ut perſæpè fit, vaſtabat, ad eum quamprimùm tanquam ad ſacellum quoddam pacis confluebant omnes, qui innata quadam humanitate, qua plurimùm ſemper valuit, ſic omnia redintegrabat, ut graviſſimas ſæpè diſcordias tumultúſque ſedaret, ex quo ſæpiſſimè maximi Reges, & potentiſſimi Principes hujus religioſiſſimi hominis vitæ ſanctimoniâ & virtutibus, quibus in omni genere plurimùm abundabat, permoti non tantùm conſiliô ſuô uti, verùm etiam pro eorum fortunis tutandis, aut injuria propulſanda, ut apud Pontifices maximos ſupplicaret, petere non dubitaverunt.

Quid nunc de propinquorum, ac amicorum luctuoſo caſu dicam, quorum omnem ſpem, atque omnia vitæ conſilia hujus mors pervertit, atque proſtravit? Vel quo nunc animo, Prudentiſſimi Patres, ii eſſe debent, qui per omne ætatis ſuæ tempus ſtudiis aut humanitatis, aut civilitatis, vel ſacrarum inſtitutionum præceptis, quibus ipſa immortalis DEI religio continetur, dediti jam tantorum laborum, & ſtudiorum præmia ex hujus, tanquam ex cujuſdam feliciſſimi diſpenſatoris manibus repoſcebant? Multas prætereo, Patres Optimi, humanitatis partes hujus immortalitate digniſſimi hominis,

nis, apud vos præſertim, penes quos hæc pietatis humanitatisque officia longè quàm cæteris diutiſſimè, ut æquum erat, exhibuit, tametſi ipſe patriæ, cui plurimum debebat, talia ornamenta contulit, qualia neminem adhuc contuliſſe memini. Quod quidem vel ex hoc facile cernere fuit, quòd ea die nobis certe calamitoſa, qua hoc ſingulare lumen extinctum eſt, tantus in tam ampliſſimo omnium gentium & populorum conventu omnes protinus dolor invaſit, ut quisque intelligere videretur, tunc communem quamdam peſtem imminere. Flebant cuncti acerrimum fidei Propugnatorem, omnium Patronum, & qui horrendæ hujus & inveteratæ ſciſſuræ, funditus tollendæ, potiſſima cauſa exſtitiſſet, ê medio eſſet ſublatum. Fuit enim, laudatiſſimi Patres, ipſi ea dies clariſſima vobis ſemper recolenda, quâ cum omnium nationum capita maximâ contentione, & omnium qui aderant, trepidatione diſſiderent, tantam vim verborum, & ſententiarum fudit, ut cogerentur cuncti contentione depoſitâ de concordia conſilia quærere. Quæ res omnium judicio difficillima & periculoſa tantâ vehementiâ ſpiritûs tantóque ab eo eſt ardore confecta, ut ultrò ſe pro incolumitate omnium devovere videretur, quod & effecit. Ex Senatu enim domum rediens, & quia ex longa quadam terreſtri pugna in manibus victoriam ſecum ferens, ac ejus ſpiritus, quem in eo diſcordiarum tumultu ſedando magnâ ex parte profuderat, defectionem ſentiens in lectum ſe recepit, & poſt nonam demum diem Chriſtianiſſimè vitâ functus eſt. O Virum Sanctiſſimum! quis tuum tam præclarum exitum digne admirari queat? aut quæ poſteritas ex hominum memoria, quæ in ultimo vitæ ſpiritu à te peracta ſunt, abolere poterit, qui in omni ætate ſtuderis diſſeminare de te memoriam, ut ſpero, ſempiternam? aut quis non rectiſſimè dicat tuum hunc è vitâ exceſſum mirificè antè actæ vitæ conſonare? Cùm enim aliorum magis, quam tuis commodis ſemper vixeris, futurum erat, ut etiam ſalutis cæterorum & reipublicæ magis quàm tuæ rationem perſpectam haberes.

Jam Patres optimi, quandoquidem ſentio, unumquemque veſtrûm hac communi jacturâ vehementer affici, atque permoveri, & quemlibet ſui incommodi conſcium eſſe, huic deplorationi modum faciam, & de *Franciſci* divini hominis vita, & moribus aliqua perſtringam, qui etſi omnibus ita noti ſint, ut oratione non egeant, à vobis tamen ſine injuria locus hic tantâ religione inſtitutus prætermitti non poteſt. Sicut ex majoribus meis accepi, Patres Lectiſſimi, abundavit urbs hæc regia multis jam ſæculis hominibus in omni litterarum genere clariſſimis, quos inter, ut Reges omittam, *Livium* illum hiſtoricorum omnium, qui ſunt, & qui fuerunt, facilè Principem, primum nomino, in quo tanta vis, & copia dicendi fuit, ut ejus elegantiam eloquentiſſimus Eccleſiæ Doctor Hieronymus non ſatis admirari poſſit, qui omnem fere Romanam hiſtoriam tantâ fide, & veritate ſcripſit, ut neque ſuſpicio gratiæ illi fuerit in ſcribendo, neque in reticendo ſimultas. Plurimos item laudatiſſimos, & egregios Poetas habuit, copioſiſſimos & medicinæ artis gnaros, & qui cum ejus ſcientiæ primis inventoribus de ejusdem diſciplinæ præceptis facillimè diſputare poſſent: Graviſſimos item juris peritos, inter quos ſubtiliſſimum *Paulum* Juriſconſultum quidem annumerat. Innumerabilibus etiam hominibus Civitas hæc claruit, qui jura Pontificum, & iſtam ipſam, quam vocamus Theologiam, abundantiſſimè noſcerent. Sed cavete, quæſo, Patres literatiſſimi, ne horum quempiam *Franciſco* præponatis. Is enim omnem vitam ſuam ita ad omnem virtutem & actionem comparavit, atque inſtituit, ut non uno tantùm ſcientiæ genere eſſet contentus, ſed omnia tanto ſtudio, & vigilantia complexus eſt, ut harum qualibet ſummus Præceptor ab iis, qui rectè ſentiebant, haberetur.

Nam ut prima rudimenta Grammaticæ artis omittam, quæ parvo tempore, & ſine multo Præceptoris labore didicit, cùm primùm per ætatem licuit, in Juriſconſultorum Scholis, quorum hîc propter loci opportunitatem magna ſemper copia fuit, receptus eſt, in quibus tanta cura & legendo & diſputando incubuit, ut ſummam ſpem omnium, quam ab ipſo jam puero habuerat, continuò adoleſcens incredibili virtute ſuperaret. Et cùm omnem juris civilis vim & poteſtatem ſic teneret, ut magis, quæ didi-

erat, docere, quàm novi quicquam diſcere poſſet, ad Jura Pontificum & venerandorum Conſulum, & Sanctiſſimorum Patrum præcepta ſe tranſtulit: quæque tanto deſiderio legere cœpit, ut ex ſententia decreverit maximam vitæ partem in his perdiſcendis conſumere. Itaque ejus rei gratiâ, cùm plurima Italiæ Gymnaſia perluſtrâſſet, incredibile eſt, qualem ſe ejus artis Præceptorem exhibuerit. Nam continuò non ſpe lucri, ſed erudiendorum hominum gratiâ publicè legere cœpit, confluebantque ad eum omnes ex omni mundi parte, qui rectè ſapere cupiebant. Ipſe etiam in his tradendis, quæ didicerat, tanta Majeſtate ſententiarum, tanta vi verborum utebatur, & qui eum audire conſueverant, in omni ſcienti genere propè ſummi evaderent. Ex hujus igitur doctrina, & præceptis tanquam ex equo Trojano, ut de Iſocrate ſcribit Cicero, innumerabiles divinæ & humanæ legis Principes exierunt, quos omnes nominare poſſem, ſed propter anguſtias temporis id mihi video non licere.

Ad interpretationem demum Pontificalium legum accedens, tanta claritate eas interpretatus eſt, ut quæ anteà à multis ſæculis perplexa, & obſcura remanſerant, aperta jam omnibus eſſent. Itaque commentaria plurima omnem divinam legem continentiâ edidit, quæ ab his tanta diligentia exquiruntur, qui ejus diſciplinæ ſtudio dant operam, ut nil probare conſueverint, niſi quòd ingenio limatum, & auctoritate perfectum ſit. In hoc igitur interpretandi genere quamvis præ cæteris longè Princeps haberetur, & monarchiam ejus artis teneret, hoc tamen uno principatu non contentus primùm ad Poëtarum, ac Oratorum ſtudia, demum ad philoſophiam, & eas artes, quas liberales dicimus, ſe contulit, in quibus parvo tempore tantum profecit, ut jam eorum omnium non mediocriter doctus eſſet, prudentiâ potiſſimùm oratoriæ artis: & philoſophiam tanta exercitatione coluerit, ut, quod Cicero pauciſſimis contigiſſe dicit, duo illa, quæ dixi, genera ſæpè conjungeret: Quod ex eo libro, quem de facilitate accuratè, copioſè ornatèque diſputandi compoſuit, maximè claret, eò quòd nullus, qui eum librum legat, dubitare poſſit, qualem finem benè inſtituta & compoſita vita hominibus allatura ſit.

Itaque cum fine injuria dicere poſſumus, quod de *Quinto Scævola* dicere ſolitus erat Cicero, *Juris peritorum* eloquentiſſimum, & *eloquentium Juriſperitiſſimum*. His etiam humanitatis ſtudiis tantum delectatus eſt, ut quempiam ſemper ejus diſciplinæ eruditum domi habere vellet.

Non antea etiam Theologiæ, & Sacrarum Scripturarum lectioni operam dedit, quàm cætera omnia, quæ à Sapientiſſimis ad benè vivendum tradita erant, omni curâ adhibitâ didiciſſet, rectiſſimè quidem exiſtimans, hos ſermones de ipſius immortalis DEI vera religione à ſeparatis, ut Metaphyſici dicunt, ſubſtantiis non niſi ab his perfectè intelligi, & dici poſſe, qui cæterarum ſcientiarum, quæ ad hanc tanquam ad finem quemdam ordinantur, plenam haberent notitiam. In his ergo ſtudiis, incredibile eſt, quantùm profecerit. Nunquam enim de fide, nunquam de ceremoniis, nunquam de ſacrorum ritu, atque obſervantiâ publicè diſputabatur, quin ipſe ſemper ad eſſet ſemper ad aliorum eruditionem quicquam differens atque proponens.

Quid nunc, Patres Ampliſſimi, de hujus hominis præſtantiſſimi moribus dicam, in quo tanta prudentia, & multarum rerum experientia fuit, ut nil certè fuerit unquam, quod eſſet dies allatura, quin ipſe multo antea conſilio antevlerit. Ita etiam perſæpè rebus malè compoſitis conſilio valebat, ut in maximis periculis, quid potiſſimùm eligendum, quidve refutandum foret, acutiſſimè proſpiceret. Sic in omni fortunâ rebus, quibus obſecutus eſt, fidelis fuit, ut ſæpiſſimè ſolitus eſſet dicere, unum ſibi præſervâſſe fidem videlicet, quàm violâſſet nunquam. Tantâ juſtitiâ verſatus eſt ſemper, ut ab his etiam, qui non ſuâ culpâ ſibi infenſi putabantur, Judex peteretur. Nec quisquam unquam fuit, qui aut propinquitatis aut amicitiæ causâ ejus judicium vel ſubterfugeret, vel recuſaret. Utcunque enim judicâſſet, non niſi rectiſſimè judicatum arbitrabantur. Sæpiſſimè etiam dum amicorum judicium in foro agitaretur, isque, ut præſidio cauſæ adeſſet, rogaretur, magis, quæ juri & æquitati rationes convenirent, quàm quæ clientum utilitati expedirent, adducebat. Quâ re compertâ jam plurimi

Digitized by Google

rimi eum judicem potiùs quàm præconem cupiebant.

Temperantiæ etiam tantam operam dedit, ut in omni ferè ætate juxta Platonicum præceptum nunquam in die bis fatur fuerit. Somni parciſſimus fuit, parum quieti indulgens, & tantâ vitæ caſtimoniâ prædictus, ut omnium eſſet exiſtimatio, perpetuam eum continentiam voviſſe atque ſervâſſe. Adverſos item caſus tanta conſtantia, tantâ magnitudine pertulit, ut nullo timore, niſi quem ratio ipſa ſuaſiſſet, terreretur. Exſtat ejus oratio luculentiſſima quidem, & officii ac pietatis plena, quæ ab eo in funere unici Fratris eâ conſtantiâ recitata, atque expreſſa fuit, ut nullo graviſſimo caſu in illa rerum & temporum difficultate, & totius hujus urbis calamitate, nulla ferè doloris ſignificatione, nulla propè rerum deſperatione moveri videretur. Jam enim omnia virtute & temperantiâ metiri didicerat. Qui etiam ea, ut paulò antè dixi, magnanimitate, dum de ſumma rerum omnium in Concilio ageretur, ſic quorundam inſolentiam & audaciam repreſſerat, ut initium optatæ unitatis eo die nobis attulerit.

Omne etiam injuriarum genus ibi contempſit, ut omnium magis, quàm injuriarum recordari mallet. Neminî unquam infeſtus fuit, neminem unquam odit, niſi quem virtutis & bonorum hoſtem intellexiſſet. In comparanda amicitia eorum, quos virtute excellere putaviſſet diligentiſſimus fuit. Nunquam etiam refrigebat animo, ſed continuò in dies extendebatur magis erga eos, quos recta ratione diligere conſtituiſſet. Quid nunc de Magnificentia, & liberalitate dicam? Incredibile eſt, ut ſibi ex omni genere homines ſuo beneficio devinxerit. Sed quem videbat tenuitate rei familiaris à diſciplinis avocari, quàmprimum quaſi cuidam parti corporis adverſa valetudine laboranti ſuccurrebat. Sæpè etiam plures ad rectè ſapiendum inſtitutos adoleſcentes pauperes domi habebat, quos ex copiis, propria virtute comparatis, nutriebat. Quin etiam erga omnes tantam liberalitatem exercuit, ut nihil, quod ab eo occaſione captata peteretur, denegaret: omniáque ſua ſic communia ſemper voluit eſſe, ut frequentet ſupellectili ac argenteis vaſis, quibus tamen non multùm abundavit, aut nomina inſcribi, aut inſignia exprimi prohiberet, quò amici his rebus liberiùs uterentur.

Quid de humanitate, quid de facilitate & manſuetudine, quid de reliqua vita dicam, in hac nil eſt unquam à ſe dictum, aut factum, quod virtuti non maximè conveniret. Dies profectò me deficeret, ſi, Graviſſimi Patres, ſingulas ejus virtutes, quas ad poſteritatis memoriam ſempiternam comparaverat, percurrere vellem, quæ etiam longè magis exquiſitam orationem quàm hanc, quod modò auditis, expeterent.

Hic itaque vir de DEO, de concordia, de amicitia, de homine, de gentium jure, de æquitate, de temperantia, de magnanimitate, de omni denique virtutum genere abundantiſſimè, ac ſæpè diſputans latere jam non poterat. Frequenter igitur ex his maximis Pontificibus, quos in hoc inveterato ſchiſmate ætas noſtra protulit, & officia & dignitates præpoſitæ fuerunt. Magno namque judice & proniſſimo ſuam quisque cauſam defenſam arbitrabatur, cui *Franciſcus* adhærere voluiſſet. Omnes tamen hujusmodi honores aliquot annis parvi fecit atque neglexit, prudentiſſimè quidem exiſtimans propter malignitatem temporum, & contendentium duritiem nil tunc ad uniendam Eccleſiam auxilii præſtare poſſe. A *Ioanne* verò Pontifice maximo Cardinalis deſignatus libenter annuit non ambitionis aut cupiditatis gratiâ, ſed quia pacem Eccleſiæ jam imminere videret, ſimulque cogitaret, ad rem conficiendam plus adjumenti afferre poſſe, ſi virtuti dignitatis adjungeretur amplitudo.

In virum igitur benè meritum ampliſſima dignitate collata ad commune hoc Chriſtiani populi excidium, & induratum malum propellendum omnem curam, cogitationemque convertit, & cùm ad locum deligendum, in quo tantæ rei controverſia finem acciperet, mitteretur, quamprimùm aſſenſus eſt, difficultate itineris, aut periculis viarum, aut diſtantia regionum parum permotus. Itaque poſt longam peregrinationem, qua ad rem conficiendam opus erat, locum tandem firmavit. Conſtituto igitur Concilio, & Patribus propter rei magnitudinem & difficultatem non facilè in unam ſententiam convenientibus, cœpit omnes quotquot diverſarum gentium & nationum

Digitized by Google

num aderant, ad unitatem hortari semper rationibus, vel salutari oratione, quam ex tempore nonnunquam luculentissime conficiebat, aut Sanctorum Patrum decretis eos impellens, & interdum, cùm expediret, objurgans. Nil verò aut fucatum, aut simulatum ejus sermo sonabat, sed simplici, & clara, &, quæ ab omni suspicione abesset, oratione utebatur. Cunctis itaque ejus rectitudinem & bonitatem admirantibus ab omnium nationum, & ordinum hominibus, si quid difficultatis, si quid impedimenti emersisset, conciliandæ rei gratiâ semper advocabatur, unúsque jam habebatur ab omnibus, qui omnium judicio Summo Pontificio sine contradictione dignus haberetur: quem, etsi in excelso fastigio collocatum, & Summum omnium Principem videre nobis datum non fuerit, perbeati tamen vel ex eo videri possumus, quòd cum homine vixerimus, quo nullus opinione hominum altissimo dignitatis gradu dignior judicatus exstitit, qui in amplissimo terrarum loco & pulcherrima pugna vita defunctus est, cui ex publico sumptuosissimum funus Summorum Principum consensu constitutum est: Quod quidem genus honoris aut nullis, aut certè paucis tributum legimus.

Nunc ergo, Prudentissimi Patres, ut, quod de Scipione scribit Cicero, nunc dicam, quis jam negare possit, cum hoc viro actum esse præclarè, aut quid non est adeptus, quod homini optare fas esset? Et si optimo ac iustissimo cuique expeditissimus in cœlum aditus semper patuit, cui censemus cursum ad immortalis DEI æternitatem faciliorem fuisse, quàm homini huic sanctissimo, & omnium, qui sunt, & qui fuerunt de omni genere virtutis optime merito? Quid est ergo, laudatissimi Patres, si rectè intelligamus, quòd necessitatem hanc non æquanimiter feramus? Ipsa enim Christiana veritate & philosophorum auctoritate & præceptis docemur, ad immortalitatem quandam adipiscendam nos natos, & procreatos esse. Unde præclara vox illa Ennij fuit, qua dicere solitum legimus, *neminem se lacrimis decorare velle*. Non enim lugendam esse mortem dicebat, quam immortalitas consequebatur.

Quare, Patres humanissimi, cùm vir hic sic semper vixerit, sicque excesserit è vita, ut nullus iam dubitet, eatorum concilio annumeratum esse & sempiterno ævo frui, nil est, quò iam, si rectè sapere volueritis, desiere possitis. Quin imò curandum vobis est potiùs, ut virtutem eius, quæ neque oblivione eorum, qui sunt, neque reticentia posterorum sepulta esse poterit, acclamare, vel, in quantum fieri potest, imitari studeatis. Et quoniam hoc pietatis officium, quod mediis sacris memoriæ eius hodierna die impendistis, sic à vobis præstitum esse sentio, ut huius præclari muneris debitores vos existimetis, iam non ex hoc gratias agam, sed pro vestra singulari modestia id tantùm rogabo, ut extremam hanc exequiarum partem, quæ sacris ceremoniis constat, attentè, ut instituistis, audiatis. Dixi.

XCVII.

Testimonium factæ consecrationis Capellæ in Ducali Castro Wiennæ.

ANno Domini 1425. Indict. 3 . . . die 14. mensis Ianuarii Pontificatus SSmi in Christo Patris & Domini, Domini *Martini* divinâ providentiâ Papæ V. anno octavo, Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus *Branda* tituli S. Clementis Presbiter Cardinalis pro extirpatione hæresis in *Boemia & Moravia* Marchionatus &c. ortæ, Apostolicæ Sedis Legatus &c. ad hoc speciali potestate suffultus, consecravit capellam in castro Illustris Principis Domini *Alberti* V. Ducis *Austriæ*, *Wiennæ* constituram, sub vocabulo Beatissimæ Virginis Mariæ & S. Helisabet, nec non altare, in quo infra scriptæ reliquiæ sunt reconditæ & descriptæ per me *Iohannem de Capellis* de *Cremona*, Capellanum & Notarium præfati Domini Cardinalis. Quæ quidem reliquiæ hæ sunt, videlicet de cingulo B. Mariæ Virginis, de tunica B. Mariæ Virginis, de ligno Crucis, S. Blasii Episcopi & Mart. Christophori Mart. Vincentii Mart. Affræ Mart. S. Benedicti Abbatis, Catharinæ Virginis & Mart. Margarithæ Virginis & Mart. Helenæ Reginæ. De capite S. Ursulæ. In cujus testimonium suum apponi demandavit sigillum. 1425. *Ex autograph. V. H.*

XCVIII.

Digitized by Go

XCVIII.

Fœdus inter Albertum Ducem Austriæ & Ecclesiam Pataviensem.

1428. *Ex Authent. P. H.*

WIr Albrecht von Gottes Gnaden Hertzog ze Oesterreich / ze Steyr / ze Kärndten / und ze Crain / Marggraff ze Merren / und Graff ze Tyrolt. Bekennen offentlich für uns selber / unser Erben / und Nachkomen / allen Leuten / die jetz sint / und hernach kinftig werdent / als weilent die Hochgebornen Fürsten / Hertzog ze Oesterreich ꝛc. Unser Vorvodern seliger Gedechtnus / und Wier mit weilent den Erwürdigen und Ersamen den Bischofen / den Tum-Brobsten / den Techanten / und Capitl der Stift ze Passau / durch Fride Gemach / und gemeines Nutz willen / unser baider Herrschaft und Unterthanen meniger Pindnus / Ainung / und Verschreibung gemacht / und getan haben / als das die Pundt-Brief / darüber gegeben / und ir iedlicher besonder aigentlich ausweist / das wier dem Erwirdigen unsern lieben Freindt Hern Leonharten Pischofen ze Passau / dem Tumb-Brobst / dem Dechant / und dem Capitel daselbs ze Passau &c. und ihren Nachkomen / bey unsern Treuen / und Würdigkaiten gelobt / verhaissen / und versprochen haben / geloben und verhaissen und versprechen auch wissentlich mit Crafft dits Briefs on Geverde / all solch Pindnus / Ainigung und Verschreibung / und ir Vergleiche besonder / die weylent unsern Voruordern Hertzog ze Oesterreich ꝛc. und Wier mit iren Voruordern / und in gemacht und geben haben / gen in und ire Nachkomen mit allen Stucken / Puncten und Artikln / nichts darumb ausgeschaiden / gäntzlich stet ze halten / ze volfüren / und darwider nit ze tun in dhain weeg / getreulich und ungeferlich / als das die Pindtnus-Brief / und ir Vergleiche besunder von den vorgemelten unsern Vorfordern Hertzog ze Oesterreich / und vns darüber gegebnen aigentlich ausweisent / und als ob die mit Namen von Wort zu Wort in dem gegenwürtigen Brieff begriffen weren / ungevärlich / und des ze vrkunt und vesster Sicherheit geben Wier den Brief versigelten mit unsern anhangenden Insigl / der geben ist ze Wienn am Sontag vor sand Lucen Tag. Nach Christi Geburt Viertzehenhundert Jar / darnach in dem acht und zwaintzigsten Jare.

XCVIIII.

Instrumentum Notarii publici, quòd D. Iohannes Burggravius de Donyn & ejusdem familiæ jus habeat Patronatus & præsentandi ad Ecclesiam Parochialem in oppido Gorensi, Diœcesis Wratislaviensis.

In nomine Domini Amen.

VT rerum gestarum & apud præsentes & apud posteros notitia habeatur, necesse est, quòd literis & testium adminiculis roborentur. Idcirco Nos *Conradus* DEI gratia Episcopus *Wratislaviensis* universis & singulis, præsentibus, & futuris publicè volumus innotesci, quòd in nostra ac Notarii publici & testium infra scriptorum, ad hoc vocatorum & rogatorum præsentia constitutus personaliter Nobilis vir Dominus *Ioannes Burggravius de Donyn*, sanus mente & corpore, ac per omnia debita sua fruens ratione, non compulsus, non coactus, nec erroneè seu improvidè, vel quovis alio modo sinistrè circumventus, sed de sua mera, pura & libera voluntate, animo maturo & deliberato publicè recognovit, se habuisse, & à multis jam retroactis temporibus pacificè possedisse, habere & possidere jus Patronatûs & præsentandi ad Ecclesiam Parochialem in oppido *Gorensi*, Dioecesis *Wratislaviensis*, prout hodie habeat & possidet, & ad ipsum de jure, & ab antiquo pertinere dignoscitur. Ne igitur ipso ab hoc medio per Altissimum revocato super eodem jure Patronatûs præfatæ Ecclesiæ dissensio & dissentatio quovis modo oriretur, sua præsenti ordinatione voluit præcavere. Unde Nobiles Viros Dominum *Conradum de Donyn*, & *Heinezonem* filium olim *Heinrici Donyn* Patruos suos in dictæ Ecclesiæ Concollatores & Compatronos elegit, deputavit, nominavit, & habere voluit, & jus Patronatus ejusdem Ecclesiæ in ipsos eorumque heredes transtulit, & transfudit, ita scilicet, quòd ipsi ambo amodo, & in antea tempore vacationis dictæ Ecclesiæ eandem conferre cum Domino *Iohanne* ipsorum Electore pariter & præsentare habèbunt, & de jure debebunt: Hoc autem expresso, si ipsum

1429. *Ex autogr. P. H.*

Dominum *Iohannem* heredes legitimos poſt ſe relinquere contigerit, quod iidem ſui heredes jus patronatus cum dictis duobus electis collatoribus, aut altero ipſorum habere & obtinere debebunt. Sin autem ex tunc ipſi depurati & electi patroni cum ipſorum heredibus legitimis dictum jus patronatus abſque omni impedimento poſſidebunt ſic, quòd uno ipſorum defuncto ſuperſtes, cum alterius heredibus conferre debet & præſentare. In caſu autem, quòd dicti Dominus *Iohannes* deputator, & ipſi duo electi collatores decederent heredibus legitimis poſt ſe non dimiſſis, ex tunc ipſe Dominus *Iohannes* voluit, quòd ſeniot ſtirpe & proximior conſanguinitate, ſaltem maſculini ſexûs *Donyn* ipſorum, dictum jus Patronatus ad prætatam Eccleſiam poſſidere debebit & habere. Nobis quoque debita cum inſtantia per dictum Dominum *Iohannem* extitit ſupplicatum, quatenus in dictam electionem & collatorum deputationem expreſſè conſentire, & autoritate ordinaria approbare, ratificare dignaremur gratioſius.

Nos igitur *Conradus* Epiſcopus ſupradictus, attendentes dictam ſupplicationem omnino fore rationi conſonam, & cum juſta petentibus non ſit denegandus aſſenſus, ipſam ordinationem & collatorum electionem & deputationem in omnibus ſuis clauſulis, membris & articulis ratificamus, approbamus, & præſentibus ex certa noſtra ſcientia confirmamus, interponentes ipſis nihilominus auctoritatem noſtram ordinariam pariter & decretum, præſentesque exinde fieri, & per Notarium infrà ſcriptum ſcribi mandavimus, noſtro majori ſigillo & ſubſcriptione ejusdem Notarii roborettis.

Actum & datum *Wratislaviæ* Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo viceſimo nono, Indict. VII, die verò Iovis 7. Menſis Iulii. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri Domini *Martini* divina providentia Pape V. anno decimo, hora tertiarum, vel quaſi in æſtuario parvo Curiæ noſtræ Epiſcopalis celebratis. * Ut igitur ad albam Stubam præſentibus ibidem Venerabili, honorabili, ſtrenuo, & validis Viris Dominis *Thoma Agas* Decano noſtro *Wratislav.* *Iohanne de Smarſovv* in *Otthman*, Eccleſiarum Canonicis, *Laurentio Skoravv* milite Marſchalko noſtro, *Franciſco Haugvvitz*, *Paſkone Skadack*, & *Nicolao Reyskersdorff* fidelibus noſtris, teſtibus, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego *Vincentius* quondam *Bartholomæi de Prævvsnitz* Clericus, *Wratislavienſis* Dioceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia prædictorum Concollatorum & Compatronorum electioni & deputationi omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic, ut præmittitur, coram dicto Domino *Conrado* Epiſcopo *Wratislavienſi* fierent & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi. Ideoque præſens publicum Inſtrumentum manu propria ſcriptum de mandato dicti Dni Epiſcopi exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis una cum appenſione ſigilli majoris præfati Dni D. Epiſcopi conſignavi rogatus, & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

C.

Inſtrumentum publicum ſuper concordia inter Albertum Auſtriæ Ducem & Epiſcopum Patavienſem ex mandato Martini P. M. per Archiepiſcopum Salisburgenſem facta.

E*Berhardus* DEI gratia Sanctæ *Salzburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, univerſis & ſingulis, præſentes literas inſpecturis ſubſcriptorum notitiam cum ſalute. Literas Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri Domini *Martini* divina providentia Papæ quinti ejus vera Bulla plumbea in chordula tanquam more Romanæ Curiæ bullatas, ſalvas, ſanas & integras, omni prorſus vicio ac ſuſpicione carentes nobis coram Notario publico, & teſtibus infraſcriptis præſentatas, cum ea, qua decuit, reverentia recepiſſe noveritis hujuſmodi ſub tenore. 1429. *Ex authent.* P. H.

Martinus Epiſcopus ſervus ſervorum DEI Venerabili Fratri *Eberhardo* Archiepiſcopo *Salzburgenſi* ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad omnium fidelium concordiam, eorum præſertim, qui hereticis in *Bohemia* exiſtentibus, veritatem fidei pervertere conantibus,

bus, finitimi ſunt, ſincera voluntate & paterno ſtudio diſpoſiti ſumus. Cùm itaque nos dudum *Patavienſ.* Eccleſiæ, cujus regimini bonæ memoriæ *Georius* Epiſcopus Patavienſ. dum viveret, præſidebat, per ejusdem *Georii* obitum Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona Venerabilis Fratris noſtri *Leonardi* Epiſcopi *Patavienſis*, tunc ad eandem Eccleſiam electi, prævio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio duxerimus providendum, præficiendo eum dictæ Eccleſiæ in Epiſcopum & Paſtorem. Et deinde, quia nonnulli Clerici & Laici, præſertim in terris & dominiis dilecti Filii Nobilis Viri *Alberti*, Ducis *Auſtriæ* commorantes, ſe dictæ noſtræ proviſioni oppoſuerunt, & pluries requiſiti à dicta eorum oppoſitione deſiſtere non curârunt: Nos tandem quasdam literas monitoriales, diverſas cenſuras, pœnas & ſententias, etiam privationis quorumlibet beneficiorum ac inhabilitatis ad illa, etiam obtinenda, inter alia in ſe continentes, certis in eisdem deſuper executoribus deputatis contra nonnullos in ſpecie, & alios in genete nominatos, ac eorum inhærentes complices & fautores, perſonâ dicti Ducis excepta, duximus concedendas. quarum literarum vigore Venerabilis Frater noſter *Johannes* Epiſcopus *Eyſtetenſis* unus de Executoribus prædictis, omnes ſupradictos, ſe hujuſmodi proviſioni opponentes, & dictis literis monitorialibus non parentes, ſervatis ſervandis, pœnas, cenſuras & ſententias in præfatis literis contentas, incidiſſe declaravit. Demum exigente eorum contumacia dictas pœnas & cenſuras aggravavit & reaggravavit, & loca, ad quæ dicti opponentes & non parentes declinarent, Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, prout præmiſſa & alia tam per nos quàm dictum Epiſcopum Eyſtettenſem facta noſtris literis & ipſius Epiſcopi proceſſibus, deſuper confectis, plenius continetur. Poſtmodum verò per viam pacis & concordiæ incedentes poſt multos & varios tractatus, tam per literas & Oratores noſtros, quàm per ipſius Ducis nuncios habitos, noviſſimè tamen dictus Dux dilectum filium *Nicolaum de Dingkelſpühel* Sacræ Theologiæ Magiſtrum cum certis literis credentionalibus nuncium ſuum ad nos deſtinavit, qui poſtquam intentionem dicti Ducis nobis expoſuit, nos tunc dilecto Filio noſtro *Brandæ* tituli Sancti Clementis Presbitero Cardinali, ut vocatis Epiſcopo *Patavienſi* & *Nicolao* prædictis, pacem & concordiam inter præfatum Ducem & Clericos ac Laicos in hac parte ſibi adhærentes & faventes, & præfatum Epiſcopum ac Eccleſiam ſuam *Patavienſem*, & eis ſimiliter adhærentes, tractandam, & quantum in eo eſſet, concludendam commiſimus. Et quia dictus Cardinalis Epiſcopo *Patavienſi* & *Nicolao* prædictis, & quæ ipſi proponere volebant, ſæpiùs auditis & intellectis, & pluribus hinc inde propoſitis, tandem non reperit aliam diſcordiam & differentiam reſtare, quàm quòd præfato Duci per prædictum Epiſcopum *Patavienſem*, ſeu eius adhærentes quædam parvipenſiones & iniuriæ irrogatæ dicebantur, ac idem Dux quædam iura, ſibi, ut dicebatur, competentia, per ipſum Epiſcopum *Patavienſem* auferri ſuſpicabatur. Et quia ambæ prædictæ partes de te confidunt, per quem huiusmodi reſtantes diſcordiæ meliùs in partibus, quàm in noſtra Curia terminari & concordari poſſent, illas ad pacem & concordiam dictus Cardinalis ſub conditionibus & modis inferiùs declarandis, etiam dictarum partium accedente conſenſu, tibi ordinavit committendas.

Nos igitur ſtatus, tenores & ſeries omnium & ſingulorum præmiſſorum & contentorum in eis habentes pro expreſſis, diſſenſionis & diſcordiæ huiusmodi finem, ac inter ipſas partes pacem & concordiam ſupremis affectibus deſiderantes, Fraternitati tuæ tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus ſuper parvipenſionibus, injuriis & ſuſpicione prædictis, ſine præjudicio tamen iurium, libertatis & honeſtatis Eccleſiæ & Epiſcopi *Patavienſis* prædictorum, ac etiam ſine præiudicio cuiusvis concordiæ, in partibus, inter præfatas partes forſitan factæ vel ante præſentationem aut notificationem præſentium literarum interim forſan fienda, infra terminum duorum menſium, à die præſentationis earundem præſentium tibi fiendæ inchoandorum, ſeu aliud maius tempus de partium conſenſu prorogandi inter Epiſcopum *Patavienſem* & Ducem præfatos ac eorum adhærentes, faventes & ſequaces tuæ Fraternitatis, de cuius induſtria & circumſpecti-

ſpectione plurimùm confidimus, ſublatis huiuſmodi diſſenſionibus & diſcordiis aliis quibuſcunque pacem, concordiam & mutuam charitatem firmare & ſtabilire procures. Ad quam concordiam, ſi primùm DEI clementiâ, deinde tuâ prudentiâ & ſollicitudine devenire contigerit, volumus, & tenore præſentium tibi committimus & mandamus, quatenus omnes ſupradictos cuiuscunque ſtatûs, gradûs, ordinis, conditionis & præeminentiæ fuerint, etiamſi Pontificali vel quavis alia dignitate præfulgeant, præmiſſorum occaſione in genere vel in ſpecie in privationis, inhabilitationis ac irregularitatis cenſuras & pœnas innodatos, tam Apoſtolica, quàm ordinaria auctoritate, hac vice duntaxat, in forma Eccleſiæ conſueta iniunct. inde eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari & aliis, quæ de iure fuerint iniungenda, abſolvas, & huiusmodi privationes revoces, nec non ſuper irregularitate, ſi quam forſan præmiſſorum occaſione huiusmodi ſententiis ligati Ordinibus forſan ſuſceptis miniſtrare valeant, diſpenſes, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam per eos ſeu quemlibet eorum ex præmiſſis contractam, penitùs aboleas, ipſosque etiam & eorum quemlibet in integrum & in ſtatum priſtinum reſtituas, & interim ſententias in civitates, terras, caſtra & loca, Eccleſias, occaſione præmiſſorum forſitan latas, eadem auctoritate relaxes. Quòd ſi forſan ante huiuſmodi concordiæ tractatus ſeu concluſionem tibi expediens, utile ſive neceſſarium videtur, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, ut abſolutiones, habilitationes, reſtitutiones, relaxationes pœnarum & cenſurarum prædictarum, revocationes per te fieri deberent, ea omnia & ſingula, quò ad omnes ſupradictos vel aliquos ex eis, prout tibi videbitur, ſimpliciter ſive ad cautelam auctoritate memorata tam abſolvendo, quàm diſpenſando, relaxando & reſtituendo, aliaque, ut præmittitur, faciendo efficias & exequaris, ea tamen conditione, ut ſi huiusmodi concordia infra dictorum duorum menſium, vel alium, ut præmittitur, de partium conſenſu prorogandi terminum non ſequatur, illi exligatus & ſit abſolutus . . . huiusmodi, qui ex tunc dicto Epiſcopo realiter & effectualiter verbo & facto, ut præfertur, non obediverint & paruerint, cenſuras & pœnas, & civitates, terræ & loca, & Eccleſiæ Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto nullam prævia citatione ſive monitione in pœnas & cenſuras priſtinas eo ipſo relabantur, & relapſa ſint & eſſe penitus cenſeantur: quodque ex tunc dictæ literæ & proceſſus ſuam plenam vim & vigorem in omnibus & per omnia habeant, ac per Executores & Subexecutores in eis deputatos continuari & publicari poſſint & valeant, prout ante dictam abſolutionem & relaxationem valebant, ac publicari & continuari ac ulteriùs exequi poterant, Conſtitutionibus Apoſtolicis ac omnibus noſtris litteris in contrarium forſan emanatis ceterisque contrariis non obſtantibus quibuscunque.

Datum *Genezani*, *Peneſtrinenſis* Dioc. V. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno undecimo.

Sanè quia inter partes in dictis litteris Apoſtolicis principaliter nominatas Dei clementiâ, & noſtra ac aliorum bonorum hominum ſollicitudine diſſenſiones & diſcordias quascunque ſublatas, pacemque & concordiam procuratam eſſe cognovimus: Nos omnes & ſingulos Clericos & Laicos, præſertim in terris & Dominiis Illuſtris Principis Domini *Alberti*, *Auſtriæ*, *Styriæ*, *Carinthiæ* &c. Ducis, Marchionis *Moraviæ* commorantes, qui ſe proviſioni Eccleſiæ *Patavienſis* de perſona Venerabilis Fratris noſtri Domini *Leonardi* Epiſcopi *Patavienſis*, auctoritate Apoſtolica factæ oppoſuerunt, contra quos certæ literæ monitoriales, diverſas cenſuras, pœnas & ſententias, etiam privationis quorumlibet beneficiorum & inhabilitatis ad illa, etiam obtinenda, inter alia in ſe continentes, à Sede Apoſtolica emanaverunt, cuiuscunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ fuerint, etiamſi Pontificali vel quavis alia dignitate præfulgeant, & qui præmiſſorum occaſione in genere vel in ſpecie huiusmodi privationis, inhabilitatis, & irregularitatis cenſuris & pœnis innodati fuerant, tam Apoſtolica quàm ordinaria auctoritate, qua fungimur in hac parte, à pœnis & cenſuris & ſententiis huiusmodi in forma Eccleſiæ abſolvimus, & ipſas privationes revocamus, nec non ſuper irregularitate, ſi qua, forſan præmiſſorum occaſione huiusmodi ſententiis ligati Ordinibus

dinibus forsan susceptis ministrare valeant, dispensamus, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam, per eos seu quemlibet ipsorum ex præmissis contractam, penitùs abolemus, ipsosque & eorum quemlibet in integrum & in statum pristinum restituimus, ac Interdicti sententias in Civitates, Terras, castra & loca ac Ecclesias occasione præmissorum latas, dicta auctoritate Apostolica relaxamus: Injungentes absolutis, dispensatis & habilitatis prædictis, illis videlicet, qui in præfatis litteris monitorialibus Apostolicis nominatim expressi sunt, quatenus singuli eorum per se vel per alium ad id speciale mandatum habentem infra mensem post habitam per eos de absolutione, dispensatione, ac habilitatione prædictis notitiam conspectui præfati Domini *Leonardi* Episcopi *Patavienſis*, se præsentent, sibique aut illi vel illis, quem vel quos ad hoc deputaverit, suo nomine obedientiam faciant & exhibeant verbo ac facto, realiter & cum effectu. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes litteras, sive præsens publicum Instrumentum exinde fieri, & per Notarium publicum subscriptum subscribi & publicari mandavimus, nostrique sigilli appensione jussimus communiri.

Datum *Wyennæ Patavienſis* Dioc. die septima Mensis Decembris hora tertiarum vel quasi. Indict. VI. Pontificatûs Sanctiss. in Christo Patris ac Domini, Domini *Martini* Papæ V. prædicti anno XII. Præsentibus Venerabilibus & circumspectis Viris Dno *Silvestro* Præposito in *Si.*
f. **Slier-* *lersee** Cancellario, & *Jodoco Gossol* Ca-
see. nonico *Augustienſi*, Vicario in spiritualibus generali Ecclesiæ ac Officiali Curiæ *Salzburgenſis*, & *Vicentio* Rectore Ecclesiæ Parochialis in *Pettaw*; *Salzburgenſis* Dioces. testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis.

Et ego *Caspar Horenperger*, Clericus Patavienſis publicus Imperiali Auctoritate Notarius, quia dictarum litterarum Apostolicarum præsentationi & receptioni, absolutioni, revocationi, dispensationi & relaxationi omnibusque aliis & singulis supradictis, dum sic, ut præmittitur, agerentur & fierent, unà cum testibus supra nominatis præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi. Ideoque hoc præsens publicum Instrumentum, per alium fidelem scriptum, de mandato præfati Reverendissimi Patris & Domini, Domini *Eberhardi* Archiepiscopi *Salzburgenſis* &c. exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, signoque & nomine meis solitis & consuetis, una cum appensione sigilli ipsius Domini Archiepiscopi *Salzburgenſis* signavi rogatus & requisitus, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

CI.

Henricus Comes Palatinus Rheni & Dux Boiariæ, Abbati Lunælacenſi, seu Monseensi facultatem concedit omnem divendendi ceram, quæ ad celebrem Ecclesiam S. Wolfgangi oblata fuerit.

WIr Heinrich von Gottes Gnaden Pfaltzgrafe bey Rein/ und Hertzoge in Bayrn &c. Bekennen mit disem Priefe ofenlich/ das uns die Ersamen/ in Got unsere liebe/ andächtige/ und getreue/ der Abte und Conuent/ unsers Closters Männsee vorbracht haben: wie das Würdige Gotshaus des Heiligen Herrn Sant Wolfgang/ von langen Jaren bisher/ und noch täglichs mänigfeltigleich/ um Gnade/ und Ablaß heimgesuecht/ und von vilen fromen Cristen Menschen/ zu den Ren des Heiligen Sant Wolfgang mit menigerley Almosen/ und sonder mit Wax/ das sy in menigerley Form und Gestalt/ nach Gelegenheit der Gelibten/ und Gebrechen dahin bracht haben/ und noch tägliches dahin bringen/ begabt/ und geert worden seye/ und noch täglich damit begabet und geert werde. Nu habe sy solches Wachs/ wie/ und welcher Form man das dahin bracht/ und zu dem egenanten Gotshaus geben hat/ widerumb den Kürchen-Leuten/ die dann das Gotshaus heimgesuecht haben/ verkauffet/ also das solch Wax ye von einem an den andern kommen/ und widrumb zu dem egenanten Gotshaus kommen ist; dadurch sie dann solch Wax zu Gelt bracht/ und davon das egenante Gotshaus gebauet/ und mit andern nottürfftigen Sachen fürgesehen haben/ und noch täglichs damit bauen/ und nach Notturfft versehen.

1431.

In solchen irren löblichen Gewon-

beiten/ und alten Herkommen/ die ſie dan biſher one alle Irrung/ und Eintrag von menigleichen gütlichen herbracht haben/ vermainen/y unſere Getreue/ die Burger unſers Marckhts Sant Wolfgang zu irren/ und vermainen nu fürpaß ſelbiges Wax da kauffen und verkauffen/ und ſonder denen Kürchfarten; dardurch Wir wol merken möchten/ das inen das an iren Wax/ das man alſo zu den egenanten geben wurde/ merklich und groſſen Schaden bringen wurde: Und haben uns darauf angerueffet/ und mit gantzen Vleis demütiglich gebetten: das Wir ſie bey ſolchen iren löblichen Gewohnheiten/ und alten Herkomen gnädiglich halten/ und dauon niemanden dringen laſſen wolten.

Und wann Wir aber nu eigentlich unterweiſet ſind/ das das egenante Gotshaus vor langen Jaren/ vor unſern Zeiten/ bey unſern Vorfarern ſeeligen Gedächtnus/ mit ſolchen obgemelten Kirchferten/ manifeltigleich heimbgeſuecht worden/ und mit ſolchen löblichen Gewonheiten vor langer Zeit herkomen iſt.

Darumb ſo haben Wir der obgenanten unſerer andechtigen/ und lieben Getreuen/ des Abtts und Conuents ſolch rechtlich Begern/ und demütiges Gebete angeſehen: und wöllen/ das ſie/ und ire iegliche Nachkomen/ mit dem Wax/ das man dann zu der egenanten Kürchen gibt/ und bringet/ handlen/ und wandlen ſollen/ inmaſſen/ als Sie dann vor/ und von Alterher damit gehandlet/ und gewandlet/ und mit guter und löblichen Gewonheit herbracht haben: Wen Wir Sie gnediglich dabey halten/ und ſie niemanden dawider ze dringen/ anders dan von Alter herkomen iſt/ geſtatten wöllen.

Darauf gebietten Wir allen/ und jeglichen unſeren Undertanen/ und Getreuen/ den diſ unſer Priefe geweiſet wird/ ernſtlich/ und veſtiglich/ das ir den egenanten Abte/ und Conuent/ und allen iren Nachkomen/ bey ſolchen iren löblichen Gewonheiten und alten Herkommen verbleiben laſſet/ und dawider ferner nicht dringet/ als ferne ir unſer Hulde behalten/ und unſer Ungnade vermeiden wöllet. Mit Vrchunt diſes Briefs/ der mit unſern anhangunden Inſigel verſigelt/ und geben iſt auf unſern Veſſte Burghauſen/ am Montag nach den heiligen Aufarts-Tag/ als man zelt nach Criſtes Gepurt/ viertzehenhundert/ und darnach in dem ein und dreiſſigiſten Jar. *Ex originaria charta deſcriptum.*

CII.

Guarini Veronenſis Epiſtolæ.

I.

Gratulatur ei Equeſtris Ordinis inſignia, à Sigiſmundo Imperatore collata.

Guarinus Veronenſis illuſtri Domino *Leonello Eſtenſi* ſalutem plurimam d.

1433. *Ex Biblioth. S. Juſtinæ Patavin.*

HOdierno die, mi Rex & dive Leonelle, Cives tui, quia Ordinis Equeſtris inſignia tibi tam honorificè addita, ſeu potius reddita fuiſſe cognoſcunt, privatim, ac publicè magnam egêre lætitiam, & præcipuum divinis in templis honorem pro ſua in te, illuſtremque Genitorem pietate &c. obſervantia celebrârunt. Nam, cùm tantas tibi, & animi, & corporis dotes ab natura ingenitas, tuaque induſtria expolitas, & ſtudio adauctas eſſe cernant, iſta ipſa ornamenta ad decus, ad obedientiam, ad dignitatem, quaſi conſummationem quamdam amplitudinis adveniſſe gloriantur. Qua in re tibine magis, vir magnifice, an ornamento ipſi gratuler, in ambiguo ſum.

Non enim ſum ignarus hujus generis decora, magnam tibi hominum exiſtimdationem, commendationemque vindicare, & egregiam apud eos, quorum commodis, honori, & ſaluti conſulturus es, auctoritatem comparare. Hac ratione antiquos Perſarum Reges varios ſibi colores intriviſſe, cæſariem auxiſſe, inuſitatos vulgo habitus multo auro, multisque gemmis induiſſe, teſtis eſt Xenophon, ut vel ſic inter ſuos amplio-

ris

ris venerationis eſſent. Præterea clam me non eſt, iſtos honores & inſignia virtuti teſtimonium adduci, & bene inſtitutæ Menſis præconia.

Quo circa milites ſtrenuos, bellatores fortiſſimos. Ducesque ſapientiſſimos haſtis, phaleris, vexillis, ſtatuis, & quod maximum vororum eſt, triumphis donari, & inſigniri legimus. Accedit ad gratulationem meam, quòd ornatus auratos, & equeſtrem dignitatem per ſe ſatis ingentem, ingentiorem facit imponentis, & donatoris amplitudo, ſimul & gloria. De cujus magnificentia, rebus præclarè geſtis, clementia, æquitate, cæteriſque virtutibus, ut taceam; quid Imperatore Romano? quid Cæſare, quid Auguſto excellentius, admirabilius, religioſiusque humanum genus habet? Ejus poteſtatem Poëta maximus paucis verbis exprimens ait:

Martialis. Virgilius.

Diviſum Imperium cum Iove Cæſar habet. Quippe
Imperium Oceano, famam qui terminat aſtris.

Subinde antiquum Genus *Eſtenſe* perpendo, & illuſtrem majorum tuorum, Patríſque progeniem, quorum liberalitas, ſapientia, manſuetudo ſempiternam famam adepta eſt. Eorum nomini, & laudibus ſplendorem adjungit tua in DEUM pietas, in Parentes obſervantia, in Propinquos amor, in Amicos fides, in omneis bonitas, caritas, diligentia, plurimarum, & optimarum rerum cognitio, præſertim cùm ad paternam animi magnitudinem doctrina uberior accedat. Addo victus ſobrietatem, ſomni parcitatem, venationis, aucupiorum, ludorum frequentiam, ſagittandi ſolertiam, quibus otia fugitans, & laborum ſtudioſus omnes corporis ſenſus domas; & ita domas, ut intra modeſtiæ gitum frenati ſe contineant. Quid morum ſeveritas? qua factum eſt, ut in tam teneris adoleſcentiæ annis, & regia licentia nil iuvenile redolens maturum ſapias Neſtorem.

Per hæc atque alia in te ornamenta in eam venio ſententiam, ut longè magis abs te equeſtria decorentur inſignia, quàm tu equeſtribus decoreris inſignibus, idque iure quidem ac merito. Nam plurimi ſine virtute equitum geſtamina uſurpant. Neque Regem illum eſſe crediderim, qui majora poſſideat prædia, aut purpurea in veſte gemmatam fronti Coronam impoſuit. *Rex* eſt, inquit Tragicus, *qui poſuit metus, & mala divi pectoris.* Et, ut à Briante dictum eſt: *qui ſua ſecum portat.* Alioquin larvatum in ſcæna Hiſtrionem Agamennonem liceret appellare vel Priamum, cum is viliſſimum fortaſſe ſit mancipium.

Nec verò *Leonelle*, Vir Illuſtris, tam inferiorem dignitatem equeſtrem dixerim, quàm pacis artibus meruiſti, quàm quæ bello rapi ſolet. Hæc enim (mortalium cædibus, civitatum direptione, ſtrage regnorum uſurpatur, & calamitatibus aliis, quas ſingulatim apud Criſpum Cæſar explicat. *Rapi virgines, pueros divelli à complexu parentum, matres familiarum pati, quæ victoribus collibuiſſent, fana atque domos ſpoliari, cædem, incendia fieri, poſtremò armis, cadaveribus, cruore, atque luctu omnia compleri.* His ſanè indignum eſt, tot dierum ſupplicationes indici. Iſta autem urbana munificentia, integritate, juſtitia, benè de civibus merendo, patriæ commodis inſerviendo, honori ſuorum augendo quæritur: Qua in re T. Flaminium triumpho digniorem fuiſſe cenſuerim, quia Græciæ ſuas vivendi leges & mores reſtituerit: quòdque mille ac ducentos cives in priſtinam libertatem è ſervitute revocavit, quàm quòd Philippum, Macedoneſque debellaverit. Crudele enim eſt, & humanitatis abhorrens ex hominum malis, atque miſeriis prædicationem, titulosque ſibi quærere.

Aurum, quo te inſignitum eſſe hodie cernimus, tibi ad vitæ degendæ ſpeculum propoſitum eſſe conſiderabis. Etenim cùm aurum ſplendore, pretio, immortalitate Metallis reliquis antecellat: ſic & tu vivendi puritate, virtutum excellentia, honeſti animi conſtantia, ſicut inter cæteros mortales eminès, ita teipſum in dies ſuperare contendes.

Id egregia fide feceris, ſi nullam tibi cum hæreticis concordiam eſſe ſines. Nulla, niſi juſtè ac legitimè indicta bella ſuſcipies. Pupillorum ac viduarum tutelam tuam in fidem accipies; tria hæc perpetua virtute profiteberis.

Ne autem longior mea tædio te afficiat Oratio, tibi pro mea in te fide ac pietate novis inſignibus gratulor, & gaudeo, quibus non minus decoris, laudis, ac dignitatis reddis, quam in-

de acceperis. Idque tibi, ac tuis bonum fauſtum, felixque ſit, oro, munusque Cæſareum pro mea virili parte attendo, ad perennitatemque produco.

Nulla ſiquidem tanta ſunt hominum conſtructa manibus opera, quæ non ruant, obſcurentur, niſi litterarum Monumenta ſuſtentent, illuſtrent, & juveneſcere faciant. Ad quòd quidem conficiendum puſilla hæc mea ſcripta doctiſſimos viros, & diſertos ſcriptores invitant, quorum ope atque opera huius facti memoriam nulla unquam delebit oblivio, quamdiu legetur, & ad poſteros hoc pacto perveniet.

Sigiſmundus Cæſar Auguſtus cum ſedato adverſus *Ligurum* Ducem bello Veneto ab *Eugenio* Pontifice maximo Corona inſignitus aurea, & *Baſileenſem* Synodum petens, *Ferrariam* e Roma in Illuſtris Marchionis *Nicolai* ædes diverſiſſet, Illuſtrem *Leonellum Eſtenſem*, ſextum & viceſimum agentem ætatis annum, Equeſtris Excellentiæ donavit inſignibus, quòd & præſentibus, & venturis ſignum hoſpitii, & monumentum, ac pignus amoris relinquatur. Vale.

2.

Eundem hortatur, ut magnorum hominum virtutes crebris ſermonibus uſurpet, ac in defendendis laudibus I. Cæſaris ſtrenuum ſe præſtet.

Guarinus Veronenſis Illuſtri Principi de *Leonello Eſtenſi* S. P. D.

NUlla profectò *Leonelle* Princeps, ſigna videris ommittere, quæ ad Virum, vel præſentem, vel futurum ampliſſimum pertineant. Quam quidem ad rem, cùm alia complura, tum verò nuper abs te habitus ſermo conducit, meque magnoperè delectat, cùm de comparandis Viris inſignibus, eorumque rebus geſtis orta contentione, Cæſaris laudes per omnium ora volitantis decantares, & adverſùs altercationis cupidos, quaſi manu conſerta protegeres, de cuius fortitudine, & claritate divinus Poëta cecinit:

Virgil. *Imperium Oceano, famam qui terminat aſtris.*

Ita fac, Vir Magnifice, Magnorum virtutes hominum crebris uſurpa ſermonibus, ut cum eos tibi cognitos feceris, prædices, prædicatos diligas, dilectos imiteris. Nam Maiorum ſtatuæ, vel fructum illum pollicentur eximium, ut contemplatores ſuos ad probitatis æmulationem exuta ignavia ſtimulent: quod Q. Maximi, Scipionisque, & aliorum Illuſtrium Virorum teſtimonio verum eſſe non ignoras, qui apud Criſpum lectitas: *Cùm maiorum imagines intuerentur, vehementiſſimè animum ad virtutem accendi ferebant, ſcilicet non eorum illam, neque figuram tantam vim in ſe ſe habere; ſed memoria geſtarum rerum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere, neque priùs ſedari, quàm virtus eorum famam, atque gloriam adæquavit.*

Idque adeo efficax eſt, ut primum hinc Cæſari calcar ad dignitatem, decus, & gloriam adipiſcendam, incuſſum eſſe tradatur. Qui, cùm Quæſtor ulteriorem *Hiſpaniam* obtineret, *Gadis* profectus animadvertit apud Herculis templum Alexandri Magni ſimulacrum. Quo viſo ingemuit quaſi pertæſus ignaviam ſuam, quòd nihil tum a ſe memorabile actum eſſet ea in ætate, qua iam Alexander non parvum orbis partem ſubegiſſet. Sic Alexandro quaſi Magiſtro inflammatus ad captandas quamprimùm magnarum rerum occaſiones exarſit: quod tuo quoque ingenio infixum iri non dubito frequenti commemoratione maiorum, ſuarumque contemplatione virtutum.

Ut igitur pro Cæſaris ſplendore contra factioſos conſtantiùs propugnare pergas, Antiquorum ſubſidia, quorum in omni re plurimùm pollet auctoritas, adduco. Eorum perinde ac veteranorum aciem adverſùs tironum clamores in prima fronte locabis, ut priore concurſu vel terga fugæ dent, vel tremor occupet artus, vel ſi pervicaces præſtare nollent, manus dare incipiant.

In primis erit Plutarchus, cuius in omni Doctrinarum genere tanta cognitio eſt, ut quem illi præponas, non facile dixeris. Eius ductu, & auſpicio pro tutanda Cæſaris dignitate collatis ſignis congredi non dubites. Is enim in ea, quam de Cæſare eleganter, ſicut & alia, conſcripſit, vita, hæc de Cæſaris Excellentia ſummatim unum in cumulum redegit, cuius ſenſum ad verbum fideliter in Latinum vertere aggreſſus ſum. Ea verò ſunt:

Digitized by Google

ſunt: Tempus deinde belligerandi, ac rei militaris, qua pacatam reddidit Galliam, perinde, ac ipſe alia capeſceret initia, & alteram quamdam vitæ rerumque novarum viam inſiſteret, huius generis eſt, ut eum & bellatorem, & Ducem nulli ex iis inferiorem oſtendat, quorum in ductandis exercitibus ſingularis admiratio præcipua extitit amplitudo. Quod ſi quis Fabios, Scipiones, Metellos, & ætatis ſuæ, vel paulò ſuperiores Syllam, Marium, ac utrumque Lucullum, Pompeiumque, cuius gloria per varias rerum bellicarum virtutes uſque in Cœlum efloruit, comparare voluerit, rerum ab Cæſare geſtarum magnitudo ſuperat.

Hunc quidem locorum difficultate, in quibus ab illo bella peracta ſunt, illum agri magnitudine, quem Romano adeptus eſt Imperio: alium multitudine hoſtium, & viribus, de quibus victoriam reportavit, quemdam immanibus, abſurdisque Gentium moribus, quas planè ad leniores vivendi ritus redegit: alterum comitate, ac manſuetudine, quibus erga victos uſus eſt, nonnullum gratificandi ratione, atque munificentia, quas in commilitones exercuit, univerſos denique vel hoc uno excelluit, quòd plurimas commiſit pugnas, & plurimos adverſa inſtructos acie occiſioni dedit.

Annos enim minùs decem intra Galliam belligerans urbibus ſupra octingentis potitus eſt. Gentes quadringentas ſubiugavit: Adverſus tercentas myriades ſeparatim iuſta depugnavit acie. E quibus cum centum dederit in ſtragem, reliquas vitæ reſervavit. Unam autem myriadem decem conſtare millibus certum eſt. Hæc quidem acies prima.

Non erit alienum, & conterranei mei *Plinii* hominis, & docti, & fortiſſimi teſtimonium, qui Cæſaris tam admirandum prædicat ingenium, ut ſcribere ſimul & legere, dictare & audire ſolitum acceperit. Quid quòd epiſtolas tantarum rerum quaternis pariter librariis dictare, aut ſi nihil aliud ageret, ſeptenis conſuetus fuerit?

Idem collatis ſignis quinquagies dimicavit, ſolus M. Marcellum transgreſſus, qui ſexdequadragies dimicavit. Nam præter civiles victorias undecies centum, & nonaginta duo millia hominum occiſorum prœliis ab eo, nec in gloria poſuerim tantam humani generis iniuriam, nec ipſe ſibi retribuerit. Cæſari proprium, & peculiare ſit clementiæ inſigne, qua uſque ad pœnitentiam omnes ſuperavit. Idem magnanimitatis præbuit exemplum, cui comparati non poſſit aliud. Spectacula enim edita, effuſasque opes, aut operum magnificentia hac in parte enumerare luxuriæ faventis eſt.

Illa fuit vera, & incomparabilis invicti animi ſublimitas, captis apud Pharſaliam Pompeii Magni ſcriniis Epiſtolarum, iterumque apud Tapſum Scipionis, ea optima concremâſſe fide, atque non legiſſe. Et profectò nihil in homine maius, nihil in homine admirabilius, nihil denique divinius inveniri poteſt. Nam ut de bello Magnus Orator inquit: *Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduerſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem non modo extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem; hoc qui facit, non ego cum ſummis viris compare, ſed ſimillimum DEO iudico.* Cicero.

Vt autem de contentioſis indubitabile trophæum erigamus, & tertia ſtruatur acies, & huius ſupra hominem admirandi Principis citetur teſtis Cicero: *Soleo*, inquit, *ſæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris uſurpare ſermonibus, omnes noſtrorum Imperatorum omnes exterarum gentium, potentiſſimorumq; populorum, omnes Regum clariſſimorum res geſtas cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero prœliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudine bellorum poſſe conferri.*

Quibus univerſis unum ſub intuitum collocatis, quem mihi dabis, qui licet una, vel item altera laude polleat, tantarum rerum gloria cumulatiùs eluceat? Nihil dico de doctrina, nihil de eloquentia, quibus ſi non primus, & ſecundus inter Romanos Oratores, virosque peritiſſimos ab certis, & graviſſimis locatur Auctoribus, nihil de reliquis virtutibus: grandi namque volumine, heu quid dixi! voluminibus opus eſſet.

Satis fuerit in præſentiarum quædam attigiſſe rerum faſtigia, ſi quid fuerit omiſſum, aut mutire hoſtes auſi ſint, mox delectus alter habebitur. Novæ ac recentes cogentur copiæ, quæ ſuccenturiatim

tim ſecundis imitentur dimicationibus, quæque ſubſidio locatæ hoſti fugam injcient;

Virgil. *Tu modo ne cade minis, ſed contra audentior ito;*

Vt invictum Cæſarem fortis, invictusque defendas. Hoc pacto univerſi exercitus conclamatione, quod felix, fauſtumque ſit, Imperator appellabere. Vale, & me commilitonem tuum ama.

3.

Laudat eiuſdem etiam in otio negotia litteraria, ut a quibus ſolis immortales laudes expectande ſint &c.

Guarinus Veronenſis Illuſtri Principi Domino *Leoncllo Eſtenſi* Sal. Plu. d.

NUper cum in agrum ſecederes *Portuanum*, improbare quidem non audebam ſeceſſum tuum, præſertim quia naturâ ipſâ magiſtrâ ſecundùm labores adoptanda ſit quies, & poſt ingraveſcentes defatigatione animos delinimentum aliquod accedere oporteat. Nam exploratum eſt, poſt datum ad opera diem ſomni & requietis parentem ſuccedere noctis vicem.

Achillem a ſudoribus bellicis, & hoſtibus ad Troiam cæcis cantus, ac cytharam attigiſſe legimus. Quid de Scipione dicam, & Lælio, quos ubi pulcherrimis reipublicæ muneribus, curisque ſenatoriis, ſicut & tu ipſe præclarè, ſatis invigilarant, colligendis, & iactandis in littore conchyliis quietis loco luſiſſe memoriæ proditum eſt, quis, niſi otio, & remiſſioni ſe paululum dedat, non debilitetur opere, & actione frangatur? Verùm enim verò ſubverebar, ne iſta intermiſſione potiùs, quàm omiſſione Muſa noſtra rauceſceret, quæ non, ut Muſici ſolent, quò frequentiores cantus exercet, & altiores clamores tollit, eò vox clarior, & ut ita dicam recentior, integriorque ſervatur.

Hoc autem die, Vir Illuſtris, tua illa melle dulcior epiſtola omnem a me ſuſpicionem ademit atque metum, quæ multis de cauſis digna eſt, quia tam Magnifico mihi tabellario redderetur, *Alberto*, inquam, a *Sala* Equite ſplendidiſſimo. Is cùm omnibus aliis calcar ad virtutem, tum verò tibi hortator, animator, inceniorque ad hæc divina literarum ſtudia ſemper eſt: Decuit profectò eum ſuarum in te adhortationum fructus mercedémque baiulare, & tam benivolis præſtare manibus. Hæc igitur ipſa, de qua loquor, epiſtola mihi teſtimonio fuit, te per hanc Portuanam ruſticationem nullo modo Muſam dimiſiſſe, ſed ulnis ſtrictioribus amplexatum, ut, quod aliis otium eſſe ſoleat, tibi negocium, & quidem literarium feceris. Qua in re tuo ingenio, virtutique gratulor, quòd maiores noſtros præclaros homines imiteris. Nam Catonem, Cæſarem, Brutum, Ciceronem, Alexandrum, compluresque alios, tanto ardore doctrinam perſecutos ſcimus omnes, ut dum navigarent, dum venarentur, dum iter facerent, & quod mirabilius eſt, dum acies ſtruerent, legerent, diſcerent, ſcriberent. Hinc enſesac retia, hinc libros ac ſtilum cerneres; adeò ſine literis inſipidam, inertem, ignominioſam, immò vitam nullam eſſe putabant.

Et profectò Genus, Patria, Opes, Imperia, Voluptates aut aliena ex laude, aut ex fortunæ beneficio ſunt, & hæ poſtremæ cum brutis communes. Sola diſciplina eſt, quæ virtutem, quæ gloriam, quæ nomen immortale comparet, hominémque non ſolùm bellicis, ſed etiam ipſis præſtare faciat hominibus: Nam quid aliud hominem imperitum cenſeas, niſi æream, aut lapideam inter mortales ſtatuam? De literis verò tuis, quid ſentiam, explicare non parva me tenet dubitatio. Eas ſiquidem non probare non poſſum, quas videam verborum ornamento, ſententiarum gravitate refertas, & utrumque ſuaviſſimas, inſperſo in ſalis modum tuarum virtutum ſapore, humanitate, morum dulcedine, caritate, modeſtia, qua ius amoris offendiſſe pertimeſcis, ſi diuturnius ſilentium egiſſes. Hæc rectè facta ſuis fraudare laudibus non decet; quæ, ſicut ex ſole radii, ſic ex virtute funduntur, & manant; virtutis etiam, & bonarum artium alimentum eſt honos atque laudes.

Quo circa veterum inſtitutis poſt adeptas victorias decantari ſolitos [illegi]les audimus, nec minùs poſt res benè geſtas laudari pro concione milites, & coronis donari Duces. Laudata namque virtus creſcit, & immenſum gloria

calcar

Digitized by Google

calcar habet. At enim subinde vereor dignis te efferre præconiis, & in faciem, ùt dicitur, commendare, ne quod testimonio virtutis dico, assentari videar, cùm nulla tamen assentandi causa mihi sit, & ab ea ratione prorsus abhorream.

Accedit, ne, cùm tua scripta comprobaverò, non tam tua, quàm mea laudibus extulisse velle credar; qui tibi ad hæc studia, & periocundas artes pro mea tenuitate vel comes, vel adiutor, vel hortator existo. Unum tamen mihi solatium est; quia me tacente res tuæ se ipsas extollunt, & pro sua claritate in tenebris iacere non possunt, quod etiam si desit, tuæ inter litteras actæ vitæ conscientia, & benefactorum recordatio tibi periocunda futura est.

Perge verò, & qua te ducit via, dirige gressum, præsertim, cùm hanc ipsam doctrinam sicut, & reliquas, ad exercitationem accommodari oporteat. Te precor atque obtestor, ut vocanti & manum porrigenti immortalitati libens audias, quamquam id spontè tua facis, & sic tecum animo cogitas faciundum, ne cùm omnia tibi ab natura, & ab fortuna donata, & concessa sunt, tu tibi deesse videaris. Sic cum inter homines Princeps sis, inter Principes Princeps præclarus evades. Qua in re cùm tibi, tum verò mihi faveo. Contingit enim, sicut in divino illo Minervæ clypeo Phydiam, sic & in tuo splendore apud posteros spectari, legíque *Guarinum*. Vale.

4.

Gratias agit pro misso sibi munere è venatione, cuius laudes persequitur. In fine Leonello commendat Amicum de Turre Equitem.

Guarinus Veron. Illustri Principi *D. Leonello Estensi* S. Pl. D.

NUlla ferè dies illucescit, qua non aliquod novum virtutis periculum ac testimonium ex te videam. Alio quidem tempore aliarum virtutum, hodierno die benignitatis, & suavitatis documentum, quasi sidus aliquod extulisti. Qui cùm inter eximios viros, insignesque Principes Princeps & ipse versaris, ab negotiis per otium & varias delinitus amænitates, ad mei tamen recordationem descendisti, quemadmodum DEI relicto sæpè Cœlo, ut Poëtæ dicerent, terras, & pastorias casas visere non fastidiunt.

Eius verò rei testis est pulcher, ac præpinguis capreolus, quo me nuper donâsti, & in venationis tuæ partem vocare instituisti: ut, quoniam venandi iocunditatem præsens capere non possem, fructu tamen aliqua ex parte non carerem. Id cùm per se optabile sit, ad honorificentiam quoque meam, & posteritatis famam comparandam pertinet, cùm humilis ipse tibi excelso sanè viro, & tanto fastigio sublimi placuisse prædicabor, & amplitudini tuæ carus & acceptus extitisse. Nec enim latere possunt, quæ vos Illustres Viri in alta positi specula geritis, in quos omnium ora, atque oculi coniecti sunt, vel imitaturi, vel iudicaturi.

Legeram apud doctum, & disertum inprimis Philosophum Xenophontem, venationem ipsam, quasi quoddam rei militaris præludium esse, & bellicæ virtutis simulachrum. Et profectò nihil in venandi studio facilè reperies, quod sit a militia & ab armorum peritia vel alienum, vel disiunctum. Prima luce surgere, sitim, famem, æstus, frigora, labores, & alia sexcenta incommoda tolerare. Quid dicam insidias, simulationes, dissimulationesq;? quid iaculandi, sagittandi artem? Quotiens cum robustis, & animosis concurrendum est feris, & de victoria decertandum? quæ singula ad verum certamen via quædam, ars, & industria sunt.

Tu autem pro ingenito tibi virtutis amore, non solùm venationem corporis quoque exercendi, sed etiam virtutis materiam, & benignitatis exercitium esse voluisti, qui, ut te, non tibi soli natum esse ostenderes, eam ad liberalitatem, munificentiamque convertisti. Ita fac *Leonelle*, Vir magnanime: enitere, ut eius generis voluptates amplectare, quibus cum neminem offendas, valeas prodesse quàm plurimis.

Pro tuis autem in me meritis, & divinæ humanitatis testimonio, quas dignas tibi grates referam, nescio.

Quæ tibi, quæ tali reddam pro munere dona?

Accipe

Accipe me tuæ certæ Magnitudini deditiſſimum, ac me pro tuo utere arbitratu. Et quoniam de liberalitate agi tecum cœptum eſt, non verebor, ne me importunum ineptumque voces. Coram autem hæc dicere fortaſſe quidem verecundarer ego, & cæterùm ſcribere nihil verecundabor. Ut enim inquit Tullius noſter: *Epiſtola non erubeſcit.*

Sapientiſſimum Virum, & Equitem ſplendidum *Amicum de Terre* tuæ Humanitati magis magiſque cõmendo, ſuis ita rogatus litteris: quod eò audacius facio, quòd iuſtus tu ab iuſto Principe iuſta impetrare facile potes. Quod autem maius Principis officium eſt, quàm ut bonis viris faveas, eorumque dignitati, & commodis conſulas? Hi ſunt, ab quorum benivolentia, laude, ac ſtudio nominis perpetuitatem, & boni Principis appellationem, & apud præſentes, & apud poſteros conſecuturus es. Quid præterea gratius, acceptiusque DEO illi Principi, & Creatori rerum omnium conficere vales, quàm de honeſtis magnisque hominibus, id eſt, virtute præcellentibus, benè mereri? Feliciter vale.

5.

Nuntiat Eidem non ſine triumpho, opera quædam, Philopemenem & Flaminium, furto ſublata, demum recuperata eſſe.

Guarinus Veronenſis Illuſtri Principi D. *Leonello Eſtenſi* Sal. pl. dicit:

COntemplanti mihi, Vir Illuſtris, mores tuos verè regios, & in iſta iuvenili ætate ſenilem adeò gravitatem, non parva quadam oritur moleſtia, cùm noſtram conſuetudinem interruptam aliquantulum eſſe video. In tua namque præſentia, ſicut in amœniſſimo diverſorio magis ac magis acquieſco, cùm pro tua humanitate non aliter te ipſum habeam, & ſentiam quàm Poëtæ veteres Inſulas illas beatorum, in quibus campos Elyſios per illarum ſuavitudinem, & quietem fuiſſe canunt. Itaque ſicut tua tempeſtiva quidem aucupia probo, quæ laboris condimento ſumuntur, & corporis exercitio, ſic illis invideo; perque longinquus abes. Verùm enim vero hanc ipſam abſentiam una quædam conſolari poterit epiſtola, quæ nos, ſi non corpore, & ſermone facit eſſe præſentes. Dum igitur quod ad tuam magnificentiam potiſſimùm ſcribam, mecum cogito, DEUS ipſe lætam, & exoptatam attulit materiam, quam, ut primùm accipies: Scio præ gaudio exilies, & ad Equitem ſplendidiſſimum *Albertum a Sala* tuarum voluptatum participem feſtinabundus advolabis.

Scis, *Leonelle* Vir Clariſſime, *Philopemenem*, & *T. Flaminium* Imperãtores fortiſſimos, & homines inſignes, quorum ductu & auſpicio virorum illuſtrium vitas & ſtudia cognoſcere cœpiſti, dudum amniſſos latuiſſe, & inveſtigatos nusquam interim comparuiſſe. Ii ambo ſeſe mihi obviam hodierno die attulere, & meos in amplexus læta fronte, oculis, & omni denique hilaritatis geſtu procurrerunt. Cùm interrogo cauſas abſentiæ, & quibus ab oris expectati veniant, comperio ab Gallo quodam transalpino furto ſubductos eſſe. Gratulatus ſum, fateor, noſtris Italis, qui huic furto, & perfidiæ affines non fuêre. Præſtat enim Gallum ipſum levem, & bonarum artium inimicum tantum ſcelus in ampliſſimos viros auſum eſſe, qui cùm illorum lumen ferre non poſſet, obſcuri ſtabernis, & gulæ delinimentis, ac lautis Peuceſtæ conviviis aſſuetus, *Philopemenem*, & *Flaminium* oppignoravit. Noluit enervatus, & muliebris homo Italos, & Græcos Principes tanquam ſupervacaneas ſarcinas ad Gallicanam ſecum deferre lautitiam.

DEO gratias ago, qui tantam homini ſtoliditatem iniecit, qui verè inventa iaſpide Gallus ait: Nullum mihi fructum habes, pinguem mallem turdum, & unctam patellam. Felicem itaque, ac verè laureatum hunc beati Laurentii diem nobis illuxiſſe lætor, quo dudum latentes rediere Duces, idque non minori ſanè cum gaudio, quàm ammiſſa illa quandoque Sextoriana cerva: & eo magis, quòd illa ad involvendos fraudes barbarorum animos quærebatur, hi ad deponendam ex animis barbariem Duces & commilitones expetuntur, & expectantur.

Hoc *Leonelle* Magnifice, ſic bono accipies omine, ut contra improborum inſidias DEUS ipſe verè pius, verèque miſericors tuæ virtuti faveat, & voluntatem

Digitized by Google

tem honeſtiſſimam adjuvet. Perge modo, &, qua te ducit, via dirige greſſum. Vale feliciter.

6.

Ominatur nominis ſui immortalitatem ex Leonelli celebratione, hinc que errantis aucupis exemplo monet, ut non niſi peritos rerum miniſtros ſibi adjungat.

Guarinus Veronenſis Illuſtri Principi D. *Leonello Eſtenſi* S.P.D.

HOdierno die, quem ſemper honoratum habiturus ſum, tuæ mihi redditæ ſunt litteræ, quibus non gratulari non poſſum, cum iſtius ingenii ſuavis tam ornari, tam denique præſtantis contempler imaginem vivam, & expreſſam. Redolent enim tuam illam amabilem morum dulcedinem, munificentiam, leporem, & urbanitatem, quibus etiam, qui te nunquam viderunt, amant, colunt, prædicant. Adde ſenſus egregios, ſermonem expolitum, & rei, qua de agitur, mirificè congruentem. Non adulor, mi Rex, & verè Princeps *Leonelle*, cùm tibi magis vera dicendo, quàm aſſentando placere poſſe intelligam, & exploratum habeam.

Quàm honorificum & illud non modo apud præſentes, verùm etiam apud poſteros futurum eſt, cùm *Guarinus* tuus in ſcriptis, & nominis tui commemoratione duraturus videatur, non ſecus ac poma quædam odorato in aromate condiri ſolent.

Principibus placuiſſe viris non infima laus eſt,

præſertim iis, quorum non tam fortunam comitem colimus ad tempus, quàm Ducem virtutem admiramur, diligimus, amplexamur. Coturnices, vero quibus me donaſti, tuæ de me recordationis teſtes, victoriæ monumentum, & pignus amoris, lætis accipio complexibus.

Iuvat inprimis, quod tam accuratè, ac diligenter rerum geſtarum ordinem explicas, atque ante oculos ponis, ut pugnam ipſam non audire, ſed ſpectare, & præſens intereſſe videar. Quo in certamine tantum ingenium, & Imperatoris artibus valuiſti, ut hoſtem cælo volantem immiſſis antecurſoribus inſecta-

tus ſis, & per equitum alas captivis potitus, quid aliud dicam, niſi tuo imperio ſuccubuiſſe naturam?

Unum me mordet, atque ſolicitat, quòd agminis Ducem, quem Ortygometram appellant, per Tyronis imperitiam ab tuis ſit elapſus unguibus: Ad plenum namque triumphum optarem, ut & is captivus vexaretur. Optima ea decorantur ſpolia, quæ Duci Dux detraxerit. Magnum hoc tibi documentum eſto, ut unicuique tractando negotio peritos adhibeas miniſtros, quando tyronis aucupis errore ac imprudentia tantus è faucibus bolus ereptus eſt. Eius delictum, ut lege caſtrenſi more maiorum multetur, captivarum coturnicum pedes, & roſtra in cœnam ei corrodenda apponerentur, judicarem. Cæterum teipſum conſolare, quoniam ad tuæ laudem decusque militiæ non minus fuſus & profligatus Imperator pertinet, licèt minus impleatur patina. Vale fortis præliator, & hoſte domito victor ovans revertere.

7.

Ei edifſerit, quid ſit Alexander Roxanes.

Guarinus Veronenſis Illuſtri Principi D. *Leonello Eſtenſi* S. P. D.

PEtrus *Andreas Baſſus* Vir ſtrenuus ac liberalis in primis hodie ab tua remeans Magnificentia plurimam ſalutem verbis tuis mihi nunciavit. Quo quidem nuncio non ſolum lætor, ſed etiam glorior. Gaudeo namque, me abs te diligi, quem amo, colo, & pro mea in te fide veneror; nihil enim dulcius & jocundius in vita experior, quàm cùm mihi pares in amore vices repenſantur, & ex animo reſpondetur. Id autem, cùm per ſe amænum, gratum, expetendumque ſit, tum verò excellens, honoratum, atque magnificum mihi contingit. Quid malim, quàm integerrimo Viro, ſapienti homini, Illuſtri Marchioni, id eſt, *Leonello* placuiſſe, qui non modò ab Excelſo Principe, ſed etiam Principibus natus, te quoque illorum virtute, imitatione, & gloria Principem dignum oſtendis?

Quæ res ſic meam parvitatem ſublimem tollit, & nominis perpetuitate decorat, ut apud poſteros ſub tui nominis ſplendore mea nonnihil lucere poſſit ob-

Digitized by Google

ſcuritas. Vidi ſordidas valles, limoſasque paludes cùm radio ſolis incaluerint, pulcherrimos flores educere, & quaſi ſui oblitas ornatam faciem induere. Ut autem & tuorum me ſtudiorum participem faceres, ſcrupulum tibi quemdam inter legendum obſtitiſſe ſignificavit. Nam cùm clariſſimos viros legis, ut intelligas: intelligis, ut laudes: laudas, ut imiteris, dubitâſſe te refert, quid ſibi velit *Alexander Roxanes*. Cui dubitationi, ut paucis reſpondeam, aures adhibe. Ex Barzine, Artabazi Regis filia Alexander filium procreavit, quem quidam Herculem, nonnulli à Patre vocabant Alexandrum, ſicut & ipſius Alexandri fratrem cùm cæteri Aridæum nuncuparent, ex Patris appellatione Philippum quoque vocitabant. Ex Perſica quoque Roxane, quæ Alexandri fuerat uxor, quam prægnantem moriens Alexander reliquerat, Filius natus eſt, quem in Patris defuncti memoriam Alexandrum dixerunt. Deidomia igitur Pyrrhi ſoror prioribus annis Alexandro deſponſata fuerat, & ne ambiguum fieret, quinam hic fuerit Alexander, adjecit: *Roxanes*, ne Barzines filius crederetur. Habes, ut arbitror, Vir Illuſtris, quid ſignificet: *Alexandro Roxanes*, filio ſubintellige. Si quid erit, quod lectionem obſcuret, præſens aperiam. Tu modò pro tuo in me jure impera; ipſe ſequar quocumque vocaveris, nec me labor ipſe gravabit. Vale.

8.

Plautum è tenebris erutum vehementer lætatur, pro eáque operâ Leonello quàm cumulatiſſimas gratias agit.

Guarinus Veron. Illuſtri Principi *D. Leonello Eſtenſi* ſal. pl. dicit.

SOlent ii, qui de aliqua re bene geſta lætos afferunt nuntios, egregio quodam munere donari, quod ſit grati animi teſtimonium, & lætitiæ monumentum. Quam conſuetudinem cùm magis ac magis approbem, quid tuæ Amplitudini, Vir Illuſtris, pro tam læto nuntio donare poſſim, & eò magis, quòd non pro re caduca, aut ulla hominum ſtrage, ſed pro re perpetua, & ſtudiorum noſtrorum ornamento tam amabilem, tam optatum, tam jocundiſſimum nuntium attulifti.

Non aurea vaſa, non veſtem ſtragulam, non precioſam ſupellectilem dignam ſatis eſſe cenſeo, quam pro tuis iſtis meritis ad te mittam; tum quia eorum genere tu quidem abundas, ego autem ipſe careo; tum quia peritura pro immortalibus referre, non ſatis convenire puto. Tuæ itaque Magnificentiæ immenſas gratias habeo, & primùm tuæ illuſtri Perſonæ totum me trado, & ſic trado, ut me pro tuo utaris arbitratu. Majores tibi grates in dies dicent ſtudioſi homines, & cunctus Litteratorum Ordo. Nam omnes intelligunt Plautum facetiſſimum Poëtam, virumque doctiſſimum, quaſi quodam venerabile vetuſtatis exemplar tua operâ, & interventu ex tenebris ad lucem, ex antris ad Gymnaſia, ex morte ad vitam revocatum eſſe. Quamquam nullus eſt tam imperitus rerum æſtimator, qui tam vivax ingenium, & inextinctæ virum famæ mori potuiſſe dicat. Ii enim, qui ſtudia coluerunt, virtutibus invigilárunt, gloriæ comparandæ incubuerunt, ſuos, alienos, præſentes, poſteros erudierunt, licèt moribunda membra depoſuerint, non tamen ut arbores, ut bruta perire potuerunt: ſed eam vitam vivunt, & vivent, quæ nulla obſcuritate deleri, aut vetuſtate poſſit extingui. Sed ne longior ſim, finis eſto: Vale feliciter flos Principum.

9.

Iterum ejus erga ſe munificentiam celebrat.

Guarinus Veronenſis Illuſtri Principi D. *Leonello Eſtenſi* S. P. D.

NUnquam tanta poſſem tua de Amplitudine explicare, quando omnem orationem meam tua ſuperet humanitas. Impræſentiarum, ut cætera omittam, quis tam puſillum homunculum *Guarinum* tua in recordatione lucere poſſe putet, qui in Regni negotiis, rebusque magnificis diſtentus vix magna ſpectate, aut meminiſſe poteſt, cùm interim me diligis, me colis, & omni ratione ornas? Qua in re ſolem ipſum, quem verum genitorem appellavêre Philoſophi, rectè imitaris.

Vidi ſæpè numerò, & tu ipſe non ignoras, cùm ſolis radii, cænum aliquod, campumque marceſcentem percuſſêre, varios flores, & ſuaviſſimas, ac ſpe-

speciosas herbas educere, ut locus, quem priùs abhorrebam inspicere, oculos intentiores alliciat. Eapropter cùm ingentes magnificentiæ tuæ gratias debeam, ne minimas quidem referre valeo, cùm tamen tibi plurimas habeam. An non omnia tuæ Magnitudini debeam, qui sole inustus, sudoribusque stillans tuorum mihi laborum mercedem vis esse communem? Quodque mirabilius est, functæ vita volucres tuam de me jocundissimam, atque honorificam recordationem dicunt, atque testantur, verum illud Virgilianum:

Omnia vincit amor.

Namque natura ipsa fecit impossibilia, fieri posse vires amoris iubent.

Perge itaque, ut cœpisti, benignissime Princeps, & me amare minimè dedigneris. Non dubito fore, ut qui te, meque diligunt, aliquando dicturi sint cum honore verborum: Guarinus Leonelli. Vale.

10.

Eidem nomina septem Sapientum versibus illigata mittit.

Guarinus Veron. Illustri Principi D. *Leonello Estensi* Sal. Pl. dicit.

NOn desino, *Leonelle* Princeps, prò mea virili, sicut aliis in rebus, tuæ Dignitati, laudique servire. Ita & in hisce humanitatis studiis divinum istud ingenium tuum fulcire, ut quantum reliquos tuæ fidei, consilio, & gubernationi commendatos superare bonis artibus debes, tantum te ipsum vincas in dies. Hac ratione, quantum tuis in me officiis, ac meritis debeo, si non re, at signis quibusdam declaravero, meque ab ingratitudinis crimine vendicavero. Cum igitur per varios priscorum Codices septem Sapientum celebrata legas nomina: eos carmine collectos, atque colligatos ad te mittere constitui, ut cùm inter legendum occurrerint; hinc omnis tibi scrupulus adimatur.

Nomina septenim Sapientum Græcia cantat,
Partibus & natos diversis Orbis honorat.
Inclyta naturâ genuit celebrem Bianta *Prienne.*
Inde Solone *suo claræ lætantur Athenæ.*
Miletus generat perdoctam antiquo Thaletem.
Atque Mitylena præclarum Pittacem *edit,*
Se genitum rigida gaudet Lacedæmone Chilon,
Te Periander *erunt laudabilis ære Corinthus.*
Lindon at in Cœlum cum laude Cleobole *tollis.*

11.

Pro missis avibus Phasianis gratias agit.

Guarinus Veron. Ill. Principi D. *Leonello Estensi* Sal. pl. dicit.

COeperam tuæ tam diuturnæ à nobis absentiæ tædium capere, qui tua ex præsentia dulcissimoque conspectu mirificam lætitiam, jocunditatemque capesso. Verebar namque, ne tua de me recordatio sopiretur aucupio, & peregrinatione rustica. Et ecce suavissimæ litteræ tuæ geminis comitatæ Phasianis omnem mihi suspicionem ademerunt. Qua in re, Leonelle Princeps, mirabile profectò mihi contigit. Nam qui mortem obiisse Phasiani videbantur, tuam de me recordationem, qua nihil gratius, aut antiquius afferri potest, locuti sunt. Fortunam igitur benedico, quæ peregranti tibi silvestria, & feras indaganti hos tam suaves humanitatis & munificentiæ tuæ Legatos obtulit. Eos autem, ut jubes, Vir Magnifice, honorificè sepeliam, & quidem more Majorum. Nam constituto rogo & lardo per membra impositio, hymnis quoque Christiana traditione cantatis, & amicis ad justa invitatis honorificè efferendos curabo: Inter celebrandas exequias tuum nomen benedicendo tollemus ad astra. Vale.

12.

Commendat ei epistolam, Marchioni Carolo inscriptam.

Guarinus Veron. Illustri Principi D. *Leonello Estensi* sal. pl. dicit.

FAtebor tibi vera, vir naturâ Magnifice, tanta tuo illo jocundissimo aspectu delectatione (me) affici & consuetudine demulceri, ut molesta nimis tua sit absentia. Cui quidem (malo) duabus ra-

Digitized by Google

tionibus medicari poſſe videor, ſi & crebra de te cogitatio te mihi præſentem fecerit, quod afficere conor; & nonnulla Litterarum acceſſio, & mutui ſermonis interventus longinquos nos faciant eſſe propinquos. Itaque has ad tuam Magnificentiam te viſuras meo nomine mitto, quæ ſociam ſecum deducunt epiſtolam, quam ad Magnificum transmittas *Carolum*, ſi ita cenſueris, cùm eam unam cum ſplendidiſſimo equite *Alberto à Sala* perlegeris, perlectamque probaveris. In ea verò conficienda maior mihi labor adjunctus eſt & pondus, quòd vos ambos mihi disjunctos fecit hoc aucupiorum tempus: ſicuti cùm tribus concinentibus duo vocem ſupprimunt, adeo tertius ſibi ipſi deſtitutus langueſcit, ut canendi rationem perdat & animum. Itaque ut & aliquam illi reſtituas harmoniam, modulationemque, curabitis, & me certatim amabitis. Vale.

13.

Docet, quam neceſſaria ſit ad conciliandos ſubditorum animos præſentia Principis.

Guarinus D. *Leonello Eſtenſi* S. D.

NUper aliquot dies fama tenuit, te horſum adventurum, quæ res adeo mihi jocunda fuit auditu, ut jam nunc ſermones inſtitueram, quibus tempus aliqua cum voluptate conſumerem. Ut autem indagatis campis & arvis aucupales nuſquam in hac Inſula aves abundare divulgatum eſt, tui ſpes adventus omnino ſublata meâ me voluptate fraudavit, quæ tanta jam in me cœperat, ut non major te præſente futura fuerit, quam abſente jam te concepta fuerat. Adeò te propinquum, te in oculis, te in complexibus ipſe finxeram: nec ideo à te iter inſtitutum intermiſſum irì putabam, quòd perdices, phaſianos, coturnices non reperiri diceretur, præſertim, quia non tam aves, quàm homines, & indigenarum benevolentiam aucupatum venire debuiſſes. Ad comparandam namque ſubditorum dilectionem charitatemque, quod firmiſſimum eſt in regnantes vinculum, non ſatis eſt Dominorum nomen, at fama, ſalutatio, dextrarum conjunctio, vultus inſpectio, opis promiſſio, quæ non niſi à præſentibus efficaces eſſe poſſunt, magnæ ſunt conciliandorum animorum catenæ. Animo tecum verteté debebis, prudentiſſime Princeps, paucos hoc in loco eſſe mortales, qui *Eſtenſe* ſapiant Regimen, ſub alio natos gubernaculo, conſuetos ſectari gubernatores, quod in brutis quoque fieri cernimus. Canes ſolitos optant Dominos, & propter minas ac verba herilia non deſerunt veſtigia. Quod ſi novam plaudentis manum, cibos porrigentem experiantur, priſcos obliti, novellum ſequuntur herum. Id eo facilius factu tibi erit, quod hic ipſe majorum tuorum nidus fuit, unde præclari evolârunt Principes, & majores cum dignitate alas aſſumpſerunt: ad quem, ſi revolaveris interdum, non parvum tibi aucupium vendicaſſe comperies, maximè cum incolæ, non volatilium, ſed ſuæ charitatis gratiâ te ventitare cognoſcent. Non loquor temerè, quod libentius, copioſiusque coram explicâſſem, ſi aut horſum tuos curſus direxiſſes, aut tuum ad conſpectum viſendi tui causâ conferre me potuiſſem. Sed cùm tempus, ætas, calorque revocent, & equis egeam, quibus advehar, hæc pauca ſcripſiſſe contentus ero.

Dum hæc ſcriberem, nuntius è *Verona* venit, qui non parvam prædiorum meorum cladem ac vaſtitatem expoſuit, colonos abductos, agros incultos, villas omni prorſus exutas materia, tegulas dejectas, ferramenta evulſa vix parietem extare. Cùm autem tuam in me charitatem conſidero, damna obliviſcor omnia. Tu mihi rus, tu mihi villa, tu mihi omnis ex opulentia, & modò me ames, Cræſum, Craſſumque divitiis ſupero. Vale mi Rex, & Domine. Ex *Rodigio*, Pridie nonas Auguſti: Gratias tuæ magnificentiæ habeo pro ea licentia, quam affinis mei familiæ contuliſti. Id enim ſingulari beneficio aſcribo.

14.

Ad Iordanem de Urſinis Cardinalem, in cujus ædibus repertas eſſe Plauti comœdias mirè gaudet, earumque ſibi copiam fieri rogat.

Guarinus Veronenſis D. *Iordani Cardinali* de *Urſinis*.

FAma volat dudum, R.P. & Domine, Plautum vetuſtum Comœdiarum Scriptorem,

ptorem, & facetiarum parentem tuos penates incolere, & apud te tuæ humanitatis hoſpitem poſt multa ſæcula, quaſi è morte revixiſſe. Qua ex re, cùm omnes gratulentur, qui ſtudia complectuntur, & literarum ſuavitate delectantur, & venerandam contemplantur antiquitatem, non minùs gratulamur omnes, qui tuæ famæ, dignitati, gloriæque favemus. Video namque adeo cunctorum oculos ad tuam beneficentiam, humanitatemque conjectos, ut, cùm ejus viri exemplar tuis ex liberaliſſimis manibus, (ſic enim ſperant,) ſuſceperint, & primam ex beneficentiæ fonte ſitim expleverint, decantaturi ſint tuum nomen, diſſeminaturi, & immortalitati laudes dicaturi. Idque jure quidem, ac meritò. Nam ſi Lucullum clariſſimum Romanorum Ducem tantopere commendatum memoriæ poſteritatis cernimus, qui ex urbe Pontica ceraſia ad noſtros homines detulit, quæ proinde ſunt *Luculliana poma* vocitata; quam tibi & præſentes & venturi debebunt, qui tua ope, beneficentia, humanitate iſtos Latios hominibus & ordini litterato fructus impertiaris, quaſi Ceres altera, ſicut Poetæ canunt, frumenti ſemina famelico diſtribuens Orbi, & eò magis, quòd Cereris, & Luculli operâ corpori, & palato cibus porrectus eſt: At tuum munus ſtudiorum utilitati, eloquentiæ ſplendori, & animorum inſtitutioni facultatem parabit, & eſcam. Eja igitur vir naturâ Magnifice, dignitate major, conferendis beneficiis, maxime, ejus Poëtæ copiam mihi tuæ Dominationis devotiſſimo concede, ut cum tui liberalis ingenii prædicator diſſeminatorque ſim, in exaudiendis precibus meis gratiſſimum ſtudioſis viris teſtimonium in hoc beneficio reddas. Fac humaniſſime Domine, quæſo, ut, cum ab Auctore Comœdiæ *Plautinæ* dicantur, ab Inſtauratore cognominentur *Urſinæ*. Valeat T. P.

CIII.

Franciſci Barbari Orationes & Epiſtolæ.

I.

Oratio in Albertum Guidalotum, cùm eum in Academia Patavina Juris utriuſque Laurea decoraret.

ANtequam ea, quæ hodierno die fidei meæ commiſſa ſunt, dicere inſtituo, Spectatiſſimi ac Doctiſſimi Patres, pro me ipſo pauca dicam, ut illis facti mei cauſam probem, qui vel taciti mirantur, cur in tanta Clariſſimorum, ac Literatiſſimorum hominum frequentia ego, qui nec ingenio poſſum, nec dignitate nec facultate dicendi valeo, in hoc ornatiſſimo loco conſtitutus ſum, in quo natura & conſuetudine mea freti, quemadmodum & ego, hoc orandi munus in primis alienum à me judicant, quòd ſuperiori ætate, & noſtra, vel à publico magiſtratu, vel à Summis Viris uſurpatum eſt, qui vel doctrina, vel auctoritate, vel magna eloquentiæ laude præditi ſunt. Eos commonefacio, ne ſibi perſuadeant, mea ſponte hanc à me cauſam receptam, ſed à cariſſimis ac lectiſſimis Viris ad me magno ſtudio eſſe delatam. Qui cum vehementiùs excuſationi meæ obſtitiſſent, orationis gravitate & gratia me de ſententia dejecerunt. Quocirca magis ac magis oro eos, ut hoc mihi non tribuant, ſed illis potiùs, qui cùm mihi ſingulari ſint neceſſitudine & familiaritate conjuncti, pro ſuo jure id à me contenderunt; quorum erga me pietatem, voluntatem, auctoritatem ſalvo officio negligere, abalienare, aſpernari non potui.

Moleſtè tamen tuli, Patres optimi, eò me deduci, ut aut amiciſſimorum hominum, quibus omnia debere præ me fero & gaudeo, ſpem ad expectationem fallerem, aut ego benevolentia & officio coactus aliquanto plus oneris ſuſciperem, quàm poſſem ſuſtinere ſi, Clarorum Virorum exemplo de præſtantiſſimi hominis *Alberti Guidaloti* laude pro hujus loci conſuetudine graviter, & commodè verba facere laborem; cujus omnis ætatis partes, quas præclaris inſtitutis & artibus à pueritia honeſtavit, nemo ſatis laudaverit. Nam quæ tanta dicendi vis, quæ tanta facultas extat? Quis tot naturæ, tot humanitatis, tot virtutis adjumenta atque ornamenta, quæ conſecutus eſt, pro dignitate explicet? Nihil in præſentia de *Perufia* nobiliſſima Etruriæ urbe

dicam, ubi ſtirpe antiquiſſima natus eſt. Nihil de *Alberto* Patre, quem honoris causâ nomino, prudentiſſimo Juriſconſulto, ac ornatiſſimo Equeſtris Ordinis homine. Nihil dico de cæteris Majoribus ſuis, cùm & eorum fides, gravitas, amplitudo nota ſit, & ipſi multis honeſtiſſimis *Italiæ* locis, quibus integerrimè ac honorificentiſſimè præfuere, perpetuam ac jocundiſſimam ſui memoriam reliquerint. Mitto nunc & de ingenio dicere, quo in hoc genere doctrinæ pauci noſtra memoria ſibi ſuperiores inventi ſunt. Cætera quoque miſſa facio, in quibus, ut Socrates VirSapientiſſimus auctor eſt, natura noſtra potiùs, quàm nos ipſi laudamur. Sed de jure Civili, ac Pontificio, & de virtute ipſius pauca quædam, quæ ſine injuria tacere non poſſem, breviter attingam, in quibus Duce natura, comite diligentia tantùm excellit, ut cum, qui de hujuſcemodi ſtudiis judicare poſſunt, non æqualibus ſuis ſolùm anteferant, ſed etiam cum majoribus natu conferant.

Quod tametſi permagnum ſit, nemini tamen veſtrûm mirum videri debet. Nam cùm ab optimis ac ſapientiſſimis Viris, quibuscum ſæpiùs loquebatur à puero, audiret, nihil eſſe à mortalibus ſummopere querendum præter decus, honeſtatem, laudem, clariſſimæ familiæ ſuæ nomen & ſplendorem, imaginem ſuorum nec ſuſtinere, nec intueri poſſe credidit, niſi ſe propinquis ſuis ampliſſimis civibus, quaſi hereditaria virtute ſimilem reipublicæ præſtaret. Quapropter omnibus poſthabitis ad ea civilis & Pontificalis juris ſtudia ſe contulit, quibus cum gloriæ ſuæ, tum ſalutis ac opis alienæ procurationem ſuſciperet. Quidni? Hæc enim liberalis diſciplina in omni libero populo, in omni republica, bonis legibus inſtituta, maximo in honore ſemper fuit: quam non ſolùm privatis hominibus ſapiens antiquitas laudi dedit, verùm etiam Principibus ipſis maiorem in modum neceſſariam eſſe judicavit. Perſarum enim Reges, ut de reliquis nunc taceam, tanta cura legibus inſtitutos accepimus, ut etſi ſapientia, temperantia, fortitudine anteirent, indigni tamen imperio viderentur, ſi jura ipſa, in quibus verſabantur, & de quibus loquor, ignorarent. Nihil ſiquidem præclarius, nihil prope divinius, nihil magnificentius nos conſequi poſſe putaverunt, quàm cum ad juſtitiam & pietatem in lucem editi ſumus, ea nobis arma vindicare, quæ in cunctis pacatis, tranquillisque civitatibus, otium, concordiam, judicia, libertatem, fidem, hominum ſocietatem, DEI cultum, puram religionem ampliſſimè, honeſtiſſimèque tuentur. Quid eſt munificentius, quàm ope, opera, ſcientia, interceſſione, patrocinio quaſi quemdam mortalem DEUM omnium ſalutem, vitam, dignitatem, fortunas defendere? Ac ne plura, quæ infinita ſunt, perſequar, quod majus aut præſtantius in vita munus obire poſſumus, quàm in commune conſulere, leges ſtabilire, prudentibus æquitatem commendare, imperitos edocere, omnes ad decus hortari, tueri bonos, beneficiis erigere, improbos pœnis coercere? Quibus quidem inſtituris Solon ille Athenienſis Legislator, qui unus inter ſeptem ſectiſſimos Græciæ Sapientes numeratur, minimas, tenuiſſimasque respublicas, & maximas & florentiſſimas factas eſſe verè ac graviter aſſeverabat. Quid multis opus eſt? Hæc juris cognitio tantæ dignitati conjungitur, ut Homerus, quem omnes fermè clari inPhiloſophia & Nobiles nunquam ſatis prædicare, nunquam ſatis admirari ſolent, ſolumMinoëm Cretenſium Legum Principem præter cæteros ſemideos à Jove Maximo aureo idcirco ſceptro donatum ac eruditum eſſe ad omnem memoriam cecinerit.

Hæc igitur cùm per ſe admirabilia ſint, *Albertus Guadalotus* noſter pro ſua ſingulari prudentia longè admirabiliora fore judicavit, ſi non modò literis & eruditione, verùm etiam virtute atque probitate, quaſi quadam neceſſitudine, conglutinarentur. Virtutis enim laus omnis, ut à Cicerone, & à multis doctiſſimis Viris acceperat, in actione conſiſtit. Quapropter ſic ab ineunte ætate cum parentibus, neceſſariis, amicis, hoſpitibus, civibus, peregrinis, cum omni genere mortalium, ſic denique ſecum vixit, ut ſuperior acta ætas paucis in rebus aliquod excuſandum præbuerit. Eo quoque conſilio, & integritate domi, foris, in ſubſelliis, in roſtris, in curia uſus eſt, ut vir bonus potiùs, quàm locuples, & juſtitiæ, quam juris conſultus eſſe, & haberi mallet. Tanta præterea conſtantia, moderatione, continentia, prudentia omnis

omnis eius vitæ partes actæ ſunt, ut nec commutationem voluntatis, nec varietatem opinionis demonſtraverit, nec ipſe à ſe, nec cæteri propemodum quicquam officii deſiderent. Finis non erit, ſi quæcumque res poſtulet, de humanitate, facilitate, comitate ipſius, expoſuero, quibus quantum poſſit, optimi vos me tacente iudices eritis, ſi certum ac exploratum habebitis, iſtis ingenuis artibus ipſum complures à ſtudiis ſuis alieniſſimos & ſuaviter devinxiſſe, & devinctos conſtantiſſimè retinere. Accedit ad gratiam, quòd in omnes tanta benevolentia, tanta cura, tanta vigilantia officioſus & ſtudioſus eſt, ut ſibi ſemper antiquius fuerit aliorum negotio, dolori & incommodis, quàm otio, voluptati ac utilitati ſuæ conſulere.

Sentio Patres Clariſſimi, niſi me continerem, & rerum copiâ, & dicendi ſtudio longiùs proveherer, quàm inſtituti mei ratio patiatur. Quare ut iam ſummatim percurram: Quis *Albertum* noſtrum iuſtiſſimis ex cauſis non commendaverit? Qui cum patria, parentibus, antiquitate generis, ingenio, natura primarius eſſet, ut majori cum auctoritate publicam dignitatem, ſalutem, pietatem ſanctimoniam, religionem tueretur, & multis prodeſſet, honeſtiſſimum, ac principale Jus civile & Pontificium omni cum laude virtutum aſſecutus eſt; & ſic aſſecutus eſt, ut ad meum ſenſum hodierno die gratiſſimum ac iucundiſſimum laborum ſuorum fructum ceperit, cùm ſummo conſenſu huius ampliſſimi collegii, & graviſſimo eorum iudicio, à quibus ingenio, ſcientia, æquitate Juris dignitas ætate noſtra ſuſtinetur, utriusque Juris magiſterio dignus iudicatus eſt.

Quæ cum ita ſint, *Alberte* Cariſſime, pro ea auctoritate, quam optimus & ſapientiſſimus *Petrus Marcellus*, Pontifex *Patavinus*, & huius ornatiſſimi Scholaſtici Ordinis Princeps, nobis impertitus eſt, quoniam maiora tibi dare non poſſumus, non ſolùm tibi concedimus, ſed etiam libenter, ac magna cum voluptate concedimus, ut quotienscumque volueris, quod felix, fauſtum ac fortunatum ſit, omnes immunitates vendices tibi, omnia magiſtratus inſignia ſuſcipias, quibus utriuſque Juris Doctores in perpetuum honeſtantur, ut tu benè de his laudatiſſimis ſtudiis meritus ſingulari ſibi ornamento cæteris, quos in tuam fidem recipies, uſui ac adiumento ſis.

2.

Oratio altera, habita anno MCCCC XXVIII. in templo Sanctorum Fauſtiſtini & Jovitæ, dum Civitatis Brixienſis magiſtratum iniret.

OMnes, qui de Republica benè inſtituta ſapienter conſuluerunt, Clariſſimi Cives, ſalutem, libertatem ac amplitudinem civitatis cum honore ipſius Religionis coniunxerunt. Hinc inclyti Reges & Principes magna ſemper cum gloria quæſivêre, ut non tam humano conſilio, quàm Divina Religione & conſervare & augere imperium poſſent. Unde Patrum memoriâ & noſtrâ ſæpe videmus omnia proſperè evenire ſequentibus DEUM, adverſa ſpernentibus. Quare cùm a graviſſimis Viris, Maioribus veſtris, multa ſapienter & inventa & inſtituta ſunt, tum illud inprimis, quòd eos, qui apud vos ſummæ Reipublicæ præſunt a Beato Fauſtino & Jovita, glorioſiſſimis defenſoribus huius veſtræ civitatis, ornandos ac illuſtrandos eſſe voluerunt, ut hæc inſignia honoris & laudis ſibi curam, ſolicitudinem & neceſſitatem imponerent defendendæ ac amplificandæ Religionis: & ut intelligerent, in Eccleſia defendenda ſibi non ſolùm ſempiterna præmia eſſe propoſita, ſed etiam maxima ornamenta fore expectanda.

Laudo igitur, laudo vos Reverende Pater & Clari Cives, qui hunc præclarum morem, a Patribus acceptum, tanta cum cerimonia ſervatis, ut cum hac ſpecie honoris alliciatis eos, qui præſunt civitati, ad benè de Republica merendum: & ad conſervandum & amplificandum Eccleſiam iſtorum Sanctorum, qui ſecundùm DEUM principes & auctores fuêre apud Maiores veſtros, ut fides ac pietas Chriſtiana ingenti cum laude apud vos reciperetur. Quapropter ſicut ipſi urbem tunc hanc a gentibus afflictam ac planè iacentem martyrio ſuo glorioſiſſimè & recreaverunt & erexerunt: ita nos vobiſcum omni ſtudio, omni officio ac patrocinio ad conſervandam pietatem, quam ipſi docuerunt, & ad tuèndam ac amplificandam Eccleſiam ſuam paratos pro-

profitemur, ut & amplitudinis ſuæ rationem habeamus, & dignitatis noſtræ.

Munus autem hoc inclytum, Reverende Pater, in ſignum & teſtimonium fidei, & Religionis defendendæ, nomine Reipublicæ, ex more inſtitutoque Maiorum accipimus, ut per diem Sol non urat nos, nec Luna per noctem: & huius Eccleſiæ tutelam, ampliſſimis verbis honorificentiſſimè per te nobis oblatam ſuſcipimus ea conditione, ut nihil diligentiæ prætermittamus, ut hæc inſignia virtutis in nobis optimè collocata eſſe videantur. Dixi.

Epiſtolæ.

I.

Ad Poggium, Secretarium Apoſtolicum, quem ob detecta veterum Scriptorum monumenta immortalibus laudibus dignum prædicat, atque ut iisdem ampliùs eruendis ſtrenuè inſtet, etiam atque etiam hortatur.

ETſi præclarè facti tui conſcientia, & Eruditorum hominum, de quibus meritus es, tanta etiam in te voluntate contentus ſis, tamen pro ea litterarum neceſſitudine, qua non mediocriter devincti ſumus, noſtrâ intereſſe putavi, tibi gratias agere, & humaniſſimum hoc tuum officium minimè ſilentio præterire, cùm illorum indicem librorum ad nos miſiſſes, quos operâ ac diligentiâ tuâ nobis & poſteris recuperâſti, ut privatim & publicè maximo gaudio & gratulatione frueremur. Nihil enim profectò gratius ac iucundius nuntiari potuiſſet, quàm id, quod communiter ad laudem tuam, quæ ùt decet, chariſſima nobis eſt, & ad humanitatis & doctrinæ amplitudinem maximum in modum pertinet. Quis tantum in bonos omnes ſtudium, tot pro communi utilitate labores, tot immortalia beneficia, niſi ingratus eſſe, & haberi velit, tacitus cogitare poſſet, non intelligo. Tu reipublicæ cauſâ quid facturus eſſes, facilè declarâſti, cùm te non vis hyemis, non nives, non longitudo itineris, non aſperitas viarum, ut monumenta literarum è tenebris in lucem erueres, retardavit. Tu *Tertullianum*, tu *M. Fabium Quintilianum*, tu *Quintum Aſconium Pedianum*, tu *Lucretium*, *Silium Italicum*, *Marcellinum*, tu *Manilium* Aſtronomum, *L. Septimium Valerium Flaccum*, tu *Caprum*, *Eutychium*, *Probum* Grammaticum, tu complures alios, *Bartholomæo* Collega tuo adiutore, vel fato functos vita donâſti, vel longo, ùt aiunt, poſtliminio in Latium deduxiſti. Quo factum eſt, ut in medio deſiderii tui, cùm à me abeſſes, te potiſſimùm iſtic eſſe gauderem. Quid ni? Cùm nihil tibi propemodum honorificentius, ac doctis viris acceptius aſſequi potuiſſes, quàm ut ampliùs, quàm poſtulares, maiora quàm veiles, plura quàm ſperares, vetuſtatis monumenta in ſqualore latentia, ad eruditorum hominum conſpectum retuliſtis.

Lycurgo ſummo Viro gloriæ datum eſt, cùm primus *Homerum* variis in locis per frùſta diſperſum, quem apud *Creophili* pronepotes integrè ſervatum invenerat, ex Aſia totum in Græciam reportâſſet: Si quidem illi doctiſſimi homines ubicumque ſapiunt. Nonne civicam tibi coronam, quæ vitæ ac ſalutis à te reſtitutæ teſtimonio ſit, debent, cùm tua virtute factum ſit, ut deinceps immortalitatem facilè ſperare poſſint; præſertim cum non modò clariſſimi Viri, ſed etiam infimus quiſque civis conſervatores ſuos hoc honore dignos iudicârit. *Æſculapium* inter DEOS relatum accepimus, propterea quòd cùm alios nonnullos, tum *Hippolytum* ſupremum vitæ diem functum, aliquot tamen poſt annos moriturum, ab inferis revocavit. Cui ſi populi, nationes, provinciæ Sacras ædes dicaverunt, quid vobis niſi hæc conſuetudo iam pridem obſoleviſſet, faciundum putarem, qui tot Illuſtres ac ſapientiſſimos Viros mortuos in perpetuum reſuſcitatis, quorum ingeniis ac inſtituris non ſolùm nos, ſed etiam poſteri benè dicere, & honeſtè vivere poterunt? Si iis, qui caſtella, urbes, provincias receperant, triumphum dare maiores noſtri cenſuiſſent, etiam ego dignitate & auctoritate, & gratia tantùm poſſem, quantùm ii, qui fuerunt ampliſſimi in Litterario Senatu, & in æde Muſarum te triumpho digniſſimum decernerem. Quippe cùm eorum doctrina & ratio humano generi longè plus adiumenti afferre poſſit quàm aliquorum Illuſtrium Ducum res geſtæ attulerunt. Nam ut hæc paucos milites aliquando, aut unam civitatem, & unam interdum provinciam ab imminentibus periculis cum magna mortalium occiſione liberaverunt, & a frugalitate ad

omne

omne libidinis genus plerumque converterunt; ſic humanitatem, & diſciplinam quæ ad benè, beatéque vivendum, & ornatè dicendum accommodatæ ſunt, non modò privatis rationibus, ſed urbibus, nationibus, univerſis denique hominibus non mediocres utilitates afferre poſſe dubitandum non eſt. *Athenienſes* enim cum *Apollinem* opinione ſua ſapientiſſimum DEUM conſulerent, reſponſum habuerunt, ſe præſtantiſſimos cives habituros, ſi quod optumum ac pulcherrimum eſſet, liberorum ſuorum auribus imponerent. Quod cum doctrinam, quæ libero homine digna facit libetos, portenderet, ii Lydorum more gemmas & aurum interpretati ſunt, cum id non ad probitatem, non ad continentiam, non ad conſtantiam, ſed avaritiam, cupiditatem, libidinem ac levitatem propenſiores reddat.

Cato ille, perfectus Ciceronis ſententiâ Stoicus, cùm ex Aſia Athenodorum graviſſimum Philoſophum deduxiſſet, plus ſibi gloriæ, quàm Cn. Pompeio, aut L. Lucullo debere cenſuit, qui inermis ex Aſia honeſtiora ſpolia detuliſſet, quàm ipſi maximis copiis, magnis rebus geſtis eſſent conſecuti. Ex quibus ille ſuperior cum Mithridatico bello Poſſidonii doctiſſimi Viri viſendi & ſalutandi cauſâ domum veniſſet, fores percuti de more à lictore vetuit, & faſces literarum domicilio ſubmiſit is, cuius imperio ortus occaſuſque parere didicerat. Quid multa? Nonne *Cæſar* Dictator *M. Tullium* hoſtem quondam ſuum omnium triumphorum maiorem lauream adeptum eſſe confeſſus eſt, quantò plus eſſet Romani ingenii, quàm Imperii fines ampliaſſe? Quid quod maiores noſtri eadem corona Poëtas, & eos, qui triumpharent, dignos eſſe cenſuerunt? Innumerabilia ſunt exempla, quæ hoc loci, ne infinitus ſim, prætermitto.

Nec ab honore Collegæ & tuo quisquam alienior eſſe debet, quod *M. Marcellus*, & *P. Scipio* curru triumphali invecti non ſunt, cùm *Syracuſas*, & *Hiſpanias* ſine Magiſtratu in poteſtatem redegiſſent, quia te & *Bartholomæum Montepolitianenſem* ad hoc munus obeundum ſummi & honeſtiſſimi Eccleſiæ Romanæ Principes delectos publicè dimiſerunt. Quod ſi *G. Fulvio Capua* capta, & *L. Opimio Fregellanis* ad deditionem compulſis triumphus decretus non fuit, quòd pro aucto Imperio: non pro recuperatis, quæ aliquando Reipublicæ fuiſſent, lauream decerni ius eſſet; quis ita malè de rebus ſentiet, ut vos vel honore ſtatuæ dignos non putet, cùm Olympionicis, qui numquam ex ſe, ſed ex lateribus, & lacertis ſuis nobilitati ſunt, ſtatuas dicatas acceperit, vos autem ingenio & induſtria ea profeciſſe cognoſcat, quæ non niſi per homines & peritos & diligentes effici potuiſſent? Præterea *Sextus Pactuvius Taurus* Ædilis Plebeius, cùm unam Sibyllarum ſtatuam, duas autem *M. Meſſalæ*, quæ iuxta roſtra poſitæ fuerant, reſtituiſſent, & plerique Sacras ædes, aut privatas domos refeciſſent, non mediocrem laudem adepti ſunt. Vos verò quid non eſtis conſecuti, cùm Oratores, Poëtas, Hiſtoricos, Aſtronomos, Grammaticos, qui iam ſine ulla dubitatione delecti erant, reſtituiſtis? Profectò non uſitatus honor, aut pervulgatus vobis retribuendus eſt, ſed novi ſingularesque debentur.

Ignominia etiam notandi ſunt, illi *Germani*, qui Clariſſimos Viros, quorum vita ad omnem memoriam ſibi commendata eſſe debuit, quantum in ſe fuit, vivos diuturno tempore ſepultos tenuerunt. Quod ſi imprudenter factum eſt, quid negligentius? Si ex ſententia, quid crudelius? An quiſquam ita invidus erit, ut vos nimiùm exornari à me cenſeat? Quos autem orno? Eos nempe, qui huic literariæ reipublicæ plurima adiumenta, atque ornamenta contulerunt. *Libero* Patri veteres aram dicare, templa collocare, & hecatombas facere voluerunt, quia reperiundi vini uſus auctor fuiſſet, quod plerumque libidinis, furoris, inſaniæ inſtrumentum eſt. Nos verò præſtantiſſimorum librorum inventoribus vel mediocrem honoris gradum negabimus? Profectò ſi maiores noſtri novitati invidiſſent, nec virtutem ac induſtriam multis ac præclaris monumentis honeſtâſſent nobis tot benè dicendi præcepta, tot benè vivendi exempla defuiſſent. Conſtat ſtatuam *C. Terentiæ*, ſive *Suffetiæ* Virgini Veſtali decretam fuiſſe, ut poneretur, ubi vellet, quia neſcio quid campi Tiberini gratificata eſſet populo Romano. Quòd ſi femina hoc fortunæ munere, tanto honore donata eſt, quis iniquum putârit, ſi tibi & Collegæ non loricatam,

non equeſtrem, non inauratam, ſed togatam & æream in æde Camænarum decernerem? Vellem, *Poggi* Cariſſime, ut omnes vel exemplo meo curam, & induſtriam, ac diligentiam tuam imitatione dignam, non invidia putarent. Profectò niſi hic honeſtiſſimus prorogandi memoriam hominum mos iampridem ſublatus & antiquatus eſſet, honorificentiſſimis verbis huius monumenti cauſas amplecterer ipsâ ſententiâ. Sed quando hanc veniam nobis & ætatis noſtræ & reipublicæ ſtatus non præbet, vel ſenioris illius *Catonis* mei conſilio contentus eris, qui ſuas res geſtas non marmoreis aut argenteis imaginibus, quæ tempeſtate, vi, vetuſtate intereunt, ſed diuturna civium ſuorum memoria in perpetuum commendavit.

Hæc ſi tecum cogitabis, æquiore animo, & majore conſolatione noſtrorum temporum iniuriam feres. Quid enim magnificentius, aut præclarius aſſequi poteras, quàm immortalia hæc tua merita non latere in tenebris, non eſſe abdita, ſed cum in luce Europæ, tum in oculis *Germaniæ* Provinciæ, atque in auribus omnium gentium, & nationum eſſe poſita? Quantum etiam illud eſt, quod in hoc communi gaudio vobis omnes gratulantur, vobis gratias agunt, quia curas veſtras in reipublicæ dignitatem aut utilitatem defixiſtis? Quò fit, ut ſperem, quemadmodum ceraſia *Luculliana*, & Zizipha *Papiniana*, cùm altera è *Ponto* poſt Mithridaticam victoriam, altera è *Syria* in *Italiam* detuliſſent: & quemadmodum mala ab *Appio* è Claudia gente *Appiana*, & pyra à *Manlio Manliana* cognominata ſunt; ſic hæc litterarum ſemina, quæ veſtra ope & opera è *Germania* in *Italiam* deſertis, aliquando & *Poggiana*, & *Montepolitiana* vocabuntur. Cur autem id ſperem? Quia ſi peregrini quidam frutices retentis vocabulis tranſmigrationis ſuæ auctoribus æternam memoriam propagavêre, quid de vobis expectari par eſt, qui hos honeſtiſſimos, & ſingulares humanitatis, & diſciplinæ fructus ad nos attuliſtis?

Accedet ad gratiam, cùm uberrimam laborum tuorum mercedem ſuſceperus ſis, ſi quando, quod maximè vellem, is in univerſam rempublicam ſummam poteſtatem habebit, cui in virtute, cui in laude percipienda ab ineunte ætate plurimùm ſtudii fuit & temporis. Erit enim ſapientis Pontificis Maximi beneficia veſtra memoriâ proſequi, & magna vobis præſtare, quandoquidem non parva in hoc genere à vobis accepit. Quin eò majora judicio meo cenſeri debent, quò minùs erant expectata. Sententiam de te & Collega non levem, & republica dignam dixiſſe videor. Si quis tamen eorum, qui favent laudi tuæ, honorificentiorem dixerit, in eam me iturum facilè recipio. Hac mea tamen te contentum fore exiſtimo, cùm pro tua ſingulari prudentia cum honeſtum tibi triumphum videri putem, cùm benè de republica meritis virtutis teſtimonium à conſenſu ſpectatiſſimorum hominum datur. Hæc hactenus.

Reliquum eſt, ut te moneam, & hortet, quò incumbas toto animo, & ſtudio omni in eam rationem, ut reliquam illam peregrinationem, ad quam, ut ad optimum ac doctiſſimum *Guarinum Veronenſem* ſcripſiſti, probè te comparaveras, ne illam publicæ utilitatis, & amplificandæ tuæ dignitatis occaſionem deſeras aut prætermittas. Majus enim quiddam à te Romanæ literæ, quàm adhuc præſtiteris, expectant, quia in eam ſpem adductæ ſunt. Ad hoc enim natus eſſe videris, ut per te *Ciceronis de Republica*, & *Varronis* divinarum, & humanarum rerum, & *Criſpi*, & *Livii* libros, & *Catonis* Origines, ut cæteros omittam, recepturæ ſint. Quare *Poggi* Suaviſſime, perge, ùt cœpiſti. Nihil tibi ſit antiquius, quàm quod his ſtudiis, & liberaliſſimis artibus conducere judicabis. Hi labores quietem, & hæc impenſa gloriam, ac fortunæ tuæ fructum quàm ampliſſimum reddent; quod eò diligentiùs tibi faciundum eſt, quò invaletudo *Bartholomæi* noſtri hoc tibi munus magis neceſſarium effecit. Cùm enim illius operam & vigilantiam non parum his litteris allaturam ſperarem, neſcio quo caſu ſuo, & fato noſtro, magna è ſpe decidimus. Quamobrem in te omnes converſi ſumus, quemadmodum vectores ſæva tempeſtate vexati, & cunctis navalibus armamentis nudati oculos in ſacram anchoram vertere ſoliti ſunt. Tu igitur ſolus pro tua cætera diligentia tantum perficies, ut hac tua cura & induſtria *Bartholomæi* valetudinem ad hoc munus minus graviter feramus, quæ certè litteratis omnibus permoleſta eſt.

Id

Id verò niſi tu conficias, quis alter expectationi noſtræ reſpondeat, neſcio. Et tu communi utilitati, & tuæ dignitati profuiſſe videberis.

Quam quidem ad rem ut commodiùs navare operam queas, quæcunque inveneris, modò digna judicâris, ut ſcribi cures, & rogo, & oro. Quid enim inveniſſe prodeſſet, niſi inventis uti liceret? Nam ut illùd plerumque fortunæ, ſic hoc virtuti attribui iuſtis ex cauſis ſolet. Nec inde eorum erit beneficium tuum tueri, cujus fundamenta non opinione ſolùm jeceris, ſed re quoque ipſa auxeris & confirmaveris. *Andronici Rhodii* vetus revocabis exemplum. Nam cùm *Sylla Apellionis* bibliothecam *Athenis Romam* miſiſſet, eique *Tyrranionem* Grammaticum præfeciſſet, *Andronicus* adhibitis librariis *Ariſtotelis* & *Theophraſti* libros, qui penè ignoti erant, conſcripſit, eosque doctiſſimis hominibus miſit, unde, reliqua fermè omnia exempla nata ſunt, & ipſe diligentia ſua apud poſteros nobilitatus eſt. Quod tibi quoque faciundum eſſe judico. Ita enim videre videor, omnes, qui favent Poëtis, Oratoribus, Hiſtoricis, Philoſophis, Mathematicis, qui denique litteris dediti ſunt, tuas in laudes certaturos, quod non parvi genus ornamenti cenſeo. *M. Varroni* librorum, qui primò *Romæ* publicè conſtituti ſunt, curam habenti ab *Aſinio Pollione* imago poſita eſt, quæ ſibi judicio meo non minus honoris attulit, cùm à principe Oratore ac cive ampliſſimo ſibi collocata eſt, quàm cùm eundem claſſis Præfectum *Pompeius* ille magnus, confectis piratis, navali corona donavit. Quòd ſi fortunarum tuarum ratio impedimento ſit, huius impenſæ partem in me, & alios, qui veteris ſanctimoniæ veſtigia colimus, arbitratu tuo conferes. Tibi enim non modo velut cenſori parendum ſtatui, ſed extra ordinem munus hoc ſine provocatione decrevi. Quare non excuſatione, ſed re ipſa gloriæ tuæ, voluntati meæ, & honeſtiſſimæ peritorum omnium expectationi ſatisfacies. Quod de *Cincii* ſingulari in nos amore ſcribis, gratiſſimum eſt. Hunc & tu fovebis, & ego, quibuſcumque rebus potero, augebo. Vale. Ex *Venetiis* pridie Nonas Iulias anno JEſu Chriſti M. CCCCXVII.

R. P. Pezii Theſ. Anecd. Nov. T. V. P. III.

2.

Ad Daniel. Veturium. Spondet ſe ejus de morte nepotis æquo animo ferendâ conſilia ſecuturum.

Franciſcus Bar. Clariſſimo & Præſtantiſſimo *Danieli Veturio*, S.D.

GRatæ mihi fuerunt, ſicut debent, literæ tuæ, in quibus benevolentia, vel potiùs pietas tua recognoſci poteſt. Sic enim mecum doles de morte *Lodovici* nepotis, & filii mei; ſic me quoque graviter conſolaris, ut & res adverſæ noſtræ tibi communes eſſe videantur: Et ita me ſapienter mones ad tolerandum caſum noſtrum, ut & communicatio mœroris lenire dolorem, & conſolatio levare mœrorem poſſit. Sequar igitur ſincerum conſilium tuum, & legem naturæ, quæ mutari non poteſt, & fragilitatem humanarum rerum feram moderatè, & hanc immaturam mortem mi[illegible]perſuadebo aditum fore ſibi ad perp[illegible]am immortalitatem, *Dominico* noſtro ſalutem dic. *Zacharias* ſe tibi cum magna obſervantia commendat. *Brixiæ* Idibus Octobris 1437.

3.

Ad Leonardum Iuſtinianum. De obitu ejuſdem ſui nepotis & de ratione propulſandi belli, ac obſidione Brigniani.

Franciſcus Bar. Clariſſimo & Primario *Leonardo Juſtiniano* Salut.

BInas à te literas accepi, quæ pridie Kalendas, & nonis Octobris datæ ſunt, in quibus graviſſimè, ſicut ſoles, ſcribis, quæ ſint jacta fundamenta non ſolùm defendendæ libertatis, ſed etiam publicæ dignitatis amplificandæ. Deinde me mones, ut ita modicè, & conſtanter feram acerbam, & immaturam mortem Lodovici filii & nepotis, ut nec in privato dolore fractus videar, nec in publico munere quicquam diligentiæ, aut ſolicitudinis à me deſideretur. Laudo Principes Senatus cladibus iſtis magis irritatos, quàm fractos eſſe, quia opto, ut conſilia noſtra non minùs Reipublicæ fructuoſa, quàm ſpecioſa ſint. Sed poſtquam pedem nullum habere nos hoſtes ſentiunt, ſumma vi ſtudendum eſt, ut

Comes *Franciſcus*, quiinte:dum ex *Flaminia* volavit in *Tuſciam*, nunc ex *Tuſcia* ſaltem in *Galliam* cis *Padum* veniat. Aut hæc una, aut nulla alia via eſt nunc propulſandi belli, quia in quibus culpa ſit, faciliùs reprehendi, quàm corrigi poteſt, ſed valetudinario corpori caput deeſt. Hoſtes ad *Brignianum* cum operibus & machinis ſunt; & optandum eſt meo judicio, ut ad obſidendum & oppugnandum *Brignianum* terere tempus velint. Sed de his ſatis. Ad tolerandum caſum meum conſilium tuum mihi gratiſſimum eſt, & quamquam de ipſo parum tibi ſpondere poſſum, DEO tamen gratias habeo, qui vult, ut plus apud me poſſit voluntas ſua, quàm pietas naturæ meæ. Vale, & Graviſſimo, & Clariſſimo *Marco* me commenda; & ornatiſſimo *Bernardo* ſalut. dic. *Brixiæ* Idibus Octobris 1437.

4.

Ad eoſdem. Qua ratione exhauſto ærario & afflictæ rei publicæ conſulendum.

Franciſcus Bar. Clariſſimis & Præſtantiſſimis Viris *Danieli Veturio*, & *Leonardo Juſtiniano* Sal.

QUàm ſit exinanitum iſtud ærarium, pro veſtra ſapientia facile cognoſcitis. Sic enim ejus membra ſubtracta ſunt, ut nec per ſe ſtare, nec ſubſtentare alios poſſit: quia Legati qui ſunt, & fuerunt in caſtris, undique contraxerunt æs alienum. Unde nos ferè decoximus. Quare cum Majores noſtri pecunias belli nervos appellaverunt, danda eſt opera, ut in adminiſtrando bello ceſſet hæc difficultas, quæ ad res benè gerendas magno ſemper eſt impedimento, ſive miles alendus, ſive annonæ conſulendum ſit, ſivè muniendæ ſint arces. Nam ut de ſtipendio dando nihil dicam, ſumptus, qui fiunt extra ordinem, immenſum quiddam infinitumque deſiderant. Quæ cùm ita ſint, vos, qui ſedetis in puppi Reipublicæ, ita clavum tenete, ut in portum, quem petimus, nos recipere poſſimus. Et licèt magnum vectigal parſimonia ſit, pecuniam tamen in loco negligere interdum magnum eſt lucrum. Summa igitur meæ concluſionis eſt, in tributis conferendis diligentiam adhibendam eſſe, ut miles ali poſſit, & ærarium iſtud, quod partim mutilatum, partim etiam atque etiam gravatum eſt, non amittat vires ſuas. Quod conſequemur, ſi civibus iſtis pecuniæ ſuæ reſtituentur, ſi ſumptibus extra ordinem circumciſis habeatur annonæ cura, militis merces in tempore conferatur. Quibus copiis imperium defendi placet: & quibus artibus fines tuendi ſunt, magna cura providendum eſt. Ego autem ultra *Oleum* amnem in *Bergomenſem* urbem, & *Luerem* cum vallibus *Seriants* ſumma vi defendendam puto. *Martinengum* præterea, & *Rumanum* minimè negligendum cenſeo. Sed peditis, quo multum ſuperiores eramus, fugiendo, cedendoque ita fracti animi, ita extenuatæ vires ſunt, ut arma quodammodo è manibus ſibi cecidiſſe videantur. Delectus habendus eſt, & veteranorum exercitus de novo ſcribendus, ut alio milite vincamus, poſtquam iſto victi ſumus. Valete. *Brixiæ* Kalend. Novembr. 1437.

5.

Ad Ludovicum Archiepiſc. Florent. Deplorat miſerrimum ſtatum, in quo Eccleſia & Italia verſantur &c.

Franciſcus Barb. L. Archiepiſcopo *Florentino* plur. Sal. dic.

FAcere, non poſſum, quin tecum doleam, Reverendiſſime Pater, & Domine, in tam gravi, & periculoſo bello, quod non ſolùm Imperio noſtro, ſed Romanæ Eccleſiæ, & univerſæ Italiæ maximum diſcrimen allaturum eſt. Ita dormiunt, qui vigilare debent, ut quodammodo excitari non poſſint. Sed profectò vigilandum, non dormiendum eſt. Quid moliatur, quid conetur, quid velit hoſtis adverſùs Romanum Pontificem, *Baſilea** *Romana*, *Florentia*, *Bononia*, *Hiſpania* & *Sicilia*, & *Neapolis* teſtis eſt. Non enim ſolùm fortunam, dignitatem, & libertatem, & vitam omnibus artibus, quibus inſtructiſſimus eſt, quantum in ſe fuit, eripuit ſibi; & ornamentis, & præſidiis, quæ divinitùs ſibi collata ſunt, nudavit ſpoliavitque. Cujus odium usque eo exarſit, ut potiùs auctor ſciſmatis eſſe & haberi velit, quàm Pontificatum ejus quietum patiatur. Sed quid ego commemorem, quæ nunquam obliviſcetur ulla poſteritas? Non enim vul-

* Ita Cod. f. Baſilea, Roma &c.

vulnera illa Romanæ Eccleſiæ nunc tracto, ut faciant dolorem, ſed ut remedium, & medicinam adducant afflictis rebus, quibus ſecundùm DEUM præter ſummum Pontificem mederi nemo poteſt. Quanti præſidii futuræ ſint ad defendendam Libertatem copiæ Il. Comitis F. & Petri Jampauli *Urſini*, pro tua ſapientia cognoſcis. Nam cum illo invicto exercitu non ſolùm tueri fines noſtros, ſed ſigna infeſta in hoſtem inferre poterimus. Cur non liberatur omni ſuſpicione Comes *Franciſcus*, ut ſine ulla ſolicitudine ſtatus ſui defendat Rempublicam noſtram? Cur *Urſini* illæ copiæ, quæ tanto nobis & Eccleſiæ, & Italiæ in hac parte Galliæ uſui eſſe poſſunt, non habentur? Profectò, ſi fruſtra teretur tempus, cognoſcent, qui ſunt auctores hujus tergiverſationis, aliud eſſe incendium in viſceribus ſuis, quod etiam cum magna clade ſua non extinguent. Nec enim Romana Eccleſia, nec populus Florentinus recuſare debet objicere ſe hoſti pro noſtra dignitate, poſtquam cum tyrannis ſempiternum bellum ſuſcepimus pro ſua libertate. In qua defendenda, ſi noſtris quoque commodis conſuluimus, in noſtro quoque Imperio tuendo conſulant ſaluti ſuæ: & quia ex factis potiùs quàm ex dictis amici penſandi ſunt, non deeſſe debent, qui prodeſſe poſſunt, fortunæ ſe offerenti. Aut enim per id tempus ſi ſunt amici, ex aliqua parte ſuſtinebunt Imperium noſtrum, aut declarabunt, quid in ſuis afflictis rebus nobis quoque faciundum ſit. Ego cenſeo, communi animo, conſilioque propulſandum hoſtem eſſe, nec laboribus, nec periculis parcendum per id tempus, ut in poſterum liberè, & tutò vivere poſſimus. Vale. Brixiæ VIIII. Kal. Novembr. 1437.

6.

Ad eundem. Par eſſe, ut Brixienſes à Florentinis iuventur, qui eorum olim opem ac ſtudium experti fuerint.

Franciſcus Bar. Ludovico Archiepiſcopo *Florentino* ſal. dicit.

HEſterno veſperi mihi redditæ ſunt literæ tuæ, ReverendiſſimePater, quæ mihi, ſicut debent, & gratæ, & jocundæ fuerunt. Oſtendunt enim, curæ eſſe Romano Pontifici noſtræ Reipublicæ dignitatem, quæ, niſi nos ipſos decipimus, ita cum amplitudine ſua conjuncta eſt, ut ſeparari non poſſit. Placet Comitem *Franciſcum* tot publicis teſtimoniis metu domeſtici tumultus levatum eſſe. Sed longè magis placebit, quando conjunctis copiis ſuis erit non metu ſolùm, ſed & ſuſpicione liberatus, ut ſine ulla tergiverſatione minimè ſuſpenſus ſit ad bellum adverſùs communem hoſtem gerendum: quod licèt verbis extenuetur tuis, ad diſſociandam tamen Italiam grave, & periculoſum eſt. Cur ita ſentiam, aliàs explicabo. Tecum autem iudicarem incendium iſtud ardere diu non poſſe, ſi ii, quorum res agitur, vires conferrent ad ipſum extinguendum; et ſi poſtquam extinctum videbitur, non reviviſceret; ego tamen hortor & laudo, ut non ſolum dictis, ſed etiam factis adjuvent, qui in ſuis adverſis rebus fidem & conſtantiam noſtram experti ſunt; ne ſibi iure dici poſſit, quod de *Urſi* conſilio cum Romano Pontifice ſemel iocatus ſum, ſcilicet eos in amicis habendos non eſſe, qui fugiunt, cùm ſua nobis fide, ope, & opibus opus eſt. Quare legem illam intuendam, amicitia probandam cenſeo, ut amico non minus de nobis, quam de amico nobis ſpondeamus; nec rectè nos diligi poſtulamus, ſi non diligimus. Quin potiùs cum Seneca graviſſimo auctore ſentio, vehementer eos errare, qui ſibi amicos putant eſſe, quibus ipſi non ſunt. Quæ cùm ita ſint, populus Florentinus, & cæteri, quos honoris cauſâ non nomino, nobis uſui & adjumento eſſe debent ad amplificandam auctoritatem & dignitatem Reipublicæ, ſi ad tuendam ſalutem & libertatem ſuam aliquando noſtra ope ac opera uti volunt. Hæc nec ſcribo, nec ſcripſi, quia libertas noſtra, cuius altiſſima fundamenta DEO auctore iacta ſunt, in diſcrimen adducta ſit: ſed quia dignitas, & amplitudo, & maieſtas noſtræ civitatis quodammodo læſa videbatur, ſi nobis propulſanda magis arma eſſent, quam inferenda: Quia non pro noſtris finibus dimicandum, ſed more Maiorum iuſtè prorogandum Imperium eſt, ſi gloriam, quam inclyti Patres noſtri velut hereditatem nobis reliquerunt, tuendam, & conſervandam iudicavimus. Vale, & mecum Romano Pontifici *Hermolaum* nepotem, & *Zachariam* filium,

Digitized by Google

filium, diligentiſſimè commenda. *Brixiæ* XVII. Kal. Decembr. 1437.

7.

Ad Franciſcum Sfortiam. Eum hortatur, ut adverſùs Nicolaum Piciniuum rem ſtrenuè agat.

Franciſcus Bar. Illuſtri Comiti *Franciſco Sforciæ.*

POſtquam certior factus ſum, Illuſtris & Magnanime Comes, Excellentiam tuam cum illo invicto exercitu apud *Regium* in *Galliam* veniſſe, tantam ſpem cepi profectionis tuæ, quantam nobis virtus & auctoritas, & illa perpetua felicitas tua pollicetur. Nam cum belli & pacis artibus ſic excellas, ut rerum geſtarum gloria omnia magna de te ſperanda ſint: & non minùs ſapienter & fortiter, quàm feliciter graviſſima & periculoſiſſima bella confeceris, quis eſt, qui non expectet, exercitum illum te duce, & te ducem cum illo veteranorum exercitu omnia proſperè eſſe geſturum? Nam cum tua fides, æquitas, & virtus univerſæ *Galliæ* notiſſima ſit, non ſolùm ſociis ſpem dabis defendendæ libertatis ſuæ, ſed alienos etiam allicies, ut fortunæ non deſint ſe offerenti. Non enim hoſtem te, ſed amicum ſentient veniſſe omnibus, qui vendicare ſe voluerint in libertatem. Nec minus gloriæ nunc Cel. tuæ propoſitum eſt, quàm cùm ad *Tuſciam*, & *Liguriam* metu, & periculo liberandam magno adjumento fuiſti: Quia in *Galliæ* libertate, ſicut nôſti, *Etruriæ*, & univerſæ Italiæ quoque libertas eſt conſtituta. Quare, Magnanime Comes, nullis periculis, nullis laboribus eſt parcendum, ut cum tua magna gloria libertas *Italiæ* conjungatur. Quia cum ad laudem, ad decus, ad dignitatem natus ſis, nihil tibi poteſt contingere, in quo tua magìs virtus poſteritati commendetur. Nihil etiam poteſt evenire, in quo magìs obſcuretur fama *Nicolai Picinini*, qui tibi, & Forriſſimo ac Magnifico Viro Sforciæ Patri, & univerſæ Genti tuæ ſemper hoſtis acerrimus fuit. Quare ſicut præclara belli decora es conſecutus, cùm eum ſpe potiundæ urbis Romanæ, deinde *Flaminæ*, poſtea *Liguriæ*, & *Tuſciæ* provinciæ ſpoliâſti: ſic ſi nunc hærentem eum in poſſeſſione *Bergomenſis* agri, & tergiverſantem detinxeris, magnam gloriam es conſecuturus. Quantum & hoc tuum recens meritum nobiſcum omnes liberos populos in perpetuum tibi devinciet, quantum rebus quoque conducet tuis, Illuſtris Comes, ut infinitæ ac immenſæ hoſtis cupiditati frenum imponatur, pro tua ſapientia cognoſcis. Te igitur publicè & privatim hortor & rogo, ut cum illa tua dexteritate ingenii, qua præditus es, & cum illo exercitu ferè victore totius *Italiæ*, & cum ſtudiis illarum partium, quæ magno tibi uſui futura ſunt, rem in eum locum adducas, ut hoſtis confeſtim ſentiat, ſe ita aliena appetiviſſe, ut pro ſuis dimicandum ſit. Hoc & *Italiæ* & tibi nihil utilius, nihil glorioſius fieri poteſt. Vale, & vince. *Brixiæ* Kal. Novembr. 1437.

8.

Ad Coſmum & Laurentium Florentiæ Principes. Ut inde graſſante peſte ſecedant, &c.

Franciſcus Bar. Primariis, & Præſtantiſſimis Viris *Cosmo & Laurentio* Salut.

COnſtitueram tacendum mihi, ut tibi *Laurenti* ſuaviſſime morem gererem. Sic enim velle te ſignificâſti. Sed illa pietas, quæ Crœſi Regis filium & mutum loqui fecit, ut Crœſus Pater ſalvus eſſet, plus apud me potuit, quàm conſilium meum. Nam cùm peſtem iſtic longè latèque diſſeminatam acceperim, ſine ſolicitudine eſſe non poſſum, ut vitæ ac ſaluti veſtræ conſulatur. Vos igitur, quamquam in puppi Reipublicæ *Florentinæ* ad gubernacula ſedeatis, & hortor, & oro, ut vos in portum recipiatis. Nolite nunc eſſe veſtro, & noſtro periculo in contemnenda morte ſapientes. Quanto enim adjumento, & ornamento bonis omnibus vita veſtra & ſit, & eſſe poſſit, & vos ſcitis, & ego non ignoro. Quo pacto autem & patriæ, & ſalutis noſtræ ratio haberi poſſit, pro veſtra ſapientia iudicabitis. Ego autem quamquam & privatim & publicè me tam multa perturbent ac diſtrahant, quia non exigua vitæ meæ pars in vobis repoſita & collocata eſt, facere non poſſum, quin illius peſtilentiæ cauſâ ita commovear, ut hærere me putem in illis ſcopulis, donec vos in aliqua ſtatione tutos eſſe cognoſcam. Vos igitur rogo & oro, ut conſilium, quod

ali-

aliquando mihi dediſtis, ipſi non contemnatis; ſed nos vobiscum metu domeſticæ calamitatis ac periculo liberetis. De his ſatis.

Quid dicam de Republica, cùm fortè mihi potiùs tacendum quàm ſcribendumſit, ne minus quàm debeam, aut plusquam poſſim, loqui videar. Summa tamen concluſionis meæ eſt, populi *Florentini* commodis conſultum fore, ſi nos jure fœderatos, ſicut debet, cnixius adjuverit, cùm pro ſe, nondum ſocio, bellum adverſùs callidiſſimum ac potentiſſimum hoſtem ſuſceperimus & cœptum per tot annos vario eventu geſſerimus, & in perpetuum nobis gerendum ſit. Nam ſi cum ſuis quoque copiis communi animo, conſilioque rem gerendo infeſta ſigna in hoſtem intulerit, dignus eſſe videbitur, cuius aliquando prolapſum tot cladibus imperium, noſtris armis, noſtris ducibus, noſtrisque opibus retentum ac recuperatum ſit. Itaque ſumma vi agendum eſt, ut fidei ſocialis utrinque ſervatæ Florentia, & noſtra Civitas omnibus gentibus documentum ſit: quæ res, ſi quid eſt certum rebus humanis, aut honeſtam pacem ſocio nomini, aut victoriam eſt allatura. Valete. *Zacharias* noſter cum ceteris ſe vobis diligentiſſimè commendat. *Brixiæ* XII. Kal. Decembr. 1437.

9.

Ad Ludovicum Arch. Flor. Rogat, det operam, ut in Eccleſiam S. Petri Brixiens. Canonici Reg. S. Georgii de Alega inducantur.

Franciſcus Bar. Ludovico Archiepiſcopo *Florentino* Salut.

QUare mihi ſemper curæ ſit, ut proſim, quibus præſum, & ut de optimis Viris bene merear, pro tua ſapientia, & pro noſtra amicitia facilè cognoſcis. Quare cum occaſio ſe obtulerit rei bene gerendæ, quæ populo *Brixienſi* cum laude nominis Chriſtiani magnam utilitatem eſt allatura, ad officium meum pertinere judicavi non deeſſe fortunæ ſe offerenti. Nam cum mens & voluntas S. D. noſtri ad amplificandam religionem & pietatem Chriſtianam mihi notiſſima ſit facilè mihi perſuadeo, ope, opera, auctoritate & interceſſione tua conſequamur, quod piè velle, cœpimus. Extat Eccleſia quædam *Sancti Petri*, quæ vacavit; quæ ita ſita eſt in monte, ut ellevatas ibi animas eſſe quodammodo deſideret. Scriptum eſt enim: *ſuper montem excelſum aſcende tu qui evangelizas Syon.* Quare cùm hactenus ſacerdos illic qui vivens moriebatur . . . . tempus oblatum video, ut ſine cujusque injuria domus illa DEI, quæ jam diu deſerta fuit, fiat habitabilis. Venit autem in mentem, ut Canonici regulares Sancti Georgii de Alega, qui piè vivunt in Chriſto Jeſu, habeant locum illum, ut exemplo manſuetudinis ſuæ populus iſte, qui ferox in armis eſſe ſolet, mitior fiat. Quanta enim cura in civitatibus benè inſtitutis Medici quæri ſolent, non ignoro. Quanta autem cum diligentia medicinæ animorum exhiberi debeant, ſatis conſtat. Quare cum ita ſint, à te Reverendiſſime Pater & Domine, peto & poſtulo, ut adjuves pietatem meam, & devotionem populi mei, qui magnò ſe beneficio Romani Pontificis, & tuo devinctum putabit, ſi Eccleſia iſta *Sancti Petri*, quæ vacat, Congregationi Sancti Georgii reſervetur. Quantum autem fructum inde capiet Civitas iſta, dicere non poſſum; ſed meo judicio Eccleſia *S. Petri* Canonicis illis reſervata; ſalutaris medicina erit infirmo populo meo, & indicium, ac perpetuum monumentum Sanctitatis & benignitatis Romani Pontificis, & fidei, ac pietatis meæ. Vale, & quantum poſſim apud te in hac pia cauſa, nunc oſtende. *Brixiæ* XVI. Aug. 1437.

10.

Ad Bernardum Cremonenſem. Petit ut idem negotium Pontifici M. commendet.

Franciſcus Bar. Bernardo Cremonenſi Sacerdoti Salut. dicit.

QUanto ſtudio civitas iſta poſtulet, ut Eccleſia *S. Petri*, quæ nunc vacavit, Sanctæ Congregationi tuæ reſervetur, jam noſti; & ita opportunè locus ſitus eſt, ut humiles & ſublimes animas illic habitare conveniat. *Quis* enim *aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde.* Quare antequam

tequam Brixienſem Magiſtratum inirem, optabam locum hic invenire fratribus tuis ut exemplo manſuetudinis ſuæ ferox iſta in armis gens magis ac magis quotidie mitis redderetur. Quanti autem momenti fuerit religio ad ſubigendum legibus Populum Romanum, Numa Pompilius ſecundus Rex edocuit. Quapropter cùm Eccleſia *S. Petri* nunc vacaverit, & ſine cuiuſquam iniuria cum laude & gloria nominis Jheſu Chriſti Congregatio S. Georgii amplificari poſſit, & publicè & privatim congratulabor, ſi per id tempus, quod maximè velim, conſequemur. Venit Frater, qui ſignificabit tibi, quanto id ſtudio univerſæ civitatis poſtuletur. Ego quoque Reverendiſſimis C. *Veneto*, & D. *Tragurienſi*, & Protonotario nepoti meo ſcribo; tu autem die Summo Pontifici, ut nos adiuvet; ut ſicut ipſe emper ornavit ac illuſtravit Ordinem tuum, ita nunc patiatur, ut Congregatio illa amplificata ornet, & illuſtret Sanctitatem ſuam. Vale, & Sanctis nos orationibus adiuva. *Brixiæ* XVI. Auguſti 1437.

II.

Ad Jac. Fuſcarum. Laudat eius erga ſe benevolentiam, amorem atque in adverſis conſtantiam.

Franciſcus Bar. Primario, ac Clariſſimo *Jacobo Fuſcaro*, Incliti Principis F. pl. Sal. d.

ETſi non dubitarem, quin tibi magnæ curæ eſſet vita *Zachariæ*, & ſalus mea, non mediocrem tamen fructum cepi benevolentiæ & pietatis tuæ, poſtquam mihi *Chriſtoforus Cremonenſis* nunciavit, quanto me ſtudio iuveris, cùm ego in *Zacharia Brixiæ* morerer, & in caſtris *Zacharias* in me periclitaretur. Ita enim aliquando diu ſe res habuit, ut ſæpius nulla ferè mihi in rebus humanis eius vitæ retinendæ ſpes relicta ſit. Quare cum Sanctos monacos nobis amiciſſimos piè, ac ſolitè monueris, ut orationibus ſuis nos divinitus iuvarent, non ſolùm nobis adiumento fuiſti, ſed & quantum amicitiæ, & neceſſitudinis noſtræ dignitas poſſit, oſtendiſti. Vnde non ſolùm laudi tuæ, ſed & commoditati meæ conſultum eſt: Res enim adverſæ, ſicut noſti, ſi partiantur, communicenturque, leviores fiunt. Laudo igitur, proboque fidem, & conſtantiam tuam, quia licèt tu abſens eſſes, & nos quodammodo mortui eſſemus, pro tua virtute rationem tamen habuiſti & ſalutis noſtræ & dignitatis tuæ. Vale. Inclito Principi, quando tempus, & locus patietur, & Patri noſtro Abbati *Sancti Michaelis*, & Spectatiſſimo *Marco Foſcaro* me diligentiſſimè commenda. Patriciis, & nobis amiciſſimis *Andreæ Bembo*, & *Chriſtoforo Cauto* ſalutem dic, & docto Viro *Laurentio* noſtro. *Zacharias* præter expectationem noſtram convaleſcit, qui ſe tibi etiam atque etiam commendat. *Brixiæ* Kal. Septemb. quàm feſtinanter.

12.

Ad Franciſcum Card. Venetum: ut in Abbatem S. Euphemiæ miſericordia & clementia utatur.

Franciſcus Bar. Franciſco Cardinali Veneto Salutem. d.

QUia nulla vitæ pars amicitia vacare debet, Reverendiſſime Pater & Domine, ſalvo officio tenere me non poſſum, quin Abbatis Sanctæ Euphemiæ cauſam, quoad dignitas tua patietur, commendem D. tuæ. Nam cum de tua noſtra Republica benemeritus ſit, & optimè mereri velit, & Clariſſimi Phyſici *Franciſci Cremenſis*, Equitis nobis amiciſſimi, ſit familiariſſimus, facere non poſſum, quin commemorem ægritudinem & ſenectutem ſuam miſericordia dignam eſſe. Fuit enim ultra quadraginta, annos Abbas illius Eccleſiæ, in qua ſi fortè liberiùs vixit, quàm leges monaſticæ patiantur, fructus, quos in Monaſterio collegit, DEO dedicavit. Quare cùm homo ſit, & nihil humani à ſe alienum putaverit, ut audio, ita ſe corrigi, & caſſigari à DEO permittit, ut omnia dicat iuſtô judiciô pati, quia peccavit DEO, & mandatis ſuis non obedivit. Sed cùm extrema iam ſenectute feſſus errando didicerit in viam redeundum eſſe, ad humanitatèm Eccleſiæ pertinet errantem in ſinum pietatis ſuæ colligere; & quem aluit ſanum, & iuvenem, & divitem, non ejicere debilem, & ſenem in extrema egeſtate. Cauſam eius cognoſcet Excellentia tua coràm. Ego autem non repellendum puto de Monaſterio pœniten-

nitentem, quem peccantem per tot annos præeſſe Monaſterio ſuſtinuimus. Sed quid ago? Dico ſententiam meam, ubi tua, quæ plena clementiæ & miſericordiæ eſt, nobis eſt expectanda. Hortor igitur C. tuam, Reverendiſſime Pater & Domine, ut ſenectutem, & ægritudinem & ſummam inopiam Abbatis iſtius, quoad tua, & Eccleſiæ dignitas patitur, miſericordia potiùs infirmitatis Sæculi noſtri, quàm ſeveritate Patrum noſtrorum puniendam putes. Vale. Romano Pontifici mecum Protonotarium nepotem, & C. tuæ diligentiſſimè commenda. *Brixiæ* VI. Kal. Novembr. 1437.

13.

Ad Ludovicum Archiep. Florent. Vt afflictiſſimam cauſam Abbatis S. Euphemiæ quavis ratione tueatur.

Franciſcus Bar. L. Archiepiſcopo *Florentino* S. d.

ETſi Reverendiſſime Pater & Domine, graviſſimi, & periculoſiſſimi belli curæ occupent animum meum, amicitiam tamen, quam ſemper magno ſtudio colui, deſerere non poſſum. Clariſſimus & doctiſſimus Medicus *Franciſcus*, Eques *Cremenſis*, nobis amiciſſimus, à me contendit, ut Abbatis Sanctæ *Euphemiæ* dioceſis *Brixienſis* cauſam commendem tibi, qui licèt liberiùs vixerit, quàm ſeveritas Monaſtica patiatur, non ſolum tamen primitias, ſed & reliquos fructus aut DEO, aut Monaſterio dedicavit. Senuit in ea domo, ex qua nunc, ſi mos geratur adverſariis ſuis, eſt expellendus. Quare cùm partim ſenectute, partim ægritudine: ut audio, DEUS ſanaverit mentem ipſius Abbatis, non erit alienum ab humanitate & manſuetudine Eccleſiæ errantem potiùs ovem in ſinum ſuum colligere, quàm ita ſeverè caſtigare, ut ipſe, qui iam grandis natu eſt & infirmus, & inops, deſcendat in infernum vivens. Quare cùm Abbas ipſe de noſtra republica meritus ſit, & *Franciſco* clariſſimo Phyſico ſit amiciſſimus a te Reverendiſſime Pater & Domine, peto & poſtulo, ut quoad tua fides ac dignitas patietur, Abbatis cauſam ſic tuearis, ut commendatio mea non minùs, quàm debet, apud te pondus habuiſſe videatur. Vale. Commenda Protonotarium nepotem mecum Romano Pontifici, & Zachariam tibi. *Brixiæ* VI. Kal. Novembr. 1437.

14.

Ad eundem. Omnem ſpem ſuam ſuorumque in eius patrocinio collocat. In fine laudat Mapheum Vegium.

Franciſcus Bar. L. Archiepiſcopo *Florentino* Salut. d.

POſtquam de Archiepiſcopatu *Florentino* tibi & mihi congratulatus ſum, ſæpiùs commendatitias literas ſcripſi D. tuæ, ut Protonotarius filius, & nepos meus, tibi commendatiſſimus eſſet. Quantum etiam coràm illum tibi commendaverim, nôſti: quantum ſibi quoque ſemper faveris, optimus teſtis es; quantum etiam ſibi prodeſſe poſſis, tu ſcis, & ego non ignoro. Cum quanta etiam laude tua dignitati & amplitudini ſuæ uſui & ornamento eſſe valeas, exploratiſſimum eſt. Quare à te Reverendiſſime Pater peto & poſtulo, ut ſicut ſemper ſoles, nos omnes amplifices cum tua dignitate: Quia te in puppi ſedente ad gubernacula Romanæ Eccleſiæ non ſolùm ventos nobis propitios, ſed etiam in portum navigare & proponimus, & ſperamus. Tutè enim dormire poſſumus quia tu ſemper pro nobis vigilas. Hortor igitur, & rogo, & obſecro, ut ſicut ſpem & cogitationem in te collocavimus & defiximus, ita cures & des operam, ut omnes nobis conſentiant, ſpem noſtram benè poſitam, & collocatam eſſe. Vale. Commenda me Romano Pontifici, & de me ſponde Clementiæ ſuæ, quicquid mea fides, ac reipublicæ dignitas patiatur. *Brixiæ* VI. Idus Septembr. 1437. quàm feſtinanter. *Zacharias* noſter, qui cum mortuus eſſet, per gratiam & miſericordiam DEI revixit, ſe tibi cum omni reverentia commendat, & orat, ut fidem, ac devotionem ſuam Sanctiſſimo D. noſtro diligentiſſimè commendes. Claro ac doctiſſimo Poëtæ *Maffeo Vegio* noſtro ſalutem dic, qui nos in laude patriæ, & in carmine ſuo ita delectavit, ut in ſuavitate & gravitate inge-

Digitized by Google

nii ſui, velut in iucundo diverſorio, acquieverimus. Vale.

15.

Ad Eugenium P. M. Graviter queritur, Barbarum nepotem ab adeundo Eccleſiæ Bergomenſis regimine præter omnem exſpectationem repulſum eſſe.

Franciſcus Bar. Eugenio Papæ.

GRatias egi DEO noſtro, Beatiſſime Pater & Sanctiſſime Domine, poſtquam certior ſum factus, filium & nepotem meum Protonotarium *Barbarum* ſummo conſenſu, votis ſolemniter nuncupatis Cleri *Bergomenſis* divinitus Epiſcopum electum, & ab univerſo populo nominatum & deſideratum eſſe: & ita nominatum & deſideratum, ut nullius ordinis, nullius numeri, nullius generis ſtudia, ſuffragia, & teſtimonia ſibi defuerint, ut Sanctitas tua, quæ me iam pridem pro ſua ſumma Benignitate cariſſimum haber, & gentem & familiam meam ornare conſtituit, cum laude quoque Clementiæ ſuæ filium meum Protonotarium amplificaret. Quod mihi perſpicuum fuit, quando cognovi, Sanctitatem tuam eidem Protonotario *Bergomenſem* Eccleſiam cæteris poſt habitis obtuliſſe. Videre enim videbar Beatitudinem tuam non ſolùm Clero & populo *Bergomenſi*, & Protonotario filio meo, & mihi, & genti noſtræ, ſed & clariſſimo Viro Patri meo, & optimo & magnifico Genitori tuo, qui vivus omnium Patri meo amiciſſimus fuit, munus iſtud eſſe delatum *: & animo concipiebam non ſolùm nos vivos, ſed etiam mortuos illos cum gloria tua benigniſſimè ac honorificentiſſimè eſſe tractatos. Sed poſtea, cùm ante tempus, Protonotario ad deliberandum propoſitùm, Eccleſia illa etiam cum magna prærogativa alteri, qui nec ætate, nec doctrina, nec virtute, nec ulla dignitate ſupereſt, oblata ſit, Beatiſſime Pater, facilè perſpexi verum eſſe, nos neſcire, quid petamus. Quia unde tuo graviſſimo iudicio ac teſtimonio nos illuſtratos eſſe ſperabamus, conſortia nota * non ſolùm rejecti, & repulſi, ſed etiam Apoſtolicâ ignominiâ affecti ſumus. Quæ res, ſicut debet, magna me moleſtia affecit. Quia unde iacta erant fundamenta ſpei noſtræ, nobis deſperandum eſt. Quæ cum ita ſint, pro tua Clementia, & ſapientia providendum eſt, ut vita, quæ nobis gravis eſt, tuâ gratiâ nobis grata & iucunda ſit futura. Cæterùm ſi qua in Protonotario culpa eſt, quod ignoro, à te Beatiſſime Pater & Sanctiſſime Domine peto, & poſtulo, ut nos omnes, qui de te benè mereri ſemper affectavimus, & optimos, ac honeſtiſſimos Viros parentes noſtros, qui etiam vita functi pro nepote intercedunt, conſolari, & cum gloria tui nominis ornare ac illuſtrare velis.

* detuliſſe,

* mend.

16.

Ad Franciſcum Card. Venetum: Ut faveat Brixienſibus, Canonicos Reg. in Eccleſiam S. Petri in monte inducere volentibus.

Franciſcus Bar. Franciſco Cardinali *Veneto* Sal. d.

QUia certè ſcio, Revendiſſime Pater & Domine, me apud Celſitudinem tuam omnia poſſe, quæ cum tua laude & gloria impetrari poſſunt, facilè mihi ſuadeo, D. tuam mihi conceſſuram, quæ mihi petenda hoc tempore arbitor. Quia cùm id, quod petitur, honeſtiſſimum ſit, & ſine cuiusquam injuria quæratur; & ego cum populo meo *Brixienſi* dignus ſum, ut exaudiatur oratio mea, non dubito, quin apud Romanum Pontificem ſtudio ac Patrocinio tuo compos ſim votorum meorum. Vacat nunc Eccleſia *S. Petri* in Monte per mortem cujusdam Sacerdotis, de cuius vita mihi tacendum conſtitui, quia ſcriptum eſt: *mortuo & ſurdo ne maledixeris.* Quare cùm populus iſte ſummo ſtudio deſideret, ut Canonicis Regularibus Sancti Georgii de Alega locus iſte reſervetur, & congregatio illa ſaluberrima quædam medicina futura ſit univerſæ civitati, à C. tua peto, & poſtulo, ut huic pio deſiderio populi mei faveas, & ope, opera, & auctoritate, ac interceſſione tua ſtudeas, ut compos ſit voti ſui. Cura igitur, Reverendiſſime Pater & Domine, ut in hac pia cauſa oſtendas, quantum mea cauſa velis. Quod ſi feceris, non dubito, quin S. D. qui Religioni Chriſtianæ ſummo ſemper ſtudio favet, concedet, & volet, ut illi Canonici, qui cum magna

magna laude & Gloria DEI vivunt, huic populo non mediocrem fructum ferant, & sicut alibi sunt, ita hic sint testes fidelès in Jerusalem clementiæ, misericordiæ, & pietatis suæ. Vale Reverendissime Pater & Domine, & me tibi ipsi diligentissimè commenda. *Brixiæ* XVI. Augusti 1437.

17.

Ad Ludovicum Archiep. Florent. Ex recenti Patriarchæ Alexandrini Cardinalatu eandem ei dignitatem ominatur.

Franciscus Bar. L. Archiepiscopo *Florentino* Sal. d.

ETsi nunquam dubitavi, Reverendissime Pater & Domine, quin pro suis magnis meritis in Ecclesia DEI Reverendissimus Pater & Dominus Patriarcha Alexandrinus amplissimum locum haberet apud Romanum Pontificem, tamen non mediocrem fructum cœpi voluptatis, cùm ex tuis literis certior factus sum, eum in Sacro Collegio Cardinalem esse declaratum. Nam ut reliqua taceam, iustum videbatur, cùm ipse, qui nunquam vitæ suæ, nunquam laboribus, nunquam periculis suis pepercisset, ut benè de Ecclesia mereretur, amplissimum honoris gradum deferri videret, qui bellicas suas laudes illustraret, quibus difficillimis ipse temporibus Romanam Ecclesiam defendisset, & amplificasset. Accedit ad gratiam, quia cùm Patriarcha noster summo Pontifici carissimus & coniunctissimus sit; & ego illi tantum afficiar, quantum sua virtus & amicitiæ nostræ dignitas postulat, privatim mihi ipsi congratulor: quia in ipso Patriarcha non solùm Romanum Pontificem, cui iustis de causis deditissimus sum, sed etiam secum me ipsum ornatum ac illustratum puto. Et quamquam ipsi S. D. nostro nihil ornamenti possit accedere, cùm omnia naturæ, virtutis, & fortunæ ornamenta & adiumenta sibi divinitus collata sint: Tamen nescio, quo pacto Sanctitas sua in membris suis ornari, ac amplificari posse videtur. Sic etiàm in te Reverendissime Pater & Domine, cui ad pristinam amplitudinem Archiepiscopatus *Florentini* dignitas adiecta est, * omen mihi factum est, electionem istam tuam gradum quoque fore Cardinalatus. Ecclesia enim illa seminarium esse consuevit amplissimi Ordinis illius. Quare cùm nemo sit, cui res tuæ maiori curæ sint, quàm mihi, facilè tibi persuadere potes, omnia insignia honoris tui mihi gratissima, atque carissima esse. Felix igitur, faustum, & fortunatum sit omen meum, unde post DEUM & virtutem tuam iacta sunt fundamenta dignitatis & felicitatis tuæ! Vale, & me commenda S. D. nostro, qui, ut spero, iam aut declaravit, aut declarabit paulò post, quantæ sibi sit curæ Amplitudo gentis nostræ, & fortuna nepotis mei, qui, sicut nôsti, summo studio, & consensu & à Canonicis & à populo electus est Episcopus *Bergomensis*. Vale. *Brixiæ* XV. Augusti 1437.

* *Cod.* unde omen.

18.

Ad Hermolaum Barbarum, neporem: ut iniuriam repulsæ ab Episcopatu Bergomensi dissimulet.

Franciscus Bar. Hermolao Protonotario. Sal. d.

HEsterno vesperi *Henricus*, Religiosus Ordinis Minorum attulit mihi literas tuas, VI. Nonas Septembr. datas. Respondeo. Prædictus *Henricus* mihi commendatus. Erit suâ causâ, quem mea quoque commendatum habuisti. De Episcopatu quid scribas intelligo. Fiat, quod bonum est in conspectu DEI! Hortor, ut magno & constanti animo nunquam ostendas te iniuriam accepisse; quia sicut Chrysostomus Christianus Philosophus Auctor est, *Nemo læditur nisi à se ipso.* Nec etiam vellem, ut videreris repulsam passus esse illius honoris, quem ipse repuleris. Quia cum D. Baptista nihil egeris, æquo animo fero. Sed vellem, ut potiùs cum omni ingenio amicos veteres tuereris, quàm ut in novis quærendis studeres, & antiquos desereres. Suspicor enim animum tuum ab illis alienatum. De literis meis fac ùt vis. Sed ego existimarem, dolorem meum pro te piam medicinam esse doloris tui. Fac tamen, sicut placet. *Brixiæ* XII. Septembris. 1437.

19.

Ad Maphæum Contarenum. Commoda Monasterii S. Petri Montis Oliveti describit, eumque rogat, ut ad rem rectè curandam duos è Fratribus eò mittat.

Franciscus Bar. Mapheo Contareno Magistro Monasterii Salut. d.

SCribere constitui, quæ cum laude religionis nostræ, ac amplitudine Ordinis tui, & communi utilitate conjuncta sunt: pro tua tamen sapientia, quid faciundum sit, judicabis. Ecclesiam *Sancti Petri, montis Oliveti*, magno studio istius populi Fratribus tuis oblatam, & ex auctoritate Romani Pontificis honorificè concessam nósti. Quæ res non minùs grata, & jucunda est universæ civitati, quàm fructuosa est futura. Visitavi templum illud, non tam ut viderem, quàm ut cives exhortarer ad devotionem fratrem tuorum. Ecclesia antiqua est, & non sine prisca dignitate, in qua reposita sunt corpora Sanctorum Episcoporum. Monasterium quoque amplum erit, & satis commodè reduci poterit ad formulam religionis tuæ. In *monte Oliveti* intra mœnia, quodammodò extra urbem situm est; & ita situm est, ut in libero cœlo Solis conspectus sanitatem præseferat; & aëris sublimitas moderata animum invitet ad excelsas cogitationes. Habet quoque tantos redditus, ut alere possit & nunc aliquos, qui serviant DEO. Quare, Pater humanissime, cùm templum hoc fratribus tuis divinitus datum, & tutum, & amœnum, & satis fortunatum sit, minimè negligendum est. Cæterùm cùm pars fructuum suorum ad ædificandum servanda sit, sicut Senatus decrevit, laudarem, ut duo ex Fratribus huc accederent, ut curarent, quæ sunt componenda; & exemplo vitæ suæ incitarent civitatem ad exornandum, ac amplificandum templum, & monasterium nostrum. Vale, & nos Sanctis orationibus adjuva. Commenda me Pontifici vestro, & sanctis Fratribus; & d. Filippo nobis amicissimo salutem dic. *Brixiæ* VIII. Novembris 1437.

20.

Ad Leonardum Iustinianum; Quæratione hostilis exercitus è finibus agri Brixiensis exigendus &c.

Franciscus Bar. Leonardo Iustiniano Sal.

QUo in loco res nostræ futuræ sint, nescio, sed ego opto, ut Comes *Franciscus* cum suo illo invicto exercitu *Galliam Transpadanam* sic infestet, ut hostis illo terrore belli copias suas ex magna parte moveat ex finibus nostris. Sed quia sentio *Tolentinos* illos Fratres, qui exauctorati sunt militia populi *Florentini*, solicitari, ut in *Picenum* se conferant, fieri posset, ut hoc salubre consilium belli gerendi mutaretur. Quia si *Picenum* ad defectionem spectaret, Comes *Franciscus* fortè sua potiùs, quàm aliena tueri vellet. Quæ cùm ita sint, incunda ratio esset, ut cum parva mercede *Tolentinæ* illæ copiæ per se potiùs hybernarent apud Cisternam, quàm hostis artibus suis fretus, ex Gallia veteranorum copias ad Picenum defendendum submoveret. Hæc scribo, quia sicut nósti, in bello plurimum ingenium potest. Danda enim esset opera, ut illæ copiæ aut nobiscum sint, aut cum hoste esse non possint. Vale. *Brixiæ* VI, Kalendas Novembris ante auroram.

21.

Ad Ludovicum Archiep. Florent. de repulsa filii Hermolai ab Episcopatu Bergom. constanti tamen animo & fide sua erga Pontificem maximum.

Franciscus Bar. Lodovico Archiepiscopo *Florentino* Sal. d.

QUanta molestia affectus sum, dicere non possum, postquam sensi, *Bergomensem* Ecclesiam, quæ benignissimè à Romano Pontifice Protonotario filio, & nepoti meo oblata erat, nescio quo pacto, cum ejus, & totius familiæ nostræ ignominia, alteri ante tempus expectatum esse delatam. Quæ res quantum in se commendari possit, aliorum

sit

ſit judicium. Nam cum nepos meus ſummo Canonicorum conſentù poſt ſacrá ſolemniter facta electus ſit, & ad unum univerſus populus eum in Epiſcopum affectaverit, & ita affectaverit, ut nullius ordinis, nullius numeri, nullius generis ſibi ſtudium, teſtimonium, judicium publicè defuerit; & ab ipſo Summo Pontifice gratioſiſſimè illa ſibi Eccleſia liberè oblata ſit; non putâſlem, te in puppi Eccleſiæ Romanæ ad gubernacula ſedente, nos in portu, etiam cum ſecundis & propitiis ventis, naufragium facere potuiſſe. Quia cùm Spiritus Sanctus votis ſolemniter nuncupatis per Clerum & populum utriusque factionis, nepotem meum vocâſſet, & ille, qui vicem DEI in terris gerit, gradum iſtum honoris, cæteris poſthabitis, ſibi deferret: & tu, qui potes omnia, ſibi faveres; facilè mihi perſuadere debuiſſem, aut Eccleſiam illam honorificè ſibi primùm deferendam, aut honorificè à ſe repudiandam fuiſſe. Cur autem ante tempus propoſitum alter, qui nec ætate, nec doctrina, nec virtute, nec genere, nec ulla dignitate (ſupereſt), ſibi antepo-nendus ſit contra leges, contra decreta Concilii & contra bonos mores, non intelligo, cùm majores noſtri nobiſcum ita de parte ſummi Pontificis, & de Sanctitate ſua ſint meriti, ut fortaſſe paucos ſibi pares, neminem ſuperiorem habere debuerint. Sed poſtquam tanti ſit unius fortuna, qui tantùm minùs legibus civitatis noſtræ & Senatu poteſt, ut ejus cauſâ jura divina & humana cum amicitia negligantur, æquo animo ferendum putabo, quicquid ſine culpa noſtra geſtum eſt: & poſt DEUM, & Sanctiſſimum D. noſtrum te judicem, cenſorem, & teſtem ſum habiturus propter unam inopem eccleſiam, & dum de ſciſmate timetur, univerſam Eccleſiam, & amicitiam, ſi ita mihi loqui licet, contemptam. De fide tamen & benevolentia, vel potiùs pietate mea erga Romanum Pontificem, & erga te nihil ego ſum remiſſurus; nec ille, cujus cauſa tot leges ſunt neglectæ, aut animum, aut conſilium eſt mutaturus. Te autem hortor Reverendiſſime Pater, ut, ſicut ſoles, conſtantiſſimè nos diligas, & tuo ſtudio & patrocinio defendas; nec illius fortunam pluris facias, quàm virtutem & dignitatem tuam; & ita de nobis ſentias, ut neminem apud Clementiſſimum Dominum noſtrum nobis anteponi patiaris, qui fide, conſtantia mentis, ac ingenii & virtutis laude à nobis ſuperetur. Ego tamen in bonam partem accipiam, quicquid à Romano Pontifice, & à te ſit conſtitutum, modò res noſtræ ita compoſitæ ſint, ut hæc repulſa nos impoſterum potiùs ornandos, ac illuſtrandos, quàm rejectos, & repulſos eſſe teſtetur. Quo pacto autem id conſequi poſſimus, pro tua ſumma ſapientia cognoſcis; & quia potes omnia, ut ſpes mea fert, non deeris exiſtimationi & dignitati noſtræ, poſtquam ita de te ſentimus, ut ſine ulla exceptione tuam ſalutem ac amplitudinem, ſi quando nobis licuerit, nobis tuendam & defendendam imperpetuum judicamus. Vale, & me commenda ac familiæ noſtræ honorem Romano Pontifici, qui pro ſua magnitudine animi ab ineunte ætate in collocandis beneficiis fortunæ virtutem ſemper anteponendam eſſe judicavit. Vale. *Brixiæ* XXVI. . . . 1437. hora 7. noct.

22.

Ad Leonellum Marchionem Eſtenſem, cui Maphæum Bergomenſem commendat.

Franciſcus Bar. Illuſtri *Leonello* Marchioni *Eſtenſi* Salutem.

MUltos tibi commendavi, & multos commendaturus ſum, ut illis, quos diligo, non deſim; & excellentiæ tuæ morem geram. *Maphæus* civis *Bergomenſis* honeſto loco natus ad te venit, quia ſibi perſuaſit propter interceſſionem Illuſtr. Marchionis, ſoceri tui, apud te locum ſibi non defuturum. Quid ſibi velit adoleſcens iſte, non ſatis ſcio, ſed ut opinio mea fert, non tibi ſolùm notus, ſed & carus fieri cupit. Eum igitur tibi commendo, non quia mihi familiaris ſit, ſed quia *Bergomenſes* omnes in tutelam & clientelam meam ſuſcepi. Bonam igitur in partem accipies, ſi patrocinium meum ei non deſit, qui judicium & beneficium expectat tuum. Magnificentiæ tuæ, cui me quoque commendo. Vale, & eloquen-

Digitized by Google

tiſſimo Guarino ſalutem dic. *Brixiæ* XXIIII. Novembris 1437.

23.

Ad Iacobum Foſcarum. Ei commendat Iacobinum Cremonenſem, à calumniatoribus vexatum.

Franciſcus Bar. Jacobo Foſcaro, Incliti Principis noſtri F. ſalutem.

GRatias habeo *Jacobino Cremonenſi* qui me etiam atque etiam rogavit, ut cauſam ſuam commendarem tibi. Nam cum per triginta annos integrè ſerviverit Pontifici *Bergomenſi*, qui paulò antè vita functus eſt; nunc ut fieri ſolet, à calumniatoribus ſuis vexatur, & ita vexatur, & cauſam ſuam dicturus ſit Epiſcopo, qui nunc eſt deſignatus. Cæterùm cùm iam pridem mihi notus & carus ſit, & ab ipſo Epiſcopo, antequam moreretur, diligentiſſimè mihi ſit commendatus, ad officium meum pertinere iudicavi, ſi cum quoque tibi commendarem, ut ſicut tuis ſtudium meum, ita meis patrocinium tuum non deſit. Quidquid igitur humanitatis in *Jacobinum* contuleris, in me ipſum collocatum putabo. Vale. Inclyto Principi noſtro me commenda, & ornatiſſimo *Chriſtoforo Cauto* ſalutem dic. *Zacharias* ſe tibi commendat. *Brixiæ* XII. Kalend. Decembr. 1437.

24.

Ad P. Foſcarum Epiſcopum Bergomenſem, cui acceptam dignitatem gratulatur, eiquetum Bergomenſes univerſim, tum Jacobinum præcipuè commendat.

Franciſcus Bar. P. Foſcaro Epiſcopo *Bergomenſi* Salut.

SI per occupationes meas, id eſt, publicas, licuiſſet, tibi Reverendiſſime Pater, congratulatus eſſem, quum primum Pontifex deſignatus es, non ſolùm quia ampla illa inſignia honoris tibi delata ſunt, ſed quia incundum tibi Pontificatum illum iudicâſti, ubi tam incundam, & perpetuam mei nominis memoriam reliqui, ut nemo ferè ſit ullius ordinis, ullius numeri, ullius generis, qui me non colat, diligat, amet. Quare cum eos omnes in filios acceperis, quos poſt Præturam benè adminiſtratam in & tutelam, clientelam meam ſuſcepi, & ſibi tecum, & tibi ſecum gratulandum eſt: quia nec te fidei ſuæ, nec eos unquam pietatis tuæ pœnitebit. Sed quid ago? Unum mihi commendandum ſumpſi, & omnes commendo. *Jacobinus Cremonenſis*, qui per triginta annos integrè ſervivit Epiſcopo Præceſſori tuo, ad te venit. Cauſam ab eo cognoſces. Hunc accuſatum audio eſſe ab æmulis ſuis, cuius tibi fides eò carior eſſe debet, quia in eo heri ſui caritas vivit, licèt Dominus ſuus mortuus ſit. Eum tibi commendo, quem Epiſcopus etiam moriens diligentiſſimè accommodavit mihi. Aures tuas, ut mihi ſpondet virtus & gravitas tua, non accommendabis calumniatoribus ſuis: ſed ſicut ampliore Pontificatu dignus es, ita declarabis, in te magnitudinem animi parem eſſe fortunæ & Dignitati tuæ. Vale. Claro Viro *Philippo* Fratri ſal. dic. *Brixiæ* XII. Kal. Decembr. 1437.

25.

Ad Ludovicum Archiepiſcopum Florent. Exponit animi ſui lætitiam ob proximam Eccleſiæ Latinæ ac Græcæ unionem, indeque triumphos ex Turcis repertandos expectat.

Franciſcus Bar. L. Archiepiſcopo *Florentino* Sal. d.

QUia, Reverendiſſime Pater & Domine, non minori mihi curæ eſt, quàm debet, Amplitudo, & Gloria Summi Pontificis, tecum magnas habeo gratias DEO noſtro: Quia ſicut optimi avi . . . iam ptidem Rex *Conſtantinopolitanus* noſtra cum claſſe in Italiam eventurus, ut ſcisma Græcorum inveteratum & novum, cuius in *Germania* iacta ſunt fundamenta, divinitus è medio tollatur, & ita tollatur, ut unde maxima diſſenſio, & grave & periculoſum bellum timebatur, cum immortali glorioſiſſimi civis noſtri Romani Pontificis laude, concordia populi Chriſtiani, etiam pax ſit expectanda. Quæ res in ſe tantum habet dignitatis, & communis utilitatis, ut ſicut omnibus erat expetenda, ita nulli ſperanda diebus noſtris

noſtris eſſe: videbatur. Quis enim humano conſilio conſequi potuiſſet, ut Græci pertinaciſſimi defenſores erroris ſui, & acerbiſſimi hoſtes Eccleſiæ Romanæ, cæteris poſthabitis curas omnes, & cogitationes ſuas conferrent ad accipiendas in terra Italiæ conditiones pacis? Quare cùm nulla inſignia honoris, nulla belli decora cum hoc divino triumpho ſint, comparanda, congratulor & virtuti, & felicitati ſummi Pontificis, cui poſt tantos labores, poſt tanta diſcrimina, poſt retentam ac recuperatam rem Romanam, cuius quodammodo maieſtas amiſſa videbatur, iſte ſpecioſiſſimus pacatæ ac reſtitutæ Eccleſiæ triumphus divinitus eſt reſervatus. Felix igitur, fauſtum & fortunatum ſit conſilium tuum, quod magna cum laude cœptum, glorioſum quoque finem eſt habiturum. Compoſitis enim rebus Eccleſiæ, ac pace data nomini Latino, digniſſimus erit ſummus Pontifex, ut ex ſua ſententia Chriſtiani populi Principes undique contractis auxiliis adverſùs gentes, quæ non noverunt Deum, bellum gerant; & ita gerant Chriſto duce & auctore, ut ſub auſpiciis ejus non ſolùm delenda ſit illa macula, quæ jam pridem inuſta eſt nomini Chriſtiano, ſed etiam omnia virtutis prævia, omnia victoriæ inſignia ac dignitatis ſint expectanda: in quo quidem bello tantò fortiùs ac ardentiùs certandum erit, quantò nobis minus periculi, plus autem ſpei propoſitum eſt. In hoc enim non minus felicitatis conſecuti, qui cæſi, erunt, quàm qui vivent: & qui victi erunt, quàm qui de ſuperatis hoſtibus murales, civicas, navales, aç triumphales coronas, ac reliqua belli decora cum immortali gloria domum ſunt relaturi. Vale, & Romano Pontifici, ſi mea fides ſibi non minùs, quàm ſolet, cara eſt, me cum Protonotario nepote, & *Zacharia* filio diligentiſſimè commenda. *Brixiæ* XVIII. Kalend. Januar. 1437.

26

Ad eundem. Noſſe cupit, quid inexpectatus adventus Cardinalis Florentini portendat.

Franciſcus Bar. L. Archiepiſcopo *Florentino* Sal.

QUia Reverendiſſime Pater, & Domine, non ignoras, quantæ mihi ſemper curæ ſit & Romanæ Eccleſiæ Majeſtas & Dignitas, ac Amplitudo Cardinalis *Florentini*, facere non poſſum, quin, ſicut debeo, ſim ſolicitus, ne quid detrimenti ſecum attulerit hic non expectatus adventus ſuus. Non enim ſine magna cauſa è provincia diſceſſiſſe videtur, quia relicto illo veteranorum exercitu cum uno myoparone non ſine ingenti periculo *Venetias* navigavit. Quare cum in ſuo capite fortuna publica & majeſtas Eccleſiæ periclitari potuiſſet, nihil boni divinat animus meus, cùm in eo ſummam virtutem, ſummúmque conſilium & ſecundæ & adverſæ res domi forisque docuerunt, in quo etiam tantam animi magnitudinem eſſe videmus, ut turpi fugæ honeſtam mortem anteferret. Quæ cum ita ſint, te etiam, atque etiam rogo, ut hac ſolicitudine, ſi potes, leves aut liberes animum meum, ne fateri cogar, eum, qui ſæpiùs de hoſtibus Eccleſiæ magna cum laude triumphavit, ingenti clade nunc fuſum, fugatum ac profligatum eſſe. Vale. *Hermolaum* Protonotarium nepotem, *Zachariam* filium, tibi diligentiſſimè commendo. *Brixiæ* Kalend. Martiis 1438.

27.

Ad Franc. Foſcarum Principis filium. Hortatur, ut mortem fratris fortiter ferat, & ſaluti Genitoris præprimis ſtudeat.

Franciſcus Bar. Jacobo Foſcaro Principis F. ſal. dic.

POſtquam mihi nuntiatum eſt, *Dominicum* Fratrem tuum peſtilenti morbo, neſcio, quo fato, vita functum eſſe, & in ejus ægritudine Illuſtriſſimi Principis noſtri, Genitoris tui, tantùm potuiſſe pietatem, ut ferè nunquam ex cubiculo ſuo diſceſſerit, quantum potui, & quantum debui, & privatim, & publicè tecum dolui, non ſolùm quia indoles Fratris aliquid adhuc magnum de ſe ſpondere videbatur, ſed etiam quia de vita tua, & de ſalute Principis, quæ cum amplitudine & gloria Imperii noſtri conjuncta eſt, ita ſum ſolicitus, ut non cogitare non poſſim, quæcunque reformidat animus, & humanitus contingere potuiſſent. Quare non expectes à me, quæ

quæ dici de fratre poſſent ad te conſolandum, tum quia mors iſta verè vita, & immortalitas credenda eſt, tum quia tua virtus per ſe tantùm valet, ut alienæ conſolationis officium minimè tibi neceſſarium eſſe videatur. Sic enim natus, ſic inſtitutus eſt, ut tua ſponte DEUM, naturæque ducem ad benè, beatéque vivendum ſequaris. Quæ cum ita ſint, ſicut ſoles, omnia ſapienter, & moderatè ferres, quæcumque contigerint. Nec patieris, ut modeſtia tua, quæ ſecundis in rebus elucet, in hoc acerbo caſu fratris deſideretur; ſed potiùs, ſicut vitam componis ad exemplum illuſtrium virorum, ita nihil prætermittes, ut conſtantia, & animi tui magnitudo poſteritati commendetur; ſed omnem curam, diligentiam, ſolicitudinem adhibebis, ut Princeps noſter, ex cujus ſalute vita multorum pendet, quamdiu fieri poteſt, conſervetur: ne ſi ad humanos & incertos caſus valetudinis peſtilens & hoc malum acceſſerit, Respublica in maximum periculum, & diſcrimen adducatur. Quod per ſe ita perſpicuum eſt, ut explicari non ſit neceſſe. Et quamquam ſe putet vel naturæ ſatis vixiſſe, vel gloriæ patriæ, tamen profectò non vixit ſatis, cujus adhuc pleraque vulnera curanda ſunt, quibus poſt DEUM nemo præter eum fortè mederi poteſt. Danda eſt igitur opera, ut cum tanto periculo civitatis in contemnenda morte nunc ſapiens eſſe non velit, poſtquam nec ſibi ſoli natus eſt, nec mori poteſt. Quæ cùm ita ſint, te etiam atque etiam hortor, ut omnibus poſtpoſitis inclitum patrem in te, ac te nobis in patre quàm diutiſſimè conſerves, ſine quo vix Imperii noſtri majeſtas per id tempus amplificari poſſe videatur. Vale, & patriam inclito Principi noſtro commenda, quæ ſibi ampliſſimam fortunam, & tot ac tanta ornamenta dedit, & amicos, parentes, & liberos ad laudem, gloriam, dignitatem, ac libertatem commendavit. *Brixiæ* V. nonas Martias 1438.

27.

Ad Philip. Jacobum, cui omnem in ornando Monaſterio S. Petri in Monte operam ſpondet.

Franciſcus Bar. Philippo Jacobo ſuo ſalutem dicit.

ACcepi literas tuas, in quibus eximia caritas, & pietas tua recognoſci poteſt. Nam cum templum *Beati Petri in monte Oliveti* exornandum, & Monaſterium ipſum amplificandum ſit, ut Sancti Fratres tui in amœnum diverſorium, & in tutum portum ſe recipiant, me non ſolùm mones, ſed etiam hortaris, ut conſilium, ſtudium & patrocinium meum non deſit ad hoc pium opus perficiendum. Quantum autem res ipſa dignitatis, & veræ laudis ſit habitura, ſatis conſtat, cùm omnia poſt religionem ſint ponenda, & in ædificandis & ornandis templis non privati modò cives, ſed incliti Reges, & Principes magnam & immortalem gloriam ſint conſecuti. Quare tibi, ſicut debeo, gratias habeo, qui etiam precibus tuis nos adjuvas ad benè de Eccleſia & de Sanctis Fratribus tuis merendum. Et quamvis illi cives *Brixienſes* longè plus ſoliciti ſint, quàm ſpondere potuiſſent, ego tamen nullo loco defui, nec defuturus ſum, ut quod piè cœptum eſt, cum laude & gloria DEI perficiatur. Nec ego de me plus ſpondeo, quàm debeo; nec plus oneris mihi ſummo, quam poſſum ſuſtinere. Sed quia DEUS nobis adjutor, omnia poſſe ſpero in eo, qui confortat me. Quæ cum ita ſint, te etiam atque etiam rogo, ut orationibus tuis DEUM noſtrum oves, cujus res agitur, ut ferox hæc in armis gens gratiam ſibi divinitus datam per converſationem Sanctorum Fratrum ſic in bonam partem accipiat, ut magnum fructum ſentiat liberalitatis & miſericordiæ ſuæ. Quid autem actum ſit, aut quid agendum ſperemus, intra paucos dies cognoſces. Vale, & commenda me Pontifici noſtro, & Mapheo Patri, & *Zachariam* filium tibi. *Brixiæ* Kalendis Martiis 1437.

29.

Ad Ludovicum Archiep. Florent. Quo omnium optimo modo Græci ad unionem cum Latinis adduci possent.

Franciscus Bar. L. Archiepiscopo *Florentino* Salut.

ETsi tibi, Reverendissime Pater & Domine, tantum tribuam, ut consilium tuum anteponam meo: cum bona tamen venia æquo animo te pro communi utilitate moneri patieris; sicut etiam summi Gubernatores in magnis tempestatibus à vectoribus quoque imperitioribus consilium capere non recusant. Quare cùm tot Patres cum Romano Pontifice, quod felix, faustum ac fortunatum sit, istuc convenerint, non tam ut de Spiritu Sancto cum Græcis Episcopis & Principibus de iure disceptetur, quàm ut cum Spiritu Sancto de concordia secùm agatur, opus est animo, ut apud Livium legimus, non abhorrente à consiliis pacis. Vnde cum sæva orta tempestas sit, nec tranquillo mari navigetur, sed iam aliquot procellis etiam atque etiam Petri navicula vexetur, à vento rapiatur, in bonam partem accipies, si nos quoque vectores qui sumus in prora, tibi qui sedes in puppi ad gubernacula, dicemus sententiam nostram.

Censeo igitur ante omnia, primos, qui sunt Occidentalis Ecclesiæ, sic esse conciliandos; ut communi animo consilioque dentur, vel accipiantur conditiones pacis. Quo in loco quanto usui ac adiumento esse possit summa virtus, sapientiaque Cardinalis Sanctæ Sabinæ, si homines tacerent, lapides loquerentur. Quare omni cura providendum est, ut nec studium, nec patrocinium eius desit ad tuendam & amplificandam Ecclesiæ dignitatem. Danda est etiam opera, ut Principes populi Christiani non solùm audiant, sed videant, cum quanta pietate ad restinguendum hoc commune incendium undique concurratur. Ideò si clari & graves Viri Legati mittentur ad Reges Israël, ut spes & opinio mea fert, magnum rebus gerendis fructum sunt allaturi. Cum Græcis autem, mihi *Barbaro* crede, sic agendum est, ut non tam à nobis, quàm à se facilè vinci patiantur: aliter nec viribus ullis vincere, nec duro poteris convellere ferro. Nam cùm gens illa semper cum laude de gloria Sapientiæ certaverit, si quid humani consilii certum est, non tam argumentis & disputationibus quàm ingenio & beneficiis est superanda; nec fraudi nobis dandum esset, si mutata velificatione fides eorum in portum optatum reciperetur. Laudo igitur, laudo, ut partim consiliis, partim patientia partium nostrarum Græcorum voluntates ferantur, alliciantur, alienæ retineantur partes, & turbatæ placentur, & ut quos quisque potest, ad cedendum Ecclesiæ Romanæ perliciant suadendo, monendo, pollicendoque, gratum id singulis privatim, gratum id universæ Ecclesiæ fore, si non ad vexandum ac dissociandum populum Christianum, non ad discordiam Ordinum movendum, sed ad hoc inveteratum scisma è medio tollendum se quotidie cogitent convenisse: ut de summo iure quisque remittat, & adversæ invidiæ obijci malit, & suæ nocere causæ, quàm publicæ deesse.

Nostrum est autem, qui in hac tempestate Concilii iactamur & fluctibus, labenti reipublicæ præsenti animo subvenire: quia nisi sapienter resistatur, & cum Græcis rectè & ordine res componantur, in magna perturbatione futura sunt omnia nisi præter expectationem hominum saluti divinitùs remedium afferatur. Summa igitur vi agendum est, ut Græci publicè, & privatim, qui inter eos primores sunt, si DEO placet, cognoscant, concordiam suam nobiscum spem libertatis, amplitudinis, & gloriam genti suæ ac sibi parituram. Nam cum placabile ad iustas preces ingenium suum sit, haud gravatè inclinabunt animum suum, si

Digitized by Google

tanta cum laude, & utilitate univerſo orbi cum Primoribus ſe Patrum concilient. Eo enim, ut nôſti, impenditur labor & periculum, unde emolumenta expectantur. Nec quicquam recuſaturi ſunt, ſi magna conatus præmia præponantur. Nam ſi cum ingenti periculo ſine ullo fructu pro certo haberent, multos ex ſuis bello inexpiabili ſe perſecuturos, & apud nos piè, cum quibus ſunt certaturi, nihilo ſe honoratiores fore ſperarent, minimè mirandum eſſet, ſi inter eos pauci reperirentur, qui pro commodis Eccleſiæ noſtræ ſint dimicaturi. Maximum enim vinculum ſocietatis humanæ, ùt inquit ille, communis utilitas eſt. Vnde ſicut Græci, ni fallor, & Romana Eccleſia metu deſierunt, ita nunc amore & benevolentia in gremium eius ſunt reducendi. Nam ſi Romanis armis à Turchorum ſervitute ſe credent eſſe liberandos, nec acerbè, nec avarè ſibi imperandum: non ſolùm amplum & glorioſum, ſed etiam utile putabunt, prolapſum iam tot ſæculis Imperium illud Eccleſiæ Romanæ fide & auctoritate recuperandum eſſe. Sibi quoque pulchrum erit, ſi ius aliquando gentibus dicent, à quibus petere conſueverunt: & quibus artibus olim partum fuit Imperium Orientis, eiſdem ex aliqua parte poſſe retinere. Vnde ſi parem fortunæ fidem habuerint, Eccleſiæ Romanæ parendo ſe viciſſe, non victos eſſe gloriabuntur. Quæ cum ita ſint, magna cura providendum & præcavendum eſt, ut Primores Græcorum vel amicos, vel non adverſarios habeamus; qui ſi uno animo ad cauſam noſtram inclinaverint, magna cum gloria & utilitate reipublicæ Chriſtianæ *Eugenius* Papa, & Concilium *Ferrarienſe* de tot populis, tot nationibus, tot gentibus, ac tot Principibus iam pridem amiſſis, ac nunc per DEI gratiam reſtitutis, & de pace terra mariqúe data Eccleſiæ, ac de Turchis acerbiſſimis hoſtibus nominis Chriſtiani, ſicut ſemper optavi, glorioſiſſimè triumphabit. Vale, & Romano Pontifici, & Cardinali Sanctæ Crucis, & Florentino me commenda. *Brixiæ* nonis Martiis 1438.

30.

Ad Guarinum Veron. Vt ſe Imperatori Conſtantinop. diligentiſſimè commendet.

Franciſcus Bar. Eloquentiſſimo *Guarino* Sal. d.

QUia ſicut nôſti, iam pridem Sereniſſimo Imperatori *Conſtantinopolitano* vehementer afficior, & ad officium meum pertineret, niſi cura provinciæ, & huius belli Gallici ſolicitudo me retineret, vel viſendæ ſuæ Maieſtatis cauſâ *Ferrariam* accederem, erit Humanitatis tuæ, cum ſalutandi gratiâ Celſitudinem ſuam convenies, me diligentiſſimè commendare Serenitati ſuæ: & meo ſecum nomine congratulari, quia magna cum gloria in *Italiam* venit ad dandam patem Eccleſiæ. Unde pro hoc tanto, & tam communi bono non ſolùm Græcos & Latinos, ſed nos quoque *Barbaros* in perpetuum devinxit ſibi. DEUM autem immortalem, cuius res agitur, rogo & & oro, ut hic adventus Maieſtatis ſuæ & pacem, & concordiam afferat Eccleſiæ: & Imperium illud Conſtantinopolitanum, quod iam diu (heu nimium diu!) ab hoſtibus nominis Chriſtiani direptum, ac vexatum eſt, reſtituat in ſuam dignitatem. Vale. Illuſtri *Leonello Eſtenſi* me commenda, & *Zachariam* filium tibi. *Brixiæ* pridiè nonas Martias 1438.

31. *Ad*

Digitized by Google

31.

Ad Johannem Auriſpam, eiuſdem argumenti.

Franciſcus Bar. Eloquentiſſimo *Johanni Auriſpæ* Sal. d.

QUia non ignoras, quanta cum fide & pietate ſemper amicitiam coluerim, non alienum ab officio meo iudicabis, ſi ope, opera, & interceſſione tua enitar, ut Sereniſſimus Imperator *Conſtantinopolitanus*, qui iam pridem, ſicut nôſti, pro ſua ſingulari manſuetudine me inter ſuos collocavit, honeſtum locum gratiæ & benignitatis ſuæ conſerveſ mihi. Nam cum divinas eius virtutes colam, & admiser, & pro ſuis immortalibus meritis in Eccleſiam DEI vehementer afficiar Maieſtati ſuæ, niſi me Respublica in provincia, quæ Sedes eſt Gallici belli, cum Imperio retineret, viſendi, & ſalutandi ſui gratia *Ferrariam* venirem. Sed cum nec mihi liberum nec integrum ſit, erit ſuæ manſuetudinis, & humanitatis tuæ ſibi perſuadere, non voluntatem, ſed facultatem mihi defuiſſe. Deum autem oro, & rogo, ut hic adventus eius in Italiam non ſolùm cum ſua magna laude, & gloria det pacem Eccleſiæ, ſed etiam ex aliqua parte reſtituat Imperium Orientis in priſtinam dignitatem. Vale; & cura, ut me diligentiſſimè commendes Imperatori, & nihil prætermitte, ut Majeſtas tua, quæ Romanos magni facit, nos quoque *Barbaros* ſui ſtudioſiſſimos non contemnat. Vale. *Brixiæ* V. Idus Martias 1438.

32.

Ad Laurentium: Quàm moleſtè ferat mortem Dominici Foſcari &c.

Franciſcus Barbarus Doctiſſimo *Laurentio* Salut. dicit.

QUanta me moleſtia affecerit acerba & immatura mors Ornatiſſimi Dominici Foſcari, dicere non poſſum; ſed pro tua prudentia iudicabis, qui nôſti meam in M. *Iacobum Foſcarum* non ſolùm benevolentiam, ſed etiam pietatem. Ægrè quoque tuli, noſtram Rempublicam, in diſcrimen adductam eſſe, quæ in capite incliti Principis noſtri ex aliqua parte periclitari poſſe videbatur. Cæterùm DEO gratias habeo & ago, qui ſicut ipſi *Dominico* pro hac brevi vita immortalitatem dedit, ita & Principem & *Iacobum* noſtrum nobis pro ſua clementia incolumes ſervavit. Vale, & interdum ad nos ſcribe, ne tuum diuturnum ſilentium, in tanto otio apud nimis credulos quodammodo teſtimonium videri poſſit in te mutatæ voluntatis. Vale. *Zacharias* ſe tibi commendat. *Brixiæ* XII. Kalendas Aprilis 1438.

33.

Ad Leonardum Iuſtinianum. Ut in morte Marci Gerardi fratris omnibus conſtantiæ exemplo ſit.

Franciſcus Barbarus Clariſſimo *Leonardo Iuſtiniano* ſuo ſalutem dicit.

NUper *Carolus* noſter nunciavit mihi, Graviſſimum & Præſtantiſſimum Virum *Marcum Gerardum* tuum morte nobis ereptum eſſe. Quæ res, ſicut debuit, mihi & gravis, & acerba fuit, non ſolùm quia vita ejus jam pridem ita digna erat immortalitate, ut ornaret ac illuſtraret Rempublicam noſtram; ſed etiam quia anima tua ita conjuncta erat cum illo, ut in *Marco* fratre vita quodammodò functus eſſe videaris. Nam cum ab ineunte ætate nihil haberes in rebus humanis aut pretioſius, aut carius, aut amabilius, nemini mirum eſſe debet, ſi ita deſiderio ejus commoveris, ut non tam tibi frater ereptus appareat, quàm

Digitized by Google

ipſe tibi, & vitæ tuæ ſuperſtes relictus eſſe videaris. Quia cum tibi caritate Frater, cura Pater, conſuetudine æqualis eſſet, ſic omnes neceſſitudinum gradus officio implevit ſuo, ut in eo ferè tota vitæ tuæ jucunditas ac ſuavitas repoſita & collocata eſſet. Nihil enim aut fratri ſine te, aut tibi ſine fratre jucundum fuit. Quæ cùm ita ſint, juſtis de cauſis mortem ejus tibi nobiſcum & graviſſimam, & moleſtiſſimam eſſe, & fuiſſe confiteor. Cæterùm cum memoria mecum repeto, eum cum hac conditione natum eſſe, ut quamprimùm mori poſſet, poſtquam cum tanta virtutis gloria vixit, & cum tanta pietatis laude mortuus eſt, magno & conſtanti animo caſum noſtrum ferre debemus, ne luctu, & mœrore noſtro Legem naturæ mutare velle videamur: ſed nobis perſuadendum eſt, non tam ejus vitam, quàm mortem eſſe finitam. Quæ ad te conſolandum dici poſſunt, tibi notiora ſunt, quàm mihi. Quare te hortor, ut animi tui magnitudinem frangi dolore non ſinas; ſed ita conſtanter reſiſtas, ut ſicut fratre vivo pietatis exemplo fuiſti noſtris hominibus, ita in hoc domeſtico luctu omnibus documento ſis & conſtantiæ & moderationis. Vale, & Sancto Viro Pontifici noſtro me commenda. *Brixiæ* VII. Aprilis 1438.

34.

Ad Franc. Sfortiam. Hortatur ex omnibus usque opibus, ut ne offerenti ſe fortunæ deſit, ſed ad pacandam Italiam ſe totum propoſitâ maximâ gloriâ conferat.

Franciſcus Barbarus Illuſtri Comiti *Franciſco Sfortiæ* Capitaneo Ligæ Sal. d.

POſtquam cum veſtra Republica, & cum Magnifico Populo *Florentino* cum tua laude & gloria conveniſti, prò neceſſitudine, quæ tibi mecum, & mihi tecum eſt, virtuti, & felicitati tuæ congratulor: quia ſi te duce requieſcere aliquando vexata *Italia* & æuta in pace beata ſit, nihil tibi glorioſius contingere potuiſſet. In maxima enim omnium expectatione tibi, iudicio meo, fortuna oblata eſt belli gerendi, ex quo lux quædam affluxiſſe victoriæ vel honeſtiſſimæ ac diuturnæ pacis videri debet. Et quàmquam Mars ipſe communis ſit, quia tamen maior ac melior pars *Italiæ* vehementer deſiderio libertatis exarſit, & ſummo ſtudio pro dignitate ſua certandum putat, ſi quid certi eſt in rebus humanis, animo tibi deſpondere triumphum potes. Nihil dico, quàm juſta nobis arma neceſſitas induat, ut ſcilicet Romanæ Eccleſiæ precibus *Genuam* inclitam civitatem, quæ depulſo ſervitutis jugo, magno ſe animo in libertatem aſſeruit, ſicut fides ſocialis poſtulat, ab iniuria tueamur, & ut reliquam *Italiam* metu, ac periculo, & vaſtitate liberemus. Quare cum ſecundùm DEUM tantæ vires, tantæ copiæ coniunctæ ſint, & à latere ac fronte, à tergo undique concurrant ad hoc commune incendium reſtinguendum, & in apparatum novi belli nobiſcum omnes intenti ſint, optimus quiſque animos erexit non modò ad ſalutem conſervandam, verùm etiam ad laudem & dignitatem priſtinam amplificandam. Quapropter ſi illuſtriſſimus Dux *Mediolani* tergiverſando, ac tempus fruſtra terendo, nos cum liberis populis æquo iure fœderatis quietos traxetit ad bellum, ut ſpes & opinio mea ſert, cum ſua magna clade ſentiet in viſceribus ſuis ignem aluiſſe; & intra fines ſuos cognoſcet, ſcuto ſibi potiùs opus eſſe, quam enſe; & infeliciora ſua domi arma eſſe, quàm foris.

Quanta autem in te mihi ſpes victoriæ ponenda ſit, facilè perſpici poteſt. Nam cum in Excellentia tua & ſumma virtus, & gloria rei bellicæ ſit, & exercitum habeas & numerô, &

Digitized by Google

& genere, & fide firmiſſimum; ſi te, ut ſpero, communi periculo obruleris & ieris, quo res vocaverit, & impetus belli in te convenerit, ubi de ſumma rei decernendum erit, jam rebus geſtis inclitum nomen tuum maximis in Rempublicam meritis ſempiternæ memoriæ commendabis. Si enim rebus *Etruriæ* compoſitis cum Illuſtriſſimo Marchione *Mantuæ* Collega tuo copias conjunxeris, & communi animo, conſilioque rem gerendo pugnare coëgeris fortiſſimum ac acerrimum Virum *Nicolaum Piciminum*, & terra * ſua non ipſe felicius hoſti & ſibi, quàm tu nobis, & tibi natus eris. Quia ſi manus conſeret, ſpem mihi ſubijcit fortuna noſtra & tua, & cauſa libertatis, & *Gallia*, quæ flos Italiæ, & firmamentum ac ornamentum eſt Romani Imperii, non *Alpina* oppida *Liguriæ*, aut caſtella *Etruriæ*, præmium victoriæ ſit. Nam ſi non ubi vult, ſed ubi non vult, collatis ſignis eum dimicare coëgeris, non ſolùm tuam laudem cum communi ſalute coniunges, ſed de principatu totius *Galliæ* actum erit.

Hoc quoque conſilium meum tibi non parum amplitudinis allaturum eſt, quia illum trahendo, quo tu volueris, non modò plus animi tum inferendo, quàm propulſando habere videberis, ſed in eum locum rem deduces, ut ſi vel mediocris te fortuna Reipublicæ adiuverit, uno ſecundo prælio & de communi hoſte, & de Nicolao, qui ſemper invidet felicitati tuæ, & qui tibi ac tuis omnibus ſemper fuit inimiciſſimus, cum tua maxima gloria triumphaturus ſis; & de univerſa *Italia* ſic mereberis, ut metu liberata in perpetuum non minus tibi debeat, quàm tu ſibi.

Quæ cum ita ſint, magnanime Comes, te etiam atque etiam hortor, ut cum tale tempus habeas, quale nemo habuit unquam, non deſis fortunæ ſe offerenti, ſed omni cura, diligentia, atque induſtria incumbas, ut tuis auſpiciis hoc bellum Gallicum aliquando finiatur: ut pacis Italiæ gloria penes te ſit, unde maximam tibi laudem, famam, amplitudinem, & auctoritatem quærens, apud poſteros perpetuam tui nominis memoriam relinques. Vale, & vince, & de inclita noſtra Republica non minus tibi ſponde, quàm de te ſibi. Venetiis idibus Decembr. 1436.

35.

Ad Ludovicum Archiepiſcopum Flor. Gaudet ſublatum eſſe de loco in Concilio Ferrar. certamen. Ad id etiam ſpectare compoſitionem rixarum inter Principes Italiæ.

Franciſcus Barbarus L. Archiepiſcopo *Floorentino* S. d.

HAbeo tibi gratias Reverendiſſime Pater & Domine, quia tam de Græcis, quàm de Latinis rebus per tuas literas me reddis certiorem. Poſtea mihi nuntiatum eſt, contentionem de Sedis ... è medio ſublatam eſſe; & Eccleſiæ congratulatus ſum, ſi mihi licet, Imperatorem Conſtantinopolitanum per id tempus podagra affectum eſſe, ut indicta ſibi neceſſitate valetudinis cum ſtare hon poſſit, hanc ſedendi facultatem ſibi delatam faciliùs acceptare cogeretur. Sed ego à ſevero cenſore fortè ineptus videri poſſum cùm in re ſeria tecum iocor,

Digitized by Google

& quia etiam ſcriptum eſt caput imperare non pedes ; de his ſatis. Quòd magnanimus *Nicolaus Piceninus*, ut tu ſcribis, in *Picenum* copias deducturus, neſcio ; ſed benè ſcio, *Ravennam* urbem Eccleſiæ, & ſub tutela noſtra poſitam, obſideri & oppugnari non tam armis, quàm artibus *Faventinis*. Et cum Comes *Franciſcus* cum Illuſtr. Duce *Mediolani* convenerit, adduci non poſſum, ut credam, plus apud *Nicolaum* poſſe factionem ſuam, quàm voluntatem Ducis. Quarè cum Comes ſecum ad defectionem aut traxerit, aut inclinaverit ferè totam *Etruriam*, non extinctum erit incendium ; priusquàm ardere cœperit, ut tu dicebas, ſed tantas vires capiet, ſicut ad XVII. Kalendas Decembris ſcripſi tibi, ut aliquando ſe hunc ignem aluiſſe cognoſcant, qui nobiſcum extinguere debuiſſent. Et quia hæc calamitas *Italiæ* multa ſecum incommoda & detrimenta & publicè, & privatim bonis omnibus videtur allatura, digna res eſſet providentia Romani Pontificis & Concilii *Ferrarienſis*, ut ratio iniretur ad res componendas, nec Sanctitas ſua, nec tot & tantorum Patrum auctoritas minùs valere deberet ad Italiam defendendam * & diripiendam. Vale. *Brixiæ* XVII. Kalendas Majas 1438.

36.

Ad Marcum Lipomanum. Gratias agit pro Ambroſio I. C. bene accepto.

Franciſcus Barbarus Marco Lipomano, Viro Primario S. d.

POſtquam inii hanc Præturam ex more inſtitutoque majorum, *Brixienſes* omnes in tutelam, & clientelam meam ſuſcepi. Quare ſicut debeo, tibi gratias habeo, quia *Ambroſium* Jurisconſultum ita benignè tractâſti, ut merito tuo ingentes mihi gratias dixerit. Quid ſibi velit, aut quid à te ſit conſecutus, neſcio, ſed mihi congratulor, meam apud te commendationem tantum potuiſſe, ut officium tuum præſtantem Virum nobis in perpetuum devinxerit. Vale. *Brixiæ* XIII. Kalendas Majas 1438.

37.

Leonardi Juſtiniani ad Fr. Barbarum Epiſtola. Spondet ſe Martii ſuaviſſimi fratris mortem fortiter laturum.

Leonardus Juſtinianus Franciſco Barbaro Primario Viro Salut.

LAcrimavi nuper, dum legerem literas tuas, non ut hi ſolent, quos mœror aliquis, aut triſtior cordis ægritudo excruciat, ſed cum voluptate quadam, & dulci blandaque animi mei affectione. Ita eſt à te *Martii* Fratris in me, & meus item in illum incomparabilis amor, mita cum ſuavitate commemoratus, cujus recordatione nulla in rebus humanis mihi poterit unquam eſſe iracundior. Ego ejus interitum deflevi, fateor, non tam quia diſceſſit à nobis, (quid enim ei, cùm ſanctiſſimè vixerat, ſanctius, etiam cum mortuus eſt, poterat evenire beatius?) ſed flevi potiùs, quia illum longo nimiùm intervallo, etiamſi hodie moriar, ſecuturus ſum. Amavi eum, unicas delicias meas in terris, & anima mea ita cum

eum illius vincta erat, ut cum eo mihi viſa ſit abiiſſe à me. Secum moratur, ſecum fabulatur, videt eum in cœlis purum jam ab omni mortali labe, & ut ſequar, magno, ni fallor, deſiderio affectantem. Hæc, mi *Franciſce*, & vigilans, & dormiens mecum cogito. Nihil eſt, quo impediar, quò minùs cum fratre meo, id eſt, cum anima mea, diesque noctesque agam omnes. Corpus ejus dilexi, quia animi habitaculum erat. Nunc autem extincto corpore non plus ereptum mihi fratrem meum intelligo, quàm ſi illo ſuperſtite arſiſſet domus noſtra. Non ille mihi ereptus eſt, ſed me & libentem, & volentem ſecum rapuit. Non dolebo itaque, nec frangar vulgari mœrore; non enim illum amavi vulgariter. Sed te hortante erigam me ipſum, ut ſuaviſſimi fratris memoria animum meum amantem alam; neque alienum quæram conſolatorem, cùm ipſe ille mihi dies noctésque conſolator adſit aderitque, ſpero, quoad nobis ex hoc carcere migrandum erit. Pone igitur cœptam pro tua ſumma in me pietate omnem de me ſollicitudinem. Non committam enim, ut fratris mei, quem ſuper omnium mortalium exiſtimationem dilexi, ſaluti & felicitati ullo pacto invidiſſe videar. Vale ſumma ſpes mea. Ex *Venetiis* die V. Aprilis 1438.

18.

Ad Ludovicum Archiepiſc. Florent. Magnam cladem accepiſſe Eccleſiam Romanam captis à Picinino Foro Iulio, Imola & Bononia &c.

Franciſcus Barbarus Ludovico Archiepiſcopo *Florentino* S. d.

REverendiſſime Pater, & Domine. Ex litteris tuis cognovi, *Nicolaum Picininum*, id eſt, Illuſtr. Dominum Ducem *Mediolani Furliviam*, & *Imolam* ac *Bononiam* occupaviſſe; & iam tandem peperiſſe, quod contra Romanum Pontificem iam pridem concepit. Quid de *Nicolao Picinino*, poſtquàm ex Gallia diſceſſit, ſuſpicatus ſim, & quid expectarim, Clariſſimus Vir *Hermolaus Donatus* cum pleriſque aliis mihi teſtis eſt; multum enim mihi agere videbatur, cum ſedendo in finibus *Ceſſenæ* nihil agere diceretur. Unde quidquid nunc egit, & quidquid deinceps acturus eſt, divinavit animus meus; & de Comite *Franciſco*, & populo *Florentino*, & de pleriſque aliis ſic apertè prædixi omnia, ut iudicium meum ex Deo, non ex oraculo Apollinis prodiiſſe videatur. Sed quia tempus eſt medicinæ, non querelæ, quamquam magnum vulnus aut acceperit, aut ſibimet intulerit Eccleſia & libertas Italiæ, tamen non decet in tanta vi tempeſtatis animum magnis in rebus gerendis exercitatum, demittere; ſed iis, qui ſedent ad gubernacula, vigilandum eſt, & DEO auctore conſultandum ac laborandum, ut mutata velificatione navicula Petri, quæ perire non poteſt, aut in portum, aut in aliquam tutam ſtationem ſe recipiat. Et licèt Chriſtus in puppi dormire videatur, ſemper vigilat, qui cuſtodit Iſrael. Excitandus eſt Dominus, & ceſſabit tempeſtas. Quantis cladibus affecta res Romana & Patrum memoria & noſtra, & quàm faciliter & feliciter & defenſa & liberata ſit à DEO, qui pugnat pro ea, non ignoras; & ſicut errare, falli, decipi humanum, ita divinum eſt ſalvum facere populum ſuum. Quæ cum ita ſint, ad DEUM noſtrum confugiendum eſt, qui cadere nos permittit, ut cum ſua magna gloria ſurgamus: & percutit, ut ſanet nos: & eo auctore certandum eſt, qui ſemper perſecutus eſt, qui perſecuti ſunt Eccleſiam ſuam. Quare ſi in DEO ſperabimus, & omni ope humana & opibus contendemus, nec hoſtis ſe penitus vicìſſe ſentiet, nec Eccleſiam vinctam eſſe. Quid autem agendum & tentandum ſit, melius coràm, quàm abſens declararem. Vale, & de reconciliatione Illuſtriſſimi Domini Ducis parum ſpera, quia tanta in eo cupido dominandi eſt, ut univerſa *Italia*, etiamſi voti ſui compos eſſet, implere animum ſuum non poſſet. *Zachariam* noſtrum tibi commendo. *Brixiæ* VII. Kalendas Iunias 1438.

* *Lec. in Cod. adcitatum modum corruptus.*

CIV.

*1430. Joannis de Spira, Prioris * Mellicenſis, Epiſtolæ.

I.

Ad quemdam Prælatum, cui ſtatum religioſæ diſciplinæ in Monaſterio Mellicenſi exponit, illumque ad eum amplectendum impellit.

PRæmiſſo ſinceræ charitatis affectu, Venerabilis Domine, in Chriſto præcare. Orationes noſtræ Congregationis vobis impetratæ ſunt, quemadmodum in littera veſtra, mihi nuper directa rogaſtis. Etiam ego petitioni humiliratis veſtræ, qua, ut pro vobis orem, ſpecialiter poposciſtis, libenter parebo, ſperans, quòd Deus ad meam indignitatem non attendat, ſed magis reſpiciat veſtram humiliationem & pium ac ſanctum deſiderium, quod habetis, & dirigat voluntatem veſtram ad id, quod magis ſit ad laudem & gloriam ſui nominis & veſtræ animæ ſalutem, aut iam taliter directam conſervet, & ejus executionem tribuat. Quod, ut dignetur facere, etiam vos ab eo poſtuletis ſedulis ac inſtantivis precibus, ſemper habentes promptam voluntatem faciendi omnia, quæ debeatis, & quæ Deus velit per vos operari, atque dicentes cum Propheta: *Dirige Domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam.* Et rurſum: *notam fac mihi viam, in qua ambulem.* Et: *doce me facere voluntatem tuam &c.* Sanctos etiam ſpecialiter in patronos veſtros invocetis, & nihilominus vos plurium Deo devotorum orationibus commendetis. Et ſpero, quòd Deus exaudiat vos, qui *propè eſt omnibus invocantibus eum in veritate.* Nec, quantum in vobis eſt, Divinæ miſericordiæ aliquando ponatis obicem, ut tantùm audiatis, quid loquatur in vobis Dominus Deus: ſed quod vobis interiùs aſpirabit, vos exteriùs ſtrenuè adimpleatis, quia ſub vulgato proverbio dicitur:

Dat Deus omne bonum, ſed non per cornua tauri.

Verùm quia ſcripſiſtis: *Utinam eſſem in aliqua propinquitate, ut poſſem ſemel viſitare locum & ſtatum, & nudè dicere miſerias meas ſpirituales & corporales, & ſperarem, quòd non deberet eſſe ſine fructu &c.* Tranſmitto vobis copiam præſentibus intercluſam, ut in ea videatis, quòd ſtatus noſter propter ipſius novitatem non eſt adhuc ad plenum ordinatus, ùt fortè creditis, qualiter tamen Domino largiente quantociùs ordinabitur. In qua etiam copia circa finem reperietis unum punctum de duabus viis; inde ad noſtrum Monaſterium ducentibus, concurrentibus tamen in Ratiſpona. Qui quidem punctus benè rimatus debet meritò propellere, ùt puto, tentationem, quam de difficultate ad nos perveniendi habetis.

Ex Bibl. Mellic. Cod. N. 14.

Et ut vobis fortius incitamentum ad eundum & videndum ſtatum noſtrum, quem ſcire deſideratis, facere valeam, ſignifico vobis pro exemplo, quòd quidam venerabilis Doctor Theologiæ de Baſilea Ordinis Prædicatorum, percipiens novitatem reformationis hìc factæ, nec non Patrem noſtrum huic Monaſterio in Abbatem præfectum eſſe, ob quandam familiaritatis notitiam, quam olim cum eodem Patre noſtro contraxerat, à Baſilea huc perrexit: & videns ac conſiderans obſervantiam noſtram, inde plurimùm ædificatus & compunctus eſt, dicens: *Jam primò experimentaliter cognoſco, quid eſt obedientia, & quid religio.* Et nobiſcum aliquandiu moratus eſt, & aliquot Sermones hìc fecit. Nunc autem ad patriam ſuam regreſſus eſt, petiturus licentiam à Superioribus ſuis, quatenus liceat ſibi ad nos remeare, & hìc nobiſcum permanere, quoad vivat. Teſtatur namque ſe hodie alium locum neſcire, in quo animam ſuam ejus iudiciò meliùs poſſit ſalvare, quàm hìc. Quem etiam Dominus noſter Abbas ita vult acceptare, in finem, ut nobis ſermocinetur tempore hoc expoſcente. Et ſpero, quòd bonum fructum facturus ſit, ſi reverterit, cùm ſit homo dulcis, benignus, devotus, &, ùt apparet, profundæ humilitatis.

Si ergo hunc venerandum virum, cùm necdum aliquod propoſitum ſeu cogitatio ei ineſſet nobiſcum manendi, non piguit à Baſilea huc proficiſci, puto, quòd nec vobis multùm oneroſum ſeu tædioſum eſſe debeat, ut exurgatis & eatis per minus ſpatium, ac videatis, ſecundùm quod vobis

Digitized by Google

vobis, divinitus ùt credo, inſpiratum eſt. Viſo autem ſtatu noſtro, ſi ille non placeret vobis, poſſetis in paucis diebus in equo remeare, unde veniſtis, quem, ùt credo, pro minore pretio hìc poſſeris emere, quàm ibi.

In hoc verò, quod ſubiunxiſtis ita dicendo: *Si opportunitas ſe offerret, promptus eſſet animus non ſolum inviſere locum & ſtatum, ſed & ordinem acceptare, ſecundùm conſilium tamen Patrum & Fratrum, defectibus meis ipſis priùs denudatis*, profectò nil aliud apprehendo, quàm quòd Deus per gratiam ſuam viſitavit cor veſtrum. Et certè niſi fallar, ipſe vos mirè vocat ad ſtatum ſalubriorem. Sed pro eo, quòd conditionaliter dicitis: *Si opportunitas ſe offerret*, rogo, ut patienter ſuſtineatis modicum inſipientiæ meæ. Æſtimo, licèt verbis veſtris non contradicam, quòd non ſit vobis ulla inopportunitas, quæ vos ab huius ſaluberrimi propoſiti exſecutione retrahere aut retardare debeat vel poſſit, niſi in quantum vos velitis. Nam credo, quòd non ſitis vinculatus, vel gravi infirmitate corporis depreſſus, vel in magnis aut multiplicibus debitis alijs obligatus. Et quidem ſi vobis adhuc multa debent alij, de illis æquè ſalubriter poſſetis diſponere donando ea piis locis, quorum locorum procuratores illa poſtea opportuno tempore peterent & colligerent. Et eſſet hoc maioris pietatis, quàm ea ſubitò a debitoribus extorquere non ſine ipſorum damnis aut gravaminibus. Si ergo in veſtri cordis aure vox Divinæ vocationis inſonat, eſtote gratus ei, qui vos vocat, & nolite obdurare cor veſtrum, ne fortè tangat vos illa comminatio, quæ ſtultis dicitur in Proverbijs: *Vocavi & renuiſtis; extendi manum meam & non aſpexiſtis: deſpexiſtis omne conſilium meum &c. ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis, quod timebatis, evenerit.*

Auſcultate igitur diligenter vocanti, attendite ſubtiliter & percipite verba clamoris eius, quoniam revera ſingularis & rara gratia eſt illa, quæ hodie paucis confertur. Licèt enim multi & quaſi innumerabiles ſint, qui Monaſteria religionum ingrediantur, timendum tamen eſt, quòd pauci eorum hanc gratiam habeant, ut pro deletione peccatorum ſuorum, & ex deſiderio perpetuæ beatitudinis, debitè & ſtrictè, & non magis propter hanc vitam corporalem, læviùs transſigendam, nimiùm lapſæ obſervantiæ Monaſteria petant. Si ergo ſuperna pietas huius ſingularis gratiæ dono veſtram voluntatem intus præparavit, excutite, quæſo, torporem, & ab extra movete manus & pedes, quouſque perveniatis illuc, quò agitat vos Spiritus Sanctus. Currit avarus ſeu ambitioſus ad Romanam Curiam ſpe adipiſcendi beneficium aut prælaturam, licèt quandoque modicam: ſolicitus eſt die noctuque: non quieſcit cor eius, movet adverſario ſuo litem, cùm litis eventum neſciat, & ita ſe & ſua laboribus, ærumnis & periculo exponit: dura ſibi terribilia ſunt ex ſola ſpe finis deſiderati, nec eum parva incommoditas aut inopportunitas retraheret. Et quomodo minoris caritatis eſſet vobis ſummum & infinitum bonum, quod Deus eſt, qui alias paratum animum habetis ordinem noſtrum acceptandi, niſi in quantum vos retrahit aut retardat modica vel inſufficiens inopportunitas, ùt ſuſpicor, quàm iſti ſit beneficium aut Prælatura? Non igitur minùs moveat vos ſpes conſequendi bonum illud immenſum & æternum, vel ſaltem plenius illud adipiſcendi, quàm iſtum movet temporalis utilitas ad horam, mundanus, fumo ſimilis, quæ nullius momenti bona ſunt.

Et ſi verum eſt, quod ſuſpicor, quod videlicet legitimum & ſufficiens impedimentum non habeatis, ùt præfatus ſum, hortor vos in Domino Jeſu, quatenus gratia Dei, vobis Divina liberalitate oblata non abutamini, ne Deus veſtram ingratitudinem puniendo, dum ſuæ motioni obedire contemnitis, vel ſaltem obedire procraſtinatis abſque rationabili cauſa, boni deſiderij ac propoſiti vobis inſpirati donum vobis ſubtrahat, & verificetur in vobis hoc, quod in Proverbio dicitur: *Dum potuit, noluit: dum voluit, adimplere nequivit.* Fecit enim Deus, meô iudicio, quod in ſe eſt: facite ergo & vos, quod ex parte veſtrî reſtat. Ita enim puto, quòd ſecundùm communem legem Deus ſuam voluntatem operetur in nobis, ut bonum, ad quod nos, quantum in eo eſt, vult perducere, nobis oſtendat intus, ut hoc per intellectum apprehendamus, media ordinet, voluntatem ad conandum pro eo inſtiget: diſponat etiam interdum, vel permittat

permittat fieri aliqua, quibus occaſionaliter excitetur ſeu impellatur torpens voluntas, ut amoveat impedimenta, dimittat averrentia ſeu retardantia, pellat obſtacula, & ad acquirendum bonum oſtenſum per ordinata media, quamvis laborioſa & pœnalia, procedat.

Reor inſuper, quòd veſtrum ſit aſſurgere intus Divinæ vocationi per plenum voluntatis conſenſum ad id faciendum, ad quod Deus vos inſtigat ſeu movet, & illum ab extra poſſetenus exhibere per operum efficacem exſecutionem, in qua tamen vobis etiam per gratiam ſubſequentem cooperetur. Nobilitavit enim nos Deus præ cæteris animantibus in hoc, quòd nobis liberum donavit arbitrium: & ideirco non omnes ſuas voluntates eodem modo operatur per nos & per creaturas irrationales, libero arbitrio carentes. Illæ enim ab extra nil agunt, niſi ad quod agendum eas ab intra motus naturæ impellit, ſicut cùm aſinus ringit aut generat, ad taliter agendum a natura ſua ſpecifica inclinatus. Nos autem actiones meritorias, quæ a libero arbitrio procedunt, agimus non ſolùm ſecundùm quod a Deo moti ſumus aut movemur, ſed etiam ſecundùm quod nos ipſos ad illas agendum liberè movemus. Et quia virtus eſt circa difficile & arduum, ùt dicitur in Libro Ethicorum, idcirco puto nobis non deeſſe ſufficiens gratiæ auxilium, cùm adhuc actio meritoria nobis non eſt delectabilis aut iocunda, ſed certè neceſſe eſt incipientibus & imperfectis in operatione meritoriæ actionis ſæpè magnum ſuſtinere tædium & triſtitiam mentis, nec non remurmurationem ſenſualitatis, quouſque paulatim acquiratur virtus.

Et quidem cuilibet volenti ad Religionis arduum culmen accedere, in primo aggreſſu neceſſe eſt, ut ſibi fortem & conſtantem aſſumat animum, quatenus paratus ſit pro Deo & ſuæ ſalutis conſecutione dimittere quæcunque amata, eum quovis modo impedientia aut retardantia, ſuſtinere etiam pro poſſe quævis dura & adverſa, attento, quia non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, & ut a via ſalutis nulla tentatione antiqui hoſtis avertatur, qui ei tunc ſuis malignis oppugnationibus & callidis perſuaſionibus plùs ſolitò infeſtus eſt. Quare oportet, ut, quiſquis ille ſit, qui ad religioſæ vitæ perfectionem cupit procedere, ut animoſus exiſtat, & ſe ipſo fortior multifarias tantationes, ei incidentes, ſtrenuè vincat, & ſeſe cupientem ſtare quaſi calcaribus pungendo urgeat, ut ultra vadat.

Forſitan mihi puſillo ſecundùm ſenſum in hoc non crederetis, ſi non loquerer expertus. Et utinam ſcirem vobis de hoc ita clarè & plenè differere, ut ex hoc contingeret me gaudere de veſtræ ſalutis profectu. Quia verò puer ego ſum, & docta & apta verba non habeo, quibus vobis illud ſufficienter exponam, in hac materia ita me balbutire oportet. Si ergo ſub exemplo loquar, fortè clariùs capietis, quæ dico. Oſtendit Deus vobis per infallibile fidei lumen unam extremam eſſe miſeriam malorum, & ſimiliter unam ſummam eſſe felicitatem bonorum. Oſtendit etiam vobis, ùt reor, quantum & quàm multipliciter vita veſtra deviavit & deviet a tramite inſtitiæ: & ubi forſan dignè trepitandum eſt, ibi vos trepidare facit. Oſtendit vobis brevitatem reſidui temporis veſtri, quod ſecundùm communem humanæ vitæ durationem vobis adhuc ſupereſſe ſperatis, ſi nulla accidentalis corruptio interveniat. Quod quamquam adeò breve ſit, ut ad futuræ vitæ perpetuitatem nec puncti rationem habeat, fortaſſe ex recentis & acceleratæ mortis memoria quorundam conſodalium veſtrorum, qui ibidem noviter deceſſerunt, ùt mihi ſignificâſtis, indicat vobis Deus, quòd nec illud breve tempus totum certum teneatis, quodque omni die, omni hora, omnique momento mors ſuſpecta ſit, & vita brevis omnino incerta. Oſtendit inſuper vobis, quòd apud nos ſit vita ſibi grata & placens, quæ vobis poſſit eſſe via perveniendi ad beatitudinem præoſtenſam.

Ex his aut ſimilibus alijſque inſpirationibus, quas vobis Deus immittit, procul dubio concluditis: ſurgendum eſt mihi abhinc, & eundum illuc: deſerendus eſt ſtatus meus, aſſumendus eſt iſte. Et præparatur voluntas a Deo, ut ad hoc faciendum, quod rationis indicio concluſum eſt, inclinetur.

Contra hæc ex adverſo occurrunt aliæ innumeræ cogitationes, quas, vel multas earum, puto ab antiquo hoſte humani generis immitti, fortiter perſuadentes ac moventes, ut in ſtatu veſtro moneatis,

tis. Ad quod fortè trahit vos affectio ad ea, quæ poſſidetis, dignitas & utilitas temporalis, veſtro ſtatui annexæ, id eſt, amor earum: horror tantæ dejectionis veſtræ, ut, qui hactenus fuiſtis aliorum caput & rector, deinceps ſitis aliorum diſcipulus, & appareatis tanquam ultimus & minimus; Libertas voluntatis veſtræ, quam libenter teneretis, conſuetudo loci, favor & familiaritas potentum ibi exiſtentium, dilectio amicorum ibi acquiſitorum, reverentia & honor populi vos reverentis & honorantis tanquam iſtius loci Prælatum & in Clero præcipuum, faſtidium laboris per tantam viam, periculum prædonum & latronum, fames, ſitis & alia incommoda viatori accidentia, Religionis aſperitas in vigilijs, ieiunijs, cæteriſque ſanctitatis exercitijs, lautioris cibi privatio, & quæ his omnibus onuſtiſſima ſunt, propriæ voluntatis abdicatio, & eiusdem voluntati alterius plena & omnimoda ſubiectio, & vinculum profeſſionis obligans uſque ad mortem.

Oportet ergo, ut is, qui ad hanc militiam Chriſti cupit accedere, in huiusmodi mentali conflictu prudenter ſe habeat & viriliter agat, quatenus nullius huiusmodi cogitationum impulſu vincatur, & quidquid multitudo earum in contrarium illius, quod a Deo inſpiratum eſt, tumultuatur, penitus non attendat. Procedat tantùm animo forti athleta Chriſti ad bonum, ad quod vocatur, & poſtquam ultra limen habitationis ſuæ egreſſus eſt, iam durius bellum conſummatum eſt. Nam multò plus cruciant ac duriùs premunt continuè rodens ſtimulus conſcientiæ & diverſæ curæ & anguſtiæ graves atque ſupervacuæ, quæ a talismodi cogitationibus ſuboriuntur, quàm omnis labor ſequens.

Denique etſi omnia ſcrupuloſa in Eccleſia veſtra reformarentur & rite ordinarentur, illo tamen inibi remanente, quod Spiritui Sancto frenum impoſitum eſt, ne per Prælatum ibidem ſuditos moveat ſtudium, quod ipſe vult, ſed in omnibus duntaxat fiat, quod hominibus placet, puto, quòd hoc ſolum deberet vobis ingerere diſplicentiam & formidinem. *Videntur quædam deeſſe.*

2.

Ad fratrem, quem propoſitis vitæ Clericalis & mundanæ periculis ad ſanctiorem ſtatum amplectendum, dum adhuc tempus eſt, exhortatur.

SInceram in Domino caritatem. Dilecte in Chriſto Frater. Dum meam ignaviam retroacti temporis recenſeo, inter alia mihi occurrit, qualiter vos dudum Mundo adduxi, cui uſque nunc firmiter adhæretis: quod diſplicenter dico, quia video, quòd vos peramplius expoſui inſidijs callidi hoſtis. Meminiſſe poteſtis, qualiter vos diu fraternè avizavi verbo, ut debitum meum facerem. Sed ùt mihi apparet, modicum vel nihil profeci. Vnde nunc ex ſuperabundanti hoc idem facio ſcripto, ſi forſan nunc concedat mihi Deus, ut vos lucrifaciam Chriſto. Hoc nimirum de dono Dei provenire oportet: quoniam teſte Propheta *niſi Dominus ædificaverit domum, invanum laborant, qui ædificant eam*: Et Salvatore noſtro, qui ait: *Nemo venit ad me, niſi Pater meus, qui miſit me, traxerit illum.* *Indid.*

Vtinam perpenderetis diſpendium ſalutis veſtræ, quod pro vili lucro ſuſtinetis. Quociens diem feſtum ferialem facitis pro mercede, & ferialem ſæpius ſabbatizatis! Si hoc ſemper & in omnibus excuſabile ſit, vos videritis. Vires veſtras Mundo exponitis, cui militatis, & veſtræ ſalutis profectum negligitis, ùt ego feci. Inſuper videndum eſt vobis, ne aliquo laqueo inimici neſcienter detineamini mente tranquilla ſecundùm illud Prophetæ: *in via hac, quæ ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi*: & in veſtra pace lateat amaritudo amariſſima, prout mihi accidit. Si vos de nullo facinore cor veſtrum reprehenderit, non ex hoc vos liberum reputate, ſed vobis meo exemplo timete. Si ab omni ſcelere eſſetis immunis, adhuc non perfectus eſſetis. Vix crederem, quòd non animam veſtram, ut ita loquar, quaſi in manu venalem portaretis. Quoniam, niſi fallar, ditari quæritis & expectatis, ùt ego. Veruntamen Scriptura Sancto

Digitized by Google

Spiritu inſpirata ſolvi nequit. Audite ergo, quid Apoſtolus de illis ſenſerit: *Qui*, inquit, *volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Cuius rationem aſſignans mox ſubiungit: *Omnium enim malorum radix eſt cupiditas.*

Beneficium Eccleſiaſticum vultis adipiſci? Quis ſcit, ſi contingat vos non tantùm negligere veſtræ ſalutis profectum, ſed etiam tandem eo fruſtrari, quod ſperatis? Quod tamen ſi obtinebitis, vigilanter vobis proſpiciendum eſt, ne ita impingatis, ut, etiam cùm velletis, pedem difficulter poſſetis extrahere: Et cùm exteriùs multiplicaveritis divitias corporis, rodente conſcientia interiùs perveniatis ad inopiam mentis, ùt ego, & perdatis pacem cordis, cunctis Mundi opibus præferendam. Quot enim & quanta ſint pericula, etiam latentia, in beneficia Eccleſiaſtica adipiſcendo, officiando, & fructus eorum percipiendo, nemo pleniùs novit, niſi quem mente oculatum experientia hoc edocuit.

Conſulo igitur vobis ſæpe cum Propheta dicente. *Melius eſt modicum iuſto ſuper divitias peccatorum multas: Quoniam iniuſti diſperibunt.* Et: *virum iniuſtum mala capient in interitu, hæreditas autem immaculatorum in æternum erit.* Si deſereretis Mundum & eius concupiſcentiam, quæ vobis non prodeſt, obeſſe autem plurimum poteſt, & converteretis vos ad Deum, qui cæcos illuminat, forſan aperiret vobis oculos mentis, ut quaſi poſt tergum incipere tis clariùs agnoſcere greſſus veſtros, & diceretis mecum: *heu mihi, quia incolatus meus nimis prolongatus eſt!*

Vt autem ad hoc citiùs veſtra voluntas præparetur, tanquam prudens viator perpendite, ubi ſitis. Nonne in exilio, in quo manentem civitatem non habemus? Inſuper, quò tendatis, quoque cottidianis greſſibus properetis. Nonne ad mortem carnis, pro qua tantam curam habetis, & per illam ad futuram perpetuitatem, quæ nullo unquam claudetur fine, ſed interminabiliter durabit toto ævo? Cogitate ineffabilem gloriam beatorum, reproborumque gehennalis ſupplicij horrenda & intolerabilia tormenta. Mementote, quia *in quocunque loco lignum ceciderit, ſive ad Auſtrum ſive ad Aquilonem*, quòd ibi *erit*. Menſurate tempus, quod vobis ſecundùm communem naturæ curſum adhuc reſiduum ſperare poteſtis, ſi tamen non fortuitus caſus aliquando emergens, partem illius vobis reſecet. Comparate illud ad ævum, & conſiderabitis, quia vix momenti rationem habebit.

Libeat nihilominus metiri durationem ævi, ſi fieri poteſt, hoc exemplo. Accipite animam alicuius Sancti beatam, verbi gratia Sancti Antonij. Meditemini, quanto tempore laboravit in ſtadio præſentis vitæ pugnando contra vitia, & exercendo ſe ad virtutes: ponamus, quòd centum annis. Hinc conſiderate quantitatem illius temporis, quo poſt ſui laboris ſtadium uſque nunc Divinæ eſſentiæ beatitudinem participans, in cœleſti regno glorioſa quieſcit. Puto, quòd hoc ſit pluſquam mille annorum. Quantum inſuper ſit illud, quod ei adhuc reſtabit? Si ad illos mille annos adhuc decem millia acceperitis, & decies centeſies milleſies centena millia, adhuc in ævo infinities plus reſtabit accipiendum, nec unquam pervenietis ad finem. Itaque, Frater, perpendite, quanta gloria beatorum & quàm longa gaudia pro tam brevi certamine. Sic noviſſima memoremini, & in via huius brevis vitæ ſic veſtrum curſum curate complere, ut inde poſtea in perpetuum lætemini cum beatis.

Plerique autem longam vitam ſibi promittentes, a peccatis ceſſare nolunt, quàm diu peccatorum actibus magnificari, delectari aut ditari poſſunt, eò quòd vel poſtmodum, vel in ſenio, aut certè latronis exemplo in agone ſola cordis contritione una hora vel momento placare poſſint infinitè miſericordem: atque ita patientia & longanimitate Dei, qui eos ad pœnitentiam exſpectat, abutentes, peccatis peccata adjiciunt. Quos profectò vos non expedit imitari. Primò propter præſentis vitæ omnimodam incertitudinem, ut qui hodie vivit, an ad craſtinæ diei lucem perveniat, prorſus ignoret. Vnde ſæpe mentitur iniquitas ſibi, dum quidam hoc periculoſiſſimæ præſumptionis laqueo detenti, impræviſa & inopinata morte ad inferni tormenta rapiuntur, etiam ſui propoſiti adhuc retinentes voluntatem, quod, dum poterant, hìc ad-

impleré

implere non curaverunt, prout timendum eſt cuidam contigiſſe, quem novi, iuxta ea, quæ a veridico audivi.

Satis literatus ille fuit, ſed ſceleſtè vixit. Et cùm diu Divina patientia toleratus ſuam vitam necdum curaret emendare, ſpe longioris vitæ ac veniæ demum conſequendæ deceptus, immatura morte præventus eſt. Cùm autem invaleſcente ægritudine ſe ad extrema pertrahi ſentiret, peccatorum ſuorum recordatione nimis anxiatus, ſibi de æternæ damnationis periculo cœpit vehementer metuere, & ſeram de eisdem agere pœnitentiam dimittendo, quæ uſque tunc iniuſtè tenuerat, & ſe à ſpe vacuum eſſe, ac plus timere pœnam quàm cœleſtem patriam deſiderare oſtendens, pluries ſibi aſtantibus dixit: *Scriptum eſt: opera illorum ſequuntur illos. Decedentes igitur ab hac vita non ſequuntur niſi eorum opera, & opera mea uſque nunc invenio mala.* Et poſt hæc mortuus eſt. Sed quia virtus ſpei neceſſaria eſt ad ſalutem, timendum eſt, in eo verificatum eſſe, quod ſub vulgari proverbio dicitur: *dum potuit, noluit; dum voluit, adimplere nequivit.* Tanta namque eſt huius deteſtandi peccati malitia, ut quantum in ſe ſit, fontem Divinæ pietatis homini obſtruat, cùm ſibi inde audaciam ſumat Deum magis contemnendi ac impiùs offendendi, unde ipſum debuerat ampliùs diligere, & ſua mandata ſollicitiùs cuſtodire.

Præterea iuxta ſententiam Auguſtini *pœnitentia ſera eſt raro vera.* Ex quo perpendite eorum, qui per ſeram pœnitentiam ſalvantur, paucitatem. Cui benè atteſtatur Scriptura, tantùm de unotaliter ſalvato commemorans, id eſt, de latrone. Si de pluribus mentionem facit, ego me hoc nec legiſſe nec audiſſe fateor. Quid ergo? Si Deus omnipotens divitias ſuæ immenſæ bonitatis volens oſtendere, interdum aliquem ſic ſalvat, ob hoc omnes in decrepitu vel in agone alta ſuſpiria trahentes, fundentes etiam lacrimas, & ſua peccata flebili voce plangentes, continuò iuſtos eſſe, & ad gaudia pertinere conſtat? Nequaquam. Sed hoc crebertimè ex eo contingere timendum eſt: quia intus clamans conſcientia de peccatis graviter accuſat, exterret ſeveritas iudicis, oſtendit fides pœnas debitas pro meritis, atque e vicino exſpectatur iudicium perpetuæ ultionis. Quemadmodum etiam fures, cùm ad ſuſpendium ducuntur, dolere & lamentari cernimus, non utique amore iuſtitiæ, contra quam offenderunt, ſed horrore ſupplicii, quod expaveſcunt.

Certè ſicut monſtruoſum eſſet, lupum habere caudam agni: ita miraculoſum eſt, cùm mala vita bono fine clauditur. Non ergo a Deo exſpectemus miraculum, quod rarum eſt, ſed potiùs communis legis ſequamur curſum.

Denique perpendite illorum errorem ſive ſtultitiam maximam. Nam ſicut eis multiplicant culpam, ita accumulant & pœnam. Non enim DEUS ſic eſt miſericors, ut non ſit iuſtus. Et quia iuſtus eſt, peccatis impunitis parcere nequit. Quia etiam ſummè ſapiens eſt, nihil in toto univerſo inordinatum relinquit. Culpæ autem deordinatio reordinabilis eſt per pœnam. Et ideirco Divina Sapientia cuilibet culpæ, quantumcunque parvæ, verbi gratia, verbi otioſi, ſeu voluntariæ cogitationis illicitæ, debitam pœnam ſecundùm ſuæ iuſtitiæ normam rectiſſimè coæquat. Multò autem leviùs & citiùs Divinæ iuſtitiæ poteſt reus ſatisfacere per pœnam voluntariam præſentis vitæ, quàm neceſſariam purgatorii, licèt illa gehennali intenſivè æqualis ſit, ùt creditur.

Hinc conſtat, quantum præſumentes de Dei miſericordia, ùt præmiſſum eſt, etſi certi eſſent hoc ipſis evenire, quod impiè audent præſumere, vel errant credentes, quòd Deus ipſorum peccatis ita ſit ignoſciturus, ut ea poſt mortem debita ultione non feriat, vel ſtultè agunt, ſcientes, quòd ſicut exaggerant culpam, ita & pœnam debitam culpæ.

Ex quibus, frater, colligite, annon etiam circumſcripto præmio regni cœleſtis, adhuc ſecundùm rectæ rationis dictamen eligibilius ſit carere eo, propter quod peccamus, & evadere pœnam, quàm hoc conſequi & poſtmodum ſuſtinere pœnæ acerbitatem. Incipite ergo quantociùs fructuosè operari pro veſtra perpetua ſalute, dum tempus habetis, ne, quod abſit, tunc primùm incipiatis velle, cùm perficere non inveniatis. Si imitari velletis pœnitentem, cui erranti ſucceſſiſtis, & ad hoc meum auxilium vel conſilium poſtularetis, non ſolùm prompto, ſed & læto animo occurrerem. Valete in Domino, & hanc exhortationem gratanter ſuſcipite.

3. *Ad*

3.

Ad Stephanum de Spannberg, Mellicenſem: utrum peccatum grave ſit, omnes alios ſcientiâ &c. velle excellere, atque hâc duntaxat excellentiâ delectari.

Honorabili ac religioſo Fratri *Stephano de Spannberg*, Suppriori Monaſterij *Mellicenſis*, Frater *Johannes* dictus *de Spira*, fraternam charitatem cum devota voluntate complacendi.

Ex Cod. Mellic. H. 45.

HOnorabilis ac religioſe Maior & Confrater in Chriſto. Duas quæſtiones de ſuperbia in littera veſtra, mihi directa, moviſtis, & in eiuſdem litteræ principio & etiam in eius fine inſtanter petitis, ut vobis ſuper illis quæſtionibus reſpondeam, quid mihi videatur. Contriſtavit me, fateor, illa veſtra petitio, cùm ad illarum quæſtionum ſolutionem noverim me nullatenus ſufficere. Materia quippe ſuperbiæ alta eſt & ampla, & ſua ſubtilitate ac latentia parvitatem meæ intelligentiæ multùm excedit, nec mihi, qui alijs ſubeſſe debeo, vacat ad cogitandum & inquirendum. Et ſi tempus ſuppetereet, careo tamen hìc libris ad hoc neceſſarijs. His de cauſis prætermiſſa prima quæſtione, ne veſtræ dilectioni videar in pio opere nolle parere, quod a me tam humiliter tamque inſtanter poſtulâſtis, cui etiam ad maiora vellem parere, ſi poſſem: pro nunc ad ſecundam quæſtionem reſpondebo, prout potero, & de tam ſubtili malo, quod mihi ipſi non ſatis patet, doctiorem & acutiorem mê tentabo docere, de quo egomet neceſſe haberem diſcere ab alijs. Quapropter ſi hoc non utiliter fecero, ùt velletis, & ùt fortè ſperaris, certè voluntatem meam vobis devotam, non culpabitis, ſed vobis potiùs imputabitis, qui vobis talem doctorem elegiſtis. Eſt autem veſtra ſecunda quæſtio hæc.

Sit aliquis, qui appetat alios excellere in ſcientia, ingenio aut alio tali bono, & faciat hoc propter delectationem, quam habet in taliter excellendo, vel propter vanam laudem, non tamen ibi ſiſtendo tanquam in ultimo fine: & ſit talis ſic diſpoſitus, quòd ſi ſciret, hoc eſſe contra Deum, non faceret, nec ſit ita immoderatus, quòd deliberatè nolit alios ſibi in illo bono æquari: an talis appetitus ſit mortale peccatum. Et arguitis, quòd ſic: quia eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. Igitur eſt ſuperbia. Conſequentia tenet per communem diffinitionem ſuperbiæ. Omnis autem ſuperbia, ſaltem perfecta, ſecundùm S. Thomam eſt ex ſuo genere peccatum mortale. Quòd autem ille appetitus ſit inordinatus, patet: quia eſt propter indebitum finem.

In oppoſitum ſic argnitis. Ille appetitus non eſt contra Deum, nec contra proximum. Omne autem peccatum mortale eſt contra Deum vel proximum: ergo &c. Quòd non ſit contra Deum, non probâſtis. Sed quòd non ſit contra proximum, probâſtis ſic: quia talis in nullo nocet proximo, nec intendit nocere.

Reſpondendo igitur huic quæſtioni dicam de ea, quæ mihi apparent, non ut velim, quòd in illis mihi ſoli credere debeatis, in quibus nec ego ipſe mihi firmiter credo, ſed ut ea diligenter perlegendo examinetis, &, ſi vobis placuerit, ea etiam alijs oſtendatis, & probetis, ſi vera ſunt & fide digna.

Et primò quidem dico, quòd tenor illius quæſtionis latus eſt, & multa comprehendit, & ſi ad omnia eo comprehenſa vellem pariter reſpondere, mihi nec ſcientiæ aut ingenij facultas, nec librorum copia ſufficeret. Omiſſis igitur multis, poſt eius plenam ſolutionem, dicendis, ſolùm reſpondebo illi quæſtioni, quod quantum ad veſtram intentionem fortè ſatis erit. Puto autem, quòd ſolum hoc quæratis ſcire: Si quis per ſcientiam, ingenium aut aliud tale bonum, quod ſcilicet non cauſativæ perverſæ celſitudinis appetitu æſtimat ſe habere à ſe ipſo, cùm illud habeat ab alio, nec etiam æſtimat ſe hoc bonum ab alio accepiſſe pro ſuis meritis, cùm illud ab eo accepit ex gratia: nec etiam hoc bonum ſibi falsè attribuit in toto vel in parte: Si quis, inquam, per tale bonum ſeclusis his tribus ſuperbiæ ſpeciebus alios appetat excellere vel propter delectationem, quam habet in taliter excellendo, vel propter vanam laudem, qua appetat ſe non plus aut ultra, aut aliter laudari, quàm ſciat, aut quàm aliquod tale bonum habeat, & quam delectationem aut vanam laudem non ulteriùs ordinet in alium perverſum finem, nec etiam in illa delectatione aut vana laude ſiſtat tanquam in ultimo fine, nec in

appetendo

appetendo illam excellentiam sit tam immoderatus, quòd nolit sibi alios in illa scientia seu alio bono aut laude &c. æquari, vel superiores esse aut fieri: utrum tunc ille appetitus propriæ excellentiæ sit mortale peccatum.

Proposita igitur vestra secunda quæstione sub hac forma, dico, mihi videri, quòd ille appetitus propriæ excellentiæ sit superbia, & hoc probari vestra ratione, quam feciſtis pro parte affirmativa quæstionis, hac scilicet: quia ille appetitus est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ: quia eô excellentia appetitur propter indebitum finem: igitur est superbia.

Secundò dico, mihi videri, quòd ille appetitus sit superbia pertinens ad quartam speciem superbiæ, illarum scilicet specierum, quas ponit beatus Gregorius XXIII. Moralium. Quia non est superbia pertinens ad primam, secundam aut tertiam speciem, quæ antea exclusæ sunt. Ergo est superbia pertinens ad quartam speciem. Hæc consequentia tenet pro tanto: quia istis quatuor speciebus comprehenditur omnis superbia teste beato Gregorio, qui sic dicit, ubi supra: *Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantiæ demonstratur &c.*

Item non video posse fieri, si aliquis in scientia, ingenio, eloquentia aut alio tali bono alios velit excellere vel propter delectationem in taliter excellendo, vel propter vanam laudem aut gloriam, etsi in hoc non superbiat secundùm aliquam trium priorum speciem, quin ad minus superbiat secundùm quartam. Nam etsi talis cæteros, quos ita excellit, vel se excellere credit, non despiciat, nec illis, quos vult excellere, superioritatem aut æqualitatem in illo bono invideat, nec in aliquo bono creato tanquam in fine ultimo, spreto bono incommunabili, figat: vult tamen inter illos, quos vult excellere, singulariter videri, vel singularitatem excellendo habere ex amore eiusdem. Hoc autem ad quartam speciem pertinet.

Et ut dicam, quod de istis quatuor speciebus superbiæ mihi videor sentire, noto, quod illa falsa æstimatio, qua quis secundùm primam speciem æstimat se aliquod bonum ex se habere, quod a Deo vel ab alio habet, non est superbia, sed est quidam actus eius, quem causavit, & per quem ipsa superbia homini inesse deprehenditur & cognoscitur eò modo, quo causa cognoscitur per suum effectum. Huius causationis rationem assignat S. Thomas 2. 2. q. 162. art. 3. in solutione secundi argumenti dicens, quia *quod quis vehementer desiderat, facilè credit.* Et sicut dixi de prima specie, ita suo modo intelligo de residuis tribus speciebus. Et quia quadruplex est effectus, quem superbia solet causare in superbiendo, ideo quatuor dicuntur esse species superbiæ, quæ fortè magis propriè possent dici species seu modi *superbitionis* quàm superbiæ. Et hoc etiam innuunt mihi verba præscripta beati Gregorij, quibus notanter dicit, omnem arrogantium tumorem aliquo istorum, quatuor modorum demonstrari, non fieri aut causari.

Item noto, quòd horum quatuor modorum superbiæ in una & eadem superbitione plures possunt concurrere, nec oportet, quòd semper, unus eorum seorsum committatur, & sine alio. Potest enim quilibet triumpriorum modorum concurrere cum quarto, & aliquando duo eorum, & è contrario. Exemplum de primo modo, sicut videndi gratia de scientia, quâ alios variè appeto excellere & singulariter videri, despectis cæteris. Possum etiam cum hoc æstimare, quòd illam scientiam habeam a meipso & non a Deo, vel quòd acceperim eam a Deo pro meis meritis, cùm non sit ita, vel quòd putem me eam plenius & perfectius habere, quàm habeam. Et fortè in superbitione Nabuchodonosor ita fuit, quando de potentia civili & gloria regni sui secundùm primam speciem superbivit, credens se illam habere a se ipso, & non a Deo, dicens, ùt habetur Dan. 4. *Nonne hæc est Babylon, civitas magna, quam ego ædificavi in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei*, quòd cum hoc etiam superbivit de singularitate illius secundùm quartam speciem. Et quis non videt, quòd in casu, quo alios per scientiam vanè excellere & singulariter videri, quam credam me habere a me ipso, & non a Deo, etiam cum hoc fieri possit, ut credam me illam scientiam plenius & perfectius habere, quàm habeam, & sic superbire secundùm tertiam speciem, & non secundùm quartam & primam?

Sed an dicta superbia in casu quæstionis sit superbia mortalis peccati, dico cum corre-

correctione cuiuslibet rectiùs iudicantis, mihi videri, quòd non ſit peccatum mortale. Et hoc videtur probare veſtra ratio in oppoſitum quæſtionis facta: quia nec eſt contra Deum, nec contra proximum. Item moveor his rationibus. Primò quia illi ſuperbiæ deeſt deſpectus cæterorum, & ideo non eſt ſuperbia perfecta quartæ ſpeciei, ſed imperfecta. Secundò quia qui hoc modo appetit alios excellere vel propter delectationem, quam habet in taliter excellendo, vel propter vanam laudem aut gloriam, propter quam appetit illam excellentiam, ille in huiuſmodi delectatione vel vana laude ſive gloria non ſiſtit tanquam in ultimo fine, nec in ipſamet propria excellentia taliter ſiſtit: quia illam appetit non propter ſe ipſam, ſed propter aliquod ulterius per caſum. Nec etiam illam delectationem vel vanam laudem ſeu gloriam ulteriùs ordinat in alium finem indebitum, in quo ſiſtat tanquam in ultimo fine. Omnis autem perfecta ſuperbia ſecundùm S. Thomam ex ſuo genere eſt peccatum mortale, & ſic avertit ab ultimo fine, & ſiſtit in aliquo bono creato & commutabili tanquam in fine ultimo, ſpreto bono increato & incommutabili, quod Deus eſt. Et per conſequens dicta ſuperbia in caſu quæſtionis etiam taliter non ſiſtit in aliqua alia creatura: quia ſi in aliqua taliter ſiſteret, hoc maximè eſſet in illa, in quam ſua cupiditate tenderet tanquam in quoddam ultimum & maximè deſideratum. Sed nulla talis datur per caſum. Igitur &c. Et tertiò: quia qui appetit alios in aliquo bono excellere, prout caſus quæſtionis ponit, ille non eſt tam immoderatus, ut deliberatè nolit ſibi alios in illo bono æquari, vel ſe in eo excellere, & ſic ſuperbiæ non perfectè conſentit, licèt illi imperfectè conſentiat. Quilibet autem perfectè ſecundùm quartam ſpeciem ſuperbiens ſuam propriam excellentiam taliter & tam immoderatè vult, quòd nollet, quòd aliquis eorum, quos in aliquo bono appetit excellere, ipſum in illo bono excelleret, aut ſibi æquaretur. Omnis enim talis perfecta ſuperbia, qua eos, quos in aliquo bono excellere appetit, ſtatim parit invidiam, nec diu eſt ſine illa, propter hoc nimirum, quia nult ab aliquo eorum in illo bono excelli, aut aliquem eorum ſibi æquari: alioquin non invideret eis ſuperioritatem aut æqualitatem in illo bono. Teſtatur hanc veritatem B. Gregorius XXXI. Moral. dicens: *Prima ſuperbiæ ſoboles inanis eſt gloria, quæ dum oppreſſam mentem corrumpit, mox invidiam gignit: quia dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipiſci valeat, tabeſcit.*

Quamvis autem dicta imperfecta ſuperbia non ſit, ùt æſtimo, mortale peccatum, tamen qui eâ appetit alios excellere propter vanam laudem vel gloriam, ſive actu habet vel ſe habere exiſtimat hoc bonum, quo alios vult excellere, ùt verbi gratiâ ſcientiam, videtur mihi non longè eſſe a mortis præcipitio. Nam etſi talis eidem ſuæ ſuperbiæ necdum plenè conſentiat propter rationes tactas, eſt tamen in propinqua diſpoſitione adplenè illi conſentiendum propter noſtræ corruptæ naturæ nimiam pronitatem ad perfectè ſuperbiendum. Propter quod taliter ſuperbiens videtur mihi eſſe propè interitum ſuum, etſi nondum interijt. Et in hoc caſu perſpicuum eſt videre, quàm verum ſit, quòd peccatum veniale diſponat ad mortale. Cautè igitur agit, qui ſic afficitur, ſi pedem ſui affectus a via, qua graditur, quantocyus retrahat, placeatque illi didiciſſe & ſcire, quod ſcit, & quod alij neſciunt, non ut per ſuam ſcientiam illos excellat, & proinde vanè laudetur, ſed ut per illam ſibi & alijs ampliùs valeat prodeſſe, & Deo plùs placere. Alioquin etſi talis charitatis penitus expers non eſt, noverit tamen, quòd in ea adhuc parvulus ſit, etiamſi quæque altiſſima ſciret, neque ex ſua altiori ſcientia fit melior ſed vanior, niſi hunc propriæ excellentiæ appetitum deſerat vel minuat, dicente Beato Auguſtino in Libro LXXXIII. QQ. *Nutrimentum charitatis eſt imminutio cupiditatis, perfectio verò, ubi nulla cupiditas.*

Patet ex his, quòd, qui proximum ex charitate perfectè diligit, etſi plura ille & altiora ſcit, quàm alij, non tamen in illa ſua excellentia inordinatè delectatur, nec idem appetit laudari aut in gloria haberi, nec ideo ſibi placet plura & altiora ſcire, ut alios excellat, quin potiùs vellet quoſdam inferiores ſê ſibi æquari. Exemplum huius de Moyſe, de quo ſcriptum eſt Num. XI. quòd, cùm ſibi nuntiatum fuiſſet, quòd quidam ſecum prophetarent, quatenus illos à prophetando cohiberet, ait: *Quis tribuat, ut omnis*

omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum? Sed etſi talis perfectus conſideraverit, quòd alij ipſum in ſcientia ſuperexcreſcunt, hanc eminentem ſcientiam etiam eis plena voluntate favet & vovet, in quantum illa eis ad bonum confert, & de hoc maiori eorum profectu eis congaudet & lætatur ſicut de ſuo, teſte Apoſtolo I. ad Cor. 13. ubi dicit: *Charitas benigna eſt, non æmulatur*, id eſt, nulli invidet, nec torquetur aliena felicitate. Cuius contrarium facit ſuperbia, ut patet ex præmiſſis.

Per hæc dicta patet, quid ſit dicendum ad veſtrum argumentum, quod pro parte affirmativa huius veſtræ ſecundæ quæſtionis feciſtis, quo ſic arguitis: Sanctus Thomas dicit, quòd ſuperbia ex ſuo genere ſit peccatum mortale, & per conſequens quælibet ſuperbia. Dicendum eſt enim, quòd hoc S. Thomas dicit ſolùm de ſuperbia perfecta ſeu completa, prout ipſemet hoc fatetur in ſolutione primi argumenti articuli quinti quæſtionis CLXII. Sed illa ſuperbia, de qua vos quæritis, non eſt ſuperbia completa propter rationes priùs aſſignatas.

Et quando ulteriùs arguitis: Ille appetitus eſt inordinatus propriæ excellentiæ: appetitus ergo eſt ſuperbia per diffinitionem ſuperbiæ, conceditur conſequentia & conſequens, quòd ſcilicet ille appetitus ſit inordinatus propriæ excellentiæ appetitus, & quòd ideo ſit ſuperbia. Et ſi ex hoc velletis inferre: ergo eſt mortale peccatum, neganda eſſet illa conſequentia, & dicendum, quòd non omnis ſuperbia ſit mortale peccatum, ſed ſolùm ſuperbia completa, & quòd illa communis diffinitio ſuperbiæ conveniat tam incompletæ quàm completæ ſuperbiæ. Propter quod hoc veſtrum argumentum contra prædicta nihil concludit.

Scripſi in Cella Mariæ II. Non. Julij anno MCCCCXLI.

4.

Ad Johannem de Weilhaim, Mellicenſem: utrum vota a Monachis ſine conſenſu Prælatorum facta obligent.

Indic. *Cannic. Reg. S. Floriani in Auſtr. Super.*

QUòd Dominus *Wolfgangus Kerſpeck* * opinatur de voto Monachi, de quo contulimus, quòd votum ſuum teneatur adimplere, quia vovit, quod etiam ſine conſenſu Prælati ſui potuit facere, ego eius opinioni poſt maturiorem deliberationem aſſentio. Quod autem audivi, quòd quidam Juriſta contra hanc partem alleget illam auctoritatem iuris, quòd *Monachus non habeat velle vel nolle*, certum eſt apud me, quòd iſta auctoritas iuris non eſt univerſaliter vera: quia, niſi ſic, ſequeretur, quòd obedientia, per quemlibet noſtrûm profeſſa, eſſet univerſalis, & ipſe teneretur Prælato ſuo obedire ad omnia ſibi per eum imperata, quæ de ſe eſſent licita. Sed hoc eſt falſum, quia contracta & limitata eſt *ſecundùm Regulam S. Benedicti*. Si ergo Prælatus meus mihi præciperet, quod eſſet ultra illam Regulam, vel non ſecundùm eam, in hoc vel ad hoc non teneor ſibi obedire.

Patet hoc per S. Bernhardum in de Præcepto & Diſpens. Et ſi non teneor ei ad talia obedire, conſequens eſt, quòd in talibus habeo velle & nolle. Ergo ſi dicta auctoritas iuris debet univerſaliter habere veritatem, oportet eam limitari ad ea, in quibus Monachus ſuo Prælato tenetur obedire & ei ſubeſſe. Non autem tenetur etiam ad illa, ſi vult intrare ad artiorem Religionem &c. Patet ex Iure Canonico. Similiter dicetur de ſervo reſpectu Domini ſui.

5.

Ad Monachum quendam fugitivum, quem ad Monaſterium ſuum reducere ſatagit.

EFfici pauperem ſpiritu, & humilem Jeſum per veram humilitatem libenter imitati ad gloriam. *Ex Cod. Mſſtic. Q. 25.*

Si cernerem in corpore amici tumorem læthiferum, qui ſua tabe aut noxio humore tandem corpus omne inficeret & necaret, niſi cauterij uſtione aperiretur & ſanaretur, nequaquam hunc veraciter diligerem, ſi ei curam pro ſuæ ſalutis conſervatione poſſet enus non adhiberem. Sed multò minùs eum vera dilectione amplecterer, ſi ſuo modo ille in anima langueret & ego ei pro viribus non ſuccurrerem. Tantò enim ſollicitiùs eſt unicuique procuranda ſalus animæ quàm corporis, quantò nobilior perfectiorque eſt anima corpore?

Igitur ego videns animæ veſtræ ineſſe quendam peſtiferum tumorem, hunc velut amicus veſter cauterio debitæ increpationis

tionis tento perforare, ut tabes eius effluat, & curetur anima veſtra ab illo, & non pereat. Et ſi quæritis, unde hoc poſſim cognoſcere, qui homo ſim, & ſolùm in facie videam & non intuear cor, reſpondeo ex verbis veſtris, ex abundantia enim cordis os loquitur aut manus ſcribit, & juxta verba Salvatoris noſtri in Evangelio, ſicut de bono theſauro cordis ſui homo profert bona ita de malo mala. Nam duo noſtro Abbati ſcripſiſtis, quòd vobis non conveniat huc ad Monaſterium veſtræ Profeſſionis reverti: & huius inconvenientiæ cauſa aſſignâſtis his verbis: *Deberem ego ibi adhuc ſtare apud Novitios ſicut unus* Trippel-Knecht, *qui ſum unus de primis illic profeſſis.*

Eſt hæc illa veſtra profunda humilitas ad quam profeciſtis iam multis annis in ſtatu Religionis? Heu quàm meæ fidelis & crebræ inſtructionis tam modicum fructum in vobis invenio, ſi tamen modicum, quin non ullum. Quis non execretur hanc procacem & nimis impudentem ſuperbiam, quæ tam liberè ſe prodit per indecentia & elata verba, nec erubeſcit? Cur tanta libertate audet in publicum erumpere, ita ut ei facta eſſe videatur frons meretricis, niſi quòd aut putat ſe non videri ab alijs, aut potiùs quòd nec ipſa videt ſe? Et quid dicam ad hæc? Jam ex hoc ponite pœnitentiam, & donec acquiratis ſapientiam ac prudentiam, cohibete manum veſtram, nec de cætero ex proprio ſenſu veſtro ſcribat ulli, & prodat inſipiens cor veſtrum alijs in ſcandalum, vobis in opprobrium. Bonum & perutile inſtrumentum ad pacis & charitatis cuſtodiam eſt ſilentium, non tantùm oris ſed & manûs. Nam ſicut ore loquimur per voces, manu per ſcripturas aut nutus: Nec refert, an quis nociva aut inepta loquatur ore vel manu, imò ſæpe plus nocet ſcandaloſa ſcribere quàm ore proferre: quia vox prolata citò tranſit ſed littera ſcripta manet.

Vellem mihi ſuppetere ſapientiam & facundiam, quibus eum, quem præmiſi, temerarium ſermonem veſtrum poſſem dignè & ſufficienter arguere & oſtendere, quàm longè deviaveritis à via veræ rationis. Et quamvis ad hoc non ſufficiam, non tamen filebo, ſed vel imperitè de illo balbutiam quod ſentio, ut redeatis ad cor & humiliemini in oculis veſtris & non pereatis. Quamobrem liceat mihi, vobiſcum confidentiùs agere, vosque arguere liberiùs quàm extraneum, cùm ſimus fratres unius Ordinis, unius Domûs filij, & quod plus eſt invicem familiares: Et ſi fortè aliquid aſperius ad veſtram correptionem dixi, ſuſcipite hoc patienter, imò & libenter, quia non minùs diligam vos.

Dicite mihi, Monaſterium cur intrâſtis? Ad ſerviendum Chriſto, an ſuo adverſario? Mirum vobis videtur, quòd hoc à vobis interrogo. Mirandum magis, quòd vos tam miſerè deſipitis, ut hoc à vobis percontari oporteat. Si veniſtis Chriſto ſervire, nunquid ignoratis, quòd nemo ei placeat alta ſapiendo ſed humilibus conſentiendo? Nunquid excidit vobis, quod ſæpe in Pſalmo legiſtis: *Excelſus Dominus & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit?* Vos autem humilem locum, veſtræ vitæ merito competentem, tenere recuſatis, & altiorem contentiosè quæritis. Tale aliquid video vos velle, quale voluit, qui dixit in corde ſuo: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra exaltabo ſolium meum, & ſimilis ero Altiſſimo.* Quid dementius? Relinquunt ſancti omnia, quæ huius mundi ſunt, quatenus in voluntaria paupertate liberiùs ſequi valeant humilem JESUM: vosne divitias huius mundi ſpreviſtis, ut in paupertate Monaſticæ vitæ imitemini ſuperbum Diabolum? Siccine non inveniebatis viam tolerabiliorem ad infernum? Ille exaltare voluit ſolium ſuum, ut ſe Deo æquaret: vos in altum ponere vultis ſedem veſtram, ut vos majoribus veſtris præponatis, & hoc cum pleno conſenſu vultis & quæritis. Qua veſania putatis vos eſſe Chriſti ſervum, cuius voluntati obedire renuitis? Nempe cuius voluntati aliquis obedit, huius & ſervus eſſe dignoſcitur. Ergo in Monaſterio, cui ſerviatis & ſub quo capite militetis, ex his diligenter perpendite ô Frater, & pedem retrahite ab eius nefario ſectatu. Scitis enim, non dubito, de quo ſcriptum ſit: *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Si Chriſto veniſtis ſervire, quàm peſſimam commutationem feciſtis eligendo vobis talem Dominum pro Chriſto, ſævum utique & crudelem nimis? Ipſe procul dubio vos ad tale deſiderium propter nihil aliud accendit niſi ut vos ſecum ad perpetuum pertrahat interitum.

Si Chriſti voluntatem facere quæritis in

in Monaſterio, quantum obſurduit auris veſtra quòd non auditis Chriſtum de Evangelio ſæpe clamantem ad nos, atque dicentem: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Humilis corde*, inquit non humilis deſpecta veſte aut alta tonſura: tum quia talis humilitas non eſt ſervorum Chriſti, ſed falſorum Monachorum & hypocritarum. Ut ergo Chriſto ſerviatis, deſinite ſuperbire & ſub potenti manu Dei humiliemini ex corde, quatenus ab eo percipiatis gratiam & creſcatis in virtutibus, & non perdatis tempus ac laborem veſtrum. Quamdiu enim in anima hominis regnat ſpiritus ſuperbiæ, tamdiu eam non inhabitat Spiritus Sanctus per gratiam, qui non requieſcit niſi ſuper humilem & quietum ſecundùm Iſaiæ vaticinium. Non compatitur ſecum gratia ſuperbiæ peccatum in una & eadem anima, ſicut non in uno & eodem corpore ſanitas ægritudinem vel vita mortem.

Et qua fronte ſperat ſe aliquis ſalvandum cum ſuperbia, cùm Salvator in Evangelio dicat: *Niſi efficiamini ut parvuli*; id eſt, humiles, *non intrabitis in regnum cælorum?*

Odibilis planè Deo & hominibus eſt ſuperbia, in quocunque homine appareat, ſed maximè in Monacho, qui plus cæteris debitor ipſe ſit humilitatis, in ſignum cuius etiam cucullatus alteque tonſuratus eſt, ut gloriæ & honoris contemptorem ſe eſſe demonſtret. Hinc dum habitu & tonſura ſe ſpectantibus humilitatis imaginem præfert, & tamen humilia & abjecta refugit abhorretque, dumde ſe majora æſtimat, & ab alijs vult æſtimari, de ſe grandia loquitur, fortiora præſumit, honorem ſibi indebitum quærit & uſurpat, ubi poteſt, dumque in cunctis alta diligit altaque ſpectat, qui habitu & tonſura humilitatem mentitur, mirâ repugnantiâ contra ſe invicem diſſident exterior habitudo corporis illius & vita. Inclitus fieret, ſi callidè negotiaretur ſub umbra virtutis. Sed dum miſer ſe ipſum ſtudet magnificare ſuper terram, & vitium aſtutè celare neſcit, proditque incautè, fit abominatio omnibus, quibus intemperans appetitus eius innoteſcit, & comprobatur in eo impleri, quod ſcriptum eſt: *Gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt.*

Et meritò quidem abominatur, qui talis eſt. Quid enim ſub pannis humilitatis facit ſuperbia? Nunquid alia indumenta non invenit, niſi quibus veſtitur humilitas Sanctorum? Ridendum omnino monſtrum eſt Monachus ſuperbus. Quæſivi in rebus aliquam ei ſimilem invenire, quò clariùs exponerem eius dementiam, & obrulit ſe cogitatio de muliere, quæ ſe nitidis & pretioſis veſtibus ſtudioſè adornat, ut viro ſuo placeat, & ſimul cum hoc faciem ſuam fuligine denigrat. Quis non videret talem mulierem velut fatuam, quæ amorem viri, quem veſtium ornatu ſtuderet in ſe excitare, faciei ſuæ deformatione non ſolùm ſibi ſubriperet, ſed etiam illius hortidam ſe faceret aſpectui. Prorſus non aliter agit Monachus ſuperbus, qui cum habitu tonſuráque humili vult Deo placere, horrenda fuligine ſuperbiæ faciem animæ ſuæ denigrat, ita ut ei jam non ſolùm non placeat, ſed etiam odibilis ſit.

Væ igitur Monacho ſuperbo & pauperi, qui neque hìc conſolatur neque in futuro: hoc mundo non fruitur, & inſuper, ſi ſic permanſerit, æterna beatitudine privabitur. Væ portanti Crucem Chriſti, & non ſequenti Chriſtum. Qui paſſionibus Chriſti participat, ſed humilitatem ſectari renuit, duplici contritione conteretur: quin & hìc temperaliter ſe affligit jejunijs, vigilijs, cæterisque laboribus vitæ regularis, & in futuro pro interna malitia ad perpetua ſupplicia pertrahetur: laborat cum Chriſto in via, & ei non conregnabit in Patria, & quis miſerior tali miſero?

Fortè ad hæc dicitis: In quo ſuperbio, ſi locum, qui mihi pro ingreſſu meo aſſignatus fuit, requiro? Audite, in quo: locum iſtum non abſolutè quæritis propter ſe, ſed propter veſtram dignificationem, quatenus ex loci ſuperioritate dignior ac major videamini his, qui infra illum ſtant, atque hoc modo non reputemini unus eſſe de minimis, & hoc nónne magna ſuperbia eſt, qui locum digniorem appetitis, qui vobis neque ex vitæ merito neque aliunde competit, ſed quo, ut veniâ veſtrâ dixerim, ſecundùm Regulæ noſtræ legem iuſtè ſpoliatus eſtis propter veſtram apoſtaſiam tanquam eô indignus. Vultis præterea excellere eos loci ſuperioritate tanquam dignior & melior, qui, poſtquam voto ſe ligaverunt, non abierunt retrorſum, ſicut vos feciſtis, ſed perſeverantes permanſerunt in obedi-

entia. Ita ſtando ultra illos loco altiori honorari vultis, ac ſi dicto modo non peccaveritis, & inſuper reputati dignior fideliter perſeverantibus, & hoc nonne magna eſt veſtra ſuperbia, & illorum injuria? Et cùm taliter veſtram excellentiam voluntate deliberata inordinatè vultis (quæ quidem voluntas ipſum Superbiæ peccatum eſt) quomodo, quæſo, durante hac ſuperbia in vobis tenditis ad illos humilitatis gradus, prout ex veſtra Profeſſione tenemini, qui nobis in Regula deſcripti ſunt? Nempe non ſolùm non tenditis ad illos, ſed etiam ad contrarium conamini, & ideo videte ſi veſtræ Profeſſioni ſatisfaciatis, qua Deo voviſtis veſtrorum morum converſionem ſecundùm Regulam S. Benedicti.

Valde indignum atque injuſtum vobis videtur, ut inter nos apud Novitios locum habeatis, cùm ſitis unus de primis hìc Profeſſis. Dicite ergo mihi, quis conſtituit vos judicem ad judicandum de indebito ordine noſtræ congregationis? Neſcitis, quòd hæc poteſtas per legislatorem noſtrum in capitulo regulæ LXIII. ſoli Abbati commiſſa eſt? Quod ſi vos hoc non ignoratis, cur hanc vobis uſurpatis contra ſtatutum regulæ? Videtiſne & hìc temeritatem veſtram?

Præterea in cauſa propria & pro commodo proprio intrepidè profertis ſententiam pro vobis & contra alios, intrepidè quidem ſed incautè. Incautum quippe eſt, imò & contra juris ordinem quempiam in cauſa ſua ſibi ipſi dictare ſententiam, quòd amor proprius affectum noſtrum nimìs reflectit ſuper nos, & rationis obſcurat judicium. Hinc eſt illud commune dictum, quòd *amor & odium pervertunt judicium.* Sed dum vos hoc minimè perpenditis, plus audetis vobis credere de vobis, quàm vultis alijs, & ſenſui veſtro pertinaciter innitendo pronunciatis in publicum quaſi rectum & juſtum, quod vobis amor proprius perversè ſuggerit de vobis. Itaque plus vultis credi vobis in cauſa proprii commodi quàm plerisque alijs, cùm vos in illa potiùs vice verſa plus deberetis credere alijs quàm vobis. Et hoc quoque quædam ſuperbiæ proles eſt, plus confidere ſenſui ſuo quam aliorum.

Adjicio & hoc fideliter prædictis, quòd veſtra ſententia non ſolùm incauta eſt, ùt dixi, ſed nec vera, quæ, ùt apparet, talis eſt: quòd cùm ſitis unus de primis hìc profeſſis, idcirco in ordine noſtræ congregationis locari debeatis inter primos & nequaquam apud ultimos. Dicite ergo mihi, undè vobis hæc ſententia? Ex Regula noſtra, dicitis. Nempe in capitulo 63. ſtatùit S. Benedictus, ut Monachi ordines ſuos in Monaſterio ita conſervent, ùt converſionis tempus invenit. Et quibusdam interpoſitis iterum dicit: *qui ſecundâ horâ venit in Monaſterium juniorem ſe noverit illi, qui primâ horâ diei, venit cuiuslibet ætatis aut dignitatis ſit.* Benè, ſic habet ibi litera regulæ, non ignoramus hoc. Ex his ergo verè infertur ſententia veſtra? Nequaquam. Rectè inferretur, ſi ob ſolam prioritatem ingreſsûs eſſet alter alteri præponendus. Diligenter notâſtis ibi cauſam, quam veſtræ æſtimatæ dignitati putatis patrocinari: cur non etiam attendiſtis aliam, quam ſimiliter ibi expreſsè ponit S. Benedictus, videlicet *meritum vitæ?* An ideo hanc diſſimulare vultis, quòd fortè videtis eam non facere pro vobis ſed contra vos? Non enim ſolùm dicit: *ùt converſionis tempus invenit,* ſed etiam addit: *ut meritum vitæ diſcernit, atque Abbas conſtituerit.*

Plures igitur cauſæ ſunt, propter quas unus eſt alteri præponendus, quantum ad locum in ordine congregationis, quarum duas B. Benedictus in dicto cap. exprimit, ſcilicet prioritatem converſionis & vitæ meritum, reliquas committit judicio & diſpoſitioni Abbatis in eo quod dicit? *atque Abbas conſtituerit,* quas, in quantum mihi ad præſens occurrit, poſſumus comprehendere ſub tribus membris: Ordinis ſcilicet Eccleſiaſtici ſacri vel non ſacri, officij Monaſtici, quod prioris loci exigit honorem, putà ſi quis eligitur in Abbatem vel Priorem, & excellentis ſcientiæ, putà ſi aliquis eſſet Doctor vel Magiſter artium. De ordine manifeſtè patet ex cap. regulæ LX. in quo S. Benedictus iubet Sacerdotem præponi omnibus non ſacerdotibus & locari poſt Abbatem, clericum verò poni in loco mediocri, ſubaudio inter non clericos, qui tamen hodie præponitur omnibus non Clericis, putà Converſis. Excellenter doctum propter ſcientiæ ſuæ excellentiam debere præponi ſimplicibus & mediocriter doctis ex regula apertè oſtendere non poſſum, ſed ad hoc ſufficit nobis communis conſuetudo,

Digitized

do, quæ hoc habet in practica, ut tales alijs anteponantur, & concordat ratio. Veruntamen multùm honeſtas ſive bonitas vitæ omnibus reliquis cauſis præponderat, & eſt principalior inter eas, ſic quòd ipſa in antepoſitione alicuius eſt potiſſimè attendenda, & cui ipſa deficeret, hic, quantum eſſet ex parte ſui, alijs honeſtis & morigeratis indignè præponeretur, ùt ſparſim colligi poteſt ex textu regulæ. Excipio tamen hìc officium Abbatis vel Prioris quàmdiu in eo aliquis toleratur. Cuius exceptionis ratio eſt, quòd Abbas vicem Chriſti agit in Monaſterio & eo abſente: Prior agit vicem eius, idem, Abbatis. Omnes etiam dictæ cauſæ ſimul hanc habent exceptionem: *Si frater proprio vitio egreditur de monaſterio, quòd talis, dum revertitur, in ultimo loco eſt recipiendus*, juxta tenorem capituli XXIX. etiamſi primus fuiſſet in ordine congregationis. Similiter poſſet Abbas aliquem degradare & ponere ad ultimum locum aut alium inferiorem eô, quem tenuiſſet propter perpetrationem alicuius criminis, putà fornicationis, furti, & ſimilium.

Ex his poteſtis perpendere, quantùm erretis veſtra opinione, qua putatis vos loci ſuperioritate præferri debere illis, qui hìc poſt vos Profeſſi ſunt: quamque peccetis judicando vos eſſe iniuſtè locatum, cùm non niſi juſtè ac legitimè locatus fueritis in veſtra receptione.

Fortè adhuc cauſamini ex eo, quòd plerique poſt vos Profeſſi, etiam aliqui longo tempore pòſt, nunc ſunt promoti ad ſacros ordines altiores eô, quem vos habetis, & cùm vos ferè ante decennium veneritis ad Monaſterium, illorum autem quidam longè poſteriùs, ipſi propter ordinum ſuſceptorum ab eis ſuperioritatem paſſim aſcendant ultra vos, & vos ſtare oporteat infra eos, præſertim cùm per vos non ſtet, nec ſteterit, quòd vos ad altiorem ordinem non ſitis promotus, ſicut unus ex illis. Ad hoc eſt brevis reſponſio & benè à vobis notanda: cùm volebatis altiori ſacro ordine dignificari, ſic debuiſtis vivere, ſic converſari inter fratres, ſicque conſtans permanere in obedientia, quòd vita veſtra tali ordine non fuiſſet indigna. Nunc verò cui veſtram indignitatem potiùs imputabitis quàm vobis? dignus enim debet eligi ad ordinem aliquem promovendus, ùt habetur in capitulo regulæ LXII. Neq; adhuc ceſſatis vos indignificare.

Præterea quia ex prioritate veſtræ Profeſſionis putatis vobis ſuperiorem locum competere tanquam reverentiori, expedit vobis pro validiori eliminatione erroris illius conſiderare primò quidem, quod non magnæ virtutis eſt inter bonos abſque crimine vivere, imò plus audeo dicere, vivere benè cum eis. Deinde, ſicut eximiæ virtutis & magnæ gloriæ eſt eſſe inter malos vivere laudabiliter ac proficere ad virtutes, ita nimiæ eſt infirmitatis aut malitiæ & omnino opprobrioſum eſſe inter bonos, & eorum pijs exemplis non proficere in melius, ſed deficere ac defluere ad vitia. Hinc videre poteritis, ſi longævitas veſtri Monachatûs vos reverentiorem faciat perſpecta rei veritate. Quis ſcit, ſi non illud, quod vos pro veſtra majori reverentia allegatis, juſtè poſſit ad contrarium retorqueri.

Verùm quamvis Congregatio Monaſtica taliter ordinanda ſit, quantùm ad locationem perſonarum eius ſecundùm *ſub* & *ſupra*, ut prædixi, tamen ſi ita non fit ſique aliter locabimur, non expedit nobis de noſtra nimia humiliatione turbari vel exaltatione gloriari. Felix ille, qui ubicunque ponitur, de loco ſuo æquaniter contentus eſt. Nam hunc verum Monachum & verè humilem rectè cenſuerim. Qui autem adhuc triſtatur de loco humili, & appetit ſuperiorem vel gaudet de ſublimi & abhorret humilem, hic verè & perfectè humilis non eſt, neque unquam erit, niſi dimittat hanc voluntatem. Verus humilis, ſi ſibi optio daretur, magìs eligeret ſibi locum imum quàm primum, & ſi altè locatur nihilominus reputat ſe minorem hîs, quibus præpoſitus eſt, ac tali loco indignum: de loco ſublimi magìs erubeſcit quàm hilareſcit, imò perfectè humilis etiam noviſſimum locum æſtimat ſibi non competere dicens in corde ſuo, quemadmodum Apoſtolus de ſe loquitur: *Ego autem ſum minimus Monachorum, & non ſum dignus vocari Monachus* aut habitare cum ſanctis: Hoc denique ut noviſſimos nos reputemus & ab alijs velimus reputari, docemur ex ſcripturis Canonicis & approbatis Bibliæ & SS. Patrum. Nam dicit Salvator in Evangelio: *cùm invitatus fueris ad nuptias* (ſubaudiendum: Chriſti & Eccleſiæ per fidem) *recumbe*, inquit, *in noviſſimo loco*, id eſt, reputa te omnibus viliorem. Hoc etiam S. Benedictus

dictus docet in regula in ſeptimo gradu humilitatis. Hoc & Apoſtolus nos inſtruit, cùm dicit: *ſuperiores invicem arbitrantes.*

Quantùm ergo nos cæci & miſeti adhuc erramus in invio & non in via, qui, cùm in loco humili ponimur etiam legitime & pro exceſſibus noſtris, turbamur, indignamur, dijudicamus Prælatum, murmuramus, conquerimur, appetimus altiorem, qui nonnunquam etiam inferiorem indignè tenemus, & non ſolùm altiorem appetimus, ſed etiam impudenter audemus petere tanquam nobis debitum: Volumus altiùs locari vel inimicari & diſcedere ab amicis etiam contra Deum, contra juſtitiam, contráque fraternam charitatem. Si non audimur, vindicare nos quærimus conantes improbè, ut dimittamur qualitercunque ſive ſpontè ſive invitè, & ſubjectionem ac obedientiam, Prælato noſtro debitam & vice Dei promiſſam, non ſibi ſed alteri impendere volumus, cui eam non debemus, ſeparare etiam nos à ſocietate Fratrum, quibus ex pacto promiſſæ ſtabilitatis cohabitare tenemur & convivere, alienari totaliter à Monaſterio noſtro, quod nos venientes de ſæculo ſuſcepit, initiavit ad bonum, & diu enutrivit, conjungique alienis, ut ſaltem apud illos obtineamus celſæ ſedis pravè concupitum faſtigium, & apparere hominibus magni & honorandi valde, qui exiles atque viles exiſtimus. Non eſt nobis, qui tales ſumus, verè dicere cum Pſalmiſta: *elegi abiectus eſſe in domo Dei mei*: non enim volumus in domo Dei abiecti eſſe ſed glorioſi, etiam nil dignum gloriæ habentes. Si ſinceriter Deum amaremus, vellemus procul dubio potiùs Deo grandeſcere quàm hominibus. Deo autem major eſt, non qui altiùs locatus eſt aut appetit locari, ſed qui humilior eſt corde.

Cùm adhuc altiora loca invenimur appetere, ùt prædixi, quid, quæſo, verius ſentiendum eſt de nobis talibus? An mundi contemptores credendi ſumus cucullati & altè tonſurati, an non potiùs mundi veriſſimi amatores? An quòd ideo mundum fugimus & ad Monaſterium confugimus, non quia mundum contempſimus nos, ſed magis quia mundus nos contempſit? An quòd ideo mundum reliquimus, quia mundum poſſidere noluimus an potiùs quia non potuimus? Plane ſic. Ideirco invenimur quærere in Monaſterio quæ mundi ſunt ardentiùs, quàm quæ JESÙ Chriſti. Et de hoc ſatis in generali: regrediar ad propoſitum, unde digreſſus ſum.

Vellem denique ex præmiſſis vos attentiùs conſiderare, nobis quàm ingratus ſitis pro illa humanitate, quæ vobis impenſa fuit, cùm de patria veſtra revertiſtis ad Monaſterium. Meminiſſe poteſtis, quàm patienter quamque manſuetè fueritis receptus, quàm gratioſè reaſſociatus Conventui, quàm modica ac mitis ſatisfactio vobis impoſita fuerit pro tanto exceſſu. Non enim poteratis convenienter niſi cum aliqua ſatisfactione reaſſumi. Et cùm illa, quæ vobis impoſita fuit, congruitati veſtri exceſſûs nequaquam condignè correſpondebat, attentô quòd pro eo multò ſeveriùs meruiſtis affligi jejunijs, flagellationibus nec non diverſis humiliationibus in longum continuatis, à quibus fuiſtis ex gratia ſupportatus, quis hæc perpendens non videret vobiscum valde gratioſè actum fuiſſe? Sed vos tantæ benignitatis ingratus non diu poſt hoc addidiſtis apoſtatare ſecundò, & propitiante vobis Deo comprehenſus fuiſtis non procul à Monaſterio, & reductus in illud & cuſtodiæ carceris mancipatus, quòd alius tunc modus non inveniebatur, quo in Monaſterio teneremini. In quo deſideravi vos viſitare per dies opportunos & inſtruere ad ſalutem, & petij, ut interdum admitterer ad vos, ſed non impetravi. Deinde cùm aliquanto tempore fuiſtis in eo detentus & de veſtra exceptione ſermo fieret, cuiusdam audivi prodire verbum, ut exceptus de carcere deberetis vinciri ferreis compedibus & ita deinceps in Monaſterio retineri, ne veſtro frequenti egreſſu honeſtam congregationem noſtram faceretis venire in fabulam. Quo audito, ut ſine compede dimittaremini, rogavi me vobis dari in ductorem & eruditorem: ſperabam enim fiducialiter acturum vos, quidquid vobis dicerem ad bonum veſtrum! Et impetravi hoc.

Exceptus de carcere rurſus fuiſtis conventui noſtro reconciliatus & aſſociatus. Deinde ſæpe interveni pro vobis loquens bona, quæ poteram, & clam abſtuli vobis occaſiones tentationum veſtrarum, ne, ſi nimiùm increſcerent, frangerent vos animo & iterum pertraherent ad caſum.

ſum. Et ut facerem vobis pacem, ego quandoque perturbabar, de quo vos neſciviſtis. Quàm fideliter etiam vos erudiverim & inſtruxerim ad gradiendum per vias rectas, meminiſſe poteſtis, feciſque hoc cum manſuetudine, blandè ſuadens vobis audire me, cùm etiam vobis poteram interdum juſtè indignari. Et ſi aliquando declinaverim à via regia, ſi in vobis unquam quæſiverim aliquid meum, volo, ut liberè dicatis cuicunque. Laudo vos in hoc, quòd audiſtis me, & profuit vobis mea ſolicitudo.

Hæc commemoravi ad præſens, non quòd putetis, me aliquid habere contra vos, ſaltèm ex parte meæ perſonæ, ſed ut ſciatis & credatis, quòd eâ benevolentiâ ſcribam vobis hæc, qua feci & prædicta. Scribo, inquam, hæc vobis non alicujus mandato juſſus, ſed ad meam petitionem à Domino noſtro Abbate permiſſus, ſcriboque ea ad veſtram emendationem. Quid enim perderem ego ſi interimeretis vos? Ideoque exhortor vos, gratiam Dei ne in vanum recipiatis, quæ vobis ultro offertur. Si non emendaveritis vos, erit vobis hæc ſcriptura coram Deo in teſtimonium & in cumulum damnationis veſtræ. Patienter ergo, imò & libenter ſuſcipite dicta atque dicenda, & facite, quod admoneo, quia dilecto loquor.

Ecce huius nunc, quam prædixi, humanitatis, vobis per nos exhibitæ, immemor eſtis, exceſſus veſtros non penſatis, & ſolius humiliationis veſtræ ad locum inferiorem amarè recordamini, ita ut indignando dicatis: *deberem ego adhuc ibi ſtare apud novitios ſicut unus* Trippel-Knecht, *qui ſum unus de primis illic profeſſis*, atque hoc modo gratiam, quæ vobis facta eſt per nos, & pro qua deberetis nobis gratus eſſe, non ſolùm non recognoſcitis pro gratia, ſed & eandem gratiam (quod ingratiſſimum eſt) etiam injuriam veſtram reputatis, quaſi diceretis: magna injuria mihi fit in hoc, quòd permittor ſtare apud Novitios, qui ſum unus de primis illic profeſſis. Pudendum eſt nimis Monachum talia fari! Injuriæ itaque veſtræ, quam vos æſtimatis, querelam adverſùm nos proponitis in medium, quaſi non vice verſa nos, ſi vellemus, cauſam juſtæ querelæ potiùs poſſemus proponere contra vos, quòd bina vice, cùm petebatis vos reaſſumi in Conventum, magnam vitæ veſtræ emendationem ſpopondiſtis, quam non vidimus in vobis, quamvis poſt hoc non pauco tempore nobiſcum manſeritis. Hinc neſcio, quo ſpiritu impellente impetrâſtis vos tranſmitti ad Monaſterium, in quo nunc eſtis, & ut hoc impetraretis promiſiſtis iterum magnæ emendationi veſtræ vos operam daturum: quam ſponſionem, ſi impleveritis, necdum experimur, quin potiùs ex verbis veſtris intelligitur, quòd nec ibi quidem profeceritis in melius aliquid, ſed, ut cum venia veſtra dicam, in deterius abieritis. Nec mirum, cùm Scriptura Divina ſæpe teſtetur, Deum reſiſtere ſuperbis, humilibus autem conferre gratiam, de quorum numero vos eſſe renuitis. Ut enim audio, nec etiam ibi nunc vultis permanere neque huc reverti, & rurſum petitis vobis dari licentiam à noſtro Domino Abbate ad quærendum vobis neſcio ubi unum locum tertium. Miranda res! hic inter bonos putabitis vos non poſſe proficere, & ſimulato, ùt apparet, deſiderio melioris vitæ pulſâſtis, ut aperiretur vobis oſtium ad exeundum & eundum illuc. Dimittere voluiſtis hìc bonos, & ibi conjungi melioribus. Impetrâſtis, diſceſſiſtis, veniſtis illuc & aſſociatus illis etiam eos nunc vultis deſerere.

Alterum ergo ex duobus his de vobis exiſtimari neceſſe eſt, quòd aut vos ſitis perfectiſſimus, & ideo non niſi perfectiſſimos ſocios velitis habere, quales nec hìc nec ibi inveniſtis: aut tantæ ſitis impatientiæ vel levitatis, quæ etiam vos nec bonis ſinat ſtabiliter cohabitare. Primum non facilè perſuadebitur notis veſtris, ſcientibus vitam veſtram retroactam, & nunc audientibus, quòd nec ibi velitis manere, ubi tamen quidam probi ex noſtris perſeverant ſine querela: neque huc revenire, ne ſtetis in loco humili & reputemini inter nos unus eſſe ex minimis. Creditur magis, quòd impatientia veſtræ humiliationis, quæ vos iam retrahit à reveniendo ad nos, etiam permoverit vos priùs ad diſcedendum à nobis, & ad eundum illuc ubi iam eſtis, non amor Vitæ Sanctioris. Creditur magis, quòd ieritis illuc non animo proficiendi ibidem in aliquid melius, ſed conſequendi altiorem gradum honoris, quem vos hìc deſperaviſtis adepturum, & nunc etiam ibi deſperetis, quodque hac ſola de cauſa

velitis migrare ad alienos, quibus facere poſſitis magnam opinionem veſtræ æſtimatæ perfectionis: percipere quoque ab illis honorem, quem deſperatis accipere a notis. Et in hoc conſidero prudentiam veſtram, non utique qualem filij lucis habent, ſed qualem filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua.

Sed quid ſi non evenit, quòd ſuperbia ſuggerente ſperatis vos obtenturum ab alienis? Quid ſi & illis vos citò contigerit vilèſcere veſtrâ non multùm amabili converſatione, apud quos vobis jam magnam ipſe repromittitis gloriam, & fiatis ſpectaculum Angelis & hominibus? Sicut enim unicuique amabilis & gratioſus eſt humilis: ſic econtra odibilis eſt ſuperbus & gravis ad tolerandum. Si autem inter alienos vos vultis humiliare, cur non inter notos & amicos, imò inter Confratres veſtros? Dixi vobis ſæpe, nec me piget iterum commonere vos: nemo fugere poteſt ſe ipſum: quocunque ierit, talem ſe invenit, qualis eſt: mutando locum non mutat ſe, niſi quòd ex ſolius loci mutatione fit ipſe animo levior atque inſtabilior. Quantò utilius ergo eſſet vobis manere in uno loco ſtabiliter, & forti conatu reprimere inordinatos animi veſtri motus, ut extirpatis vitijs mutaremini animo, non loco: Sic, ſic proculdubio poſſetis aliquando pacem invenire juxta id: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, & placere Deo & hominibus.

Quapropter vobis do fidele conſilium, imò hortor vos attentè, deſiſtite à petendo dictam licentiam, & ad voluntatem Domini noſtri Abbatis vel ibi manere, ubi jam eſtis, causâ cooperandi illic, quantum in vobis eſt, ad introductionem obſervantiæ regularis, vel huc remeate ad locum veſtræ Profeſſionis. Talem licentiam me nunquam contingat vel deſiderare, ne dicam impetrare, qua effrænatiùs agam, quod etiam non licet, quodque obeſt peractum. Ad quid, quæſo, nunc & hanc licentiam vultis habere? Nunquid ad hoc, ut evadatis hìc veſtrum contemptum, quem timetis inter notos, & alibi obtineatis locum altum, & falsè grandeſcat veſtra opinio inter alienos, atque ita nunquam deſeratis ſuperbiam ſed eam nutriatis in vobis, quæ talibus roboratur atque creſcit conatibus, neque proficiatis ad humilitatem ſecundùm regulam S. Benedicti, ùti Profeſſus eſtis, quæ acquiritur per humiliationem voluntariam? Siquidem dicente B. Bernardo humiliatio eſt via ad humilitatem, ſicut patientia ad pacem, ſicut lectio ad ſcientiam. Vos autem petitis licentiam, ut debitam fugiatis humiliationem, ùt ſupra dicta verba veſtra manifeſtè oſtendunt.

Quid igitur? Itane iuſtum vobis videtur atque Deo placitum, Abbatem ſubdito ſuo dare licentiam propter huiuſmodi cauſam deſerendi locum ſuæ Profeſſionis, cui ſe voto ſtabilitatis aſtrinxit, ne ibi humiliatione ſibi legitimè impoſitâ obediendo ſecundùm regulam ſuæ Profeſſionis proficiat ad humilitatem fundatricem omnium virtutum, & quærendi ſibi locum alium, ubi ſuperbiat & pereat in perpetuum? Profectò, ipſa omnium vitiorum Regina ſuperbia, cùm oculum rationis excæcaverit, talia poteſt perſuadere tanquam bona & ſancta. Cavete vobis à noxia libertate talis iniuſtæ licentiæ, quam nec Dominum noſtrum Abbatem dare licet, nec vobis expedit habere. Ad quid enim valeret vobis hæc licentia, quam nulla exigit juſta neceſſitas, nec aliqua perſuadet pia utilitas, ſed quam ſola libido veſtræ propriæ voluntatis nititur extorquere? An ut eâ obtentâ licere vobis per eam incipiat, quod ſecundùm ſe non licet? Quomodo per licentiam fiet, quod in ſe illicitum eſt? Nonne in noſtra Profeſſione ſicut expreſsè vovemus morum noſtrorum converſionem & obedientiam ſecundùm Regulam S. Benedicti, ita & ſtabilitatem noſtram ſecundùm illam? Hanc igitur ſtabilitatem Deo promiſſam vel quantum ad locum vel quantum ad obſervantiæ promiſſæ gradum quomodo licitè mutabimus per licentiam hominis Prælati, etiam Papæ, quam dare nulla recta ratio perſuadet? Quid enim, fracto per talem licentiam ſtabilitatis pacto, non requiret hoc Dominus? An nos fallere putabimus eum, ut cum inſipientibus de Pſalmo & nos dicamus: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, qui ùt ibi ſequitur, *novit cogitationes hominum*, & ùt alibi habetur, *ſcrutatur renes & corda*? Videte ergo ex his foveam grandem, quam parare nitimini pedibus veſtris, & memoratam deſiſtite petere licentiam.

Videte adhuc aliam, quam etiam videmini vobis parare cum præoſtenſa.

Iam

lam recuſatis iſtum locum inter nos tenere, qui vobis aſſignatus eſt in pœnam & ſatisfactionem pro veſtris apoſtaſijs, quas quondam commiſiſtis, vel ſaltèm qui comperit vobis propter illas, & vultis habere locum altiorem vel hìc vel alibi, qui ſi vobis hìc non fuerit conceſſus, deſerendi locum veſtræ Profeſſionis & pergendi ad alium, ubi vobis locus ſuperior aſſignetur, licentiam importunè petitis, & cauſam veſtræ petitionis aſſignatis his verbis: *deberem ego adhuc ibi ſtare apud Novitios ſicut unus* Trip pel Knecht, *cùm ſim unus de primis illic profeſſis*; quaſi diceretis: hoc non faciam. Eſto nunc, quòd Dominus noſter Abbas attendat veſtram rebellem voluntatem, qua pœnam debitæ humiliationis vobis impoſitæ pro peccato Apoſtaſiæ portare renuitis, & ſupportet vos de eadem pœna ideo, quia videt vos hanc nolle portare, &, ne, ſi non daret vobis licentiam, quam petitis pejora committatis, ſi iterum nunc tertiò apoſtataretis, det vobis licentiam hanc, ut inter duo mala caveat id, quod pejus ſit, ſi tamen pejus, & vos ad eiuſmodi licentiam eatis ad alium locum, & ſtabiliatis vos ibi, putatis vos tunc fore abſolutum in foro conſcientiæ, cui Deus præſidet, per talem extortam licentiam à pœna prædicta, quam hìc complere nolebatis? Nequaquam, ſed peccato priſtinæ apoſtaſiæ adderetis tunc peccatum prævaricationis. Contempto namque priùs per vos præcepto obedientiæ, quam ſecundùm regulam & ex regula tam Dei quàm S. Benedicti debebatis, nunc etiam contemneretis pœnam regularem, vobis pro veſtræ inobedientiæ peccato regulariter impoſitam, quæ quidem pœna in regula ſtatuta eſt pro remedio. Sicut autem dicit B. Bernardus in Libro de præcepto & diſpenſatione, *ille votum frangit, violat propoſitum, pactum prævaricat, qui & præceptum contemnit & remedium.* Cavete ergo & hìc, quia Deus non fallitur: cavete potiſſimè, ne iam tertiò apoſtatare præſumatis, ſi vobis dicta licentia conceſſa non fuerit, quia funiculus triplex difficilè rumperetur, & fortè nunquam, &| fierent noviſſima mala veſtra pejora prioribus.

Cæterùm dilecte Frater, ut veſtro periculo obviarem & nihilominus veſtro pudori parcerem, ſic occultavi hanc Epiſtolam, ut de ea nemo ſciat niſi Dominus noſter Abbas ſolus, cuj eam celare non debuj. Si autem vos eam volueritis alijs pandere, hoc veſtro arbitrio committo. Solicitudinis meæ fructum ſperatum ſi in ea comperero, congaudebo veſtro profectui, eroque vobis benevolentior. In Orationibus veſtris memento mej Peccatoris.

C V.

Anonymi gravis Epiſtola ad Vrbem Pragenſem, in quam ob tumultum, & Hæreſim Huſſiticam, ab ea receptam, vehementer invehitur. Circa 1433.

VErbum mihi ad te, ne moleſtè feras ꝛ Civitas, quæ temetipſam his infauſtis temporibus, *urbem inclytam*, aut blandè pateris, aut faſtuosè præcipis vocitare. Panis ac ſalis, nec non deliciarum, quas in te quondam habui, non immemor cogor tuas, quas amiſeras, virtutes deplangere: tibi verò tuisque ſeductoribus malitias, quas admittis & perpetras, imputare. Verè quondam poteras nedum *urbs inclyta*, verùm *anaclita* dici, dum in diſpoſitione politica civitates regni *Bohemiæ* cæteras excellebas. Nunc autem, quod abſque lacrimis non profero, magnificis deſtituta civibus atque bonis viris tuis quondam incolis exulantibus *anticlita* verè manes. Benè quondam poteras propter viſionem pacis iocundiſſimam, quam induſtria tua per circuitum regni procurabat, *Jeroſolyma* nuncupari. Poteras etiam propter viros ſapientes & ſcientificos, donec in te venerabilis ac toti Mundo ſpectabilis ſtudiorum ſacrorum univerſitas ſuo duravit in robore, *Careatſepher*, id eſt, litterarum Civitas appellari. Poteras inſuper propter civium excellentem prudentiam *Abela* propriè nominari, ſic ut antiquum de te ipſa proverbium quiverit adimpleri: *Qui interrogat, interroget in Abela*, id eſt, in *Pragenſi* Civitate, quæ propter ſapientiam & prudentiam quaſi mater aliarum fueras Civitatum, Civitas|pietatis & clementiæ, Civitas conſolationis & lætitiæ, Civitas abſque pe- *Ex Cod. Mellic. G. 18.*

nuria, Civitas, in qua abundantia victualium copioſa. Verè glorioſa dicta ſunt de te, quondam Civitas Dei, glorioſaque ſemper fuiſſes, ſi rugam ſeu maculam in tuam gloriam non miſiſſes.

Rex illuſtriſſimus, Chriſtianiſſimus Pater, Karolus, hic prout valuit, te ſemper ſtuduit amplificare: nunc fer iudicium, quale ſupplicium meruit frater eius, legitimum qui vellet filium exhæreditare. O heu civitas *immemor accepti non times eſſe boni?* Karolus ipſe divæ memoriæ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Bohemiæque Rex te ſolam, quaſi diſpiceret alias, præ omnibus regni civitatibus diligebat, libertatesque nec non privilegia, quæ duntaxat optare præſumpſeras, concedebat. Tu contra hæc mala pro bonis, ſtiptica pro dulcibus, filijs eius regibus propinâſti. Regem enim *Wenceslaum*, Dominum tuum iam defunctum, non prout decuit, honorâſti: quin immò regalium exequiarum ei gratiam denegâſti, & filium eius alterum *Sigiſmundum*, Dei gratia Romanorum, Vngarorum &c. Bohemiæque quoque Regem, in & ad ipſum regnum Bohemiæ iure hæreditario ſuccedentem, primò ſuſceptum a te veluti Dominum naturalem, iniquorum decepta ſuaſionibus, ne ſuper te regnaret, ne tibi tuisque proſit ſeductoribus, ab eius eum hæreditate ſeu regno, præſumptuosè licèt, de facto conabaris eijcere, nec non alium regem, cùm ad te nullo iure pertineat, poſtulare. Nec his contenta malis, famam inſuper ipſius Regis præſtantiſſimam & excellentiſſimam, pœnas criminis læſæ Maieſtatis non verita, ſcriptis amariſſimis veluti caninis morſibus lacerâſti: O heu generatio prava ſimulque perverſa! Hæccine reddis Karolo, Domino gratioſo? O populo, populo, populo ſtulte & inſipiens! Rem immanem & inanem, rem ſupervacuam, immò fatuam! O ſi ſcires! Vltra vires negotium attentâſti.

Perpende, revolve intra tuæ mentis arcana. Diſcerne, quis te dominum conſtituit contra dominum naturalem? Quis te fecit liberam & non ſubiugalem? Quo iure vis procedere? Tuum nunquam erat eligere; nunquam hærede ſuperſtite quempiam poſtulare, alios quæritare. Sed heu! quæ tibimet provida putabaris, pro bono malum, pro ſapido ſenſum reprobum elegiſti. Palam infatuata diceris ab his, quibus maximè credidiſti. Magiſtri tui, prædicatores, veriùs prævaricatores tui, divinatoresque tui, conſilium inſipiens dederunt tibi, conſilium, inquam, ut notos in te cives, prudentia, moribus, divitijs, honoribus, &, quod plus reputo, virtutibus præditos, ſperneres, necares, exulareque cogeres: Mechanicos verò, ſutores, cerdones, fabros ac bananſos quoslibet rurales, etiam advenas tibi proponeres, nec non eorum iuſſionibus obedires. Non erat ſic priſtinis temporibus, ut te, videlicet urbem nobilem communis populus gubernâſſet. Non enim Obligarciam* ſed Ariſtocratiam te veri Philoſophi iudicabant. Conſules veridici, virique magnifici te quondam regebant, ſuberant Mechanici, fabri peneſtici non leges edebant: Bonisque viris prædita, tunc eras urbs inclyta, verè ſpecioſa. Defleo te cum lacrimis, productis ex intimis cordis luctuoſi. Væ gens acephalica! væ tibi malefica finis monſtruoſi! Miſiſti heu! maculam in gloriam tuam, gloriam olim dulcem & cerebrem, nunc heu! perditam. Cum ſingultibus & ſuſpirijs gemebunda memoranda quondam O civitas, fures, incendiarij, latrones, falſarij tecum amicitias ac pacis inducias nullas penitus habuêre. Pavor fuiſti malorum, lima pravorum, iuſta punitio maleficorum. Nunc autem heu! fautrix malorum, clima pravorum, collectrixque hominum peſſimorum. Nomen tuum quondam ſolùm auditum, impios ac tyrannos ſtupidos faciebat. Nunc verò probos, pios ac Deificos terret. Mellica nominis tui quondam recordatio verſa eſt prò dolor in venenum. Olim tu mœſtos ac lugubres varijs deliciarum apparatibus lætificâſti, pauperes & humiles diverſimodè nutriviſti. Nunc autem opulentos incolas & ſubſides, neceſſitatem vitæ habentes congruam, quia tuis iuſſionibus, contra ritum Eccleſiæ Catholicæ diſpoſitis ac editis, parere noluerunt, quoſdam nece crudeli peremiſti, quoſdam verò, licèt aufugerint, rebus temporalibus, quas reliquerant, perperam ſpoliâſti. Heu, heu! Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum!

Die, ò Civitas, rogo, die. Quid tibi tunc deerat, dum pace peroptima tenebaris, cùm ubique terrarum tu celebris habe-

* *In Cod. pro*: Oligarchicã & Ariſtocraticam.

habebaris, tuam pulchritudinem vicinæ provinciæ, longè latéque diſtantes, mirabantur filij eorum ſcientijs ac moribus, in te, nec non virtutibus ornabantur? Magna laus tua, magnaque fuit gloria, dum tuis venuſtiſſimis diſciplinis vicina territoria polirentur. Fama tua velut ſuaviſſimus odor per Orbem terrarum ſe diffuderat, adeò quòd ab extremis quaſi Mundi partibus, te quatenus videant, adventarent. Dic adhuc, rogo te, quid tibi tunc defuit, cùm alma tui nominis Vniverſitas in te floruiſſet? Nunquid conſiliarius non erat tibi aut Confeſſor? Nunquid verbi Dei mellifluus ac providus Seminator? Scio veraciter, ſcio, nec tu ipſa dicere vales aliud, quàm quòd his
* *Ita Cod.* ad uſque nauſea * abundabas. Vniverſitas enim ipſa nedum tibi viros idoneos, gnaros ac ſapientes, verùm etiam circumſitis provincijs largiſluè propinabat. Sed tu, prô pudor, ingrata, nec non bonorum multiplicium oblita, dum illa venerabilis Vniverſitas opprimeretur ab æmulis, dum eius libertates, iura ſtatutaque iurata, ſigillis etiam regalibus ac alijs roborata, publicè frangerentur, tu, quantum ad te pertinuit, non foviſti, non protexiſti, non te murum pro ea contra malivolos poſuiſti, quin potiùs ad peſtiferorum inſtantiam, eam a te recedere, haud dubium, in proprium dedecus, permiſiſti. Nolebas ex ea magnum honorem tuum perpendere, nolebas ex ea venientia lucra penſare. Quot, putas, millia perſonarum alma Pragenſis Vniverſitas continebat, ubi Doctores Scientiæ Sacræ, Jurisque Canonici venerabiles, ubi Magiſtri medicinæ, Liberalium nec non Artium ſpectabiles, ubi Licentiati, Baccalarijque Facultatum variarum notabiles, e quibus in magnis eccleſijs ſunt Epiſcopi, Prælati, nec non Abbates, Præpoſiti, Decani, Canonicique commendabiles, ubi Studentes generoſi pariterque & nobiles, ubi Scholares de pulchris moribus, etiam in varijs artibus habiles, in tuis laribus decubabant? Quot putas aureos unuſquiſque annuatim conſumpſit? Pone, quæſo, numerum, ſi vales, quot millia florenorum in numero reſultabant, Tibi tuiſque remanebant incolis. Illi verò hauſtis in te ſcientijs, conſumptis pecunijs cum ſcarcabellis ad propria remeabant. Quantum de domorum arendationibus ſeu commodorum locationibus, quantum de victualibus ſeu rebus venalibus fructum habueras, quis eſt, qui valeat ſingula declarare? Perdidiſti prô dolor, hæc & maiora. Quæ ſi honorem ac utile bonum advertiſſes, potiùs Vniverſitatem ipſam conſervare tanquam mineras aureas debuiſſes.

Coacervâſti pro veris Philoſophis, ſcientificis, prudentibus, ac honorabilibus viris Magiſtros de ſcholis Sophiſticis, prurientes auribus, qui te verbis fucatis ac tumentibus, blandicijs ſtultisque conſilijs ducerent in abrupta. Suaſerunt primò, ut ab obedientia Papæ Prælatorumque recederes. Secundò ut regem proprium contemneres. Tertiò ut Monaſteria nec non Eccleſias deſtrueres. Quartò ut ſacra vaſa, calices Monſtantias diſtraheres, ac monetam ex eis cuderes. Quintò ut Sacerdotes & Clericos Domini necares atque combureres. Sextò ut Sanctimoniales nuptui traderes. Poſtremò ut gladio crudeli compelleres omnes alios tuam facere voluntatem. Quis cogitavit hæc ſuper Pragam, quondam inclytam & coronatam, cuius negotiatores Principes, inſtitores eius inclyti terræ? O *Praga*, tibi Francia, tibi Anglia, tibi Vngaria, tibi Polonia, tibi Venetiæ, tibi quævis adiacens Provincia, ſua mercimonia porrigebat, ob quod non ſolùm civitas aut urbs dici *Inclyta* poteras, verùm in terris noſtris amœniſſima civitatum. Iam autem, quid inquiunt, attende. Perveniſti ad mundum muliebrem, ornata es auro & argento, & veſtita es byſſo & polymito & multis coloribus. Similam & mel & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis, & proſeciſti in regnum, & egreſſum eſt nomen tuum in gentes propter ſpeciem tuam, quia perfecta eras in decore meo, quem poſueram ſuper te, dicit Dominus: & habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, & facta es quaſi meritrix, omnem advenam & pollutum, furem & incendiarium, raptorem & ſacrilegum colligens ad te veluti meretrix & procax. Nec ſolùm veluti meretrix facta es, ſed quaſi mulier adultera, quæ ſuper virum ſuum inducit alienos. Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dediſti mercedem cunctis amatoribus tuis, & dona dabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum. Vocâſti namque deſperatiſſimos,

mos, crudeliſſimos ac nefandiſſimos homines, immò latrones, qui ſemper inter proſcriptos ac homicidas ſecundùm iuſtitiarios tenebantur: illos donis muneratos largifluis, poſtpoſito verò rege, videlicet *Sigiſmundo*, Iudices & Capitaneos præfeciſti, per quod fœtere feciſti fragrantem odorem tuum, magnamque gloriam tuam in ignominiam commutâſti. Quo facto cogitâſti conſilium, quod non poteris ſtabilire.

Dixiſti: Congregabo militum & clientulorum exercitum fractis calicibus & monſtantijs, dabo ſtipendium multis politicis congregabo vulgarem populum: ſic triumpho potiar contra renitentiam ſingularem, Civitates, fortalitia tributis ſubijciam, Barones & Nobiles in feudum redigam & compellam. Et ſic utar veluti *Ratiſpona* ſeu *Venetiæ* perpetua libertate. Regem habebo, quemadmodum Veneti Ducem ſuum. Hoc erat conſilium, hæc finalis intentio, quatenus domina vocareris omnium. Sed non eſt prudentia, non eſt ſapientia, non eſt conſilium contra Dominum. O Civitas! Non cogitas de maliſprincipijs bonos fines non evenire? Dixiſti: regnabo, Domina dicar, ego ſum, & non eſt præter me amplius: non ſedebo vidua & ignorabo ſterilitatem. Non eſt qui me valeat expugnare: non eſt, qui vincat me. Nam Deus ipſe iuvat me. Non ſum verita, cùm multa millia me circumvallaverant populorum. O Civitas! verè timeo, ne veniant tibi hæc duo ſubitò, ſterilitas videlicet & viduitas. Cùm enim tempus acceperit Deus, iuſtitias iudicabit. Dicis nunc: Deus adiuvat me, ſed neſcis, quare via impiorum proſperatur. Jeremias Propheta Domini conqueritur de hoc ipſe, ſic etenim inquiens: *Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum. Veruntamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? Plantâſti eos, & radicem miſerunt, proficiunt & faciunt fructum. Propè es tu ori eorum, ſed longè es à renibus eorum.* Ecce verba Prophetæ unius. Placeat audire teſtimonium alterius, Abacuc videlicet, ad Dominum querulantem: *Quare*, inquit, *non reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces devorante impio iuſtiorem ſe?* Tu Civitas habes in ore Deum, ore loqueris de præceptis eius: propè eſt Deus ori tuo, ſed longè a renibus, id eſt, a corde tuo. Rapinæ, ſpolia, ſacrilegia, homicidia, Monaſteriorum & eccleſiarum exuſtiones hoc è veſtigio manifeſtant. Dicis: Deus adiuvat me. Quia maleficia prædicta placent tibi, placere putas & ſibi, puta Domino Deo. Deum quia non ſtatim pateris ultorem, habere te dicis adiutorem, immò tortoriæ tuæ ſeu crudelitatis ſocium & tutorem. Secundùm duritiam cordis tui & cor impœnitens theſauriſas tibi iram in die iræ & revelationis iuſti iudicij Dei, cuius ad aures pijſſimas cottidie intonat vox oppreſſorum

Credis, quòd propter communionem ſub duplici ſpecie, quam facis contra ritum Eccleſiæ, vel propter illas, quas profani ſeductores tui præcipiunt vel iniungunt, obſervantias victoria potiaris? Multi pró dolor, qui debent ex officio ſic ſumere, manducant ad iudicium atque bibunt. Multi Mathematici ſeu Nigromantici ieiunant, multas obſervantias faciunt, quas nemo rectè ſapiens Deo iudicat placuiſſe. Credis ſemper eſſe iuſtos, qui cum adverſarijs confligentes victoriâ potiuntur? Vide, lege vel facito legi Deuteronomium legis. Ibi Dominus Deus per Moyſen ita dicit: *Audi Iſraël, tu transgredieris hodie Iordanem, ut poſſideas nationes maximas & fortiores te, civitates ingentes, & ad cœlum uſque muratas, populum magnum atque ſublimem, filios Enachim, quos ipſe vidiſti & audiſti, quibus nullus poteſt ex adverſo reſiſtere.* Et infra: *Ne dicas in corde tuo, cùm deleverit eas Dominus Deus tuus in conſpectu tuo: propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus in terram hanc, ut poſſideam eam, cùm propter impietates ſuas iſtæ deletæ ſint nationes. Neque enim propter iuſtitias tuas & æquitatem cordis tui ingredieris, ut poſſideas terras eorum, ſed quia illæ egerunt impietatem, te introeunte deletæ ſunt.* Verbis his O Civitas quid aut quomodo poteris reſpondere? Profectò nos peccavimus, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus. Abijt heu! unuſquiſque noſtrûm in viam ſuam, alius avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus, alius luxuriam, alius guloſitatem, ſeu quævis crimina proſequendo, bonaque tranſitoria bonis æternis & immarceſcibilibus præponendo. Sic ergo nos iuſtè patimur, nam digna factis recipimus: Quodque Deo volente corripimur, grati ſumus. Et utinam hìc ureret, hìc ſecaret, hìc percuteret, hìc flagellaret, benè fieret, dummodo in futuro ſeculo parcere dignaretur! Sed tu O Civitas temetipſam de iuſtitia iactas dicens: Deus iuvat me, quia mala tua non

ſubitò vindicat in te. Sanè Dei perfecta ſunt opera. Quocirca ſi tuorum homicidiorum, ſacrilegiorum ac aliorum malorum Deus adiutor & auctor eſt, Deus ipſe Deus non eſt. Quid enim a ſummo bono venit niſi bonum? *Vidit* enim *Deus cuncta, quæ fecit, & erant valde bona.* Dicens ergo Deum auctorem & adiutorem malorum, quæ perpetrâſti, dicis Deum non eſſe ſummè bonum, & per conſequens non eſſe Deum. En, ad quantam inſipientiam deveniſti.

Denique mittis falcem in meſſem Domini Dei, regem, non quem ipſe dedit, ſed quem tu deſideras, eligendo. Nunquamne legiſti: *Domini eſt terra & plenitudo eius?* Nunquam audiſti ſub manu eius eſſe omnium iura regnorum? Neſcis quid ipſe per Salomonem dicat: *per me reges regnant?* Neſcis, quòd ipſe permittit hypocritam propter peccata populi? Neſcis, quòd interdum regem dat populo in furore ſuo, quandoque in clementia ſua magna? Cùm ergo ſubeſſe non vis ei, quem tibi præpoſuit, contra Deum profectò recalcitrare niteris, & eius non pares ordinatiſſimæ voluntati. Cuius ergo nutibus obtemperas, illius te famulam profiteris dicente Scriptura: *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Voluntate verò diabolica fit peccatum: non ergo Dei, ſed Beelzebub es vernula vel ancilla. Heu, heu Civitas! Noluiſti, nec adhuc vis intelligere, ut benè ageres. Ad voluntatem Diaboli, domini, prô dolor, tui, proiecìſti poſt tergum, non dico, peccata, ſed crimina magna tua. Non vides, quæ totus Orbis patulò videt. Non vereris, non te pudet, non te pœnitet, quin potiùs in talibus, veluti ſus in cœno ſeſe volutans delectaris. Ergo ponam iniquitates tuas ante faciem tuam, ut videas, ſi fortè vel ſic ad pœnitentiam provoceris.

Tu nomen Dei & fidem Catholicam Judæis & Gentibus blaſphemare feciſti, tu ſancta Dei polluiſti, eccleſias diruiſti, Monaſteria cremâſti, Monachos per ignem & Presbyteros nec non Magiſtros venerabiles incinerâſti, Moniales tuis promiſſionibus proſtituiſti, imagines Chriſti, nec non Matris eius, Sanctorumque luto ac ſtercoribus maculâſti: Sacerdotes etiam & miniſtros Dei manibus, auribus, membris etiam varijs mutilâſti, quodque gravius eſt & crudelius, parvipendens præceptum Domini, quod per fidelem David ediderat, inquiens: *nolite tangere Chriſtos meos*, pluribus interfectis in illorum cadavera ſævijſti, dum eos iam extinctos, humanitatis oblita, quos ſepelire debueras, combuſſiſti: immò quod horridum eſt ad memoriam reducere, nec in die Paſcæ a tam nefarijs abſtinuiſti. Tu cultum Divinum quaſi penitus annihilare decreviſti. Tu veſtes, nomini Divino conſecratas, ſacrilegis latronum manibus diſtrahi, profaniſque uſibus inſui cum iocibus * ac riſibus permiſiſti. Calices, monſtrantias, ac alia Divini cultus clinodia in monetam ſanguinariam convertiſti. Veros eccleſiarum paſtores & rectores ad profanorum inſtantias ab eorum eccleſijs & oviculis eieciſti. Taceo, quòd ab obedientia Papæ, nec non Eccleſiæ Catholicæ receſſiſti, quodque ſanguinem innoxium non ſolùm domi, ſed per circuitum Bohemiæ effudiſti. Propter quæ mala viri probatiſſimi, virgines ac viduæ, tenentes fidem Altiſſimi, ſeculares & ſpirituales, in magna penuria partes extraneas inhabitant, magis exilium, quàm in tuis tranſgreſſionibus conſortium eligentes. Videſne iam O Civitas mala ſeu crimina, quorum origo & initium extitiſti? Per te tuóſque mortui multi exulant, verè multi. Sed perpende, cui plus, illiſne ſeu tibimet obfuiſti. Duo mala videntur mors & exilium, ſed non niſi malis. Mors quidem terribilis eſt, ſed ijs, quorum cum vita animi moriuntur, non ijs, quorum laus emori non poteſt: Exilium autem his, quibus quaſi circumſcriptus eſt habitandi locus, non his, qui omnem Orbem terratum unam urbem eſſe dicunt. Eapropter O Civitas, tu tibi ipſi, non illis malefeciſſe putes. Nam illis gloriam indefectibilem, tibi verò notam & infamiam perpetuam cumulâſti. Te ærumnæ prement, te miſeriæ, quæ te beatam nunc, florentemque ac inclytam vocas.

Expecta parumper, tuæ te libidines ſternent, extremáque gaudij tui, iuxta Salomonis Proverbium, luctus inevitabiliter occupabit. Lætaris cum latrunculis, dum malefeceris, & in rebus peſſimis delectaris. Auſculta benè, quid in Threnis ironicè dixerit Ieremias, quod ad te congruè poterit applicari. Sic ibi dicit Propheta: *Gaude & lætare filia Edom,*

* *ita Cod.*

Edom, quæ habitas in terra Hus. Ad te quoque perveniet calix: inebriaberis atque nudaberis. Viſitabit iniquitatem tuam Filia Edom, diſcooperiet peccata tua. Vide, quid iſta ſignificent, an tibi congruant, an ad te valeant applicari, quid *Edom*, quidve *Hus* repræſentet. Edom *rubeus* vel *ſanguineus* aut *terrenus*. *Hus* verò *feſtinans* vel *Conſiliator* interpretatur. Tu heu! *Edom* ruffa, *ſanguis* affectu, *ſanguinea* iam in effectu. Sanguinem enim iuſtum, quem fundere crudeliter cupiebas, nunc per tuos miniſtros & ſtipendiarios multipliciter effudiſti. *Edom* etiam *terrenam* te dicit, quia non cœleſtia, ſed terrena quæris, dum per violentiam recipis ac rapis aliena, Divino quoad hoc non habito reſpectu, qui dixit: *non concupiſces rem proximi tui.* Qui enim concupiſcere prohibuit, utique rapere vel tollere non conceſſit. *In terra Hus habitas*, quia damnati Huſſonis dogmata ſervas. Vel *in terra Hus* habitas, quia *feſtini* ſunt ſeu veloces pedes tui ad effundendum ſanguinem: Vteris *conſilijs* ac ſuaſionibus impiorum. Iam pervenit ad te *calix*, vel calix Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem tu puerulis, necdum fari ſeu diſcernere valentibus corrigi præcepiſti: Vel calix punitionis vel vindictæ malorum, quem iuſtè pro demeritis meruiſti. Subdit Propheta: *inebriaberis*, quia ſanguinem ſitiſti, ſanguinem fudiſti, ſanguinem utique bibes. Atque *nudaberis*, cùm amatores tui ſeu Capitanei corruerint, aut cùm ſeductores & conſpiratores tui a te receſſerint, ferre tibi ſubſidium denegantes: *Diſcooperiet Dominus peccata tua*: immò iam diſcooperuit, dum toti Chriſtianitati tua pateat turpitudo.

Nec ſilentio tegendum puto, quòd ſcioli tui, qui ſe magiſtros autumant magiſtrorum, literas vel epiſtolas, tibi verè noxias, tuo nomine per Mundum dirigunt univerſum, in quibus & per quas de rege *Sigiſmundo*, nec non de Sacro *Conſtantienſi* Concilio variè querulantur. Inaudita res, inſolita novitas, apud veros Philoſophos non niſi riſu digna. Cauſantur de hoc, quòd ſecundùm eorum ſententiam, verius fidem, inevitabiliter debuit evenire. Quod ut intelligas, ſcire velis. Illi tui Magiſtri diu tenent, etiam velut Evangelium firmiter credunt hanc *Wicleff* hæreſiarchæ ſententiam, quòd omnia de neceſſitate eveniunt, & non aliter potuerunt, nec poterunt evenire. Quod ſi ſic eſt, neceſſariò talis rex venit, & non potuit aliter evenire: neceſſariò tunc temporis tale Concilium fuit *Conſtantiæ*: neceſſariò fecit, quæcunque fecit, nec aliter potuit effeciſſe. Propter quid ergo Deus punit malos, & præmiat bonos, ſi de neceſſitate mali peccant, & boni de neceſſitate meritoriè operantur? Ad quid ergo leges & iura condita ſunt? Ad quid Chriſtus natus eſt & paſſus? Non opus erat Evangelio nec Epiſtolis, ſi cuncta neceſſariò debent evenire. Cæterum in quadam tua littera ſcribis ita: *Dudum Wenczeslaum de Leſcua in Concilium Conſtantienſe direximus, & loci congruitate & vitæ impunitate habita, quòd prædicta communio, ſcilicet ſub utraque ſpecie, ſit veritas, Divino ore ſancita & præcepta, venire optamus, & ſicut tunc, ita nunc ardenter probare exſpectamus, ſi eſt duntaxat, qui armis Magiſtralibus cum noſtris Magiſtris velit confligere, &, quod verum eſt, non armis, ſed argumentis extorquere, ita tamen, ut in adveniendo ſit noſtræ vitæ impunitas, in audiendo non contumelioſa, ſed tranquilla maturitas, in Præſidente non obliqualis, ſed indifferens æquitas conſervata.* Hæc ſunt, O civitas, verba tua pulchra tuorumque Magiſtrorum. Vox quidem vox Jacob, manus autem ſunt manus Eſavv. Arbor amœna, cuius pulchra folia virent vernantque pulcherrimi flores, ſed fructus oſtendit arboris bonitatem. Quicquid celatur in radice, quicquid latet in folijs, tandem enitescit in pomis. Dominus & Salvator noſter docuit, a fructibus homines cognoſcendos. Et Johannes eius dilectus Apoſtolus dixit: *nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt.* Et cur hoc, niſi quia pravum eſt cor hominis & inſatiabile. Etiam Proverbium eſt:

.....fallunt anni ſub nube latentes.

Aliàs: *ſub vulpe.* Nec non:

Impia ſub dulci melle venena latent.

O Civitas, cùm tu te ſanctam reputas, legem Dei ſeu præcepta legis in parietibus, ſed non in cordibus pingens, cùm tu Magiſtros quaſi magnos Apoſtolos Chriſti tenes: Re vera non petebant Apoſtoli Chriſti litteras impunitatis a principibus

pibus & tyrannis, ſed veritatem Evangelicam tormentis gravibus, immò finali mortis exitio probaverunt. Non eos loci congruitas allexit, non incongruitas deterruit, quia veritas angulos non quæſivit. *Ibant*, inquit Scriptura, *Apoſtoli gaudentes a conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Vides clarè, quòd Apoſtoli Domini litteras impunitatis non quærebant. Non ergo Chriſti ſunt Apoſtoli, ſed veriùs Antichriſti. Facis denique de armis magiſtralibus mentionem, dicens: *ſi eſt duntaxat, qui armis magiſtralibus cum noſtris Magiſtris velit confligere.* Fuiſſent, ſunt & eſſent, qui cum tuis Magiſtris rationibus & ſcripturis quibuslibet in quavis materia libentiſſimè confligerent, dum ea, quæ a Concilio poſtularas, ùt aſſeris, ipſamet veridicè tenuiſſes. Qui præterita meminit, facilè præcavet a futuris.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Sic pueri quondam a ſenioribus docebantur. Et ut magis intelligas, ea, quæ potenter acta ſunt in te, ad memoriam revocabo. Petrus & Johannes prodeant in exemplum: *Petrus* Profeſſor Theologiæ, Frater Monaſterij *S. Clementis de Praga*, & *Johannes de Greez*, in Artibus Liberalibus Magiſter. Ferant hi duo teſtimonium, ut alios non occupem, quibus armis & qualibus, & an *Magiſtralibus*, tui, de quibus te iactitas, Magiſtri cum eis & alijs confligebant. Certè non armis *Magiſtralibus*, ſed materialibus, non argumentis, ſed tormentis, non auctoritatibus Scripturæ, ſed cruciatibus licturæ, non locorum Loicalium ſedibus, ſed cipporum & laicalium compedibus, non rationibus, ſed coactionibus arguebant. Nam captivato *Fr. Petro* iam dicto, poſt afflictiones varias unum è duobus eligere coëgerunt, ut vel revocet, quæ contra coſdem Magiſtros vel contra *Wicleff Anglicum* prædicaverat, vel in eorum manibus ultimum debitum mortis exſolvat. Pauper homo volens tantam crudelitatem evadere, veritatem a ſe pluries prædicatam, coram aſtantibus omnibus in Collegio Karoli Pragæ publicè revocavit. Magiſter *Johannes de Greez* facta pronunciatáque poſitione de Communione ſub utraque ſpecie in Lectorio communi, coram omnibus reſpondens opponentibus more Scholaſtico, pòſt illico captivatur, tormentis, compedibus, verberibus, alapis, inedia, ſiti, multis etiam alijs incommodis inhumanè per eos cruciatur. Videns probus homo, non aliud reſtare niſi morte ſupplicia terminare, petebat magna cum inſtantia, quatenus ei Confeſſorem idoneum concederent, cui de peccatis ſuis debitam faceret rationem. O ſæva crudelitas! O crudelis ac tyrannica ſævitia! Denegat pio viro peccatorum antidotum, quod etiam iuſtè damnatis latronibus non negatur. Sed omnipotens Deus, qui propè eſt ijs, qui tribulato ſunt corde, prædictum Magiſtrum *Iohannem* de eorum manibus crudelibus mirabiliter liberavit. Igitur o Lector perpende, quæſo, ſi *Pariſienſis*, ſi quondam, antequam tres nationes de ea recederent, *Pragenſis*, ſi quælibet Vniverſitas Chriſtiana cum ſuis reſpondentibus vel opponentibus armis unquam talibus dimicavit. Ecce clarè quilibet ex his elicere poteſt, quòd facta eorum verbis plenariè non reſpondent.

Poſtremò etiam tui faſtus nimiam, ut verum fatear, dementiam non filebo. Concilium, quòd nec re nec nomine, quin potiùs ridiculo cenſeo dignum, intra mœnia tua, nomine tuo fieri voluiſti. Quatuor peſtiferos, lethali veneno plenos, quos tu *viros* dicis, revera non a virtute, ſed a *virus*, id eſt, venenocertiſſimè nominatos, illi tuo Conciliabulo ſtolidè præfeciſti, poteſtatem illis plenariam de Divinis Officijs, Miſſarum, Horarumque, nec non de alijs, ſtatum ſpiritualem concernentibus tradidiſti, quaſi ad te ſolam pertineat totius Eccleſiæ gubernatio. In tantum arrogantiæ faſtum elata es, ut illos quatuor virulentos carnifices totius Mundi ſapientibus præponeres, quaſi non fuerint a mille quadringentis annis, nec modò ſint viri ſcientijs, vitæ ſanctitate vel etiam moribus meliores, qui præter alia in ſuis conſtitutionibus dicunt, nefas eſſe recedere ab Eccleſia primitiva. Sed quoniam in Eccleſia primitiva Circumciſio, purificatio & quædam legalia tenebantur (Nam Chriſtus circumciſus eſt, qui de ſe ipſo dixit: *non veni ſolvere legem, ſed implere.* Paulus etiam Apoſtolus, circumcidit beatum

tum Timotheum) conſequens eſt, ut illorum carnificum parentes Concilio iudaizent. Poſuerunt etiam illi Conciliatores & Primicerij tui horas Canonicas, diurnas ac nocturnas arbitrarias eſſe, qui ſi ſcripta Sanctorum perlegiſſent, eas arbitrarias non ſtatuiſſent. Ecce quid beatus Jeronymus in epiſtola ad Euſtochium dicat: *Quamquam Apoſtolus ſemper orare iubet, & Sanctis etiam ipſe ſomnus oratio ſit, tamen diviſas orandi horas debemus habere, ut, ſi fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipſum nos ad officium tempus admoneat: Horam tertiam, ſextam & nonam, diluculumque & veſperam, nemo qui neſciat: nec cibi antè ſumantur, niſi oratione præmiſſa, nec recedatur a menſa, niſi referantur gratiæ Creatori. Noctibus bis terque ſurgendum. Revolvenda de Scripturis, quæ memoriter retinemus. Egredientes hoſpitium armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat antequam ſeſſio, nec priùs corpuſculum requieſcat, quam anima paſcatur. Ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus pingat crucem.* Ecce beatus Jeronymus dicit hìc: *diviſas orandi horas debemus habere.* Arbitrium autem non eſt habere vel dicere, quod debemus. Taceo tenorem Eccleſiæ Catholicæ manifeſtum. O quanta præſumptio, quantave temeritas, ponere iam arbitrium, quod Eccleſia Dei per tot annorum curricula cum magna diligentia tenuit ac ſervat!

Sufficiant hæc pro præſenti, de quibus utinam pœnitentiam debitam perageres, & ab omnipotente veniam obtineres! Gauderem verè magno gaudio, ſi te ad ſtatum bonum reductam cum incolis cernerem, prout opto &c. *Et eſt finis huius litteræ.*

CVI.

Monumenta, Cartuſiam Dolanenſem propè Olomutium ſpectantia.

I.

Albertus Dux Auſtriæ Cartuſiæ Dolanenſi ius quælibet metalla eruendi concedit.

1437. *Ex Archiv. Gemnic.*

WIr Albrecht von GOtts Gnaden Hertzog zu Oſterreich, zu Steyr, zu Kernden, und zu Krain, Markgraff zu Mehren, und Grave zu Tirol bekennen, das Wir den Erberen Geiſtlichen vnſern lieben andechtigen dem Prior und dem Conuent zu Dolan bey Olomutz Kartuſer Ordens geurlaubt und gegunnet haben, gunnen und urlauben auch Inen wiſſentlich mit dem Brief in den Grunden und den Bergen, die zu dem egenanten irem Gotshauß gehörent, wo Inen das am peſten fugſam iſt, zu graben, und allerlay ertzt da zu ſuchen, zu bawen, und zu arbeiten, es ſey Silbererтzt, Goldertzt, oder welcherley ertzt das iſt. Wir verleihen auch in allen, Iren Nachkomen und Iren Gewercken, was Sie derzu in nemen werdent, und derſelben Gewercken Erben, die erſte Funtgruben an denſelben Bergwerch: alſo das ſie die nutzen und nieſſen, wie Ine das geveilt und fuglich iſt, alß Ertzt Bergwerchs, und der erſten Funtgruben recht und Gewonhait iſt, ungeverlich, doch Vns und unſern Erben an unſern Rechten, die vns als einem Lands-Fürſten davon geburet, unvergrifften.

Davon emphelchen Wir allen unſern Vndertanen und getrewen, den dieſer Brief gezaigt wirt, und wollen ernſtlich, das Sie die egenanten Kloſterleut und ire Gewercken daran nicht irren noch hindern in keine Weis, an Geverde, oder es were wider Vns, mit Vrkund diſes Briefs. Geben zu Wienn am Sambſtag nach Sant Lucas Tag nach Chriſti Geburte vierthenhundert Jar, und darnach im Syben und dreyſſigiſten Jare.

Civi-

Digitized by Google

2.

Civitas Olomucenſis Cartuſienſibus in Dolan indulget, ut intra mœnia ſua neceſſaria ſibi regularia ædificia conſtruant.

1437. *Ex Archivo Gemnic.*

WIr Niklas von Nymlans Burgermeiſter, Johannes Pawſiwengel, Miks Meltzer, und Jacobus Link, Rathmannen, Niclas Platner, Michl Condler, Niklas Vogt, Niklas von Mirznicz, Johannes Lügenpluter, Lucas Fleiſchacker, und Niklas Gerung, geſchworne Schöppfen der Stat Olomuh, bekennen und tun kunde mit dieſem brief vor allemenicklichen; als dann nach zuſterung Unſer lieben Frawen Kirchen oder Kloſter zu Dolan im thall Joſaphat genant, das in dieſen itzundigen ſweren und unmenſchlichen kriegen von ketzeren der Huſchiſchen verdampten Seckt in Behem entſtanden, die nacht vor unſer lieben Frawentag Purificationis derſtigen und gewunnen wart, davon vil Pöſes dem gantzen Landt und nemlichen dieſem kreis mit raub, mord, und meningen beſwerungen der armut geſchach: alſo das die Andechtigen Brüder, die die Carthuſer auch davon vertriben warden; und die gantze Landtſchaft daſſelb Kloſter belegen, und mit groſſer müh, arbeit und vffelung zu werffen, zu ſcheiſſchen, und den Veinden Gotts und ſeiner Chriſtenheit das abtringen muſt. davon die vermelten Carthuſer zu uns in die Stat fliehen und weichen muſten; und neben des Marckgraffen gnaden vorhencknuſs und unſerm vorwillen, inen ein wonung und ein Capellen in des Marſchicken haus in vnſerm Vorberck gegen unſer Frawen Kirchen gelegen zugericht und gebaivt haben: Sint derſelben zeit aber darumb, das wir und die gemein zu uns mit meningen Veſtenungen umb die Stat, und mit groſſer vffegung vil zu ſchaffen und zu bawen hetten, und mit den Söldnern, die wir zu Bewarung der Stat halten muſten uff unſer Gelt, beſwert und bekumert waren: So haben wir durch gebet willen des gotgedrangen und andechtigen herren Lorentzen Prioris und ſeiner gebrudern der Carthuſer Ordens doſelbſt wonenden, und auch durch beſeſtung der Stat an demſelben ecke hinder inen, verhangen, und inen gegunnet an unſer Statmawr ire gemeche und getzelt zu bawen. dortzu auch für der Statmawr ſuſt ein mawr, dozwiſchen ſie inen ein garten pflantzen und machen mogen. Und als dan die Carthuſer nicht pflegen Fleiſch zu eſſen, und Viſch allzeit zu leiblicher Vffhaltung bedürffen, ſo haben wir inen auch für denſelben mawrn gegunnet einen halten zu mawren und zu machen: dorinnen ſie Viſch halden mögen: und des obgemelten alles gebawdes gebrauchen, beſitzen und innhalten ſollen on zugleitung, on alle unſere, und unſer Nachkumen hindernuſs und irrung. Sönderlich ſo haben wir dornach angeſehen, das, das die Vermelte, Herr Lorentz Prior und ſeine gebruder, das obgemelte gebawde ordenlich gebawt, und daſſelbe ecke alſo wol beſeſtent haben; haben wir durch iren gebete und beſter Veſtnung willen derlawbt und vorhangen, derlawben und verhengen in Krafft dieſes briefs: das ſie von demſelben gemewr biß gen der Schull mit ſulchem gebewde und Veſtenung mawren und bawen mögen zwiſchen denſelben mawren im purggraben; Sie in dann zu irer luſt und genieſſe auch machen mögen; es ſeye einen garten oder einen halter nach irem peſten beduncken, alſo doch, das ſie die erden, die man wirt müſſen vſſtragen, hinweg on ſchaden furen; und domit die march oder andere gräben nicht verfullen ſollen; und nemblichen daſſelbe in ſulcher Maß, als ſie das erſte gemewr hinder inen gemacht haben, von Jar zu Jar mawren / veſten, vorprengen, und unzugleittlich halten ſollen. Des ſie ſich gegen uns verpflicht, und briefflich verbunden haben; und wir verpflichten uns hinwider gegen dem vermelten herren Prior und ſeinen Brudern und iren Nachkumen: das wir, noch vnſere Nachkumen, Burger dieſer Stat Olomuh daran nicht hindern wollen und ſollen; ſondern ſie des alles, wan ſie das volpracht haben, ruhlich beſitzen, gebrawchen, und genieſſen ſollen laſſen on all unſere und der unſern hindernuß. Deß zu einem gezeugnuß und Sicherheit haben wir unſer Stat Inſigl gehangen an dieſem brieff; geben am Montag für Barbaræ Virginis anno Domini Milleſimo CCCC. trigeſimo Septimo.

31

Canonici Eccleſiæ Olomucenſis domum ſuam Canonicalem, ſitam in præurbio Olomucenſi, pro Cartuſiæ conſtructione cedunt Cartuſiensibus Dolanenſibus.

Indid. IN nomine Domini amen. Cùm iuxta ſacram paginam homo homini datus ſit in adiutorium, & plaſmatus ad ea, quæ charitatis, pacis, divinique cultus reſpiciunt augmentum, meritò quilibet homo, Chriſtianæ religionis præſertim fulcitus diſciplinis, alteri adiutorium iuvamentumque præſtare debebit, & tenetur. Eapropter Nos *Petrus* Decanus, *Johannes* Præpoſitus, *Martinus* Archidiaconus, cæterique Canonici ac Capitulum almæ Eccleſiæ *Olomucenſis* tenore præſentium notum fieri volumus vniverſis: Quia, cùm divina permiſſione in plebem Dei, & ſingulariter in perſonas Eccleſiaſticas in terra *Moraviæ* tyrannorum deſæviſſet pravitas, in tantum, quòd quàmplurima Monaſteria vaſtata, & poſſeſſionata, per ipſósque in ſpeluncas latronum commutata, &, ne Chriſti fideles aut in corpore aut rebus magísque per dictos tyrannos & inimicos moleſtarentur, ſunt etiam funditùs demolita. Itaque cùm Monaſterium B. Mariæ Virginis, *Vallis Joſaphat* nuncupatum, propè *Dolanum* Venerabilium ac Religioſorum Fratrum Ordinis Cartuſienſis propter prædictas cauſas funditùs eſſet deſtructum & demolitum, nec tutior magisque habilis locus pro erectione novi Monaſterij dictorum Fratrum ordinis Cartuſienſis, quàm in ſuburbio Civitatis Olomucenſis, Monaſterio Virginum Sanctæ Claræ ordinis Minorum contiguus ſentiretur & videretur. Quocirca Nos ſuprà nominati, *Petrus* Decanus, *Johannes* Præpoſitus, *Martinus* Archidiaconus, cæterique Canonici & Capitulum Eccleſiæ *Olomucenſis*, videntes zelum & diligentiam Venerabilis Patris Domini *Laurentij* Prioris de *Dolan* ordinis Cartuſienſis, quem pro novi Monaſterij erectione ſtudioſiſſimè impendebat, maturo inter Nos præhabito conſilio, ut pro tam pij operis conſummatione & perfectione in laudem divinæ Maieſtatis & gloriæ, in die nebulæ, die vtique caliginis & vltimæ neceſſitatis, boni Zelatores, Cooperatores, & promotores inveniremur, Nosque omnium bonorum, quæ Cunctipotens per ſervos ſuos, illum locum inhabitantes, operari dignaretur, participes faceremus: Domum noſtram Canonicalem inter Domos dictorum Fratrum Cartuſienſium in præurbio Olomucenſi, vnam videlicet olim *Marſſikonis*, Monaſterio Virginis Sanctæ Claræ ordinis Minorum contiguam ex vna, aliam verò olim *Wicheronis* in acie versùs portam obſtructam propè Capellam omnium Sanctorum ſituatam parte ex altera, pro domo dictorum Fratrum Religioſorum, Prioris & Conventus dicti Monaſterij B. Mariæ Virginis propè *Dolan* ordinis Cartuſienſis, quam a Domino *Adam de Cralitz* perpetuo Vicario Eccleſiæ *Olomucenſis*, inter Domos, videlicet dotem Eccleſiæ Parochialis B. Mariæ Virginis ex una, & *Iohannis Zubek* pro tunc Burgravij *Olomucenſis* parte ex altera, in dicto ſuburbio Civitatis Olomucenſis ſituatam, cum Venerabili Patre Domino *Laurentio* Priore cæteriſque Fratribus & Conventu ſæpè dicti Monaſterij Mariæ Virginis propè *Dolan* ordinis Cartuſienſis, ſimpliciter, nudè, & de plano domum pro domo dantes, permutavimus, & auctoritate præſentium permutamus, Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini *Pauli* Epiſcopi *Olomucenſis* accedente conſenſu pariter & aſſenſu.

De qua quidem domo ſic per Nos in via commutationis reſignata cum omnibus iuribus, pertinentijs, libertatibus, & immunitatibus, quibus eadem domus vtitur & utebatur, in quarum poſſeſſione nos eramus, dicto Patri, Domino *Laurentio* Priori & Conventui Monaſterij iam dicti liberè & abſque omni impedimento ceſſimus & cedimus: ipſumque dictum Dominum *Laurentium* Priorem & Conventum ac ipſius Succeſſores in dictæ domus pacificam miſimus & mittimus poſſeſſionem, omne ius, proprietatem, poſſeſſionem & libertatem dictæ domus eiſdem reſignantes: Dantes eidem Priori & Conventui plenam & omnimodam poteſtatem & auctoritatem dictam domum poſſidendi, inhabitandi, vtifruendi, & aliàs, prout ipſis & eorum Succeſſoribus viſum fuerit, cum ea diſponendi, promittentes pro Nobis & noſtris Succeſſoribus; quòd huiuſmodi domum permutatam

mutatam nnu repetemus, nec repetent; neque super eadem permutatione quodcunque impedimentum dabimus, vel dabunt, conditionibus tamen, quæ huiusmodi occasione contractûs, tanquam licitis & honestis, prout in literis desuper confectis pleniùs continetur, Nobis & Ecclesiæ nostræ datis & dandis, semper in omnibus salvis. In cuius rei testimonium & maioris roboris firmitatem ad Sigillum Reverendissimi in Christo Patris & Domini nostri præfati, Sigilli Ecclesiæ præsentes litteras appensione iussimus communiri. Datum & actum in *Olomuts* anno Domini MCCCCXLII. Sabbato in Octava Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ.

4.

Civitas Olomucensis iisdem, Carthusiensibus quasdam areas suburbiorum suorum in nova ædificia concedit.

WIr Johannes Fullengraben Burgermeister, Claus von Ach, Nicolaus Sews, Wenceslaus Keyser Ratmanne, Nicolaus Strompel, Nicolaus Ratzer, Georgius Zebrecht, Johannes Czech, Martinus Almuss ner, und Johannes Schonhann, gesworne Schepphen, und die gantze gemein der Stat Olomutz bekennen offenlichen mit diesem brieff allen, die in sehen oder hören lezen. Als denn die erbäre weyse Herrn Niklos von Nymlans doselbst Burgermeister, Johannes Pawswengel, Mick Schmeltzer, Jacobus Linke, Ratmanne, und andere Scepphen des iars, als man geschriben hat nach Christs geburt tausent Vierhundert im Sieben und dreissigisten Jare, unsere Vorfordern mit vertwillung unsers genedigen Herren des Margraffen und der gantzer gemein unser Stat dem andächtigen Herren Laurentzen Prior und seinen Brüdern des Cartusser orden, die da Vor zeiten zu Dolan in dem Kloster unserer Frawen, im tall Josaphat genant, gesessen und gewont haben, und nach Verstörung desselben Closters sich in das Vorburg unserer Stat in des Marziken haus, das sie gekaufft haben, darinne zu wonen gesessen seint. Denselben Carthusseren und iren Nachkummen haben die vorbenante unser Vorfahren gegeben von demselben irem Hauß biß zu der Schul, daß sie en haben gemacht einen halter und einen garten. Darnach haben wir vorgenanter Johannes Fullengraben Burgermeister ꝛc. gesworne Schepphen, und die gantze gemein der Stat Olomutz, angesehen ir fleisik gebewde und auch Vestenung unser Stat; und haben denselben Carthusern und iren Nachkummen gegeben furbas von der Schul bis zu der Spittalmull nach der leng, und von der Thum Mawer bis auff dem Mulweg, in solicher beschaidenhait, das die vorgenante Carthusser sullen volbringen das angefangen gepewd, und ein zwurchmawr von dem turm, den sie haben angehebt, biß zu der phorten an das gassel. Sie sullen auch die inner Mawr vor der Schullen ferner hinab bawen bis zu dem turm, der nydder der Schul stet, auch mit einer zwurchmawer von dem end derselben Mawer bis an den turm. Was aber nydder derselben zwurchmawer ist, mugen sie en einen halter machen, und einen Steinbruch. Und dasselbe gebewd sullen sie von iar zu iar vorbringen, wenn sie mugen.

Wir gunnen in auch, daß das Wasser aus unserm teich freilich on hindernuß soll rinnen in iren teich. Und wer das, das sie nymmer wurden vorkauffen Fisch, davon sollen die Fischer kayne Lotzung nicht nemen, besunder. Alles, das obengeschriben ist, haben wir gegeben den vorgenamten Carthuseren und ihren Nachkomen zu besitzen, und halten, und geniessen nach irem willen, und bawen auff iren heusern, die sie nun haben, nach ires ordens Gewonheit, es sey Closter, Zellen, oder ander Gebewd, als sie best mugen. Wir geloben inen auch, und ihren Nachkomen, bey guten trewen on ark, ob sie jemand daran angrifft, bekömert, anfechten oder hinderen wolt, es wer von Geistlichen oder von Weltlichen, darinnen wollen wir sie vortretten, und beschirmen, und unbeschädlich behalten. Und des zu gröſſer Sicherheit und Vestenung haben Wir Unser stat insiegel an diesem briefflassen hengen. Geben an der Mitewoch negst Sant Margareten tag nach Christs Geburt tausend vierhundert und in dem funff und vierzigisten Jare.

5.

Pauli Epiſcopi Olomucenſis arbitramentum inter Canonicos eiuſdem Eccleſiæ & Cartuſienſes Dolanenſes de finibus ſylvarum, Rozeprze nuncupatarum.

Indid. IN nomine Domini amen. Nos *Paulus* Dei gratia Epiſcopus *Olomucenſis*, nec non *Marcus* Prior Monaſterij Sanctæ Trinitatis in *Kunigsfeld* prope *Brunam* ordinis Cartuſienſis Diœceſis *Olomucenſis*, ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus vniverſis, tam ætati priſtinæ quàm poſteritati futuræ, per præſentes, tanquam Arbitratores & amicabiles Compoſitores variarum diſplicentiarum & controverſiarum inter Venerabiles Dominos, Decanum & Capitulum Eccleſiæ noſtræ *Olomucenſis* parte ex una, & inter Venerabiles & Religioſos, Dominum *Laurentium* Priorem & Conventum Monaſterij *Vallis Joſaphat* prope *Dolan* Cartuſienſis Ordinis, *Olomucenſis* diœceſis parte ex altera, communiter electi, propter certas granities & poſſeſſiones Silvarum, *Rozeprze* vulgariter nuncupatarum, exortarum; damnoſiùsque oriri poſſent in futurum, niſi litteris patentibus & ſcriptis authenticis caveretur.

Verùm cùm in huius mundi ergaſtulo nil dulcius nihilque iucundius inveniri poſſit, quàm pace gaudere & charitate (illis enim habitis parvæ res creſcunt in magnas, & fontes in flumina commutantur) huiuſmodi anfractibus, tædijs, diſpliccntijs & diſcordijs occurrere volentes, viſum eſt Nobis cum famoſis & circumſpectis viris infraſcriptis, & ſpecialiter ad hoc videndum rogatis, pariter exire, ut re ſubſtrata oculis, auditáque teſtium ex utraque parte ſub iuramento depoſitione facilior, iuſtior, certiorque diſtinctio & limitatio granitierum, finium, ac terminorum illarum ſilvarum fieri poſſet.

Quibus viſis, teſtiúmque depoſitione audita, maturo inter Nos & cum nobis adiunctis præhabito tractatu & conſilio, Nos *Paulus* Dei gratia ſupranominatæ Eccleſiæ *Olomucenſis* Epiſcopus, & *Marcus* dicti Monaſterij & ordinis Cartuſienſis Prior, adiunctis nobis famoſis & circumſpectis viris infraſcriptis altera vice, metu & ſub periculo prædonum & malorum hominum, exivimus rem ſecundariò tu-

tinantes & maſticantes, ut inter partes per huiuſmodi diſtinctionem granitierum charitatem firmaremus, & conſcientias noſtras ſalvaremus; per certa ſigna metarum, finium & terminorum, certis vocabulis & ſignis conſignatis, dividi, diſtingui ac limitari diſpoſuimus, ac per Nos diviſimus, diſtinximus, ac limitavimus ad effectum: ipſasque, diviſionem, diſtinctionem ac limitationem approbavimus, ratificavimus, & confirmavimus; nec non approbamus, confirmamus & ratificamus per præſentes per omnia, prout facta & obſervata exiſtunt in hunc modum. Ita videlicet:

De *Dolan* aſcendendo versùs *Gyvovam* per viam, quæ dividitur & mediatur inter Silvam dictorum Dominorum dictæ Eccleſiæ Canonicorum, & inter Silvam communitatum de *Bielkovvitz* & *Dolan*, vſque ad fontem, qui vocatur *Pſtruznik*, vbi initium habet contradictio, vulgariter *Rozeprze* nuncupata ſilva; de qua arbitrati ſumus. Qui quidem fons rivulum habet, dividentem ſilvas dictorum Dominorum Canonicorum, & ſilvas Dominorum Cartuſienſium in *Gyvova* vſque ad ſemitam, quæ per collem aſcendit. Quæ ſemita vlteriùs dividit præfatas ſilvas vſque ad ſtratam publicam, quæ vocatur via *Caſtrenſis*. Quæ via Caſtrenſis deinde dividit præfatas ſilvas vſque ad locum, qui vocatur *Roxovviſſtze*. A quo loco, ſicut etiam a dicto fonte *Pſtruznik*, ſunt certæ & diſtinctæ metæ, certis ſignis ex utraque parte viæ prædictæ conſignatæ; quæ ulteriùs dictas ſilvas dictorum Dominorum dividunt vſque ad flumen *Biſtzicze* vulgariter nuncupatum: ita quòd a dicto fonte *Pſtruznik* aſcendendo versùs *Gyvovam* per ſuprà nominata loca uſque ad dictum flumen *Biſtrzicze* ab utraque parte ſemitæ & viæ ſunt certæ & diſtinctæ metæ, certis ſignis conſignatæ. Quidquid ad dextram partem illarum metarum eſt, dictorum Eccleſiæ Dominorum Canonicorum & Capituli erit: & quidquid ex altera parte metarum eſt ad ſiniſtram versùs *Tepenecz* deinceps ad *Gyvovam*, pertinebit & Dominorum Cartuſienſium Dolanenſium erit.

Et, ne vlteriùs occaſio controverſiæ aut diſcordiæ partibus aliqua præbeatur, decrevimus, quòd viæ & ſemitæ per ſuprà nominata loca, & aliàs, ſive per fundum

dum Eccleſiæ & Capituli *Olomucenſis*, ſiue per fundum Bonorum Dominorum Cartuſienſium, tranſeuntes, ſint ambabus partibus pro eorum vſibus liberæ & communes abſque impedimentis & datijs quibuſcunque. Quod ſi aliqua pars, quod abſit, contra has noſtras ſupranominatas limitationes, diſtinctiones, & alias quascunque diſpoſitiones ſubſcriptas, nunc aut in futurum, per ſe aut per perſonas ſeu perſonam intermediam directè vel indirectè, aliquid attentare præſumpſerit: ex tunc pœnam mille florenorum dare obligabitur, medietatem vnam dictis Dominis Arbitris aut eorum Succeſſoribus, alteram verò medietatem parti alteri aut eius Succeſſoribus, & per præſentes obligamus.

Vt autem huiuſmodi diviſio, & diſtinctio, ac limitatio, omniáque alia & ſingula præmiſſa in omnibus ſuis terminis, punctis & clauſulis, per partes & ipſarum partium Succeſſores nunc & in ævum firma, rata atque grata obſerventur, & robur perpetuæ obtineant firmitatis, præſentes noſtras litteras privilegiales ſcribi mandavimus, noſtrorumque ſigillorum ac partium iuſſimus appenſione communiri.

Teſtes autem huius rei, qui aderant, ſunt Nobiles, famoſi & circumſpecti Viri, *Sobieslaus de Milyczin*, *Przedbor Petrovvski*, *Iohannes Zub* Purgravius Olomucenſis, *Franko de Hartmanovv*, *Beneficus Minoris Zuda Olomucenſis*, *Auguſtinus Niderle*, *Johannes Fuſsngraben*, *Johannes Weigel*, *Wenceslaus de Gevviczka*, Advocatus, *Stanislaus Gurtler*, Cives Olomucenſes, & alij quamplures Incolæ de Villis *Bielkovvitz* & *Dolan*, ad præmiſſa ſpecialiter vocati & rogati. Datum & actum *Olomutz* anno Domini MCCCCXLII. Secunda die Menſis Septembris.

Et Nos Petrus de *Raczicz* Decanus, & Capitulum Eccleſiæ *Olomucenſis*, ac *Laurentius* Prior & Conventus Domûs B. Mariæ Virginis *Vallis Ioſaphat* propè *Dolan*, ordinis Cartuſienſis, ſuprà nominati arbitramenti, ſeu pronunciationis concordiæ formam, modum & diſpoſitionem in omnibus clauſulis, punctis & connexis, acceptamus, approbamus, laudamus, ac ſigillorum noſtrorum appenſione munimus, & ratificamus, anno & die, vt ſupra.

6.

Prothaſius, Epiſcopus Olomucenſis cum conſenſu Capituli ſui Cartuſienſibus Dolanenſibus vendit villam Slavvonin cum quadam curia allodiali.

NOs *Prothaſius*, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus *Olomucenſis*, notum facimus tenore præſentium vniverſis; quòd, cùm a perfidis hæreticis & Orthodoxæ fidei hoſtibus, diverſis turbationibus hoc tempore vexaremur, qui Nos, Clerum noſtrum, & bona Eccleſiæ noſtræ invadere & offendere conati ſunt, atque aliqua ſatis enormia, vt incendia & ſpolia, iam noviter commiſerunt, & ea de die in diem augere & committere procurant. Cùm verò talibus incommodis pro poſſe noſtro obviare volentibus, & præfatis noſtris Catholicæ fidei hoſtibus reniti, facultas impenſarum nobis tunc non aderat, ut gentem armorum pro defenſione noſtra & Eccleſiæ & Cleri noſtri conducere ſeu appretiare valeremus, niſi aliquam partem bonorum ſeu poſſeſſionum Eccleſiæ noſtræ pro acquirendis pecunijs, ſub ſpe tamen reemptionis, venderemus: Quapropter Nos *Prothaſius* præfatus de conſilio & aſſenſu Venerabilium Fratrum noſtrorum, Decani & Capituli noſtræ *Olomucenſis* Eccleſiæ, Villam noſtram *Slavvonin* propè *Olomutz* ſitam, quam habuimus ac legitimè poſſedimus Nos & prædeceſſores noſtri, cum agris cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſilvis, rubetis, nemoribus, montibus, vallibus, piſcinis, aquis, rivulis, aquarumque decurſibus, vijs, ſemitis, acceſſibus & regreſſibus, venationibus, aucupationibus, cum terminis, metis, areis & limitibus, cum pleno iure & dominio, ſpecialiter iure patronatûs incluſo, cum omnibus iuribus, iuriſdictionibus, cum hominibus & incolis, cum cenſibus & alijs ſolutionibus, & generaliter cum omnibus ipſius villæ pertinentijs, intra & extra ad eam ſpectantibus, in quibuſvis rebus conſiſtant, aut quibuſcunque cenſeantur nominibus; Vnam etiam Curiam allodialem cum tribus laneis agrorum, cum agris & ſegetibus, hyemalibus & æſtivalibus, pomerijs, pratis, paſcuis, & ſingulis ipſius pertinentijs, vendidimus & cum pleno iure & dominio

nio

nio vendimus, præservatis tamen decimis Custodiæ Ecclesiæ nostræ *Olomucensis* ex eadem Curia nostra debitis (in quantum Sedes Apostolica aut eius auctoritas approbaverit atque indulserit) Religiosis Patribus & Fratribus, Domino Priori & toti Conventui Monasterij, *Vallis Iosaphat* nuncupati, ordinis Cartusiensis pro mille & ducentis florenis Vngaricalibus boni auri & ponderis, tenenda, regenda, & vtifruenda, omni iure, forma & modo, prout nos prædictam villam tenuimus atque possedimus: Nihil Nobis aut Successoribus nostris in eadem villa ac etiam Curia cum ipsarum pertinentijs, præsertim Iure patronatus, Iuris aut proprietatis reservantes. Quos quidem florenos mille & ducentos in parato recepimus.

Nos igitur *Prothasius* Villæ antedictæ venditor principalis, promittimus pro Nobis & Successoribus nostris, sine omni fraude & dolo, eandem villam & Curiam cum Iure patronatus & cum pertinentijs omnibus iam expressis, ab omni impetitione vel impedimentis quibuslibet exbrigare & libertare. In testimonium & robur omnium præmissorum Sigillum nostrum Episcopale præsentibus est appensum.

Et nos *Iohannes de Olomutz* Decanus, *Petrus Stern de Montibus Cuttins*, *Iohannes Servus* Officialis, *Andreas Stiborij de Olomutz*, *Iohannes Eschenpeck*, *Nicolaus de Sternoovv*, *Philippus de Olomuntz*, *Nicolaus de Richvvaldsky de Olomuntz*, *Iohannes Ratt de Carnovia*, Cæterique Canonici & Capitulum Ecclesiæ *Olomucensis*, præfatæ venditioni dictæ villæ de *Slavvonin*, prout superiùs expressatur, per omnia nostrum præbuimus, & præsentibus præbemus de nostra certa scientia consensum pariter & assensum, Sigillumque Capituli nostri præsentibus fecimus appendi. Actum & datum *Olomutz* sub anno Dominicæ Incarnationis MCCCCLXVII. die XXI. Iunij.

7.

Mathias Rex Hungariæ eiusdem Cartusiæ bona & homines in suam protectionem & tutelam suscipit.

Indid. MAthias Dei gratiæ Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. fidelibus nostris Capitaneis, Belliducibus, Levatoribusque & Sollicitatoribus præsentis exercitus nostri, nec non Magistris rotarum cunctisque alijs gentibus, equitibus, peditibus, ac alterius cuiusvis status hominibus, tam scilicet nostris quàm aliorum quorumcunque præsentes visuris salutem & gratiam.

Quia Nos Religiosos Fratres ordinis Cartusiensis in Claustro *Vallis Iosaphat*, in Civitate *Olomucensi* fundato, degentes simul cum vniversis eorum possessionibus & iuribus, nec non rebus & bonis ipsorum quibusvis in nostram regiam recepimus protectionem & tutelam specialem; ideo mandamus fidelitati vestræ præsentibus firmissimè; quatenus deinceps res & bona præfatorum Fratrum quoquomodo turbare, populos quoque & Rusticos eorum in quibuscunque possessionibus ipsorum commorantes in personis ac rebus ac bonis suis impedire & damnificare nullatenus præsumatis, & nec sitis ausi modo aliquali, prout gravem nostram indignationem formidatis evitare, præsentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in *Olomutz* feria secunda proxima ante festum S. Margaretæ Virginis anno MCCCCLXVIII. Regn. nost. XI. Coronationis verò V.

8.

Idem Rex eundem locum tuendum & defendendum singulari mandato committit Capitaneo suo Olomucensi.

MAthias Dei gratia Rex Hungariæ, *Indid.* Dalmatiæ, Croatiæ &c. fidelibus nostris, vniversis & singulis Capitaneis, & belliductoribus præsentis exercitus nostri, ac quibusvis gentibus nostris, tam equitibus quàm peditibus, ubilibet in Marchionatu *Moraviæ* constitutis & constituendis & signanter Capitaneo nostro in Civitate *Olomucensi* constituto salutem & gratiam.

Quia nos habentes bonam affectionem erga Religiosos & devotos fratres, Priorem & Conventum Monasterij *Vallis Iosaphat* in *Dolano* prope *Olomuz* Ordinis Cartusiensis (Qui his temporibus quàm maxima & irrecuperabilia damna in desolatione Claustri & possessionum ac bonorum suorum ab Hæreticis perfidissimis susceperunt) ipsos fratres, Priorem & Conven-

ventum Monaſterij prædicti, viram cœlibem in terris ducentes (vt ipſi tantò promptiores & devotiores reddantur ad officia Divina, quantò ſe à mundanis curis & tribulationibus conſpexerint liberiores) ſimul cum vniverſis bonis & poſſeſſionibus ipſorum & dicti Clauſtri eorum vbilibet habitis in noſtram recepimus protectionem & tutelam ſpecialem, viceque & in perſona noſtræ Maieſtatis, veſtræ commiſimus tuitioni.

Ideo mandamus fidelitati veſtræ harum ſerie firmiter, quatenus amodo in poſterum præfatos Fratres, Monaſterium, poſſeſſiones, & Iobagiones, ac bona eorum contra quoslibet illegitimos impetitores, & ſignanter contra hæreticos, ac ubi opus erit, etiam contra veſtros & vobis adhærentes protegere & manutenere debeatis, noſtra in perſona & auctoritate, vobis præſentibus in hac parte attributa, & iuſtitia mediante. Volumus præterea, vt vos quoque ipſis Fratribus & ſibi adhærentibus in nullo noceatis; Sed potiùs auxilio adeſſe ſtudeatis, tum Dei, cui ipſi famulantur, tum noſtri intuitu, ſecus non facturi, præſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum in *Olomutz* in feſto B. Ægidij Abbatis anno Domini MCCCCLXVIII. regn. noſtr. anno XI. Coronationis V.

9.

Idem Rex eiusdem Cartuſiæ bona omnia, iura & privilegia confirmat.

Inſert. MAthias Dei gratiâ Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Moraviæ Marchio, Luxemburgenſis, & Sileſiæ Dux, Luſatiæ Marchio. Notum facimus tenore præſentium vniverſis quòd inter omnes Sanctarum Religionum ordines devotio regularis Fratrum Cartuſienſium nobis veneranda eſt; quæ finis & perfectio cunctarum exiſtit, & ad quam ſinguli, qui in ſanctis regulis profecerunt, pro poſſibilitate viatoris perficiuntur: Cui etiam, quidquid gratiæ impenſum fuerit, ſingulis aliorum Ordinum ſtatibus impartitum videtur. Non immeritò igitur & protectionis noſtræ & conſervationis clementiâ Ordinem illum regijs favoribus proſequimur, ùt debemus.

Sanè pro parte Honorabilis Prioris & totius Conventus Monaſterij Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & Beati Hieronymi Doctoris eximij, Domus *Vallis Ioſaphat* ordinis Cartuſienſis, *Olomucenſis* Diœceſis, devotorum noſtrorum dilectorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ipſis omnes & ſingulas gratias, ab Illuſtribus Marchionibus *Moraviæ*, prædeceſſoribus noſtris, donatas & conceſſas innovare, approbare & confirmare dignaremur, & præſertim litteras erectionis, fundationis & dotationis Illuſtris *Iodoci* Marchionis *Moraviæ*, prædeceſſoris noſtri. Quarum tenor ſequitur in hac forma.

NOTA.

Inſeruntur hic duo præfati Iodoci Marchionis privilegia; vnum anni MCCCCVI. alterum annì MCCCLXXXVIII. iam ſuperiùs adducta. Quibus ſubiungit Mathias Rex:

Nos precibus eorum libenter annuentes, vt & illorum nobis proſit devotio, & regnum felicibus proficiat incrementis, non per errorem aut improvidè, ſed animo deliberato, ſano procerum & fidelium noſtrorum accedente conſilio & conſenſu, de certa noſtra ſcientia, auctoritate regia & Marchionali Moraviæ, præfatas D. *Iodoci* litteras in omnibus punctis, articulis, clauſulis & ſententijs, ùt ſuperiùs ponuntur, vnáque omnes & ſingulas alias gratias, privilegia, litteras, libertates, & donationes, ipſi Monaſterio à prædeceſſoribus noſtris vel ab alijs Chriſti fidelibus datas, donatas & conceſſas innovamus, approbamus & confirmamus: decernentes & volentes omnia & ſingula in eis contenta perpetuæ firmitatis robur habere & obtinere.

Omnes etiam proſcriptiones poſſeſſionum, villarum, aut aliorum dicti Monaſterij bonorum, quibuscunque nominibus cenſeantur, per quondam *Boëmiæ* Regem *Georgium* excommunicatum & depoſitum poſt ſuam depoſitionem quomodolibet & quibuscunque perſonis factas, præfata noſtra auctoritate, per præſentes caſſamus, annihilamus, annullamus, & perpetuò nullius omnino vigoris eſſe volumus: Volentes nihilominus, & expreſsè noſtro regio ſtatuentes edicto, ut bona ipſius Monaſterij nullus deinceps Succeſſorum noſtrorum, Regum *Bohemiæ*

Digitized by Google

aut Marchionum *Moraviæ*, proſcribere aut quovis modo abalienare valeat. Quod ſi factum fuerit, quod abſit, ex tunc tales proſcriptiones vel alienationes ipſo facto irritæ ſint, & omnino ſupervacuæ & inutiles.

Nulli ergo liceat hanc paginam noſtrarum confirmationis, ratificationis, Decreti & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem huius temerarius violator inventus fuerit, indignationem noſtram graviſſimam, & pœnam pro arbitrio noſtro regio luendam, ſe noverit incurſurum. In quorum fidem has noſtras litteras fieri, & Sigilli noſtri iuſſimus appenſione communiri. Datum *Brunæ* XIV. menſis Aprilis die, anno Chriſti MCCCCLXXV. Regnorum noſtrorum anno Hungariæ XVIII. Boëmiæ verò VI.

10.

Idem Rex eidem Cartuſiæ XXX. marcas annui cenſus in oppido Eyvvanitz donat.

Ibid. MAthias Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Marchio Moraviæ &c. Significamus tenore præſentium vniverſis. Cùm pro parte Devotorum noſtrorum, Prioris ac Fratrum Ordinis Cartuſienſis prope *Olomutz*, noſtræ humiliter fuit ſupplicatum Maieſtati, quatenus ipſis Fratribus ac Conventui triginta Marcas annui Cenſus in oppido *Eyvvanitz*, ad Cameram noſtram Marchionalem ſpectantis, ex ſolita noſtræ Maieſtatis benignitate ac Omnipotentis Dei intuitu dare & donare gratioſè dignaremur: Nos conſiderato dictorum Fratrum devotionis fervore, ac etiam devaſtatione & deſtructione bonorum eiusdem Monaſterij modernis temporibus guerrarum penſatis, volentes in hoc noſtræ noſtrorumque prædeceſſorum ac poſterorum animarum ſaluti providere, petitionibus dictorum Prioris ac Fratrum, vtpote rationabilibus, annuentes, de certa noſtra ſcientia, auctoritate regia & marchionali Moraviæ, ipſis Fratribus ac Conventui prætactas triginta Marcas monetæ vſualis ad Cameram noſtram Marchionalem, ſicut præmittitur, ſpectantes (quas etiam a plurimis annis ab illis, quorum interfuit donatas habentes poſſederunt) damus, donamus & proſcribimus per præſentes, decernentes ac expreſsè volentes, vt Prior ac Fratres Cartuſienſes præfati easdem triginta Marcas habeant, teneant, poſſideant, ac ipſis ad libitum ſuum & beneplacitum ſecurè liberéque perfruantur. Eas etiam triginta Marcas, ac ius ſuum in ipſis priùs habitum, nunc quoque ſibi per noſtram de novo Maieſtatem collatum vendere, alienare, proſcribere, impignorare cuicunque alteri poſſint & valeant, tamdiu, donec per Nos aut Succeſſores noſtros, Reges Bohemiæ & Marchiones Moraviæ per quadringentas Marcas groſſorum monetæ Pragenſis, Moravici numeri & pagamenti per ſingulis Marcis ſexaginta quatuor groſſos computando, dictis Priori & Fratribus perſolvendas, redemptæ non fuerint.

Vniverſis igitur Capitaneis, Camerarijs, Succammeratijs, alijsque officialibus, item Baronibus, Militibus, Militaribus, cæterisque cuiusvis ſtatus aut conditionis hominibus per Marchionatum noſtrum vbilibet conſtitutis, præſentibus & futuris, diſtrictè præcipiendo mandamus per præſentes, quatenus prænominatos Priorem, Fratres, & Conventum in dictarum triginta Marcarum poſſeſſione, perceptione & exactione non impediant, moleſtent, aut quovis modo perturbent, gratiæ noſtræ regiæ ſub obtentu: Mandantes nihilominùs Oppidanis prætacti Oppidi *Eyvvanitz* præſentibus & futuris vniverſis, vt ipſas triginta Marcas ſingulis annis Priori & Fratribus ſæpe fatis omnino & ex integro dent & perſolvant. Quod ſi facere contempſerint, aut quovis modo neglexerint, ex tunc fidelibus noſtris, Magiſtro Civium, Iudici ac Scabinis Civitatis noſtræ *Olomucenſis*, præſentibus & futuris, firmiter iniungimus, mandamusque per præſentes (quibus in hac parte plenam omnimodè concedimus, facultatem) ut ipſos Oppidanos de *Eyvvanitz* ad prætactarum triginta marcarum ſolutionem actualem coërceant & compellant totiens, quotiens per ſæpedictos Priorem & Fratres fuerint requiſiti, harum, quas ſigilli noſtri appenſione roborari iuſſimus, vigore & teſtimonio litterarum. Datum *Brunæ* feria ſexta in die SS. Tiburtij & Valeriani Martyrum anno Nativitatis Dominicæ MCCCCLXXV. Regnorum noſtrorum, Hungariæ XVIII. Boëmiæ verò VI.

11. *Wla-*

II.

Wladislaus Hungariæ & Bohemiæ Rex eidem loco confirmat omnia privilegia, eaque novis adauget.

1512. WLadislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex, Marchio Moraviæ, Dux Sleſiæ & Lucemburgenſis, ac Marchio Luſatiæ &c. ad perpetuam rei memoriam.

Notum facimus tenore præſentium vniverſis & ſingulis, ad quos præſentes litteræ noſtræ pervenerint, quòd, cùm ex iniuncti regij noſtri culminis officio & debito, Orthodoxæ ſanctæ religioni Chriſtianæ amplificandæ inprimis ſtudere teneamur, ipſiusque profectibus & incrementis pro virili noſtro intendere, apud ea loca potiſſimùm, vbi ferventiori devotionis ardore perſonæ Deo dicatæ divinis laudibus invigilant, & pro noſtro ſubditarumque nobis gentium reatu expiando precibus ipſorum irati Numinis vindictam atque vltionem compescunt: proinde, cùm Sanctiſſimus Ordo Carthuſienſium & vitæ auſteritate, ieiuniorum maceratione, ſedulitate orationum, & linguæ cuſtodia, omnes religiones facilè in Eccleſia Dei excellat, atque boni odoris exemplis in Chriſti fidelium ſalutem quotidie magis atq; magis exuberet; quieti perſonarum in eo Ordine Deo militantium, prout meritò debemus, providere cupientes, quo ſeduliùs divinis laudibus vacent, ad humilem Religioſi *Georgij* Prioris totiusque Conventus Monaſterij ipſorum in *Olomutz* nobis exhibitam ſupplicationem, omnia & ſingula privilegia, iura, libertates, immunitates, exemptiones, donationes, ipſis olim à prædeceſſoribus noſtris felicis memoriæ Bohemiæ Regibus, ac Marchionibus Moraviæ conceſſas confirmare, ratificare, approbare, ac de novo dare atque conferre deliberavimus; quemadmodum ea auctoritate noſtra regia ex poteſtatis plenitudine & certa ſcientia, ſanoque procerum noſtrorum accedente conſilio, in omnibus clauſulis, articulis & punctis, confirmamus, ratificamus, approbamus, ac de novo damus atque conferimus, ſignantérque litteras *Iodoci* Marchionis per Sereniſſimum Principem *Matthiam* Hungariæ quondam & Bohemiæ Regem & prædeceſſorem noſtrum præmemoratis Fratribus confirmatas; & alias quascunque, quas temporis ſucceſſu ſuper quibuscunque bonis, vel hæreditarijs, vel ſub reemptionis titulo obtinuerunt; quarum quidem omnium tenores habere volumus pro expreſſis.

Inſuper, ut præmemoratis Fratribus aliquid etiam peculiaris gratiæ largiamur, quo liberalitatem noſtram & clementiam vberiorem erga ſe experiantur, concedimus his atque permittimus, vt amodo & deinceps futuris perpetuisque temporibus absque civium noſtrorum *Olomucenſium* vlla contradictione & impedimento vina ipſorum in ſuburbio *Olomucenſi* ſex Canonicis vel Vicarijs Cathedralis Eccleſiæ *Olomucenſis* propinare pro pecunijs ipſorum libertatem & facultatem omnimodam habeant; & ſi qui alij infirmi & corpore gravati ex præmemoratæ Eccleſiæ Clericis pro uſu ipſorum id etiam expoſcerent, ut ea etiam libertate fruantur.

Quapropter vniverſis & ſingulis Baronibus, Militibus, Nobilibus, Vaſallis, Ancianis, Præfectis, Iudicibus, Civitatum oppidorumque Communitatibus, cæterisque Officialibus quibuscunque Marchionatus *Moraviæ*, præſentibus & futuris, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus præmemoratum Monaſterium Carthuſienſium in ſuis privilegijs, Iuribus, gratijs & libertatibus ſic, ùt præmiſſum eſt, non impediant, neque ſubditos ipſius moleſtare aut perturbare præſumant, ſeu quovis modo moleſtari aut perturbari permittant. Speramus enim nos inde Dei optimi maximi præſidio ob cultum, qui illic Divinæ Maieſtati impenditur, regna noſtra feliciter dirigi, Domuique noſtræ regiæ ac proli, quam divina gratia ſuſcepimus, felicia incrementa præſtari. In quorum quidem omnium fidem firmitatemque perpetuam præſentes litteras fieri, ſigillique noſtri maioris, quò tanquam Hungariæ & Bohemiæ Rex vtimur, appenſione iuſſimus communiri.

Datum *Budæ* die S. Cordulæ Virg. anno Domini 1507. regn. noſtr. Hungariæ XVIII. Bohemiæ verò XXXVII.

12.

Idem Rex eandem Cartusiam ab omni tributo penitus immunem pronuntiat &c.

Indid.
** Hoc Diploma ex Bohemico in Germanicum translatum est.*

WIr Wladislaus von Gottes Gnaden Vngerischer, Böhmischer, Dalmatischer, Croatischer König ꝛc. Margraff in Mähren ꝛc. Urkunden mit diesem brieff fur ieden männiglichen; das wir seynd gebetten von den wurdigen, andächtigen, unsern lieben getrewen Brüdern, Brunone Priorn und gantzem Convent Carthuser Ordens in der Furburg zu Olomutz: das wir auff ihre armuth und unvermögen sehen wollen, und das wir sie auff zukunfftige Zeithen von Stewrn und allen andern gebungen und hülffe (es sein dieselbe, wie sie möchten genant werden) befreyen wollen.

Weilen wir dan sehen ihre armuth, und auch das sie auff das bawen viell anwenden mussen, haben wir ein mitleiden mit ihnen, das sie mit demselben nicht vberleget werden, und GOtt dem allmächtigen eiffriger dienen, lob und ehr fur die getreiwe Christenheit geben und betten. Derowegen aus unserm gutten wohlbedachtem wissen und Königlicher Macht in Böhmen, als wie Marggraff in Mähren, befreyen wir obgeschriebene Bruder / Brunonem und das Convent gedachtes Carthuser Klosters, ietzige und zukunfftige, von allen und jeden gebereyen, Stewren, oder hilffe, wie es dieselben möchten genent werden: welche sie uns oder unsern Nachkomenden Königen in Böhmen oder Marggraffen in Mähren, ietzigen und zukunfftigen, aus was Furley Ursachen gegeben werden: Mit diesem brieff kräfftiglich befreyen wir und machen frey ledig, das die obgeschriebene Carthuser, ietzige und zukunfftige, von den gaben / Stewrn, und andern hulffe, uns und unsere, Nachkommenen Königen in Böhmen und Marggraffen in Mähren, noch keinem andern, wie es immer möchte erdenckt werden, nichts geben und zu geben nicht schuldig sein sollen ietzo und zu ewigen Zeiten; und dieses ohn unserer und zukunfftigen Königen in Böhmen und Marggraffen in Mähren, und aller andern leuthen eintziger Wiedertwertigkeit und Verhindernussen.

Und wollen wir auch, bestättigen, und gebieten durch diesen brieff, das obbemelte Carthuser solche Stewr oder anderley hilffe, die da uns oder unsern Nachkomenen Königen in Böhmen und Marggraffen in Mähren, zugehörig nicht gegeben worden von dem Marggrafthumb Mähren, wie es immer mehr möchte ausgelegt oder genent werden: das sie die obgeschriebene Carthuser dasselbig alles von ihren leuten an statt unser abforderen und einnehmen ohn eintzige verhindernuß, und solchs zum baw des Klosters anwenden, oder andere Notturfften, wie es ihnen am besten beliebet, macht haben sollen; und in diesem soll sich kainer ihnen einlegen. Derowegen gebieten wir allen unsern beambten und underthanen des Marggrafthumb Mähren, welcher wurden oder stands die seint, und zumahlen den einnehmeren, die darzu verordnet sint, ietzigen und zukunfftigen, Vnsern lieben und getrewen, das ihr die offtbeschriebene Bruder Carteuser Klosters in der Furburg zu Olomutz, ietzige und nachkomente, bey dieser begnadung und Freyheit lassen und unverbrechlig halten, und keine verhindernus, ihnen thun sollet, noch andere zu thuen gestatten bey Vermeidung unsers Zorns und vngnadt, und vnsern Nachkomenden Königen in Böhmen und Marggraffen in Mähren.

Dessen zu Urkundt haben Wir unser Königliches Pettschafft zu diesem brieff anhencken lassen. Geben Budä am tag SS. Simonis & Judæ der Apostolen anno 1514. unsers Königreichs in Vngarn 25. und Böhmischen im 44. Jar.

13.

Ludovicus Rex Hungariæ & Bohemiæ eandem Cartusiam in suam singularem protectionem suscipit, ac novis privilegijs ornat.

LUdovicus Dei gratia Rex Vngariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, &c. Marchio Moraviæ &c. fidelibus nostris *Indid.*

nostris, Reverendo in Christo Patri, Domino *Stanislao* Episcopo Ecclesiæ *Olomucensis*, ac generoso Domino *Archleb* Capitaneo prædicti Marchionatus nostri Moraviæ, modernis & futuris, salutem & gratiam.

Quoniam Nos ex desiderio, quo in regnis & provincijs nostris Christianæ religionis incrementum & Religiosorum tranquillitatem cupimus, ob id potissimum Fratrem *Paulum* Priorem & Conventum Monasterij *Vallis Iosaphat* Ordinis Cartusiensis propè hanc Ciuitatem nostram *Olomucensem* simul cum omnibus eorum bonis temporarijs, privilegijs, libertatibus, indultis, & exemptionibus, eidem Monasterio & Fratribus hucusque à Sereniſſimis Prædecessoribus nostris Hungariæ & *Boëmiæ* Regibus Marchionibúsque *Moraviæ* concessis & donatis, in nostram Regiam protectionem & tutelam recepimus, recipimusque per præsentes.

Volentes igitur, Eos Successorésque eorum ab his & similibus iniurijs & varijs impedimentis, quibus hactenus à nonnullis violentis hominibus impunè sese affectos conqueruntur, deinceps sub nostra protectione tutos fore, quò liberiùs Divinis vacare queant: Vice & in persona nostra Vobis & vnicuique vestrûm commendamus protegentes eos & manutenentes. Quapropter fidelitati vestræ mandamus firmiter, quatenus ammodo, deinceps, semper, præfatos Fratres & eorum Successores Cartusienses in eorum Monasterio & prædictis omnibus & singulis privilegijs, libertatibus, immunitatibus, & bonis temporarijs quibuslibet, contra omnes & quosvis impetitores impugnatoresque singulariter protegere & manutenere in persona & auctoritate nostra regia, Vobis in hac parte plenariè concessa, debeatis, & maximè providere, ut ipsi Fratres à braxatione cervisiarum, quam hactenus in villa sua hæreditaria *Dolani* braxare soliti sunt, pro victus sui vtilitate & Monasterij necessitate, nullo pacto per providos & circumspectos fideles nostros dilectos, Magistrum Civium & Iuratos Civitatis nostræ *Olomucensis*, quovis etiam modo, perturbentur dicti Fratres, quos Nos, ùt præmittitur, in tuitionem & protectionem nostram suscepimus.

Mandamus præterea, ac auctoritate nostra regia præcipimus, etiam sub indignatione & amissione gratiæ nostræ, ut supradicti Fratres Cartusienses tam in dicta cervisia, quàm etiam in inductione vini ex vineis & cultura eorum; aut si vinum, ùt sæpe fit, in vineis ipsorum periret, alibi emere contingeret, & inducere voluerint, nec non ab emendis in foro rebus quibuscunque necessarijs, per neminem arceantur, neque molestentur, aut in aliquo contra ius & iustitiam impediantur.

Præterea volumus, quatenus præfatus Reverendus in Christo Pater, & Generosus Dominus Capitaneus *Archleb*, moderni & futuri, audiant & concordent Fratres iam nominatos Cartusienses, & Venerabiles Patres, Dominum Præpositum cum suo Conventu Monasterij Canonicorum Regularium ad omnes Sanctos de antiquis eorum & futuris discordijs.

Datum in dicta nostra Civitate *Olomucensi* Dominica Quasi modo geniti anno Domini MDXXIII. Regnorum nostrorum Vngariæ & Boëmiæ anno octavo.

LUDOVICUS Rex manu propria.

14.

Ferdinandus Bohemiæ Rex omnia Cartusiæ eiusdem iura, Privilegia & immunitates firma & rata habet.

NOs *Ferdinandus* Dei gratia Bohemiæ, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Infans Hispaniæ, Archidux Austriæ, Marchio Moraviæ, Lucemburgensis & Silesiæ Dux, ac Marchio Lusatiæ &c. ad perpetuam rei memoriam. *Inédit.*

Notum facimus tenore præsentium vniversis & singulis, quòd accedens præsentiam nostram Venerabilis *Paulus* Prior ordinis Cartusiensis in suburbio *Olomucensi*, devotus, fidelis, Nobis dilectus, nomine suo ac totius illius Conventus Nobis humiliter supplicavit, quatenus omnia & singula privilegia ipsis olim per felicis memoriæ Reges *Bohemiæ* & Marchiones *Moraviæ*, prædecessores nostros concessa, gratiosè confirmare dignaremur. Nos itaque supplicibus præmemorati Prioris totiusque præfati Conventus Cartusiensis precibus permoti, ipsis

ſis gratioſè annuere, omniaque privilegia, immunitates, gratias, libertates, iuraque ac conſuetudines, ipſis olim ac ſubditis eorum per præmemoratos Reges ac Marchiones *Moraviæ* quomodolibet conceſſas confirmare, approbare & ratificare voluimus, quemadmodum ea de certa ſcientia, tanquam Rex *Boemiæ*, & Marchio *Moraviæ*, ſano ad hoc procerum noſtrorum deſuper accedente conſilio, confirmamus, approbamus, ac ratificamus per præſentes; Signanterque litteras & privilegia Sereniſſimorum Principum & Dominorum, *Georgij*, *Wladiſlai*, *Ludovici*, *Iodoci*, Regum ac Marchionum Moraviæ, prædeceſſorum noſtrorum, quarum tenores, ſic, uti hic de verbo ad verbum inſerti eſſent, habere cupimus pro expreſſis; Decernentes, ac præſenti noſtro regio, tanquam Marchio *Moraviæ*, edicto firmiſſimo conſtituentes, ut prænominatus Prior cum Conventu ipſius, amodo & deinceps futuris perpetuis temporibus, omnibus iuribus, privilegijs, gratijs, immunitatibus, conſuetudinibus, ipſis (ſic ùt præmiſſum eſt) per prædeceſſores noſtros conceſſis, in omnibus & per omnia abſque omni impedimento fruantur, utantur & gaudeant.

Vobis, ſupremo Capitaneo, cæteriſque Officialibus ac Czutarijs, Civibus præſertim *Olomucenſibus*, ac omnibus alijs præfati Marchionatus *Moraviæ* Incolis, ſubditis, fidelibus nobis dilectis mandamus, quatenus iam dictum Priorem & Conventum in privilegijs, libertatibus, & immunitatibus eorum ſic, ſicut præmiſſum eſt, per nos confirmatis manuteneatis, defendatis, atque protegatis; nullumque his impedimentum inferatis, ſeu quovis modo inferri permittatis, ita, prout contrafacientes indignationem noſtram regiam volunt & cupiunt evitare. In quorum quidem omnium fidem & teſtimonium præſentes litteras fieri, ſigillique noſtri appenſione muniri præcepimus.

Datum *Olomutz* die Mercurij poſt feſtum Paſchæ, hoc eſt, XXIV. menſis Aprilis anno Domini MDXXVII. Regnorum autem noſtrorum Boëmiæ & Vngariæ primo.

FERDINANDUS Rex manu propria.

CVII.

Ritus benedicendi & coronandi Reges Hungariæ, qui obtinuit, dum Albertus V. Dux Auſtriæ in Regem Hungariæ coronaretur.

1438. *Ex Cod. Mellic. R. 30.*

DUm aliquis Rex benedicendus & coronandus eſt, omnes Epiſcopi regni conveniunt ad civitatem Metropolitanam vel regiam, in qua hoc fieri conſuevit, Ipſe verò Rex benedicendus & coronandus triduanum devotè peragat ieiunium. Die autem Dominica, qua benedicendus & coronandus eſt, omnes Epiſcopi conveniant manè in eccleſia, in qua debet hoc fieri. Et Metropolitanus paret ſe ſolemniter cum miniſtris ſicut Miſſam celebraturus. Epiſcopi verò parent ſe amicti ſuperpellicijs vel albis, ſi velint, ſtolis, pluvialibus & mitris. Ipſe verò totus ablutus corpore debet eſſe & mundus mente. Tunc duo ex Epiſcopis videlicet eum hinc inde deducendo offerunt Metropolitano, coram altari ſuper faldiſtorium præſidente, alijs Epiſcopis coronam ſeu circulum facientibus, & coronando in medio illorum conſtituto. Tunc alter deducentium dicit alta voce in modum lectionis:

Reverende Pater, poſtulat ſacra mater Eccleſia, ut præſentem egregium militem ad dignitatem regiam ſublevetis.

Tunc interrogat Metropolitanus: *Scitis illum eſſe dignum & utilem ad hanc dignitatem?*

Illi verò reſpondent: *Et novimus & credimus eum eſſe dignum & utilem Eccleſiæ Dei, & ad regimen huius regni.*

Et reſpondent omnes: *Deo gratias.*

Et mox inſtruitur ille publicè, & diligenter admonetur de fide & dilectione Dei & de ſalubri regni & populi regimine, de defenſione perſonarum & miſerabilium perſonarum & ſimilibus, explicando ſibi inſuper conditionem dignitatis ſuæ & regalis ſtatus. Quo facto hanc publicè faciat profeſſionem:

Ego Albertus *profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius, deinceps legem & iuſtitiam & pacem ſanctæ Dei Eccleſiæ, populorum mihi ſubiectorum pro poſſe & noſſe facere & conſervare, ſalvo condigno miſericordiæ Dei reſpectu,*

spectu, sicut cum consilio fidelium meorum melius potero invenire: Pontificibus quoque ecclesiarum Dei condignum & Canonicum honorem exhibere, atque ea, quæ ab Imperatoribus & regibus ecclesijs collata & reddita sunt, inviolabiliter conservare, ab omnibus Comitibus & vasallis meis congruum honorem secundum consilium fidelium meorum præstare. Et hæc omnia super hæc sacrosancta Dei Evangelia tacta me veraciter observare iuro.

His expletis, eo se profundè inclinante, benedicitur cum oratione, quæ sequitur:

ORATIO BENEDICTIONIS.

OMnipotens, sempiterne Deus, creator omnium, Imperator Angelorum, Rex regum, Dominus Dominantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi & Josuæ, populo tuo prælatis, multiplicem victoriam tribuisti, humilemque David puerum tuum regni fastigio sublimâsti, & Salomonem sapientiæ pacisque ineffabili munere ditâsti: respice, quæso, ad preces humilitatis nostræ, & super hunc famulum tuum Albertum, *quem supplici devotione Magistrum Christianitatis in tuo munere veneramur, & in regem eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eumque dextera potentiæ tuæ semper, hic & ubique circumda, quatenus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moysi mansuetudine fretus, David humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus complaceat, & per tramitem iustitiæ inoffenso gressu semper incedat, tuæque protectionis galea munitus, & scuto insuperabili iugiter protectus, armisque cælestibus circumdatus, optabilem de hostibus crucis Christi victoriam fideliter obtineat, & triumphum feliciter capiat, terroremque suæ potentiæ illis inferat, & pacem tibi militantibus lætanter reportet, per Christum Dominum nostrum, qui virtute crucis Tartara destruxit, regnóque Diaboli superato ad cælos victor ascendit, in quo potestas omnis, regnique consistit victoria, qui est gloria omnium humilium, & vita salus. que. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum amen.*

Post hæc rege coram altari ad terram prostrato & Metropolitano & Episcopis super Faldistoria cum mitris accumbentibus, Cantores incipiunt Letaniam. Cumque dixerint: *ut obsequium servitutis nostræ rationabile facias*, tunc Metropolitanus se erigens producto super illo signo crucis dicit: *Vt hunc electum, in regem coronandum, benedicere ✠ digneris*, Te Albertum, secundò dicat: *benedicere ✠ & consecrare ✠ digneris*, Te Albertum. Idemque dicant & faciant Episcopi. Et a choro responso redit ad accubitum, Cantoribus resumentibus & prosequentibus Letaniam. Qua finita Metropolitanus surgens, illo & Episcopis prostratis manentibus annunciat:

Pater noster.
℣. *Et ne nos.*
℣. *Salvum fac servum tuum.*
℟. *Deus meus sperantem in te.*
℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

ORemus.

PRætende, quæsumus, Domine, huic famulo tuo dexteram cælestis auxilij, ut te toto corde perquirat, & quæ dignè postulat, assequi mereatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum amen.

ALIA ORATIO.

ACtiones, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adiuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio a te semper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.

Respondetur: *Amen.*

Hic

Digitized by Google

Hìc inungitur.

Poſt hoc Metropolitanus inungit eum in modum crucis cum oleo exorcizato, dextrum illius brachium, & inter ſcapulas, dicens ungendo orationem.

ORATIO.

DEus, Dei Filius, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui a Patre oleo exultationis unctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacræ unctionis infuſionem Spiritus Paracliti ſuper benedictionem infundat, eandemque uſque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc viſibili & tractabili dono inviſibilia percipere, & temporali regno, iuſtis moderationibus executo, æternaliter conregnare ei mereatur, qui ſolus ſine peccato rex regum vivit & gloriatur cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum.

℟. *Amen.*

Quo facto ſchola inchoat & proſequitur Introitum Miſſæ. Tunc rex vel in ſacriſtia vel ſub papilione, ad hoc parato, induitur regalibus veſtimentis. Induit etiam ſuper veſtes convenientes lineam ſeu amplam camiſiam ad ſimilitudinem albæ, amphibalem novam, mundam & candidam. Et eſt amphibalis ſiloſa veſtis. Ac deſuper induit marinam purpuram, auro & gemmis decoratam.

Paratus itaque rex & ornatus procedit cum ſuis Prælatis & Baronibus ad ſolium ſuum eminens ornatum, ſibi in Eccleſia præparatum. Et dicta collecta diei competenti, dicit hanc Orationem pro ipſo rege:

ORATIO.

DEus regnorum omnium, & Chriſtiani maximè protector imperij, da ſervo tuo regi noſtro triumphum virtutis tuæ ſcienter excolere, ut, qui tua conſtitutione eſt princeps effectus, tuo ſemper munere ſit potens. Per Dominum noſtrum.

Deinde Graduali & Alleluia cantatis, Rege coram Altari producto, Metropolitanus dat gladium evaginatum, de altari ſumptum. In traditione autem gladij curam potiùs regni tradere ſibi intelligens, & tradendo dicit Orationem:

ORATIO.

ACcipe gladium de ſuper beati Petri corpus ſumptum, per noſtras manus, licèt indignas, vice tamen & auctoritate Sanctorum Apoſtolorum conſecratas, regaliter tibi conceſſum, noſtræque benedictionis ✠ officio in defenſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ Divinitus ordinatum ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: & memor eſto eius, de quo Pſalmiſta prophetavit dicens: accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, *ut in hoc per eundem vim æquitatis exerceas, molem iniquitatis potenter deſtruas, & ſanctam Dei Eccleſiam, eiuſque fideles propugnes & protegas, nec minas falſas ſub fide, quam Chriſtiani nominis hoſtes expugnant, extimeas, ſed diſperdas, viduas ac pupillos clementer adiuves ac defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata conſerves, ulciſcaris iniuſta, confirmes benè diſpoſita, quatenus in hoc agendo virtute triumphorum glorioſus, iuſtitiæque cultor egregius, cum Mundi Salvatore, cuius cùm pugnaveris in nomine, ſine fine regnare merearis. Qui cum Deo Patre in unitate S. Spiritus vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum.*

Deinde corona ſibi imponatur hoc modo. Omnes enim Epiſcopi, qui aſſunt, manibus ſuis eam de altari ſic per Metropolitanum ſumptam, tenent, ipſo Metropolitano illam regente, & capiti illius imponente, dicendo: *accipe coronam regni, quæ licèt ab indignis Epiſcoporum manibus, capiti tuo imponitur in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus Sancti ✠, quam ſanctitatis gloriam & honorem & opus fortitudinis intelligas ſignare, & per hoc participem miniſterij noſtri non ignores, itaut, ſicut nos in interioribus paſtores rectoréſque animarum intelligimur, ita tu contra omnes adverſitates Eccleſiæ Chriſti defenſor aſſiſtas, regnique tibi a Deo dati per officium noſtræ benedictionis in vice Apoſtolorum, omniumque Sanctorum, regimini tuo commiſſi utilis executor, regnatorque perſpicuus ſemper appareas, ut inter glorioſos athletas virtutum gemmis ornatus, & premijs ſempiternæ felicitatis*

citatis coronatus cum Redemptore ac Salvatore nostro Iesu Christo, cuius nomen, vicemque gestare crederis, sine fine gloricris. Qui vivit & imperat Deus cum Deo Patre in unitate Sancti Spiritus in secula seculorum amen.

Postea dat ei ibidem sceptrum, dicens super eum, genua flectentem: *Accipe virgam virtutis atque veritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios & terrere reprobos: errantibus viam docere, lapsis manum porrigere: disperdere superbos & relevare humiles, ut aperiat tibi ostium Iesus Christus Dominus noster, qui de semetipso ait:* Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, *qui est clavis David & sceptrum domus Israël, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Sitque tibi auctor, qui educit vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris & umbra mortis: Et in omnibus sequi merearis eum, de quo David Propheta cecinit dicens:* Sedes tua Deus in seculum seculi, virga æquitatis virga regni tui. *Et imitando ipsum diligas iustitiam, & odio habeas iniquitatem. Quia propterea unxit te Deus, Deus tuus ad exemplum illius, quem ante secula unxerat oleo exultationis præ participibus suis, Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo vivit & regnat per omnia secula seculorum amen.*

Post hoc Metropolitanus & omnes Episcopi deducunt illum ad solium sive thalamum, inthronizantes sive ponentes eum ibi, & dicentes: *Sta & retine animo locum a Deo tibi delegatum, per auctoritatem Dei omnipotentis, & per præsentem traditionem omnium suorum Christianorum, cæterorumque Dei servorum, & quanto Clerum Sacris altaribus propinquiorem prospicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus Mediator Dei & hominum te mediatorem Cleri & plebis in hoc regni solio confirmet, & in regno æterno secum regnare faciat Iesus Christus Dominus noster, Rex regum, Dominus dominantium, qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in secula seculorum amen.*

Deinde Metropolitanus inchoat Schola prosequente: *Te Deum laudamus.* Quo finito dicit super eum:

℣. *Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua.*

℟. *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

DEus, qui victrices Moysi manus in oratione firmâsti, qui, quamvis ætate lacesceret, infatigabili tamen sanctitate pugnabat, ut, dum Amalech iniquus vincitur, dum profanus nationum populus subiugatur, exterminatis alienigenis hæreditati tuæ possessio copiosè serviret, opus manuum nostrarum pia maternæ orationis exauditione conserva. Habemus & nos apud te, Sancte Pater, Dominum Salvatorem, qui pro nobis manus suas tetendit in cruce, per quem etiam precamur, Altissime, ut eius potens suffragium universorum hostium frangatur impietas, populusque tuus cessante fortitudine, te solum timere condiscat. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit & regnat &c.

℟. *Amen.*

ALIA BENEDICTIO.

DEus, inenarrabilis auctor Mundi, conditor generis humani, gubernator imperij, gubernator regni, qui ex utero fidelis amici tui, Patriarchæ Abrahæ præelegisti Regem seculi profuturum, & præsentem insignem regem cum exercitu suo per intercessionem omnium Sanctorum uberi benedictione locupleta, & in solium regni firma stabilitate connecte. Visita eum per interventum omnium Sanctorum, sicut visitâsti Moysen in rubo, Iosue in castris, Gedeonem in prælijs, Samuelem in templis, & illa eum promissione & syderea benedictione, ac sapientiæ tuæ ratione perfunde, quam beatus David in Psalmo, Salomon filius eius te remunerante recepit è cælo. Sit ei contra acies inimicorum lorica, in adversis ga-

lea, in proſperis ſapientia, in protectione clypeus ſempiternus: & præſta, ut gentes illius teneant fidem, proceres atque optimates ſui habeant pacem, diligant caritatem, abſtineant ſe a cupiditate, loquantur iuſtitiam & cuſtodiant veritatem: & ita populus ille pullulet coalitus benedictione æternitatis, ut ſemper maneant tripudiantes, animis gaudentes, & in pace victores. Per Dominum noſtrum &c.

Omnibus igitur expeditis, eo in ſolio cum regalibus inſignijs & regni Magnatibus, Eccleſiaſticis & mundanis reſidentibus legitur Evangelium. Et dicto offertorio vadit ad offerendum. Tunc ſequitur Oratio è Secretis:

SECRETA.

SUſcipe, Domine, preces & hoſtias Eccleſiæ tuæ pro ſalute animæ famuli tui Alberti *ſupplicantis, & in protectione fidelium populorum antiqua brachij tui operare miracula, ut ſuperatis pacis inimicis ſecura tibi ac-ſerviat Chriſtiana libertas. Per Dominum noſtrum &c.*

Poſt communionem Collecta.

COMPLENDA.

DEus, qui ad prædicandum æterni Regni Evangelium Romanum Imperium præparáſti, prætende famulo tuo Alberto *arma cæleſtia, ut pax Eccleſiæ nulla turbetur tempeſtate bellorum. Per Dominum &c.*

Miſſa finita Pontificalem benedictionem reverenter accipiat.

Nota Martini de Senging, Mellicenſis coævi.

Anno Domini 1437. proxima feria quarta ante feſtum B. Thomæ Apoſtoli, illuſtris Princeps, Dominus *Albertus*, Dux Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ &c. Marchio Moraviæ, Comésque Tirolis &c. electus eſt in Regem Hungariæ in oppido *Poſoninenſi* per Epiſcopos & Barones, aliósque incolas regni Hungariæ, qui pro maiori parte ibidem fuerunt, & unanimiter flexis genibus expanſisque manibus orabant una voce dicentes: *Domine, hodie te in regem & Dominum noſtrum ſuſcipimus: Et ſimili modò conthoralem veſtram in reginam & Dominam noſtram.*

Poſtea anno Domini 1438. in die Circumciſionis Domini præfatus electus, & eius conthoralis coronati ſunt in Eccleſia Collegiata *Albæ Regalis*, beatæ Virginis, præſentibus Epiſcopis, Baronibus, Nobilibus ac Comitatibus.

Corona autem regni Hungariæ per Apoſtolicum, nomine *Benedictum de Vetta* eſt ad Hungariam per *Aſtricium*, Epiſcopum *Strigonienſem*, quem S. Stephanus, Rex Hungariæ miſit ad Apoſtolicum pro elenodio vel aliqua dotatione, ex quo terra iam, vel habitantes in ea Chriſtiani eſſent effecti: & præ nimio gaudio, quia terra Poloniæ vel habitantes in ea, eodem tempore in Chriſtianos converſi erant, & legatio Regis Poloniæ priùs fuit Romæ, quàm legatio S. Stephani: iſto non obſtante Apoſtolicus coronam, Regi Poloniæ paratam, miſit S. Stephano Regi Hungariæ, & ipſi Regi Poloniæ fecit aliam fieri, quam ſibi per Legatos ſuos tranſmiſit.

CVIII.

Bartholomæi de Vicecomitibus, Epiſcopi Novarienſis, epiſtola ad Albertum V. Auſtriæ Ducem, quem hortatur, ut oblatum Romani Imperij regimen ne renuat, ſed alacriter ſuſcipiat.

QUid eſt, Rex Sereniſſime, quod imperium renuis? Quid eſt, optime Princeps, quod tantum refugis honorem? Eſtné, quod vulgò dicitur, verum? Abſit hic error. Neque enim vtile, neque tibi honorificum eſſet. Falſum quoque rumorem hunc arbitror. Video namque infinitas penè cauſas, quæ te Chriſtiano Imperio præficiant, & illud acceptare cogant. Omnes etſi tibi exiſtimo notas, earum tamen aliquas in præſentiarum retuliſſe non pœnitebit, & ſi forte dubius ſit amicus, cuius monitu compellor. Illud tibi perſuade primùm, non propter te offerri imperium tibi, ſed propter rem Chriſtianorum publicam. Neque enim Imperium homini, ſed homo Imperio ſervit. 1438. *Ex Cod. Gemnic.*

Congregati ergo Domini Electores, Viri Clariſſimi, de ſalute Imperij cogitan-

tes,

tes, vnum te in toto orbe viderunt, qui poſſes imperium ſublevare, vnaque ſententia vocauerunt. Quid igitur facias, vide: quia non tibi, neque Auſtriæ natus, ſed Reipublicæ. Quæ, ùt eſt maior, tantò nos aſtringit magis. Certum eſt, nos obligatos ſolo, in quo naſcimur, idquè patriam appellamus; pro qua multi clariſſimi viri non dubitaverunt ſe morti tradere & obijcere, ſicut Thebis Meneceus, Athenis Codrus, Romæ Curtius, & alij quamplures, quos hìc prætereo. Certum eſt tamen, quòd plus Orbi, quàm vni urbi ſimus obnoxij. Ideoque Socrates non Athenienſem aut ex alia vrbe oriundum, ſed *Mundanum* ſe dicebat, ut qui ſciebat, omne ipſius ſtudium omnémque cogitatum pro ſalute omnium publica conſumendum; nec eſſe vllam Provinciam, quam toti orbi præferret. Quòd ſi pro patria & pro ſalute Ciuium vitam tenemur exponere, quantò magis pro Imperio & ſalute omnium? Tantique eſt ſalus eunctorum, ut ipſum Dei Filium ex cœleſti regno ad mortem traxerit. Pro hac & Apoſtoli & cæteri Martyres excarnificati obierunt. Hæc autem ideo dico, ut intelligas, quantum imperio quisque teneatur, quòd non ſolùm vnam Ciuitatem aut Provinciam, ſed totum complectitur orbem: ut errare illum minimè dubitem, qui non ſolùm fortunas ſuas, ſed & vitam pro imperio non exponit.

Eapropter ſi es ad imperium accerſitus, debes quidem omni re poſtpoſita ad eius gubernationem te accingere. Neque tetrahere te *Auſtria* debet, aut *Hungaria*, aut *Bohemia*, non denique ipſa Corporis & vitæ tuæ conſervatio. His namque omnibus publica imperij cura eſt anteponenda: peccatque non mediocriter, qui iſta pervertit. Efflagitat te imperium, teque non ſolùm poſcit, ſed obſecrat. Vides etiam, quàm multipliciter ſit laceratum, & quanta indigeat reparatione. At dicis forſitan: ſunt alij, qui me vtiliùs illud regant. Id quidem non admitto. Nam nemo, inter Chriſtianos eſt, qui plus, quàm tu, agri poſſideat, qui potentior ſit, qui magis diligatur, qui prudentiùs agat. Quòd ſi alteri, quàm tibi, committatur imperium, actum profectò de ipſo iudicaverim, téque tanti mali cauſam eſſe, qui, cùm poſſes, ſublevare noluerís. Quod malum taceo, quàm grande ſit; quoniam deficiente imperio, omnia incendio (conflagrabunt) membris invicem ſine capite diſceptantibus.

His rationibus ſatis liquet, Regnum *Hungoriæ* nullo te pacto ab imperio poſſe retrahere, quòd plus capiti quàm membro ulli tenearis. Sed cur Hungari te impediant? An non etiam eorum regno expediat te eſſe imperatorem? Vide, quia ſaluti propriæ reſiſtunt; & conſulendum eſt etiam nolentibus, quando, quod bonum eſt, neſciunt. Habet illud regnum & cum *Venetis* & cùm Teucris litem. Magnus uterque hoſtis eſt, neque potens eſt Hungaria his reſiſtere: ſed adiuvante Imperatore optimè ſe defendet. Multi etiam Regi adverſabuntur, qui non inimicabuntur Imperatori. Quid eſt enim, quod Veneti doluerunt Hungariæ Regem Imperatorem factum? Certè ex hoc licet arguere, quòd, cùm Veneti doleant, Hungari debeant gaudere: & quod illis eſt damno, his vtilitati eſſe debet. Siquidem, ut Juriſconſulti volunt, contrariorum eadem eſt diſciplina. Nec dubitet aliquis, nunc Venetos imperatori minùs oblatraturos quàm antea. Vnde & facilius rueri regnum Imperator quàm Rex poterit, & ampliare audaciùs.

Idem quoque de Teucris exiſtimandum eſt. Quis enim non velit hoſtem ſuum eſſe debiliorem? Et quis neſciat, Regem cum Imperio fieri fortiorem? Quin & imperium regno & regnum imperio ſuſtentatur: plusquoque hoc nomen imperij, ubicunque ſit imperator, regno proderit, quàm ſi Rex in Hungaria præſens maneat. Quanquam Imperatori quis prohibebit perſonaliter in Hungaria commorari, cùm & illa non ſit ſepta imperio ſedes? Quod ſi nollent Hungari propter abſentiam te fieri Imperatorem, ſic nec Bohemorum regnum ſuſcipere oportebat: quia & propter regnum *Bohemiæ* ſæpè te neceſſe abire erit. At ſicut Hungariam Bohemiæ vires iuvare poſſunt, ſic regnum utrumque vires Imperii; & facta duorum regnorum cum imperio coniunctione, incredibile eſt, quantum robur connectatur. Ut manifeſtum ſit, quòd propter imperium nemo audeat hæc duo regna invadere; & propter ipſa regna nemo audeat devaſtare imperium.

Videſne, quanta vtilitas ex hoc reſultat? Quid hìc dices, cur non tàm Hungari quàm alij omnes imperium ſuſcipere ſuadent &c. . . . At tuos Nepotes audi, neceſſariiſque tuis auſculta. Hos

tu imperio magnos facere & ſublimare potes. Quot Ducatus, quot comitatus Marchi onatusque ad imperium devolventur? His ditare tuos poteris Auſtralemque Domum perpetuis ampliare honoribus. Quid ſi tibi virilis naſcatur ſoboles, nunquid plura cum imperio, his relinques? Det tibi Maximus atque Optimus Deus ex conſorte tua præſtantiſſima filium; det, ſicut ſperas, & alios liberos; an ipſi adulti iuſtam querimoniam non habeant, quòd imperare nolueris, regnúmque hoc Romanorum quaſi hæreditarium in familia tua collocare? Licèt enim electione detur, nil tamen prohibet in vna domo Cæſari ſuccedere Cæſarem, & poſt Patrem eligi filium. Nec dubita, plurimùm tibi ad hanc dignitatem Soceri tui nomen valuiſſe, cui cùm duplici regno ſucceſſeris, ne fugias imperio quoque ſubſtitui.

Vnum quoque, oro, conſidera, & apertis attende auribus. Magna eſt fortuna tua, quæ tam parvo tempore ex Ducete Regem fecit, regnumque regno adiecit. Nunc quoque imperium tibi offert. quod etſi tuæ exigant virtutes, vide tamen, ne fortunam contemnas. Indignabunda eſt, honorari vult. Quod ſi quis eam Semel expulerit, nunquam ab ea viſitatur: ſi benignè recipitur, illae larga manu beneficia confert. Suſcipe, quod tibi non à fortuna ſolum, ſed ab ipſo Deo & ab hominibus offertur. Quod ſi repudies, ad ignaviam tibi atque puſillanimitatem aſcribetur. Laborem non quærit, dicent, hic homo: declinat, quem pro Republica libentiſſimè debuit ſuſcepiſſe. Quanquam enim labor eſt alta tractare negotia, habet tamen neſcio quid lenimenti ipſa rerum actio magnarum. quod niſi eſſet, nunquam maximorum Duces exercituum tot labores ſufferre quærerent. Eſt namque per ſe pulchrum atque ſuaue ſentire ac diſponere omnia, eáque cogitatio corpus reddit ſanius & habilius.

Quid igitur hìc reſpondeas, aut quale iudicium de te feras, imperium fugiens? Hoc, quod Veneti & ipſe Rex Poloniæ cuperent, quod puſillanimem hoſtem & debiliorem dicerent ſe habere.

Sunt tamen alia longè grauiora, & quibus nulla ratione valeas reſpondere. Etenim ſi quæ te religionis cura remordet, ſi conſcientiæ tangeris ſtimulo, imperium ut accipias, oportet.

Videne, quantum ſchiſmatis periculum imminet? Videſne laceratam Eccleſiam, Concilium cum Papa, & Papam cum Concilio diſſentire? Quis his prouideat, niſi tu imperes? Rex profectò non tantum poſſes. Sperabit Papa alium ſibi propitium, ſi tu repudies; idemque Concilium: eritque vndique maior diſceptatio. Nunc exſpectatio vtrimque eſt, quid agas. Et certè ſi volueris, vnionem efficies; quæ non tibi minorem gloriam paritura erit, quam Socero tuo *Conſtantia* præſtitit. At ſi omnino imperare repudies, nihil dubito, duriſſimum ſchiſma futurum. Cui rei niſi cupis occurrere, haud leviter peccas. Cauſa diuiſionis Eccleſiæ reputaberis, qui, cùm poſſes vnire illam, prætermiſeris.

Timeo & aliud, ne Imperium quoque renuntiatio tua diuidat. Nam etſi in te concordes Electores fuerint, non ita in alio erunt: quoniam neque alium quempiam tot rationes ad Imperium incitant. Vereor quoque, ne in diſcordia fiat electio, ut duo ſeſe aſſeverare audeant Imperatores. Cui ut occurras malo, ſuſcipe oblatum benignus Imperium. Quod ſi feceris, pacem Eccleſiæ dabis, collapſum reparabis imperium, regna tua conſerva-bis meliùs, Auſtrali verò Domui ac familiæ tuæ diuitias & honores, & tibi perpetuam & glorioſiſſimam acquires famam, qua nec in humanis eſt quidquam præclarius, nec aliud ad ſepulchrum iuſtiùs ſequitur.

Hæc volui tuæ Maieſtati dixiſſe: cui licet ex officio non tenear, ex charitate tamen conſulere obligor. Quanquam neque hoc conſilium eſt, ſed recordatio quædam notiſſimarum rerum. Optimè namque & iſta diſcernit Maieſtas tua, cui der bonorum omnium largitor Deus amplecti, quod in rem fuerit populi Chriſtiani & ipſius æterni Dei laudem. Vale per omnia Rex Digniſſime, & me ſeruitore tuo utere pro arbitrio, qui ſingulos pro te ſuſcipere labores atque curas minimè dubitabo. Ex oppido *Viennæ* XXVII. Aprilis mane ſummo, currente anno Domini M CCCC XXXVIII. Dominica ſecunda poſt feſtum Reſurrectionis.

Eiusdem Maieſtatis tuæ Sereniſſimæ devotiſſimus ſeruitor *Bartholomæus de Vice-Comitibus, Novarienſis* Epiſcopus, ac Illuſtris Principis Domini Ducis *Mediolanenſis* ad Excellentiam tuam Orator, licèt minimus, cum recommendatione humillima.

Decre-

CIX.

Decretum electionis Sereniſſimi Principis, Domini Alberti, Hungariæ, Croaciæ, & Dalmaciæ coronati, Bohemiæ verò Regis electi, ac Auſtriæ, Stiriæ &c. Ducis, Marchionisque Moraviæ & Comitis Tirolis in Romanorum Regem.

Ex Cod. Mellic. p. 30.

DEm allerdurchleuchtigiſten Fürſten und Herren, Herren Albrechten, erbellten Römiſchen zu Vngern, zu Dalmacien, zu Croacien ꝛc. Künig, Herczogen zu Oſterreich, Maraggrafen zu Merhern, und Grafen zu Tirol ꝛc. Enbieten Wür von Gotz Gnaden Dietreich ze Menez in dewſchen landen/ Dietreich zu Cöllen in Ytalien, Hertzog von Weſtvallen, und zu Emiger, Raban zu Trier durch Welheſchland und das Künigreich zu Arelat Erczbiſchoff und Erczkchanzler, Otto Phalczgraff bey Reyn, Herczog in Beyren und Vormünder des Hochgevoren Fürſten Ludweigs Phalczgrafen pey Rein, des heyligen Römiſchen Reichs Erczdrugſezz: Friderich Herczog zu Sachſen, des heyligen Römiſchen Reichs Erez-Marſchalich, Lantgraf in Düringen und Margrafft zu Meichſen, und Fridreich Marggraf zu Brandeburg, des heiligen Römiſchen Reichs Erczkchanrer und Burggraff zu Nürenberg, all des heiligen Römiſchen Reichs Kchur-Fürſten, unſer undertenig ſchuldig dinſt mit allem Vleyz zu voran berait.

Wie wol Wir dem heiligen Römiſchen Reich nach Römiſchen Kchenſeren und Kchunigen mit ſteter ſargveltikhait des ſelben heiligen Reichs notdurft und bekchumernuzzen zu bedenkchen und zu überkchomen ſtetichleichen gepunden und phlichtig ſein: doch wil Vns gepüren ſollich phlicht ſolicher zu erſwekchen in der Czeit, ſo das genant Römiſch Reich ſeines natürlichen Verweſers manglit, anwarden, und beraubt iſt. Vnd wye möchten Wir ſolich vnſer vürnüzz pas angelegen, dann das Wir daz ycz genant heilig Reich mit eynem volkchömleichen und nüczleichen Haubt wirdikchleichen zyeren und kchleyden von abgangs und tod wegen des allerdurchlewchtigiſten Fürſten und Herren, Herren Sigmunds etwenn ꝛc. han Wir Dietreich zu Menez ꝛc. GOt dem Almechtigen zu Lob und zu Eren, der ganczen Kchriſtenhait und dem heiligen Römiſchen Reich zu nucz und zu troſt, vmb der Wal und Kchur willen eines Römiſchen Kchünigs, mit der hilf Gots zwekchünftigen Kcheyſer, den Durchleuchtigen, Hochwirdigen und Hochgeparnen Fürſten mit Namen eim Kchünig ze Peheim, Herrn Raban zu Trier ꝛc. Hern Dietreichen. zu Cöllen ꝛc. Hern Otten Phalczgrafen pey Rein und Herczogen in Beyren Vormunder ꝛc. Herrn Fridreichen Herczogen zu Sachſen ꝛc. und Herrn Fridreichen Markgraven zu Brandeburg ꝛc. unſern beſunder lieben Frewnden und Mit Kchurfürſten obgeſchriebene nach innhalt dez heiligen Kchayſerlaichen Geſetz, tag und czeit geſezt, zugeſchriben und verkchundet gan Frankchfürt mit Namen den Suntag Reminiſcere &c. ycz vergangen, mit den andern nachvolgunden tegen zu der Wal und Kchür eins Römiſchen Kchünig notdürftig.

Vnd als Wir auf den yczgenanten Suntag gen Frankchfürt kchömen warden, haben Wir auf den Mantag darnach ein Meſſ von den heiligen Geiſt lazzen ſingen, auf dye Mitwochen allernagſt nachvollgend ein Meſſ, dye Wir aber haben lazzen ſingen von den Heiligen Geiſt, ſein Wir all und Vnſer yeglicher vor den Altar gegangen, und haben Vnſer yedem Forme und Maſſ, alls die heiligen Kcheyſerleichen Geſecz innhalten, getan und geſwaren. Vnd darnach auf den Dinſtag mit Namen nach dem Suntag, alls man in der heiligen Kchirichen in der Vaſten phlegt Oculi ze ſingen, haben Wir ein geſungene Meſſ aber von Vnſer Lieben Frawn tun ſingen, und ſeine nach der getanen Meſſ in dem Namen der heiligen Drivaltikchait ordenleich nach allen Innhallt der der heiligen Kchayſerleichen Geſecz zu der Kchür und Wal eines Römiſchen Kchünigs gegangen. Da dann Vnſer aller und igleichs beſunder nennung, Red, und Stym von Vns Dietreichen Erczbiſchoven zu Menez, und widerumb Vnſer Dietreichs Erczbiſchoven zu Menez von Vns andern obgenannten, alls ſich daz gepürdt, verhört warden ſind, hat ſich erfunden, das Wir von dem Ewigen Got nach

notdarft der heiligen Kchriſtenhait, und des heiligen Römiſchen Reichs andechtleich geſtymmet begert haben mit Namen, und haben daz mal durch Fürſchung und Jngieſſung des heiligen Geyſt Ewr Kchunigleich Gnad zu eynen Haubt, Schuczer und Vogt der gantzen Chriſtenhait, und zu eynem Römiſchen Kchünig, ob Got wil, zuekchünftigen Kchayſer, eynmütikchleich an alls Widerſprechen erbellt und erkchorn: Vnd glauben, es ſchuil durch Ewr Kchünigleich Mayeſtat weyſhait, hilfft, und verſtentnüzz dye heilig Römiſch Kchirichen, die gancz Kchriſtenheit, und das heilig Reich allſo verfarigt, geert, und gefürdert werden, das es Got ein lob, Ewren Gnaden erlich, und der Gemain Kchriſtenheit ergeczleich und nüczlich geſein müg.

Solich unſer einmütige Kchür und Wal an Ewr Kchünigleiche Genad gelegt, verkchünden Wir Denſelben Ewren Gnaden. Vnd wann Ewr Kchünigleiche Gütikchait Vnſern tröſtung, lauttern gueten Willen und Meynung wol verſteen und erkchennen mag; bitten Wir Dyeſelb Ewr Groczmechtige Kchünigleich Gnade dyemutikchleich und mit vleiz, Jr wellt ſölich vnſer Kchür und Wal, lauter und güte maynung annemen und empfelhen dem Römiſchen Reich alls ein Römiſcher Kchünig, zuekchünftiger Kchayſer, gewenleich, und als pillich iſt, Fürſten und all und yegleich beſunder, als Ewren Gnaden negſten Gelider mit dem gantzen Römiſchen Reich vnſer Land und Lawt Ewren Kchünigleichen Gnaden lazzen empholhen ſein inne Ewr Weyzhait, Tugent und Macht von der heiligen Kchriſtenhait, und dem Reich Frid und Gnad machen, und alles des, daz einen Römiſchen Kchünig zugehört, getrewlich und fleyzzkchleich. Daz wellen Wir umb Dyeſelb Ewr Kchünigleich Gnad ſo undertenigleich und dyemütigleich mit allem vnſeren vermügen verdienn, alls ſich das gegen Ewren Gnaden alls vnſerm gnedigiſten liebſten Herren eyſchet und bürt.

Des zu Vrkchund und merer Sicherhait haben Wir diz vnſer Decret mit vnſern Jnnſigellen heran gehangen, und mit Weſen offtenbar Schreiber hernach geſchriben, dye Wir Dietreich Erczbiſchove zu Mencz darumb eraiſcht han, als ſich das gepürt, lazzen beveſtigen.

Geſchechen und Geben zu Frankchfurt auf dem Meyne gelegen Menczer Biſtumbs, kchor und Liberey Sand Bartholomeus kchirichen daſelbs, nach Chriſti gepürd viercezehenhundert und darnach in dem acht und dreyzzigiſten Jar, in der Erſten Indiction, in dem achten Jar des allerheiligiſten in Got Vaters und Herren, Herren Eugenij von Götlicher vorſehung des virden Babſt, auf den Dinſtag nach dem Suntag Oculi: der was der achtczehendt tag des Moneyds Martij zu Nonzeit vor Mittag oder dapey, in Gegenbürtikchait der Erbirdigen in Got Vetter, Erbirdigen, Edellen und Erſamen Herren Johannis Biſchof zu Bürczpurg, Herren Foide. Biſchof zu Buernicz, Peter echters Dechants des Tümbs zu Mencz, Hanſen Grafen zu Bertheim, Reinharten Grafen zu Hannaw, Dietreichs von Eyſinburg Herren zu Rudigen, Helbeichs von Roparten Lerer Geyſtleicher Recht, des Stuells zu Mencz Richter, und Heinreich Leubing Lerer Kchayſerlichen Recht und Licentiaten Geiſtleicher Recht Geczeugen, dye hypey beſunderlich berueffen und gepeten würden. Amen.

Conſenſus ab Alberto præſtitus electioni de ſe factæ in Romanorum Regem, in forma ipſius, prout ſequitur.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, gloriosiſſimæ Virginis Mariæ, beatiſſimi Chriſti Militis ac Martyris Georgij, ac totius cœleſtis Curiæ triumphantis, Ego *Albertus*, Hungariæ, Dalmaciæ, Croaciæ &c. Rex, & Bohemiæ electus, Dux Auſtriæ, Stiriæ, Karinthiæ, Karniolæ, Marchio Moraviæ, Comes Tyrolis, ad laudem Omnipotentis Dei, ſanctæ matris Eccleſiæ protectionem, omnium Chriſti fidelium & commune bonum, infideliumque & barbarorum oppreſſionem, electionem Illuſtrium Principum, Sacri Romani Imperii Electorum, factam de perſona mea ad Imperij ſacri culmen, vigore præſentis Decreti mihi præſentatam, accepto, approbo & collaudo, illique *Bulla.*

que veluti humilis Dei ſervus, & Eccleſiæ fidelis filius, purum præſto aſſenſum pariter & conſenſum, cupiens omnibus, quibus poſſum, melioribus iure, forma atque cauſa ex hac ſancta & Canonica electione Imperij ſuſcipere gubernacula cum adminiſtratione plena atque libera, & poteſtatis plenitudine, iurisdictionem, coercitionem atque imperium, eorundem exercitium acquirere in ſubiectos Sacri Romani Imperij & Orbis univerſi cum omnibus & ſingulis eiuſdem iuribus, honoribus, præeminentijs, immunitatibus, privilegijs & libertatibus, quibus gaudere, potiri & uti potuerunt, conſueverunt atque debuerunt omnes & ſinguli retroacti Divi Romani Principes, Imperatores & Reges, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui eſt in ſecula benedictus. Amen.

C X.

Parnalionis de Bonlavillar Epiſtola ad Angelum Mariæ, Ducem Mediolanenſem, de ortu & actis Iohannæ, Puellæ Aurelianenſis.

Illuſtriſſimo & Magnifico Principi & Domino, Domino *Iohanni Angelo Mariæ*, Duci Mediolanenſi, Domino meo honorando.

1439. *Ex Cod. Mſtic. C. 23.*

ILluſtriſſime & Magnifice Princeps, & Domine mi honorandiſſime. Mortalium cura & præcipuè ſtudioſi excellentéſque animi nova & aliàs inuſitata ſcire deſiderant, inveteratáque quaſi diu deguſtata faſtidiunt. Hinc eſt, magnifice Princeps, quòd attentis veſtræ Serenitatis laudibus, præconijs, & veſtrorum deſideriorum mirandorum inveſtigatione & conatibus, præſumpſi vobis ſignificare, qualia & quanta Regi noſtro *Franciæ*, regnóque ſuo noviter contigerunt.

Iam, ùt reor, auribus veſtris inſonuit fama cuiuſdam puellæ, nobis, ùt piè creditur, divinitus miſſæ, cuius ut vitam, actus, ſtatum morésque paucis attingam, ipſius ortûs narrabo principia. Nata eſt in uno parvo villagio, nominato *Doupremij*, in Balliva *Baſſignata*, infra & in finibus regni *Franciæ* ſuper fluvium *De Meuſe*, quæ iuxta *Lottringiam* iuſtis & ſimplicibus parentibus noſcitur progenita. In nocte Epiphaniarum Domini, qua gentes iocundiùs ſolent actus Chriſti reminiſci, hanc intrat mortalium lucem, &, mirum! omnes plebei loci illius inæſtimabili commoventur gaudio, & ignari nativitatis puellæ hinc inde diſcurrunt inveſtigantes, quid novi contigiſſet. Nonnullorum corda novum conſenſerant gaudium. Quid plura? Galli velut novæ lætitiæ precones præter ſolitum in inauditos cantus prorumpunt, & aliis corpora tangentes, ferè per duas horas novæ rei prænoſticare videntur eventum.

Alitur infans, qui ut circuiſſet, & annos attigiſſet ſeptenos, agricolarum gentium more agnorum cuſtodiæ a parentibus deputatur, in qua nec ovicula noſcitur deperiſſe, nec quicquam a fera extitit devoratum: & quando affuit in paterna domo, omnes familiares tanta ſecuritate protexit, ut nec hoſtis, fraus barbarorum vel malitia in minimo contingerent. Tandem peractis ætatis ſuæ duodecim annis prima ſibi revelatio facta eſt in hunc modum.

Ipſa cum puellis cuſtodiente oves parentum ſuorum quædam vagabantur in prato: a circumſtantibus accerſitur: utrum pro florum pugillo aut pro aliquo tali curſitare vellet, interrogant. Annuit illa, & ſponſione facta tanta celeritate ſecundò & tertiò in curſu movebatur, quòd minimè eam terram calcare credebant, adeò ut una puellarum exclamaret: Iohanna video te volantem iuxta terram! Sic eſt nomen eius. Quæ cùm curſum peregiſſet, & in fine prati quaſi rapta & a ſenſibus alienata, ſpiritus reſumendo corpus pauſaret fatigatum, iuxta eam affuit quidam iuvenis, qui eam ſic eſt allocutus: Iohanna domum pete. Nam mater dixit ſe operâ tuâ indigere. Et credens, quòd frater eſſet aut aliquis convicinorum puerorum, feſtinans domum venit. Mater obviat, quæ cauſam adventus aut derelictarum ovium quærit & increpat. Et reſpondens innocens puella ait: Numquid pro me mandâſti? Cui mater: non.

Tunc

Tunc credens ſe eſſe de puero deluſam, volens ad ſodales reverti, ſubitò ante ipſius oculos nubes prælucida obijcitur, & de nube facta eſt vox ad eam dicens: *Iohanna! Oportet te aliam vitam agere, & mirandos actus exercere. Nam tu illa es, quam elegit Rex cæli ad Regni Francorum reparationem & Karoli regis, expulſi a Dominio ſuo, auxilium & protectionem. Tu virili induéris veſte, arma ſumens caput eris gwerræ, omnia tuo conſilio regentur.* Hac autem facta voce diſparuit nubes, & puella tanti prodigij ſtupefacta dictis, nec pro primo fidem adhibens, ſed manens perplexa, utrum credere deberet, an non, innocens ignorat, diebus noctibusque conſimiles apparitiones dictæ puellæ fiunt, & vicibus repetitis renovantur. Tacet illa, nulli niſi ſoli curato Presbytero animum detexit, & in hac perplexitate ferè quinque annorum perſeverat ſpatio.

Tandem Comite *Salſebertunenſe* ex Anglia in Franciam appellente præmiſſæ apparitiones & revelationes dictæ puellæ ultra ſolitum reinnovantur & multiplicantur. Concutitur iuvenculæ animus, mens anxietate æſtuat, & quadam die, dum contemplaretur in agro, inſolita apparitio, grandior & clarior quàm unquam vidiſſet, ei viſa fuit. Et facta eſt ad eam vox dicens: *Vſquequo tardas? Quare non feſtinas? Aut cur non pergis cito gradu, quò Rex cæli te deſtinavit? Nam in abſentia tua deſtruitur Francia, devaſtantur oppida, iuſti obeunt, proceres occiduntur, inclytus ſanguis funditur.* Et illa aliquantiſper animata, Curato ſuo monita reſpondit: Quid faciam, aut quomodo faciam? Ibo? Non novi viam, gentem neſcio, regem non cognoſco, mihi non credent, cunctis ero in deriſum. Et merito. Quid ſtultius, quàm magnatibus dicere, quòd puella Franciam reparet, regat exercitus, de hoſte triumphum reportet? Quid ludibrius, quàm quòd puella virili induatur veſte? Cumque hæc & plura alia differuiſſet, reſponſum ſic accepit: *Rex cæli ordinat, & vult: ne amplius quæras, quomodo hæc fient. Quoniam ſicut voluntas Dei eſt in cælo, ſic erit & in terra. Perge hìc prope iacentem villam, nominatam Vantenlori, quæ ſola in Campaniæ partibus regi fidem ſervat, & villæ illius cuſtos nullo impedimento te ducet, quò petes.*

Sic egit, & multis præoſtenſis mirandis iuſſit eam nobilibus aſſociatam (per) vias conduci ad regem. Qui venientes per medios hoſtes tranſierunt nulla repulsâ interiecta. Et cùm uſque perveniſſent ad caſtrum de *Gavenio* in Turonenſibus partibus, quo ſe rex muniebat, conſilio regio deliberatum erat, quòd faciem regis non videret, neque ei præſentaretur uſque in diem tertiam. Sed hominum corda ſubitò mutantur. Accerſitur puella. Mox & de equo deſcendit, & per Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates & utriuſque facultatis Doctores diligentiſſimè examinatur in fide & moribus. Demum rex eam ad ſuum Parlamentum ducit, ut ſtrictiùs & vigilantiùs adhuc quæſtionaretur. Et in his omnibus reperta eſt fides Catholica, benè ſentiens in fide, Sacramentis & inſtituris Eccleſiæ. Ampliùs per mulieres doctas, peritas virgines, viduas & coniugatas curioſiſſimè percunctatur, quæ nihil aliud, quàm (quod) muliebrem honeſtatem atque naturam decet, ſentiunt.

Præterea adhuc ſpatio ſex ſeptimanarum cuſtoditur, intuitur, conſideratur, ſi ſaltem aut aliqua levitas vel mutatio ab incœpto concipiatur. Sed immobilis Deo ſerviendo, Miſſam audiendo, Evchariſtiam percipiendo, prima propoſita continuat, regem omni die lachrimoſis ſuſpirijs afflagitat, ut licentiam invadendi hoſtes det, aut domum paternam repetendi. Et difficulter licentia obtenta cum victualibus conducendis *Aurelianum* intrat. Citò pòſt caſtra obſidentium invadit, quæ licèt inexpugnabilia iudicarentur, tamen in trium dierum ſpatio ipſa devicit hoſtes, non pauci occiduntur, plures capiuntur, reliqua pars fugatur. Nunc civitas ab obſidione liberatur. Quibus actis ad regem revertitur. Rex ei obviam properat, iocundè ſuſcipit, & aliquanto temporis intervallo cum rege manet, feſtinat, ſolicitat, ut expeditiones evocet, congregetacies ad reliquam partem adverſariorum devincendum. Et redintegrato exercitu villam, quæ vocatur *Frangutam*, obſidet, in craſtinum conflictum dat, vi capitur ſexcentis bellatoribus nobilibus ibi victis, inter quos Comes *Soffordiæ* Anglicus,

&

& frater germanus capiuntur, reliquus verò frater occiditur.

Poſt tamen trium dierum interiecto ſpatio *Magdimon* ſuper *Ligerin* & *Bangerum*, oppida fortia & munita, invadit, expugnat & devincit. Nec moram ponit. Et die illa Sabbati, quæ XX. erat Iunij, exercitui Anglicorum ad ſuccurſum properanti occurrit. Invaduntur hoſtes, victoriâ noſtri potiuntur interfectis mille quingentis viris bellatoribus, mille captivatis, inter quos quidam Capitanei capti ſunt, Stattdomini de *Darebeth*, & de *Faſtechat*, & filius Domini de *Hendesfort*, & quamplures alij. De noſtris autem non reperti tres occiſi. Quæ omnia miraculo Divinitus facto attribuimus. Hæc & multa alia puella operata eſt, & Deo largiente maiora horum faciet.

Hæc puella competentis eſt elegantiæ, virilem ſibi vendicat geſtum, paucum loquitur, miram prudentiam demonſtrat in dictis & dicendis, vocem mulieris adinſtar habet gracilem, parcè comedit, parciùs vinum ſumit, in equo & armorum pulchritudine complacet, armatos viros & nobiles multùm diligit, frequentiam & collocutionem multorum faſtidit, abundantia lachrimarum manat, hilarem gerit vultum, inaudibilis laboris, & in armorum portatione & ſuſtentatione adeò fortis, ut per ſex dies die noctúque indeſinenter & completè manet armata. Dicit, Anglicos nullum habere ius in Francia, & dicit ſe miſſam a Deo, ut illos inde expellat & devincat, monitione tamen priùs facta. Regem ſummè veneratur. Ipſum dicit eſſe dilectum a Deo, & ſpecialiter præſervatum & præſervandum. Dominum Ducem Aurelianenſem, nepotem veſtrum, dixit miraculosè liberandum, monitione tamen priùs ſuper ſua libertate Anglicis detinentibus facta.

Et ut, Illuſtriſſime Princeps, finem faciam verbis, mirabiliora ſunt & fiunt, quàm vobis poſſem ſcribere aut lingua fari. Vltra ſcribendo præſentes evênit, quòd præfata Puelia iam perrexit ad partes Civitatis *Reins* in Campania, ubi rex feſtinanter tendit ad conſecrationem & coronationem ſuam, Deo iuvante. Me vobis humiliter recommendo. Scriptum die XXI. Iunij anno Domini 1439.

Veſter humillimus Servitor *Paranalio*, Dominus de *Bonlavillar*, Conſiliarius & Camerarius Regis Francorum, & Domini Ducis Bituricenſis Seneſcalcus.

* *Sciendum eſt, quòd prædicta puella Iohanna tandem per gentem Anglicorum capta eſt, & faſſa eſt, ſe habere familiarem Dei Angelum, qui iudicio litteratiſſimorum virorum iudicatus eſt eſſe malignus ſpiritus, per quem ſpiritum velut magam effectam ipſam ignibus per publicam iuſtitiam conſumi permiſerunt, ùt ſcribit M. Io. Nider in 5. L. ſui Formicarij c. 8.* *Nota Io. de Weilhaim*

CXI.

Chartularium Cartuſiæ Boni Lapidis, in Ducatu Württenbergenſi.

1.

Iohannes Abbas Zwifaltenſis conſentit, ut in ſuo Monaſterio Guttelſtein ſeu Boni Lapidis Cartuſia erigatur.

1439. *Ex Cod. Muſtris. & Lib. Bar. Franciſci de Hegemüller.*

IN nomine Domini Amen. Nos *Iohannes* Diuina permiſſione Abbas, nec non Prior, totuſque Conventus Monaſterij in *Zwifeltun* de ordine Sancti Benedicti *Conſtantienſis* diœceſis, publicè recognoſcimus per præſentes. Sicut nuper die præſentium datæ Nobiles ac generoſi Domini *Ludewicus* & *Vlricus*, Comites de *Wirtenberg*, Domini noſtri per omnia, vt ſperamus, gratioſi, honorabilem ac peritum virum Dominum Magiſtrum *Heinricum Tegen*, Decretorum Doctorem egregium, Præpoſitum Eccleſiæ Collegiatæ Beati Martini in *Sindelfingen*, Nobis in Chriſto dilectum, ad nos in *Zwifeltun* deſtinarunt, ad exponendum nobis, qualiter ipſi Domini noſtri, Comites prænominati, nullâ penitus aliâ ad hoc inſtigati causâ, ſed niſi devo-

devotione pia urgente, & diuini amoris ardore accensi, nec non ob diuini cultus augmentum, ad gloriam & honorem Domini nostri Iesu Christi, eiúsque Genitricis Mariæ Virginis glorioſæ, omniumque Sanctorum, & præsertim omnium animarum fidelium vivorum & mortuorum pro salute, vt in loco seu Monasterio *Guttelstein* propè *Vrach* statum & religionem de observatione Carthusiensium instituere proposuissent: Cùm in solo totius terræ ipsorum Dominorum Comitum pro tali statu aptiorem non potuerint invenire locum. Et proinde nobis supplicari fecerunt, quatenus & Nos consensum nostrum ad hoc opus Deificum purè propter Deum, & eorum Dominorum Comitum favoris & gratiæ, ob respectum non postponeremus admittere &c. prout idem Dominus Doctor, legatus seu missus, Nobis copiosiùs, latiùs exposuit & multò luculentiùs.

Nos itaque eorundem Dominorum nostrorum Comitum favores & gratias semper in omnibus & per omnia, tanquam humiles & devoti obsecutores eorum gliscentes & meritò amplectentes, super his vnà cum Venerabili in Christo Patre ac Domino nostro, Domino *Wolffrano* Abbate Monasterij in *Hirsavv*, *Spirensis* diœcesis, immediato Superiore nostro, Domino ac Patre Monasterij nostri in *Zvvifelten* prætaxati, consilio maturo capitulariter præhabito; & tandem vnanimiter & omnes communiter, quotquot in eodem Capitulo præsentes esse potuimus, vocatis etiam secundùm iuris dispositionem & requisitis ad idem nostrum Capitulum his absentibus, qui commodè ad Nos venire potuerunt, concluſimus capitulariter & pro concluso habuimus, nolentes nos tanti deifici præbere impeditores, cùm bonorum operum & diuini cultus augmenti potiùs esse debeamus provectores: ut ad honorem & gloriam Dei omnipotentis, eiúsque Genitricis Mariæ Virginis intemeratissimæ, ad divini cultus amplificationem, omniumque animarum fidelium vivorum & mortuorum ob remedium & salutem, & præsertim ob favorem & gratiam prænominatorum Dominorum Illustrium Comitum de *Wirtenberg* Nobis gratiosorum, in solo supramemorato, ac Monasterio in *Guttelstein* hactenus de nostra obedientia, religione, & dispositione, existente, statum & religionem de observatione Carthusiensium erigere, instituere, prout anhelârunt, & ordinare valeant iuxta ipsorum placabiliorem libitum & voluntatem liberaliorem, his in scriptis annuerentur admisimus, & consentimus: resignantes eisdem pro illorum Carthusiensium illic constituendorum sustentatione Monasterium *Guttelstein* epilogatum cum omnibus suis continentijs, redditibus, & partinentijs, atque Iuribus vniversis ad illud duntaxat spectantibus.

Ita tamen, quòd si & in quantum huiusmodi Cartusiensis erectio, institutio, & ordinatio in eodem loco non haberet progressum; ita videlicet, quòd ipsorum Dominorum Comitum mens & propositum, opus prænarratum huiusmodi & ibidem per omnia non sortiretur effectum, quòd tunc locus & Monasterium in *Guttelstein* cum omnibus suis attinentijs, Iuribus, pertinentijs, redditibus, & obventionibus vniversis ad ius redigatur pristinum atque statum, eo modo & per omnia, sicut antea fuerunt, sine præiudicio cuiuscunque, & inconcusse, absqve contradictione cuiuscunque, & impedimento, sine fraude & dolo vniversorum.

In quorum omnium & singulorum evidens testimonium præmissorum præsentes literas, siue hoc præsens publicum instrumentum, huiusmodi consensum & resignationem nostros in se continentes siue continens exinde fieri, & per Notarium publicum subscriptum subscribi & publicari, nostrorumqve Abbatialis & Conventus Sigillorum, nec non prænominati Domini Abbatis *Hirsovvensis*, nostri Superioris Domini, & dicti Monasterij nostri Patris, quem in signum approbationis præmissorum precibus nostris obtinuimus obnixis, Abbatialis Sigilli appensionibus fecimus communiri.

Datum & actum in Monasterio nostro *Zvvifelten* supradicto, anno à Natiuitate Domini MCCCCXXXIX. indictione secunda, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Eugenij Papæ Quarti anno Nono, die Saturni, quæ est decima octava Mensis Iulij, horâ primarum vel quasi, præsentibus honorabilibus & discretis Viris, *Petro de Vracho* Novitiorum nostrorum ibidem Informatore, & *Michaële* Pictore loco de eodem, testibus propterea ad hæc specialiter vocatis, requisitis atque rogatis.

Et

Et ego *Albertus Bluminger* de *Schwvubertingen*, quondam Scholarum Rector in *Sindelfingen*, publicus imperiali auctoritate Notarius, quia recognitioni, expositioni, consensui, resignationi, supplicationi & concessioni præmissorum & approbationi, omnibusqve alijs & singulis vnà cum prænominatis testibus præsens fui, eáqve sic per omnia, ùt præfertur, fieri vidi & audivi: idcirco hoc præsens publicum instrumentum de mandato dictorum Venerabilium Patrum Abbatum & Conventus præscriptorum per me fideliter scriptum exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, signóqve meo solito & consueto vnà cum appensione sigillorum Dominorum Abbatum, nec non Prioris & Conventus, prænominatorum me hìc subscribendo signavi in fidem & testimonium omnium præmissorum requisitus.

2.

Concilium Generale Basileense Abbati Bebenhusano negotium ordinandæ ac erigendæ Cartusiæ Boni Lapidis committit.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu Sancto legitimè congregata, vniversalem Ecclesiam repræsentans, Dilecto Ecclesiæ filio Abbati Monasterij in *Bebenhausen*, Constantiensis diœcesis salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Sinceræ devotionis affectus, quem dilecti Ecclesiæ filij, Nobiles Viri *Ludevvicus* & *Vlricus* fratres, Comites de *Wirtenberg*, Constantiensis diœcesis, ad Nos & vniversalem gerunt Ecclesiam, non indignè promeretur, ut votis eorum, illis præsertim, per quæ diuini cultus augmentum & salus procurantur animarum, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Sanè pro parte dictorum Comitum Nobis nuper exhibita petitio continebat; quòd, cùm quædam Capella in eorum territorio & dominio nuncupata *Gutelstein*, dictæ diœcesis, ad ipsos pertinens, in qua à longævis retroactis temporibus per Comites de *Wirtenberg*, qui pro tempore fuerunt, vnus ex Monachis Monasterij in *Zvvifalten* ordinis Sancti Benedicti dictæ diœcesis pro regimine ipsius Capellæ, qui Præpositus nominabatur, absque tamen quocunque titulo aut institutione Canonica poni consuevit; cui interdum pro diuinorum officiorum celebratione Religiosi, quandoque verò sæculares Presbyteri adiuncti fuerunt, qui omnes ad nutum dictorum Comitum amovibiles erant, fundata existat. Quam Comites ipsi internæ devotionis perfectiori zelo permoti, animo amplificandi & dilatandi hortum irriguæ plantationis Religionis præclarissimæ ordinis Carthusiensis, ad id etiam dilectorum Ecclesiæ filiorum, Abbatis & Conventus dicti Monasterij in *Zvvifalten* accedente consensu, cum omnibus redditibus, iuribus & pertinentijs suis, dicto ordini Carthusiensi donare & appropriare, atque in domum Carthusiæ permaximè erigi desiderent; ac etiam ex nunc, si ad hoc vniversalis Ecclesiæ interveniat auctoritas, perfectè donent & approprient; pro parte dictorum Comitum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationem, applicationem & appropriationem huiusmodi approbare & confirmare, nec non Capellam prædictam cum omnibus & singulis possessionibus, iuribus & pertinentijs suis, quorum fructus, redditus & proventus Octingentarum librarum Hallensium monetæ, in illis partibus currentis, valorem annuum non excedunt, in domum ordinis Carthusiensis cum campanili, campana, Refectorio, Cellis, hortis, & alijs necessarijs officinis pro usu & habitatione vnius Prioris, & duodecim vel alterius competentis numeri Fratrum Religiosorum dicti ordinis erigere, seu erigi & construi mandare de benignitate solita dignaremur.

Nos igitur, qui internis affectibus ad omnipotentis Dei gloriam cultum huiusmodi per nostræ operationis ministerium exaltari & adaugeri desideramus, de præmissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuæ per hæc scripta committimus & mandamus: quatenus vocatis dictis, Abbate & Conventu & alijs, qui fuerint evocandi, de præmissis omnibus & singulis, ac eorum circumstantijs vniversis auctoritate nostra te diligenter informes: Et, si per informationem huiusmodi ea veritate fulciri repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, donationem, applicationem & appropriationem huiusmodi

modi eadem auctoritate approbando & confirmando, Capellam prædictam in Domum Ordinis Carthuſienſis cum campanili, campana, Refectorio, Cellis, hortis, hortalitijs & alijs neceſſarijs officinis erigas, nec non Prioratum inibi Conventualem pro vno Priore & duodecim, vel alio competenti numero, Fratrum dicti ordinis iuxta facultatem reddituum huiuſmodi ordines & conſtituas.

Et ut perſonæ huiuſmodi, quæ in domo præfata, ſi eam per te erigi contingat, forſitan manſionem facient, eò liberiùs ad ſuæ profeſſionis debitam obſervantiam animentur, quò ſe ob id etiam vltra divinam retributionem vberioris gratiæ præſidio cognoverint eſſe ſuffultos: Nos, ſi approbationem, confirmationem, erectionem, inſtitutionem & ordinationem, antedictas per te fieri contigerit, Priori & Conventui dictæ tunc erectæ domus, nec non illius perſonis, ut omnibus & ſingulis privilegijs, prærogativis, exemptionibus, gratijs & indultis, quibus alij dicti ordinis Priores, Conventus, Fratres & perſonæ potiuntur, gaudent & utuntur, etiam vti, potiri & gaudere poſſint & valeant, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrarijs nequaquam obſtantibus, auctoritate vniverſalis Eccleſiæ tenore præſentium indulgemus.

Datum *Baſileæ* XII. Kal: Septembris anno à Nativitate Domini Milleſimo Quadringenteſimo triceſimo nono, Apoſtolica Sede vacante.

3.

Heinricus Epiſcopus Conſtantienſis Comitibus de Wirtenberg facultatem facit Cartuſiam in loco Guttelſtein condendi.

HEinricus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus *Conſtantienſis* vniverſis & ſingulis Chriſti fidelibus præſentibus & poſteris, ad quos præſentes pervenerint, quosque noſſe fuerit opportunum infraſcripta, Salutem in Domino cum notitia ſubſcriptorum.

Iuſtis petentium votis libenter annuimus, præſertim cùm exinde divini cultus augmentum, & ſalus procuratur animarum. Sanè pro parte Nobilium & generoſorum Dominorum, *Ludevvici* & *Vlrici* fratrum Comitum de *Wirtenberg* noſtræ Conſtantienſis diœceſis nuper oblata noſtro in Spiritualibus Vicario generali petitio continebat, quòd ipſi ſinceræ devotionis affectu moti, progenitorum ſuorum & propriam ſalutem ſitientes, in diuini cultus augmentum, ac ad laudem, gloriam & honorem Domini Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, eiusque Genitricis Virginis Mariæ, ac Sanctorum omnium, fideliumque animarum, vivorum & mortuorum omnium ſalutem in loco, ſeu Præpoſitura *Guttelſtein* propè *Vrach*, hactenus per Monachum ordinis Sancti Benedicti regi ſolito, & à Monaſterio in *Zvvifalten* eiuſdem ordinis dependente, irriguæ plantationis Religionis præclariſſimæ ordinis Carthuſienſis hortum, ad quem inclinationem ſpecialem obtinere aſſerebant, & favorem ampliando & dilatando domum eiuſdem Ordinis Carthuſienſis, pro certo Fratrum numero, Altiſſimo inibi ſub eiuſdem ordinis obſervantia perpetuò famulantium inſtituere deſiderarent: & ad hæc vltra redditus & proventus ad dictum locum actu ſpectantes & pertinentes, pro ſuſtentatione congrua Prioris & Fratrum prædictorum de bonis ſibi à Deo collatis condonare, adijcere & appropriare proponerent; petentes ſibi ad præmiſſa licentiam & conſenſum auctoritate ordinaria per dictum noſtrum Vicarium dari & concedi, & inſtitutionem, erectionem & fundationem, bonorumque aſſignationem & appropriationem huiuſmodi dictæ domus Carthuſienſis approbari & confirmari cum ſolennitatibus debitis & conſuetis.

Idem tunc Vicarius noſter, ritè procedere volens, Abbatem & Conventum Monaſterij in *Zvvifalten* ſupradicti, omnesque alios & ſingulos, ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes, & præmiſſis ſe opponere volentes, per ſuas certi tenoris literas, ad videndum & audiendum licentiam & conſenſum domum Cartuſienſem in loco *Guttelſtein* prædicto erigendi Dominis Comitibus prælibatis dari & aſſignari, ac erectionem & bonorum in dotationem & fundationem, domus prædictæ aſſignationem & appropriationem ſervatis ſervandis confirmari & approbari: Nec non de ſuis conſenſibus, ſi adhibuerint in præmiſſis, legitimè docendum, vel dicendum, & cauſas rationabiles, quare præmiſſa fieri non deberent, allegandum, ſeque in præmiſſis, ſi & prout voluerint, legitimè opponendum, & de ſuis intereſſe docendum, alioquin

quin ad præmiſſa procederetur eorum abſentia ſeu contumacia non obſtante, citari mandavit & fecit in certum terminum competentem.

In quo ſiquidem citationis termino, nullo coram ipſo noſtro Vicario comparente oppoſitore vel contradictore, ſed de conſenſibus dictorum, Abbatis & Conventus Monaſterij in *Zwifalten*, ac etiam Venerabilis & Religioſi Domini *Wolfframi* Abbatis Monaſterij *Hirſowenſis*, Spirenſis diœceſis ordinis ſancti Benedicti prænotati, vti Patris & Superioris immediati eiuſdem Monaſterij in *Zwifalten* pro erigenda domo Carthuſienſi in loco *Guttelſtein* iuxta præpetita: Nec non pro parte dictorum Dominorum Comitum de licentia erectionis dictæ domus Carthuſienſis in loco ſupradicto, ac confirmationis, donationis, applicationis, & appropriationis bonorum prædictorum pro eadem domo, auctoritate ſacri Baſileenſis Concilij factis legitimè doctis: Memoratus Vicarius noſter, de Iurisperitorum ſuper his habito conſilio, attento talia per ſuperiores conceſſa, etiam fore licentiam & conſenſum, noſtros in præmiſſis dandos & adhibendos, ac bonorum, ùt præmittitur, pro inſtitutione dictæ domus Carthuſienſis ac Prioris & Fratrum ſuſtentatione donationem, aſſignationem, appropriationem & applicationem, confirmandos fore & approbandos, auctoritate ordinaria decernendum duxit, & decrevit.

Quapropter ſuper hoc pro parte dictorum Dominorum Comitum requiſiti, ipſos in eorum ſalubri propoſito conſovere volentes, & tam ſalutare opus pro noſtris viribus cupientes promovere, de omnibus & ſingulis coram noſtro Vicario, ùt præfertur, geſtis legitimè certificati, ſupradictis Dominis Comitibus erigendi locum in *Guttelſtein* in domum ordinis Carthuſienſis pro Priore & Fratribus Deo inibi ſub regula & obſervatione eiuſdem ordinis famulantibus licentiam damus & impertimur: noſtrumque, vt ibidem Domus Carthuſienſis huiuſmodi conſtruatur, & erigatur cum campanili, campana, Refectorio, Cellis, hortis, & alijs neceſſarijs officinis pro uſu & habitatione Prioris & Fratrum numeri competentis iuxta reddituum eiuſdem Domus facultatem, conſenſum adhibemus & aſſenſum per præſentes; Bonorum, fructuum & reddituum loci in *Guttelſtein* applicationem, & appropriationem, aliorumque vltra eadem condonationem & aſſignationem pro ſuſtentatione Prioris & Fratrum novellæ plantationis domus huiuſmodi factas & fiendas auctoritate noſtra ordinaria præſentibus approbantes & confirmantes. In quorum fidem & teſtimonium præſentes literas exinde fieri, ſigillique noſtri iuſſimus & fecimus appenſione communiri.

Datum & actum in Caſtro *Gottlieben* extra muros Conſtantienſes anno Domini MCCCCXXXIX. Menſis Octobris die XXIIII. Indictione ſecunda.

4.

Renhardus Abbas Bebenhuſanus, executor mandati Concilij Baſileenſis, citat & ad ſe evocat omnes, quorum nôſſe intereſt, in Guttelſtein Cartuſiam fundari.

RE*nhardus* permiſſione Diuina Abbas Monaſterij in *Bebenhauſen*, Ordinis Ciſtercienſis, *Conſtantienſis* Diœceſis, Commiſſarius & executor ad infraſcripta à Sacroſancta Generali Synodo Baſileenſi, in Spiritu Sancto legitimè congregata, vniverſalem Eccleſiam repræſentante, ſpecialiter deputatus, vniverſis & ſingulis Eccleſiarum parochialium Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis, Presbyteris, Clericis, Notarijs & Tabellionibus publicis quibuscunqve per Ciuitatem & diœceſim *Conſtantienſem* ac alias vbilibet conſtitutis, ad quos præſentes pervenerint, & qui earum vigore requiſiti fuerint, Salutem in Domino, & mandatis noſtris huiuſmodi, imò veriùs dictæ Sanctæ Synodi firmiter obedire.

Noveritis, quòd nuper ipſa Sancta Synodus litteras eius, vera bulla plumbea in chordula canapis ſuo ſolito more impendentes bullatas, ſanas & integras, non viriatas nec cancellatas, non abraſas nec abolitas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes nobis præſentari fecit: quas cum ea, qua decuit, reverentia recepimus, huiuſmodi ſub tenore.

Sacroſancta Generalis Synodus &c. vti ſupra Num. 2. Poſt quarum quidem præſentationem & receptionem Nobis & per Nos, ùt præmittitur, factis,

fuimus pro parte Generosorum & Illustrium Dominorum *Ludewici* & *Vlrici* fratrum Comitum de *Wirtenberg*, dictæ Constantiensis diœcesis, principatuum, in eisdem litteris principaliter nominatorum, debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem earundem & contentorum in eisdem procedere dignaremur.

Nos igitur *Renhardus* Abbas & executor præfatus volentes Superiorum nostrorum & præcipuè Sanctæ Matris Ecclesiæ mandatis humiliter obedire, in causa quoque huiusmodi ritè & legitimè procedere, ùt tenemur: Vobis & cuilibet vestrum super hoc requisitis in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna latæ sententiæ, triumtamen dierum canonica monitione præmissa, districtè præcipiendo mandamus, quatenus omnes & singulos sua communiter vel diuisim interesse putantes, & præsertim Venerabilem & Religiosum Dominum Abbatem & Conventum Monasterij in *Zwifalten* ordinis Sancti Benedicti supradictæ Constantiensis diœcesis publicè & peremptoriè citetis: quos & nos præsentium tenore communiter & diuisim sic citamus, vt coram Nobis die Martis, quæ erit decima septima mensis Novembris, in Capella *Guttelstein* sæpedicta manè hora primarum compareant, ad videndum & audiendum nos de omnibus & singulis in præinsertis litteris contentis & eorum circumstantijs informari: & huiusmodi informatione habita, ad donationem, applicationem & appropriationem, de quibus in præinsertis litteris fit mentio, approbationem & confirmationem Capellæ in Guttelstein, quæ longis temporibus retroactis ad voluntatem & nutum dictorum Dominorum *Ludewici* & *Vlrici* fratrum Comitum de *Wirtenberg* Principalium supradictorum & suorum Progenitorum per Monachum dicti Monasterij in *Zwifalten*, Præpositum communiter in *Guttelstein* nuncupatum, absque tamen alio titulo quocunque vel Canonica institutione regi & gubernari consvevit, in domum ordinis Carthusiensis cum campanili, campana, Refectorio, Cellis, hortis, hortalitijs, & alijs necessarijs officinis erigi; nec non prioratum inibi Conventualem pro vno Priore & duodecim vel alterius competentis numeri Fratrum ordinis eiusdem iuxta facultatem redditunm huiusmodi instituì & ordinari: Vel saltem dicendum, & causas rationabiles, quare præmissa fieri non debeant, allegandum & proponendum, seque præmissis, si voluerint, legitimè opponendum, & de suis interesse docendum.

Alioquin ad præmissa, prout de iure poterimus, procedemus, ipsorum Ciratorum absentia seu contumacia in aliquo non obstante: de quo ipsos præsentibus certificamus, diem executionis præsentis apponentes.

Datum in oppido *Kirchaim*, anno Domini MCCCCXXXIX. mensis Novembris die Sexta, Indictione Secunda, sub secreto nostro Abbatiali.

5.

Iohannis Schelz, Notarij Publici, instrumentum de facta legitimè supra dicta citatione.

ANno Domini MCCCCXXXIX. indictione secunda, Apostolica Sede vacante, die verò Sabbati septima mensis Novembris Ego *Iohannes Scheltz* Clericus Constantiensis diœcesis, publicus imperiali auctoritate Notarius, executus sum præsentem retroscriptam citationem in Capella Beatæ & gloriosæ Virginis Mariæ in *Guttelstein* prædictæ Constantiensis diœcesis horâ Vesperarum diei præfatæ: ipsamque citationem ad valvas ipsius Capellæ *Guttelstein* affixi, atque affixam per totum vespertinum officium stare permisi.

Præterea annô, Indictione, quibus supra, die verò Lunæ Nona Mensis Novembris, horâ Primarum vel quasi, in Monasterio *Zwifalten* ordinis Sancti Benedicti supradictæ diœcesis Constantiensis, & in stuba Infirmariæ Monasterij eiusdem, Ego Notarius publicus præscriptus Reverendo in Christo Patri ac Domino, Domino *Iohanni* Abbati, & Conventui sæpefati Monasterij in *Zwifalten*, in citatione à tergo scripta principaliter nominatis ipsam citationem notificavi, intimavi, & insinuavi, ac de verbo ad verbum legi me obtuli: ad ipsorúmque & cuiuslibet eorum noritiam plenariam, quantum in me fuit, deduxi. Idcirco præsentem executionem manu mea propria scripsi, signoque meo solito & consueto

ſueto ſignavi, in fidem & teſtimonium, omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Acta ſunt hæc anno, indictione, diebus & locis, quibus ſuprà, præſentibus ibidem honeſtis viris, Domino *Conrado Bruckner* Capellano in *Tettingen*, *Wilhelmo Legenlernholtz*, *Haumanno Schinaldienſt*, *Johanne Ceppler* Advocato in *Vrach*, & *Petro de Vrach* Rectore Scholarium in Monaſterio *Zwifalten* prædicto, teſtibus ad præmiſſa vocatis pariter & rogatis.

6.

Renhardus Abbas Bebenhuſanus mandatum Concilij Baſileenſis ultimò exſequitur, & Præpoſituram in Guttelſtein in Cartuſiam erigit.

IN nomine Domini amen. *Renhardus* permiſſione divina Abbas Monaſterij in *Bebenhauſen* ordinis Ciſtercienſis, Conſtantienſis diœceſis, Commiſſarius & executor ad infraſcripta à Sacroſancta generali Synodo Baſileenſi in Spiritu Sancto legitimè congregata, Vniverſalem Eccleſiam repræſentante, ſpecialiter deputatus, omnibus præſentium inſpectoribus ſubſcriptorum notitiam cum ſalute in Domino ſempiterna.

Pridem litteras eiusdem Sacroſanctæ generalis Synodi Baſileenſis eius vera bulla plumbea in chordula canapis ſuo ſolito more impendentes, bullatas, ſanas & integras, non vitiatas nec cancellatas, non abraſas nec abolitas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes Nobis pro parte Illuſtrium & generoſorum Dominorum, Dominorum *Ludewici* & *Vlrici* fratrum, Comitum de *Wirtenberg*, dictæ Conſtantienſis diœceſis, principalium in eisdem litteris principaliter nominatorum, in Notariorum publicorum infraſcriptorum & teſtium ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia cum ea, qua decuit, reverentia recepimus. Quarum tenor de verbo ad verbum eſt talis: *Sacroſancta Generalis Synodus &c. vti ſuprà Num. 2.*

Poſt quarum quidem litterarum præſentationem & receptionem Nobis, quatenus ad dictarum litterarum & contentorum in eisdem executionem procedere iuxta traditam ſeu directam in ipſis Nobis formam dignaremur, requiſitis & inſtanter ſupplicato: Nos Superiorum noſtrorum & præſertim Sanctæ Matris Eccleſiæ mandatis humiliter obedire volentes, ùt tenemur, Venerabilem & Religioſum Dominum Abbatem & Conventum Monaſterij in *Zwifalten* ordinis Sancti Benedicti Conſtantienſis diœceſis ſupradictæ ex adverſo principales in præinſertis litteris, ſimiliter ex adverſo principaliter nominatos, omnesque & ſingulos alios ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes, ad videndum & ad audiendum Nos de omnibus & ſingulis in præinſertis litteris contentis & eorum circumſtantijs informari; & huiuſmodi informatione habita, ad donationem, applicationem, appropriationem, de quibus in præinſertis litteris fit mentio, approbationem & confirmationem, atque Capellæ in *Guttelſtein*, quæ longis temporibus retroactis ad voluntatem & nutum *&c. ſicut in præcedenti Citatione Num. 4. vſque ad: dicendum & allegandum. Poſt quæ ſequitur:* per noſtras certi tenoris litteras citari mandavimus & fecimus ad certum terminum peremptorium competentem.

In quo quidem termino, citatione huiuſmodi legitimè executa, producta, & citatorum de eadem contentorum non comparentium contumacia legitimè accuſata, & in eorum contumaciam certis articulis pro verificatione in præinſertis litteris contentorum exhibitis, & nonnullis teſtibus productis, per Nos admiſſis, in forma Iuris iuratis receptis ſuper articulis antedictis, eorumque dictis in ſcripturas redactis, & Nobis præſentatis; & demum Nobis iterum, ùt ſupra, inſtanter requiſitis, ut ad dictarum litterarum, & contentorum in eisdem procedere dignaremur iuxta traditam ſeu directam in ipſis Nobis formam & informationem: Et quia ex teſtium in huiuſmodi causâ productorum dictis & depoſitionibus aliisque Iuribus coram Nobis exhibitis & productis, invenimus narrata, & in præinſertis litteris contenta veritate fulciri, conſenſumque dictorum Dominorum, Abbatis & Conventus Monaſterij in *Zwifalten*, ac etiam aliorum, quorum intereſt, accedere.

Idcirco Chriſti nomine invocato, iurisque ordine in omnibus obſervato, ſolum Deum

Deum præ oculis habentes, de Iurisperitorum conſilio & aſſenſu, donationem, applicationem, & appropriationem, de quibus in dictis litteris fit mentio, auctoritate vniverſalis Eccleſiæ & Sacroſanctæ generalis Synodi Baſileenſis approbando & confirmando, Capellam in *Guttelſtein* ſupradictam in Domum ordinis Carthuſienſis cum Campanili, Campana, Refectorio, Cellis, hortis, hortalitijs & alijs neceſſarijs officinis erigendam duximus & erigimus. Nec non Prioratum inibi Conventualem pro vno Priore, & duodecim, vel alterius competentis numeri Fratrum dicti ordinis iuxta facultatem reddituum huiusmodi ordinandum & inſtituendum duximus, ac ordinamus & inſtituimus præſentium vigore litterarum; quas exinde fieri, & per Notarios publicos noſtrosque Scribas infraſcriptos ſubſcribi, publicari, & in hæc publica documenta redigi mandavimus; figillique noſtri fecimus appenſione communiri.

Datum & actum in Capella *Guttelſtein* ſæpe dicta, anno Domini MCCCCXXXIX. Indictione ſecunda, die verò Martis decima ſeptima Menſis Novembris, præſentibus ibidem Venerabili & egregio viro *Henrico Degen* Sacrorum Canonum Doctore eximio, Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Martini in *Sindelfingen* Præpoſito, ac providis ac circumſpectis viris Dominis, *Conrado Wideman de Tagerscheim* Sacrorum Canonum & artium liberalium Baccalario, Dominorum noſtrorum *Ludewici* & *Vlrici* fratrum Comitum de *Wirtenberg* Capellano, *Alberto Heller*, *Conrado Bruckner*, *Nicolao Achzinit*, Presbyteris; Nec non *Henrico de Wernow* Armigero, *Johanne Ceppeler* Advocato, & *Johanne Renner* Cellerario oppidi *Vrach* Conſtantienſis diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et Ego *Johannes Scheltz de Heckbach* artium liberalium Magiſter, Clericus Conſtantienſis diœceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia dictarum litterarum præſentationi & receptioni, donationi, applicationi, & appropriationi, nec non Capellæ *Guttelſtein* in domum Ordinis Carthuſienſis erectioni, & Prioratus Conventualis inibi inſtitutioni, omnibusque alijs & ſingulis præmiſſis, dum ſic, vt præmittitur, fierent & agerentur, vnà cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi: ideirco hoc præſens, publicum inſtrumentum manu mea propria ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, Signóqve & nomine meis ſolitis & conſuetis vnà cum appenſione Sigilli dicti Reverendi Patris & Domini, Domini *Renhardi* Abbatis ſignavi & communivi in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum, rogatus pariter & requiſitus.

Et Ego *Iohannes Bümeiſter*, aliàs *Böſch de Wiſſenſtaig*, Clericus Conſtantienſis diœceſis, publicus Imperiali Auctoritate Notarius, quia dictarum litterarum &c. *vti ſupra*: Ideirco hoc præſens publicum Inſtrumentum Scriptum per fide dignum, priùs præactum & exinde me ſubſcripſi & redegi, Signóqve & nomine *&c. vti ſupra*.

7.

Civitas Vracenſis Carthuſiæ Boni Lapidis quædam de ſuo territorio cedit &c.

WIr Vogt, richter, und gantze ge- 1441.
mainde gemainlich der Stat Vrach in Conſtantzer Biſtum gelegen, bekennen offenlich für uns und alle unſer nachkömen, und thun kund allen, die diſen briff yner ſehent, leſent, oder hörent leſen. Als die Hochgeboren vnſer allergenedigeſten herren, Her Ludewig, und Her Vlrich gebruder, Graven zu Wirtenberg, Gott dem almechtigen, auch der Kunglichen Junckfrowen und Muter Maria, allen Gotzhailigen, und allem himeliſchem herr ze lob, und ze eren, iren, ir vordern, und ir Nachkomen Seelen hails willen, und inen ze troſt und ze hilff, dem heyligen Criſtenlichen geloben, und allem gòtlichen diens ze veſtnung und ze merung, Inen furgenomen, gewydemt, gefreyet und beſtettiget han den erwirdigen, ſtrengen, andechtigen, geiſtlichen ſtatt Karthuſer orden mit und ain Prior und Convent, layenbruder und andern perſonen nach aller notdurft deſſelben ordens zu unſer lieben frawen zu dem Gutterſtein, als zu anfang des ordens an dem ende.

Wan nun daſſelb Gotshus zu unſer lieben frawen zu dem Gutterſtein nit ſo wyt und brait aygenfeld gehebt hatt, das

das inen dan zu notdurff ires bues und zu irem gescheff gnug syge: So haben wir angesehen den cristlichen götlichen anfang der genanten unser gnedigen herren; und das auch wir und alle unser Nachkomen derselben guthait, die dan furohin zu dem genanten Gotzhus imer beschehen mag, tailhafftig werdent: So geben wir luterlich umb gotzwillen dem genanten Gotzhuß unser lieben frauen unser gemainmarck, daß wir gehebt haben, es sy holtz oder veld, grund und boden; das dan begrieffen und gelegen ist zwuschen dem Styg an hohenburg und der karestayg, als ferr dan der brugel des gotzhuß her abgant: also das die herren zu dem genanten gotzhuß Karthuser ordens, oder ir Bruder und Schaffner, und alle ire Nachkomen solich gemainmarck, es sy an holtz oder an feld grund und boden, haben, niessen, bruchen, und nutzen sollent und mugent nach allem irem willen und gefallen, als ander des Gotzhuß aygen gutt, on uns, unser Nachkomen, und aller menglichs von unser wegen sumnust, irrung und intrag.

Wir, noch unser Nachkomen, sollen noch wollen den herren des genanten Gotzhuß auch mit unserm Viche in iren garten, weingarten und bomgarten, wa sie die hetten oder furo gewunnen, chainen schaden tun noch zufugen; weder unser Viche darzu waydent, noch chainen andern schaden; sonder gegen inen trulich und ungevärlich halten nach dem fruntlichsten, das wir von Gott dem almechtigen hoffen darumb den ewigen lon ze emphahent. Wer auch, ob etlich burger von Vrach zwischen den genanten Zelen dem stig und der stayg aygen yutt hetten, es were wysen oder ecker; die aygenschaff sol denselben alle wegent behalten sin: und die wayde mugen wir mit Inen zu offen zeiten wol gemain etzen und bruchen, wa nit garten, wingarten oder bomgarten sind oder furohin werdent, anyeuerde.

Wär aber sache, das sich solich sachen handeln oder machen wurde, das die andechtigen erwirdigen herren Carthuser ordens by dem genanten Gotzhuß nit bliben wolten, noch möchten, das Gott nit wolle, so solt dan alles das gut, das wir hie mit disem briff an das obgeschriben Gotzhuß gegeben hettent, wider umb uns und unsern Nochkomen, und unser gemainde haim vallen on aller ander und menglich sumnust, irrwige und intrag: und diser briff dan furohin krefflos, tod, und ab sin; und uns und unsern Nochkomen gantz chainen schaden an diesem hingeben gebern, noch bringen in Chainen weg, alles ungevärlich.

Zu urkunde des allen so haben wir unser gemain stat Insigel offenlich getan hencken an diesen brieff: der geben ist vff unser lieben frouwen tag lichtmeß in dem Jar, da man zalt von Christi geburt tausent vierhundert viertzig und ain Jar.

8.

Ludovici & Vlrici Comitum Wirtenbergensium Diploma fundationis Cartusiæ Boni Lapidis.

ALlen und yeglichen Ertzbischoffen, Bischoffen, Aebten, Priorn, Pröbsten, und besundern dem Erwirdigen und Geistlichen Vatter Bruder Franciscen Prior des obern und grosers Huß zu Carthus, und der gantzen andechtigen Samelung des gemeinen Capitels Cartuser Ordens, und auch allen Hertzogen, Fursten, Marggraven, Graven, Fryen, Rittern, Knechten, Vögten, Schultheissen, Amptluten, Richtern, gerichten und gemeinden; und gemainlich allen und yeglichen Cristgeloubigen, den diser Brieve yiner gezaigt und furbracht wirdet, embieten wir Ludewig, und wir Vlrich, Graven zu Wirtenberg Gebrudere unsern dienstlichen willen und fruntlichen gruß, und demutiges befelhen in vwer, aller und yegliches andechtiges und emsiges gebette zuvor. 1441.

Wir tun vwer, aller und yegliches Erwirdigkeiten wissen; das wir vser dem lichte des heiligen Cristenlichen glaubens und von gnaden des hailigen geistes erkennen und verichen, das wir und alle Menschen schuldig syn zu wurcken und zu uben die werck der gerechtigkait gegen uns selben, die werck der barmhertzigkait gegen unsern Nechsten,

und die werck der flissigen und geistlichen andechte gegen unserm Schöpffer, dem almechtigen Gott.

Und wan wir Nun von verhenckнuß wegen Gottes des herren mit manigveltigen weltlichen sorgen und bekummernussen vberladen, und beschwäret syn mit vil luten und landes usszurichten; also das wir, als denn des wol Notdurfftig und billich wer, dem willen Gottes nit stätlich und empßlich Nachkomen, und uns daran laider offt ubersehen und verschulden gegen dem, der kunfftich ist zu richtend und zu urtailend alle Menschen nach iren wercken; und aber in disem forchtsammen gegenwurff wir armen, blöden Menschen, anders trosten nit enthaben, dan die Busonen der ewiger warheit, die in dem hailigen Evangelio uns und allen Menschen leret und rattlich underwyset, das wir uns sollen in disem zitten freunde machen, die uns hernach in die ewigen hymels-zellen und zelte gefurderen mogen: und an aym andern ende gehaisset Gott glichen lon aym Propheten und aym andern rechtunden Menschen, und auch den, die Sye sturent und uffenthaltend in iren rechtgetanen gotsdiensten.

Dysem gotlichen troste haben wir under andern sachen und sorgen, die uns anligend syn, ernstlichen willen nachzukomend, und mit gutter zitlicher vorbetrachtung, mit ratt der hochgebornen frouwen Henryeten Graffin zu Wirtenberg und zu Mumpelgart, Wittwe, unser lieben Mutter und frawwen, und auch mit flissigem underreden und anwysen unser bayder Räte haben wir uns furgenomen, und aygentlichen angesehen das andechtig und streng leben des hailigen Carthuser ordens, zu dem wir in besunderlicher libe und begirde genaigt syn. Und als wir vernomen haben, so ist derselb orden uf besunderen inker und abgeschaydens leben gestifftet und geordent, also das ain iegliсher des selben ordens syn besunder Celle und Hußlin nach ordnung der heyligen Altuatere haben sol: und ist auch derselb orden ursprunglichen gewydempt und geordnet uf das strenge und bußwertig leben des heyligen töffers unsers Herren Jesu Christi Sant Johannes, den der selb orden fur ain grunt veste, und zu ainem Patron im selber userwelt und erkoren hat, zu wonent mit im in der abgeschaiden wusten.

Solchem haben wir ernstlichen nachgedacht, und sint ainmutiglichen zu rat worden; wie das die Capelle unser lieben frawen der ewiger magt Marià Gottes Muter zu Guterstein genant, in unserm lande und herschaft bey der stat Brach gelegen, nach aller gelegenhait und gestalt wol darzu zimlich und geschickt sy ain Closter und huse des benanten Carthuser ordens daruß und daselbest zu stifften und zu machen. Vnd haben also dyselben Capelle zu Guterstein mit grunt, bodem, buwe, wayde, wasen, ehafften gulte, nutzen und genyssen ꝛc. und gemainiglich mit allen und yeglichen rechten, gewonhaiten, herkomen und zugehorden, so dan durch recht ald von gewonhait darzu gehoren sol und mag, zu ainem seligen anfang ains Closters und huses desselben Carthuser ordens willichichen und ledichlich fur uns und alle unser erben und nachkomen geopfert, ergeben, und gegeben; opfern, geben, und ergeben auch das alles darzu yetzo in Craft dises briefes: als wir auch des zutunde gunst, willen, urlob, und verhencknuß eruolget und erlanget haben des heyligen Conciliums zu Basel; auch unsers herren, herren Heinrichs von Gottes gnaden bischofs zu Constantz und sins Capitels gemainlich, in des bistums die egemeldt Capelle gelegen ist; und daruß ain solich Nuwes Closter und huß des benanten Carthuser ordens gestifftet, und gemacht werden sol: Und besunder auch der erwurdigen Vätter, des Abbtes und Conventz gemainlich des Closters zu Zwyfalten ordens Sant Benedicten; die vor zitten mit unserm willen und gunst die in pflegerswyse, und von unsern vordern, und von unsers empfelhens wegen innen gehabt haben; da von sy doch willicklich gestanden sind, und die lediglich ufgegeben hand; Vnd gemainlich aller der, die bisher dehain recht oder gewonheit darzu und daran ye gehebt habend, oder haben mainten; als auch solchs alles dero aller bullen

und

und besigilten brieue daruber gegeben clarich Ussiwysend.

Herumb Gott dem almechtigen zu lob, und zu eren der himelischen Kunigin Marien, und allem himelischen her, und auch umb der obgenanten unser lieben frauwen und Muter, und aller unsern Vordern seligen, umb unser, und auch der hochgeboren furstinnen frouw Mechtilden pfaltzgravin by Rine und hertzoginnen in Beyeren, unser grave Ludewigs eliche gemahelin, und auch frouw Margarethen hertzoginnen von Clefe und der Marck unser grave Ulrichs eliche gemahelin, vnsern Kinder und aller unser Nachkomen seien hails willen, haben Wir die obgenanten, Ludewig und Ulrich, Grauen zu Wirtenberg gebruder, vor uns und fur alle unsere erben und Nochkomen in bessern und meren vfenthaltunge und bestättigung desselben huses und Closters zu Gutterstein Carthuser ordens, und durch besser ruwe und frides willen der diener gottes, von besunderen gnaden und gunste, demselben Closter zu Guterstein / dem Prior und allen Vättern und Brudern, die dann yetzo daselbst seint, und furo zu kunfftigen zitten dahin ymer komend, und allen iren Nochkomen, aigen luten, dienern und knechten, solche gut, Privilegia und freyheiten, als hernach gescriben steet, ain guten unserm Willen aynmutlich und wissentlich gegeben und bestattiget; Geben, Vesmen, und bestetigen In auch die alle ietzo fur uns und alle unsere erben und Nochkomen in Craft dises briefs. Vnd ist also:

By dem ersten, so haben wir, die egenanten Ludewig und Ulrich, graven zu Wirtenberg/den vorgenanten, Priorn, Munchen und Brudern des obgenanten Closters zum Gutterstein, demselben Closter und allen iren Nochkomen, fur uns und alle unsere erben vnd Nachkomen, vnd fur alle die unseren, solch fribait und privilegien gegeben, das wir dasselb Closter und huse, munche und bruder, die dan ietzo da sint, und noch furhin ymer dahin komen, und alles ir hussgesinde, und alle die, die ir gúter buwent oder besitzend, oder Inen dienent, enphangen haben in unsern besunderlichen schirm und beschützunge, als unser herschaft aygen gut. Vnd wir gebieten allen und yeglichen unsern amptleuten und undertanen, das Inen Niemand in chain wyse ichtz abziehe, obtrag, oder berob, oder Nyeme von irrer lipnarung, noch von dehainen andern irren gutern wyder iren guten willen. Vnd von solichs gnedichihen schirms wegen, sullen noch enwullen wir uns, unser erben uns nit annemen zu sin, noch zu haysen irr, ires Gottshus, noch irer Nochkomen, noch chainer irrer lute noch guten, die desselben gottshuß sind vögte oder gewaltsame hern: dan das sie und ir orden und öbersten sullent des alles volmechtige gewaltsamkeit haben zu schaffen, und zu tund damit nach ires ordens regel gewonheit und frieheiten, on allen unsern, und unsern erben, und menglich von unsern wegen yntrag, wyderrede, und bekrenckung.

Item dasselb huß und Closter, und die gutter, die das selbe huß ietzo hat, sullent nu furohin ewiglich frey, ledig, loß, ungemuet, und gentzlich unbeladen sin von allen nachraysen, diensten, zöllen, sturen, gastungen, Jegern, hunden, waidluten, voglern, spilluten, sprechern, singern, herolten und hofyren: auch von allen schatzungen, liebsturen, gewonheiten, und gemainlich von allen andern beschwärden und uffetzungen und genessen, also wit unser herschaft raichet. Vnd sullen auch mit namen ledig und frey haysen und sin durch alles unser land gebieten und herschaft vor allen sturen, schatzungen, hilffen, zuraichungen, betten, und vor allen andern gewonlichen vorderungen: wie wol das ist, das ander gottshuser und personen im unserm lande in solchem von gemainer Notdorft und Nutzes wegen des landes zu ziten getreben und genottet werdent. Vnd ob uns oder unsern altvordern solichs zu tund fryhait und gnade von dem heyligen Stul zu Roine oder anderschwaher gegeben were, oder vns alt, unser erben nochfuro gegeben wurde: Noch denn so ensullen wir, noch wollen wir, noch unser erben solich fryheit gegen dem uffgemelten huse noch gegen iren Noch-

komen, noch gegen den iren, als vor gelut hat, nimer gebruchen in kain wege.

Sie sollen auch frilichen und fridelichen gut macht haben zu kauffen Jerliche gult und zins in aller unser herschaft zu Wirtenberg. Were aber, das das vorgenant Gottshus ymmer in kunftigen zieten ycht zinsgult oder guter ankument in kauffswyse, oder sunst wie sich das machte, die uns und unsere herschaft sturber, zinsbar, dinstbar, oder vogtbär werent: da von sullent sy und ir Nochkomen uns, unsern erben und Nochkomen tun, was dan die, von der handen die gutter an sie komnen werent, getön hettent, oder geton solten haben; es were dann, das sie solichs von uns oder unsern erben erlassen wurdent, und mit unserm willen an sich brechtent, alles on geverde.

Item vmb des willen, das die egenanten, Prior, Munche und Bruder, und alle ir Nochkömen, alle ire Ehalten und knechte noch irer Notdurft desterbass gehaben und gebruchen mugen, geben wir Inen solich fryhait und gnade, ob dehain ir ehalt, knecht, oder die Iren gegen den unsern / oder Sie gegen einander in dehainerlay wyse frefel, besserunge oder buss verschulten oder verfielen, in dem vorgenanten Gottshus mit sinem begriff, wie sich das fugte, so mag der Prior, Convent, und ir Nochkomen durch ir amptlute und uberrieter solich buss, ven, oder besserunge, der sie denuen verfallen weren, keren, wenden, und tun nach irem willen in ires Closters nutz und fromen on alle unser und unser erben hindernuß.

Were aber, das ain des Gottshuß armman, vsserhalb ires Gottshus uf ainem irem gut sesse, und vff dem gut oder in dem dorff frefelt, den oder die selben, ir wer ainer oder mer, mag ain yeglicher unser Amptman wol vahen, hanthaben, und fur recht bringen, und wan sich findet, mit recht, das er verschuldet habe. Ist dan die frefel also, das die mit gelt zu bussend und zu straffent ist, so sol dem Gottshuß die selbe frefel werden, und uns nit. Were es aber ein frevel, die leib und gelyder berurte, das mag unser Amptman straffen, wie denn das recht und urtail erkennen wirdet.

Item wir geben auch fryhait und gnade, das ain yeglicher Prior und Convent des benempten huses zu Gutterstein, und alle ir Nochkomen haben und besitzen mogent alle und yegliche ir ligend und varende gutter, und habe, die sie yezo hand, es sy an zehenden, an ertrich, gulten, zinsen, houen, husern, walden, wysen, waynden, ackern, waasen, wyeren, wassern, vischentzhen, haiden, garte, strassen, wegen, oder an andern, nichtz vssgenomen. Vnd darzu und damit sullent sie auch haben und bruchen in volkömenen fryd, fryhait, und ruive alle und yegliche gemaine fryheiten, herkomen, und Privilegien; die denn dem huß zu Carthuse und andern husern desselben ordens in gantzer gemainschaft von der heyligen Kirchen, von Bäbsten, Bischöffen, Kaisern, Kunigen, Fursten oder herrn ye verlihen sint, und werden, in aller der Maß: als dann des selb Huss zu Carthuse, und ander huser des ordens solich gnad und gemain fryhaiten niessent und gebruchent vngevarlich.

Doch so sullent der obgenant Prior und Convent zum Guterstein und ir Nachkomen, noch nymant von Iren wegen solich fryhait und gnad, so sie iezund hand, und hinfur werden haben, oder uberkoment von Kaysern, Kunigen, weltlichen Fursten oder herrn, gegen uns, unseren erben und Nochkomen den unsern, und die uns zu versprechen sten, weltliche personen, nit pruchen one unsern, unser erben und Nochkomen willen ungevarlichen.

Vnd wir versprechen und geredn auch fur uns, und unser erben, und alle unser Nochkomen; das wir dieselben Prior und Convent, und alle ire Nochkomen by solichen vor und nach geschriben fryhaiten und gnaden ailen getreuwelich und ewiglich beliben lassen, und darzu und daran zu belibend sie vor aller menglichem gaistlichen und weltlichen, die sie daran irren

rẽn oder bekrencken mainten, getruwlich und luterlich umb Gottes willen beschirmen und behalten wollen nach allem unserm besten vermugen, ungenarlich.

Item das egenant huß, Prior und Convent, und alle ir Nochkömen sollen auch und mugen haben und besitzen ewichlich und geruwlich alle und yegliche ire zehend, die sie ytzo habent, oder noch furbaß vberkömen und gewinnen mochten: obioch die selben zehenden vorher uns oder andern von dem heyligen Stull zu Rome, oder von andern, geistlicher oder weltlicher herlichkait verlihen weren.

Item der Prior, Convent, und ir Nochkomen, und ir knecht, und diener, ainer oder mere, mögen alle wegen ewiglich in der Stat Brach, oder auch Usserhalb in allem unsern lande und gantzer herschafft an allen enden, wa sie wollen und Inen wol fuget, kauffen frilichen und fridlich holtz zu aller irn Notdurft, zu brennen, und zu zönen fur sich selber, und fur ir hindersässen, diener und knecht: und desglichen auch spyse und getranck fur sich und allers ir hussgesinde, es sie win, korn, bröt, visch, milch, butter, ayer, käs, oder ander lipnärunge.

Vnd ob villicht in unser herschafft von uns ald vnsern erben und Nochkömen verbotten und gebotten wurde solich obgeschriben holtz, spyß und getranck zu etlichen ziten und an etlichen enden nit zu kouffen; oder das man win oder körn, und getrayde, oder ander gute Usser unserm lande nit furen, oder schicken, noch frembden luten nit zu kauffen geben, noch mittailen solte: fur solche gebött und verbotte alle sollen alle wegen der gemelt Prior und Convent, ihre Nochkomen, und alle ire hindersessen, diener und knecht, und alle die irn loblich gefryhait sin.

Ouch Prior, Convent, und alle Ire Nochkomen desselben Closters, sullen alle weg gut macht haben Nuwe wingarten zu machent, oder vorgemachte zu kouffent, und die durch ire diener und die Iren zu buwen in allem unserm lande, wa sie kumment oder mögent.

Wer es auch, ob Inen von dehainen den unsern, oder von den, die uns zu versprechent stend, oder von Jeman andern, es wer von geistlichen oder weltlichen lute gemacht oder geschaft wurde an dem todbette, oder sust nach Vsvynsunge gaistlicher recht, es wär an barschafft, an ligenden oder varenden guten: das sol dem obgenanten Gottshuß on unser und allermenglichs widersprechen werden und ervolgen. Darzu sullen wir in beholffen sin, und unsern Amptlute und Rätte, das In darin kain irrung oder widerrede geschehe: Es wäre dann, das yemant ain unbillich und vnzimlichs geschäft oder gabe tett, dadurch oder damit sin erben nach dem und sin verlassen gut wer, berlichen beswert wurden; das sol bleyben by und nach erkantnus unser oder unser Rätte in fruntlicher billichen entschaidunge on alles gewerde. Jedoch was geschaft oder gemacht wurde an ligenden gutern, wie die genant weren, das mogen die erben abtragen mit gelt, oder varner habe nach werungen der ligenden guter.

Item es sullen noch wollen, weder wir, noch dehain unser erben, noch Nymand ander dehain inflissends noch vsfliessendes wasser nicht graben, noch machen innerhalb des egenanten huses und Closters wassersfluß in dehain wyse.

Item sie mogen auch in dem selben irem huse und Closter, und auch Vsserhalb vf allem irem ertrich, houen, gutern und husern uf ain myl wegs alle umb und umb by dem selben irem Closter, wa innen das fuglich ist, verkouffen oder schencken win, korn, oder anders, wes sie denn vberigs haben: Und weder uns, noch vnsern Erben, noch Nymand andern dehain zol davon schuldig noch pflichtig sin zu raichen noch zu geben in dehainem wege.

Item wir geben auch Inen solich fryunge und fryhait fur uns, vnser erben und Nochkomen; und gebieten auch solichs allen unsern underta-

nen vestichlich und ernstlich zu haltent by straff libs und guts : das Nyemand, wer der sy, dehainen menschen in dem selben irem huse und Closter, es gehore darzu, oder diene ald arbeite darinne, oder sy darin gewichen, von dehainer hand sachen wegen nicht bekumeren, laydigen, betruben noch vahen solle noch möge. Vnd wer das uberfure, den sullen und wollen wir, und unser erben darumb straffen herticlich als vorstat.

Item sie und irn Nochkomen mugen auch uff allem irem ertrich und aigen, so sie ytzo hant und furo gewinnen, buen und machen, ald Buwen und machen lassen weyer, wälde, garten, wysen, äcker, oder anders, das inen denn zu nutzen und zu fromen komen möge, vngeverlich, auch uns und andern luten on schaden.

Item wir vergunsten, erlouben, und geben inen auch fryhait, das sie und ir Nochkomen mugen haben ain oder merer menim oder wagenuert, und mit iren knechten varen in unsere förste und wälde, wa und wenn sie wullent, und daruß furen und houwen holtz zu brennen, zu buwen, und zu zönen In und umb ir gottshuß zum Gutterstein, noch aller ir Notdurft, also frylich und also fridlich, als wir Selbs.

Item wir wollen auch von unsern Costen buwen und machen lassen ain Capellen vnder fur den Velsen, die diene und warte den Bilgern.

Item vnd wan Villicht den genanten Prior, Convent oder Bruder schwär und nit suglich wäre von allen irs huses, oder der iren sachen wegen, die inen zu kunftigen ziten anligend wurde, fur uns als fur unser erben zu könen, und umb schirm, hilff oder rätt anzuruffend : darumb so ordnen und setzen wir Inen darzu an unser stat, und von unsern und unser erben ain Vogte zu Vrach, der denn in ziten ye Vnser Vogt zu Vrach were. Also wenn und als oft der von des benenten huses wegen umb hilff, schirm und rätte anrüft, oder angeruft wurde, das er Inen und den iren in allen zimlichen sachen, als von unsern, und unsern erben wegen, und in unserm Namen behölff, schirmlich, und beraiten sin solle. Vnd der solchs, darumb er angeruft were, selber nit ussgerichten mögte, so soll derselbe Vogt, oder welcher denn zu mal in solichem darzu gesetzt wer, dieselbe sach für uns, ald unser erben, und unser hofmaister und räte bringen von der benanten, Priors und Convent wegen, der worten, das sie, und die Iren dester baß dehaim an irem gottsdienst ungehindert und geruwlich bleyben und besten mögen.

Were es aber sache, das ain Vogt zu Vrach, oder der, dem denn solches schirm bevolhen, were an solichen hilff schirm, räte und ussrichtunge saumig, oder an dehainen sachen ainem prior und Convent des dickgenanten huses dehains iars in ewigen ziten schwär, herte, schedelich oder unfuglich wäre oder wurde : So mugen als denn Prior und Convent das an uns, oder unser erben, oder Nochkomen bringen lassen ; so sullen und wollen wir, oder unser erben, oder Nochkomen Inen ainen andern geben, der Inen bequemlich und geuellig ist, vngevärlich, als dick es not ist.

Item wir, noch unser Erben, noch nymant andre von unser, und unser erben wegen, en sollen noch wollen uns dehains wegs nit annemen, noch vnterstan, ire amplute, weder in Irem egenanten Closter, noch vsserhalb uff iren höuen oder gutern zu setzen und zu entsetzen, noch dehain person zu pfrundnern zu geben, noch fur yemant, das sie In zu pfrundneren oder zu Bruder, Conversen oder Donaten ynnemen zu bitten, oder fur in zu scriben, noch sie zu solichem zu notten, noch zu bringen in dehain weg, denn mit Irem guten freyen willen.

Item ob auch das egenant huß icht Kirchen, oder ander gottsgaben zu uerliehent hett, oder gewinne, so ensullen noch wollen weder wir, noch unser erben, noch yemant von unsern wegen, fur Nymant bitten, noch scriben, noch mit dehainer trew noch

andern

andern ſachen dar geben in kain wyſe. dann das ſolich kirchen und gottsgaben zeverlihent und zeuerſorgent ſol alle wege zu der gewiſſend und gewaltſamkeit eins Priors und Conventz ſteen nach ires ordens fryhait und herkomen.

Wir ſullen von ſolichen, die uff ire kirchen und gotsgaben erſturben, noch von iren erben oder Nochkomen gar kain erbfal noch nichtzit nemen, noch die unſere nemen laſſen von dehainem irem verlaſſen gut und habe vberal.

Wir geben und verlihen auch mit craft diſes brieffes den obgeſcriben Prior und Convent, und gantzem huſe zu ſture und vfenhaltunge weyd gnug zu XXIIII. hopteren rinderhafftig Vihes die zu haben uf der ſteige an den enden, dy dann vor eins Probts Vihe gegangen und gewaidet iſt. Mochten ſie aber an den anſtozeren haben und erlangen, das ir guter wille wer mere da zu geen laſſen, das iſt auch unſer guter wille alles on geuerde.

Doch ob hinfur in kunftigen ziten nach datum diſes brieffes ycht lute, zins, gulte, oder guter, die zu uns, unſern erben oder Nochkomen, oder unſer Herſchaft gehorten, uns mit ſturen, zinſen, gulten, oder dienſten, oder in ander wege uerbuntlich werent, an ire obgenante gotshuß zum Guterſtein kement oder bracht wurdent, wie oder in welchem weg das geſchee oder zu gieng: das dann ſie und ir Nochkomen uns, unſern erben und nochkomen von ſolichen luten und guten tun und geſcheen laſſen ſollent, was uns denn vor davon geſcheen iſt, und uns ander die unſern von ſolichen gutern tun; es were dann, das ſie des von uns, unſern erben oder Nochkomen erlaſſen wurdent, alles on geuerde.

Vnd die vorgenenten, Prior und Convent zum Gutterſtein, und ir Nochkomen, noch Nymant von iren wegen ſollent ſich auch mit den obgenanten noch andern fryhaiten, die das vorgenant Gotshus, oder der Orden ytzund hat, oder furbas jemer uberkumt, noch mit dhainen ſachen nit behelffen, damit ſy wyder diſen artickel uns, unſer erben oder Nochkomen, und dieſelben unſere rechte und herkomen nach deſſelben artickels, ſage ycht getun oder gekomen, oder das geirren, wenden, oder widertriben mogent in dehain wyſe, geuerde oder argeliſt in allen vorgeſcriben ſachen gantz und luter uſſgenomen.

Und des alles zu warem urkunde Haben wir obgenanten, Ludewig und Vlrich Graven zu Wirtenberg unſer aigenne inſigel fur uns, unſere erben und Nochkomen offenlich geheneckt an dieſem brieve; der geben iſt zu Stutgarten am Montag nach dem Sonnentage, als man in der heyligeu kirchen ſinget *Reminiſcere*, Nach Criſti geburt, als man zalt Vierzehenhundert Viertzig und ein Jare.

9.

Heinricus Epiſcopus Conſtantienſis denuo, idque cum conſenſu Capituli ſui, erectionem Cartuſiæ Boni Lapidis approbat.

HEinricus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus *Conſtantienſis*, & Adminiſtrator *Curienſis* eccleſiarum, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, præſentibus & poſteris, ſubſcriptorum notitiam cum ſalute & ſincera in Domino charitate. 1442

Dudum ad nobilium & generoſorum Dominorum *Ludevvici* & *Vlrici*, germanorum Comitum de *Wirtenberg*, noſtræ Diœceſis, tunc ſinceræ devotionis affectu pro ſuorum progenitorum, propria, ac fidelium vivorum & mortuorum ſalute, Diviniſque cultus augmento, ac laude, gloria & honore Salvatoris noſtri, Domini IEſu Chriſti, eiusque matris Virginis glorioſæ ac Sanctorum omnium, deſiderantium in loco *Guttelſtein* propè *Vrach*, quæ tunc præpoſitura per Monachum

chum Ordinis Sancti Benedicti regi ſolita fuit, à Monaſterio in *Zwifalten* eiusdem Ordinis dependens, Domum ordinis Carthuſienſis pro certo fratrum numero Altiſſimo inibi ſub ipſius ordinis obſervantia perpetuò famulantium cum bonorum, pro eorundem fratrum ſuſtentatione, condonatione, collatione & aſſignatione, de noſtris licentia & conſenſu & approbatione iuſtum inſtantes preces deſuper nobis porrectas... Nos ſervatis in ea parte ſervandis Eisdem Dominis Comitibus per alias noſtras certi tenoris litteras erigendi locum prædictum in *Guttelſtein* in Domum ordinis Carthuſienſis pro Priore & fratribus Deo inibi ſub regula & obſervantia eiusdem ordinis famulantibus licentiam dedimus; conſentientes, vt ibidem Domus Carthuſienſis conſtruatur, & erigatur cum Campanili, Campana, Refectorio, Cellis, hortis & alijs neceſſarijs officinis pro uſu & habitatione Prioris & Fratrum numeri competentis iuxta reddituum eiusdem Domus facultatem: bonorumque applicationem, condonationem & aſſignationem tunc factas & impoſterum fiendas pro Prioris & Fratrum domus huiusmodi ſuſtentatione, auctoritate noſtra ordinaria approbantes & confirmantes, prout & quemadmodum in litteris noſtris inde confectis, & Sigillo noſtro, quo tunc utebamur, appenſo ſigillatis pleniùs & latiùs continetur.

Tamen, ſicut Dominorum Comitum prædictorum nec non Prioris prætactæ domus ex poſt oblata nobis petitio continebat, dubitatur à nonnullis huiuſmodi conſenſum, licentiam & approbationem noſtras, eò quòd Capituli noſtri conſenſus non apparet interveniſſe, viribus non ſubſiſtere. Ideirco petiverunt à Nobis, quatenus in præmiſſis, quemadmodum in alijs litteris noſtris prætactis continetur, geſta & facta revalidando, ea omnia & ſingula etiam de noſtri Capituli conſenſu denuo approbare & confirmare dignaremur.

Nos itaque ſuper his maturo Venerabilium Decani & Capituli Eccleſiæ noſtræ *Conſtantienſis* præhabito conſilio & tractatu Capitulari, piam dictorum Dominorum Comitum voluntatem & propoſitum ſalutare, ſicut pro antea, adhuc confovere volentes, de Eorundem Decani & Capituli noſtri conſenſu in erectionem & conſtructionem domus Carthuſienſis in loco prænotato pro Priore & fratribus numeri competentis inibi Deo ſub obſervantia dicti Ordinis Carthuſienſis militantibus, cum Campanili, Campana, Refectorio, Cellis, hortis, & alijs neceſſarijs officinis pro vſu & habitatione Prioris & Fratrum, ac bonorum condonationem, & approbationem iam factas, & in futurum dante Domino pro ipſorum Prioris & Fratrum ſuſtentatione fiendas de novo conſentimus: illasque auctoritate noſtra prædicta approbamus & confirmamus præſentium per tenorem; Iuribus tamen Epiſcopalibus, Archidiaconalibus, & alijs Nobis & Eccleſiæ noſtræ in loco prætacto, hucusque & ante erectionem domus huiusmodi competentibus ſalvis ſemper manentibus & illæſis, quibus per priorem ac præſentem conceſſionem & approbationem noſtras nolumus in aliquo præiudicari. In Quorum fidem & teſtimonium præſentes litteras ſigilli noſtri vnà cum dicti noſtri Capituli ſigilli fecimus appenſione communiri.

Nos etiam Decanus & Capitulum Eccleſiæ Conſtantienſis prætactæ in teſtimonium & robur præmiſſorum, Sigillum Capituli noſtri præſentibus cum ipſius Reverendi Patris & Domini noſtri, Domini *Heinrici* Epiſcopi Conſtantienſis, & Adminiſtratoris *Curienſis* Eccleſiarum Sigillo fecimus ſubappendi.

Datum & actum *Conſtantiæ* Anno Domini MCCCCXLII. menſis Januarij die triceſima, indictione Quarta.

10.

Æymo, Epiſcopus Gratianopolitanus conſervationem Cartuſiæ Boni Lapidis Decano Conſtantienſi &c. ſubdelegat.

1444. Æymo miſeratione divina Epiſcopus *Gratianopolitanus*, Iudex & Conſervator privilegiorum Maioris Domus Carthuſienſis, noſtræ diœceſis, Cæterorúmque Priorum, Fratrum, Sororum & Converſorum ordinis Carthuſienſis in diverſis mundi partibus conſiſtentium, à Sede Apoſtolica, vnà cum noſtris in hac parte Collegis, cum illa clauſula: *quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios, etiam ſi ſint extra loca, in quibus eſtis deputati Conſervatores & Iudices &c.* ſpecialiter deputatus Venerabilibus & circumſpectis viris, Dominis, Decano Maioris Eccleſiæ *Conſtantienſis*, ac Præpoſito Sancti *Martini in Sindelfingen*, Conſtantienſis, & Decano *Sancti Spiritus in Haddelberga* Collegiatarum Eccleſiarum, & *Wormatienſis Diœceſum* (quibus & eorum cuilibet noſtræ præſentes literæ, imò veriùs Apoſtolicæ diriguntur) Salutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus; & noſtris, imò veriùs Apoſtolicis firmiter obedire mandatis.

Noveritis nos litteras Apoſtolicas ſuper conſervatoria privilegiorum huiuſmodi Nobis & cæteris Collegis noſtris in eiſdem nominatis directa cum debita reverentia, pro parte Venerabilium Religioſorum Fratrum Domuum, & Priorum Conventus & ordinis Carthuſienſis, Nobis exhibitas recepiſſe ſanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes; Nobisque per Venerabilem Religioſum Fratrem *Heinricum de Gruningen*, Priorem Domus *Beatæ Mariæ Boni Lapidis* dicti ordinis Carthuſienſis Conſtantienſis diœceſis, ac nomine & ad opus & utilitatem dictæ ſuæ domus *B. Mariæ Boni Lapidis* præſentatas. Quarum quidem litterarum Apoſtolicarum, ſiue Conſervatoriæ Apoſtolicæ tenor ſequitur, & eſt talis.

Ioannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Archi-Epiſcopo *Ebrudunenſi*, & Epiſcopo *Gratianopolitano*, ac dilecto Filio Decano Eccleſiæ *Viennenſis* ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Militanti Eccleſiæ, licèt immeriti, diſponente Domino Præſidentes circa curam Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium ſolertiâ reddimur indefeſsâ ſoliciti: ut iuxta debitum paſtoralis officij eorum occurramus diſpendijs; & profectibus Divina cooperante clementia ſalubriter intendamus.

Sanè Dilectorum filiorum, Prioris & Conventus Maioris Domus Carthuſiæ Gratianopolitanæ Diœceſis, aliorumquè Priorum & Fratrum ac Converſorum Cartuſienſis Ordinis in diverſis mundi partibus conſiſtentium, conqueſtione percepimus, quòd nonnulli Venerabiles Fratres noſtri, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, cæterique Eccleſiarum Prælati ac Clerici, & Eccleſiaſticæ perſonæ, tam Religioſæ quàm Sæculares; nec non Duces, Marchiones, Comites & Barones, Nobiles, Milites, Communia Ciuitatum, Vniverſitates, & aliæ ſingulares perſonæ occupârunt, ſeu occupari fecerunt Eccleſias, Villas, oppida, Colonos & ſervos animalium, Decimas, Nemora, prata, paſcua, piſcaria, venationes, hortos, pomeria, molendina, terras, domos, vineas, poſſeſſiones, iura, redditus & proventus ipſorum; & alia Bona mobilia & immobilia, ad Priores, Fratres & ordinem prædictos ſpectantia, & ea detinent indebitè occupata. Nonnulli etiam ciuitarum & partium prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, Prioribus & Fratribus ſupradictis ſuper Eccleſijs, villis, oppidis, colonis & ſervis, animalibus, Decimis, Nemoribus, pratis, paſcuis, piſcarijs, venationibus, hortis, pomerijs, molendinis, terris, locis, domibus, vineis, poſſeſſionibus, iuribus, redditibus & proventibus eorundem, & quibuscunque alijs Bonis, mobilibus & immobilibus, ſpiritualibus & temporalibus, &

Digitized by Google

alijs rebus, ad Priores & Fratres prædictos ſpectantibus, multiplices moleſtias & iniurias inferunt & iacturas.

Quare dicti Priores & Fratres Nobis humiliter ſupplicârunt, ut, cùm Eiſdem valde reddatur difficile pro ſingulis querelis ad Apoſtolicam Sedem habere recurſum, providere ſibi ſuper hoc paternâ diligentiâ curaremus.

Nos igitur adversùs occupatores, præſumptores, moleſtatores & iniuriatores huiuſmodi, illo volentes eis remedio ſubvenire, per quod illorum compeſcatur temeritas, & alijs aditus committendi ſimilia præcludatur: Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut vnus veſtrûm, per vos vel alium vel alios, etiam ſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis Conſervatores & Iudices, præfatis Prioribus & Fratribus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eoſdem ſuper his & quibuslibet alijs Bonis & Iuribus, ad dictos Priores & Fratres ſpectantibus, ab eiſdem vel quibuscunque alijs indebitè moleſtari, vel eis gravamina ſeu damna vel iniurias irrogari, facturi dictis Prioribus & Fratribus, cùm ab eiſdem, ſeu Vicarijs aut Procuratoribus ſuis, vel eorum aliquo fueritis requiſiti, ut de prædictis & alijs perſonis quibuslibet ſuper reſtitutione Eccleſiarum, villarum, oppidorum, Colonorum & ſervorum, animalium, Decimarum, nemorum, pratorum, paſcuorum, piſcariorum, venationum, hortorum, pomeriorum, molendinorum, locorum, terrarum, domorum, vinearum, poſſeſſionum, Iurium, reddituum ac proventuum, ac Bonorum mobilium & immobilium, & aliorum quorumcunque Bonorum, nec non de quibuslibet moleſtijs, iniurijs atque damnis, præſentibus & futuris, in illis videlicet, quæ iudicialem requirunt indaginem, de plano ſine ſtrepitu & figura iudicij; in alijs verò, prout qualitas ipſorum exegerit, iuſtitiæ complementum: Occupatores ſeu detentores, moleſtatores, præſumptores, iniuriatores huiuſmodi, nec non contradictores quosliber & rebelles, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, ordinis vel conditionis extiterint, quandocunque & quotieſcunque expedierit, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; non obſtantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri, in quibus præcavetur, ne quis extra ſuam civitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam diætam à fine ſuæ diœceſis ad iudicium evocetur; ſeu ne Iudices & conſervatores à Sede deputati prædicta extra ciuitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, ſiue alij vel alijs vices ſuas committere, aut aliquos vltra diætam vnam à fine diœceſis eorundem trahere præſumant: Seu quod de alijs quàm de manifeſtis iniurijs ac violentijs & alijs, quæ iudicialem indaginem exigunt, pœnis in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantes adiectis, Conſervatores nullatenus ſe intromittant: & tam de duabus diætis in Concilio generali, dummodo vltra duas vel tres diætas aliquis extra ſuam ciuitatem & diœceſim auctoritate præſentium non trahatur quàm alijs quibuscunque Conſtitutionibus à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus tam de Iudicibus delegatis & Conſervatoribus quàm perſonis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis; aut alijs Edictis, quæ veſtræ poſſent in hac parte Iurisdictioni aut poteſtati eiuſque libero exercitio quomodolibet obviare: ſeu ſi aliquibus communiter vel diuiſim à prædicta ſit Sede indultum, quòd excommunicari, ſuſpendi vel interdici, ſeu extra vel vltra certa loca ad iudicium evocari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi & eorum perſonis & locis, ordinibus ac nominibus proprijs mentionem. Et qualibet alia dictæ Sedis indulgentiâ generali vel ſpeciali, cuiuscunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam veſtræ Iuriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri: & de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris literis habenda ſit mentio ſpecialis.

Cæterum

Cæterum volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quòd quilibet vestrûm prolequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico impeditus: quodque à data præsentium sit vobis & vnicuique Vestrûm in præmissis omnibus & eorum singulis, cœptis & non cœptis, præsentibus & futuris perpetuata potestas & Iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in præmissis omnibus, cœptis & non cœptis, præsentibus & futuris & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia & singula coram Vobis cœpta fuissent; & Iurisdictio Vestra & cuiuslibet vestrûm in prædictis omnibus & singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimè extitisset, Constitutione prædicta super Conservatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obstante.

Datum *Avinionis* Quarto Nonas Iulij Pontificatûs nostri anno secundo.

Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem & receptionem fuimus pro parte dicti Fratris *Heinrici* Prioris, nomine dictorum Conventûs & Monachorum ac Conversorum Domus *Beatæ Mariæ Boni Lapidis*, Constantiensis diœcesis, cum debita instantia requisiti, quatenus ad omnia & singula Nobis in litteris præinsertis Apostolicis commissa ad debitæ defensionis Eisdem, Priori, Monachis & Conversis eiusdem Domus *B. Mariæ Boni Lapidis* impendendum præsidium, prout expedit, iuxta formam, mentem & tenorem earundem præinsertarum Conservatoriarum litterarum procedere curaremus.

Nos igitur *Aymo* Episcopus, Iudex, & Conservator præfatus præfatis Fratribus *Heinrico* Priori, Monachis, Conversis & Religiosis eiusdem domus *B. Mariæ Boni Lapidis*, omnibus iuribus, bonis, censibus ac rebus eisdem spectantibus, cùm in & circa Nobis commissa pluribus aliis negotijs occupati, iuridicè in eorum negotijs providere non valemus, desiderantes ex intimis eisdem, prout tenemur, de opportuno remedio providere: Idcirco Vobis Dominis, Decano Maioris Ecclesiæ *Constantiensis*, Præposito Sancti *Martini in Sindelfingen* Constantiensis, Decanóque *Sancti Spiritus in Madlberga* Wormatiensis Diœcesum, ecclesiarum Collegiatarum, & Vestrûm cuilibet, quibus præsentes nostræ litteræ, imò veriùs, Apostolicæ diriguntur; de quorum circumspectione & industria ac probitate meritò confidimus, omnes & singulas causas per præfatos Fratres, Priorem, Monachos & Conversos eiusdem domus *B. Mariæ Boni Lapidis*, & eorum quemlibet aut eorum Procuratores contra quoscunqve occupatores, detentores, molestatores, præsumptores, iniuriatores Domorum Eorum, Decimarum, ecclesiarum, villarum, oppidorum, censuum, Colonorum & servorum, animalium, Nemorum, pecorum, pratorum, pascuorum, piscariorum, venationum, hortorum, pomeriorum, molendinorum, locorum, terrarum, domorum, vinearum, possessionum, Iurium, reddituum & proventuum, ac Bonorum mobilium & immobilium, & aliorum quorumcunqve Bonorum, Eisdem Priori, Monachis, Conversis & familiaribus ipsorum quomodocunque spectantium & pertinentium, motas & movendas, cœptas & non cœptas, præsentes & futuras, Auctoritate Apostolica, nobis in hac parte commissa, & qua fungimur, committimus tenore præsentium audiendas, examinandas, decidendas & debito fine terminandas cum vniversis emergentibus, dependentibus & connexis earundem, vocatis evocandis, summariè, simpliciter, & de plano, strepitu & figura Iudicij cessantibus, procedendo circa Conservatorium huiusmodi: nec non defensionem Bonorum & rerum dictorum, Prioris, Monachorum & Conversorum dictæ Domus *Beatæ Mariæ Boni Lapidis*, ac Iurium eorundem, & cuiuslibet ipsorum, nec non vniversa & singula omnia alia Nobis in hac parte commissa, eadem auctoritate Apostolica Vobis & Vestrûm cuilibet, iuxta traditam in dictis litteris Apostolicis Nobis formam, vices nostras plenariè & omnino committimus, donec eas ad nos duxerimus revocandas.

Cæterùm quia nimis difficile & laborioſum foret præfatis, Priori, Monachis, Converſis & alijs dictæ domus *B. Mariæ Boni Lapidis* Conſtantienſis dioeceſis, attentâ patriæ diſtantiâ, ſiue eorum Procuratoribus & nuncijs, pro qualibet citatione vigore eorum Conſervatoriæ à Vobis ſeu veſtrûm altero impetranda & obtinenda; volentes ipſorum, Prioris, Monachorum, Converſorum, ac cæterarum perſonarum eiuſdem domus *B. Mariæ Boni Lapidis* parcere laboribus & expenſis, vniverſis propterea & ſingulis eccleſiarum parochialium Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis, Vicarijs, Altariſtis, Capellanis & quibuſvis alijs perſonis Eccleſiaſticis, ac Notarijs, Clericis & Tabellionibus publicis per Civitatem & Dioeceſes, Conſtantienſem, Baſilienſem, Wormatienſem, ac aliàs ubilibet conſtitutis, quibus noſtræ præſentes litteræ, imò veriùs, Apoſtolicæ perveherint ſeu fuerint præſentatæ, & qui per harum exhibitores fuerint requiſiti, ſeu fuerit requiſitus, Auctoritate Apoſtolica prædicta in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœnâ, quam in eos & in eorum quemlibet, Canonica monitione præmiſſa, eadem auctoritate ferimus in his ſcriptis, niſi fecerint vel fecerit, quæ eis committimus, & mandamus, quatenus citent peremptoriè, ſeu eorum alter citet, vno edicto pro omnibus, ut partium parcatur laboribus & expenſis, videlicet omnes & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas, regulares & ſæculares, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtant, quas lator præſentium duxerit eiſdem nominandas, ſimul vel ſucceſſiuè ad diem & dies competentes coram Vobis ſubdelegatis noſtris ſeu Veſtrûm altero in domibus habitationum veſtrarum vel alibi comparituras, petitionibus & querelis dictorum fratrum, Monachorum, Converſorum & cæterarum perſonarum dictæ domus *B. Mariæ Boni Lapidis*, ſiue procuratorum & Nunciorum ſuorum, ac cuiuslibet eorundem debitè reſponſuras.

De quorum perſonarum citandarum nominibus & cognominibus proprijs, nec non de dierum & locorum aſſignationibus Vos Subdelegatos noſtros vel alterum veſtrûm per eorum patentes litteras ſigillo aut ſigneto eorum manuali roboratas, ſeu per publica inſtrumenta, harum noſtrarum litterarum ſeriem deſignantia & deſignantes legitimè certificare procurent, ſeu eorum alter procuret.

Abſolutionem verò omnium & ſingulorum, qui præfatas noſtras ſententias vel earum aliquam incurrerint ſeu incurrerit, Vobis ſubdelegatis noſtris, ac veſtrûm alteri, ſeu ſuperiori noſtro tantummodo atque Nobis reſervamus.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras litteras ſiue præſens publicum inſtrumentum huiuſmodi, noſtram ſubdelegationem in ſe continentes ſeu continens exinde fieri, & per Notarium publicum Secretariumque noſtrum ſubſignatum ſubſcribi & publicari mandavimus, ſigillique noſtri iuſſimus ac fecimus appenſione communiri.

Datum & actum *Gratianopolitanæ* in domo noſtra Epiſcopali, videlicet in Camera noſtra propria ſub anno à Natiuitate Domini Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quarto, die verò decima nona Menſis Maij, Sacro Concilio Baſileenſi durante, præſentibus ibidem Nobilibus & Venerabilibus viris, *Aymone* & *Franciſco de Chiſiaco* Scutiferis, Domino *Petro Girondi* & *Petro Ruffi*, Familiaribus noſtris, cum pluribus alijs teſtibus, ad præmiſſa vocatis & rogatis.

Ego verò *Guillermus de Cruce*, Clericus, Civis Gratianopolitanus, publicus Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus Notarius, prælibatique Reverendi in Chriſto Patris & Domini, Domini *Aymonis* Epiſcopi Gratianopolitani, Iudicis, & Conſervatoris Secretarius &c.

Vicarius

11.

Vicarius Generalis in spiritualibus Heinrici Episcopi Constantiensis relatam præcedente numero subdelegationem publicari & executioni mandari permittit.

VIcarius Reverendi in Christo Patris & Domini, Domini *Hainrici*, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi *Constantiensis*, & Administratoris *Curiensis* Ecclesiarum in Spiritualibus generalis, omnibus præsentium Inspectoribus subscriptorum notitiam cum salute.

Quia litteras subdelegationis Reverendi in Christo Patris & Domini, Domini *Aymonis*, miseratione Diuina Episcopi *Gratianopolitanensis*, Judicis & Conservatoris privilegiorum Maioris Domus Carthusiensis suæ Diœcesis, cæterorumque Priorum, Fratrum, Sororum, & Conversorum ordinis Carthusiensis in diuersis mundi partibus consistentium, à Sancta Sede Apostolicâ, vnà cum certis suis in hac parte Collegis, cum clausula: *quatenus vos vel duo, aut vnus vestrùm, per vos vel alium seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus estis deputati Conservatores & Judices &c.* specialiter deputati, manu & signo providi viri *Guillielmi de Cruce*, Clerici, Civis *Gratianopolitanensis*, publici Apostolica & Imperiali auctoritatibus Notarij, & præfati Domini Episcopi & Conservatoris Secretarij subscriptas & signatas, & eiusdem Domini Episcopi, Conservatoris & Judicis vero sigillo in chordula rubei coloris, ac cera rubea albæ impressa impendente sigillatas, tenorem potestatis Apostolicæ sibi in hac parte concessæ in se complectentes, inferiusque per earum principium & finem, Notarij exclusa subscriptione, sufficienti specificatione designatas, Nobis pro parte Religiosorum, in Christo Prioris & Conventus, ac Monachorum & Conversorum domus *Beatæ Virginis Mariæ Boni Lapidis* ordinis prædicti, Constantiensis diœcesis, in litteris ipsis principaliter nominatorum præsentatos, & per Nos diligenter visas, lectas & examinatas, sanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque abolitas vel abrasas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes invenimus: Idcirco petitioni dictorum Prioris & Conventus Monachorum & Conversorum Nobis super oblatæ annuentes, ut mandatis, processibus & statutis ordinarijs in contrarium editis & emissis non obstantibus, sed quò ad litteras ipsas & earum executionem sublatis, & alio cessante Canonico, litteræ huiusmodi & in eis contenta, nec non processus illarum, & apostolicæ commissionis eis insertæ vigore libertimè habendi & fulminandi in Ciuitate & diœcesi *Constantiensi* publicari, insinuari, teneri, & executioni demandari possint & valeant, auctoritate ordinaria tenore præsentium concedimus & indulgemus.

Quarum quidam litterarum tenor sic incipit: *Aymo Miseratione Diuina Episcopus Gratianopolitanus, Iudex & Conservator privilegiorum maioris domus Carthusiensis nostræ diœcesis &c.* (*vti in præcedenti.*) Et sic finit: *Datum & actum Gratianopolitana in Domo nostra Episcopali, videlicet in Camera nostra propria sub anno à Nativitate Domini MCCCCXLIV. die vero XIX. mensis Maij &c.* (*vti in præcedenti.*

In quorum testimonium & fidem præsentes nostras litteras exinde fieri, & sigilli officij Vicariatus nostri fecimus appensione communiri.

Datum *Constantiæ*, anno Domini MCCCCXLIV. Mensis Junij die XIV. Indictione secunda.

12.

Heinricus Episcopus Constantiensis ob preces, inter sacra pro se suisque fusas, Cartusiensibus Boni Lapidis quasdam Indulgentias elargitur.

HAinricus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus *Constantiensis*, Religiosis, Devotis, & in Christo Nobis Dilectis Fratribus, Priori & Conventui Domûs *Boni Lapidis in Guterstain* prope *Vrach* ordinis Carthusiensis Salutem in Domino Sempiternam. 1443.

Cùm, vt veridicâ relatione didicimus, Vos quendam Versiculum, videlicet, *Et famulum tuum Antistitem nostrum una cum grege sibi commisso*

ab omni adverſitate cuſtodi, Miſſis & orationibus, quas in Eccleſia & Cellis dictæ Veſtræ Domus celebratis & facitis, pro noſtra & ſubditorum noſtrorum tuitione & defenſione legendo ſoleatis immiſcere. Vt autem ex immixtione ſeu lectione ipſius Verſiculi, quem in dictis Miſſis & orationibus frequentatis, videamini meritum reportare: idcirco Nos volentes vos & veſtros Succeſſores indulgentijs & remiſſionibus ad continuationem lectionis eiuſdem Verſiculi invitare, Vobis & veſtris Succeſſoribus, veſtrûmque & eorum ſingulis huiuſmodi verſiculum in Miſſis & orationibus legentibus ſeu dicentibus, nec non omnibus Chriſtiani Nominis profeſſoribus, verè pœnitentibus & confeſſis, qui ipſum Verſiculum à Vobis vel eiſdem Succeſſoribus, aliquo veſtrûm ſeu eorum, audiverint, vel ipſius lectioni in dicta veſtra Domo interfuerint, de omnipotentis Dei miſericordia, Beatæ Mariæ Virginis Dei Genitricis, Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ac Sanctorum Patronorum Noſtræ Eccleſiæ Conſtantienſis intercеſſione & auctoritate confiſi, Quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis vobis pœnitentijs, toties quoties id factum fuerit, in Domino miſericorditer relaxamus per præſentes. In quorum teſtimonium præmiſſorum Noſtri Vicariatûs officij ſigillum præſentibus eſt impenſum. Datum *Conſtantiæ* anno Domini MCCCCXLVIIII.

13.

Idem Epiſcopus eiuſdem loci Indulgentias ampliſicat.

HAinricus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus *Conſtantienſis* & Adminiſtrator *Curienſis*, Eccleſiarum ad perpetuam rei memoriam vniverſis Chriſti fidelibus, præſentibus & futuris, has litteras inſpecturis ſalutem & ſinceram in Domino Charitatem.

Quamvis is, de cuius munere venit, vt ſibi à fidelibus ſuis dignè & laudabiliter ſerviatur, de abundantia ſuæ pietatis, quæ merita ſupplicum excedit & vota, benè ſervientibus multò maiora retribuat, quàm valeat promereri: nihilominus tamen deſiderantes Domino populum reddere acceptabilem & bonorum operum ſectatorem, fideles ipſos ad complacendum ei quaſi quibuſdam allectivis muneribus, indulgentijs videlicet & remiſſionibus peccatorum, invitare ſatagimus, ut exinde divinæ gratiæ reddantur aptiores, ac ſalus vberior & quies proveniat animarum.

Cupientes itaque, vt Monaſterium *B. Mariæ Virginis in Guterſtein* noſtræ Conſtantienſis Diœceſis, in quo novella plantatio eſt ſacra religionis Carthuſienſis, cum Capellis ſibi cohærentibus, ac Altaribus inibi ſitis, congruis frequentetur honoribus, & à Chriſti fidelibus iugiter veneretur: & ut fideles ipſi eò libentiùs devotionis, orationis, vel peregrinationis causâ illuc confluant, & ad Monaſterij & Capellarum earundem fabricam, luminaria, libros, Calices & alia ornamenta Eccleſiaſtica manus promptiùs porrigant adiutrices, & inibi Deo precatus fundant, ac charitatis & miſericordiæ exerceant opera, quò ex hoc dono cœleſtis gratiæ vberiùs ſe conſpexerint refecturos: omnibus verè pœnitentibus, contritis & confeſſis, qui ipſum Monaſterium in *Guterſtain*, ac Capellas ei cohærentes, & Altaria earundem in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Cænæ, Paraſceves, Reſurrectionis Aſcenſionis & Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac Pentecoſtes, Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Inventionis & exaltationis Sanctæ Crucis; Annuntiationis, Viſitationis, Aſſumptionis, Nativitatis, Conceptionis, Purificationis & Præſentationis Beatæ & Glorioſæ Virginis Mariæ, Nativitatis Sancti Iohannis Baptiſtæ, omnium Sanctorum, Commemorationis animarum, ac Duodecim Apoſtolorum feſtivitatibus & diebus, vel aliquo eorundem, ac etiam in Octavis feſtivitatum & dierum, huiuſmodi Octavas habentium; nec non in diebus Rogationum, Adventus, & paſſionis

Domini,

Domini, atque in Dedicationibus & patrocinijs Monaſterij, Capellarum, & Altarium prædictorum; ac diebus Dominicis per circulum annì occurrentibus devotè viſitaverint veniam petituri, ſeu pro eorundem Monaſterij, Capellarum & Altarium conſervatione & fabrica, aut ad luminaria, libros, Calices, & ornamenta alia inibi neceſſaria, manus porrexerint adiutrices, aut aliquod aliud pietatis opus exercuerint, ſeu aliquid de præmiſſis devotè peregerint, vel etiam ad pulſum, *Ave Maria*, ter ſalutationem Angelicam oraverint: De omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Auctoritate, ac ſanctæ glorioſæ Virginis Mariæ Sanctorumqve omnium meritis & interceſſionibus confiſi Quadraginta dies Criminalium, & annum vnum venialium peccatorum de iniunctis Eis pœnitentijs pro qualibet vice, & de quolibet Altarium prædictorum, auctoritate noſtra ordinaria nunc in Domino relaxamus, præſentibus perpetuò duraturis; omnes nihilominus & ſingulas indulgentias, aliàs ad prædictum Monaſterium, ac eius Capellas, & Altaria à Prædeceſſoribus noſtris & alijs Catholicis Epiſcopis ab olim ſub quavis forma ritè conceſſas, ratas habentes & gratas auctoritate eadem approbamus & confirmamus, volentes & ſtatuentes illas teneri, ſervari, & à fidelibus Chriſti conſequi pariter inibi debere, ac ſi litteræ deſuper haberentur authenticæ, in contrarium facientibus non obſtantibus. In quorum teſtimonium & robur præmiſſorum litteras præſentes inde fieri, & ſigilli noſtri Pontificalis fecimus appenſione communiri.

Datum in aula noſtra Conſtantienſi anno Domini MCCCCLII. 25. die menſis Auguſti, Indictione quinta decima.

14.

Nicolaus S. R. E. Cardinalis Præpoſitis Stutgardienſi & Sindelfingenſi dat in mandatis, ut quarundam Eccleſiarum & decimarum incorporationem, eidem Cartuſiæ factam, diſcutiant & confirment.

NIcolaus miſeratione Divinâ Titul: S. Petri ad Vincula Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis per Alemaniam Legatus, Dilectis Nobis in Chriſto Eccleſiarum Collegiatarum in *Stutgardia* & *Sindelfingen* Conſtantienſis Diœceſis Præpoſitis ſalutem in Domino. 1451.

Perſonis ſub Religionis habitu Domino virtutum ſedulò in Divinis laudibus famulantibus id dignè conceditur, per quod Religio ipſa ſalubre ſuſcipiat incrementum, &, quod ipſis aliàs rationabiliter conceſſum ſit, ad debitum perducatur effectum.

Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum Nobis in Chriſto Prioris & Conventus Domûs Ordinis Carthuſienſis in *Guterſtein* Conſtantienſis diœceſis petitio continebat, quòd olim translatione Præpoſituræ Eccleſiæ *B. Mariæ in Guterſtein* dictæ diœceſis de ordine S. Benedicti ad ordinem Carthuſienſem Auctoritate Ordinaria factâ, & incorporatione Parochialium Eccleſiarum nonnullarum, coram executoribus ſpecificandarum, cum omnibus Iuribus & pertinentijs ſuis Eidem ordini Carthuſienſi & perſonis ibidem Deo obſequentibus incorporatione ſubſecutâ, Prior & Conventus prædicti poſſeſſionem earundem Eccleſiarum fuerunt aſſecuti, ac illas poſſident pacificè & quietè de præſenti: Quodqve etiam poſtmodum Parochialis Eccleſia in *Oeningen* dictæ diœceſis, de Iure patronatus Laicorum exiſtens, per ceſſum vel deceſſum Rectoris eiuſdem tunc exiſtentis, conſentientibus Patronis & quorum interfuit, eadem auctoritate ordinaria eidem Domui & Ordini extitit incorporata,

porata, cuius tamen poſſeſſionem Idem Prior & Conventus nondum ſunt conſecuti.

Cùm autem, ſicut eadem petitio ſublungebat, præfati Prior & Conventus timent, ne fortè aliquo caſu translationes & incorporationes huiuſmodi, viribus careant, maximè ſi forſan Laici earundem Eccleſiarum patronatus & Decimarum ius illas priùs poſſidendi, vel earum partem, & ex conſequenti Ius donandi minimè habuerint: pro parte eorundem Prioris & Conventus nobis fuit ſupplicatum, ut pro conſcientiarum ſuarum ſerenatione translationes, incorporationes & donationes ſupradictas, ratas & gratas habere illasqve confirmare, nec non defectus, ſi qui in eiſdem forſitan intervenerint, ſupplere, aliaqve circa præmiſſa neceſſaria vel quomodolibet opportuna fieri, mandare dignaremur.

Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati Diſcretioni Veſtræ per hæc ſcripta auctoritate legationis noſtræ, quâ fungimur, committimus & mandamus; quatenus de præmiſſis auctoritate noſtra Vos, ſeu alter veſtrûm ſe informet, aut vos informetis: &, ſi per informationem huiuſmodi ita eſſe repereritis vel repererit, translationes, incorporationes & donationes ſupradictas eadem auctoritate noſtra confirmare, aliáqve circa ea, quæ expedire videritis, facere procuretis, ſeu alter veſtrûm procuret, defectus, ſi qui in præmiſſis intervenerint, ſupplendo, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam dicta Auctoritate compeſcendo, non obſtantibus contrarijs quibuſcunqve.

Datum *Maguntiæ* ſub noſtro ſigillo die Veneris 26. menſis Novembris anno à Nativitate Domini MCCCCLI. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Nicolai Divinâ providentiâ Papæ Qvinti anno Quinto.

15.

Iohannes de Weſternach Stutgartenſis, & Hainricus Tegen Sindelfingenſis Præpoſiti, mandatum Nicolai Cardinalis exſequuntur, & omnes incorporationes, eidem Cartuſiæ factas confirmant &c.

IN nomine Domini amen. Nos *Iohannes de Weſternach* in *Stutgarten* & *Hainricus Tegen* Decretorum Doctor in *Sindelfingen*, Eccleſiarum Collegiatarum Præpoſiti diœceſis *Conſtantienſis*, Executores & Commiſſarij, ad infraſcripta ſpecialiter deputati à Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino, Domino *Nicolao* Diuinâ miſeratione titulo Sancti Petri ad Vincula, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis per Alemaniam Legato, Vniverſis & ſingulis præſentium inſpectoribus, & maximè his, quorum intereſt ſeu intereſſe poterit quomodolibet in futurum, & ad quos præſentes litteræ noſtræ pervenerint, ſalutem in filio Virginis glorioſæ. 1451.

Litteras Eiuſdem Domini Cardinalis, eius vero ſigillo impendente ſigillatas, ſanas, integras, illæſas, non vitiatas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, Nobis per Devotum in Chriſto & Religioſum Patrem Domnum *Conradum de Munchingen*, Priorem Domus ordinis Carthuſienſis, in *Guterſtein* dictæ diœceſis Conſtantienſis, coram Notario publico & teſtibus infraſcriptis præſentatas cum ea, quâ decuit, reverentia recepimus. Quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis: *Nicolaus miſeratione Divinâ titulo S. Petri ad Vincula Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis &c. ut ſuprain proxima littera latiùs audita:* cuius datum eſt *Maguntiæ* ſub noſtro ſigillo die Veneris 26. menſis Novembris anno Domini &c.

Poſt quarum quidem litterarum præſentationem & receptionem fuimus per dictum Domnum *Conradum* Priorem humili ac debita cum inſtantia requiſiti, ut ad executionem earundem, & contentorum in ipſis procedere dignaremur iuxta traditam

Digitized by Google

traditam seu directam in ipsis litteris nobis formam.

Nos itaque Executores & Commissarij antedicti, volentes mandatum dicti Domini Cardinalis in ea parte nobis directum reverenter exequi, vt tenemur, pensatis omnibus, quæ in eisdem litteris demandantur, & eorum circumstantijs solemniter inquisitis & excussis, reperimus & sufficienter informati sumus, imò & ex certa scientia nobis constat, omnia & singula in dictis litteris narrata & exposita veritate fulciri. Idcirco auctoritate dicti Domini Cardinalis in hac parte nobis commissâ translationem Præposituræ Ecclesiæ Beatissimæ Virginis Mariæ in *Guterstain* de ordine Sancti Benedicti ad ordinem Carthusiensem auctoritate Ordinariâ factam, similiter & incorporationes Parochialium Ecclesiarum cum omnibus juribus & pertinentijs suis Eidem Ordini Carthusiensi & personis ibidem Deo famulantibus (quarum præsertim Prior & Conventus prædicti possessionem de præsenti sunt assecuti, ac illas possident pacificè & quietè) Necnon incorporationem Ecclesiæ parochialis in *Oeningen* eadem auctoritate eidem Domui & ordini factam (cuius possessionem Prior & Conventus prædicti tempore impetrationis Commissionis nobis factæ nondum, posteà tamen & ex nunc sunt consecuti) pro serenatione Conscientiarum dictorum Prioris & Conventus huiusmodi translationes, donationes & incorporationes præmissas, ratificandas, gratificandas & confirmandas duximus; ac vigore præsentium literarum nostrarum in nomine Dei ratificamus, gratificamus & confirmamus: omnésque & singulos defectus, si qui in præmissis quomodolibet intervenerint, dictâ Auctoritate omnimodè & plenariè abolendo amovemus.

In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes litteras seu præsens publicum instrumentum, huiusmodi processum in se continentes seu continens, exinde fieri, & per Notarium publicum infrascriptum subscribi & publicari mandavimus, Sigillorúmque nostrorum iussimus & fecimus appensione communiri.

Datum & actum in Stuba maiori Præposituræ in Stutgarten sub anno à Nativitate Domini MCCCCLI. Indictione XIV. Die verò XVIII. Mensis Decembris, horâ meridiei vel quasi, Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris & Domini, Domini *Nicolai* Diuinâ providentiâ Papæ Quinti anno eius Quinto, præsentibus ibidem Venerabilibus & providis Viris, Domino *Mathæo Wirtemberger de Vlmo*, Domino *Balthasare Sartoris de Stutgarten*, artium liberalium Magistris & Presbyteris dictæ Diœcesis Constantiensis, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego *Syfridus Schniggeri de Gemerckein* Presbyter dictæ diœcesis Constantiensis, publicus auctoritate Imperiali Notarius, quia prædictarum litterarum præsentationi, receptioni, requisitioni, discussioni, ratificationi & confirmationi omnibusque alijs & singulis præmissis, dum sic, ùt præmittitur, fierent & agerentur, vnà cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi. Ideo de mandato dictorum Dominorum Executorum hunc præsentem processum, me alijs arduis præpedito negotijs, per alium fidelem conscribi feci, publicavi, & in hanc publicam formam redegi; Signóque & nomine meis solitis & consvetis vnà cum appensione Sigillorum dictorum Executorum consignavi, rogatus & requisitus, in fidem & evidens testimonium omnium & singulorum præmissorum.

16.

Hainricus Ep. Constantiensis Ecclesiam in Oeningen unit Cartusiæ Boni Lapidis.

Hainricus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus *Constantiensis* & Administrator *Curiensis* Ecclesiarum ad perpetuam rei memoriam. Ad apicem officij Pastoralis Domino disponente, licèt immeriti, sublimati apud Deum meritorium, apud homines quoque pium fore (credidimus), id sollicita & circumspecta operari provisione, per quod Ecclesiæ & Monasteria pro divino cultu fundata salubribus magnificentur incrementis; & quò magis hi, qui inibi Creatori & Redemptori nostro famulari sub observantia regulari & pondere diei & æstus elegerunt, ritè adiuti & sublevati necessitati,

ſtratibus, iuxta voti ſui debitum Divinis ſublato diſpendio temporalium intendant obſequijs diurnis & nocturnis, ac operibus charitatis & pietatis quò ad Deum & homines deſerviant inceſſanter, ſubſidijs adiuventur opportunis.

Sanè itaque his accuratâ diligentiâ penſatis, Honorabilium & Religioſorum Nobis in Chriſto Dilectorum, Prioris & Conventûs Domûs *B. Mariæ Virginis* Ord. Carthuſienſis *zum Guterſtain* propè *Vrach* noſtræ Conſtantienſis diœceſis ſitæ, quæ novella & irrigua Sacræ Religionis & devotionis plantatio eſt, votis & ſupplicationibus Nobis ſuper ſubmiſſis porrectis libentiùs inclinati, præhabitisque tractatu & conſilio maturis Venerabilium Nobis in Chriſto dilectorum, Præpoſiti, Decani totiusque Capituli noſtræ eccleſiæ Conſtantienſis, eorumque in ſubſcriptis accedente concordi, & expreſſo conſenſu, & vna nobiſcum libera concurrente voluntate, Eccleſiam Parochialem in *Oeningen*, dictæ noſtræ Conſtantienſis Diœceſis, cum omnibus & ſingulis ſuis iuribus & pertinentijs, præfatis Priori & Conventui & ipſorum Monaſterio ſeu Domui, ac in eo ſucceſſoribus, & eorum menſæ communi (cuius quidem Eccleſiæ Ius patronatus ab olim ad Magnificum & Generoſum Dominum *Ludovicum* Comitem de *Wirtemberg* & *Mumpelgart* principaliter, & ratione dotis ipſius Eccleſiæ, quæ feodalis erat ab eodem Domino Comite ad ſtrenuum *Eberhardum Sælr de Richtemberg* Armigerum, acceſſoriè ſeu condependenter pertinens, per eorum donationem & abdicationem liberas, ſpontaneas & perfectas in ipſos Priorem & Conventum ac eorum ſucceſſores, iuſto & legitimo titulo donationis, provt de hoc ſufficienter edocti ſumus, translatum ritè exiſtit) pro Nobis & noſtris ſucceſſoribus univerſis ſimpliciter & purè propter Deum vniendam & annectendam ac incorporandam duximus, & Ordinariâ Auctoritate noſtrâ, quantum Nobis ab Alto permittitur, conſenſu etiam libero & expreſſo Venerabilis Nobis in Chriſto dilecti *Friderici Sælr de Richtemberg* moderni Rectoris Eccleſiæ eiusdem interveniente, tenore præſentium in Dei Nomine ex certa ſcientia vnimus, annectimus, & incorporamus: Eiusque adminiſtrationem & vſumfructum dictorum Prioris & Conventus ſuorumque ſucceſſorum neceſſitatibus plenimodè appropriamus, adhibitis & ſervatis in his & circa ea omnium verborum & geſtuum ſolennitatibus & cautelis Iuris & facti, in talibus obſervari conſvetis, adhibendis & opportunis: Volentes & auctoritate ordinaria ſtatuentes, quòd cedente vel decedente moderno ipſius Eccleſiæ Rectore prænominato, aut aliàs Eccleſiam eandem qualitercunque dimittente, Ipſi Prior & Conventus pro tempore exiſtentes Eccleſiam ipſam cum ſuis Iuribus & pertinentijs auctoritate præſentium apprehendere, & illius fructus, redditus & proventus in ſuos & Monaſterij ſeu domus prædictæ communes uſus liberè & licitè convertere, nec non deinceps & in antea à tempore ceſſionis, dimiſſionis vel deceſſus eiusdem moderni Rectoris, Vicarium perpetuum ad dictam Eccleſiam, quoties eam vacare contigerit, Nobis & noſtris ſucceſſoribus, aut noſtro vel eorundem pro tempore in ſpiritualibus Vicario, in perpetuum præſentare inſtituendum poſſint, valeant, & debeant abſque cuiusvis requiſitione, impedimento, oppoſitione, aut contradictione. Cui etiam Vicario de fructibus, redditibus, Decimis, Iuribus & proventibus eiusdem Eccleſiæ, vt ſubditis illius in Divinis & animarum cura providere, congruè & honeſtè ſuſtentari, hoſpitalitatem tenere, iura Epiſcopalia ac Archidiaconalia ſolvere, & alia ſibi ratione ipſius Eccleſiæ incumbentia onera ſupportare poſſit & valeat, portionem congruam volumus aſſignari. In qua ſi temporis tractu, quod abſit, fortè defecerit, vice qualibet Nobis & noſtris ſucceſſoribus ſeu in ſpiritualibus Vicarijs huiusmodi taxandi portionem, & illam Vicario dictæ Eccleſiæ pro tempore deputandi plenam reſervamus facultatem: Solutionibus tamen primorum fructuum & aliorum Iurium Epiſcopalium Nobis & Eccleſiæ Conſtantienſi & Succeſſoribus noſtris inde competentium, & ex privilegijs ac conſuetudine præſcriptis debitorum ſemper ſalvis manentibus & illæſis, quibus etiam per præmiſſa nolumus in aliquo derogare. In quorum fidem & robur ſolidæ ac perpetuæ firmitatis ſigillum noſtrum Epiſcopale præſentibus fecimus ſubappendi.

Nos

Nos verò Præpositus, Decanus & Capitulum Ecclesiæ Constantiensis memorati, quiâ unio, annexio, & incorporatio prætactæ de nostris scitu, consilio, assensu pariter & voluntate concordi processerunt, ad illásque nostrum præbuimus, prout præsenti scripto præbemus, consensum omnimodum & expressum: ideo in consensûs huiusmodi & vberius ac evidentius testimonium præmissorum sigillum dicti nostri Capituli, (sine) eiusdem bonorum & rerum damno & detrimento quorumcunqve, præsentibus etiam duximus appendendum.

Datum & actum in aula nostra Episcopali Constantiensi anno Domini MCCCCL Mensis Martij die 17. Indictione tertia Decima.

17.

Eberhardus Sœlr de Richtemberg & Fridericus eius frater eidem loco cedunt ius Patronatus &c. in Ecclesiam in Oeningen.

Ich Eberhard Sölr von Richtemberg bekenne und tun kunt offenbar mit disem brieff fur mich und all min erben und nachkomen, das ich luterlich durch gottes willen, und zu lobe und zu ere demselben almechtigen Got, der himelschen Kunigin, Muter und magt Marien, und allen gottes hailigen, und auch umb miner vordern und nachkomen, und miner Sele hails willen ergeben han, und gib auch also fur mich, min erben und nachkommen wissentlich mit disem brieff den Erwirdigen gaistlichen, dem Prior und Convent des Gotshuß zum Guterstain Carthuser ordens in Costentzer Bistum gelegen, und iren nachkomen ius patronatus, auch die Castvogtye, und alle die gerechtigkait, die ich gehapt han zu der kirchen und den kirchensatz zu Oeningen mit allen iren rechten, nutzen, und zugehörden: und han das geton mit gunst, wissen; vnd willen des hochgebornen herren, herrn Ludewigs Grauen zu Wirtemberg und zu Mumppelgart, mins gnedigen herren, von dem die vorgenant kirch und kirchensatz zu lehen ruret, und die ich von Im zu lehen gehapt und getragen han; Vnd ich verzihe mich auch herusf fur mich und all min erben und nachkomen gegen den obgenanten Prior und Convent zum Guterstain, und allen iren nachkomen ius patronatus, der kastenvogtye, des kirchensatz, und aller der gerechtigkeit, die ich zu der kirchen zu Oeningen han gehapt, oder darzu oder daran Jemer mer gewinnen oder uberkomen köndten oder möchten, und dartzu aller hilff, alles schirms, und alles rechtens, gaistlichen und weltlichen lute, und gericht, und mit namen alles das, damit ich oder min Erben, oder yemant von unserntwegen wider disc gabe und dis verzihen, oder ichtz, das an diseu brieff gestriben stet, ichtz gereden, getun, oder in kainen wege geirren, gewenden, oder bekrencken köndten oder möchten. Alles das, das hirvor gestriben stet, gerede, glob, und versprich ich Eberhard Sölr vorgenant fur mich, min Erben und Nachkomen by guten truwen war, stete, und veste zu halten, und dawider nit zu sinde, noch zu tunde, noch das schaffen getön werden in keiner wise.

Doch so han ich herinne gedingt und Vssgenomen, das der Erwirdig herr Fridrich Sölr Thumherr der meren Stifft zu Costentz, Min lieber Bruder, dem die kirch zu Oeningen gelichen ist, die nutz der selben kirchen, was und als vil er der biß her ingenomen hat, furbas sin leptagen innieмen und niessen sol und mag; doch so sol er die kirchen und die armen lute sin leptagen auch versorgen und versehen, als dann ainem kirchherrn zu gehört, und zu tund schuldig ist. Vnd wenn der selb her fridrich min bruder von tode abget, so ist und sol sin die kirch zu Oeningen ledig, und sollent dann und mugent die Vorgenante Prior und Convent zum Stain damit tun und lassen, was sie weilent, und Inen aller beste fuget, on min und minen Erben, und aller Mengliches irrung und widerrede.

Und Ich Fridrich Sölr Thumherr der Merren Stifft zu Costentz bekenne auch und tun kunt offenbar mit disem brieff, als der Vorgenant Eberhard

Sölr von Richtemberg min lieber bruder Ius patronatus und den kirchenſatz und alle ſin gerechtikait der kirchen zu Oeningen ergeben hant dem Prior und Convent zum Guterſtain und iren Nachkomen, als vorgeſchriben ſtat, das ſie nun irem Gottshuſſe zu incorporiren meinen: das das alles min gunſt und guter wille iſt. und ich gib auch minen gunſt und willen dartzu mit diſem brieff fur mich und mine erben; und ich verzihe mich auch fur mich und mine erben aller der rechte vordrung und anſprach, die wir dartzu gehapt han, oder daran Jenner gehaben, gewinnen, oder uberkomen mögen luterlich und gentzlich in krafft diſes brieffs; Und darzu aller hilff, alles ſchirms, und alles rechten, gaiſtlicher und weltlicher Lute und gericht, und mit namen alles des, damit ich oder min erben, oder Jemant von unſerntwegen hiewider oder yehtzit das von uns an diſem brieff geſchriben ſtet, yeht gereden, getun, oder das in kainen wege geirren, gewenden, oder bekrencken köndten oder möchten.

Vnd ich gerede, gelob, und verſprich auch fur mich und min erben alles das, ſo von uns an diſem brieff geſchriben ſtet, war, ſtete, und veſte zu halten, und dawider auch nit zu ſinde, noch zu tunde, noch das ſchaffen getun werden in kain wiſe; doch mir ſelb an der Nutzung der obgenanten kirchen zu Oeningen min leptagen unſchädlich, als vor geſchriben ſtet, geverde und argliſte herinne gantz vßgenomen.

Vnd des alles zu warem vrkunde hön wir obgenanten, Eberhard und Fridrich Sölern gebruder unſer Inſigel fur uns und vnſer erben offenlich gehenckt an diſem brieff; und han dartzu gebetten die Veſten, Burckarten Bondorff von Witingen hofmaiſter, und Steffan von Linſtetten; das ſie Ire aigne inſigel zu gezugnus der vorgeſchribenen ding, doch in ſelb on ſchaden, auch offenlich gehenckt hant an diſen brieff. Der geben iſt zu Vrach an ſant Gregorien tag nach Chriſti geburt, als man zalt tuſent Vierhundert und funffzig Jare ꝛc.

18.

Ludovicus Comes Wirtenbergenſis renunciat omni iuri ſuo, quod hactenus habuit in eccleſiam in Oeningen & decimas in Rorauw.

WIr Ludewig Grave zu Wirtemberg und zu Mumppelgart ꝛc. bekennen und tun kunt offenbar mit diſem brieff; als unſer lieber getruwer Eberhard Sölr von Richtemberg den Erwurdigen, gaiſtlichen, vnſern lieben, beſundern dem Prior und Convent des Gottzhuß zum Guterſtain Carthuſer ordens in Coſtentzer Biſtum gelegen, durch Gottes und ſiner Sele hail willen ergeben hant Ius patronatus, die kaſtvogtye, und alle die gerechtigkait, die er gehapt hat zu der kirchen und zu dem kirchenſatz zu Oeningen mit allen iren rechten, nutzen, und zugehörden; Und der Erſam unſer lieber beſunder herr Fridrich Sölr des vorgenanten Eberhards bruder, dem die kirch gelichen iſt, zu ſinen handen hät, auch ſinen gunſt und willen gegeben hat, das die vorgenant kirch zu Oeningen mit aller zugehörde dem obgenanten Gotzhuſſe zum Guterſtain geincorporirt werde. Vnd dan auch der obgenante Eberhard Sölr demſelben Prior und Convent des Gotzhuſe zum Guterſtain und iren Nachkomen zu kauffen gegeben hat den layenzehenden zu Oeningen und zu Rorow mit ſiner zugehörde, als dann das alles die brieff darüber gegeben clärlicher ußwiſen. 1450.

Wann nun die vorgenant kirch, die kaſtvogtye, und kirchenſatz zu Oeningen, und auch die leyenzehend zu Oeningen und zu Rorow von uns zu lehen ruret; So hat uns der obgenant Prior und Convent gebetten zu ſölichen gotzgaben, kauffen und ſachen, als vor berurt iſt, unſern gunſt und willen zu geben. Wann uns nun von dem Almechtigen Got zu abwäſchung unſer Sunde, und das wir zu gnaden wider komen mögen, viel wege und hilffen vffgeton und geſetzt ſint, und nun vnder den die furnemeſt geachtet wirdet, wä man den, die an ir Notdurfft gebrechen lydent, zu hilff kouet;

komet ; und nun das vorgenant Gotzhuſe noch nach ſtatuten und ordnung Irs ordens regel , Nachdem und das kurtz zu dem orden emphangen iſt , nit gebuwen iſt ; und ſölich bùwe durch ſich ſelbs nit volbringen mag : So haben wir ſölich gebrechen und ir Notdurfft angeſehen , und das Gottes dienſte , da furbas deſte bſtentlicher beliben , und deſtbäſſer volbracht werden möge ; und ſunder auch , das wir in Maynung ſin unſer , und der hochgeborn furſtinn frow Mächtilten pfaltzgravin by Rine und hertzoginne in Bayeren vnſer lieben Elichen gemahel , und unſer kinde und Nachkomen libelegung und begrebde da zu haben : Vnd haben voran dem Almechtigen Got , der Himelkunigin Marien , und allem himelſchen herr zu ere und zu lob , und auch umb unſer , und derſelben unſer lieben Elichen gemaheln , auch unſer kinde , und aller unſer Vordern und Nachkomen Seelen hails willen zu ſölichen gotzgaben und keuffen an den obgenanten lehen , guten , gegen dem obgenanten Gotzhuſe zum Guterſtain geſcheen , als vor ſtet , unſern willen und gunſt geton , und gegeben : und wir tun und geben auch unſern gunſt und willen darzu fur uns und vnſern Erben mit diſem brieff.

Wir haben auch dem vorgenanten Prior und Convent zum Guterſtain und iren Nachkomen von der obgenanten ſachen , und beſunder lieb wegen , die wir zu dem gotzhuſe haben , ius patronatus , kaſtvogtye , und alle gerechtigkait , die Eberhard Sölr darzu gehapt hat , und den leyenzehenden zu Oeningen und zu Rorow mit allen iren rechten , nutzen , und zugehörden geaigent ; und aignen inen auch das fur uns und unſer erben wiſſentlich mit diſem brieff , das furbas ewiglich fur aigen , und in aigens wiſe Inn zu haben , zu nieſſen , und zu gebruchen , und damit zu tun und zu laſſen , als mit andern ires Gotzhuß , kirchen , und aigen guten. Wir verzihen uns auch heruff fur uns und unſere erben aller aigenſchafft , lehenſchafft , und manſchafft , die wir , unſer Erben , und unſer herſchafft zu ius patronatus der obgenanten kirchen zu der kirchen und kaſtvogtye , und dem leyenzehenden zu Oeningen und zu Rorow gehapt haben , gentzlich , interlich , und ewiglich in krafft diſes brieffs. Vnd des zu warem urkunde hön wir unſer aigen Inſigel offenlich getön hencken an diſem brieff , der geben iſt zu Vrach an Sant Gregorien tag nach Chriſti geburt MCCCC und funffzigen Jare.

19.

Fridericus Sœlr de Richtemberg Canonicis de Sindelfingen committit negotium Cartuſianos Boni Lapidis immittendi in poſſeſſionem Eccleſiæ in Oeningen.

IN nomine Domini amen. Anno Nativitatis eiusdem Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo primo , indictione Quarta decima , die verò Veneris Quinta decima menſis Octobris , horâ meridiei vel quaſi , Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini , Domini *Nicolai* Divinâ providentiâ Papæ Qvinti anno eius Quinto , in mei Notarij publici teſtiumque infraſcriptorum , ad hoc pro teſtimonio vocatorum & rogatorum , præſentia perſonaliter conſtitutus Venerabilis Vir , Dominus *Fridricus Sœlr de Richtemberg* , Canonicus & Cantor Eccleſiæ *Conſtantienſis* , nec non Rector parochialis eccleſiæ in *Oeningen* Conſtantienſis Diœceſis , ſanus mente & corpore , compóſque rationis & boni intellectus , vt apparuit in effectu , propoſuit atque dixit : quòd , cùm dudum dicta ſua parochialis eccleſia in *Oeningen* dictæ Diœceſis Conſtanſienſis Venerabilibus & Religioſis Vitis & Fratribus , Priori & Conventui Monaſterij Beatiſſimæ ſemper virginis Mariæ *Boni lapidis* ordinis Carthuſienſis Conſtantienſis Diœceſis prædicto , ipſorumque Monaſterio cum omnibus & ſingulis ipſius Eccleſiæ Parochialis in *Oeningen* proventibus , luribus , emolumentis & obventionibus annexa , vnita , & incorporata eſſet , & exiſteret ita taliter , quòd ipſo Domino *Fridrico* Rectore de eadem cedente vel decedente , ipſi Domini & fratres , Prior & Coventus monaſterij prædicti poſſeſſionem eiusdem eccleſiæ cum omnibus & ſingulis ipſius luribus & obventionibus recipere & inburſare poſ- 1451.

ſent & valerent. Cuius quidem vnitionis & incorporationis virtute ipſe Dominus *Fridricus*, non compulſus, non coactus, ſed ſponte, liberè, & ex certa eius ſcientia, vt aſſeruit, maximè ob pium & naturalem affectum, quem ſe habere dicebat erga prælibatos Fratres, Priorem & Conventum Monaſterij *Boni lapidis* ordinis Carthuſienſis prædicti, & propter ſalutem animæ ſuæ, omnibus meliori modo, via iuris, cauſa, effectu & forma, quibus meliùs & efficaciùs potuit & debuit fecit, conſtituit, & creavit, & ſolemniter ordinavit ſuos veros, certos, legitimos & indubitatos Procuratores, Actores, factores, negotiorumque ſuorum geſtores, & nuncios ſpeciales & generales, ita tamen quòd Specialitas generalitati non deroget, neque econtra, videlicet Venerabiles & egregios Viros, Magiſtrum *Iohannem Heppach* Decretorum Doctorem, & *Conradum Wideman*, Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ in *Sindelfingen* dictæ Conſtantienſis diœceſis, abſentes tanquam præſentes, & eorum quemlibet in ſolidum (ita tamen quòd occupantis conditio potior non exiſtat nec deterior ſubſequentis ; Sed quod vnus ipſorum incepit, alter eorum id proſequi, mediare valeat & finire) ad reſignandum pro ipſo Domino conſtituente & eius nomine dictam eccleſiam parochialem in *Oeningen*, ac omne ius ſibi in eadem quomodolibet competens purè, ſimpliciter & propter Deum, ad vtilitatem tamen duntaxat præfatorum Dominorum Fratrum, Prioris & Conventus monaſterij prædicti; & ut ipſi Prior, fratres & Conventus ipſius eccleſiæ & iurium & fructuum eiusdem realem, actualem & corporalem poſſeſſionem ſecundùm tenorem incorporationis nanciſci, de illiſque ſecundùm tamen Domûs ſuæ vtilitatem, liberè diſponere valeant atqve poſſint, & non aliàs, aliter, nec alio modo; ad iurandum etiam, ſi opus fuerit, in animam ipſius Domini *Friderici* conſtituentis: & pro eo, quòd in reſignatione & renunciatione huiusmodi non intervenerit dolus, fraus, ſimoniæ pravitas, ſeu quævis alia illicita pactio ſive corruptela. vnum quoque vel plures, procuratorem ſive procuratores loco ſui ſubſtituendi, ſubſtitutis vel ſubſtituendis ſimilem poteſtatem & æqualem vt procuratoribus dandi & concedendi, ac eum vel eos revocandi, & onus ſiue officium procurationis huiusmodi in ſe iterum reaſſumendi toties, quoties opus fuerit & ſibi videbitur expedire: & generaliter omnia & ſingula dicendi, gerendi, & exercendi, faciendi & procurandi, quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint quomodolibet & opportuna, & quæ ipſemet Dominus conſtituens faceret, ſeu facere poſſet & deberet, ſi omnibus et ſingulis præmiſſis præſens & perſonaliter intereſſet, etiamſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quàm præſentibus eſt expreſſum.

Promittens inſuper prædictus *Fridericus* Conſtituens Mihi Notario publico infraſcripto, tanquam publicæ & authenticæ perſonæ, ſolemniter & legitimè ſtipulanti & recipienti vice & nomine omnium & ſingulorum, quorum intereſt, vel intererit, aut intereſſe poterit quomodolibet, in futurum ſe ratum, gratum atque firmum perpetuò habiturum totum id, & quidquid per dictos ſuos Procuratores, aut ab eis aut eorum altero ſubſtitutos vel ſubſtituendos, aut eorum alterum, actum, factum, dictum, geſtum ſeu quomodolibet procuratum fuerit in præmiſſis aut aliquo præmiſſorum: relevans nihilominus & relevare volens dictos ſuos procuratores, & ſubſtitutos, vel ſubſtituendum ab eis vel eorum quolibet, ſeu alterum eorundem ab omni onere ſatisdandi, iudicio ſiſti, & iudicatum ſolvi cum omnibus & ſingulis ſuis clauſulis neceſſarijs & quomodolibet opportunis ſub omni & ſingulorum bonorum ſuorum mobilium & immobilium, præſentium & futurorum, obligatione pariter & hypotheca.

Super quibus omnibus & ſingulis dictus Dominus *Fridericus* Conſtituens ſibi à me Notario publico infraſcripto vnum vel plura, publicum vel publica fieri & confici petijt inſtrumentum ſiue inſtrumenta, tot, quot ſimul vel ſucceſſivè forent neceſſaria. Acta ſunt hæc Argentinæ in Curia Religioſorum Virorum, fratrum Prioris & Conventus Monaſterij Montis Beatæ Mariæ Virginis ordinis Carthuſienſis prope Argentinam ſub anno, indictione, die, menſe, hora, & Pontificatu, quibus ſupra, præſentibus ibidem Venerabili & Religioſo, honorabilique, viris Dominis,

nis, Iohanne de Stainburn Decretorum Doctore Priore Monaſterij Montis B. Mariæ Virginis ordinis Carthuſienſis prædicti, & Vlrico Antinger presbytero Summiſſario Chori Maioris Eccleſiæ Argentinenſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et Ego Georius Büchovv Clericus Conſtantienſis Diœceſis, publicus imperiali auctoritate ac Curiæ Argentinenſis Notarius Collateralis Iuratus, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, vt præmittitur, fierent & agerentur, vnà cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi; idcirco præſens publicum inſtrumentum per alium, me alijs præpedito negotijs, fideliter ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meo, ſolitis & conſvetis, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus conſignavi &c.

20.

Carthuſia Boni Lapidis reapſe immittitur in poſſeſſionem prædictæ eccleſiæ.

1451. IN nomine Domini amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis ipſum intuentibus pateat evidenter, quòd ſub anno à Nativitate eiusdem milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo primo, indictione Quarta Decima, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini *Nicolai* Divinâ providentiâ Papæ Quinti anno Quinto, die Veneris decimâ ſeptimâ menſis Decembris, horâ Decimâ vel quaſi in Villa *Oeningen* Conſtantienſis Dioeceſis, in Choro parochialis Eccleſiæ eiusdem poſt Miſſarum ſolemnia, populi multitudine ad Divina audienda congregatâ, in mei Notarij publici & teſtium infraſcriptorum ad hoc vocatorum rogatorum & requiſitorum præſentia perſonaliter conſtitutus Venerabilis & Religioſus Dominus *Conradus de Munchingen* Prior Monaſterij Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ *Boni lapidis* ordinis Carthuſienſis prædictæ dioeceſis Conſtantienſis, habens & tenens in ſuis manibus quoddam ad reſignandum & renuntiandum, aliaque in eodem contenta faciendum, procurationis inſtrumentum, quod mihi Notario ſubſcripto ad manus tradidit, méque requiſivit, quatenus illud inibi alta ſonora & intelligibili voce legerem, inſinuarem & publicarem; quod ſic realiter effectu perfeci.

Quo facto prælibatus Prior Venerabiles viros Magiſtrum *Iohannem Heppach* Decretorum Doctorem, & Dominum *Conradum Wideman*, in prælibato reſignationis inſtrumento ad renuntiandum conſtitutos Procuratores interpellavit, & requiſivit, quatenus iuxta formam ſibi traditam à Conſtituente, Eccleſiæ prædictæ & eius poſſeſſioni cederent, & illam duntaxat ad vtilitatem præfati Prioris & Domus ſuæ renuncient. Qui quidem Procuratores ſimul & communiter iuxta traditam ſibi formam publicè & ſolemniter, & eius poſſeſſioni in favorem prælibati Domini Prioris & Domûs ſuæ; &, vt incorporatio, de qua fit in ipſo inſtrumento mentio, ſuum realem ad intentionem Conſtituentis conſequeretur effectum, per clavium eiusdem eccleſiæ in manus ipſius Domini Prioris aſſignationem & traditionem renunciaverunt. Anteſatus etiam Dominus *Iohannes Heckbach* in animam ipſius Domini conſtituentis expreſsè iuravit, quòd in illiusmodi renunciatione, nec fraus, pactio illicita, vel ſimoniaca, quoquo modo intervenerit. Prælibatus quoque Dominus Prior vigore incorporationis ordinariæ Confirmationis, quia ipſius per Reverendiſſimum Patrem Dominum *Nicolaum* tituli Sancti Petri Apoſtolicæ Sedis de latere Legatum factæ, nec non reſignationis prædictorum, ipſius eccleſiæ Iurium & quorumcunque proventuum eiusdem per Clavium prædictarum receptionem pro ſe & Domo ſua poſſeſſionem vel quaſi recepit, quemadmodum & per me Notarium ad ipſius requiſitionem inductus fuit.

Super quibus omnibus & ſingulis prænominatus Dominus Prior ſibi vnum vel plura, quotquot ſibi fuerint neceſſaria vel opportuna, me Notarium requiſivit fieri inſtrumentum ſeu inſtrumenta. Acta ſunt hæc anno, die, menſe, Pontificatu, loco, quibus ſupra, præſentibus ibidem honorabilibus Viris & Dominis, *Eberhardo de Rietemberg*, *Hainrico Clef-ſiſin* Plebano in *Oeningen*, *Iohanne Piſtoris* Capellano Eccleſiæ prælibatæ, & *Vlrico Keller de Mirtingen*, Conſtantienſis Dioeceſis, ac etiam pluribus

alijs

alijs teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Tenor verò præfati inſtrumenti, de quo ſupra mentio, de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis. *In nomine Domini amen* &c. *vti in præcedenti inſtrumento. &c.*

Et Ego *Iohannes Bouis de Sindelfingen* Conſtantienſis Diœceſis auctoritate imperiali publicus Notarius, quia dicti inſtrumenti exhibitioni, renunciationi, poſſeſſionis conſecutioni, & præmiſſis omnibus, dum ſic, ùt præmittitur, fierent & agerentur, cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, atque, quæ per me facta deſcribuntur, feci. Idcirco præſens publicum inſtrumentum manu mea ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignóque & nomine meis ſolitis & conſvetis in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus conſignavi.

21.

Hainricus Ep. Conſtantienſis confirmat omnia prædicta.

1452. HAinricus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus *Conſtantienſis* & Adminiſtrator *Curienſis* Eccleſiarum ad perpetuam rei memoriam; Vniverſis præſentes litteras inſpecturis & audituris ſubſcriptorum Notitiam indubitatam cum ſalute in Domino ſempiterna.

Sinceræ devotionis obſequium, quod Religioſi in Chriſto Prior & Conventus Monaſterij ſeu Domus *Beatæ Mariæ Virginis in Guterſtain* ordinis Carthuſienſis noſtræ Conſtantienſis diœceſis Redemptori noſtro ferventer impendunt, ut apud ipſius clementiam cœleſtis patriæ gloriam acquirant, dignè meretur, ut votis eorum honeſtis, per quæ futuris diſpendijs occurritur, ac ſtatui & tranquillitati ipſorum conſulitur, gratum offeramus auditum, & ea favoribus proſequamur opportunis. Cùm itaque, ſicut pro parte Prioris & Conventus prædictorum exhibitæ nuper nobis petitionis ſeries continebat, Honorabilis in Chriſto dilectus *Fridricus Sælr de Richtemberg* Cantor & Canonicus Eccleſiæ noſtræ Conſtantienſis pia affectione motus, deſiderans, vt vnio, annexio & incorporatio parochialis Eccleſiæ in *Oeningen* dictæ noſtræ diœceſis, quam obtinebat, cum ſuis iuribus & pertinentijs ipſis Priori & Conventui & eorum Monaſterio ſeu Domui, & in eo ſucceſſoribus, ipſorumque menſæ communi auctoritate ordinaria dudum de ſui & aliorum, quorum intereſt, conſenſu ritè & Canonicè factæ debitas vires ſortiantur, & in ſolida perdurent in ævum roboris firmitate; Eccleſiæ ipſi ſponte ceſſerit, illamque non tam in noſtris quàm & aliorum, qui ad hoc poteſtatem habere videbantur, manibus liberè & ſimpliciter ad effectum huiusmodi dimiſerit & reſignaverit: Prior quoque & Conventus memorati ceſſionem & reſignationem huiusmodi acceptantes, earum vigore & auctoritate vnionis & incorporationis prædictarum poſſeſſionem realem & actualem eccleſiæ eiusdem, ac iurium & pertinentiarum omnium illius ritè & canonicè adepti & aſſecuti exiſtant, prout ad vſque pacificè & quietè tenuerunt: Nos Eorundem Prioris & Conventûs votis in hac parte congruo favore annuentes, ne tempore procedente ipſi, aut eorum in dicta domo ſucceſſores, ſuper poſſeſſione dictæ eccleſiæ, ac illius iurium, & pertinentiarum eius occaſione, propter omiſſas, & non ſervatas forte in præmiſſis vel eorum aliquo iuris aut facti ſolemnitates & cautelas indebitè moleſtentur & inquietentur, ſeu inſtantias aliquas patiantur, Vnionem, incorporationem, Ceſſionem, dimiſſionem, reſignationem, poſſeſſionis adeptionem Eccleſiæ in *Oeningen* prædictas, & quæcunqve circa eas acta & inde ſecuta, affectum & ſtatum ſingulorum habentes & habere volentes pro expreſſis ex certa ſcientia duximus ratificandas & approbandas, & auctoritate noſtra prædicta præſentibus ratificamus & communimus: Supplentes, quantum poſſumus, omnes & ſingulos iuris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eisdem; ac volentes & decernentes auctoritate eâdem ea omnia & ſingula temporibus perpetuis ſubſiſtere, ac firma & inconvulſa permanere debere, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunqve. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum litteras præſentes inde fieri, & ſigilli noſtri fecimus & mandavimus appenſione communiri. Datum *Conſtantiæ* in aula noſtra anno Domini M CCCC LII. die . . Auguſti indictione 15.

22. *Idem*

22.

Idem definit annuos proventus Vicarij eccleſiæ Oeningenſis ex ijs, quæ aliàs Cartuſiæ Boni Lapidis ceſſiſſent.

1452. H*Ainricus* Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus *Conſtantienſis* & Adminiſtrator *Curienſis* Eccleſiarum, omnibus præſentium inſpecturis, præſentibus & poſteris, ſubſcriptorum notitiam indubitatam cum ſalute in Domino ſempiterna.

Quoniam temporis diuturnitas plerumque geſtorum oblivionem parit, quæ mater errorum eſt & diſſenſionum factiva: expedit igitur vtiliter geſta, ne tractu temporis in dubium vertantur, litterarum memoriæ commendari, & earum indicijs ad poſterorum notitiam deduci. Sanè cùm ſuper Decimis, fructibus & proventibus parochialis eccleſiæ in *Oeningen* noſtræ Conſtantienſis Diœceſis, quæ diebus ſuperioribus Religioſis in Chriſto Priori & Conventui Monaſterij ſeu Domus B. Mariæ Virginis in *Guterſtain* ordinis Carthuſienſis eiusdem diœceſis, ac eorumMonaſterio & menſæ communi de conſenſu, quorum intereſt, auctoritate noſtrâ ordinariâ, vnita, annexa & incorporata exiſtit. (cuique Honorabilis in Chriſto dilectus *Fridricus Sælr de Richtemberg* Canonicus & Cantor Eccleſiæ noſtræ *Conſtantienſis*, noviſſimus illius Rector, ad hoc, vt vnio, annexio, & incorporatio huiusmodi debitum ſortiantur effectum, ſponte & liberè ceſſit) pro Vicario perpetuo inibi pro tempore inſtituendo portio congrua, unde decenter & honeſtè ſuſtentari, iura Epiſcopalia ac Archidiaconalia ſolvere, & alia ſibi ratione eccleſiæ eiusdem incumbentia onera valeat ſupportare, nondum ſit taxata & deputata: Nos ſuper deputatione & taxatione portionis huiusmodi, pro parte Prioris & Conventus prædictorum, ac dilecti in Chriſto *Haiurici Klaſſſon*, moderni & primi Eccleſiæ prædictæ Vicarij, humiliter & devotè implorati, ut futuris quæſtionibus aditus ſubmoveatur, & inter ipſos Priorem & Conventum, ac Vicarium pro tempore, Eorumque Succeſſores, materia ordinatur * diſſenſionum, receptâ informatione ſummariâ, quantum in re hac ſufficere videbatur, de Decimis, iuribus, & fructibus, & proventibus dictæ Eccleſiæ in *Oeningen*, ac valore annuo, communique extimatione eorundem, nec non oneribus Vicario ibidem ratione eccleſiæ eiusdem incumbentibus, ac circumſtantijs ſingulis in ea parte attendendis, debitâ diligentiâ cum fidelibus noſtris dilectis, ponderatis & maturè digeſtis, proVicario perpetuo eiusdem eccleſiæ ad illamCanonicè inſtituto, qui eſt & erit pro tempore, portionem ſubſcriptam, ſcilicet triginta maltera trium frumentorum communium, vtpote Decem ſpeltarum, Decem ſiliginis, & Decem avenæ, menſuræ ibidem bonorum & acceptabilium; item Quatuor Quartalia piſorum, & Duo Quartaliâ lentum, menſuræ eiusdem; item tria plauſtra fœni, & duo plauſtra ſtraminum; item Decimam minutam ipſius eccleſiæ; item Decimam lini; item Decimam raparum, duobus malteris duntaxat exceptis, & pro Monaſterio in *Guterſtain* ſupradicto ad Fratrum uſus reſervatis: item Decimam vini & fructuum arborum in *Rorovv*. Item Decem libras Hallenſium bonorum & in patria iſta currentium & vſualium. Item Stolam, comparationes, oblationes, præſentias ſeu quotidianas diſtributiones, & alios obventionales accidentales, ſub quacunque cadant appoſitione, duximus taxandam, deputandam, & reſervandam, atque auctoritate ordinaria tenore præſentium taxamus, deputamus, reſervamus, & conſignamus: Volentes & auctoritate eadem decernentes & ſtatuentes, quòd deinceps Prior & Conventus Monaſterij ſeu Domus prædictæ, pro tempore exiſtentes, Vicario pro tempore eccleſiæ prælibatæ de Decimis, fructibus, iuribus & proventibus eiusdem anno quolibet perpetuis temporibus de portione prædeſignata ad terminos ſolitos absque diminutione, impedimento, oppoſitione, & cuiusvis conditionis obice integrè & cum effectu reſpondeant & reſpondere & ſatisfacere omni remota exceptione teneantur & debeant ſine dolo & fraude; ſic tamen profecto, quòd idem Vicarius, quicunque pro tempore fuerit, de portione huiusmodi iura Epiſcopalia & Archidiaconalia ſolvat, & alia quæcunqve onera ipſi eccleſiæ ratione Vicariæ advenientia, annatis ſeu primis duntaxat fructibus ademptis, ſupportet & expediat, nullam ampliùs adPriorem & Conventum

* *f.* non oriatur

memoratos & eorum ſucceſſores ſtantibus præmiſſis requiſitionem habiturus; poteſtate etiam præmiſſa declarandi & elucidandi, ac portionem prædictam, ſi Vicarius pro tempore dictæ eccleſiæ in illa fortè, non ſui culpâ, defecerit, iterum & iterum taxandi & deputandi, prout temporum & rerum qualitas popoſcerit, Nobis & ſucceſſoribus noſtris, ac noſtris & eorum in Spiritualibus Vicarijs generalibus reſervatâ. In quorum teſtimonium & robur præmiſſorum præſentes litteras inde fieri, & Sigilli noſtri Pontificalis fecimus appenſione communiri. Datum in Aula Noſtra Conſtantienſi anno Domini MCCCCLII. ſecundâ die Septembris, indictione XV.

23.

Excerpta nonnulla ex chartario eiusdem Cartuſiæ, eccleſiam in Oeningen ſpectantia.

FOl. LIX. extat littera emptionis Decimæ in *Oeningen* & *Rorouv*, ſub dato die S. Gregorij anno 1450. vigore cuius vendidit *Eberhardus Sælr von Richtemberg* dictas Decimas 1000. florenis Rhenenſibus Priori & Conventui Domûs Boni Lapidis.

Fol. LXVIII. *Aubrechtus Ræflin von Richtemberg* ſub dato in die Annunciationis B. V. M. anno 1450. ius ſuum ratione Eccleſiæ, Iurispatronatus & Decimarum, quod habere poterat poſt mortem *Eberhardi Sælr*, & *Friderici Sælr*, in *Oeningen* & *Rorouv* reſignat.

De altari S. Ioannis Evangeliſtæ in Oeningen.

Anno Domini MCCCXXIV. in Vigilia Apoſtolorum Philippi & Iacobi Dominus *Hainricus* Miles de *Oeningen* accedente conſenſu Domini *Wernheri* Præpoſiti in *Sindelfingen*, tunc Rectoris Eccleſiæ in *Oeningen*, & *Hainrici*, dicti *Sælr* Armigeri, Patroni eiusdem Eccleſiæ conſtruxit & fundavit præfatum altare pro Sacerdote ad illud conſtituendo, fol. LXXVII.

Anno MCCCCLII. in Vigilia Purif. B. V. M. *Burckartus Truchſeſs von Hefingen*, Collator pro tunc dicti Altaris, ius ſuum tradidit Priori & Conventui Domûs Boni Lapidis, vnà cum Caſtro ſuo in *Oeningen*, fol. LXXXV.

Eodem anno die S. Laurentij *Albertus* Dux *Auſtriæ &c.* proprietatem dicti Caſtri in *Oeningen* donavit præfatæ Domui Bonilapidis, fol. LXXXVI.

De Altari B. V. M. in Oeningen.

Anno MCCCCIX. die 8. Februarij *Eberhardus* dictus *Sælr* armiger & *Fridricus* dictus *Sælr*, Rector Eccleſiæ in Oeningen fundant & dotant Altare B. V. M. in *Oeningen*, fol. LXXVIII.

Eodem anno 11. idus Maij Vicarius *Alberti* pro tunc Epiſc. Conſtantz. confirmat memoratam fundationem, fol. LXXX.

Anno MCCCCLII. in Vig. S. Mathiæ Apoſt. *Burckartus Truchſeſs von Hefingen* donat Cartuſiæ Capellam B. V. M. in Oeningen: fol. LXXXV.

De Altari S. Nicolai in Oeningen.

Anno Domini MCCCCXXXXIIII. in Vigilia S. Jacobi Apoſt. *Eberhardus Sælr de Richtemberg* nomine aviæ ſuæ Dominæ *Adelheidis de Stæffeln* Baroniſſæ, Coniugis quondam *Conradi Sælr de Richtemberg* donat Altare S. Nicolai in *Oeningen*, fol. LXXI.

Anno eodem die 17. Septembris D. *Heinrici* Epiſc. Conſt. approbat præmiſſam fundationem & dotationem, fol. LXXXIV.

24.

Eadem Mechtildis eidem Cartuſiæ legat Dominium Hochemberg.

WIr Mechthilt geborn Pfaltzgräfin by Ryne, und von Gottes gnaden Ertzhertzogin zu Oeſterrich ꝛc. bekennen und tund kunt offenbar mit diſem brieff allen den, die in iemer anſehend, leſend, oder hörend leſen. Als in diſem krancken zergengklichem leben nichts ſichers iſt, dann der todt, und nichts unſichers, dann die Stund des todes: Vnd wir nu darumb, das vns die Vinſternus des todes, vngeordnet vnſer ſachen, nit begriffe und ubervalle, mit guter vorbetrachtunge zytlichem raute, geſundes libes und guter Vernunfft unſer Synne ain teſtament und ordnung unſers letſten willen geordnet, geſetzt, und gemacht haben (das 1458.

auch

auch zu urkunde und guter ſicherheit mit unſerm, und unſern Räte, lieben getreuen, und beſunder des Vatters, Herren Conrats von Munchingen Priors zum Guterſtain Carthuſers ordens, Mathis Rannungs Probſt im tal zu wimpfen, der pfaltz am Ryne Cantzler, Hansen Truchſäſſen von Stetten, Ritters Albrechts Späten hoffmaiſters, und Burckart Vondorffs von wytingen angehenckten inſigeln verſigelt iſt) darinne wir nun dem Gotzhus und den Carthuſer herren zum Guterſtain auch etwas gemacht, geſetzt und geordnet haben: wie dann das diſer hernach geſcriben Artickel, der von wort zu wort uß dem vorgenanten unſerm teſtament in diſem brieff geſetzt und geſcriben iſt, innhalt und ußwiſet. und der alſo anvahet.

Item als wir die herſchafft Hochemberg fur zwaynthuſend gulden an uns in pfandswiſe bracht, dieſelbe herſchafft mit der gerechtigkeit, die wir daran habend, und alle andere pfandtſchafften, gult, rendt, und guter, die wir nochmals in derſelben herſchafft zu unſern handen bringen möchten: da iſt unſer wille und mainung, ſetzen, ordnen und wöllen, das dieſelbe herſchafft Hohenberg mit aller gerechtigkait, guten, gulden, renten, zinßen, und aller ander zugehörung, die wir dann daran gehabt und an uns gebracht habend, nach unſerm tode werden und gevallen ſol den herren den Carthuſern zu Gutterſtain by Brach gelegen: alſo das dieſelbe Carthuſer herren die gemelten Herſchafft Hohenberg mit aller gerechtigkait und gewaltſame, die wir dann daran gehabt, haben ſollen, innhaben, beſitzen, nutzen und nießen, und gebruchen ſo lange, bis die mit der ſumm zwaynthuſend guldin, hoptguts, und anderm hoptgut, das wir mer daruff ußgeben, und by unſerm leben an derſelben herſchafft an uns bracht hetten, von in gelöſet wurdet. Vnd davon ſo ſöllen dieſelbe Carthuſer herren vnſerm Silberkamrer und lieben getruwen Georien Rotten Sydenſticker zwen und drißig guter und geneiner riniſcher guldin, die wir uff der herſchafft Hohenberg järliche gulte zu libdinge, nach innhalt der verſcribung daruber ſagend er innhät, verſcriben haben, järlich ußrichten und bezalen one alle hinderung.

Wann Wir nun umb vil mercklicher urſachen, die wir hierinn zu melden umb kurtz willen underwegen laſſen, ſonder auch von des göttlichen lebens und weſens wegen, das in demſelben Gotzhus volbracht und gehalten wirt: Wir in hoher begird genaigt ſyen, und auch unſer ernſtlich mainung, und gantzr will iſt, das dem genanten Gotzhus und den genanten Carthuſer herren ſölich unſer vorgeſcriben gemecht ordnung und ſatzung, wie dann das der hievorgemeldt artickel innhalt und vßwiſt, volkomenlich und auch gutlich one alle hinderung und irrung volge und gedihe: So ſetzen, ordnen, und verſcriben wir inen für uns, vnſer erben und nachkomen, das vorgemeldt gemächt, wie vor ſtät, gar und gäntzlich, ſonder auch gutlich one alle hinderung vnſer, vnſer erben und nachkomen, und auch aller menclichs volgen werden und gedihen ſol. Weres auch, das Georij unſer Silberkamrer vorneuant zuvor, ee dann den vorgenanten Carthuſer herren das vorgenant unſer gemächt geviele, und zu iren handen wurde, von tod abgienge; So ſol denſelben Carthuſer herren ſölich unſer gemecht mit aller zugehörung, wie vor ſtät, des genanten libdings, und auch aller ander des vernushalb ledig, lous, und unverkumbert werden und gevallen. Vnd als wir uns in dem obgenenten unſerm teſtament vorbehalten haben, das vorgemeldt und ander unſer gemecht zu myndern oder zu meren nach unſerm gevallen, dis ſol dem vorgenanten gotzhus und den Carthuſer herren zum Gutterſtain an dem vorgemelten gemecht, das wir Inen getan haben, dehainen ſchaden bern noch bringen: Sondern Inen ſol nach unſerm tode das vorgemeldt unſer gemecht, wie vor ſtett, werden, gedihen, und volgen, geuerde und argliſt in allen vorgeſcribenen ſachen gantz ußgeſchaiden. Vnd diſer unſer verſcribung zu urkunde und veſter ſicherhait ſo haben wir unſer inſigel offenlich getan hencken an diſen brieff, der geben iſt an Sant Michaels abend des hailigen Ertzengels in dem jar, als man zalt nach der gepurt Chriſti

thuſend vierhundert funffzig und acht jare.

25.

Mechtildis Archidux Auſtriæ & Comitiſſa Wirtembergenſis eidem Cartuſiæ amplam ſacram ſupellectilem & cimelia confert.

1467. WIr Mechtilt Pfaltzgräfin by Rŷn, von Gottes gnaden Ertzhertzogin zu Oeſterrich ꝛc. Wirtwe, bekenne und tund kunt mit dem brieve, das wir mit guter vorbetrachtung angeſehen und betracht habend das götlich leben und weſen, und den loblichen gotsdienſt, der nacht und tag zu unſer lieben Frawen zum Gutterſtein von den erſamen gaiſtlichen Herrn und brudern den Carthuſern daſelbs vollbracht wirt, und furo zu ewigen ziten volbracht ſol werden; und auch zu lob und ere demſelben almächtigen Gott, der Himelſchen Furſtin, ſiner lieben Mutter, Magt Mariä, und allem himelſchen here, auch dem löblichen Hailtum von uns dahin geordnet, und geben uns und unſern nachkomen Selen ewiges hail und troſt. Vnd habend alſo demſelben vnſerm Gotzhus Priorn und Convent, und allen iren Nachkomen zum Gütterſtain Carthuſer ordens lutterlich durch gotzwillen Vnſer Hailtum, als hienach von ſtuck zum ſtuck begriffen iſt, ledenklich und von unſern handen und gewalt in ir und irs gotzhus gewalt und handen aygenlich gegeben; geben und ordnen jnen das mit rechtem wiſſen in krafft dis briefs fur uns vnd unſer erben und nachkomen. Vnd ſind diß die Stuck der hailtum.

Item ain coſtlich Barmhertzigkait von gold und ſilber gemacht, mit edlem geſtain und berlin gefaſt, thuſend guldin wert.

Item ain gantz guldin Crutzlin in ainem ſilbrin vergulten fußlin mit edlem geſtain.

Item die Verkundung unſer lieben Frauwen in ainem tabernackel von lutrem gold gemacht.

Item ain gantz guldin täfelin, darin geſchmeltz die Verkundung unſer lieben Frawen.

Item ainen cöſtlichen tabernackel von ſilber, ubergult, mit ainem ſilbrin marterbild, an das hailtum Sant Januarij gebunden von dobleten gefaſt, by hundert gulden wert.

Item Sant Endres bild von ſilber gemacht, und ubergult, mit dobleten gefaſt.

Item zway cöſtliche ſilbrin Crutz gantz vergult.

Item dry ſilbrin Monſtrantz, und vergult.

Item Vier becher von Criſtall.

Item ain barillin Köpflin beſchlagen, und uff dem lidlin ain Saffir.

Item Silbrin tafel und vergult.

Item zway vergultin ſilberin lädlin.

Item zway barillin Kentlin mit ſilber beſchlagen, und vergult fur den Altar.

Item zway barillin Kentlin beſchlagen.

Item dry Höpter der ainlifftuſend mägt.

Item zway ſilbrin Pulpet.

Item zway ſilbrin Kertzſtal, und zwo hubſch kertzen daruff.

Item ain hubſchen Engel von holtz, und vbergult, mit ainer ſilbrin tafel vbergult.

Vnd habend Jnen alſo die ietztgenante Stuck mit ſolichem gedinge geben, das ſie, die ietzund da ſyen, und füro dahin zu ewigen tagen komen, das obgenant hailtum gantz unverſert und unverendert by irem gotzhus in eren behalten, und zu dem gotzdienſt bruchen ſollen: und in kainem weg von dem gotzhus empfrömden, weder mit verkouffen, noch mit verſetzen, noch enweg geben, oder enweg lihen. Ob aber wär oder wurd, das ſie ainiche Stucke des obgeſcriben hailtums von dem Gotzhus entpfröndbten, in welchem weg das iemer geſchehe: ſo ſöllen die andern unverenderte Stuck alle vervällen ſin unſerm lieben Sun Graff Eberharten von Wirtemberg und zu Mumppelgart, oder ſinen erben; die dann auch das allein zu dem gotzdienſt unverendert bruchen ſollen. Vnd dartzu demſelben unſerm Sone oder ſinen erben ſolich verendert Stuck widerumb ſchaffen, oder darfur widerlegung tun nach aller notturfft.

Sie ſollen auch dieſen brieff, und den brieff, den wir von Jnen vmb das hailtum haben, baide zu gutter

gedächt-

gedächtnus in ir guttätter buch laſſen ſchriben, und Järlich uff unſerm Jartag, den wir von Inen habend, in irem Convent offenlichen laſſen leſen. Vnd alſo verjehen wir uns fur uns und alle unſer erben mit rechtem wiſſen aller der gerechtigkeit, die wir zu dem obgeſchriben hailtum gehabt haben, gentzlich und lutterlich in krafft diß briefs nu als dann, und dann als nu. Vnd des zu waren Urkund haben wir unſer aygen inſigel offenlich tun hencken an diſem brieff. Der geben iſt zu Rotemburg an dem Näcker an ſant Gregorien tag in dem Jar, als man zalt von Chriſtus geburt Thuſend Vierhundert Sechtzig und ſieben jare.

CXII.

Laurentij de Gräz, Monachi primùm Mellicenſis, poſt Abbatis Celle Marie ac demum Gottwicenſis, epiſtola ad Johannem de Weilhaim, tum Priorem Celle Marie. Celebrat ejus virtutem ac doctrinam, & Præfecturæ ſuæ miſerias exponit.

1446. *Ex Cod. Mellic. P. 25.*

EGregiæ religioſitatis viro, Patri *Johanni* de N. Monaſterij *Celle Marie* Priori benè merito, Patri ſibi digniſſimè venerando & dilecto Fr. *Laurentius*, filius veſter, non fictæ charitatis, cum orationibus exiguis, utinam Deo acceptis, affectuoſum incendium.

Scio, cui credidi, & certus ſum, quia exteri, a quorum cura vos liberare non refugi, non ſunt fraudati deſiderio ſuo, immò beati implent deſiderium ſuum ex vobis. Fateor, non renui, ſed pro poſſe favi veſtræ Paternitati tam uberem quàm opulentam etiam exteros experiri charitatem. Gaudeant denique, quia habent Patrem, divinarum Scripturarum tractatorem & Doctorem, defenſorem etiam regularis obſervantiæ, ac errorum debellatorem, qui & bona dare, & mala dedocere, atque in opere ſermonis conciliare averſos, remiſſos erigere, neſcientibus, quid agere, quid expectare debeant, intimare, &, quod excellentius eſt, perfectæ vitæ exemplo, optimo videlicet docendi genere, efficaciter inſtruere validus exiſtit.

Pro huiusmodi lætatus ſum gaudens cum gaudentibus. Materia verò huius gaudij me omnino nil tale aliquid ſuſpitante ſeu timente occaſionem præſtitit mœroris, ut oporteret etiam iuxta exhortationem reliqui membri flere cum flentibus. Conſiderare enim vehementer & actualiter experientia cogor in impoſiti oneris dura ſervitute, quàm nihil de ſe poſſit quælibet humana induſtria pro ſalute, pro correctione, pro eruditione, præſertim aliquorum hominum, ita, ut ubi plus alijs proficere crediderit, ibidem non prodeſſe, ſed obeſſe frequenter ſe reperiet: & quàm difficile ſit moribus diverſorum tam diſſimilibus deſervire, non ſine afflictione ſentio.

Cùm igitur in penetrali mentis meæ revolverem, & absque diſſimulatione veraciter recognoſcere cogerer, quòd non ſolùm dominatione ac regimine alterius egerem, immò quòd nequaquam etiam directus ab alio alios dirigere ſeu regere idoneus eſſem, quæſtio oborta eſt, cur onus tam improportionale viribus meis, immò periculoſum, & utinam non damnoſum obedientia imperaret: mox in occulto cogitationis practica agricolæ menti oblata fuit, qui cernens ſegetem maturari, ne volucribus diripientibus damno percellatur, erigit ſimulachrum in altum, quod tenet locum, & officium prætendit cuſtodis defendentis, ſed re inutile quiddam & manipulus excuſſus ſeu vile ſtramen exiſtit. Et æquivalenter mihi accidiſſe non abnuo. Solatium autem præſtat labentis anni præfixus terminus. Non enim, quemadmodum æſtimando prædicebatis, ut finito oneris veſtri termino ego alligatus manerem, eveniet, ſed terminato onere veſtro ſolvetur onus, quo premor.

Inſuper non minori fiducia, qua oratiunculis meis nullius momenti vos participem fore non diffiditis, veſtræ Paternitatis dignis & Deo acceptis orationibus continuum mihi patrocinium præſtari firmiter credo. Nec ſine cauſa. Quis eſt talis ſuſceptor, protector & adiutor tempore, quo parvulus & infans ſupra modum imbecillis & infirmus Spiritu, a matre, ſancta Religione educandus ſuſpirabam, tam pio paternitatis affectu ſimul & effectu fidelis & diligens repertus eſt? Non ſolùm autem tunc, ſed etiam proceſſu temporis ſemper peculiarem viſceroſæ veſtræ charitatis benivolentiam

expertus ſum. Quid pro his innumerísque alijs retribuam? Ad minus ingratitudine procul repulſa tam egregiæ dilectionis non immemor vicem vicariam, etſi non ſemper effectu, ſine tamen remiſſione ferventi affectu libentiſſimè rependam.

Quæſo, commendata ſit genitrix mea devotioni veſtræ. Singulariter enim ipſa de eadem fiduciam habet. Precor etiam a vobis commendari ſingulariter Patribus mihi ſpecialiter notis, ſcilicet Patri *Johanni* ſeniori, Patri *Johanni de Spira*, P. *Richardo*, *Johanni*, *Conrado* Magiſtris, Fr. *Alberto*, quem vobis pro ſua ſimplicitate ſpecialiter commendo, præcipuè verò Fr. *Georgio de Emerſtorf* mihi peculiariter dilecto. In *Mellico* 1446. 11. die Martij.

CXIII.

Monumenta, Parochialem Eccleſiam in Spiz, Monaſterio Nideraltahenſi unitam, illuſtrantia.

1.

Gebhardus Ep. Patavienſis litem, quæ inter Monaſterium Nideraltahenſe & Canoniam S. Floriani ob Eccleſiam in Spiz interceſſerat, dirimit, & illi addiudicat.

Ex Archiv. Nideraltahenſ.

GEbhardus Dei gratia *Patavienſis* Eccleſiæ Epiſcopus omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Quoniam res geſtas, quæ ſcriptis mandatæ non fuerint, ab hominum conſtat elabi memoria, univerſis hanc paginam inſpecturis præſentium teſtimonio declaramus, quòd Præpoſitus & Capitulum in domo S. *Floriani*, Abbati de *Altach* & ſuo Capitulo quæſtionem moverunt ſuper Eccleſia in *Spitze*, quam dicebant ſitam eſſe infra terminos Eccleſiæ ſuæ in *Wachowe*: aſſerentes etiam, ſe habere quædam ſcripta *Chunradi* Epiſcopi Anteceſſoris noſtri, quibus cauſa ſua videbatur roborari.

Cùm itaque pars utraque per varias commiſſiones ab Apoſtolica ſede obtentas, labores & expenſas feciſſent non modicas, & lites ex litibus orirentur, placuit partibus in noſtrum compromittere arbitrium, utriusque Capituli conſenſu nobis per litteras ſub proprijs ſigillis aſſignato. Vnde Prælati utriusque Eccleſiæ cum quibusdam Fratribus ſuis ſuper negotio præmiſſo in præſentia noſtra comparentes pro ſe & Capitulis ſuis cum legitimo mandato ſuarum Eccleſiarum litibus renuntiaverunt, & arbitrium noſtrum ſub pœna congrua recipere promiſerunt.

Nos igitur habito prudentum virorum conſilio, & circumſtantijs negotij ac meritis cauſæ diligenter penſatis, quæ pro Abbate faciebant privilegia & diuturna poſſeſſio, & pro Præpoſito faciebant rationes, quas inducebat, Abbatem condemnavimus Præpoſito ad ſolvendum viginti quatuor libras monetæ publicæ pro redemptione litis, Præpoſito ſuper Eccleſia prædicta perpetuum imponentes ſilentium non obſtantibus privilegijs, vel Commiſſionibus, ſeu quibuslibet inſtrumentis ante collationem iſtius privilegij habitis vel obtentis. Ne verò poſt arbitrium noſtrum à partibus acceptum & approbatum aſſenſu Fratrum utriusque Eccleſiæ, alicujus præſumptione lis prædicto modo ſopita, iteratò queat reſuſcitari, hanc inde paginam conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione juſſimus roborari: hanc pœnam de conſenſu utriusque partis adjicientes, ut ſi impoſterum aliqua partium contra præſens inſtrumentum facto vel alio modo venire attentaret, tam Nobis, quàm adverſæ parti teneretur in centum marcis argenti examinati ante ingreſſum cauſæ perſolvendis. Ad cautelam autem majorem præcepimus Præpoſito & Capitulo ſæpe dictis, quatenus præſenti inſtrumento ſigillum Eccleſiæ ſuæ apponerent. Huic facto interfuerunt *Ludwicus* Abbas de *Alderſpach* noſtræ diœceſis, *Rudgerus* Abbas de *Metten* Ratisponenſis Diœceſis &c. Datum XV. Kal. Sept. an. 1225.

2.

Eugenius IV. P. M. Præpoſito S. Stephani Viennæ præcipit, ut quosdam Parochianos Eccleſiæ in Spitz Abbati Nideraltahenſi decimas dare nolentes intentata cenſura compellat.

EUgenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ ſancti 1440.

sancti *Stephani*, aliàs *Omnium Sanctorum* Wiennensis, & Patavienſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Sua nobis dilecti filij Abbas & Conventus Monaſterij Sancti Mauritij in Inferiori *Altach* Ord: S: Bened: Patavienſis diœceſis petitione monſtrârunt, quòd nonnulli Parochiani Parochialis Eccleſiæ in *Spitz* ejusdem diœceſis, ipſi Monaſterio canonicè annexæ, de proventibus terrarum, vinearum, ortorum, molendinarum, pratorum, poſſeſſionum, nemorum ac aliorum bonorum, quæ infra limites Parochiæ ipſius Eccleſiæ obtinent, decimas præfatis Abbati & Conventui ratione dictæ Eccleſiæ debitas, eis ſolvere indebitè contradicunt, quandam pravam conſuetudinem, quæ potiùs corruptela dicenda eſt, prætendentes, videlicet, quòd de talibus nullo unquam tempore decimas perſolverunt.

Cùm igitur tantò graviora ſint crimina, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam, ac in ſignum univerſalis Dominij quaſi quodam titulo ſpeciali Dominus ſibi decimas reſervaverit: diſcretioni Tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, præfatos Parochianos, ut conſuetudine hujusmodi non obſtante decimas eisdem Abbati & Conventui, ratione prædictarum decimarum, ùt præfertur, integrè perſolvant, ùt tenentur, monitione præmiſſa per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remota compellas. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratiâ, odio vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Datum *Florentiæ* An. Incarn: Dom. MCCCCXL. Idib: Maij Pontificatus noſtri anno nono.

3.

Alexander VI. P. M. confirmat unionem Eccleſiæ in Spitz, factam cum Monaſterio Altahenſi, permittitque, ut ea a Monachis, etiam ſine præſentatione coram Ordinario, regi poſſit.

ALexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. His, quæ pro Eccleſiarum & Monaſteriorum quorumlibet ſtatu proſperè dirigendo, providè facta dicuntur, cùm à Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem, & alias noſtri Miniſterij partes favorabiliter impertimur, prout in Domino conſpicimus favorabiliter expedire.

Sanè pro parte dilectorum Filiorum moderni Abbatis & Conventus Monaſterij *Inferioris Altach* Ord: S: Bened: Patavienſis Diœceſis nobis exhibita nuper petitio continebat, quòd, cùm olim jam annis ducentis, vel circa elapſis, *Rudegerus* Epiſcopus Patavienſis parochialem Eccleſiam in *Spitz* dictæ Diœceſis, quæ ad præſentationem Abbatis dicti Monaſterij pro tempore exiſtentis, & Conventûs prædictorum pertinebat, tunc certo modo vacantem cum omnibus juribus & pertinentijs ſuis præfato Monaſterio de conſenſu dilectorum Filiorum Capituli Eccleſiæ Patavienſis perpetuò poſſidendam liberaliter, ſalvo tamen jure Diœceſani loci, per certas ſuas litteras univiſſet, annexuiſſet, & incorporâſſet ſeu donâſſet, & conceſſiſſet, ac ſucceſſivè etiam bonæ memoriæ *Wernhardus* Epiſcopus Patavienſis, & dicti *Rudigeri* ſucceſſor unionem ſeu donationem & conceſſionem prædictas innovâſſet, ſeu approbâſſet, & confirmâſſet, ac Abbati dicti Monaſterij pro tempore exiſtenti conceſſiſſet, ut dictam Eccleſiam per unum ex Monachis dicti Monaſterij per eum Epiſcopo Patavienſi pro tempore exiſtenti pro cura animarum Parochianarum ejusdem, per dictum Epiſcopum eidem Monacho committendâ, præſentandum in ſpiritualibus gubernare, ac eundem Monachum ſic præſentatum, quando ſibi videretur, mutare, & alium ejus loco prædicto modo ſubrogare poſſit, ſalvis Romanæ Eccleſiæ & Diœceſani loci oneribus & juribus, prout in ſingulis litteris dictorum Epiſcoporum, deſuper reſpectivè confectis dicitur pleniùs contineri: Ipſi Abbas & Conventus unionis, annexionis, incorporationis, ſeu donationis & conceſſionis hujusmodi vigore parochialem Eccleſiam prædictam ex tunc, ùt eidem Monaſterio unitam pacificè poſſederint, prout poſſideant de præſenti, ac ipſam per Monachos dicti Monaſterij per eos pro tempore Ordinario loci præſentatos, & ab eodem Ordinario inſtitutos gubernaverint, & Monachi præfati pro tempore ſic præſentati & inſtituti

præfatis

præfatis Abbati & Conventui de ſingulis fructibus ex eadem Eccleſia provenientibus calculum, & computum reddiderint, ac ipſos fructus eisdem integrè conſignaverint, & conſignare conſveverint, & quotiens Abbati & Conventui prædictis viſum fuit, ad eorundem Abbatis & Conventûs ſimplicem requiſitionem, Eccleſiam prædictam in ipſorum Abbatis & Conventûs manibus liberè dimiſerint, & alios ipſius Monaſterij Monachos ad illam præſentari, & in ea inſtitui permiſerint. Quare pro parte Abbatis & Conventûs prædictorum, aſſerentium, Eccleſiæ & ei annexorum quatuor, Monaſterij verò prædictorum fructus, redditus, & proventus trecentarum Marcharum argenti puri ſecundùm communem exiſtimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unioni, annexioni, & incorporationi, ſeu donationi & conceſſioni prædictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, dictámque Eccleſiam eidem Monaſterio de novo perpetuò unire, annectere, & incorporare, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quòd ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes vocatis, quarum interesſet, & idem ſervaretur in confirmatione unionum jam factarum, præfatos Abbatem & Conventum, ac ipſius Conventus ſingulares perſonas, à quibuscunque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac verum & ultimum dictæ Eccleſiæ vacationis modum, etiamſi ex illo quævis generalis reſervatio etiam in Corpore juris clauſa, reſulter, pro expreſſo habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, unionem, annexionem, & incorporationem ſeu donationem prædictas, & prout illas concernunt, omnia & ſingula, in dictis litteris contenta, Authoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſiqui fortè intervenerint in ijsdem, & nihilominus pro potiori cautela Eccleſiam prædictam, quovis modo & ex cujuscunque perſona, ſeu per liberam reſignationem vel ceſſionem cujusvis de illa extra Romanam Curiam, etiam coram Notario, & teſtibus ſponte factam, aut Conſtitutionem fel: record: Ioannis PP. XXII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Execrabilis* vel aſſecutionem alterius beneficij Eccleſiaſtici, dictaOrdinaria Authoritate colenti vacet, tametſi tanto tempore vacaverit, quòd ejus collatio juxta Lateranenſis Statuta Concilij, ad ſedem Apoſtolicam legitimè devoluta, ipſáque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dumodo tempore datarum præſentium non ſit alicui in ea ſpecialiter jus quæſitum, cum omnibus juribus & pertinentijs ſuis eidem Monaſterio eadem Authoritate Apoſtolica de novo perpetuò unimus, annectimus & incorporamus, ita quòd liceat moderno, & pro tempore exiſtenti Abbati dicti Monaſterij, & Conventui præfatis per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ, juriúmque & pertinentiarum prædictarum propria authoritate liberè apprehendere, & perpetuo retinere, illiſque per Monachos dicti Monaſterij, ad eorum nutum amovibiles, in divinis deſerviri & animarum curam parochianorum illius exerceri facere etiam absque aliqua præſentatione dicto Ordinario ſeu Epiſcopo faciendâ, ac illius fructus in ſuos, ac Eccleſiæ ac Monaſterij prædictorum uſus & utilitatem convertere, ejusdem Diœceſani loci, & cujusvis alterius licentia ſuper hoc minimè requiſita, non obſtantibus præmiſſis, ac voluntate noſtra prædicta, & alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus contrarijs quibuscunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujusmodi, vel alijs beneficijs Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrârint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum: quas quidem litteras & proceſſus habitos per easdem, & inde ſecuta quæcunque ad dictam unitam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet alijs privilegijs, indulgentijs & litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecia-

ſpecialibus, quorumcunque tenorem exiſtant, perque præſentes non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis: Proviſo, quòd propter unionem, annexionem & incorporationem prædictas dicta Eccleſia debitis non fraudetur obſequijs, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, ſed ejus congruè ſupportentur onera conſveta. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, ſuppletionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Romæ* apud ſanctum Petrum anno Incarnat. Dom. Milleſimo, Quingenteſimo primo, quinto decimo Cal. Martij. Pontificatûs noſtri anno decimo.

4.

Wigilæus Ep. Patavienſis conſentit in præmiſſum privilegium Alexandri.

Wigilæus Dei Gratia Epiſcopus *Patavienſis* ad perpetuam rei memoriam. Etſi omnibus noſtræ Diœceſis ſubditis & præſertim divino miniſterio mancipatis, humanitatis noſtræ ſuffragia, per quæ eorundem ſalus & incrementa creſcant, libenter impendimus: illis tamen propenſiùs, quorum ſincera devotionis in Eccleſiam noſtram Patavienſem hactenus perſpecta & cognita eſt obſervantia, benignitatis aurem inclinamus. Dudum bonæ memoriæ Anteceſſores noſtri Epiſcopi Patavienſes, videlicet *Rudigerus*, & *Bernhardus* Eccleſias parochiales *S. Mauritij in Spitz*, & *SS. Petri & Pauli in Schwarzach* tunc Venerabilibus ac devotis Fratribus Abbati & Conventui Monaſterij *S. Mauritij Althæ Inferioris* Ord. S. Bened. & eorundem ſucceſſoribus propter eorum merita in Eccleſiam Patavienſem collata, & divini cultus augmentum, perpetuo incorporaverunt, univerunt, & donârunt, ita quòd Abbas dicti Monaſterij in *Altach* pro tempore exiſtens, Eccleſias prædictas per Fratres & Monachos ſui Monaſterij, ad nutum ſuum amovibiles, requiſito tamen pro tempore Epiſcopo, uti loci Ordinario pro cura animarum ex ſuis manibus recipienda, ac per ipſum Ordinarium præſentandos Fratres ad curam animarum & Eccleſiarum dictarum regimen Canonicè inſtituendos regeret & gubernaret: Et ipſi Fratres taliter inſtituti ſynodos Epiſcopales, Archidiaconorum & Decanorum Eccleſiæ Patavienſis cum reverentia frequentarent, procurationes debitas perſolverent, & quævis incumbentia onera cum alijs noſtræ Diœceſis Clericis ſupportarent, prædictique Abbas & Conventus à tempore illarum incorporationis & conceſſionis Fratres Monaſterij eorundem Anteceſſoribus noſtris pro tempore Epiſcopis ad curam animarum dictarum Eccleſiarum regendam ſæpius præſentârunt, qui ad hujusmodi præſentationem ordinaria authoritate inſtituti ſunt, fuerúntque in pacifica & quieta Iurium conceſſionis & unionis præfatarum poſſeſſione usque ad noviſſima tempora, ubi ex eo, quòd inſtituti ad dictas Eccleſias authoritate ordinaria, ſe per Abbatem ab ijsdem removere pati noluerunt, unde Monaſterium prædictum graviſſima dicitur ſuſtinuiſſe damna & detrimenta. Et ob id Venerabilis in Chriſto Pater ſincerè nobis dilectus Dominus *Ioannes* modernus Abbas, totúsque Conventus dicti Monaſterij in *Altach* illarum donationis, conceſſionis, incorporationis, ac unionis, ipſis à noſtris Anteceſſoribus factæ, à ſanctiſſimo Domino noſtro, Domino *Alexandro* moderno ſummo Pontifice novam confirmationem, revalidationem & approbationem obtinuerunt: Et ut in futurum liceat moderno, ac pro tempore Abbati Monaſterij prædicti per ſe vel alium ſeu alios corporalem poſſeſſionem dictarum Eccleſiarum propria authoritate apprehendere ac retinere, Fratres ſui Conventus ad illas Eccleſias locare, & iterum illos ad nutum amovere, curam animarum absque aliqua præſentatione ſive inſtitutione Ordinaria facta in ijsdem exerceri facere, loci Ordinarij licentiâ deſuper minimè requiſita, ſecundùm tenorem litterarum Apoſtolicarum à dicto ſanctiſſimo Domino noſtro, Domino *Alexandro* Papa Sexto emanatarum, & nuper Nobis coràm exhibitarum.

Vnde Nobis Abbas modernus & Conventus Monaſterij *Inferioris Althæ* præfati, humiliter ſupplicârunt, quatenus etiamſi hujusmodi novæ conceſſiones & uniones Apoſtolicæ in aliquo Iuribus Eccleſiæ noſtræ *Patavienſis*, atque Ordinariæ Iurisdictionis præjudicarent, recompenſâ propterea oblatâ, pro eorum quiete, & ad præcavenda futura pericula ad ipſas conceſſiones, uniones, ac incorporationes taliter per eos apud Sedem Apoſtolicam obtentas, noſtrum Conſenſum gratioſè præbere dignaremur. Nos deliberatione, ac conſilio Venerabilis Capituli noſtri præhabitis, etiam præmiſſis legitimis & de jure conſvetis in hujusmodi negotijs tractatibus, penſatâ etiam recompenſâ Nobis & Eccleſiæ *Patavienſi* factâ, in præfatas noviter obtentas per dictos Abbatem & Conventum conceſſiones, uniones, & incorporationes, atque earundem Apoſtolicas approbationes & confirmationes, etiam ut deinceps dicto Abbati & illius ſucceſſoribus liceat præfatas Eccleſias ſecundum tenorem litterarum Apoſtolicarum prædictarum pleno jure regere, & earundem fructus in uſus Monaſterij convertere, Fratres Religioſos ad illas gubernandas locare, & ad libitum illos amovere, curámque animarum prædictarum Eccleſiarum liberè exerceri facere Nobis vel ſucceſſoribus noſtris Epiſcopis Patavienſibus minimè requiſitis, præſentibus conſentimus, & apertum præbemus conſenſum, dictásque conceſſiones, incorporationes, uniones & indulta Apoſtolica, authoritate noſtra Ordinaria ratificamus, approbamus, & confirmamus: Proviſo tamen, quòd ad regimen dictarum Eccleſiarum locentur Fratres habiles & idonei, per quos cura animarum nullatenus negligatur, atque præterea Nobis & ſucceſſoribus noſtris Ordinarijs debitam exhibeant obedientiam & reverentiam, & onera Epiſcopalia ſicut cæteri noſtræ Diœceſis Curati ſecundùm conſvetudinem Eccleſiæ noſtræ Patavienſis ſufferant ac ſuſtineant, dolo & fraude ſemotis.

In cujus rei evidens teſtimonium præſentes litteras ſigillo noſtro, & ſigillo Venerabilis Capituli noſtri munitas Abbati & Conventui prædictis & eorum ſucceſſoribus tradimus, die ſeptima Menſis Maij Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo ſecundo.

CXIV.

Stephani de Spannberg Abbatis Mellicens. Epiſtolæ.

I.

1441. *Ex Cod. Mellic. P. 25. & H. 45.*

Ad Iohannem de Weilhaim Mellicenſ. cui mittit reſponſum M. Narciſſi Herz de Berchingen ſuper dubio: num adhærentibus Concilio Baſileenſi liceat communicare cum Eugenio IV.

HOnorabili multæ religionis viro, fratri *Iohanni S.* * Monacho Monaſterij Mellicenſis, Patri ſuo ſingulari, Frater *Stephanus de Spannberck*, orationes affectumque charitatis haud alium, quàm quadam vice in capitulo noſtro, cùm redituros nos ad ſtudium putaremus, coram vobis expreſſi, ac in opere, propter quod exilium patimini, proſpere agere.

* *Stipacher de Weilhaim*

Dilecte mi Pater! Cùm aliàs in abſentia Domini noſtri Abbatis legatio & nuntius Domini Abbatis *Auguſtenſis &c.* ad Monaſterium veniens, ſcripta quàm plurima varijs perſonis Monaſterij noſtri apportâſſet, eò quòd, poſtquàm plura vidiſſem & audiſſem, nec ſaltem nominetenus de me per Caritatem veſtram aliquam mentionem factam fore agnoſcerem, mirari cœpi, unde hoc contingeret. Sed cùm adverterem, quòd vel propter demerita mea id non incongruè fieri poſſet, vel propter aliam cauſam bonam omiſſum eſſe potuiſſet, contentari cœpi: quippe qui me ipſum, qualis ſim, noverim. Heri verò Dominus noſter Abbas, qui die Dominico, proximè præterito, de *VVienna*, ubi a feſtis Paſcæ uſque nunc propter terræ difficultates manſerat, ad Monaſterium redijt, & cedulam manus veſtræ mihi præſentavit, in qua ex parte veſtri mihi miſſum vidi præter literam, quam dudum Patri *Martino* miſiſtis, committendo ſibi, quatenus mihi eandem præſentaret, prout & fecit. Sed in eiſdem ſcriptis cùm ea heri recenſerem, nihil de cauſis in cedula præfata contentis reperi.

De cauſa verò, in ipſa cedula contentâ, non poſſum multum cum alijs, & Magiſtro *Narciſſo* &c. prout deſideratis, conferre tum propter nuntij feſtinationem ad iter, tum etiam propter recentem

huius

huius cauſæ notitiam. Veruntamen quia fundamentum ſcrupuloſitatis, quam per cauſas in cedula contentas in vobis mitigatam fore aſſeritis, ſtat in hoc, an adhærentibus Concilio & actis ipſius liceat communicare & cohabitare ſine peccato tenentibus *Eugenium* pro Papa, pro hoc dubio valere poteſt vobis reſponſio Magiſtri *Narciſſi*, quam mihi in eadem re dubitanti propter perſonas, quæ ad Monaſterium noſtrum venire ſolent variæ & multæ de *VVienna*, propria manu ſcripſit, quæ cauſis veſtris, in ipſa cedula contentis, ſatis concordare reperitur. Vnde verba ipſius meæ dubitationis cum reſponſione ipſa iam dicta præſentibus inſerere, & vobis transmittere pro veſtri & ſodalium veſtrorum, Patrum meorum & fratrum, quos & per hæc ſcripta ſaluto & viſito, confortatione & conſolatione bonum reputavi: quorum tenor talis eſt.

Egregie Domine Doctor. Non conſtat mihi de peccatis adhærentium *Eugenio*. Cùm autem caſus ſequens frequenter accidere poſſit in noſtro Monaſterio propter hoſpites, qui non deſunt nobis, velit, rogo, Reverentia veſtra nos dirigere.

Caſus.

Veniat aliquis ad me dicens: nos iſti & iſti ſtamus cum *Eugenio*: cum qua parte vos ſtatis? Ex hoc dicto habeo, quòd talis eſt cum *Eugenio*. Eſt ergo dubium, an talis ſit vitandus tanquam excommunicatus: quia dubito, ùt ſuprà dixi, an Concilium in tales tulerit ſententiam. Tamen quidquid Concilium ferat, poſſet videri, quòd talis eſt fautor hæreticorum, quia declaratus eſt hæreticus ipſe *Eugenius*. Fautores autem tales ſunt excommunicati, ùt patet.

Quòd autem non ſint excommunicati, videri poteſt, quia multi ex ſimplicitate adhærent ſequentes ſuos Superiores, aut alios, apud quos morantur. Grave autem eſt dicere, quòd tales omnes eſſent in ſtatu damnationis, quia non eſt, quòd teneantur ſcire iuſtitiam Concilij &c. Informate nos in hac re, quomodo nos habere debeamus.

Sequitur reſponſio Magiſtri *Narciſſi* de verbo ad verbum.

ReverendeMagiſter &PaterSupprior.

De primo caſu, cùm aliquis dicit ſe tenere olim *Eugenium* adhuc pro Papa, dupliciter poteſt fieri unitio ſecundùm formam illorum, qui iam neutralitatem tenent. Qui tenent *Eugenium* pro Papa & etiam Baſilienſem Synodum pro Generali Concilio, licèt credam illos deviare a rectitudine, tamen quia ſacrum Concilium viam neutralitatis nondum hæreticavit per decretum, ſed probabiliùs ad tempus tolerat, ideo putarem non oportere illos adhuc vitare. Et ſecundùm talem intellectum poſſetis recipere, cùm quis adveniens diceret ſe eſſe de adhærentia Eugenij, & non inquirere amplius pro quiete conſcientiæ. Et ſic non oporteret eum vitari: quia etiam Concilium adhuc tractat cum illis de neutro genere in Diæta Maguntina. Qui autem adhæret *Eugenio* non per viam neutralitatis, ſed omnino contra Concilium, quod pro nullo habent, ſicut ipſe *Gabriel* & ſui complices, talem omnino vitarem, quia talis participat cum hæretico in crimine hæreſis, & per conſequens eſt excommunicatus. Hæc ille.

De cauſis verò, quas in ſuprà dicta cedula aſſignâſtis, conferam cum Patre *Conrado*, præſentium latore, qui quò ad ea, quæ mihi videntur, & multa alia, erit epiſtola mea magna ad vos & collegas veſtros, quem ex ſpeciali confidentia, quam gero ad omnes vos, inſtanter rogo, habetote vobis recommiſſum, maximè in neceſſitatibus corporalibus eum conſolando pro modulo & ſupportando, quia iam aliquantulum debilis eſt, donec reparetur pleniùs.

Benè valeant Caritates veſtræ in Domino Ieſu ſemper, quem ſuppliciter rogo pro me peccatore exorari. Amen. Datum in *Mellico* in profeſto S. Margaretæ Virginis & Martyris anno 1441.

2.

Ad Eundem de eadem quæſtione, & pluſcula de præſenti Auſtriæ ſtatu perquam turbulento.

ORationes, complacendi quoque voluntatem debitas multipliciter, pariter & devotas. Fratrum eſt, maximè eorum, qui ſpeciali caritatis affectu coniuncti ſunt, ut & ſibi mutuò compatiantur, & in tribulationibus quaſſati ſeſe conſolari & poſſetenus ſibi ſubvenire laborent. Inde eſt, chariſſime Pater, cùm aliàs ex ſcriptis veſtris, & tandem ex relatione Fratris *Henrici de Matzen* *Inſtit.*

varias charitatis veſtræ & collegarum veſtrorum difficultates, tribulationes & adverſitates percepiſſem, ex tunc & usque modo compati vobis cœpi non minimè, & verò amplius, quòd non habebam tunc neque ſcicbam, unde ſaltem aliquid conſolationis charitatibus veſtris, in tribulationibus huiusmodi quaſſatis, impertirer. Licèt autem ab ambobus nobis, P. *Martino* videlicet & me, vobis provideri, ſubveniri petieritis & reſponderi, incongruum tamen foret haud dubium, quòd propter ipſius P. *Martini* abſentiam, qui propter neceſſitates vindemiarum & alia Monaſterij negotia ante præſentationem ſcriptorum veſtrorum iam exierat, & necdum ad Monaſterium redijt, ſcribere vobis omitterem, cùm nec hoc pateretur charitas, & in ſolidum hanc cauſam nobis commiſeritis.

Igitur ea, quæ in ſuprà dictis difficultatibus voſtris ſentio, ſecundùm quod & egomet ipſe in caſu ſimili conſtitutus agerem, vobis inſinuare decrevi. Et licèt horum omnium vel ferè omnium charitas veſtra potuerit aut poſſit habere ſaltem aliquantam notitiam, non idcirco tamen omittere debui ipſorum inſinuationem, tum quia & hoc inſtanter petitis, & quia etiam priùs cognita, dummodo ſcriptis inſinuantur, cum, cui ſcribitur, lætificare ſolent & conſolari, maximè ſi ſcribens ſpeciali fœdere charitatis ſit ſociatus. Tum etiam quia plurimùm in idipſum concors ſententia animum nutantem fortificare ſolet & radicare.

Revolvendo igitur ſcripta charitatis veſtræ nitimini declarare primò, & declaratis ſatis, quòd non debuerimus putare, quòd ex intentione obmiſeritis nobis aliàs ſcribere. Sed in prompto eſt, quod pro me loquens reſpondeam. Fateor enim planè, quòd, etiamſi ex propoſito hoc factum foret, rectè fieri potuiſſet, & per conſequens a me nequaquam reprehendendum. Novi enim, quid merear ego tardus & negligens.

Deſcribitis poſtea Conventus Auguſtenſis habitudinem quoad numerum perſonarum, & in ſcriptis Domini noſtri Abbatis quoad laborum gravitatem, quam clariùs & pleniùs ex relatione Fratrum *Heinrici* & *Jeremiæ* intellexi, quibus ſi adiungatur alimentorum conſuetorum qualitas, quæ non modicùm deficit ab alimentorum Monaſterij noſtri, ubi conſuetus eſtis, convenientia & bonitate, ego absque dubitatione concludi puto, quòd iam longè auſteriorem & arctiorem, quàm nos, ducitis vitam, ac per hoc magis meritoriam. Difficultas enim cæteris paribus auget meritum, ùt habet vulgata auctoritas. Congratulari igitur & congaudere vellem ſuper hoc charitatibus veſtris: ſed retrahor non minimè timens exhinc naturalium veſtrorum exinanitionem & debilitationem, & conſequenter corporis, ſine quo mereri non contingit, citiorem defectibilitatem. Sed Deus bonus & omnipotens, cuius amore hoc facitis & patimini, dignetur & diſcretionem vobis tribuere, & vires ſubminiſtrare. In cunctis tamen veſtris difficultatibus & adverſitatibus Charitates veſtras hoc unum diligenter & ſerioſè meditantes non minimè, immò verò maximè ſublevare poteſt & conſolari, quod Angelus Raphaël Tobiæ dixit: Quia, inquit, *acceptus eras Deo, neceſſe erat, ut tentatio probaret te*, id eſt, ut difficilia & adverſa ſuſtineres. Et in eandem ſententiam ſententiæ multæ nimis Scripturæ Sacræ & Sanctorum conveniunt, ut certiſſimum ſit, quòd ſignum Divinæ dilectionis & via veniendi ad patriam eſt agere dura & difficilia, & patienter ſuſtinere adverſa. Hinc beatus Iacobus Apoſtolus dicit: *Omne gaudium exiſtimate, Fratres cariſſimi, cùm in varias tentationes incideritis* &c. Non ſufficit beato Apoſtolo, ut dicat, *gaudium* vel *magnum gaudium exiſtimate*, ſed *omne*, inquit &c. Quod non faceret, niſi valde magnum fore cognoſceret, varias tentationes patienter & inoffenſè perpeti.

Subiungitis conſequenter principalem ſcripturæ veſtræ intentionem & difficilem anxietatem videlicet & ſcrupuloſitatem, quam vos ex hoc aſſeritis incurriſſe & ſuſtinuiſſe, quòd Abbas Auguſtenſis in magna feria VI. & in Sabbato ſequenti per unum de ſuis *Eugenium* tanquam ſummum Pontificem nominavit, propter quod eodem die Sacramentum Evchariſtiæ iuxta Monaſterij illius conſuetudinem de manu ipſius Abbatis non recepiſtis. Vnde pro quietatione conſcientiarum veſtrarum ſcriptotenus petitis vobis inſinuari, an ab Abbate Auguſtenſi & ſuis poſſitis licitè Sacramenta, & eis viceverſa miniſtrare, an non. Item ſi hoc non liceret, an tamen licitum ſit vobis audire confeſſionem Fratris alicuius dicentis, quòd in corde ſuo pro Summo Pontifice illum gerat & teneat, quem

quem ſibi Deus elegit. Poſt hæc humiliter & inſtanter petitis, quatenus pro evadendis ſcrupulis huiusmodi a LegatisConcilii, quos tunc fuiſſe *Viennæ* ſcribitis, vobis auctoritatem impetrari diſponeremus. Hæc ſunt, quæ, ùt æſtimo, in ſcriptis veſtris principaliter intendebatis, ad quæ reſpondere debeo conſequenter.

Noſſe igitur cupio charitatem veſtram, quòd, poſtquam ſcripta veſtra nobis ad Monaſterium fuiſſent præſentata, & ea, quæ ſuprà dicta ſunt, Pater Prior & ego non ſine triſtitia percepiſſemus, litteram, quam Domino Abbati miſeratis, ad *VViennam* ei transmiſimus, ubi ſatis diu in dicta difficili fuit, cui & hanc difficultatem, a Magiſtro *Narciſſo* ſingulariter interrogandam per ſpeciale ſcriptum inſinuavi. Qui ſcripta veſtra unà cum ijs, quæ ſcripſeram ego, Magiſtro *Narciſſo* penſanda commiſit, petens, quatenus quid ſibi faciendum videretur, in ſcriptis reſponderet. Quod & fecit poſtea. Quæ quidem ſcripta plurificatis vicibus, poſtquam Dominus [Abbas], ea mihi poſt reditum ſuum præſentavit, mente tractavi: nec neceſſe eſt, ut illa ſcripta transmittantur vobis ex integro, eò quòd plura contineant, quæ Dominum Abbatem, quid in petitione veſtra facere deberet, reſpiciant. Aliqua igitur duntaxat, negotium id reſpicientia, præſentibus interſerere curavi.

Videtur itaque mihi, quòd, quamdiu Concilium illam tertiam in præſenti ſchiſmate viam, quæ via neutralitatis dicitur, eò quòd utrique partium principalium neget obedientiam, tolerat non hæreticando eam, nec aliàs anathematizando, licitè potueritis & poſſitis nedum in loquendo & cæteris corporalibus, verùm etiam in Sacramentis recipiendis & conferendis & in alijs Divinis talibus Neutralibus communicare. Cuius duplex ratio poteſt aſſignari. Vna eſt communis practica omnium. Nam neque Eugeniſtæ neque Suppoſita Concilij Neutrales huiusmodi vitare inveniuntur, etiam in Divinis, ùt *VVolfgangus Tendl*, aliàs apud nos exiſtens, ſuper hoc ſpecialiter interrogatus mihi reſpondit, licèt quælibet pars hanc viam tanquam iniuſtam reprobet, prout aliàs coram rege Rom norum fecerunt & Legati Eugenij & Concilij.

Secunda ratio. Nam dato, ſed non conceſſo, quòd ipſi neutrales propter neutralitatem ſuam aliqua ſententia innodati eſſent, non tamen pro excommunicatis communiter tenentur, nec hoc unquam aliquem dicere intellexi. Cùm ergo non ſicut tales denuntiati, ùt manifeſtum eſt, neque tales ita notoriè exiſtant, ut nulla tergiverſatione valeant celari, ùt certum puto, conſequens eſt, ut eos neque in Divinis neque in alijs oporteat vitari ex decreto Concilij Baſilienſis *de excommunicatis non vitandis*. Nec ſola nominatio ſive publica ſive privata, qua ſecundùm nomen dignitatis unus præ altero quocunque partium contendentium nominatur, neque ſola non receptio & non executio mandatorum ipſorum arguit ipſos nominantes vel non recipientes non neutrales, ſed partiales exiſtere. Manifeſtum eſt hoc. Nam de ratione illius neutralitatis eſt, quòd licèt quælibet pars ſecundùm nomen dignitatis nominetur & ſcribendo & aliàs, nulli tamen utrius obediatur. Sic enim neutrales Eugenium Sanctiſſimum nominant, & ſimiliter Concilium Baſilienſe Sacroſanctum, nullius tamen mandata, ùt talis recipiunt.

Vnde Magiſter *Narciſſus* quoad hoc in hæc verba reſpondit: *Fratres de Mellico miſſi ad Auguſtam principalem difficultatem in ſtando ibidem allegant, quia in publico in Divinis officijs per Abbatem & unum de ſuis nominatus ſit Eugenius pro Summo Pontifice, nec tamen in ſcriptis aſſerunt, quòd eidem ùt tali Abbas & ſui adhæreant. Sæpe enim ſecundùm conſuetudinem aliorum aliquis de aliqua dignitate Prælatus nominatur, cùm tamen ùt tali ab eo, qui eum ſic nominat, non obeditur: ſicut iam Dominus Rex & omnes neutrales Eugenium Papam & ſummum Pontificem & Sanctiſſimum nominant, ſed tamen mandatis ſuis ùt tali non obediunt.* Hæc ille.

Item nec hæc duo ſimul iuncta, quæ in Monaſterio, ubi manetis, percepi contigiſſe, ſcilicet quòd Abbas ibidem mandatum Concilij non recepit, & quòd Prior ſuus dixit, quòd via neutralitatis eſt reprobanda, nec poteſt ſtare, arguunt, quòd Abbas & ſui teneant partem Eugenij. Patet. Nam potuiſſet hoc Abbas ideo feciſſe, ne exequendo manifeſtè recederet ab alijs Neutralibus partem Concilij amplexando, quod ſibi nocere potuiſſet & imputari non minimè, cùm inter neutrales exiſtat. Pro his facere videtur non modicum hoc, quod in quadam cedula ſcribitis, quòd ſcilicet Epiſcopus Auguſtenſis coram Clero ſuo dixerit, *quòd*

ita tenere vellet Eugenium &c. & hoc, quòd, cùm in Concilio contra eum depoſitum fuiſſet, quaſi Eugenio adhæreret, ſuper hoc ſe excuſaverit, ùt Frater *Heinricus* mihi retulit eſſe factum.

Cùm autem dicitur: fortè illa neutralitas ſolùm verbalis eſt, verè autem Eugenio adhæret Epiſcopus Auguſtenſis, ita ex adverſo dici poteſt: fortè eſt verè, neutralis & nulli partium adhæret. Verbis enim ipſius credendum eſt in hac re, niſi evidenter appareat contrarium. Et ego dico tibi: quàm diu dicis: fortè Epiſcopus cum ſuis eſt Eugeniſta, & per conſequens excommunicatus: ergo non licet communicare eis &c. quàm diu dicis: *fortè eſt*, conſtat, quòd non eſt notoriè talis, & per conſequens nec eos vitare neceſſe eſt iuxta decretum Concilij, de quo ſuprà commemoravi. Nam ad hoc, quòd aliquis notoriè excommunicatus dicatur, ſitque talis excommunicatio nulla tergiverſatione &c. requiritur, quòd de tali excommunicatione conſtet. Nihil enim eſt notorium, niſi de quo per certitudinem conſtat. Quamdiu ergo de aliquo dubitas, tam diu non eſt tibi notorium.

Ex prædictis patet etiam, quid ſit ſentiendum de ſecunda quæſtione veſtra, an ſcilicet licitum ſit audire confeſſionem alicuius, qui dicit ſe illum habere pro Papa &c. Nam ſi licet prædictis Neutralibus in Sacramentis communicare, multò fortiùs talibus. Quid enim? Nunquid ignorans iuſtitiam & iura partium, quales ſunt ſimplices multi, immò innumerabiles, qui non obligantur ſe in talibus occupare, nunquid tales ſimplici corde hoc negotium Deo & alijs, ad quos ſpectat, poſſunt committere, non refutando vel acceptando pariter aliquam partem, ſed in genere eam, quam Deus novit fore iuſtam, maximè ſi ſuper adhæſione non requiratur?

Sed quid ſi Epiſcopus Auguſtenſis dimiſſa parte Concilij pro futuro ad partem *Eugenij* apertè ſe cum ſuis ſibi adhærentibus poneret? De hac quæſtione non eſt neceſſe ſcribere vobis, cùm ex ſcriptis Mag. *Narciſſi* nuper vobis transſcriptis, & aliàs de ea conſtare ſatis vobis videatur. Scribit tamen iterum Mag. *Narciſſus* de hoc caſu in hæc verba: *Si tamen ſecurè diutiùs ibi ſtare poſſint illæſis conſcientijs, alijs, qui ſe Eugeniſtas affirmant, in Divinis communicando, ipſi viderint. Non ego ſuadere audeo fateor, quia nec hoc mihi perſuaſum habeo. Tales enim vito in Divinis, ubi tales noſco.* Hæc ille. Dicit notanter & affirmat: *ubi tales noſco.* Vnde ad hoc, ut eos vitari oporteat, non ſufficeret ſuſpicio, quòd tales eſſent, ùt ex dictis patere poteſt. Quia tamen ex decreto Concilij Baſilienſis non oportet vitare etiam in Divinis omnem excommunicatum, ſed eum, qui denuntiatus eſt vel aliàs ita notoriè excommunicatus eſt, ut nulla tergiverſatione &c. ideo in caſu, quo aliqui dicerent ſe fore Eugeniſtas, non tamen ita notoriè, quin aliqua tergiverſatione ab excommunicatione defendi poſſent, fortaſſe prædictum decretum conſolari poteſt. Nam apparet, quòd non omne certum alicui ſit tale notorium: quia ſæpe id, quod certum eſt, tergiverſationem admittit.

Hoc autem ſi verum eſt, non de quibuscunque communicantibus dicerem, ſed de his duntaxat, qui ad hoc urgentem cauſam vel multùm rationabilem haberent, quales poſſent eſſe in caſu manſionis veſtræ in loco, quales vos ſcribitis in cedula mihi miſſa, de qua ſuprà mentionem feci, & in tali caſu ipſorum, ſcilicet qui ſe tales dicerent, & ſtatu, ubi non minùs Divina frequentarent ſine tali cum ipſis communione, quàm cum ea. Licèt enim ex decreto Concilij non incurrerem pœnas Eccleſiæ communicando uni, quem audivi a fide digno excommunicatum, qui tamen non eſſet notoriè talis &c. tamen nihilominus cavere debeo, ne proximo meo ſim occaſio ſcandali, quod contingere poſſet ſibi communicando. Per hoc enim darem ſibi occaſionem communicandi mihi aut fortè etiam parvi pendendi excommunicationem, quod ſibi licitum non eſt. Nam per illud decretum in nullo relevantur ipſi excommunicati. Prædicta tamen, eò quòd dictis Domini Doctoris non concordant, non aſſero. Ideo autem ea ſcripſiſſe poteſt eſſe utile, quia Dominus Doctor non aſſerit, quòd non poſſit talibus licitè communicari, ſed dubitare videtur, ùt patet ex verbis ſuis ſuprà notatis. Hæc de illa difficultate principali.

De hoc autem, quod poſtea petitis, de impetranda ſcilicet pro vobis auctoritate Concilij &c. huic petitioni per prædicta ſatisfactum eſſe videtur. Nam timor ille, quo vos propter communionem &c. timetis aliquam cenſuram incidiſſe, non eſt probabilis, ùt ex dictis patere poteſt. Noverit nihilominus charitas veſtra, quòd Legati Concilij iam a *Wienna* receſſerunt, cùm

cùm venirent nobis ſcripta veſtra, nec per *Mellicum*, ſed alias, ſcilicet per *Stiriam*, ùt puto, redierunt.

Liberet poſt hæc quaſi iocando vobis colloqui ſuper eo, quòd in pleriſque ſcriptis veſtris quaſi deplorando tarditatem veſtram & remiſſionem dicitis finaliter, quòd ſi fervor veſter in opere reformationis fervori collegarum veſtrorum comparari deberet, potiùs remiſſus torpor quam fervor dicendus eſt: Liberet, inquam, ſuper illo colloqui vobis. Sed brevitatis gratiâ ut & ego meam in hoc reſpondeam ſententiam, hoc unum reputo verum, quòd tunc, cùm alij vos quaſi tardum arguerent, & vos talem fore vel timuiſtis vel æſtimâſtis, quòd tunc verè, rectè & providè iuxta materiæ & negotij qualitates egeritis. Quantum enim ego capio, & quantum negotium reformationis in loco, ubi manetis, cum ſuis circumſtantijs intelligere potui, revera ſæpe fervor, qui diſcretus apparere poteſt, in reformationibus in multis caſibus & ſæpe locum non habet, & fortè hoc ita fore iam manibus tangitis, licèt non ſciam indiſcretè per vos proceſſum fuiſſe &c. ſed potiùs, quantum prima facie videri poteſt, rationabiliter. Propter quod adverentes nonaſſiſtentiam, immò reſiſtentiam, quæ vobis facta eſt nonnunquam, ac per hoc negotij ipſius improſperitatem, dolemus non nihil, quòd vos ad hunc locum unquam emiſimus, niſi Dominus Deus aliter diſponet hanc rem. Propter quod Dominus Abbas Epiſcopo, Abbati & Conſulatui Civitatis ſcribit &c. prout ſcitis, quia fortè iam ſcripta ad hoc valere poterunt, in quantum ipſe Abbas ad ſerioſè agendum per ea moveri poteſt, & ab alijs, quibus ſcribitur, induci.

De ſtatu patriæ & Monaſterij libenter, ùt puto, ſciretis aliquid. Multa ſcribi poſſent talia, ſed gratiâ brevitatis hæc duntaxat vobis inſinuare decrevi. Primò quod ad procurandum pacem & bonum ſtatum patriæ plures diætæ per incolas patriæ habitæ ſunt, ſignanter duæ notabiles, in quarum prima fuit Dominus Archiepiſcopus Treverenſis, qui ad Regem ex parte Electorum miſſus fuerat, qui tam in deſcenſu quàm in aſcenſu in Monaſterio fuit, non tamen ibi comedit. Fuit diæta illa difficilis. Incolæ enim patriæ tunc concorditer contra Regem fuerunt, obijcientes fortiter promiſſionem, quam in prima ſui aſſumptione de proteganda terra fecerat, in tantum, ut inter plura, quæ contra eum dicta fuerunt, etiam aliqui in quadam congregatione clamaverint: *tolle, crucifige regem Iudæorum.*

Pro parte regis fuit hoc, quòd multa facere debuiſſet, & de proventibus terræ modicum reciperet, eò quòd Dominus *Albertus* &c. multos proventus, caſtra, loca &c. in ſuis neceſſitatibus impignoraverit. Et fortè ab officio Tutoriæ eum removiſſent, niſi prædictus Dominus Epiſcopus interveniſſet. De quo tunc a multis putabatur, quòd a Domino Deo, ne hoc contingeret, ſpecialiter miſſus fuiſſet. Dominus de *Walſee*, & ferè omnes alij multi Conſiliarij in eadem Diæta licentiam a Domino rege propter prædictam cauſam receperunt. Concordavit Dominus Epiſcopus regem cum incolis terræ. Expedivit tunc Dominus rex ſtipendiarios terræ, de quibus valde timebatur, quòd diffidarent terram & maxima damna inferrent, quod & difficulter interceptum eſt. Multi enim eorum, qui reputantur boni & pugnativi Nobiles, neceſſitati etiam arma & cætera hoſpitibus impignoraverant.

Concordatus etiam fuit tunc *Eitzinger* & fratres ſui cum adiutoribus ſuis multis numero, ſed non Nobilibus, qui terram diffidaverant, & iam damna aliqua fecerant. Conſtituit poſt hæc Dominus rex duodecim Commiſſarios, de qualibet partia tres, quibus gubernandam terram commiſit, quorum unus eſt Epiſcopus Friſingenſis, alter Comes de *Schawnberg* &c. ſed usque modò modicum curantur.

Alia diæta notabilis circa feſtum omnium Sanctorum fuit in *Sancto Ypolito*, ubi ego cum Domino noſtro Abbate fui, de qua Dominus Abbas dicit, quòd nunquam interfuerit diætæ tam magnæ, præcipuè quantum ad Nobiles. Dicebatur communiter de eadem diæta & in communi & prima præparatione, quam fecerant prædicti duodecim, quòd ſi illa diæta non reciperet bonum exitum, quòd magna & quaſi irreparabilia damna ipſi patriæ futura eſſent. Et heu! ferè nihil boni ibi factum eſt. Ex parte enim contributionis generalis diu & quaſi per totum tractabatur. Nam in maximis debitis eſt patria, ita quòd pacificari & ad bonum ſtatum ſine magna ſteura poni non poteſt. Quantitatem ſummæ illius debiti vobis ſcribo, ſed delete, poſtquam legeritis, &

non

non vulgetur: 300020. florenorum & aliquot centenarij.

Licèt multi labores habiti ſint per ipſos deputatos ad concordandum partias, tamen nihil concluſum eſt. Steterunt ſimul Barones, Milites & Militares, pro ſe nihil volentes contribuere, ſed ad hoc, ut ſui coloni contribuerent, conſenſerunt. Cùm quibus conſenſerunt Prælati quoad ſuos colonos, & ſe nihilominus ad aliqua offerentes. Civitatenſes verò obtulerunt ſe ad dandum ſolùm de bonis immobilibus, de mobilibus nihil. Sed, ùt dixi, nihil fuit concluſum, & timebatur multùm & adhuc timetur, quòd unus alium invadet, & adeantur bella inteſtina impugnationibus exterorum. Dixit Dominus *de Walſe*, ùt audivi, quòd nulli vellet aliquid facere, & hoc ipſum etiam ſuis mandare. Si autem ipſum aut ſuos invaderet aliquis, **Er wolt Im freileich ein pürſten pinten, das Er an Im gedencken wurd.**

Impugnatur, & diu impugnata eſt terra ab Vngaria, & a Moravia, & Bohemia præcipuè per Dominos de *Vetaw*, qui mirabiles & artificioſiſſimos ſcanſores *habent, & duo caſtra, quorum unum, ſcilicet *Grueb*, reexpugnatum eſt per noſtros, obtinuerunt, & ùt pluries audivi, alia duo multùm fortia ſcilicet *Stetz* & *Sefelden* citò obtinuiſſent, totum per prædictos ſcanſores. In Eccleſia noſtra *VVeickendorf*, quæ valde fortiter munita eſt, Dominus de *Starhenberg* contra Comitem de S. Georgi in Vngaria habuit quinquaginta ſtipendiarios. De eadem Eccleſia, quæ eſt unum de præcipuis bonis noſtris, quaſi nihil habemus, & non modicum propter tuitionem impendere cogemur. Timent plures, quòd difficilè rehabebimus quietam poſſeſſionem bonorum noſtrorum ibidem.

*Cod. Sconſoren.

Seren.

Cogimur propter illa mala habere magnam familiam & multam & continuam vigiliam. Incidimus damnum magnum cum Turcis, licèt iam concordati ſimus. Et ut ad unum multa concludam, tempora mala ſunt, & improſpera multùm. Sed habemus in his omnibus hoc unum confugium, ſcilicet Dominum Deum, qui neminem in ſe confidentem conſuevit derelinquere, qui & vobis aſtare, in agendis dirigere, & in ſua gratia conſervare & confortare dignetur, Amen. Pater *Martinus* pridie venit ad Monaſterium, quando iam ſcribere incœperam. Super tarditate ſcribendi peto veniam. Vellem, quòd fuiſſem dudum ad ſcribendum diſpoſitus, & fuiſſet opportunitas nuncij & aliorum.

Benè valeat poſtremò charitas veſtra in Domino Ieſu ſemper, quem & pro me orari peto. Salutate dilectum Patrem meum F. *Conradum* & F. *Iohannem*. Et licèt ferè omnia ſcripta illius licentiæ ad vos in communi ſcribere potuiſſem, tamen ſpecialiter vobis ſcribere debui, qui ſcriptis veſtris hoc deſideráſtis. Sint ergo etiam alijs duobus Patribus meis hæc ſcripta mea ad eos epiſtola. Feci diligentiam in eis, quæ mihi per Fr. *Henricum* & *Ieremiam* commiſiſtis, & in hoc negotio non minimè occupatus fui, licèt ferè ſemper occuper iam per hunc, iam per illum.

Datum in *Mellico* in die Conceptionis B. Virginis 1441.

3.

Ad eundem. Laudat eius ſtudium in reformando Monaſterio Mariæ Celle in Auſtria.

Inſcr.

SEipſum. Chariſſime mi Pater. Scripſit mihi Reverendus in Chriſto Pater, Dominus Abbas *Celle Mariæ* de ſtatu Conventus ſui poſt veſtri conſtitutionem in Priorem, & de proceſſu & diligentia & charitate veſtra in eodem officio &c. Fateor, neſcio, quando ad aliqua ſcripta tantè gaviſus ſim & exultaverim. Non poterit eſſe, ſi continuabitur res, ſicut cœpta eſt, quin magna valde bona facietis in illo loco. Hortor igitur, chariſſime Pater, viriliter agite, uſque ad finem producere ſatagite. De vobis inter cætera ſcribit in hæc verba, quod & ego cum magno legi gaudio. *Ego*, inquit, *non dubito, ſi veſtra Paternitas ſciret ad plenum, quàm dulciter, quamque cordialiter regitur per iſtum Patrem, & diligenter per cooperatorem ſibi cooperatur, hilareſceret cor veſtrum indubiè: quia ipſe nihil omittit de faciendis, & perficit ea cum charitate.* Credidi & credo, Divino geſtum conſilio, ut non alius, ſed vos in hoc opus aſſumeremini. De Fraternitate contrahenda ſcripſi Domino Abbati. De ſucceſſore in officio Supprioratus Fratri *Lau-*

Digitized by G

Laurentio commiſſum eſt officium illud uſque ad reditum veſtrum. *Et reliqua.* Datum in Octava Epiphaniæ 1446.

4.

Ad eundem. De effectibus & conditionibus veræ ac ſacratioris amicitiæ, quam cum eo inire deſiderat.

MAgnæ prorſus ac multùm deſiderandæ bonitatis & utilitatis fore repeto, ſi Divina bonitate largiente contingat aliquos tanto dilectionis & unimitatis vinculo ſtringi, ut primùm in ijs, quæ Dei ſunt & ſalutis, poſt hoc in cæteris ad ſe pertinentibus ſit eis cor unum & anima una, idem velle & nolle. Hæc enim amicitiæ veræ videtur eſſe ratio, quam eminentis valde dignitatis fore nemo ſapiens dubitat. Multos nobiles & magnæ utilitatis effectus hoc unitatis & charitatis vinculum in eis, quas iunxerit mentes, efficere ſolet. Vnus, ut ſuper bonis animæ potiſſimùm alter alteri congaudeat & congratuletur, ac in eiſdem poſſetenus eum dirigat & promoveat, in malis verò, difficultatibus & adverſitatibus primùm animæ, deinde corporis vel rerum alter alteri condoleat & pro poſſe ſuccurrat.

Alius effectus, ut abſque timore, cum magna ſecuritatis fiducia ſibi mutuò pandant etiam intima ſua. Non enim curat aliquis, quòd alius, quem alterum ſe reputat, noſcat etiam abdita ſua.

Alius effectus huius vinculi: non veretur unus alteri dicere vel aperire, ſi videat fortaſſis, vel etiam ſolùm timeat eum incautè vel ignoranter agere, ſit hoc in pertinentibus ad bonum ſpiritûs, vel in cæteris quibuscunque, non renuit alteri avizationem, quam ſibi facit is, quem alterum ſe reputat. Sed etſi fortaſſis id, ſuper quo fuerit avizatus, tale quid exiſtat, circa quod propter proprij commodi vel aliam quamcunque affectionem, per propriam æſtimationem decipi poteſt, potiùs avizantis amici quàm proprium ſequitur indicium: & vice verſa non refugit aviſantis amicitia, quò minùs libenter audiat & penſet cauſas aviſati circa rem, quam incautam timet vel reputat, ut motivis hinc inde penſatis concludant pariter, quod melius aut ſecurius fuerit. Non audit libenter unus de altero loqui malum, ſed ſalva veritate clypeum defenſionis aut excuſationis, quantum convenienter poteſt, obtendit. Si contingat unum eorum, qui tanto charitatis vinculo iunguntur, ad mortem infirmari, vel per mortem temporalem ex hac miſeriarum valle ſubduci, ſingulari diligentia ſatagit alter, ut in his potiſſimùm, quæ ſpiritus ſunt, poſſetenus ei ſuccurrat & provideat. Scit enim, quòd in his præcipuè caſibus vera probatur & oſtenditur amicitia, eò quòd tunc in manu Dei conſtitutus maximè indigeat adiuvari. Laborat ideirco pro poſſe, quatenus hanc vitam in amicitia Dei terminet, & quantum fieri poteſt, a peccatorum pœnis adhuc in vita conſtitutus liberetur. Poſt mortem verò, quando ſe iam proprijs operibus iuvare non poteſt, varijs ei modis ſubvenire ſatagit. Hos & alios quam plures effectus nobiles amicitia vera ſolet inter amicos efficere.

Revolvi ſæpe deſideranti mente, ſi poſſem habere, cum quo tale dilectionis & unitatis vinculum contrahere & inire laborarem, cuique cum plena fiducia me totum committere valerem, non dubitans, quin ex hoc multum profectus & utilitatis tam in hac vita quàm poſt mortem ſecuturum foret. Nulli tamen adhuc hoc deſiderium meum & intentionem aperui. Poſtquam verò bonam veſtræ charitatis habere cœpi notitiam, cogitavi non nunquam inter nos tale fortaſſis charitatis vinculum poſſe conſtitui. Inclinarus aliquoties fui ſuper hoc veſtræ charitati colloqui, ſed dubius de exitibus rei nihil attentare volui.

Cùm verò nuper ex quibuſdam veſtræ charitatis ſcriptis ſingularem magnam & intimam confidentiam ad meam immeritam exilitatem eandem veſtram charitatem habere conijcerem, lætificabar ex hoc non parùm, ſicut poſt hoc veſtræ charitati ſcriptotenus * inſinuavi. Sperabam enim tunc me convenientem opportunitatem reperiſſe ad aperiendum vobis, quod dudum antea quàm pluries mente tractaveram. Non eſt autem hoc unitatis vinculum aliquatenus adverſum

* *Extat hæc epiſtola in citt. Odd.*

ijs, quæ Superioritati debentur, nec ijs, quæ Dei ſunt, quibuſcunque.

Ecce chariſſime & deſideratiſſime Pater, hæc ſunt, quæ nuper veſtræ charitati aperienda promiſi, & notabilia reputavi, an convenienter & rectè, veſtra iudicet ſapientia. Ego verò, quod veſtræ diſcretioni viſum fuerit, in eiſdem mihi ſcriptotenus inſinuandum, expectaturus veſtræ charitatis devotioni me ſingulariter recommendo, quam in Domino Ieſu ſemper benè valere toto corde
* An. 1446. deſidero. In Octava Corporis Chriſti. *

5.

Iohannis de Weilhaim epiſtola ad Stephanum de Spannberg, in qua ad præcedentem eiuſdem epiſtolam reſpondet, & quo loco ſuæ res in Monaſterio Mariæcellenſi, nuper reformato, ſint, ſignificat.

Venerabili præclaræ religioſitatis viro Patri *Stephano*, dicto de *Spannberg*, Priori Monaſterij *Mellicenſis* digniſſimo, Patri ſuo & Præceptori ſingulari, poſt humilium orationum ac debitæ oblationem obedientiæ conſolationes habere vicarias, Deo gratas, & iugiter ardenti animo deſideratas.

Ex Cod. Mellic. H. 45. *SOlatium quippe eſt vitæ humanæ habere, cui cor tuum credas, quem participem gaudij, participem etiam facias doloris tui*, ait formaliter Pater devotus ſuper Cantica Bernhardus. Tale nimirum ſolamen humanum inter præſentis vitæ turbationes & moleſtias Veſtra Paternitas præchara optans & requirens aſſequi, prævia & matura præhabita deliberatione, cum aliquo homine mortali ſingulare miræ amicitiæ | fœdus cogitavit, ut ex eiuſdem ſocietatis nexu ſpeciali daretur fiducialiter auſus iuxta amicitiæ veræ proprietates viciſſim ſua ſibi abſque formidine ſecreta revelandi. Revera præfatum deſiderium non ſupervacuum aut cenſeri debet otioſum, auctoritati Divinæ Scripturæ quia eſt innixum, & tam teſtimonijs ſanctarum literarum, quam Sanctorum exemplis demonſtratur copioſiùs ſuffultum. Et licèt ſepties in die iuſtus cadat, & ſecundùm Sapientis ſententiam reſurgat, tamen alibi teſtatur ita dicens: *væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe.* Denique Spiritus Sanctus vas electionis & Magiſtrum gentium ad opus Evangelicæ ſegregans prædicationis, ſocium ſuæ conſolationis Barnabam virum utique magnum, voluit ſibi copulari. Qui etiam Apoſtolus nunc accipit conſolationem in adventu Titi, non habet requiem alibi eum non inveniens: nunc alios ſolatur, nunc orari pro ſe poſtulat, de myſteris & beneficijs impenſis gratus exultat. Salvator quoque & Dominus noſter tam in ſe, quàm in eius glorioſa Genitrice ſolatium humanum non repudiandum exemplariter præmonſtravit. Qui & ſeptuaginta miſſurus diſcipulos, non ſingulos, ſed *binos*, in omnem locum, quò ipſe venturus erat, abire permiſit. Cur ita iſta facta ſunt, niſi ut nobis ad imitationis exemplum unus alterius ſolatio potiretur?

Ad idem hiſtoria præſentis temporis Librorum Regum occurrit, ad memoriam reducens fœdus ignitæ charitatis, quod S. Propheta David cum Ionatha contraxit, & vivus inde multipliciter eſt relevatus in maximis tribulationibus ſuis, & pereunte altero (ipſum Ionatham loquor) nedum eiuſdem obitum triſtabiliter deflevit, ſed throno regio ſublimatus in rebus proſperis fœderis non immemor, filio ſuperſtiti, licèt defectuoſo miſericordiam ob patris intuitum impendit. Numquid & Legiſer noſter, Pater ſanctus, conſolationem accepit ex Presbytero ſe viſitante? Qui etiam diſcipulos, quos habuit perfectiores, non ſine ſolatio humanæ ſocietatis emiſit.

Econtrario Iob, vir ſimplex & iuſtus deſertionem ſui ab amicis, notis & neceſſarijs querulatur. Propheta in perſona Chriſti torcular calcavit ſolus, & de gentibus non eſſe ſecum virum compatientem canitur. Et in perſona huius ſolaminis deſtitutionem alius Propheta conqueritur dicens: *ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: qui conſolaretur,*

ſolaretur, & non inveni. Omiſſis multis hæc pauca non docendi intentione, ſed veſtri deſiderij laudando propoſitum commemoravi. Nec extimenda eſt maledictio Divinæ comminationis iuxta Prophetam Ieremiam, quia talis ſingularis amicitiæ fœderatio nequaquam *ſpem in homine* ſuæ collocat ſalutis, ſed in ſolius Dei principaliter gratia & miſericordia. Non enim velut adminiculum ſuæ ſalvationis refugit, ſed requirit, quiſquis laudat humanum adiutorium, quemadmodum ſuperiora affirmant teſtimonia & exempla.

Poſtquam autem Veſtra Paternitas eleganti ſtilo & veraci notabiles & nobiles veræ amicitiæ digeſſit effectus, tandem cum mea exili & abiecta perſona fœdus amicitiæ, de qua ſermo, contrahere ſe obtulit. Quam humiliationis & confidentiæ exhibitæ oblationem attendens, morum meritorumque diſtantiam ſuperadmirando expavi, cogitans, quòd vir prudens, etſi ad illud metricum: *Gratior eſt virtus veniens è corpore pulchro*, non attendit, forſitan ad contrariam corporis formam ſuæ oculos conſiderationis convertit & capitis canitiem, pallidam faciem, & totius corpuſculi maciem, quaſi ſub talibus incertis indicijs aliquid virtutis intus deliteſcere conijciens. Quamobrem movebar conſcius ipſe mihi, ut vilitates ac mentis fœditates apertiùs clarefacere deberem, ne veſtra ſinceritas nimis in perſona mea oberraret. Ad oppoſitum trahebar, quia multis experientijs & ex effectibus meæ converſationis defectus plurimi mei veſtræ prudentiæ innotuerunt, ex quibus etiam inviſa & occulta poterant elici exterioribus graviora. Diligentiusque rem examinans ſentire cœpi, quàm deſiderabilis, quam proficua * quamque neceſſaria mihi foret huius amicitiæ vinculum, & magna promotio meæ ſalutis, veroſimiliter divinitus inſpiratum, ut per meritum veſtrum lucrifiat anima mea miſera, a Deo Sponſo ſuo multipliciter fornicata. Legi & legi, ſcriptum audivi, quòd Heliſæus ex ſui coniunctione ad Heliam, duplicem ipſius aſſecutus eſt ſpiritum. Et quidam Sapiens conſulit dicens: *Cum viro ſancto aſſiduus eſto.* Abſit ergo a me, ut gratiæ Divinæ reddar ingratus, quæ tanto medio ſaluti meæ voluit providere.

* *Ita ubique Cod.*

Cùm autem teſte veſtra ſapientia talis amicabilis unio Superioritati, cui ſubdimur, minimè adverſetur, ecce conſentio veſtræ Paternitati præfatum intrare fœderis conſortium ſimpliciter & planè, ſive ſub modis & circumſtantijs, quibus magis congruere decreverit, dicens illud Evangelicum: *fiat mihi ſecundum verbum (tuum:)* Ad omnem tamen cautelam hôc voluntate retentô, ne ſit auctoritati Superioris contraria noſtra fœderatio, aut contra prohibitionem pertinax. Quoad alios autem fœdus illud ſepultum permaneat, ne puſillis aut invidis reddatur ſcandaloſa. Quòd ſi veſtra prudentialis Paternitas altiori conſilio & pleniori deliberatione a propoſito reſipiſcere elegerit, non utique inſtabilitati ſeu mentis levitati, quin magis ad eius prudentiæ laudem, & meæ attribuendum erit indignitati, ad magnam quoque humiliationem & propriam confuſionem. Ego autem nolens reſilire a priſca fiducia, Deo propitio, confugium ad veſtram Paternitatem continuabo, & non minùs, ùt ſpero, effectualiter demonſtrabo, etiam talis ſingularis amicitiæ vinculò, quod abſit, irritato.

Si fortè obijciatur, amicitiam ſecundùm Bernhardum duo faciunt mutua, conſcientia & eadem voluntas, quomodo difficultates variæ, ſine quibus non tranſit officium Prioratus, uſque modo ſunt occultatæ? Ad hoc ego: non diffidentiæ cauſâ, ſed alijs reſpectibus turbationes & difficultates.... non expoſui. * Vnde & ſolicitè commiſi Fratri *Georgio*, ne alicui in *Mellico*, ſola veſtra Paternitate excepta, diſplicentias ac notas perſonales referret: ſed duo puncta nominatim expreſſa poſſet vobis, ſi placeret, inſinuare.

* *Cod. expoſuiſſe.*

Penſet etiam veſtra Paternitas conditiones perſonarum, quarum propria conſideratione & aliena relatione notitiam facialem & moralem accepit, & viſibiliter affirmabit, quòd ſolùm eiſdem ſuperintendere non tranſiret ſine labore

& vexatione. Ego autem meam inſufficientiam & infirmitatem attendens & curam commiſſi aut aſſumpti officij, concurrentibus & aliis motivis, diætim attœdior, & liberationem aſpiro. Et niſi Monaſterium meæ profeſſionis præ oculis haberem, ne ex immatura reſignatione Prioratus mei aliquam notam facerem, ſive occaſiones oblocutionum miniſtrarem, neſcio, ſi per unam hebdomadam perdurarem. Seclusò autem onere Prioratus, rebus ſtantibus ùt nunc, non foret mihi hìc ſtare ſcrupuloſum.

Conſtitutus Frater *Conradus* eſt in Suppriorem, cui & commiſſio facta eſt Fratrum Converſorum. Dominus Abbas ratus eſt in Conventu propter debilitatem pedum, quam pati videtur. Cæteri Fratres ſunt corpore competenter ſani: quia de ſalute mentium, quam novit Scrutator cordium, ignoro, ſed præſumo. Vereor optime Pater, ab exteris quandoque Monaſterium *Mellicenſe* commendari non tam ex zelo religionis quàm ex concupiſcentia melioris proviſionis. Si enim tantùm ciborum & potûs qualitas & quantitas noſtri Monaſterij ad aliud Monaſterium, ubi laudamur, transferrentur, & econtra alijs omnibus regularis obſervantiæ fixè in locis ſuis durantibus, fortè qui modo afficitur ad *Mellicum*, poſtea mutaret voluntatem & propoſitum. Hæc ex coniecturis & ſignis ſuſpicionis potiùs, quàm temerario iudicio affirmem.

* *Ità Cod. al. ſpatiamentis.*

Sed quid dicam de ſpatijs * noſtris, licèt raris? Certè optarem ſecundùm tenorem Regulæ c. 66. numquam eſſe introducta, vel poſſibiliter amputanda. Vna ratio Regulæ, quia *omnino non expedit animabus eorum &c.* Alia ad auferendum alijs Monaſterijs occaſionem ſpatiorum minùs cautorum in alijs locis, vel ne allegaretur exemplum noſtri Monaſterij, prout fieri conſuevit. Familiaritates Suppoſitorum noſtri Monaſterij cum hoſpitibus utinam poſſent præcaveri! Quid ultra? Finaliter commendo Veſtræ Paternitati compatriotas meos hoſpites & me ipſum toti Conventui per oraculum Veſtræ Paternitatis memoratæ: cuius precibus me commiſſum iugiter confidens, & dirigi paternis informationibus ſemper præſtolabor, ut eiuſdem meritis tandem feliciter ad meam Dilectam * valeam remeare, intercedentibus & orationibus gloriosæ Virginis & Martyris Margaretæ, cuius in feſto chartula iſta conſummatur in Monaſterio *Cellæ S. Mariæ* 1446. per Fratrem *Iohannem de Weilhaim*, ibidem demorantem.

* Mellicum.

6.

Ad eundem Iohannem. Confirmat initum & acceptum ab eo ſingularis amicitiæ fœdus.

SE ipſum. Amantiſſime Pater! Promptus quidem mente forem veſtris deſiderijs, mihi ſcriptotenus inſinuatis, iam ſcriptis parere. Sed relatione nuntij, quem non rectè intellexi, deceptus, perparvas vobis cogor ſcribere, ne, ſi eum diutiùs tenuero, negligentiam aliquam in ſibi commiſſis faciat. De materia principali ſcriptorum veſtrorum noverit veſtra mihi ſingulariter dilecta charitas, quòd illa ſcripta mihi gaudioſa ſunt atque gratiſſima. Nunc igitur quia de conformitate voluntatis veſtræ mihi pleniſſimè conſtat, ecce ſit inter nos tale, quale ſcribimus, fœdus in æternum in nomine Domini Ieſu, qui totius bonitatis fons indeficiens & immenſus eſt, amen. *Et reliqua, quæ inſequuntur.* Feria V. poſt Margaretæ anno 1446. in *Mellico*. *Ibid.*

Wilhelmus

CXV.

Wilhelmus Dux Troppavienſis eiusdam Catarinæ, de furto ſuſpectæ, innocentiam tuetur & commendat.

1442. P. H. Ex autogr.

WIr Wilhalm von Gotes gnaden Hertzog zu Troppau vorkundigen mit dieſem priffe allen dy en ſehen oder Lezen, das wir von vnſern Burgren zu Troppau vnd dem gerichte do ſelbeſt vnder geweyſet und irkant haben, das Auguſtinus Panhalems dyner und ſeyn dyp do em dy Katherina yn das gefengnüs brocht em ſchold gebende der Marter, ſmertzen und wertlichen ſchande, dy ſye mit ſampten Ir mutter zu Wienn geliden hetten vnſcholdiclichen von ſeyner wegen offenbarlichen bekant had vor der marter ee man en offzug yn der marter, und noch der marter, ſprechende: Ich ſehe wye ich no ſterben mus der Frawen halben, ſo ſpreche ich uff dy Forth meyner ſelen ſye von meyn Leychnam ſcheydet, das Katerina, und ir Mutter von der dyberay, dy ich begangen habe und geſtolen, nichtis nicht gewuſt haben mit worten, noch mit werken, als mir Got muſſe halffen. Hyrumbe bitten wir alle und yeden man beſundir deſen armen Frawe ir vnſchikt zu iren ſchanden nicht zu zelen, noch yn eyn arg zuwenden, ſunder ir eren bey ſteen. Geben zu Troppau. Anno domini M. CCCC. XLIJ. feria ſecunda poſt Epiphania domini, noſtro ſub ſigillo.

CXVI.

Eiuſdem Catarinæ innocentiæ favet Wenceſlaus Dux Troppavienſis.

1442. P. H. ex autograph.

WIr Wentzlau von Gotis gnaden hertzog und herre zu Troppau und zu Lupſchitz. Bekennen offentlichen mit deſem briffe vor allen dy en ſehen, horen, und Leſen, das vor vnſer keigenwortikeit, unde angeſichte komen ſynt zwene briffe der hochgebornen Fürſten hertzug Wilhelms, und hertzug Arneſtes herrn zu Troppau vnſer lieben bruder, vnde der dritte briff der Erber weiſen Burgermeiſter und Ratmannen der Stat Troppau mit Iren anhangenden Ingeſigel, in den ſie offenberlichen bekennen von der Erber frauen wegen Katherina, und irer Mutter zeigeryne dieſis brieffes, von ir vnſchult der dyberey, vnd verloſt etzlicher Cleynat, vmben dy ze mit irer Mutter, der Panhalm mitpurger zu Wyenn inbrocht hatte, vnde beſchuldiget, durch des willen dy ſelbige Katherina geſchemet, geleſtert, gemartert, und zu dem Tode geteilet iſt. dach durch bate gutter leute, dy ir vnſchult betracht haben, von dem Tode apgebeten iſt, und ir Oſterreich, und Mehrerlant vorpoten iſt. Alſo das dy obingeſchribene briffe Leuterlich begriffen haben, und alz wir eygentlichen von gutten Leuten warhafftiglichen irfaren, unde das irkant haben, das ſy ſicherlichen der zachen vnſchuldig iſt. vnd dorumben zo bitten wir alle und itzlichen zunderlichen der armen Frauen, irer Mutter mitleydlich zuſeyn, irer eren beyzuſtehen, Roten, vnd halffen, Ap ir ymant Ir leyt und vnſchult forrügen, oder vorweiſen wolde, Synt ſich vngelöckes nymant vortzeihen mag. Alz wir auch in ſulcherley moſze, und eynem groſſen Krigen euch vnd den euren Thuen wolden, wen is ſich geburen wurde, do got vorbehutte. Gegeben zu Gretz/ am Mittewoch der neſten noch der heyligen drey Konig Tage Anno Incarnationis domini Milleſimo quadringenteſimō quadrageſimo ſecundo, ſigillo noſtro ſubappenſo.

CXVII.

Eandem prædictæ Catarinæ innocentiam teſtatur Erneſtus, Dux Troppavienſis.

1442. P. H. Ex autogr.

WIr Ernſt von Gotes genaden hertzog und herr zu Troppau vorkundigen allen und iglichen mit diſem vnſerm briffe die demete ſundilichen beſucht werden, alſo alz dye Erbere Frawe Katherina Leipſtendige zeygerin diz priffes mit ſampte der arm Frawen irer Muter von beſcholdigung wegen des Erbern Panhalems Purgers zu

Wyen eyn das gefenknis bracht worden vmb Vorloſt eglicher Cleynot, vnd guttes wegen dorume ouch dy arme Frawe gros Marter, ſmerzen und wertliche ſchande geliden, und zu dem Toede verorteilt worden in Fordechtnüs der geſtolen Cleynot, und gütter, und no in das fuinfte Jor aus Oſterrych und mechter Lant geweiſt wurden ſint, und geechtet, und in deſem Jor an dem Jormargt alhy zu Troppau umb Sand Symonis und Jude der zwelfboten, hot dye Katherina eyn knecht in gefenknüs brocht, nemlichen Auguſtinum etwan Panhalms dyner, enn ſcholt gebende, das ſy von ſeyn wegen ſuttene Marter, ſmertzen, und dy wertlichen ſchande Geliden mit irer armen Mutter, und in des hot dye Katharina Vnſer burgerin gebeten, das ſie den Wyenern und dem Panhalm umb ſicher gleitzuſchreiben ir zu en und erwider von en zu komen, das ſie von rechten wegen alles getan haben, und dy gutte fraue ſich gemuet hot ken Wienn, und erwider, und mit ir brocht hot der Wyener, vnd Panhalmes boten, zu vorſichern wye ein weib den gefangen were, und do der Wyener bot in Keigewortigkayt des gefangenes kwam mit deme ſoyte Scheppen, und ouch der Katherina, do hat angehaben der gefangener von der Frawen zubekennen off ſeiner ſelen Letzen Phatt, das ſie an der Dyberey kein ſcholt nichte hette mit der Tot, und mit worten, wye wol er no ſege, das er von ie ſeyn Leyp vorliſen muſte, und alſo hot er der frawen und ir Mutter halben firſtond bekanth vor der Marttir, do man en brante und offtzog, und noch der Marttir, vnd als er denne noch gefangen ſitzt das ſelbe bekennet, und en ſitzen laſſen zu des Panhalmes und der Wyener willen bys ir botſchaft widerkeret, und ſint dem mole wir erkenner dy worheyt deſer armen Frawen, und ir Mutter gerechtikyt ſich alſo offenboret von dem ſelbſchuldigen der dy dyberey begangen hot, und bekanth wye er do zu komen were, und wo er es hyn geton hat. Bitten wir alle und en yderman beſundir dor armen Frawen mitleidenlichen irer eren bey zuſteen opir yemandis ir leyt und vnſchicht fürrugen oder verweiſen wollen ſinte ſich vngelockes nymanden vorzetun magk. Gegeben zu Troppau am freytage vor dem newen Jare, noch Criſti geborth Tauſenth fürhundert, und in dem andern vnd Fürtzigiſten Jore vndir vnſerm Fürſtlichen Inſigel das wir zuorkunde an diſen briff haben loſſen hongen.

CXVIII.

Kunigundis de Dietrichſtein ſibi de paterna ſua hæreditate ſatisfactum eſſe teſtatur, & reliquis iuribus in eam ſuis renuntiat.

ICh Kunigund hannſen des Dietreichſtainer ſelig Tochter, vnd Lorentzen des Moſpekhen eleiche Haußfrau. Vergich für mich, und all mein Erben, und Tun kund offenlich mit dem brieff allen der er fürkumbt, umb die vier und zwaintzig pfundt pfening, ſo mir die Edlen Hainrich ſelig und Hans mein Lieber Brueder die Dietrichſtainer zuweilend meinem Vordern mañ Marxen dem Pederſtorffer für mein Hainſteur zu heiratguet berait geben habent, daran mich dafür wol benügt hat: Vnd dauon ſo verzeich ich mich benante Kunigund gen demſelben hannſen Dietrichſtainer meinem Lieben Brueder und gen allen ſeinen Leib erben, daz ſun ſein als namen Dietrichſtainer wiſſentlich mit kraft des briefs. Alſo daz ich noch all mein erben zu In hinfür von alles meines Vaterlichen erbs wegen dhainerley weis ꝛc. ꝛc. Des ze Vrkund geben wir in den brief verſigelten mit des Edlen und veſten Leopolten des Aſchpach Verweſer vnd Landſchreiber in Steir aigem anhangenden Inſigel, den ich mit Vleis darumb gebeten hab, Im und ſeinen Erben on ſchaden ꝛc. der brief iſt geben an Montag nach ſand Lucia Tag, do man zalt nach kriſti geburd Viertzehenhundert Jar, darnach in dem zwey und Virtzigiſten Jar. 1442. P. H ex arch.

Anne

CXIX.

Annæ de Chlamb Abbatiſſæ Tirnſteinenſis ſyngrapha de quodam debito ab Vrbe Wiennenſi ſibi perſoluto.

1443. P. H. *Ex autogr.*

WIr Anna von Chlamb, die zeit Abtiſſin des Frauen Cloſter ze Tirnſtain und der Conuente daſelbs bekennen mit der quittung, das Vns dy Erbern und Weiſen der Purgermaiſter Richter und Rath der Stat zu Wienn aus gericht vnd betzalt habent drey phund LXXX. pheuing zu dem yetz Chunftigen Sand Jorigen Tag, nach inhaltung eines beſigelten briefs den Wie etc. Mit Vrkund dez briefs beſigelt mit mein Vorgenanten Abtiſſin aufgedrukten Inſigil an ſtat des Conuents. geben am Mantag vor ſand Jorigen Tag. Anno etc. XLIII.

CXX.

Conſenſus & gratiarum actio Iohannis Abbatis Ciſtercienſis ad Fridericum Regem Romanorum, propter fundationem Monaſterij SS. Trinitatis in Nova Civitate eiusdem Ordinis.

1443. *ex autograph.* P. H.

CHriſtianiſſimo ac Illuſtriſſimo Principi *Friderico*, Dei gratia Romanorum Regi ſemper Auguſto, Auſtriæ, Stiriæ Karinthiæ, Carniolæ Duci &c. Frater *Iohannes* Abbas *Ciſtercienſis*, debitam reverentiam & honorem, & de regno temporali tandem feliciter migrare ad regnum claritatis æternæ.

Cùm Venerabilis & in Chriſto nobis Cariſſimus Coabbas noſter Monaſterij de *Rana* Salezburgenſis dioceſis luculentiſsimè impræſentiarum nobis expoſuerit ſinceriſſimam illam atque devotiſſimam Regiæ Maieſtatis ueſtræ affectionem, quà ſuo ſingulariter ſacro Ordini Ciſtercienſi devotiùs afficitur, in tantum, ut eo Rege ſuperno, â quo bona cuncta procedunt, quique, ubi vult, ſpirat, inſpirante, ad laudem ſui ſancti nominis eiusque intemeratæ matris glorioſiſſimæ Virginis Mariæ detreuerit memorata Regia Maieſtas ueſtra in opido ſuo Novæ Civitatis ex latere Caſtri ſui, Salzburgenſis dioceſis ſub regularibus inſtitutis & obſervantijs dicti Ordinis Ciſtercienſis novum fundare Monaſterium, Eccleſiam decenti clauſtro, Refectorio, dormitorio, alijsque neceſſarijs domibus & ædificijs ſufficienter dotatam, ubi, aut in quo viginti aut triginta ſeu plures Religioſi, prout Deus dederit, in futurum perpetuis temporibus Deo devotè ac Religiosè, ſi noſter ad hoc noſtrique prælibati ordinis concurreret conſenſus pariter & aſſenſus. Hinc eſt, quod nos ex intimis huiuſmodi Veſtræ Regiæ Maieſtatis amplectentes ſincerisſimam devotionem, ſuper aurum & lapidem pretioſum multùm deſiderabiliorem, eò libentiùs noſtrum præbere decrevimus in hoc aſſenſum, & præbemus præſentium ſerie, quò uberiores ex huiusmodi tam devotiſſima Regali fundatione de hinc progredi firmè ſperamus fructus ſaluberrimos, eidem devotiores, de cuius munere venit, ut a fidelibus ſuis dignè & laudabiliter ſerviatur, referentes gratiarum actiones, qui Regiæ Maieſtati veſtræ talem inſpirare dignatus eſt erga ſuum Ordinem Ciſtercienſem ſingulatem devotionem, ut intimiùs devotiusque in ſanctitate ſerviamus illi, cui ſervire regnare eſt, & gloriemur in ingenti devotione Regiæ Maieſtati veſtræ, oremusque ferventiùs Regem regum & omnium retributorem bonorum, ut eidem retribuat pro tantis beneficijs ſuis regnum civium ſupernorum, æternùm duraturum &c. Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio. XIX. Menſis Januarij.

CXXI.

Fridericus III. Rex Rom. in Capella Regij Caſtri Novæ Civitatis in Auſtria fundat & dotat Collegium Canonicorum Secularium.

IN nomine Sancte & Individue Trinitatis feliciter amen. 1444. *ex autogr.* P. H.

FRidericus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Auſtrie Stirie, Karinthie & Carniolie Dux, Dominus Mar-

Marchie Slavonice ac Portus Naonis, Comes in Habſpurg, Tirolis, Ferretis & in Kyburg, Marchio Burgovie & Landgravius Alſatie, ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam humanum genus per arbitrium libere voluntatis in peccatum & mortis penam prolapſum reſurgere & liberari nequiſſet, niſi miſericordiarum Pater Deus ſuperni diſpenſatione Conſilij inter tremendum iudicium, ubi de omnibus, que in corpore geſſerimus, reddituri ſumus rationem, & animas noſtras miſericordie Matrem glorioſiſſimam Virginem Mariam pro noſtra liberatione mediatricem & Advocatam piſſimam ordinâſſet: idcirco dignum debitumque exiſtit, ut homo quilibet hanc beneficentiam divini muneris recognoſcens, Deo, quas poterit, gratias agat, & ipſam Beatiſſimam Virginem Mariam ingiter ueneretur.

Hinc eſt, quòd ad laudem Omnipotentis Dei & in honore ipſius Virginis glorioſe pro divini cultus augmento noſtreque & Progenitorum ac heredum & ſucceſſorum noſtrorum *Auſtrie* Ducum, & omnium fidelium animarum ſalute, Collegium ſiue Capitulum Canonicorum Secularium, & in eo Prepoſitum, Decanum & undecim Canonicos erigere & fundare decrevimus, de certa quoque noſtra ſcientia preſentium tenore erigimus & fundamus, volentes, ut idem Prepoſitus, Decanus & Canonici perpetuis futuris temporibus officium Septem horarum Canonicarum, videlicet Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas & Completorium cottidie cantent, ſingulisque horis ipſis officium Beate Virginis, quod *Curſus* appellari conſuevit, legendo ſubiungant. Ad hec qualibet die prior Miſſa de Sancta Trinitate a quatuor Scholaribus, & Conventualis Miſſa de tempore aut Feſto, prout occurret, nec non inter eaſdem Miſſas etiam una Miſſa de B. Virgine ab ipſis Canonicis ad finem cum Sequentiâ, ſymbolo, Prefatione & oratione Dominica plenariè iuxta cuiuslibet temporis exigentiam decantentur.

Dicti etiam Prepoſitus, Decanus & Capitulum cottidie ante uel poſt Miſſarum ſolemnia, prout ipſis placuerit, alta voce ſeptem pſalmos penitentiales premiſſo hymno: *Veni Creator Spiritus*, legere & poſt pſalmos illud Canticum: *exaudi nos Domine*, ac Lytaniam ſubiungere, & cum duabus Collectis, una pro pace, & alia pro peccatis concludere, ac in qualibet angaria anni vigilias mortuorum unà cum officio pro defunctis ultra predicta tria officia decantare debebunt, fiantque alij cantus, lectiones & proceſſiones cum ceteris Eccleſiaſticis ceremonijs, quemadmodum hæc omnia iuxta ordinem rubrice ſeu Breviarij Eccleſie Salzburgenſis, & ſtatura, de quibus infra fit mentio, pro quolibet tempore anni fuerint obſervanda.

Præfatas quoque horas & officia, & reliquum divinum cultum dicti Prepoſitus, Decanus & Canonici nunc pro principio in Capella Caſtri noſtri in hoc oppido noſtro *Nove Civitatis* ordinabiliter & devotè debebunt peragere, donec nos aut heredes noſtri ad id aliam Eccleſiam edificare ſeu deputare curaverimus, in qua ex tunc hore & officia huiuſmodi futuris temporibus, ut prefertur, laudabiliter compleantur. Si uerò Prepoſitus, Decanus & Canonici predicti ultra preſcripras Miſſas & officia etiam alias & plures Miſſas celebrare voluerint, in hoc eos ſuis conſcientijs, & libere voluntati relinquimus, ita quòd illos preſentis fundationis noſtre vigore ad plura officia, quàm ſuperiùs expreſſum eſt, non intendimus obligare. Idem etiam Prepoſitus Decanus & Canonici communem vitam ducere in uno Refectorio de Cellario & coquina communibus victum habere, in uno dormitorio iacere, & alias Eccleſiaſticas diſciplinas ac bonos mores obſervare, in omnibusque laudabilem vitam ducere debebunt, prout in eorum Statutis & ordinationibus deſuper rationabiliter edendis videbitur contineri. Quas quidem ordinationes & ſtatuta dicti Prepoſitus, Decanus & Canonici omnes, & ſinguli eorumque ſucceſſores corporaliter iurabunt ſe firmiter & inviolabiliter obſervaturos. Ius autem Patronatus ſive preſentandi perſonas idoneas ad Prepoſituram, Decanatum, nec non Canonicatus & prebendas huiuſmodi, quociens illos vacare contigerit, nobis & heredibus ac ſucceſſoribus noſtris, Ducibus Auſtrie, Ducatum Stirie pro tempore regentibus ſpecialiter reſervamus: Ita ut Decanus Archiepiſcopo Salzburgenſi, qui erit pro tempore

tempore, & Canonici eorum Prepoſito per hos preſentent, confirmationes ſuas & inueſtituras ab ipſis recepturi, prout iuxta Iuriscommunis diſpoſitionem fuerit faciendum.

Quia etiam Euangelice Scripture teſtimonio dignus eſtimatur mercenarius mercede ſua & ſpiritualia ſine temporalibus diu non poſſunt ſubſiſtere, nos prefatis Præpoſito, Decano & Capitulo & eorum ſucceſſoribus tradidimus, donavimus & aſſignavimus iura Patronatus Eccleſie & Capelle, nec non predia & res, que inferiùs annotantur, ex quibus ſufficientem ſuſtentationem poterunt honeſtè habere. In primis jus patronatus Eccleſiæ parochialis *Sancti Georgij in Purgvallas Anaſi* & Capelle in dicto caſtro noſtro tam dicte Nove Civitatis Salzburgenſis Dioceſis, quecunque iura patronatûs ab antiquo ad nos tanquam *Auſtrie* & *Stirie* Ducem ſpectabant, ita quòd hujuſmodi Eccleſia & Capella cum iuribus, redditibus, proventibus & obuentionibus univerſis, ad eaſdem pertinentibus, auctoritate Superioris Eccleſiaſtici, qui hoc faciendi poteſtatem habuerit, predicto noſtro Collegio ſeu Capitulo perpetuè incorpari valeant & uniri. Item omnes homines aſcriptitios & predia que hactenus ad caſtrum noſtrum *Grymenſtain*, quod noviter demoliri iuſſimus, pertinebant, ſimul cum ſilvis, paſcuis, piſcationibus, terris cultis & incultis & alijs attinentijs omnibus, inquiſitis & inquirendis, ubicunque locorum fuerint, nihil prorſus excepto. Item annuos reditus viginti librarum denariorum Wiennenſium de noſtro iudicio in preſenti noſtro oppido Nove Civitatis, quas iudex ibidem pro tempore exiſtens annuatim ſingulis quatuor temporibus, qualibet videlicet angariâ, quinque libras denariorum predictis Prepoſito, Decano & Canonicis tradere & aſſignare teneatur.

Item molendinum ſitum apud flumen *Viſchach*, quod quondam *Henricus Kintſchat* habebat, & per nos comparatum eſt, cum piſcatione ibidem. Item molendinum, *Schrvertzermul* uulgariter nuncupatum, una cum molendinis, pratis, piſcinis, domibus, Ortis & omnibus alijs pertinentijs, ad dicta molendina ſpectantibus. Volumus denique prefatis Prepoſito, Decano & Capitulo de alijs bonis, proventibus, redditibus & obuentionibus providere ſufficienter, ita & taliter, quòd Prepoſitus dicti Capituli ſeu Collegij quinquaginta libras denariorum Wiennenſium, Decanus uerò triginta duos, & quilibet Cononicorum uiginti florenos Vngaricales, ſeu ducatos ultrà neceſſaria de coquina & Cellario ſuprà dictis annuatim ſine diminutione habere valeant; tuebimurque ipſos circa ea ueluti eorum gratioſus Dominus contra omnem violentiam & iniuriam, dabimusque ipſis literas noſtras deſuper oportunas. Et ſi dicta erectio & fundatio ex noſtra uel heredum & ſucceſſorum noſtrorum aut aliorum Chriſti fidelium largitione futuris temporibus in bonis, poſſeſſionibus & redditibus adeò augeretur, ut exinde plures, quàm Prepoſitus, Decanus & undecim Canonici predicti ſufficientibus prebendis ſuſtentari ualerent, ex tunc facultatem augendi etiam numerum Canonicatuum & prebendarum huiuſmodi nobis & ſucceſſoribus noſtris Auſtrie & Styrie Ducibus eſſe uolumus reſervatam.

Et ut prefatus Prepoſitus, Decanus & Capitulum divino cultui eò liberiùs inſiſtere ualeant, ipſis de gratia ſpeciali concedimus & impartimur omnia iura civilia dicti noſtri Opidi Nove Civitatis, ita quòd ijs uti poſſint, quemadmodum Cives eiuſdem Opidi utuntur & potiuntur in emendo & uendendo intra & extra ipſum Opidum impedimentis ceſſantibus quorumcunque. Vina etiam ex cultura eorum ſiue iure montano, cenſibus aut decimis, quas modò poſſident, aut futuris temporibus poſſidebunt, proventia in prefatum noſtrum Opidum duci facere, inibique ſine ſolutione Vngelde, uendere aut ad ducillum propinare poterunt iuxta arbitrium ſue uoluntatis. Nolumus tamen, quòd dicti Prepoſitus, Decanus & Capitulum ſeu familiares aut homines eorum occaſione huiuſmodi prerogativarum & gratiarum, ipſis per nos, ùt prefertur, conceſſarum, vigilijs, cuſtodia portarum ſeu murorum labore in foſſatis aut alijs quibuſcunque oneribus realibus ſeu perſonalibus ullatenus pregraventur, quin imò eos ab ijs omnibus uolumus habere liberos & quietos.

Preterea prefatos Prepoſitum, Decanum & Capitulum & eorum Succeſſores cum omnibus & ſingulis colonis, hominibus & familia, nec non rebus & bonis

ipſorum mobilibus & immobilibus, pro nobis & heredibus ac ſucceſſoribus noſtris in noſtram gratiam, tuitionem & protectionem ſpecialem aſſumendos duximus & aſſumimus per preſentes, volentes eos ab omni gravamine & violentia generoſiùs tueri ac preſervare. Libertamus etiam eos, & omnia bona eorum mobilia & immobilia, que ad preſens poſſident, ſeu in futurum iuſtè aquirent, ab omnibus Steuris, impoſitionibus, talijs, mutis, telonijs, angarijs, & perangarijs cum alijs gravaminibus quibuſcunque, quocunque nomine cenſeantur, que eis quomodolibet imponi poſſent, ita quòd ipſi, eorum officiales, familiares, mercenarij, poſſeſſiones, curie allodiales, iumenta & ſingula alia eorum bona & res in omnibus civitatibus, caſtris, villis omnium principatuum & dominiorum noſtrorum, tam per terras quam per aquas, a ſolutione dictarum impoſitionum, mutarum & teloneorum & aliorum gravaminum quorumcunque debeant eſſe libere & immunes.

Volumus quoque, quòd Capitanei noſtri, Lantſchreibe, Caſtellanei, iudices quicunque aut quevis alia ſecularis poteſtas in dictos Prepoſitum, Decanum, Capitulum, eorum familiares, colonos, homines & bona poteſtatem & ſuperioritatem aliquam nullatenus habeant, neque ſibi uendicent, aut uendicare preſumant, quoniam nobis, heredibus & ſucceſſoribus noſtris uti fundatoribus & advocatis eorum, aut de certa ſcientia ad id a nobis deputandis poteſtatem & ſuperioritatem huiuſmodi quoad temporalem iuriſdictionem ſpecialiter duximus reſervandam. Volumus inſuper, quòd quilibet Prepoſitus pretacte noſtre fundationis pro tempore exiſtens, noſter ac heredum & ſucceſſorum noſtrorum prefatorum Ducum Auſtrie &c. Conſiliarius exiſtat, preſtito tamen ad id ſolito iuramento. Concedimus etiam Prepoſito nec non Capitulo ſupradictis de Romane Regie poteſtatis plenitudine facultatem & auctoritatem, quaſcunque literas, ipſos aut eorum negotia qualiacunque communiter uel diuiſim concernentes, cum cera rubea ſigillandi.

Quocirca univerſis & ſingulis Principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus Comitibus, Baronibus, Militibus, militaribus officialibus, Iudicibus, Magiſtris Civium, civibus, Communitatibus alijsque ſubditis & fidelibus meis dilectis firmiter & diſtricte precipiendo mandamus, quatenus prefatos Prepoſitum, Decanum, Canonicos, familiares ac homines & bona eorum ſuper dicta erectione ac fundatione, gratiarum & libertatum donatione, nullatenus moleſtent ſeu impediant, nec ab alijs impediri, aut moleſtari permittant quovis modo, ſed ipſos circa ea manuteneant & defendant, ſtatutis, conſuetudinibus patrie, iuribus civitatum, opidorum & locorum quorumlibet, & alijs in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Illa namque in quantum pretacte noſtre erectioni, fundationi, gratiarum & libertatum donationi forent aut eſſe poſſent contraria, ex certa ſcientia tenore preſentium caſſamus, irritamus & annullamus, ac caſſa, nulla & irrita pronunciamus.

Nulli ergo omnino hominum hanc noſtre erectionis, fundationis, libertatum & gratiarum concеſſionis paginam infringere liceat, aut ei quovis auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, cuiuſcunque ſtatus aut conditionis exiſtat, preter iram & ultionem omnipotentis, quam violatores Eccleſiaſticarum libertatum incurrere contingit, noſtram & heredum ac ſucceſſorum noſtrorum indignationem graviſſimam & penam centum marcarum puri auri, quocienscunque contrafactum fuerit, ſe noverit irremiſſibiliter incurſurum, medietatem noſtro, ſeu heredum & ſucceſſorum noſtrorum erario, reliquam uerò partem prenominato Capitulo ſeu Collegio & ſucceſſoribus ipſorum applicando, preſentium ſub Bulla aurea, Typario noſtre Maieſtatis impreſſa, teſtimonio literarum. Datum in dicto Opido *Nove Civitatis*, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto, die quinta menſis Aprilis, Regni uerò noſtri anno quarto.

Nos *Fridericus* prelibatus preſcripta recognoſcimus, profitemur, & approbamus.

Ad mandatum Domini Regis in conſilio, preſentibus Venerabilibus *Friderico* Ratiſponenſi, *Leonhardo* Patavienſi, *Iohanne* Gunenſi, *Sylveſtro* Kiemenſi, & *Laurentio* Lauantinenſi Epiſcopis, *Caſpar Slick*, Cancellario, *Conrado de Kreys*,

* in Germanico, Numero seq. Conrado de Kyg.

Kreys * Magistro Curie, *Iohanne de Neytperg, Georio de Puchhaim, Iohanne de Starhenberg, Alberto de Pottendorf, Sigismundo de Ebersdorff, Iohanne Vngnad* Magistro Camere, *Walthero Zebinger, Georio Fuchs* Marschalco curie, & alijs quàm pluribus personis fide dignis.

CXXII.

Idem fundationis Diploma idiomate Germanico.

Ex autogr. P. H.

IN namen der heiligen vngetailten driualtigkait Amen.

WIr Fridrich von Gottes gnaden Römischer Künig zu allen zeiten Merer des Reichs hertzog zu Oesterreich, zu Steyr, zu Kerndten und zu Crain, herr auf der Windisen March, vnd Portenau Grau zu habspurg zu Tiroll zu Phierdt, und zu kyburg, Margraff zu Burgowe und Landgrau in Elsazz Bekennen für Vns vnd all Vnser Erben und Nachkommen zu ewigen gedechtnus. Nachdem als menschliches geslecht durch freyen willen in sinden und Peen des Todts gevallen ist, und daraus nit hat mögen erküret noch erlediget werden, nur allein der allmechtig Gott hett durch den Ratte seiner vnaussprechlichen weisheit vns arme sinder also für gesehen, das die himmel künigin Jungfrau Maria Muetter der Parmherzigkeit zwischen seinen strengen, waren vnd rechten gericht und der Sinder seelen ein getreue Mittlerin Vorsprecherin, vnd Erledigerin geordnet were, so gebüret sich, das ein yeglicher Mensch nach sein Vermögen Gotte solcher fürsehung fleissigen danckhsagen vnd alzeit lobsprechen soll, und dadurch werden wir bewegt zu erkantnus solcher Göttlichen gnaden, der Wir auch getrauen Tailhaftig ze werden, wenn Wir der mit Vebung guter werckh betrachten zuerwerben. Darumb Wir nach zeitlichen Rat für genomen haben Got zu lob, vnd Eren, vnd Vnser und Vnserer Vornordern löblicher gedechtnus und auch Vnserer Erben und Nachkommen hertzogen und fürsten der obgemelten Fürstenthumb vnd Landt, und aller glaubigen Sellen ze hail und ze Trost in nahmen Vnser lieben Frauen Marie ein Collegi oder Capitl weltlicher Korherrn, das man phligt zenennen ain halben Tum darzue ein Probst ain dechant und aindliff korherrn zu stifften, und stifften die auch wissentlich in kraft dis briefs, also daz diselben Probst, dechant vnd korherrn zu ewigen zeiten all Tag singen die siben Tagzeit. Das sind Metten, Prein, Terth, Sext, Non, Vesper, und Complet, auch nach der yeglicher derselben zeite die Tagzeit von vnser Lieben Frauen, die man nennet den Curs lösen, darzu Teglich ain Fruehambt von der heiligen Driualtigkeit, das mit vir Schullern gesungen werde, auch ein gesungen Frauen Ambt von dem hochzeitlichen und heilligen Tagen, und andern zeiten, und zwischen denselben zweyn ambten auch ein gesungen ambt von Vnser Lieben Frauen alle drey vollkommlich zu ende vnd sonder so man zu latein pflegt zenennen mit Seguentzen, Patrem, Prefation, Pater noster, gentzlich, als sich dan ye zu zeiten gebüren wirdet; Sy sullen auch Teglich die siben Puespsalmen mit sambt der Litanei in der obgenanten Capellen mit lautter stimm sprechen vnd zu yeder Quatember im Jar am Vigili vnd am Selambt über die obberürten drey ambt singen mitsambt andern singen und lösen gemainen gewondlichen Processjon vnd Geistlichen zirheitten, wie sich dan das nach den brieffen Salzburger bistumbs vnd ihren nachgemelten Statuten und Ordnungen zu yeglichen zeiten des Jar gebüren wirdet, solch Gotsdienst Sy ietz von anfang in der Capellen Vnser Burg hie in der Neustatt ordenlich vnd andechtiglich vollbringen sullen, so lang vnß Wir oder Vnser Erben ain andere kirchen darzu pauen oder Ordnen, darynn Sy alsdan hinfür ewiglichen solchen Gotsdienst, alß vor begriffen ist mit andacht auch ordenlich und ledig vollbringen sullen, vnd ob Sy über die obgenante ambte ander ambt oder Messe sungen, oder lesen wolten, das Lassen Wir bestenn, bey ir selbst Gewissen vnd freyen willen, also das Wir sy zu mer ambten oder Messen, dan obengemeldet sind, mit Vnser gegenwürtigen Stüffte nicht mainen zepindten, die vorgemelten Probst, dechant und kor-

* Breviarium.

herrn gemaines Leben füren in ein Refent von Kuchl und von Keller-Speis haben ain schlafhaues ligen und ander Geistlich zuchte, vnd gut sytten halten sullen nach ausweisung irer Statuten vnd ordnungen die darumb yetz gemacht, oder kunfftiglich durch redlich Vrsach gesetzt werden, dieselbe Statut und ordnung die benannter Probst, dechant, vnd korherrn all und ir yeglicher auch leiblichen swären sullen vestiglich und unzebrochen zehalten.

Wir wellen auch das Vns und Vnsern Erben und Nachkommen Hertzogen zu Oesterreich ꝛc. die zu zeiten das Fürsten-Tumb Steyr inhalten und regieren werden, die Lehenschafft der vorgemelten Probstey, Dechantney, vnd korherrn Pfrindt vorbehalten sey. Also das Wir zu denselben Probstey und Dechantey den Ertzbischoff zu Saltzburg der zu zeiten ist, und zu den korherrn Pfrindten den egenanten Probst also offt die Ledig werden ander Tuglich Personen zu antwurtten haben, Ire bestettung von In, als sich rechtlich gebür, darüber zenemmen. Wen auch nach geschrifft des heiligen Euangely ain yeglicher Diener seins Lohnes würdig ist, und die geistlichkeit an zeitlichen Narung nit lang bestehen mag, so haben Wir den egemelten Probst, Dechant und korherrn vnd allen iren Nachkomen gewidemt, gestüfft, gegeben, und ingeanwürtet die nachgeschriben kirchenlehen, gütter und Stuckh dauon sie ir genugsame betragnus und narung erbarlich vnd wolgehaben mügen.

Von erst die Lehenschafft der Pfarrkirchen auf der Burg in Ennstal Saltzburger Pistumb, die Vns als hertzogen zu Oesterreich und zu Steyr zugehört hat, also, das dieselbe kirchen mit allen iren Rendten, nutzen, und gülten Vnser gegenwürtigen Stüfft durch geistliche Gewaltsam müg zuegeaigent und ingeleibet werden. Item die kapellen in Vnser Burg, auch hie zu der Neustatt mit allen iren Rendten, nuzen und gülten. Item alle die Leüt vnd gütter die vor zu den Grymenstain gehört haben mit Welden, waiden, Vischwaiden, Robaten und allen andern zugehörungen, besucht und unbesucht, ze holtz, ze veld, und aller stat nichts ausgenomen. Item zwaintzig phunt phening gelts aus Vnsern gericht zu der Neüstatt, die In ein yedlicher Vnser Richter der ze zeiten daselbst zu der Neüstatt Richter ist Jerlich zu Quatember reichen und geben sol, als zu yedlicher Quatember fünff Phunt phening. Item ain Müll gelegen an der Vischach die weillent Heürreich Entschad gewesen ist, mit der Vischwayd daselbst und auch aller anderer irer zugehörung. Item aber ain Müll genant die Schweizer Müll, mit sambt andern Müllen, Wisen, Teyhen, heüsern, gerten, undt andern iren zugehörungen, so dann vntzher darzu gehört haben.

Wir wellen auch die vorgenant Probst, Dechant vnd Capitl mit andern nuzen Rendten, Gülten und güettern fürsehen, damit ain Probst der obberürten Vnser Stüfft Funfftzig phunt Wienner phening, ain Dechant zwen und dreyssig und ein yedlicher Korherr zweintzig gulden Vngerisch oder duggaten Jerlich über Ir Chöstung behaben mögen, vnd Wir wellen auch des alles Ir Scherm und fürstandt und gnediger herr sein vor gewalt und Vnrecht, und Sy mit briefen nach notturfft darumb versorgen, vngeuerlich; vnd ob die benant Vnser Stiffte von Vns vnsern Erben und Nachkomen oder andern Kristenleüten Leüten mit mer guten Rennten nutzen und gülten begabet, und also aufnemen wurde, daz sich dauon auch mer, dann ain Probst, ain Dechant und Aindlef Korherrn mit gnugsamen Phrindten, betragen möchten, so sol Vns vnsern obgemelten Erben, und Nachkomen alsdenn macht der zale der vorgemelten korherrn und Phründte zu meren, auch vorbehalten sein.

Wir Tun auch den benanten Brobst Dechant vnd korherrn dise besunder genad, daz Sy und Ir Nachkomen all Burger recht haben sullen, die Vnser Burger hie zu der Neunstatt gesessen, habend zu kauffen vnd zu verkauffen, ymer und ausser der Statt von aller menglich vngehindert: auch Ir Wein die In von iren Pau, Pergrecht zünsen oder zehenten werden, die Sy yetz haben, oder kunftiglich gewinen, her in vnser Statt füren, und bringen lassen, und

und die daselbs vertreiben, verkauffen, vnd auffschenken mügen, und vngelt dauon ze geben frey sein sullen. Wir wellen auch, das Sy von solcher gnaden, die Wir In Tun, von gemainschaft, oder Burgerrecht wegen in der egenanten Statt kainerlay mitleydung noch beswerung haben sullen, weder mit wachen, Torhietten, arbeit in graben, noch andern sachen mit der egenanten Statt Phlichtig sein und der worten, daz die benanten Brobst, Dechant vnd Korherrn dem allmechtigen Gott so viel dester andechtiglicher gedienen mügen, so sy mit auswendigen sorgen dester mynder beladen und umbgetriben werden, so nemen und setzen Wir dieselben Brobst, Dechant und Capitel, und Ir Nachkomen mit allen Iren dienstleutten, zünsleütten und Personen, auch güttern In zugehörenden, ligunden vnd varnuden in vnsern besundern Schutz vnd scherm für Vns und all vnsere Erben und nachkomen, also das Wir Sy vor gewalt und Trangsallen behüten wellen und sullen. Wir freyen auch Sy und all Ir gütter ligendt, und varund, die sy yetz haben, oder hinfür rechtlichen gewinnen vor allen Steüren, anslegen auffsezungen, Meutten, Zolle und ander beswerung, die man In auflegen mechte, daz si ir ambtleut, diener, arbaiter, höff, vihe, und all Ire Gutter in allen Stetten, Schlossen, Merkt, dörffern in allen vnsern Landt und Fürstenthumen solcher anslez, auffsezung, Mautt, zolle, und aller andern beschwärunge frey ledig und los sein sullen, und sullen auch der genanten Brobst, Dechantes und Capitle diener Leütt und gütter dhainen haubtman, Lantschreiber Pfleger, Lantrichter, Richter, Statt Richter, noch dhainen andern weltlichen gewalt nicht vntertenig sein, dann allein Vns und vnsern Erben und nachkomen als Iren Stüfftern herrn und Vogten, oder wem Wir oder Vnser Erben und Nachkomen mit namen und rechter wissen an vnser Stat darzu ordnen und setzen. Auch setzen und wellen Wir, das ein yeglicher Brobst vnser vorgenanten Stüfft Vnser und Vnser obgenanten Erben und Nachkomen Fürsten zu Oesterreich ꝛc. Rate sein und darzu gewondlich Aydt Tun soll. Wir Tun auch denselben Brobst Dechant und Capitl dise sunder gnad von Römischer Königl. macht vollkomenheit, das Sy all ir briefe, es sein Sendbriefe oder hantvesten mit roten wax versialen, und des gebrauchen mügen zu allen iren und irs Gotshaus vnser gegenwürttigen Stifft und ander sachen an allen enten. Dann als oben von den siben puespsalm gemeldet wird, ist Vnser mainung das die mit den ympno Veni Creator Spiritus, und dan di Litaney mit dem gesang Exaudi nos domine angehebt, und nach derselben Litaney zwo Collecten, aine pro Pace und die ander pro peccatis, als man dan das alls ze latein also pleget zu nennen, gesprochen und damit die siben puspesalmen beschlossen werden.

Vnd darum so gebietten Wir allen und yeglichen Fürsten geistlichen vnd werltlichen grauen, herrn, Rittern, knechten, ambleüten, Richtern, Burgermaistern, Burgern und gemainden, vnd allen andern Vnsern Vndertanen ernstlich und vesticlich mit disem brief, das Sy die egenanten Brobst, Dechant, und korherrn, ir diener leüt und gütter an den vorgenanten Vnsern Stifftungen begnadungen vnd Freyungen nicht hindern, noch irren, noch von yemand gestatten, gehindert oder geirrt werden, noch In darin dhainerlai intrag Tun, oder machen, noch beschehen lassen in dhain weis, sunder sich dabei handhaben schützen und schürmen sullen. Es soll auch dhain gesetz, lantsgewonheit, Statrecht, oder anders dieser vnser Stifftung nicht wider sein, wann Wir alsverre Sy diser vnser Stifftung und freyung schaden mochten, abtun und vernichten mit disem brieff. Wer auch dann der getun dorste, in welchen würden oder weseu der wäre, der soll sich über den zorn und rach des allmechtigen Gotes, der über die precher und vberfarer Geistlicher Freyheit phligt zukommen in Vnser, unser Erben und nachkomen swere Vngnad, und in ein Peen hundert march lödiges goldes, alsoft das beschehe wissen verualen sein, halb in vnser vnd

vnſer Erben und Nachkomen Cammer, vnd halb dem egenanten Probſt Dechant und Capitl und iren Nachkomen vnleſlich zu bezallen. Mirt Vrkund dis briefs verſigelt mit Vnſern künigklichen guldnen Bullen. Geben zu der Neuenſtat, nach Criſts geburt viertzehenhundert Jar und darnach in dem Vier und Viertzigſten Jare, an dem heiligen Palm Tag, Vnſers reichs in Vierten Jare.

Nos *Fridericus* prelibatus preſcripta recognoſcimus, profitemur & approbamus.

Ad mandatum Domini Regis in conſilio preſentibus Venerabilibus *Friderico* Ratisponenſi, *Leonhardo* Paravienſi, *Iohanne* Gurcenſi, *Silueſtro* Kyemenſi, & *Laurentio* Lauantinenſi Epiſcopis, *Gaſpar Slick*, Cancellarius, *Conradus de Kryg** magiſtro camere, *Iohannes de Neytperg*, *Georius de Puchaim*, *Iohannes de Starhenberg*, *Alberto de Potendorf*, *Sigismundo de Ebersdorff*, *Iohannes Vngnad* Magiſtro Camere, *Walthero Zebinger*, *Georio Fuchs*, Marſchalco curie, & alijs quàm pluribus perſonis fide dignis.

* *In latino, Num praced.* Conradus de Kreys.

per Auguſtus, Conuentum veſtrum longè ultra facultatem Religionis maximâ in dies reparatione egere providè conſiderans, magnoque caritatis fervore accenſus cupiat ibidem fundationem quandam perpetuam alterius Religionis pro divina laude facere, & nihilominus pro uberiori proviſione veſtre neceſſitatis de *Monaſterio Sancti Petri* Sororum noſtri Ordinis opidi *Nove Civitatis* prefate ac ipſius Monaſterij ſiue Eccleſie Sancti Petri redditibus, poſſeſſionibus, obuentionibus emolumentis & bonis alijs perpetuis quibuscunque, unà cum omnibus bonis, redditibus, Jocalibus, clenodijs, poſſeſſionibus, libris, paramentis & alijs rebus uniuerſis mobilibus veſtri Conuentûs, vobis & Fratribus, qui pro tempore erunt, & ſimiliter Sororibus ipſius Monaſterij S. Petri, que nunc ſunt in alijs Monaſterijs noſtre Religionis, cupiat debitè providere, prout per litteras & Nuncium ſue Serenitatis mihi innotuit, &, ut veſtrum Conuentum ad ea ſue devotioni concederem, fui hortatus attentè: eumque etiam per veſtras litteras pro premiſſis fuerim requiſitus, conſiderans ea ad utilitatem Religionis & Fratrum protempore exiſtentium plurimùm evenire, nec non prefatum Sereniſſimum Principem ad oportunam ſtructuram ipſius Monaſterij S. Petri & ad alias neceſſitates precipuum eſſe Benefactorem, plurium Magiſtrorum & Patrum noſtri Ordinis diſcretorum matura deliberatione habita, cupiens ex intento prefati Sereniſſimi Regis & ſemper Auguſti hortationi atque devotioni complacere, & veſtre annuens petitioni pariter conſulere utilitati (Proviſo priùs per prefatum Sereniſſimum Regem & ſemper Auguſtum Sororibus ipſius Monaſterij Sancti Petri debitè in alijs Monaſtrijs noſtre Religionis, ac ipſo Monaſterio S. Petri & bonis eius immobilibus ac ſimiliter mobilibus, & immobilibus redditibus, poſſeſſionibus, & alijs obuentionibus perpetuis veſtri Conuentûs unà cum ipſo Monaſterio S. Petri & bonis eiusdem, uobis & ſucceſſoribus veſtris perpetuò remanentibus, ac eisdem & alijs neceſſarijs & accomodis perpetuo robore firmatis) tenore preſentium nunc pro tunc, & ex tunc pro nunc, quantum mei officij ſe extendit auctoritas, omnimode voluntati ad devotioni pre-

CXXIII.

Bartholomeus Texerius, Magiſter Generalis Ord. FF. Pred. Fratribus Conventûs propè caſtrum Nove Civitatis in Auſtria facit poteſtatem locum ſuum Friderico III. cedendi, & Parthenonem S. Petri in eadem urbe occupandi, Monialibus alibi translatis.

Ex autogr. P. H.

IN Dei filio ſibi cariſſimo Fratri *Martino Swab*, Priori ac ceteris Fratribus Conuentus *Nove Civitatis* provincie Theutonie, Ordinis Predicatorum, Frater *Bartholomeus Texerij* ſacre Theologie Profeſſor ac eiusdem Ordinis humilis Magiſter Generalis & ſeruus, ſalutem in Domino IEſu & ſpecialem conſolationem.

Cùm ſereniſſimus Princeps *Fridericus*, Dei gratia Romanorum Rex & ſem-

preſati Sereniſſimi Principis *Friderici* Romanorum Regis & ſemper Auguſti prefatum Conuentum ueſtrum *Nove Civitatis*, Caſtro ſue Serenitatis propinquum, offero, do, pariter & concedo, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque, imponens vobis in meritum ſalutaris obedientie, ut ſervatis premiſſis ad ipſius voluntatem & mandatum ad Monaſterium S. Petri prefatum uos perſonaliter cum bonis transferentes, dictum ueſtrum Conuentum ſue diſpoſitioni liberè relinquatis: Concedens vobis plenam auctoritatem omnia & ſingula ſecundùm tenorem noſtratum Conſtitutionum ibidem faciendi, que in noſtris Conuentibus ſunt fieri ſolita.

Sororibus ipſius Monaſterij concedo & impono per preſentes, ut habita conuenienti proviſione iuxta voluntatem ipſius Sereniſſimi Principis ad alia Monaſteria noſtre Religionis cum honeſta & decenti comitiva ſe transferant. Prioriſſe autem & ſororibus, que pro ipſarum receptione fuerint requiſite, ſtrictiùs impono, ut eas dem benignè recipiant, & caritativè pertractent.

In quorum teſtimonium ſigillum officij mei duxi preſentibus appendendum. Datum *Lugduni* die primo menſis Ianuarij annô a nativitate Domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto.

CXXIV.

Exqegr. P. H.

Eiuſdem ad Fridericum III. epiſtola de eadem re.

SEreniſſimo atque Invictiſſimo Principi *Friderico*, Romanorum Regi ſemper Auguſto, humilis ſeruus & Orator Frater *Bartholomeus*, Ordinis Predicatorum Generalis Magiſter indignus.

Sereniſſime Princeps & Rex ſemper Auguſte: plures litteras ueſtre Maieſtatis ſuper diverſis eius affectibus cum omni humilitate atque reverentia accepi. In ſingulis, quantum mei officij ſe extendit auctoritas, ueſtre condeſcendens voluntati, Conuentum *Nove Civitatis* optatum, proviſô Fratribus & Sororibus, quemadmodum veſtra Celſitudo ſcripſit, totali diſpoſitioni veſtre Maieſtatis concedens, prout per alias meas litteras Priori & Fratribus ipſius Conuentus do in mandatis, ſupplicans Veſtre Invictiſſime Maieſtati, quatenus Fratres ipſasque Sorores & Ordinem caritatis operibus, favoribusque oportunis Ipſi commiſſos habere dignetur. Similiter Monaſterium Sororum in *Grecz* à poteſtate illius forenſis Vicarij exemi, non habens notitiam, quem interea ibidem Vicarium inſtituere poſſim, hoc relinquens diſpoſitioni Provincialis, ac etiam Fratri *Martino* Prioti *Nove Civitatis* conceſſi, ut interveniente * auctoritate Sedis Apoſtolice, quatenus aliter non poteſt *, beneficium Eccleſiaſticum cum cura uel ſine cura teneri poſſit, paratus ſemper ad ea, que grata erunt Veſtre Regie Maieſtati, quam Rex eternus felicem ad vota conſervare dignetur. Scriptum *Lugdinij* die primo Januarij Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto &c.

* *Apogr.* Intervenienti auctoritati
* *Id.* non poſſim.

Eiusdem Regie Celſitudinis

Humilis Servulus & Orator Frater
Bartholomeus Ordinis Predicat.
Generalis Magiſter indignus.

CXXV.

Fridericus Salisburgenſis Archiepiſcopus fundationem & dotationem Abbatie in Nova Civitate propè Caſtrum Regium ad SS. Trinitatem, ubi ante Clauſtrum FF. Predicatorum imperfectum erat, confirmat, inque ſuam tuitionem accipit.

Ex apogr. P. H.

FRidericus Dei gratia Sancte *Saltzeburgenſis* Eccleſie Archiepiſcopus, Apoſtolice Sedis Legatus, Venerabili Fratri, Amico noſtro cariſſimo, Domino *Silueſtro* Epiſcopo *Kyemenſi* fraternam in Domino caritatem.

Quia Sereniſſimus Princeps ac Invictiſſimus Dominus *Fridericus*, Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Auſtrie, Stirie, Carinthie, Carniole Dux, Comes Tirolis &c. Dominus noſter gratioſiſſimus in Opido ſuo *Nove Civitatis* propè Caſtrum ibidem Abbatiam Ordinis Ciſtercienſis ad honorem *Sancte & Individue Trinitatis* ac Beate Virginis Marie, ubi antea erat Clauſtrum Fratrum Predicatorum, licèt imperfectum, accedente Superiorum Predicatorum Ordinis expreſſo conſenſu, inſtaurare & de novo fundare ſeu dotare intendit, a nobis, ut ad

Digitized by Google

ad eandem fundationem conſenſum & aſſenſum prebere, & quidem dictam Abbatiam tanquam Metropolitanus & Dyoceſanus, ſub noſtra ſucceſſorumque noſtrorum tuitione aſſumere, ſpiritali theſauro irrigare, omnia & ſingula iura, gratias libertates, indulgentias, que eidem loco a ſua Regia Maieſtate ſeu alijs Chriſti fidelibus accreuerint in quibuscunque mobilibus & immobilibus, ratificare, auctoriſare, & confirmare dignaremur: Nec non fraternitati ueſtre, ut dilectum nobis in Chriſto *Heinricum Stremberger* Profeſſum Monaſterij in *Runa* in Abbatem eiusdem Monaſterij preficere, ac munus benedictionis ad virgam paſtoralem eidem impendere poſſitis, concedere & indulgere deſideravit.

Nos itaque deſiderijs Regie Maieſtatis iuſtis & rationabilibus libenter annuentes, uti tenemur, dilectioni ueſtre committimus, quatenus ſi poſt ſollicitam examinationem predicta ſic eſſe, ipſumque Monaſterium erigendum ſufficienter dotatum, & ea in preiudicium nobis & Eccleſie noſtre *Salczeburgenſi* ſeu alijs quibuscunque non fieri reperietis, ſuper quo ueſtram conſcientiam oneramus, auctoritate noſtra hac vice ad inſtaurationem, fundationem & dotationem predictas aſſenſum & conſenſum prebeatis, eandem Abbatiam ſub noſtra ſucceſſorumque noſtrorum tuitione recipiatis, indulgentias conſuetas ad idem Monaſterium tribuatis: nec non omnia & ſingula iura, gratias, libertates, indulgentias eiusdem Monaſterij, & que eidem loco accreverint, predicta noſtra ordinaria auctoritate ratificetis, auctoriſetis, confirmetis & approbetis, & nihilominus ſuprà dictum *Heinricum Stremberger*, profeſſum Monaſterij in *Runa* noſtre Dioceſis in Abbatem eiusdem Monaſterij preficiatis, ac munus benedictionis ad virgam Paſtoralem eadem auctoritate noſtra impendatis, litteras deſuper in forma ſolita & conſueta decernentes, harum teſtimonio litterarum ſigilli noſtri appenſione munitarum. Datum *Salczeburge* Menſis Aprilis die quinta decima, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto.

CXXVI.

Synodus Baſileenſis Prioribus Monaſterij ad SS. Trinitatem Neoſtadij Ord. Ciſt. indulget, ut in Eula dicti Cœnobij in abſentia Abbatis pro tempore exiſtentis, infra Miſſarum & aliorum divinorum ſolemnia baculo Paſtorali liberè & licitè uti poſſint.

SAcroſancta Generalis Sinodus Baſiliensis in Spiritu Sancto legitimè congregata, univerſalem Eccleſiam repreſentans, Dilecto Eccleſie filio Priori Monaſterij Sancte Trinitatis in Opido *Nove Civitatis*, Ciſtercienſis ordinis, Salczburgenſis Dioceſis ſalutem & Omnipotentis Dei benedictionem. *ex apogr. P. H.*

Vniuerſalis Eccleſia in decoro Prelatorum ornatu ſe honorari conſpiciens, quorundam Monaſteriorum Prelatos ex certis cauſis, maximè cùm Excellentum Principum devota id depoſcit inſtantia, conſuevit ornatibus varijs inſignire, ut ipſa in ipſorum decentia decoretur. Hinc eſt, quod nos cariſſimi Eccleſie Filij *Friderici* Romanorum Regis Illuſtris, dicti Monaſterij Fundatoris, in hac parte Supplicationibus inclinati, ac volentes perſonam tuam ac dictum Monaſterium integrato proſequi honore ac decorare munere gratie ſpecialis, tibi tuisque ſucceſſoribus, Prioribus eiusdem Monaſterij, qui erunt pro tempore, ut in Eccleſia dicti Monaſterij & Abbatis pro tempore exiſtentis abſentia, infra Miſſarum & aliorum divinorum ſolemnia baculo paſtorali liberè & licitè uti poſſitis, quibuscunque Apoſtolicis Conſtitutionibus & ordinationibus contrarijs nequaquam obſtantibus, tibi & eisdem ſucceſſoribus auctoritate univerſalis Eccleſie tenore preſentium de ſpeciali gratia indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & univerſalis Eccleſie ſe noverit incurſurum. Datum Baſilee VI. Idus Octobris Anno à Nativitate Domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto.

Fride-

CXXVII.

Fridericus III. Rex Romanorum fundat Monaſterium Ord. Ciſt. in Nova Civitate iuxta portam, quæ Hungariam reſpicit, in honorem SS. Trinitatis, ac glorioſiſſimæ Virginis Mariæ illudque congruis proventibus, privilegijs & prærogativis exornat.

1444. *Excerpt. P. H.*

In nomine Sancte & Individue Trinitatis feliciter amen!

Fridericus Dei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus Auſtrie, Stirie, Karinthie & Carniolie Dux, Dominus Marchie Sclavonie ac Portus Naonis, Comes in Habſpurg, Tyrolis, Ferretis & Kyburg, Marchio Burgovie & Langravius Alſatie, ad perpetuam rei memoriam ac preſentium & poſterorum notitiam tenore preſentium volumus peruenire. Complacere divine Maieſtati uberrimè, & anime noſtre quàm plurimùm conſuli non ambigimus, dum temporalia bona in thetaurum inacceſſibilem & ſpem eterne retributionis commutavimus. Quod profectò ſalubriùs & comodoſiùs nequimus efficere, niſi in fundatione & devotione inſignium Clauſtrorum aliorúmque devotorum locorum & Eccleſiarum, in quibus religioſe perſone degere poſſint, que fluidis ſeculi poſtpoſitis delicijs pia ſanctorum Patrum imitantes exempla, ſuave Domini iugum per aſpera vite ſuſcipiunt & ſuſceptum ſub innocentie puritate tam fructuosè percurrunt, ut divinam miſericordiam tranquillo corde pro nobis poſſint devotiùs exorare. quod profectò nos ex intimis ampliori gaudio reficit, quantò ueram & ſanctam religionem latiùs augere perſpicimus.

Hinc eſt, quòd nos ad pium & fructiferum Beati Bernhardi ordinem, Ciſtercienſem nuncupatum ſingularem gerentes affectum, Monaſterium eiuſdem ordinis in hoc oppido noſtro *Nove Civitatis*, *Salzburgenſis* Dioceſis iuxta portam, que ad Vngariam reſpicit, & propè muros ipſius Oppidi ſituatur, in honorem & gloriam *Sanctiſſime Trinitatis*, ac glorioſiſſime Virginis Marie, pia devotione ducti inſtituimus, ereximus & fundavimus, inſtituimus, erigimus, & tamquam Romanorum Rex & princeps Auſtrie fundamus preſentium per tenorem.

Vtque Venerabilis Abbas, qui pro tempore fuerit, cum monachis, fratribus converſis & ſervientibus, ſe cum omnibus neceſſarijs poſſint eò melius ſuſtentare, ac alia pro divino miniſterio oportuna efficaciùs adimplere, ac pro noſtre & preſentium * noſtrorum animarum ſalute erga Deum devotiores preces effundere, ideirco animo deliberato & de libera noſtra voluntate ac recta ſcientia Venerabili Abbati, Conuentui & Monaſterio ſupraſcripto infrà notata bona & poſſeſſiones dedimus, donavimus & appropriavimus, damus, donamus, & appropriamus tanquam princeps Auſtrie preſenti privilegio noſtro mediante, pro nobis & omnibus heredibus & ſucceſſoribus noſtris perpetuis temporibus valituro, videlicet Caſtrum noſtrum *Rore*, cum univerſis & ſingulis hominibus feudalibus, feudis, iure patronatûs, iudicijs, penis, oppidis, villis, cenſibus, redditibus, vineis, molendinis, piſcinis aquarum decurſibus, piſcaturis, ſilvis, lignis, pratis, agris, & omnibus alijs pertinentijs nihil dempto, queſitis, & non queſitis, ſub & ſupra terram, quibuſcunque poſſint ſpecialibus vocabulis deſignari, & omne pabulum, vulgariter *Marchfutter* nuncupatum, nobis, heredibus & ſucceſſoribus noſtris de prefata poſſeſſione dari ſolitum, & ad granarium noſtrum in *Gretz* tunc deputatum & aſſignatum abſolvimus & liberamus, ac ad *Rore* omnimòde transferimus, & prefato Monaſterio ac fundationi noſtre appropriamus. Similiter quoque omnia *alia* iura iudiciorum ac advocatiarum, ceteraque iura in prefatis poſſeſſionibus exiſtentia liberaliter relaxamus.

* F. parentum

Item trecentas libras denariorum, de Eccleſia parochiali *Sancti Petri* ante civitatem *Lubiam* ſituate, cuius collatio & ius patronatus ad nos & ſucceſſores noſtros pertinet, eiſdem Abbati, Conuentui & Monaſterio deputamus, & donamus, ita quod quilibet plebanus ſeu Vicarius ipſius Eccleſie prefatas trecentas libras annuatim ſine dilatione & damno eiſdem Abbati & Monaſterio ad oppidum *Nove Civitatis* preſentari debet, & effectualiter aſſignare. Item curiam allodialem in ſuburbijs iſtius oppidi noſtri *No-*

ve civitatis, ante portam Vngaricalem ſituatam, cum omnibus pertinentijs ſuis, quemadmodum littera exemptionis, quam ſuper prefata Curia habemus, clariùs in ſe continet. Prefata autem bona & poſſeſſiones & portiones quaſcunque cum univerſis & ſingulis eorum pertinentijs ita & taliter eis donamus, ut ipſis tanquam bonis proprijs uti & frui poſſint temporibus perpetuè affuturis. Quecunque autem ex bonis illis ánobis & domo Auſtrie dependerent in feudum, illa ab omni debito feudali libertamus & abſolvimus, & in puram proprietatem commutamus, ita quòd nobis & ſucceſſoribus noſtris nulla penitùs ſuper feodo quocunque fieri debeat recognitio. Si uerò alique portiones poſſeſſionum prefatarum ab alijs baronibus ſeu Dominis feudorum dependerent in feudum, illa curabimus & volumus pari modo ab ipſis dominis abſolutè eliberare.

Impartimur denique prefato Abbati, Conuentui & Monaſterio hanc gratiam ſpecialem, quatenus omnibus iuribus civilibus uti poſſint, quibus cives huius noſtre *Nove Civitatis* quomodolibet potiuntur in emendis & uendendis vinis, intus & extra Civitatem impedimento quocunque ſemoto.

Preterea volumus, ut vina, que ex labore ſuo ſeu iure montanorum uel decimarum eis provenerint, que nunc poſſident, uel futuris poterunt temporibus adipiſci, ad hanc noſtram *Novam Civitatem* adduci facere & uendere uel propinari valeant, ſecundùm quod eis videbitur. Nec tamen per hanc gratiam civilitatis, communionis ſeu participationis, quam prefato Monaſterio & fundationi noſtre facimus, Abbas, Conuentus & omnes ſervientes nullum reale ſeu perſonale gravamen patiantur, neque vigilijs, cuſtodijs portarum, reformatione foſſatorum, edificiorum ſeu aliarum impoſitionum, in quibus civitati prefate in nullo penitùs eſſe debeant obligati.

Vt autem prefatus Abbas, fratres & Conuentus Omnipotenti Deo noſtro tantò devotiùs poſſint famulari, quantò exterioribus curis & vexationibus fuerint oportuniùs abſoluti, prefatum Abbatem, Conuentum & Monaſterium cum omnibus eorum ſervientibus & perſonis, rebus bonis & pertinentijs, mobilibus & immobilibus, pro nobis, heredibus & ſucceſſoribus noſtris in noſtram ſpecialem tuitionem & protectionem recipimus, volentes eos ab omni violentia & invaſione gratioſè protegere, libertando & eximendo eos & omnia eorùm bona mobilia & immobilia, que nunc poſſident uel futuris temporibus iuſto titulo adipiſci poterunt, ab omnibus & ſingulis Steuris, impoſitionibus, tallijs, mutis, teloneis & gravaminibus univerſis, que quomodolibet imponi poſſent, quod ipſi, eorum officiales, familiares, laboratores, Curie, iumenta & quecunque eorum res in omnibus civitatibus, caſtris & villis omnium principatuum & terrarum noſtrarum liberi ſint & immunes, nec prefati Abbas & Conuentus, ſervitores, perſone & res cuicunque Capitaneo noſtro terreſtri, Caſtellano, Iudici patrie ſeu Civitatis ſeu cuicunque poteſtati ſeculari ſint ſubiecti in aliquo, preterquam nobis & heredibus & ſucceſſoribus noſtris tanquam fundatoribus & Dominis ſuis.

Et pretextu huiuſmodi iuris advocatie & tuitionis, quas nobis & heredibus noſtris reſervavimus in monaſterio memorato, non intendimus aliquam poteſtatem ſeu ius in electione Abbatis pro tempore nobis, heredibus ſeu ſucceſſoribus noſtris, aliquid neque ſtatuendi, neque deſtituendi, quin imò, quando ſe caſus obtulerit per mortem Abbatis, ex tunc Conuentus Monaſterij prefati eligendi Abbatem inter ſe uel alibi ſecundùm tenorem Sacrorum Canonum & Ordinis ſui ſtatuta ſine impedimento noſtro, heredum, & ſucceſſorum noſtrorum plenam & liberam habeant facultatem.

Inſuper ſtatuimus & volumus, quòd quilibet Abbas pro tempore conſiliarius ſit & eſſe debeat noſter, heredum & ſucceſſorum noſtrorum preſtito tamen prout decet & moris eſt, ſuper hoc debito iuramento, dando ſibi pro honore prefati Monaſterij licentiam, quatenus quaſcunque litteras, miſſivas ſeu privilegia ſigillare poſſint cum cera rubea eáque uti ad omnia ſua & ſui Ordinis & alia negotia, ubicunque opus fuerit, mandantes & precipientes univerſis & ſingulis principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus, Comiti-

bus,

bus, baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, officialibus, civitatibus, oppidis, villis, & ſubditis noſtris univerſis firmiter & diſtrictè, quatenus prefatum Abbatem, Conuentum, Converſos, Servitores, homines & bona in preſata noſtra fundatione, donatione & libertatione non impediant, nec aliquam moleſtiam quovis modo eis inferant, ſed potiùs ipſos in eiſdem manuteneant, protegant & defendant non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, conſuetudinibus, legibus patrie, ſeu civitatum & quibuſcunque alijs publicis & privatis factis & fiendis, quibus omnibus, in quantum predictis noſtris fundationi, donationi & libertationi contraire videntur, ex certa ſcientia derogamus, eásque in tali caſu annullamus preſentium per tenorem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtre gratie paginam infringere, aut ei quovis auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, cuiuſcunque dignitatis ſeu ſtatus exiſtat, preter iram & ultionem Omnipotentis Dei, quam ſcire poteſt quilibet ex alto contra violatores ſacrarum domorum provenire, etiam noſtram, heredum & ſucceſſorum noſtrorum indignationem graviſſimam & penam centum marcarum auri puriſſimi, totiens, quotiens contrafactum fuerit, ſe noverit irremiſſibiliter incurſorum, medietatem noſtro, heredum & ſucceſſorum noſtrorum erario, reliquam uerò partem prefato Monaſterio applicandam, preſentium ſub Tipario & appenſione auree bulle mee teſtimonio literarum.

Datum in *Nova Civitate* prefata anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto, die quinta menſis Aprilis, Regni uerò noſtri anno quarto.

Nos *Fridericus* prelibatus preſcripta recognoſcimus, profitemur & approbamus.

Ad mandatum Domini Regis in conſilio d. *Caſpar* Cancellarius.

CXXVIII.

Idem fundationis Diploma, Germanicè redditum.

Im namen der heiligen vngetheillten Dreyfaltigkeit Amen. 1444. *Excerpt.* P.H.

WIr Friderich von GOttes gnaden Römiſcher Künig, zu allen zeiten Merer des Reichs Hertzog zu Oeſſterreich, zu Steyer, zu Kärndten, und zu Crain, herr auf der Windiſchen March, und zu Portenau, graff zu Habſpurg, ze Tyroll, zu Phierdt, und ze Kyburg, Margaraue zu Purgau, und Landgraff zu Elſaſſ. Bekennen zu ewiger gedechtnues, allen gegenwertigen und zukünfftigen, die dieſen brieff hören, ſehen, oder Leſen.

Wir zweiflen nit, daß Wir Vns der Göttlichen güettigkeit nit wenig angenemb machen, vnd Vnſer Sell faſt heilſamlich raten und helffen, ſo Wir aus zeitlichen guett einen Vnuergänglichen Schatz machen, vnd ſamblen in hoffnung (ob GOtt will) des ewigen Lebens, das Wir dan nit bequemblicher gefüegen mögen, dan ſo Wir würdige Clöſter und andere andächtige Stätte und kirchen ſtifften und begaben, darin Geiſtliche und geordnete perſohnen wonen mögen, die alle Luſtbarkeit diſer welt zuruckgeſchlagen, und der Heilligen Vätter beyſpill nachvolgend das ſueſſe Joch Chriſti mit herligkeit ires Leben auf ſich nemen, und das mit Lauter vnſchuld überlauffen, und die Göttliche barmhertzigkeit deſto gerurichler und angenemlicher für Vns bitten und anrueffen mögen, das Vns nun ſo vil deſto mehr in vnſern gemüth erfreüet, und Tröſtet, ſo Wir die heiligen Orden höher und mer waxen und aufnemen ſehen; vnd wan Wir nun zu dem wirdigen Orden S. Bernardi, den man nennet von Ciſterz ſonderliche zuneigung und groſſe begierde haben: ſeint Wir willig den, ſo fern Wir mögen, mit Vnſern guette, das Vns GOtt verliben hat, zuberaiten, und darumb ſo haben Wir denſelben Orden albierin Vnſerer Statt zu der Neüſtatt Saltzburger biſtumb, bey den Vngerter an der Stattmauren daſelbſt in den Ereu der heiligen drei-

faltigkeit, und der rainen Jungfrauen Maria aufgerichtet, und geſtiftet. Setzen, aufrichten und Stifften in Crafft diſes briefſs, als ein Römiſcher König, und ein fürſt von Oeſterreich, und der Orten, das der Würdige Abbt, der zu zeiten ſein wirdet, mit ſeinen briedern, Converſen, und dienſtleüten ſich mit allen Notturfften deſto bas aufenthalten, und den Gotes dienſt in dem egenanten Cloſter deſto ordentlicher vollbringen, und für Vnſer Vorfarren und Vnſrer Sell, deſto vleiſſiger bitten mögen: So haben Wir mit wolbedachten mueth, guten freyen willen, und rechten wiſſen das egenante Cloſter begabt, und einen Abbt und Conuent diſe nachgeſchribene Stuckh und giettter guediglichen zugeaignet und gegeben, zuaignen, und geben Inen als ein Fürſt von Oeſterreich in Crafft diſ Briefes für all Vnſer Erben und Nachkomen ewiglich; nemblichen die Veſten Ror mit allen und yedlichen Leuten, Manſchafften, Leben, Geiſtlich- und weltlichen gerichten, guellen Märckhten, dörffern, zinſen, Gülden, Weingärtten, Müllen, Teichen, Waſſerleüffen, Viſchereyen, Wälden, höltzern, Wiſen, àckhern und allen andern zugehörungen, nichts ausgenomen, beſucht und vnbeſuecht, unden und ob der Erden, wie man die mit ſondern worten benennen mag, und alles Marchfuetter, das man Vns und Vnſern Erben und Nachkomen von den benanten giettern, die dan von alter hero das Marchfueter in Vnſern Caſſten gen Grätz gedient haben, ſchaffen Wir gen Rohr ledig, und geben es gantz über der benanten Vnſer Stifft, auch alle Richter, Rechte, Vogtrechte, mit allen andern Rechten, ſo auf den egenanten gütern ſein, ſchaffen Wir ledig.

Item dreyhundert pfundt pfening zu Laibach auf der Pfarrkirchen St. Peter vor der Statt gelegen, die dan von Vns vnd Vnſern Nachkomen zu Leben geet, die ain yeder Pfarrer oder Vicari derſelben Pfarrkirchen unuerzogenlich on allen Iren ſchaden antwurten ſoll in das benant vnſer Stüfft zu der Neüſtatt. Item der Mayrhoff in der Vorſtatt alhier zu der Neüſtatt vor den Vngerlor gelegen, und was darzu gehört, alſdan der kauffbrieff, ſo Wür über den benanten hoff haben, Clärlich ausweiſte, und alle gemerck, ſo zu den gedachten hoff gehören, nemblich begreiffet; alſo das der Abbt, Conuent und Cloſter obgemelt, die egenanten Stuckh alle und yegliche mit allen Iren zugehörungen, als ihr aigne Gütter zu ewigen zeiten innen haben, der gebrauchen, und genieſſen ſullen, und was derſelben gütter von Vns und dem Haus Oſterreich zu Lehen rürten, die ledigen und freyen Wir von all ſolcher Lehenſchafft, und Keren die in Lauter aigenſchafft des egenanten Cloſters: was auch der egenanten gütter, es wär eins oder mer, von andern herrn zu Lehen giengen, die ſullen wollen Wir Inen auch freyen und zu aigen ſchaffen, on all Eintrag.

Item idem ſuper Epiſtolam ad Romanos octavo. Item ſuper Iſaiam, ùt allegatur ab Auguſtino in primo contra Iulianum, & in primo de nuptijs & concupiſcentia. Item in Libro de archa Noë, ùt allegatur ab Auguſtino ſecundô contra Iulianum: Item contra Novatianos. Idem in Sermone Purificationis Beatæ Virginis.

Auctoritates B. Hieronymi.

De Salvatoris ſingulari prærogativa ſuper illud Pſalmiſtæ: *Erue a framea.* Item in Epiſtola ad Theophilum de libero arbitrio. Item in Secundo Libro contra Pelagium. Item ad Helvidium.

Auctoritates B. Gregorij Papæ.

S. Gregorius Papa II. Moralium circa finem. Item in 9. Moral. cap. 7. Item 18. Libro cap. 35. Item idem ſuper Ezechielem Homelia octava.

Dicta quorundam Sanctorum.

Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus in Libro contra hæreſes ſic dicit, ùt recitat Auguſtinus in 1. contra Iulianum.

Cyprianus in Epiſtola de baptizandis parvulis.

Olympius Hiſpanus Epiſcopus in quodam Sermone dicit.

Gregorius Epiſcopus Nyſſenus in Libro contra Novatianos.

Baſilius Cæſarienſis Ep. in Libro contra Manichæos.

Ioannes Chryſoſtomus, Ep. Conſtantinopolitanus in Homelia ad Olympiam. Item idem ſuper Matthæum. Item idem ſuper Ioannem.

Hilarius Pictavienſis Ep. in Libro de Trinitate.

Euſebius Ep. Emiſſenus in Sermone Nativitatis Domini, qui ſic incipit:

Hoſtis loquens ad beatam Virginem.

Athanaſius Ep. Alexandrinus ſuper Lucam.

Origenes ſuper Iohannem. Item idem ſuper Leviticо Homelia 7.

Ioannes Caſſianus in Collatione penultima Abbatis Theonæ.

Remigius Archiep. Remenſis ſuper Pſalmum: *Deus, Deus reſpice in me.*

Maximus Epiſcopus in Sermone Aſſumptionis beatæ Virginis.

Beda Venerabilis Preſbyter ac Monachus in Homelia 8. Epiphaniæ. Item ſuper Lucam cap. 1. Item in Homelia ſuper Miſſus eſt, & ponitur in Glosa Ordinaria.

Cæſarius Ep. Arelatenſis in quodam Sermone.

Iſidorus Ep. Iſpalenſis in primo Libro Sententiarum ſuarum tit. 12. & 14. Item idem in quodam Sermone Nativitatis Domini.

Anſelmus Archiep. Cantuarienſis in Libro: *Cur Deus homo*, dicit Libro 2. c. 16. Item in ſuis Meditationibus loquens ad Deum. Item de Conceptu Virginali c. 2.

Bernardus Abbas in Epiſtola ad Lugdunenſes. Item in Sermone Aſſumptionis beatæ Virginis. Item in alio Sermone Aſſumptionis. Item in Sermone Ioannis Baptiſtæ.

Hildephonſus Ep. Toletanus in Libro de Virginitate beatæ Mariæ.

Pontifices Romani.

B. *Innocentius* I. qui in Concilio, Numidiæ celebrato, condemnavit Pela-

Pelagium & Cœlestinum, negantes Originale peccatum, in Epistola sic dicit, ùt Augustinus dicit in 1. contra Iulianum.

Zosimus Papa, qui successit Innocentio, & damnavit etiam Pelagium in quadam epistola directa ad quoddam Concilium, in Africa celebratum, ùt recitat Augustinus in Epistola ad Optatum de Origine animæ.

Bonifacius I. in Concilio Milevitano, eius auctoritate celebrato, cui interfuit Augustinus, & quidam *Anselmus* Ecclesiæ Legatus, ùt habetur de Consecr. Dist. 4. c. *placuit*.

Innocentius Papa II. qui fuit tempore S. Bernardi, in Sermone Assumptionis B. Virginis.

Innocentius Papa III. in Sermone Purificationis Beatæ Virginis. Et nota, quòd iste fuit vita & Sapientia clarissimus. Composuit enim multas Decretales & multa opera edidit.

Honorius III. qui confirmavit Ordinem Prædicatorum, & postea Minorum, in Sermone Purificationis, exponens illud Psalmi: *Sanctificavit tabernaculum.* Item idem in Sermone Assumptionis.

* *f.* Viennensi

Clemens V. in Concilio Vianensi *, ùt habetur in Clement. de Summa fidei.

Innocentius Papa V. in III. Sentent. Dist. 3. q. 1. art. 1. Item ad secundum argumentum.

Clemens Papa VI. vir eruditissimus, in Sermone: *Erunt signa in Sole & Luna.*

Bonifacius III. in Privilegio Visitationis beatæ Virginis.

Eugenius Papa IV. in Concilio Florentiæ celebrato, in quo sedatum est schisma, quod annis octingentis duraverat, quo videlicet tres generales nationes ab Ecclesia Romana præcisæ fuerant, vid. Græcorum, Armenorum & Iacobinorum. Inter decreta autem, quæ Iacobinis, qui sub Patriarcha Alexandrino degunt &c.

Dicta Doctorum peritissimorum in Iure.

Dominus *Ioannes Theutonius*, antiquus Glosator Decreti super Capitulum: *Pronunciavit de Consecr. Dist.* 3.

Bartholomæus Brixiensis super eod. Capitulo.

Hugo Ep. Ferrariensis super Capitul. *Firmissimè de Consecr. Dist.* 4.

Laurentius, antiquus Glosator super *C. Per Baptismum de Consecr. Dist.* 4. Idem dicit super *C. Pronunciandum*, *de Consecr. Dist.* 3.

Berhardus Papiensis super *C. Pronunciandum.*

Raymundus, Compilator Decretalium, Pœnitentiarius Domini Gregorij IX. in primo suæ Sum̃æ Libro, tit. de ferijs.

Hostiensis Cardinalis in Summa sua tit. de pæ. & re. §. *qui debet confiteri.*

Guilhelmus Durantis in Secunda parte Speculi tit. de ferijs.

Iohannes, Compilator Summæ Canonicæ, quæ incipit: *Qui iustè iudicat*, *super C. firmissimè.*

Auctor Speculi, quod dicitur *Summa Summarum*, tit. de ferijs. *q.* 8. Et nota, quòd iste non fuit *Guilhelmus*, sed alius, cuius nomen ignoratur.

Actor Operis solennissimi super toto Decreto, quod incipit: *Ad decorem sponsæ*, sic dicens super Capitul. *Pronunciandum.*

Ioannes Andreæ, Doctor Bononiensis clarissimus, in secunda parte Novellæ tit. de Ferijs, *super C. Conquestus.*

Ioannes de Calderinis, Doctor Bononiensis super *C. Conquestus*, *extra de Ferijs.*

Galvenus, Doctor Bononiensis super *C. Conquestus*, *extra de ferijs.*

Petrus de Braio, Doctor solennissimus, in Repertorio suo, littera: *Conceptio.*

Petrus Mediolanensis in Apparatu suo super *C. firmissimè*, *de Consecrat. Distinct.* 4.

Guilhelmus Metensis Ep. in Apparatu super Summam Raymundi, tit. de ferijs.

Ioannes Theutonius, Doctor præcipuus, in Summa Confessorum Lib. I. tit. 12. c. . .

Bartholomæus de Pisis in Summa sua c. de ferijs.

Ioannes de Turre cremata Hispanus, Cardinalis S. Sixti, qui fuit a Papa Pio institutus Protector totius fidei. Hic in Opere glorioſissimo, quod edidit super Decretum, de Consecr. Distinct. 4. c. firmissimè . . .

Laurentius Calcaneus, Brixiensis, utriusque Iuris Doctor clarissimus, in quodam libello, quem de laudibus B. Virginis composuit.

Auctoritates quorundam antiquorum & clariſſimorum Doctorum Theologorum.

Magiſter *Ioannes de Poliaco*, Doctor Pariſienſis in tertio Quodlibeto q. 3.

Guilhelmus Atliſiodorenſis Ep. in Libro Summæ ſuæ.

Præpoſitivus Doctor Pariſiens. antiquus in Summa ſua c. de ſanctificatione Virginis.

Guilhelmus, antiquus Cancellarius Pariſienſis in Summa ſua.

Stephanus, antiquus Poſtillator, Doctor Pariſienſis ſuper Epiſtolam ad Romanos & ad Hebræos.

Armanchanus, Ep. Hibernienſis in III. Sentent. Diſt. 3.

Richardus Radulphi de Hibernia, Cancellarius Vniverſitatis Oxonienſis in II. Sentent.

Garicus Pariſienſis ſuper Eccleſiaſtis Capitulo 7.

Adam Anglicus, Doctor Pariſienſis in III. Sentent. Diſt. 3.

Odo Gallicus Doctor antiquus in Sermone B. Virginis.

Gotifredus DoctorPariſienſis inQuodlibeto VIII. q. 8.

Auctor Libri, qui dicitur *Elucidarius Scripturæ*, in primo Libro.

Henricus de Gandavo, Doctor Pariſienſis in XV. Quodlibeto. q. 13.

Ioannes de Abbavilla, Doctor Pariſienſis in Sermone Purificationis beatæ Virginis.

Ioannes de villa Abbatis in Sermone Aſſumptionis beatæ Virginis.

Ioannes Damaſcenus in III. Libro Sententiarum ſuarum. Idem in Sermone Aſſumptionis beatæ Virginis.

Andreas Ep. Ieroſolymitanus in quodam Sermone beatæ Virginis.

Petrus Tripolitanus, qui Epiſtolas Pauli gloſavit, ſuper Epiſtolam ad Romanos c. 5. Idem ſuper Epiſtolam 2. ad Corinth. c. 5.

Alcuinus, qui fuit Magiſter Caroli M. in Libro Sententiarum ſuarum.

Guilhelmus Ep. Eccleſiæ Miniatenſis, in Rationali Divinorum Officiorum in VII. Parte, cap. Purific. beatæ Virginis.

Robertus Mediolanenſis Ep. in ſecundo Libro Summæ ſuæ.

Ioannes Beleth, Doctor antiquus in Summa ſua de Divinis Officijs, rubricæ: *de Aſſumptione beatæ Virginis.*

Richardus Epiſcopus Cremonenſis in Summa ſua de Officijs, quam appellavit *Naturale*, Libro VIII. c. de Nativit. Virginis.

Petrus Comeſtor, Magiſter hiſtoriarum, in quodam Sermone beatæ Virginis, qui incipit: *Primo tempore alleviata fuit terra Zabulon.*

Gilbertus Poretanus, Pictavorum Epiſcopus, ſuper Boëthio de duabus Naturis & una Perſona Chriſti. Item in eodem.

Linconienſis Epiſcopus ſuper Pſalmos circa Principium.

Richardus de S. Victore in Tractatu ſuo ſuper illud Iſaiæ: *Ecce Virgo concipiet.*

Petrus Damianus Cardinalis in Sermone Nativitatis beatæ Virginis.

Dicta Doctorum clariſſimorum Ordinis Ciſtercienſis.

Dominus *Annibaldus*, Doctor Pariſienſis in III. Sentent. Diſt. 3.

Ioannes Monachus, Doctor Pariſienſis in III. Sent. Diſt. 3.

Odo Abbas in quadam Homilia ſuper Evangelio: *Stabat iuxta crucem.*

Ioannes de Cervo in III. Sentent. Diſt. 3.

Nicolaus Gallicus in Poſtilla ſuper Lucam c. 1.

Guido de Arbona in Sermone Nativitatis beatæ Virginis.

Nicolaus de Achora in Sermone Nativ. beatæ Virginis.

Radulfus eiuſdem Ordinis in Libro de vita Chriſti.

Sottus in Sermone Nativit. B. Virginis.

Iacobus Anglicus eiuſdem Ordinis ſuper Cantica.

Ioannes eiuſdem Ordinis in Libro de Laudibus beatæ Virginis.

Odo de Caſtro Rodulfi, Ep. Tuſculanus in Quinto Sermone Nativitatis Domini. Idem dicit in Sermone tertiæ Dominicæ Adventus.

Petrus de Parma in Sermone Nativitatis beatæ Virginis, & in Sermone de Paſſione Domini.

Alarinus in Sermone Nativit. beatæ Virginis.

Dicta

Dicta ſanctorum Doctorum ſacri Ordinis Fratrum Prædicatorum.

S. Thomas de Aquino, lumen totius Eccleſiæ, cuius doctrina eſt per Vrbanum Papam, & Innocentium, & Vniverſitatem Pariſienſem approbata, in III. Sententiarum Diſt. 3. art. 11. Item in III. Parte q. 7. art. 2. Item in Compendio Theologiæ. Item in Quodlibeto VI. q. 4. art. 1. Item ſuper Salutatione Angelica.

Vincentius eiuſdem Ordinis Prædicatorum in Sermone de Conceptione beatæ Virginis. Idem dicit in Sermone Sanctæ Annæ, & Nativitate B. Virginis.

Catharina de Senis, quæ, ùt narrat B. Antonius Archiep. in I. Parte Summæ, tit. de peccato Originali &c.

Albertus M. Ep. Ratiſbonenſis in III. Sentent. Diſt. 3.

Hugo de S. Theodorico, Cardinalis tit. S. Sabinæ in Poſtilla ſua ſuper Eccleſiaſten c. 7.

Anibaldus Romanus, Cardinalis in III. Sentent. Diſt. 3.

Petrus de Tarantaſia, qui fuit poſtea Papa Innocentius V.

Robertus Anglicus, Cardinalis Hoſtienſis in II. Sentent. Diſt. 31. q. 1. art. 1. Et in III. Sentent. Diſt. 3. in expoſitione litteræ.

Gualterius Anglicus, Cardinalis tit. S. Sabinæ, in II. Parte ſuæ Summæ, in tractatu de peccato Originali.

Ioannes Dominici de Florentia, Cardinalis S. Sixti ſuper Magnificat. Item in Tractatu de Conceptione, qui incipit: *Reſecandæ ſunt putridæ carnes.*

Petrus de Palude, Patriarcha Hieroſolymitanus in III. Sentent. Diſt. 3.

Iacobus de Voragine Archiep. Ianuenſis in primo Sermone Aſſumptionis beatæ Virginis.

Durandus de S. Portiano, Epiſcopus Anicienſis, in III. Sentent. Diſt. 3.

Iacobus de Lauſana, Epiſc. Lauſanenſis & Doctor Pariſienſis, ſuper Eccleſiaſten capitulo . . . Idem dicit in III. Sentent. & in Sermone Purificationis.

Ioannes Linckimber, Epiſcopus Ratiſbonenſis in Sermone Nativitatis B. Virginis.

Ioannes Epiſcopus Boſſinenſis in III. Sentent. Diſt. 3.

Angelus de Bononia, Archiep. Florentinus in III. Sentent. Diſt. 3.

Martinus Polonus Epiſcopus & Domini Ioannis XXII. Pœnitentiarius in Sermone beatæ Virginis.

Vincentius Hiſtorialis, Doctor Pariſienſis & Epiſcopus in quodam Tractatu de laudibus B. Virginis, tit. de Sanctificatione.

Thomas de Lenchino, Patriarcha Ieroſolymitanus, in Sermone Aſſumptionis beatæ Virginis.

Guilhelmus Peraldi, Doctor Pariſienſis, Ep. Lugdunenſis in Sermone Purificationis & Nativitatis beatæ Virginis.

Herveus Doctor Pariſienſis clariſſimus & Generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum in ſuo Quodlibeto IV. q. ultima.

Iacobus de Perufio, Ep. Perufinus, in Sermone Annuntiationis.

Hombologninus Bononienſis, Doctor Pariſienſis in III. Sentent. Diſt. 3. q. 1. art. 2.

Ioannes de Publia, Bononienſis, Doctor Pariſienſis, in Quodlib. XIV. q. 1. art. 4.

Ioannes de Neapoli, Doctor Pariſienſis in Quodlib. I. q. 12.

Durandellus Doctor Pariſienſis in III. Sentent. Diſt. 3.

Robertus Olcoth * Anglicus, Doctor Pariſienſis, ſuper Libro Sapientiæ c. 14. * *al.* Holcot Lectione 160.

Romanus in III. Sentent. Diſt. 3.

Leonardus Statij de Florentia in Sermone Annuntiationis.

Antoninus Archiep. prima Parte Summæ, tit. de peccato Originali.

Idem dicit III. Parte tit. de ſtatu comprehenſorum. Idem IV. Part. tit. de dono pietatis. Idem I. Part. Chroniceti I. c. 14. & tit. V. c. 1.

Idem tenent omnes Doctores, qui ſequuntur hic inferiùs eiuſdem ſacri Ordinis Prædicatorum.

Dominus *Vlricus Argentinus*, magnus Theologus & Canoniſta Lib. V. Summæ c. 5. & 7.

Thomaſinus, Doctor Pariſienſis in III. Sentent. Diſt. 3.

Hugo de Argentina Doctor Pariſienſis in ſuo Compendio Theologiæ.

Nicolaus Trauctb * Doctor Pariſienſis in Quodlib. III. q. 4. **f. Treueth.*

Bernhardus de Claromonte Doctor Pariſienſis in Quodlib. XV. q. 13.

Thomas Anglicus in Poſtilla ſuper Pſalterium Pſ. 17.

Ioannes Sterlingatij, Doctor Pariſienſis in III. Sentent. Diſt. 3.

Thomas de Suctonia, Doctor Pariſienſis in Compendio Theologiæ Lib. IV. c. 3.

Albertus de Brixia, Doctor Pariſienſis in Summa ſua Lib. III. Tract. 4. c. 6.

Niolaus Gorran, Doctor Pariſienſis ſuper Lucam c. 1.

Guilhelmus de Altono, Doctor Pariſienſis ſuper Eccleſiaſt. c. 7.

Petrus de Polonia in Poſtilla ſuper Lucam c. 1.

Ioannes Pariſienſis in III. Sentent. Diſt. 3.

Ioannes Balbus, Ianuenſis in ſuo Catholicon in littera *Virtus*.

Iacobus de Benevento in Sermone Nativit. beatæ Virginis.

Aldebrandinus de Tuſcanella in Sermone Vigiliæ Nativ. Domini: & in Dominica infra Octavas, & in Sermone Nativit. beatæ Virginis.

Conſtantinus de Monte Budello in Sermone Nativit. beatæ Virg.

Bartholomæus de Bononia in Poſtilla ſuper Lucam.

Ioannes de Vertiaco in Poſtilla ſuper Cantica.

Ioannes de Francforte ſuper Iob. c. 14. Et in Sermone de Sanctificatione beatæ Virginis.

Petrus Calodugenſis in ſuo Legendario, capitulo de Sanctificatione & Conceptione Beatæ Virginis.

Guido Gallus, Doctor Pariſienſis in Sermone Annuntiationis beatæ Virginis.

Nicolaus de Eſculo in Sermone Nativitatis Domini.

Bonifacius de Cremona in Sermone Purificationis, Annuntiationis & Nativitatis Beatæ Virginis.

Antonius de Maro, Parmenſis, in Sermone de Paſſione Domini.

Ioannes de S. Geminiano in Sermone Annuntiationis & Nativitatis Beatæ Virginis.

Petrus Galdini in Sermone Circumciſionis Domini, & in Sermone Aſſumptionis.

Petrus Ieremiæ, Siculus, in multis Sermonibus.

Leonardus de Vtino in Sermone de Nativit. B. Virginis.

Ioannes de Gallicis in Sermone I. & II. Adventus.

Antonius de Bononia in Sermone Nativit. Domini.

Petrus de la Scalla, Veronenſis, in Sermone Nativitatis: & in multis Sermonibus.

Ioannes de Monte Nigro in Tractatu glorioſo, quem fecit de Conceptione.

Iacobus Ægydij de Barcinona, Magiſter Sacri Palatij, in Tractatu de Conceptione beatæ Virginis.

Ioannes Bricij in Tractatu de Conceptione B. Virginis.

Rainerius de Piſis in Secunda Parte Summæ ſuæ.

Raphaël de Pomaſio, Ianuenſis, in Tractatu de Conceptione.

Dominus de Catalonia in Tractatu de Conceptione.

Doctores Ordinis Minorum.

S. Antonius, qui ſepultus eſt Paduæ, in quodam Sermone Nativitatis beatæ Virginis.

Bonaventura Cardinalis in III. Sententiarum Diſt. 3. q. 1. artic. 2.

Alexander de Ales, Doctor clariſſimus in III. Parte Summæ circa materiam de Sanctificatione Virginis art. 1. Idem in eodem Libro Q. ſeq. a. 1. Item idem in ſequenti articulo. Idem dicit in III. Sent. in multis articulis. Et ſuper Pſalmum: *Deus noſter refugium.* Et in Mariali ſuo.

Richardus de Media Villa, Doctor Pariſienſis, Ord. Min. in II. Sentent. Diſt. 30. art. 1.

Reginaldus Archiep. Rotomagenſis, Doctor Pariſienſis, eiuſdem Ord. Min. in III. Sentent. Diſt. 3.

Alvarus Hiſpanus, Epiſcopus Silvenenſis, eiuſdem Ord. Min. in libro ſuo de Planctu Eccleſiæ.

Ægydius Zamorenſis, Hiſpanus, eiuſdem Ord. Min. in Summa ſua c. de Maria.

Ioan-

Ioannes de Rupella eiuſdem Ord. Min. in Sermone Nativitatis Virginis.

Robertus Contio *, Doctor Pariſienſis, eiuſdem Ordinis Minorum, in III. Sentent. Diſt. 3. q. 9. *F. Coutton.

Lucas, eiuſdem Ordinis Min. qui Paduæ ſepultus claruit miraculis, in Sermone de Baptiſmo Chriſti, & in Sermone de Nativitate Virg.

Conradus de Saxonia, eiuſdem Ord. Min. in Libro ſuper Salutatione Angelica.

Bartholomæus de Piſis eiuſdem Ord. Min. in Sermone, *Facta ſunt encænia.*

Thomas de Ales, Doctor Pariſienſis, eiuſdem Ord. Min. in Libro de vita beatæ Virginis.

Iacobus Pictavienſis, eiuſdem Ord. Min. in Sermone Annuntiationis.

Nicolaus de Lyra, Doctor Pariſienſis, eiuſdem Ordinis Min. ſuper Lucam exponens illud: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te.*

Ioannes Scotus in III. Sentent. Diſt. 3. q. 1. in corpore quæſtionis.

Iacobonus, eiuſdem Ordinis Min. utriuſque Iuris Doctor, in una ſua laude ad beatam Virginem.

Ioannes Geneſius de Parma in ſuo Roſario capitulo 5.

Ioannes de Erphordia in Summa ſua c. de conceptione, & capitulo de peccato Originali.

Nicolaus de Haugevilla, in Sermone Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, [&] Annuntiationis.

Franciſcus de Haſt in Sermone tertiæ Dominicæ poſt Trinitatem.

Guidus in Sermone cœnæ Domini, quæ fuit illo anno in die Annuntiationis.

Geraldus de Odonis in Libro de Figuris, in Capitulo de Stella.

Ioannes Gallicus in Sermone Nativitatis & Annuntiationis beatæ Virginis.

Landulfus in Poſtilla ſuper Evangelia, ſuper illud Lucæ 1. *Exurgens Maria.* Et ſuper illud Matthæi 1: *Inventa eſt in utero habens.*

Philippus de Monte Callerio in Poſtilla ſuper Evangelia, ſuper illud Luc. 1: *Ave gratia plena.* Et: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te.*

Arnaldus Ep. Salernitanus in Libro Diſtinctionum ſuarum, & in C. de Archa.

Doctores in Theologia peritiſſimi Ordinis Eremitarum.

Dominus *Ægydius de Roma*, Epiſcopus Bituricenſis in ſexto Quodlibeto.

Gregorius de Arimino, eiuſdem Ordinis Doctor ſubtiliſſimus in II. Sentent. Diſt. 3. q. 2.

Bernardus Cliveri, eiuſdem Ordinis Doctor Pariſienſis & Epiſcopus Darcacenſis, in ſexto Quodlibeto Quæſtione penultima.

Ioannes Clivotus, de Saxonia in III. Sentent. Diſt. 3.

Ioannes Stringarij eiuſdem Ordinis, in III. Sent. Diſt. 3.

Ioannes Teutonicus, eiuſdem Ordinis, in Sermone Nativit. B. Virginis. qui incipit: *Lauda & lætare filia Sion.*

Ioannes Teutonicus in Secundo Sermone de Conceptione beatæ Virginis.

Auguſtinus de Ancona in Poſtilla ſuper Lucam. Idem etiam dicit ſuper Epiſtolas Pauli in multis locis.

Hugolinus, eiuſdem Ordinis, de Vrbe veteri in II. Sentent. Diſt. 30. q. 3.

Geraldus de Senis, Doctor clariſſimus, eiuſdem Ordinis in quodam Quodlibeto.

Ioannes Gallicus eiuſdem Ordinis in Sermone Annuntiationis.

Henricus de Vrimaria, eiuſdem Ordinis in Sermone Nativitatis Sanctiſſimæ Virginis.

Albertus de Padua, eiuſdem Ordinis in Sermone tertiæ feriæ poſt Dominicam [Palmarum] de Paſſione.

Iacobus de Viterbio eiuſdem Ordinis in Quodlibetis.

*Facinus * de Haſt* in III. Sentent. Diſt. 3. * f. Franciſcus

Henricus de Huri, eiuſdem Ordinis Eremitarum in Sermone Nativit. beatæ Virginis.

Dicta Doctorum clariſſimorum Ordinis Carmelitarum.

Dominus *Guido* Ep. Maioricenſis & poſtea Epiſcopus Alvanenſis, in III. Quodlibeto q. 13.

Paulus de Peruſio, eiuſdem Ordinis Carmelitarum Doctor clariſſimus, in III. Sentent. Diſt. 3.

Guilhelmus Altiſiodorenſis Epiſcopus in III. Libro Summæ ſuæ.

Mau-

Mauritius Epiſcopus Pariſienſis prohibuit, ne feſtum Conceptionis ipſius Pariſio celebraretur.

Et nota, quòd Abbas Siculus, qui tunc erat Epiſcopus Panormitanus, fuit principalis in hoc ſchiſmate & maximus perturbator pacis & vnitatis Eccleſiæ, ſtipendiatus a Rege Arragonum, cui Eugenius prohibuerat, ne terras Regni Apuliæ invaderet: & quia Fratres noſtri, videlicet Prædicatorum ſacri Ordinis, illi Conciliabulo adhærere noluerunt, hac de cauſa conciliabulum illud cum Felice Antipapa ſuo determinavit, beatam Virginem non eſſe conceptam in peccato Originali.

CXXXIX.

1450. Ex Cod. Mellic. P. 25.

Martini Abbatis Monaſterij B. Mariæ Virginis Scotorum Wiennæ ad Iohannem de VVeylhaim Mellicenſem Epiſtola: Quomodo iurainentum Abbatum Ord. S. Ben. de ſervanda & procuranda ex amuſſim Regulæ obſervantia intelligendum ſit.

Frater *Martinus* Abbas beatæ Virginis, olim Scotorum Wiennæ, honorabili & magnæ religioſitatis P. *Iohanni S.* Profeſſo in Mellico Ord. S. Benedicti, Fautori ſuo cordintimè dilecto.

DEſiderio ſalutis æternæ præmiſſo Honorande & dilecte Pater *Iohannes.* De veſtro ſcripto, mihi nuper transmiſſo, multùm ſum gratus, agnoſcens veſtram erga me fidelitatem. Et intendebam reſcribere vobis cum Cellerario veſtro. Sed ille latenter receſſit, quod & frequenter facit, quòd ſine valedictione mea recedit. Et ſi in proximo eius adventu a me ſuſceptus non fuerit, non habebit imputare, cùm ad ſuſceptionem amici ſequi debeat valedictio. Hoc tamen amicabiliter pungendo, non indignando ſcribo. Et quia certus nuntius nunc ſe aſcenſurum exhibuit, reſcribere vobis dignum arbitratus ſum.

Primò, ùt ſcribitis, pluries petivi, ut mihi communicetur *Scriptum veſtrum ſuper Regula*, quod ultimò concepiſtis, quod adhuc peto: & defacto deputavi ſcriptorem, qui nunc vacat, qui repente reſcriberet, ſi exemplar adeſſet. Et benè memor ero de impoſitione *Quæſtionis de eſu carnium.*

Inſuper peto informari, quomodo intelligendum ſit iuramentum, quod iurant Abbates in ſui confirmatione, quod ſic ſonat: *Regulam S. Benedicti per me ſervabo, & a Fratribus meis ſervari procurabo. Sic me Deus adiuvet, & hæc ſancta Evangelia.* Si hoc iuramentum ſecundùm rigorem intelligendum eſt, quis Abbatum poteſt ſalvus fieri, cùm ibi contineantur multa, quæ non ſervantur nec a Prælato nec a ſubditis? Si incautum dicit S. Thomas 2. 2. omnem profiteri Regulam, quomodo *iurare* ſervare regulam?

Sed fortè dicetis, quòd quærere debeam a Doctoribus in Vniverſitate. Hoc fortè non expedit, ut ſciant, an omnia in Regula ſerventur an non, nec conſtat eis de iuramento hoc.

Peto etiam informari de iuramento Sacerdotum in ſui ordinatione, quo iurant ſervare caſtitatem, ſobrietatem & alias virtutes &c. Et videtur eadem difficultas de alijs virtutibus caſtitate præſuppoſita.

Finaliter me & fratres meos veſtris orationibus commendo. Valete in Chriſto reſurgente. Dat. feria II. poſt *Quaſi modò geniti* anno 1450. Salutate Reverendum in Chriſto Patrem meum Dominum Abbatem, & Priorem, & Fr. *Chriſtoforum.* Salutat vos & fratres eius Fr. *Ieronymus*, qui hoc ſcripſit.

2.

Ad eundem: utrum Monachi proprietarij in iure ſint excommunicati.

SAlutis deſiderio præmiſſo. Honorande & amande Pater *Iohannes.* Super dubio veſtro feci diligentem inquiſitionem in Facultate iuris: quæſivi a Decano eiuſdem, qui conſequenter in quadam conventione Doctorum quæſivit ab alijs. Et concors eſt eorum reſponſio, quòd in corpore iuris clauſo non ſit aliquis caſus excommunicationis, ligans proprietarios Monachos: ſi autem ſit in aliqua Extravagante, non conſtat eis. Si tamen talis eſt, & præceſſiſſet editionem Sexti Decretalium, non ligat, quia revocata eſt in Proœmio Sexti. Sic patet reſponſio ad præſuppoſitum dubij. Poteſtis tamen ab

Ex Cod. H. 45. Ind.

ab illo Patre, qui vos ad inquirendum induxit, petere, ut ipſe alleget titulum & capitulum, ubi habetur in iure talis caſus. Quo aſſignato, in eadem ſententia videri poterit motivum Papæ, quo motus eſt contra gravitatem proprietariorum.

Poteſt enim formari ſimilis quæſtio: quare Sanctus Petrus Ananiam & Saphiram percuſſit &c. & non alios? Quare non Nicolaum unum de ſeptem Diaconibus, unde orti ſunt Nicolaitæ hæretici, qui fuit incontinentiſſimus? Quare non percuſſit Neronem, qui fuit inobediens? &c. Valete ex *Vienna* Dominica poſt Stephani per veſtrum F. *Martinum* Abbatem Monaſterij, vulgariter Scotorum nuncupati.

Ibidem.

Item quæritur, quare vitium proprietatis Cap. XXXIII. vocatur nequiſſimum, & non vitium inobedientiæ. Item quæritur: quare Sanctus Benedictus nullum ſpeciale Capitulum poſuit in Regula de Caſtitate, ſicut poſuit de alijs duobus eſſentialibus? Item quæritur, ubi prohiberur expreſsè incontinentia in Regula? Item quare non poſuit, ut explicitè exprimantur in profeſſione caſtitas & paupertas, ſicut habent alij Ordines? Mentior, ſi non fui præſens, quòd a Doctoribus reiecta fuit forma profeſſionis Canonicorum Regularium, in qua nihil fuit expreſſum de caſtitate. Et ſi dicatur illud Iuvenalis Poëtæ: *ìt volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas*: poteſt eodem modo reſponderi de dubio prænominati Patris: placuit Papæ excommunicare proprietarios, & non inobedientes.

Item dicet aliquis: Eſt tamen aliqua pœna in iure deſcripta contra proprietarios? Reſpondetur, quòd ſic. *Cap.* 2. *de ſtatu Monachorum* dicitur, quòd removeri debent a communione altaris, &, ſi in extremis ſic inventi fuerint, debent carere ſepultura in ſacro loco. Item *Cap. ſuper quædam c. t.* dicitur, quòd ſi oſſa diſcerni poſſint, debent exhumari & proijci: Item 12. *q.* 1. *Non dicatis*, & eſt beati Auguſtini, dicit: ſi „ultro confitetur, parcatur ei, & oretur pro eo: ſi deprehenditur, ſecundùm arbitrium Epiſcopi vel Presbyteri vel Præpoſiti graviùs emendetur. Idem B. Auguſtinus dicit 12. *q. c. Nolo*: quiſquis inventus fuerit habens proprium. Et 1. delebo eum de tabula Clericorum. Ex quibus omnibus non habetur ſententia lata excommunicationis.

CXL.

Vincentij Prioris Cartuſiæ Axpacenſis in Auſtria Epiſtolæ.

1.

Ad Iohannem de Weylhaim, Mellicenſem. Graviter fert, Conciliorum Generalium auctoritatem non tantam eſſe quanta eſſe deberet.

Circa an. 1451. *Ex Cod. Mellic. P.* 25.

Religioſe ac Venerabilis Pater. Ex omnibus, quæ de factis Eccleſiæ uſque nunc undecunque percipere potui, ſto ſemiplenè conſolatus. Nihil enim præter unionem & ablationem ſchiſmatis reperio laude dignum. Nam de auctoritate Sacrorum Conciliorum & de futuri Concilij aſſecuratione nec eſt vox nec ſpiritus. Patres Concilij inter capitula diætæ Gebennenſis ſolùm, ùt apparet, practicaverunt illa, quæ reſpiciunt proprium ipſorum commodum. Et ſic Herodes & Pilatus amici facti ſunt, pauper autem Chriſtus in ſua Eccleſia crucifigitur. Nam de auctoritate Eccleſiæ etſi Concilium in ſuis ſeſſionibus facit mentionem, tamen in litteris alterius partis nihil de hoc narratur. Vnde pro nunc non intelligo aliud, niſi quòd auctoritas ſacrorum Conciliorum hat ghufft.

2.

Ad eundem. De Nicolao de Cuſa Cardinale non optime ominatur.

Amabilis mi & religioſe Pater. Quos ſemel cœpiſtis diligere, intenditis, ùt apparet, in finem diligere. Fons enim charitatis veſtræ nunquam ceſſat ad veſtros in *Axpach* exiſtentes ſuos rivulos derivare,

Ibid.

Digitized by Google

derivare. Remitto copiam decreti *Nicolai Cuſa*, de quo decreto nihil boni fiet. De ipſo namque habeo conjecturas multas, nullas tamen bonas, quas tamen nolo litteris commendare. Si Cardinalis ille *Nicolaus* eſt ille *Chuſa*, de quo Æneas vertit figuram Dialogi ſui, inter ipſum videlicet & quendam *Stephanum Novarienſem*, tunc non eſt mihi ſpes, quòd per talem fiſtulam unquam bonus concentus, Eccleſiam lætificans, poſſit formari. Quòd ſi ille eſt, tunc quid ſignificet ipſius creatio vel aſſumptio in Cardinalem, quid reformatio religionum in Alemannia, per eundem procuranda, quid denique gratia iubilæi noviter data vel danda, etiam mediocriter intelligens poterit faciliter intueri. Eſt enim & erit totum negotium in tenebris perambulans. Scriptum per Fr. *Vincentium* in *Axpach*.

Quia unam copiam, ſcilicet reformationis miſiſtis, mittite, rogo, & aliam, ſcilicet largiorem gratiæ Iubilæi, quam velociter lectam vel reſcriptam rehabebitis. 1451.

3.

Ad eundem. Concilia Generalia in dogmatibus fidei errare non poſſe, nec huic doctrinæ obſtare S. Auguſtinum.

Indid. SCripſiſtis in una cedula, dudum ad me miſſa, quandam auctoritatem beati Auguſtini in Quarto Libro ſuo de Baptiſmo parvulorum contentam, quam timetis auctoritati Conciliorum poſſe nocere. Nam Generalia Concilia non ſunt ab omni errore privilegiata. Nam in Conciliis multa fiunt, in quibus poteſt ita benè error ſurrepere, ſicut in Curia Papæ. Sola autem illa cenſentur ab errore aliena, quæ conciliariter per omnes vel plures approbantur, & tandem in publica Seſſione cum ſolemnitatibus, ad hoc requiſitis, confirmantur. Nec etiam neceſſe eſt, de omnibus, quæ, ùt præmiſſum eſt, ſolemniter roborantur, debere intelligi. Nam poteſt contingere, quòd Patres Concilij contra aliquem abuſum nimiùm zelarent, & contra eum decretum plus iuſto ſeverius decretarent. Quid mirum, ſi Patres ſequentis Concilij huiuſmodi decretum ad normam æquitatis limitarent? Solùm ergo de declarationibus fidei tenendum eſt, quòd Spiritus S. taliter invocatus, ſicut ſolitum eſt fieri, nolit unquam Eccleſiæ, ſic præſertim congregatæ, in ſuis difficultatibus deeſſe. Hæc de illo. Et quòd de humanis diffinitionibus ſint verba beati Auguſtini intelligenda, ſatis apparet. Nam dicit in ultima particula huius diffinitionis: *Ipſa plenaria Concilia priora ſæpè poſterioribus emendantur, quando aliquo experimento rerum aperitur, quod antè clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat.*

4.

Ad Eundem: quibus viis ad Theologiam Myſticam enitendum ſit.

OLim Dilecto in Chriſto Fratri, pro præſenti verò in eodem Reuerendo Patri, Domino *Ioanni de Heilheim*, pro nunc temporalium & ſpiritualium rerum Monaſterij *Mellicenſis* curam gerenti, ſervus & devotus Capellanus Frater *Vincentius*, orationes pro ſui officij adminiſtratione felici. 1451. *Ex Cod. Mellic. fol. 45.*

Reuerende Pater, pro animabus olim Chariſſimorum Patrum meorum, videlicet *Stephani* & *Chriſtanni*, * me ſollicitante, & Venerabili Patre meo, Domino Priore libenter annuente, impoſitum eſt apud nos pro quolibet eorum vnum tricenarium ſecundùm morem ordinis noſtri in communi, abſque eo, quòd vnusquisque in privato de bona voluntate fecit. Poſt quorum obitum, cùm percepiſſem, veſtram Dominationem ad magnam felicitatem provectam, nolui ipſam circa multa aliàs ſollicitam meis ſcriptis, medio tempore aliquatenus moleſtare. Nec etiam pro nunc manum miſiſſem ad calamum, niſi reddendi cuiuſdam annui cenſus in feſto *S. Colomanni*, veſtræ Dominationi debiti, occaſio adfuiſſet. Dedi ergo operam, ut cum annuo cenſu & præſens ſcedula offerretur. Suſcipite ergo cenſum in ſignum dominationis; accipite & ſcedulam in ſignum inter nos mutuæ charitatis, quam propter adventum novæ fortunæ excidere non oportet. Scripſi etiam hac de cauſa, quia forte propter mutationem noui Abbatis mutuò ſcribere non licebit. * *Abbatem Mellic.*

Igitur

Digitized by Google

Igitur, Pater Reuerende, gauiſus ſum de veſtra felicitate, quamvis momentanea. Quæ tamen ſi heri vel pridie terminata fuiſſet, eſſet utique adhuc felicitate, quam habuit Adam in paradiſo, etſi non intenſiuè, tamen extenſiuè maior, in qua & per quam potuiſtis interim per experientiam deguſtare beatitudinem prælaturæ. Item de eadem veſtra felicitate etiam triſtitiam ſenſi pro eo, quòd ſecundùm meum intellectum fuit & eſt magni boni impeditiua. Paulò enim ante recepi à veſtra tunc fraternitate quædam folia ſcripta intus & foris, in quibus poſt multam allegationem verborum *Hugonis de palma*, tandem in vos aſſumendo perſonam Dei præconis prorupiſtis in hæc verba: *Quid facitis prædicatores diuini verbi, & informatores populi Chriſtiani? Cur negligitis? quare non recurritis ad pauca verba Myſticæ Theologiæ, ut ipſis intellectis, difficultates veteris & noui teſtamenti vobis eluceſcant, & idoneis verbis poſſitis inflammare corda audientium?* Hæc ibi O miſera & deflenda felicitas, quæ veſtram perſonam occupauit, &, ut timeo, hunc veſtrum zelum, aut extinxit, aut ſaltem interim impediuit! accipiat finem, ut tædeatis quodammodo in materiam præiacentem, ſi fortè zelus priùs habitus reviviſcat! Clamate tunc voce maiori, & nolite ceſſare: quaſi tuba exaltate vocem veſtram, quia multi ex his, quos vocâſtis, ſunt in diuerſorio vel itinere, quod ducit ad infernum: alij autem dormiunt, in peccatis grauiter ſoporati.

Miror tamen non parùm, quod vocatis Doctoribus & Diuinorum librorum lectoribus & expoſitoribus, ac prædicatoribus Verbi Diuini, ſimulque informatoribus populi Chriſtiani, Religioſos, quorum memoriam ſaltem durch des handtwercks willen habere debebatis, non vocâſtis. Quidquid de hoc ſit, mihi ſic exclamare libet: O vos ter, quaterque, imò centies felicem, ſi Doctores, lectores, expoſitores, & informatores prænominatos veſtro clamore terrueritis, ut ad ſtudium Theologiæ Myſticæ ſe convertant! Si medietatem eorum, ſi tertiam aut quartam, vel etiam decimam partem ipſorum ad hoc ſtudium induxeritis, verè & abſque ſcrupulo pronunciabo, vos maiorem veſtro clamore fructum effeciſſe, quàm B. Iohannes Baptiſta, præcurſor, & præco Domini, ac Vox Clamantis in deſerto, ſuo clamore procuráſſe creditur.

Vnum tamen Dominationem veſtram non lateat, videlicet, quòd ad ſtudium illorum paucorum verborum Beati Dionyſij (in quibus quodammodo ſumma perfectio Theologiæ Myſticæ incluſa videtur) non eſt aſcendendum per ſaltum. Sicut enim in Vniverſitatibus ad magnos titulos ſingularum Facultatum non niſi quibuſdam inferioribus gradibus transcenſis, aſcenditur, & ſicut ad Sacerdotium plures inferiores gradus prærequiruntur: ſic multò fortiùs in arte Myſticæ Theologiæ aſcendendum eſt per quoſdam gradus prævios, ordinatè ſine ſaltu, eò quod nihil aliàs ageretur. In illis autem ſaltibus, qui ante ſummos titulos Facultatum, & ante ſacerdotium, vel etiam in ipſis titulis & ſacerdotio præproperè ſuſceptis nonnunquam contingere ſolent, eſt locus remedij. Nam huiuſmodi exorbitationes certis pœnis expiantur. Non ſic autem in ſaltibus circa practicam Myſticæ Theologiæ commiſſis contingit. In illis diſpenſatio tollit defectum: in iſtis nemo diſpenſat.

Studium verborum B. Dionyſij pertinet ad viam unitivam, quam neceſſario præcedere debent via purgatiua primo, deinde illuminatiua. Primò igitur Doctoribus, Lectoribus &c. veſtris, clamore & vocatione congregatis, proponite viam purgativam, quæ non eſt aliud niſi pœnitentia peccatorum. Et in hoc ſequimini exemplum B. Ioannis Baptiſtæ dicentis Matth. 3. Cap. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.* Et etiam exemplum Salvatoris in 4. cap. eiuſdem eadem verba replicantis: Nec non & exemplum B. Petri Apoſtoli dicentis Act. 2. Cap. *pœnitentiam agite & baptizetur &c.*

Poſtquam itinera huius viæ benè tenuerint, ducendi ſunt ad altiorem viam, ſcilicet illuminativam. Cuius itinera cùm ſæpe & frequenter perambulaverint, tunc primum veniendum eſt ad expoſitionem paucorum verborum Dionyſij. Hunc ordinem Dauid præmonſtrauit dicens: *Declina à malo* per viam purgativam, *& fac bonum* per illuminativam: *Inquire pacem*, non qualemcunque, ſed eam, *quæ* ſecundùm Apoſtolũ *exuperat omnem ſenſum.*

Hunc ordinem etiam Salvator noſter docuit obſervandum dicens : *ſint lumbi veſtri præcincti* per viam primam, *& lucernæ ardentes* per viam ſecundam: *& vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum &c.* per viam tertiam.

Poſtquam has vias modis ad hoc requiſitis diu calcauerint, & verba Hugonis, quæ incredibilia, imò impoſſibilia iudicantur, vera eſſe non ſenſerint, tunc primùm, & non antè, veniant & arguant ipſum; imò & Magiſtrum ſuum, B. Dionyſium dicentem in 7. Cap. de Diu. Nomin. *Hanc ergo irrationalem & amentem & ſtultam ſapientiam excellenter laudantes dicimus, quòd eſt omnis mentis & rationis & omnis ſapientiæ & prudentiæ cauſa &c.* Arguant etiam Gerſonem in ſua Myſtica Theologia Conſid: quinta ſic dicentem: *Eam quoque* (notans Myſticam Theologiam) *ſublimiorem, & vltra quàm dici valeat, iucundiorem, ſapidiorem, ac perſpicaciorem exiſtere ſupra cæteras cognitiones ab extrinſeco venientes &c.* Et de iſto tantum. Valete in Domino ſemper. Scriptum feria ſexta ante *Colomanni* 1453. Poſtquam factus fueritis quaſi vnus ex nobis, tunc, ſi ſcietis de Curia Romana aliqua ſcitu digna, poteritis mihi communicare, ſi tamen fueritis permiſſus.

5.

Ad Eccleſiam, ſeu potiùs ad eundem: de exigua ſpe reformationis in electione Calixti III. Papæ.

O Sancta Mater Eccleſia, licèt tibi nunquam deſint calices paſſionum, tamen proximè tranſactis temporibus inter alios tibi fuerunt duo calices miniſtrati. Quorum primus vocabatur *Eugenius*, ſecundus verò *Nicolaus*: de quibus calicibus coacta es bibere vinum amariſſimum, & fæcibus plenum, ita quod de ſimilibus calicibus tale poculum antea nunquam guſtâſti. Illis ſucceſſit nunc *Calix * tuus tertius*, cuius vini claritas & ſapor, quales ſient, proceſſus temporis declarabit. Qui calix, ſi de metallo, id eſt, de cœtu Cardinalium, fabricatus eſt, tunc parva vel nulla eſt mihi ſpes, quòd in eo & per eum miniſtretur tibi potio ſalutaris, eò quòd iam decrepitus & de abuſibus Romanæ Curiæ aſſuetus ſit. Cui ſi quis de Reformatione tua aliquid perſuaſerit, tantum, ut autumo, efficiet, ac ſi ludæum octogenta annorum conetur convertere.

* *Calixtus.*

Etiam hoc cedit in damnum tuum & in deriſum tuum, quòd fabricatores huius calicis tui tertij elegerunt, non hominem vivacem, ſed potiùs einen alten ..... octuagenarium videlicet, non attendentes illud Pſalmiſtæ : *Si autem in potentatibus octuaginta anni & amplius eorum labor & dolor.* Auſpicia quoque mea hoc prætendunt, quòd idem Calix tuus tertius à ſuis fabricatoribus ante & poſt electionem ad hoc iuramento ſit ligatus, quòd nunquam conſentiat ad aliquod Concilium celebrandum. Siquidem generatio hæc non quærit, quæ tua ſunt, ſed quæ ſua.

Ora ergo, Sancta Mater Eccleſia, ſponſum tuum, ut poſt iſtos calices provideat tibi de calice ſalutari, de calice præclaro, cuius vinum non ſit mixtum aqua, ſed purum & clarum & forte, quod inebriare pariter & lætificare valeat tuorum fidelium corda. Hæc tibi ſcribo, ut ea tuis Alumnis, mihi Chariſſimis, videlicet *Martino* Cellerario & *Ioanni de Weilhaim* in Mellico communicare digneris. Scriptum feriâ ſextâ ante Vrbani anno 1455.

6.

Ad eundem: Quòd inteſtini Eccleſiæ inimici longè atrociùs in eam ſæviant quam barbari & infideles. Cur Turcis ceſſerit Conſtantinopolis &c.

ORationes cum optamine omnis boni. Dilecte mi Pater, ſcitis, quòd Eccleſia Dei ſemper amaritudines habuit & habet. Primò ab imperatoribus & paganis habuit amaritudinem amaram; poſt quos habuit ab hæreticis amariorem: tandem à filijs, Simoniacis, Generalium Conciliorum Auctoritatis conculcatoribus, & ſcandaloſis Rectoribus habet amaritudinem amariſſimam. A Teucris * autem ſiue Saracenis mitiſſimam habet,

* *Turcis.*

Non

Non enim Teucer compellit fideles abnegare fidem Chriſti, & ad ſuam perfidiam declinare ùt primi: nec errores in fide ſeminant ùt ſecundi: Nec Eccleſiam deſtruit, ùt tertij. Solum autem quærit à Chriſtianis ſubiectionem & cenſum.

Ex quo claret, quòd bellum iſtud, ad quod Provinciæ occidentales provocantur, non eſt purè pro fide, ſed pro libertate. Quod bellum utique à Regibus & Principibus ſtatum ſuum conſervare volentibus, magis, quàm à Clericis debet indici. Qui Reges & Principes, ſi viderint ſe cum ſuis decem millibus non poſſe reſiſtere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe, adhuc illo longè agente, poſſent vel fortè deberent mittere, rogando ea, quæ pacis ſunt: Cùm vtique melius ſit vivere & ſervire integram fidem ſervando, quàm rebellando ſeu reſiſtendo exponere ſe periculis interfectionis, maximè cùm talis ſervitus non obſtet fidei & ſaluti. Nam Eccleſia Dei, prout Hiſtoriæ teſtantur, nunquam fuit vigoroſior & numeroſior, quàm eo tempore, quo nullum regem fidelem, ſed omnes habuit adverſantes.

Hæc idcirco, Pater mi, ſcribo, quia perplexus ſum in orando, neſciens, pro quorum Chriſtianæ fidei inimicorum ſuppreſſione debeam exorare. Si enim orauero pro Teucri improſperitate, timeo, Domino Deo velle repugnare. Ipſe enim Teucer ſervire fecit exercitum ſuum multum valde in obſidionem & acquiſitionem vrbis Conſtantinopolitanæ, quæ pacta inita cum Concilio Baſileenſi, ſciente & favente Papa tunc exiſtente, irrita fecit: & merces condigna huic ſervituti non eſt ſibi data. Quis ſcit, ſi fortè pro huiuſmodi ſalario recompenſando Dominus ſibi tradiderit Romam & Italiam ſpoliandas?

Si autem oravero pro humiliatione illorum inimicorum domeſticorum, qui Eccleſiæ Dei ampliùs, quàm alij, ſunt nociui, mox reſilio ad me ipſum timens, ne fortè etiam in hoc offendam Dei & proximi charitatem. Quapropter peto mihi tranſmitti Bullas Papales de indulgentijs, contra infideles pugnaturis, datas, ſi fortè per earum lectionem affectus meus ad orandum hucuſque ſatis tepidus poſſit aliqualiter inflammari.

Audio, quòd Crucem prædicantes, multos Cruce ſignent iuvenes, ſcholares, pauperes, nudos, nec arma nec ſumptus habentes, in quo vel multos periuros facient, vel beſtijs & avibus pitantiam miniſtrabunt. Scriptum feria ſecunda poſt Lætare per Fratrem *Vincentium* profeſſum in *Axpach* anno 1456.

7.

Marquardi Sprenger epiſtola ad eundem de quodam ſcripto ſuo adverſùs Vincentium de Axpach.

COlende Pater. Deſiderauit veſtra charitas, ut vos ſcriptotenus viſitarem. Sed quia deſcenſuri ad eandem veſtram charitatem, nimis tardè ipſorum deſcenſum intimauerunt: ideo vos contentari neceſſe eſt de tam paucis ſcriptis. Hoc autem ſcitote, quòd, antequam præſentarentur mihi commenta *Vercellenſis* & *Linconienſis*, ſcripſeram quatuor ſexternulos contra adverſarium meum * & Cancellarij Pariſienſis. Et poſtquam præſentata ſunt præfata, commenta videlicet, multo plùs quàm per medium annum nihil ſcripſi penitùs. * Vincentium.

Ex eiſdem tamen commentis habeo luce clarius, quod, antequam quis intret caliginem, multæ requirantur præviæ cognitiones, prout Deo favente apertiſſimè deducam. Et pro nunc nullam habeo difficultatem, niſi, cùm quis ingreſſus eſt caliginem, an tunc amor ſtet ſine cognitione, quouſque ſupernus radius diuinitus immittatur? Quia ad hoc ſonare videntur verba tàm *Linconienſis* quàm *Vercellenſis*. De qua tamen difficultate modicum curo. Sufficit namque mihi, ùt ſupra dixi, quòd ante ingreſſum caliginis multæ cognitiones requirantur. Orate Deum pro me, & ego pro vobis. ex *Monaco* velociſſimè feria ſexta poſt Natiuitatem B. Mariæ anno 1456. Magiſter *Marquardus*.

Nota Iohannis de Weilheim.

Nota, quòd vir prædictus (*Marquardus*) cuius duas epiſtolas habes in libro E. 39. multa ſcripſit tempore ſchiſmatis pro iuſtitia Concilij Baſileenſis, quorum aliqua habentur in præfato libro. Scripſit & Auizamenta vtilia pro ſerenitate conſcientiarum currente ſchiſmate. Com-

pilauit etiam Tractatum quadripartitum, qui incipit: *Qui me elucidant* de Myſtica Theologia, & Apologiam contra ſuum adverſarium (*Vincentium*) prænominatum, & plura alia, quorum aliqua, non omnia, ſparſim ſunt copiata. Et plurimùm fundatè & probabiliter procedit in ſuis ſcriptis, licèt de beatitudine patriæ, quàm principaliter conſiſtere in Dei viſione probauit, aliter ſenſerim, quòd ſit actus affectiuæ, ſcilicet Dilectio: licèt vtrumque ad beatitudinem requiratur, prout patet in reſponſione facta contra ſuum ſcriptum, in hac materia miſſum, quod incipit: *ſalutet & ſalvet vos &c.*

7.

Vincentij ad eundem Ioh. de Weilhaim, de miſerijs Eccleſiæ ac auctoritate & neceſſitate Conciliorum Generalium.

VEnerabili Patri, Domino *Ioanni de Weilhaim* profeſſo in *Mellico* ſe ipſum totum. Chariſſime Pater, ante Dominicam Palmarum proximè præteritam per ſcedulam quæſiſtis, utrum *Dorothea de Pruſſia* ſit canonizata? Quot libri de ea apud nos habeantur, & quid ſentiam de ipſa & de geſtis eius, præſertim de Tractatibus *Septililij*? Audiui tunc temporis aliud mihi non placens, quod ad reſcribendum manum meam fecit contractam, videlicet, quod ſcedulas, quas ex ſingulari confidentia ſucceſſiuè vobis miſi, ligaueritis in vno libro; quem etiam ad exteras terras videndum & legendum communicâſtis, ut fatuitas mea, quam non erubui vobis patefacere, & quam credebam apud vos debere latere, in omnem terram exiret. Quam ob rem propoſueram à ſcribendo ceſſare. Sed incidit mihi tale conſilium, quòd veſtram ſinceriſſimam Charitatem debeam more ſolito per ſcedulas viſitare ſub tali tamen pacto, quòd ipſas ad me opportuno tempore remittatis.

Ad primam igitur quæſtionem dico, quod *Dorothea* adhuc non eſt canonizata. Ad ſecundum reſpondeo, quòd duos libros de ipſa habemus, qui ambo ſunt apud vos. Primus eſt *Septililium*; Secundus *Legenda* ipſius, quæ in duplo tantum vel plus, quàm primus, continet de ſcriptura. Tertium de feſtis nunquam vidi. Ad tertiam quæſtionem, quid videlicet de ipſa, vita, geſtis & doctrinis ipſius ſentiam, vtrum de cœlo ſint, an ex hominibus mallem, quod de his à doctiore quæſiſſetis. Ne tamen à vobis, ſi tacerem, humilis aut philoſophus reputarer, aliquid vel breviter dicam.

Pro quo volo veſtram charitatem ſcire, quod, quantum perpendere potui, *Brigitta de Svecia*, *Catharina de Senis*, & dicta *Dorothea* ſimul eodem tempore in humanis fuerunt, licèt vna poſt aliam floruerit. Quæ habuerunt Confeſſores, doctos viros, qui earum actus & doctrinas in ſcriptis ad noſtram notitiam transmiſerunt. In quorum ſcriptis, & præcipuè in Prologis clarè perpendi poteſt, ſi ſpiritus, vnamquamque earum movens ex Deo fuerit, an non? Fuerunt etiam tunc, & pòſt, aliæ perſonæ eiuſdem ſexus in diuerſis locis devotiſſimæ, quarum vitam virtuoſam, non per ſcripturas ſed fide dignorum relationem percepi. Quæ vnà cum præfatis tribus nominatim expreſſis omnes, multas & valde diuerſas gratias à Deo acceperunt.

Nam ſancta Brigitta (cuius libellum ad Reges, & mediatatem revelationum ipſius in vno volumine habemus, & ſunt apud vos) revelationes multas habuit, peregrinationi dedita fuit, & convertendarum gentium extitit Prophetiſſa.

Catharina de Senis virgo (cuius Legendam habemus, & eſt apud vos) etiam revelationes habuit, quas in extaſi, omni membrorum officio deſtituta, poſita, quatuor ſcriptoribus ſuper hoc exſpectantibus loquebatur: Qui ſcriptores verba ipſius fideliter conſcribebant, & in formam libri redegerunt. Cuius ſtylus licèt ſit inflammativus & eruditus, multas ſalubertimas continens doctrinas: tamen ſ, ùt conſcriptor Legendæ ipſius Frater *Raymundus*, qui fuit Magiſter Generalis in Ordine Prædicatorum, teſtatur, nihil fuit reſpectu ipſius actualis eloquentiæ. Dederat enim ei Deus linguam eruditam &c. Vnde & ſummi Pontifices, & magni Prælati & Religioſi exigebant ab ea, vt collationes faceret. Iſtum librum Revelationum habemus in Domo. Hæc, inquam, virgo multùm differentem modum vivendi præ aliis habuit. Eius tamen præcipuus zelus in acquirendo animas conſiſtebat, & per XII. annos ſine cibo corporali, ſolo Sacramento contenta vixit.

Porrò

Porrò Dorothea ſuam ſanctitatem ita occultauit, quod præter ipſius Confeſſores, pauci eam cognoverint, quæ pro magna parte in Spiritualibus Sentimentis & devotis exercitijs agebatur & cumulabatur. Ratio autem, quare Deus in ſexu muliebri talia operatus ſit, nusquam exprimitur, niſi in Legenda Catharinæ de Senis. In qua ipſa refert Confeſſori ſuo, Deum ei dixiſſe: *Scias, Filia, quòd hoc tempore in tantum abundauit ſuperbia literatorum & ſapientium in oculis ſuis, quòd iuſtitia mea non poſſit amplius tolerare, quin iuſto ſuo iudicio eos confundat. Nam ſicut Iudæis & gentilibus miſi idiotas, ſed virtute mea dotatos, ſcilicet Apoſtolos & alios: ita nunc mittam fœminas gratia mea præditas in confuſionem temeritatis eorum. Qui ſi doctrinam per vaſa fragilia electa ad eos delatam receperint, faciam miſericordiam meam cum eis. Si autem hanc medicinalem confuſionem recipere contempſerint, ad tot alias confuſiones eos deducam, quòd totus mundus contemnet & deſpiciet eos.* Hæc illa.

Non ſum expertus multos tempore vitæ meæ, qui huiusmodi doctrinas ad cor ponant; vel, quod à Deo ſint, arbitrentur: innumerabiles autem earundem ſubſannatores audiui. Nec mirum, cùm non ſint Diſcipulæ ſupra Magiſtrum. Domini enim noſtri Ieſu Chriſti verba non omnibus placuerunt, imò fortè pluribus displicuerunt. Sicut autem tunc Chriſtus loquens Iudæis dixit: *Quare loquelam meam non cognoſcitis?* ſic poterit modo multis dicere: Quare loquelam meam per vaſa fragilia ad vos delatam non intelligitis? Ratio eſt in promptu: quia curioſitas modernorum non delectatur, niſi in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, & malè intelligit verba B. Ioannis in Canonica ſua: *Nolite omni Spiritui credere*, pro *omni* intelligens *vlli* vel *alicui*: Cùm tamen propter multorum illuſorias viſiones & revelationes non ſint veræ probarum perſonarum viſiones temerè abjiciendæ: ſicut propter pſeudoprophetas non ſunt veri Prophetæ contemnendi. Sed probandi ſunt Spiritus, ſi ex Deo ſint, per diſcretionem ſpirituum, quæ eſt Donum Spiritus Sancti, id eſt, quærendum eſt ab illis, qui dono diſcretionis ſpirituum pollent.

Multa hic poſſem dicere de differentia doctrinæ harum mulierecularum, qualiter concordet cum doctrina Chriſti & Apoſtolorum eius, & quantum præſtet & excedat doctrinam modernorum Doctorum, quæ tamen causâ brevitatis dimitto. Hoc autem ſolum dico, quod ex non receptione Doctrinarum illarum ſanctarum mulierecularum nihil aliud nobis reſtet timendum, niſi confuſiones nobis terribiliter comminatas, in proximo affuturas, vel potiùs erubeſcere iam præſentes. Quæ enim maior confuſio excogitari poteſt, quàm tot Prælatos, tot Magiſtros & Doctores in Clero & in Religione, Catholicam veritatem in Evangelio fundatam, & ex ſuperabundanti per duo Concilia declaratam, & ad omnes fideles ſufficienter divulgatam (in qua Chriſtianitas annis pluribus conquieuit) deſerere, & eius contrario firmitet, imò pertinaciter adhærere, ac in tali errore cæca mente diutiùs permanere?

In Evangelio namque Matth. 18. Chriſtus tradens doctrinam de fraterna correctione dixit Petro: *Si peccaverit in te &c.* Ex hac auctoritate quatuor conditiones attribuuntur Eccleſiæ. Prima, quòd Eccleſia eſt ſupremum tribunal iudicij in terris, ſiue ſupremus Iudex, ad quem crimina incorrigibilium fratrum poſſunt &, debent deduci. Patet: quia ipſum Petrum, cuius iudicium videtur eſſe in Eccleſia ſuperius, remiſit, ſiue mandauit atque inſtituit recurrere ad iudicium Eccleſiæ.

Secunda conditio, quòd ipſius Eccleſiæ iudicio omnes acquieſcere obligantur. Patet ex eo, quòd ille, qui Eccleſiam non audit, debet reputari à Petro & à quocunque fideli tanquam ethnicus & publicanus. Si enim aliud iudicium eſſet ſuperius, in quo frater eſſet examinandus, non eſſet ſtatim reputandus ut ethnicus & publicanus: & cùm dicitur à Chriſto, quòd, qui Eccleſiam non audit, debeat pro tali reputari, ex hoc attribuitur Eccleſiæ, quòd ipſa habeat ſupremam auctoritatem docendi & diffiniendi, eſtque omnium Magiſtra fidelium, ita quòd omnes teneantur ſequi eius determinationem.

Tertia

Tertia conditio, quòd Eccleſia in terris habet auctoritatem ligandi & ſolvendi in quibuscunque: *Amen dico vobis, quodcunque alligaveritis &c.*

Quarta conditio, quòd Chriſtus ſemper eſt in medio Eccleſiæ: *ubi* enim *duo vel tres &c.* Ecce quòd congregatio duorum vel trium in nomine Chriſti congregatorum dicatur Eccleſia, per quam intelligitur Concilium generale; & quidquid Concilium generale agit, vel patitur, Eccleſia agere vel pati videtur. Sed concilium Conſtantienſe & poſteà Concilium Baſileenſe declarauerunt ſuperioritatem Concilij, cui omnis Chriſtianus, etiam Papa, in cunctis obedire tenetur. Et hæc declaratio, tanquam Catholica & in Evangelio fundata ab omnibus ſuſcepta eſt.

Tandem infelicis memoriæ Eugenius Quartus volens eſſe novus Hæreſiarcha huic veritati contradixit verbis, & factis impugnavit, in tantum, quòd omnes Prælatos, Doctores, Magiſtros, Clericos, & religioſos ab ipſa veritate avertit, & ad contrarium errorem, per præfata Concilia implicitè reprobatum, attraxerit, & per hoc tanquam alter Ieroboam peccauit, & peccare fecit Iſraël, præſertim in literatis: & tanquam Arius noui erroris auctor extitit; ut ſicut ab Ario Ariani, ſic ab Eugenio Eugeniani dicerentur. Quicunque enim Catholicæ veritati in Sacra Scriptura expreſſæ, ſeu ab Eccleſia declaratæ vel definitæ pertinaciter contradicit, & repugnat, absque dubio hæreticus eſt cenſendus. Nam Sacra Scriptura Spiritu Dei edita eſt, quæ in legitimis Conciliis vnà cum Patribus ſententias dictat. Eſt enim ibi infallibilis aſſiſtentia Chriſti, adiuuantis & promoventis negotia ſponſæ ſuæ

Nonne, mi Pater, modernis literatis adaptari poterit verbum propheticum: *perdam ſapientiam ſapientium & prudentiam prudentium reprobabo*, Dum Papæ hæretico fauent, & ſuæ hæreticæ prauitati? Certè iure Diuino & humano maledicta Simonia reprobata eſt: quam dum Concilium Baſileenſe de novo, antiquorum veſtigijs inhærens, reprobâſſet & prohibuiſſet, prædictus Eugenius ad ſuffocandum & diſſipandum ipſum Concilium, ſtupenda & inaudita mala fecit: ut ſuam hæreſim defenſaret. Ex quibus, tanquam ex fructibus, poterant literati, ab eo ſeducti, ad notitiam arboris pervenire; maxime etiam ex illo, quòd propter multa crimina, inter quæ & hæreſis fuit numerata, fuit à Papatu iuſtè abiectus. Et cum Sacrum Concilium Baſileenſe omnes Prælatos à iugo tyrannidis Apoſtolicæ ſedis liberâſſet, ita ut quilibet per electionem aſſumptus à ſuo immediato ſuperiore ſuam Inveſtituram gratis & Canonicè poſtularet: illi, videlicet Epiſcopi, carnis prudentia freti, callidè cogitabant, quòd, ſi ipſi nihil darent pro ſua confirmatione, etiam à ſubditis pro inveſtituris & confirmationibus exigere nihil auderent.

Libertatis ergo impatientes, voluntariè iterum colla ſua iugo diabolico ſubmiſerunt, & ſuis ſubditis idem ferendum imponunt, ne ſoli ad inferna deſcendant: Et ſic ſedi Apoſtolicæ & præcipuè ſuo Hæreſiarchæ Eugenio in crimine participant; & conſequenter hæreticorum pœnis veniunt puniendi, ſcilicet quòd, ſi pertinaciter tenent hæreſim, ſint ipſo iure Diuino, omni Eccleſiaſtica dignitate privati. Imo hæreticus pertinax non poteſt eſſe Papa vel Epiſcopus, ſicut nec Iudæus vel paganus, dicente Apoſtolo: *nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim coniunctio Chriſti ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli?* Nec talibus eſt communicandum dicente Ioanne: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam &c.*

Sunt etiam omnes hæretici, nullo excepto, per generale Concilium, quod ſub Innocentio III. celebratum eſt, condemnati, ut habetur *ext. de Hæret. Cap. Excommunicamus*, ubi habetur: *Excommunicamus itaque & anathematizamus omnem hæreſim, ſe extollentem adversùs hanc orthodoxam & catholicam fidem, condemnantes universos hæreticos, quibuscunque nominibus cenſeantur.* Per plura antiqua concilia poteſt hæc ſententia probari.

Licèt autem omnis hæreticus, ſiue Papa ſiue alius, non ſit privatus charactere, qui confertur in ordinibus: eſt tamen omni prælatione Eccleſiaſtica privatus. Ille namque qui præeſt, & illi, quibus præeſt, debent eiusdem profeſſionis eſſe. Propter quod Abbas Monachorum debet eſſe Monachus, & Canonicorum Canonicus. Et ſic patet, quemadmodum legi Diuinæ repugnat & humanæ, quòd fidelis ſit Doctor & Rector infidelium, quantum ad illa, quæ ad profeſſionem infidelium ſpectant.

Tunc

Tunc enim in talibus communicaret eiſdem: ita legi Diuinæ repugnat, quòd infidelis ſit Doctor & Rector fidelium, quantum ad illa, quæ ad Religionem pertinent Chriſtianam. Quare per eaſdem leges omnis hæreticus omni prælatione Eccleſiaſtica eſt privatus, & hæc pœna eſt etiam ad Papam hæreticum extendenda. Dicitur enim *extra de hæret. cap. Vindicamus*, Quòd, *in quo eſt maior culpa, maior exerceatur vindicta.* Sed labes hæretica gravior eſt in Papa, quàm in alio Epiſcopo hæretico: ergo ſecundùm rectam rationem grauiùs debet puniri, eò quod ſua prauitas pluribus nocere valeat, dicente Beato Auguſtino: qui, ùt legitur 83, *diſt. cap. Nemo*, ait: *Nemo quippe in Eccleſiam magis nocet, quàm qui perversè agens, nomen vel ordinem Sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia peccator hortatur.*

Ex quibus verbis infertur, quòd nemo amplius nocere poſſit Eccleſiæ quàm Papa perversè agens, & hæreſim dogmatizans, ſi pro reverentia papalis officij hortatur.

Quantum autem Eugenius hæreticus nolens audire Eccleſiam (cuius declarationes & determinationes ſpreuit & conculcauit, & Simoniacam prauitatem quodammodo canonizauit ipſam publicè ſine rubore exercendo & poſſibiliter defendendo, propter quam & multa alia papatu privatus fuit) fideles deceperit beneficia conferendo, electiones confirmando &c. nulla poteſtate fretus, qui poteſt & vult, perpendat. Qui nihil habet, nihil dare poteſt. Qui enim Eccleſiam non audit, eſt habendus, ùt ethnicus & publicanus. Qui doctrinæ Eccleſiæ, tanquam infallibili regulæ, non adhæret, nec fidem nec habitum fidei habet. Qui Simoniacam pravitatem & hæreſim contra doctrinam ſacræ ſcripturæ, ſacrorum Conciliorum generalium, contra denique Decreta multorum ſanctorum ſummorum Pontificum poteſtatiuè ſine verecundia pertinaciter exercet, ſolemnior hæreticus eſt cenſendus, quàm qui vſuram crederet, & publicè prædicaret non eſſe peccatum. Et cùm huiuſmodi hæretico non ſit communicandum in ſpiritualibus, multò minus eſt ſibi obediendum; nec honor papalis ſibi exhibendus, nec ſpiritualia, ùt beneficia, confirmationes &c. ſimilia ab eo ſunt petenda & emenda.

Sed prò dolor, omnia per contrarium contigerunt. Nam ipſe dictus hæreſiarcha Eugenius penè omnes literatos, cuiuſcunque ſtatus ſint, ad ſecum ſentiendum ſibi attraxit, & tantum effecit, ut contra Decreta Eccleſiæ congregatæ emant dignitates & beneficia, ſicut priùs.

In hac autem transgreſſione Decretorum Synodalium, manus Principum id eſt, Epiſcoporum fuit prima, Cùm autem communiter & verè dicatur, quòd patrocinio Simonis in nullo beneficio ius aut titulus acquiratur, videatur, rogo, qualia diſcrimina ſiue damna patiantur ſubditi, dùm ſui Prælati ſiue Paſtores ad ligandum & ſolvendum eos, tanquam Cifræ nihil ſignificantes nullâ ſunt poteſtate fulciti. Verè, verè ſi populares homines intelligerent hunc defectum, non eſſet mirum, ſi unanimiter inſurgerent in Clerum.

Quis enim invenitur hoc tempore, ut de minoribus taceam, inter Epiſcopos & Prælatos, qui non pro ſua confirmatione longè vltra moderatum pretium ſcriptorum de pecunia expenderit? De illis loquor Prælatis, qui vel per Papam vel per Epiſcopos confirmationem accipiunt. Sed iſta Simoniaca prauitas ex longa conſuetudine; immò veriùs ex peſſima corruptela, videtur in ius & vim legis tranſiiſſe. Vnde quidam Summi Pontifices, nominatim Nicolaus Quintus, & Calixtus tertius ipſam in ſuis Bullis *Proventus Cameræ* appellârunt. Et hoc modo ex illis Paſtoribus & Creaturis, qui à Papa & Epiſcopis habent confirmari, rarus eſt, qui intret per oſtium in ovile ouium, ſed aſcendunt penè omnes aliunde. Ideo iuxta vocem Domini poſſunt fures & latrones nominari.

Quare autem nulli, vel pauci de tali ingreſſu ad quæcunque Beneficia non formem ſibi conſcientiam, ratio eſt in promptu. Sicut namque natura humana eſt corrupta per peccatum: ita etiam cognitio humana in multis per varia vitia penitus eſt amiſſa. Et ideo, ſi nulli vel pauci credunt vel tenent, quod pro confirmationibus, Bullis &c. vltra moderatum ſalarium ſcriptorum, pecuniam dare ſit Simoniacum, hoc ex corruptione accidit vitiorum, & præcipuè ambitionis. Pauci enim vel nulli inveniuntur, qui potiùs beneficio velint carere, quàm illud malè mercari: & qui velint pro veritate & iuſtitia aliquid pati,

pati, aut indignationem ſummi Pontificis incurrere, aut in fortuna damnum ſuſtinere.

Cùm autem olim multi contra hæreſim Bohemorum prædicauerint, & libellos eorum perfidiæ deſtructivos ediderint: mirandum pariter & dolendum eſt, quòd modo contra magis nocivos errores nemo clamet aut ſcribat. Verè auferre ab Eccleſia Dei ſaluberrimam generalium Conciliorum auctoritatem, quæ vniverſalem Eccleſiam repræſentant, & ſuas ſententias ſub nomine Eccleſiæ proferunt, quæ propter dictationem Spiritus Sancti & aſſiſtentiam Ieſu Chriſti in his, quæ ad fidem pertinent, errare non poſſunt: ad quæ fideles naſcentis ab initio Eccleſiæ poſt Deum & Salvatorem ſuum Chriſtum in terris pro declaratione & deciſione ſuarum opinionum, quæſtionum, & dubiorum ſemper ſuum vltimum refugium habuerunt, atque in declaratis in eiſdem, tanquam à Deo revelatis veritatibus humiliter conquieuerunt, periculoſior eſt error, quàm error Bohemorum. Aufert enim & annihilat illud, per quod ſunt omnes hæreſes conterendæ. Per hunc, etiam non ſolum Conſtantienſis & Baſileenſis Conciliorum, imo omnium etiam præteritorum, per quæ ſemper fides Catholica declarata, roborata, & defenſa eſt, nutabit auctoritas.

Videtur etiam talis error æqualis, vel parùm minor, errore Arij, qui aſſeruit, Chriſtum eſſe puram creaturam: Error autem Eugenij glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, Reginam & ſponſam ſummi Regis (cum qua Chriſtus vſque ad conſummationem ſæculi manſurus eſt; in cuius medio, dùm conciliariter congregata eſt, ipſe Chriſtus eſt, non permittens eam in ſuis diffinitionibus ad ſalutem neceſſarijs, aberrare) non audiendo, ſubijcere ipſam eſt conatus vni ſervo ſervorum, imo homini peccatori. Error Arij fuit contra ſponſum Eccleſiæ, quem ſolum hominem, & non Deum & hominem affirmauit: error Eugenij eſt contra ſponſam Ieſu Chriſti, quam privare voluit iſto honore, quem ei ſponſus ſuus contulit, videlicet, quòd omnes fideles tenentur eius doctrinæ acquieſcere: & qui hoc non fecerit, habendus ſit ſicut ethnicus & publicanus. Vterque autem, tam Arius quàm Eugenius oppoſitum erroris ſui explicitè credere tenebantur, eò quod illorum oppoſita in Evangelio ſint ſufficienter expreſſa.

Simoniam ſacra ſcriptura, ſacra Concilia, denique multi ſancti Summi Pontifices, tanquam peſtem hæreticam reprobârunt. Quæ licèt his reprobationibus non obſtantibus, fortè rarò in toto defuerit, tamen non audens, vel timens ſe apertè oſtendere, tanquam negotium perambulans in tenebris, ſolùm occultè ſerpebat: nunc verò his diebus, in quibus periculoſa tempora nec inſtabunt, nec inſtant, ſed præſentialiter adſunt, ipſa tanquam dæmonium meridianùm apertè, ſine rubore tanquam licita, imò tanquam debita poteſtatiuè & cum robore exercetur in ſcandalum & gravamen fidelium & detrimentum ſalutis animarum.

Dilecte Pater, probabiliter puto, quòd, ſi Eccleſia haberet Paſtores ad veritatem evangelicam rectè ambulantes, & eſſet cum hoc à Saracenis ſubacta, & eis tributaria effecta, quòd hoc eſſet minùs gemendum, quàm præſentem ſtatum & modernos paſtores cum ſuo ſcandaloſo, & damnabili regimine ſuſtinere. Ecce qui impugnant doctrinam & declarationes ac Decreta Eccleſiæ, promoventur ad Epiſcopatus, ad Cardinalatum & etiam ad Papatum: & qui mendaciter & hæreticè Papam etiam malum, ſicut Eugenium, ſupra totam Eccleſiam congregatam extollunt, confortantes impium, ne auertatur à via ſua mala, & quod nullius iudicio in terra ſit ſubiectus, & huiuſmodi peſtiferam doctrinam publicè prædicant & divulgant, canonizantur & ſanctorum Catalogo aſſcribuntur! Quæ poteſt maior confuſio cogitari, quàm Catholicis veritatibus repugnantes ad ſummas Eccleſiæ dignitates provehi, & poſt mortem in eadem etiam feſta habere? Quare obdormis Domine? Quare faciem tuam avertis? Quare obliviſceris inopiæ & tribulationis noſtræ? Tædet animam meam vitæ meæ, dum conſidero Eccleſiam tot adverſitatibus & calamitatibus implicatam, & non reperiri ex omnibus charis eius, qui conſoletur eam, aut pugnet pro ea: alijs propter impotentiam, alijs propter malitiam, alijs propter damnabilem negligentiam, poſtremò alijs propter ignorantiam ipſam diſſimulantibus adiuvare. Et niſi Verbum Chriſti, ſcilicet: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, id eſt, Eccleſiam, ſæpe me conſolaretur,

ſolaretur, paulò minùs inhabitares in inferno deſperationis anima mea.

Non diffido, quin Ieſus Chriſtus recordabitur ſponſæ ſuæ, ſuſcitando ſpiritus aliquorum, qui pro honore ſponſi & eius legibus zelent, & qui faciem ſponſæ nunc fœdam & abominabilem extergant, & priſtino decori reſtituant. Sola mora interim me affligit.

Vtinam aliquis Rex conſentiret in regno ſuo congregari Concilium dato ſalvo conductu; & aliquis Epiſcopus eiuſdem regni convocaret concilium, non obſtante reclamatione, prohibitione & anathematizatione Romanæ Curiæ quibuſcunque. Ex quo enim Romana Eccleſia non vult uti officio ſuo & facere debitum ſuum, fideles poſſunt ſe ipſos congregare & ſaluti ſuæ providere. Non enim propter malitiam paucorum hominum ſua quærentium debet ſalus Eccleſiæ prætermitti. Negligentia enim generalium conciliorum & omiſſio, multorum malorum cauſa eſt in Eccleſia Dei. Quæ dum moderni Rectores Romanæ Eccleſiæ convocare renuunt, quid aliud faciunt, niſi quòd Eccleſiam Dei ſemper more nunc ſolito volunt regi, & de malo in peius aſſiduè declinare.

Mi Pater, probabiliter æſtimo iam imminere diſceſſionem ab imperio & papatu: quàm diſceſſionem futuram, præſertim à Papatu, olim iudicavi malam, nunc autem iudico eam rationalem, neceſſariam & ſalubrem. Et vtinam modò tota Chriſtianitas ab obedientia ipſius Romanæ Eccleſiæ recederet, non ſimpliciter & perpetuè, ſed tamdiu, donec ipſa Romana Eccleſia recognoſceret, ſe generalibus concilijs ſubeſſe debere & velle, & ſecundùm eorum leges Eccleſiam Vniverſalem regere promitteret cum effectu, ac cunctos abuſus, præcipuè autem Simoniacam pravitatem iurarent funditùs extirpare! Quo facto omnes deberent eidem Eccleſiæ iterum obedire.

Et verè non eſt compendioſior via, quàm iſta ad ſalutem Eccleſiæ procurandam. Nam ipſa Romana Eccleſia nihil ſalubre ordinabit, prout experientia quaſi quinquaginta annorum probat: & lucem generalium conciliorum, tanquam venenum & peſtem fugit, ne in ea arguantur opera eius. Et hoc puto, occaſionem eſſe futuræ diſceſſionis.

Legi in quodam libello, quendam Papam ſcripſiſſe ad Conſtantinopolim allegando multa de auctoritate, excellentia & poteſtate Romani Pontificis ſupra omnes fideles ſibi conceſſa, volens per hoc Græcos ad ſibi obediendum provocare, Græcos autem eidem tale dediſſe reſponſum: *Potentiam tuam ſummam ſupra tibi ſubiectos credimus, ſuperbiam tuam ſummam tolerare non poſſumus; avaritiam tuam nimiam ſatiare non intendimus. Dominus tecum ſit, qui & nobiſcum eſt.* verè fideles ſub Romana Eccleſia degentes poſſent Romano Pontifici ex illis tribus articulis in reſponſione Græcorum contentis, duos vltimos, maximè autem tertium, eidem dare pro reſponſo.

Mi dulcis Pater, abſurditas periculoſa & ſtultiſſima cenſenda eſt adinventio ſeu excuſatio multorum (qui etiam de ſua ſalute plurimùm præſumunt, qui ſuam deſidiam & ignaviam palliare nituntur) dicentium, quòd negotium fidei, quando Papa eſt hæreticus, nullo modo ſpectet ad ſimplices & pauperes, ſed ſolummodo ad Prælatos, puta, Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos, & non ad pauperes Religioſos, nec ad laicos, nec ad Clericos ſub Epiſcopis conſtitutos. Quæ abſurditas ex aſtutia diaboli per ſubverſione fidei eſt inventa. Fides enim omnibus Catholicis communis eſt, ad cuius defenſionem quilibet plùs obligatur, quàm ad defenſionem patriæ, fratrum, ſororum, propriæ vitæ & temporalis ſubſtantiæ, propriæ vel communis. Hoc enim Apoſtolus ad Epheſios 4. inſinuare videtur, cùm inter alia hortatur eos ſervare *vnitatem ſpiritus*, quæ vnitas rumpitur per hæreticam prauitatem. Debent etiam ſecundùm eundem Apoſtolum membra pro ſe ipſis eſſe ſollicita, ita ut quilibet fidelis, qui vult eſſe membrum Chriſti, piè ſollicitetur pro proximis, ne in eis fides Catholica, quæ eſt fundamentum charitatis & omnium bonorum ſpiritualium corrumpatur.

Sæpè, mi Pater, indignor contra vos pro eo, quod, cùm habeatis dona Dei, & ſitis potens in ſcripturis, nihil contra modernos errores zelare videmini, tanquam facta fidei ad vos minimè pertineant. Sciretis enim defectus Eccleſiam modò obſcurantes clarè conſiderare, conſideratos collige-

re, collectos in quæſtiones & dubia formare, & de his cum doctis viris, ſæpè ad vos declinantibus, conferre, vel ea ad aliquos Doctores in Wiennam transmittere, vt vel declarationem facerent, vel de ipſis in ſuis exercitijs diſputarent. Credo namque, quòd Religioſus Religioſum, Clericus Clericum, Magiſter Magiſtrum, Doctor Doctorem, Facultas Facultatem, Vniuerſitas Vniuerſitatem, Vniuerſitates Prælatos & cæteros fideles ad zelandum pro fide ſollicitare deberent.

Ex quo ſecundùm dictum Salvatoris arbores ex fructibus debent cognoſci, cùm de veſtro *Chuſa*, de quo in veſtris ſcedulis ſæpe mentionem feciſtis & facitis, nihil laude dignum, ſed ſolum, de quo gemendum ſit, ſciam, non fuit nec eſt neceſſe, de eo vel de ſuis opuſculis toties facere mentionem. Scio namque, quòd a Concilio Baſileenſi receſſit, adverſario Concilij adhæſit, Concilium impugnauit, ad Græcos legatione functus ipſos non ad *Baſileam*, ſed ad *Ferrariam* adduxit.

Scio etiam, quòd in *Allemannia* poſt Iubiæum ſub prætextu indulgentiarum pecunias congregauit, & quandam fictam & illuſoriam viſitationem in deluſionem ſacrorum generalium Conciliorum (quaſi Papa ſine Concilijs vellet & poſſet Dei Eccleſiam reformare) in certis locis inſtituit. Quod autem aliqua monaſteria ſui Epiſcopatus viſitari & reformari procuraverit, tale reputo, ac ſi quis, qui damnificâſſet proximum ſuum in mille talentis, pro ſatisfactione tres tantum denariorum ſolidos ſibi daret. Sicut enim, meo videri, bonos homines parva mala non damnant: ſic malos homines parva bona non ſalvant.

Quòd etiam ſcribitis, Eum in Curia eſſe potentem, & eandem vice & nomine Papæ ſtrenuè gubernare credo, cùm in diabolicis altercationibus ambitioſorum hominum tritiſſimus ſit, utpote in his exercitatus ab adoleſcentia ſua. Tacetis autem de hoc, quòd olim miſero Eugenio, qui auctoritatem generalium Conciliorum auferre conabatur, favorem, auxilium & conſilium in ſuis malis actibus impenderit: Quod etiam eius Succeſſori Nicolao Quinto, qui non ſolùm auctoritatem Conciliorum, verùm etiam & ipſa generalia Concilia ceſſare in futurum & deſtruere ſatagebat, adhæſerit &c. Nolo in narrando defectus ſuos diutiùs immorari. Hoc ſolùm dico, quòd, niſi audiero *Chuſam* pro Eccleſia Dei tanta facere bona, quanta mala contra eam fecit, verè de bonitate eius parum tenebo.

Ex præmiſſis, mi Pater, perpendere poteſtis, quid ſentiam de Dorothea de Pruſſia & de alijs ſupra memoratis, quæ fuerunt ſine literis doctæ. De quibus teneo, quòd in doctrina doctæ ignorantiæ fuerint clariùs illuſtratæ, quàm *Chuſa*. Quarum doctrina non ex revolutione librorum, ſed ex vnctione, de omnibus docente, proceſſit. Quæ doctrina alijs nominibus dici poteſt ſancta Ruſticitas, paupertas Spiritus, ſiue ſimplicitas virtuoſa. De hac doctrina doctæ ignorantiæ ipſe *Chuſa* non experientiam, ſed imaginationem ſuam ſequens ſcripſit. Habet enim hoc inſtinctus naturalis ſiue curioſitas humana proprium, ut nota faſtidiat, & ſemper ad rara & alta, curioſa & ſubtilia tendat. Vnde cùm ipſe *Chuſa* habuerit & habeat multas gratias gratis datas, potuit, & hodie poteſt de quacunque materia, multa imaginari & fingere, & verbis humanæ Sapientiæ perſuaſibilia facere, & tandem talia redigere in Tractatus, qui tamen non ex docta ignorantia, ſed ex naturali & ſubtili ingenio emanarent, quemadmodum quendam de *Myſtica Theologia*, & de *Nomine Dei tetragrammaton* aliquando feciſſe recordor.

Audiui à fide digno, quòd audierit ipſum *Chuſam* gemendo dixiſſe: *verè neſcio, ſi in toto Eccleſia poſſent ſex Epiſcopi inveniri, qui officium Epiſcopale fideliter exercerent.* Si eſt potens in Curia, ùt ſcribitis, circa ſalutem populi Chriſtiani deberet verſari ſtudium ſuum, & ſe magis cum docta iuſtitia quàm cum docta ignorantia occupare. Sed heu lux mundi obſcurata eſt, & ſal terræ infatuatum! Optabam miſerabilis & muliebris temporis finem, & virilis temporis initium vivendo experiri; ſed cùm deliber & tempus meæ reſolutionis inſtet, video hoc mihi datum non eſſe. Conſuetudo eſt vobis in ſcedulis veſtris frequenter ponere verba oleata; cùm autem difficile ſit conſueta relinquere, ideo oportet me habere patientiam. Hæc ille.

Nota Io. Wailheimij in præcedentem epiſtolam.

Hanc compilationem ex originali de manu compilatoris, viri tunc ſeptuage-

narij

narij biduo copiavit ille, cui miſſa fuit feſto SS. M M. & germanotum Iohannis & Pauli anno 1459. Deo gratias. Ad materias aliquas prædictæ compilationis quaſi inductivè reſpondit breviter ille, cui miſſa fuit. Cui reſcripſit dictus compilator epiſtolam, quæ ſequitur.

8.

Ad eundem: de peregrinatione puerorum ex diverſis Europæ regnis ad S. Michaelem in Periculo maris.

ZEli fidei incrementum, Dilecte mi Pater. Qui ſe dicit habere, quod non habet, temerarius eſt: qui verò negat ſe habere, quod habet, ingratus eſt. Hoc vltimum notate. Perpendo vos de Decretis generalium Conciliorum non plus tenere, quàm de præceptis Ciuitatis Wiennenſis, quæ dicuntur ſolùm per triduum vim legis habere. videmini etiam ſentire cum Domino *Leonardo Laiminger*, olim Epiſcopo Patavienſi, qui in vna diæta invitatis Prælatis terræ (de quorum numero etiam nos tunc eramus) conquerendo dixit: Patres Concilij volunt nos privare emolumentis ſigilli. *in nomine Domini, faciant nobis priùs proviſionem, & tunc ſuſtinebimus.* cùm tamen Decretum XXI. Seſſionis Concilij Baſileenſis pro Confirmationibus, inveſtituris &c. tam exigentes quàm dantes, antè vel pòſt, præter moderatum ſalarium Scriptorum æqualiter damnet. Veſtra autem vexationis redemptio poſſet fortè locum habere, quando confirmati, inveſtiti &c. ſine pacto voluntariè, Scriptoribus, Abbreviatoribus liberaliter aliquid darent. Nam ad talia officia nobiles perſonæ aſſumuntur.

Pater *Hilarius* hoc anno in Curia Domini Pij pro vna minuta, in papyro concepta & reportata, cogebatur Dictatori dare tres ducatos. Quando autem Cancellarius vel Scriptores Epiſcoporum pro conſueta & communi forma Confirmationis Plebanorum exigunt ab vno decem, ab alio viginti, ab alio triginta, iterum ab alio quadraginta talenta, aliàs literas non daturi, hic latet anguis in herba. Credo omnino Patres Concilij Baſileenſis iura non ignorauiſſe. Benè factum eſt, quod non eſtis factus Epiſcopus; quia fuiſſetis factus ſimilis aliorum.

De peregrinatione puerorum audiui certa. Nàm Priores *Maurbacenſis* & *Brunenſis* iam per duos annos iuerunt ad Capitulum generale. Anno autem præterito viderunt cuneos puerorum multos, ſed, prout poſt feſtum Corporis Chriſti proximè lapſum retulerunt, anno currente toraliter ceſſauit peregrinatio ipſa. Modus autem in peregrinatione puerorum iſte fuit.

Incitabantur iuvenes duodecim annorum ad plus & infra: nec poterant vllo modo retineri ab itinere ſuo, nec verberibus, nec minis, nec recluſione, nec defectu expenſarum. Fuerunt namque dicti Priores hoſpitati circa hoſpites, quorum filij fuerunt actu in peregrinatione. Ex illis hoſpitibus vnus in vna Ciuitate, quæ fuit vel fortè adhuc eſt Ducis *Alberti* Ducis *Auſtriæ*, circa *Svvitzenſes* ſita, dixit eiſdem Prioribus, quomodo filium ſuum recluſiſſet per plures dies in vna camera. Qui ſic recluſus clamauit lamentabiliter, & ſingultuoſos fletus continuè fecit, ex quibus totus deformis effectus, morti appropinquare videbatur. Pater verò hoc advertens, nolens eſſe homicida filij ſui, tandem conſenſit eidem, ut tranſiret. Qui emiſſus tanto gaudio replebatur, quòd tota deformitas, & oculi in capite mirabiliter profundati, ad priſtinum decorem redierint.

Retulerunt quoque prædictis Prioribus alij Priores *Rheni*, *Hollandiæ*, *Flandriæ* &c. ſimilia contigiſſe in terris ſuis. Nam dicebant, quòd in vna ciuitate (videlicet vel *Coloniæ* vel *Moguntiæ* vel *Argentinæ*) congregati fuiſſent quingenti pueri, inter quos erant multi pueri divitum. At Ciues cuſtodientes portas, nullum permiſerunt exire, ſed convocatis eis, retrahebant eos à propoſito ſuo quantum valebant. Maximè autem diuites, ſuos pueros ſic alloquebantur. Ecce dilecti filij, nos habemus plures inimicos. Si fueritis capti ab eis, nec vno nummo redimemus vos. Dum nihil proficerent, addiderunt, quod nullas expenſas eis dari permitterent. Quo parvipenſo ſubiunxerunt: ſi contra voluntatem ſuam exirent, de ſucceſſione paternorum bonorum nihil omnino ſperare deberent. Ex his propoſitionibus aliqui filij divitum retracti fuerunt: alij autem immobiles permanſerunt.

Prout autem Patres noſtri prædicti ab hoſpite ſuo audierunt, à terra *Svvitzenſium* vſque ad Capellam S. Michaëlis oportebat eos tranſire per tres notabiles terras ignotæ linguæ, ita quòd nec prolixitas itineris, nec ignorantia linguagij,

nec defectus expenſarum, nec minæ pas rentum & amicorum, nec ignorantia viarum poterant eorum propoſitum immutare. Convenientes autem in itinere, omnia, quæ habebant, ad communem burſam dederunt, quam vnus puerorum in phalanga ſeu baculo ſuſpenſam portabat. Omnes autem homines, per quorum fines tranſibant, diligebant eos benefacientes & miniſtrantes eis. Et ſic nullus ex eis, ſiue pecuniam habens, ſiue non habens, penuriam ſuſtinebat, ad loca ſua incolumes redeuntes. Hæc audiui à Patribus ſupradictis, quorum dictis credo.

Myſterium huius rei quæritis à me, qui deberem hoc à vobis quærere. Quantum autem mihi videtur, dico, quòd, ſicut olim Deus multifariè multisqve modis locutus eſt Patribus, ita nunc iam per fœminas, modò per pueros & alias vias nobis loquitur, ſi fortè inveniatur aliquis, qui audiat & quieſcat. Per pueros iſtos videtur nobis Deus Pater inculcare verba dilecti Filij ſui, qui dixit: *Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*: vel, *non poteſtis mei eſſe diſcipuli.*

Simile aliquid invenitur in revelationibus Catharinæ de Senis cap. XV. ubi Dominus dixit ei. *Aſſumas lachrymas cum ſudore tuo. ſimiliter & alij ſervi mei faciant: & hauriatis eas à mari meæ divinæ charitatis; & cum eis abluite faciem valde maculatam amabilis Sponſæ meæ. Et ita deſiderio veſtro ſatisfaciam, videlicet adverſa plurima tolerando, & cum lumine veſtræ patientiæ tenebras illuminabitis iniquorum hominum: vos verò nullo modo habeatis eorum perſecutiones iniuſtas. Ego namque pugnabo pro vobis, nec vnquam in aliquo deficiet indigentijs veſtris mea divina providentia.* Hæc ibi. Hoc vltimum fortè præfiguratum eſt per confidentiam puerorum. Quidquid ſit, peregrinationem iſtorum puerorum cum contradicentibus prædictis non credo ex hominibus eſſe, ſed de cælo. Significationem tamen eius non audeo diffinire; puto tamen, ad opus reformationis Eccleſiæ pertinere. Sicut non eliget Deus immundos, verboſos, & ſtultas Iuriſtas &c. ſic nec eliget duplices animo, illos videlicet, qui contra doctrinam Domini duobus Dominis ſerviunt, vtpote occultè credentes, doctrinam Conciliorum eſſe ſanctam & iuſtam, in aperto autem eorum adverſarijs conſilium, auxilium, favorem, honorem & reverentiam impendentes, fidem cordis, qua creditur ad iuſtitiam, cum contraria oris confeſſione putantes ſibi ſufficere. Hi tales peiores ſunt prioribus. Qui, licèt detrahendo Concilijs peccent & falſum dicant, non tamen loquuntur contra mentem. Hi verò corde veritatem tenentes, operibus mentiuntur, cùm ſicut verbis, ita & factis mendacium committatur: ac per hoc, quanto mentiri gravius eſt quàm falſum dicere, tanto hi prioribus ſunt peiores.

Huiuſmodi ergo derelictis Deus, quemadmodum Eccleſiam ſuam formavit per ſimplices, ita eam, plus quàm dici poteſt, in omnibus ſuis ſtatibus deformatam, ad ſalubrem ſtatum roformabit per conſimiles, quorum ſpiritum, ſicut & ſpiritum puerorum ad peregrinandum, quando ſuæ miſericordiæ complacuerit, ſuſcitabit. Et tantum de illo.

Frater noſter *Erhardus* pro ſale miſſus, declinauit ad monaſterium in *Lambaco*, vbi habeo duos Patres, mei memoriam adhuc habentes, videlicet Fratrem *Michaelem*, & Dominum Priorem olim in *Wienna* ſtudentem, * qui per eundem fratrem intimauerunt mihi, quomodo Archiepiſcopus *Trevirenſis*, & Archiepiſcopus *Colonienſis* nollent obedire Papæ, ſed vellent ſtare Decretis Concilij Baſileenſis. Priores autem *Maurbacenſis* & *Brunenſis* retulerunt, dum poſt Feſtum Corporis Chriſti proximè elapſum nobiſcum eſſent, Archiepiſcopum *Colonienſem* eſſe defunctum. Ex quo ſuſpicor, noviter electum amplecti velle Decreta Baſileenſis Concilij ad parcendum nimiæ pecuniarum effuſioni pro confirmatione conſequenda. Item intimauerunt, quod quidam à Papa miſſus, volens ipſum excommunicare, vix evaſerit manus eius. Item addiderunt etiam, quod in *Francia* ſimiliter plures nollent Papæ in caſu ſimili obedire.

* *In marg.* nunc Mag. Art. & Doctorem Theolog. *Salzburgenſem.*

Poſtea ſupervenit quidam Bruder Frantzl, olim apud vos Novitius *Caſpar* nomine, qui recenter de Italia veniens, in die Corporis Chriſti interfuiſſe ſe dixit in *Ferraria* Miſſæ Domini Papæ. Qui dixit, ſe audiuiſſe, quòd Dominus Papa vellet excommunicare Regem *Franciæ*.

Hæc

Hæc nova lætificaverunt animam meam, non tamen plenè propter incertitudinem relatorum. Si autem eſſent vera, tunc eſſent utique bona quædam initia futuræ ſalutis Eccleſiæ. Narrauit etiam dictus Bruder Frætzl quòd Papa eſſet multùm debilis, in tantum, quòd non eſſet ſibi ſpes, quòd poſſit ipſe Papa adhuc Romam videre. De iſta ſua diæta ſemper inſedit, & adhuc inſidet cordi meo ſuſpicio, quòd in ipſa diæta intendat informare Principes, vel eorum ambaſiatores, quòd ex multis rationibus, olim per *Nicolaum* quintum excogitatis non expediat hoc tempore celebrari generalia Concilia, eò quòd ipſorum celebratio & conſequentia tandem poſſet vergere in ſæcularium Principum notabile detrimentum. Si eſt hoc ita, fiant dies eius pauci: ſi autem non, vivat in æternum &c.

Quæritis, quid prætendant quatuor verſus in *Friſaco*:

Anno milleno, conteno, ter quoque ceno *
Iis ſexaginta commiſces, & benè diſces,
Auſtria quòd tota flet principibus vidvata,
Ex hinc cornuto ſtudeat ſervire tributo.

In veteri teſtamento Spiritus Sanctus metris uſus eſt, ùt patet per Beatum Hieronymum, qui dicit, librum Iob, & omnia ferme Prophetarum cantica metro eſſe ligata. In nouo verò teſtamento hoc non invenitur. Si haberem peritiam verſificandi, ſicut vos, ego poſſem, quando mihi placeret, fingere innumerabiles prophetias. &c. &c.

Miror, quod in vobis ſoli capilli ſeneſcant, ſed viſus nequaquam. Scribitis namque ita gracilem ſcripturam, quam vix per vitra, & in ſole legere poſſum. Scriptum in die Kiliani Martyris per veſtrum filium, Fratrem *Vincentium* anno Domini 1459. Patri & Domino *Iohanni*.

Nota Iohannis de Weilhaim in præcedentem epiſtolam.

Sciendum, quòd quidam Monachus ordinis Sancti Benedicti, Diœceſis Baſileenſis, ad *Mellicum* veniens, aſſerens ſe fuiſſe de familia Domini *Calixti* Papæ tertij, inter multa narravit, quòd peregrinatio puerorum adhuc duraret; & ſe vidiſſe ſimul procedere quingentos quadraginta ſex pueros. Dixit autem, quòd in *Picardia*, in mari à litore diſtantiæ dimidij Milliaris ſit in monte ſancti Michaelis Monaſterium eiuſdem ordinis S. Benedicti ſitum. Cùm igitur pueri ſuperveniunt, Abbati annuntiatur, qui cum proceſſione fratrum pueros ſuſcipit, & oſtenſis Reliquijs & alijs perpetratis abire ſinit. Adiecit dictus Monachus, quòd etiam peregrinatio ſit cœpta puellarum ad S. Mariam Magdalenam in *Flandria*. Si ita eſt, quis novit, quid hæc rerum novitas portendat?

9.

Excerptum ex epiſtola eiuſdem ad eundem: utrum omnia ſeptem dona Spiritus S. exiſtant in homine habente charitatem.

ILle textus Iſaiæ: *egredietur virga de radice Ieſſe, & requieſcet ſuper eum &c.* intelligitur ad literam de ſolo Chriſto, qui accepit Spiritum, non ad menſuram; de cuius plenitudine &c. Credo eadem Dona ibi enumerata ineſſe toti Eccleſiæ, ſicut in vna Collecta in magna Feria ſexta habetur. *Deus, cuius ſpiritu totum Corpus Eccleſiæ vivificatur, & regitur.* Quod autem quilibet fidelis in charitate exiſtens prædicta omnia dona habeat, de hoc vellem doceri, ubi poſſit hoc in ſcriptura fundari. Scio namque, quòd omnis in charitate exiſtens ſpiritum Chriſti habet: ex hoc tamen non videtur ſequi, quòd omnia ſeptem dona habeat, quamvis Doctores, & ſpecialiter Sanctus Thomas hoc aſſerant. Sanctus autem Gregorius 29. Moralium ſuper iſto verbo? *Nunquid coniungere valebis micantes ſtellas pliades* * &c. dicit: *Nullus hominum, præter Chriſtum, operationes Spiritus Sancti ſimul omnes habet.* Opinio mea eſt tamen ſine pertinacia, quòd quilibet fidelis in charitate exiſtens habeat Spiritum Sanctum, de cuius Donis accipit plus vel minus, ſecudum liberalitatem dantis, & capacitatem accipientis. Doce me Pater.

* al. Pleiades.

Ex Eadem.

S. Thomas 1. 2. q. 7. a. 3. in ſolutione IV. argum. ita dicit: ad quartum dicendum, quòd, ſicut Auguſtinus dicit ſuper Epiſt. ad Gal. Apoſtolus non hæc ita ſuſcepit, ut doceret, quot ſunt vel opera carnis, vel fructus Spiritûs, ſed ut oſtenderet, in quo genere illa vitanda, iſta verò ſectanda ſunt: unde potuiſſent vel plures, vel etiam pauciores fructus numerari

rari. Miror, quòd dictus Doctor ex verbis B. Auguſtini, omni veritate plenis, non perpenderit, duodenarium fructuum & rationes ſufficientiæ eorundem totaliter vacuari.

Nota Iohan. de Weilhaim.

Quidquid ſit de fructibus, de ſeptem Donis Spiritus Sancti eſt communis ſententia Doctorum, tam Sanctorum quàm Scholaſticorum, quòd quilibet homo in gratia gratificante, ſiue in charitate exiſtens, habeat omnia ſeptem dona Sancti Spiritus, quæ ſunt virtutes infuſæ. Quorum doctrinæ videtur ſtandum; licèt non appareat, quomodo ex Canone Bibliæ id poſſit doceri euidenter: quia verba Iſaiæ 11. ad litteram de Chriſto intelliguntur. Nec contra illam ſententiam militant verba B. Gregorij truncatè allegata, quæ de operationibus, ſiue gratijs gratis datis ſunt accipienda, de quibus loquitur Apoſtolus 1. Corinth. 12. cùm idem Gregorius in alijs libris Moralium expreſsè ponat, ſeptem Dona Spiritus Sancti cum charitate exiſtere.

Nota eiuſdem Weilhaimij in ſequentes Vincentij epiſtolas.

Pro intellecta inferiùs dicendorum notandum, quòd Religioſus Vir Frater *Iohannes Slitpacher* Monachus monaſterij *Mellicenſis*, & quidam alius Frater (*Vincentius*) alterius monaſterij & ordinis (*in Axbach Cartuſienſis*) à multis annis de conſenſu ſuorum Prælatorum habuerunt & habent conſuetudinem ſibi mutuo ſcedulas mittendi. Contigit autem ante aliquot annos, quod frater *Iohannes* communicavit alteri fratri *Laudatorium doctæ ignorantiæ*, qui perlegens illud, reſcripſit ſibi, quid de eo ſentiret: non credens, nec ſuſpicionem habens, quòd Frater Iohannes eſſet illud ſcriptum in libro copiaturus; cuius tamen contrarium fecit ſinceriter & abſque dolo. Habet etiam ipſe frater à fratre Iohanne magnum cumulum ſcedularum, quarum nullam unquam in libro aliquo tranſcripſit, putauitque ita de ſuis ſcedulis agi debere. Si enim voluiſſet ſuum ſcriptum ad Zelatores *doctæ ignorantiæ* devenire, haud dubium, quin ſua motiua clariùs & extenſiùs poſuiſſet. Illud autem ſcriptum *Impugnatorium*, à quodam (*Bernardo*) in libro ſibi à Fratre *Iohanne* communicato, caſu inventum eſt, qui contra eiuſdem ſcriptorem præmiſſum, ſexterniculum (*Defenſorium*) compilauit.

Nota, quod Dominus Cardinalis titul. S. Petri ad Vincula Epiſcopus Brixienſis, *Nicolaus de Cuſa* vulgariter dictus, fecit libros de docta ignorantia ad minus tres. De quibus quidam Monachus ord. S. Benedicti de Monaſterio (*Tegernſee*) diœceſis Friſingenſis fecit breue *Laudatorium*, quod incipit: *ad ſacræ doctæ ignorantiæ notitiam*, quod viſum quidam Cartuſienſis (*Vincentius*) impugnauit ſcripto ſuo epiſtolari, alteri Monacho vicini (*Mellicenſis*) monaſterij miſſo. Caſu autem illud (*Vincentij*) Impugnatorium, venit ad manus Laudatoris (*Bernardi in Tegernſee*) doctæ ignorantiæ. Qui (*Bernardus*) illo perlecto compilauit alium Tractatum prolixiorem, qui incipit: *cùm quodam tempore libros doctæ ignorantiæ*, cui præmittit hunc titulum: *Defenſorium Laudatorij doctæ ignorantiæ contra impugnatorem eiuſdem.* Adversùs illud *Defenſorium* Impugnator (*Vincentius*) *Laudatorij doctæ ignorantiæ*, ſequentem edidit replicationem. Et ita patet origo horum ſcriptorum & cauſa.

Annotatio Leopoldi Wydemanni.

Ex Lectis in codice mihi communicato colligo, in hac materia ſequentia eſſe ſcripta, ſervato ordine.

1. Nicolai Cuſani libros tres de docta ignorantia.
2. Anonymi cuiuſdam tractatum de Ignorata literatura ſiue Doctrina.
3. Cuſani Apologiam contra ignoratam literaturam.
4. Bernhardi Laudatorium doctæ ignorantiæ.
5. Vincentij Impugnatorium laudatorij.
6. Bernhardi Defenſorium contra impugnatorium.
7. Vincentij Replicationem contra Defenſorium.
8. Bernhardi tractatum 42. foliorum, cuius titulum non invenio.
9. Vincentij Epiſtolam invectiuam contra prædictum Tractatum, quæ incipit: *Viam veritatis cognoſcere & amare.*
10. Aliquot tam Bernhardi quàm Vincentij Epiſtolas breviores in hac materia.

Replicatio

10.

Replicatio Vincentij contra Defensorium Laudatorij doctæ ignorantiæ Bernardi de Waging.

AUctorem *Defensorij*, quod contra impugnatorem sui *Laudatorij* scripsit, intellexi esse Monachum, sed nomen eius exprimi non audiui. Ipsum ergo, qui me adversarium &c. in suo scripto appellat, ego in secunda persona sub nomine *Amici* alloqui intendo.

Amice in Christo Dilecte, Beatus Dionysius, quem etiam tu in tuo *Defensorio* allegas, docuit, in anagogicis motibus seu extensionibus exercere se volentes, ignotè consurgere, derelinquendo forti conatu plura, quæ specificat in primo capitulo de Mystica Theologia, & omnia, quæ in duobus vltimis capitulis ponit. Duo Commentatores ipsius, videlicet *Vercellensis* & *Linconensis*, ita intelligendum exponunt. Sunt alij tres Notabiles viri, quorum vnus est Divus Bonaventura in septimo Capitulo sui *Itinerarij*, qui in suis scriptis idem concorditer sentiunt. Sunt è regione alij oppositum sentientes, tenentes, quod affectus sine comitiua intellectûs non possit consurgere aut moveri in Deum, quorum vnus est Dominus Cardinalis de Cusa. Et hi de hac re non concorditer scribunt. Si autem iuxta vocem Salvatoris, in ore duorum vel trium stat omne verbum, multò magis in ore ter duorum, aut bis trium concorditer loquentium stabit illud verbum. Et quidquid contra scribitur aut dicitur, reputo, sicut & est, falsum esse & erroneum.

Cumque legissem in tuo *Laudatorio*, inveni te sparsim in multis locis cum meis & mecum sentire, maximè à principio vsque ad illud: *Porrò Docta ignorantia* &c. *si ad mysticam theologiam referantur.* Item ab illo loco, ubi dicis: *Nempe per eam Spiritus in carne naufragus*, vsque ad illud: *constat ex dictis*, benè sentis. in *Defensorio* quoque folio tertio circa tale signum *O* ita ais: *Nam docta ignorantia intellectum requirit devotum & humilem, quem etiam facit penitùs ignorantem, eumque in umbra caliginis constituit, sicut & Mystica Theologia facit similiter.* Ecce, Amice, etiam hìc sicut & in pluribus locis vtriusque scripti benè sentis: si in his fixus mansisses, multa te laude extulissem. Sed quoniam in multis locis ignotam consurrectionem enervas, specialiter in *Laudatorio*, ab eo loco, ubi ponis: *Sapientia enim in se claudit*, vsque ad illud: *idipsum pariformiter sentiendum*: ubi inter alia dicis, quòd *actus sapientialis in cognitione inchoatur & in affectione consummatur* &c. Verum est hoc in meditatione, consideratione, speculatione, contemplatione &c. Fallit autem in Mystica Theologia, in qua secundùm B. Dionysium derelictis sensibus & intellectualibus operationibus consurgendum est ignotè. Et hæc ignota consurrectio est caligo, tenebræ, & secundùm Deum ignorantia: de quibus dictus Dionysius in suis libris & epistolis loquitur. Et sic, amice mi, sicut fecit quondam Frater tuus Eliu, ita & tu involvis sententias sermonibus imperitis, loquendo nunc, quæ sunt pro Mystica Theologia, pòst quæ sunt contra eam.

Quidquid sit de *Laudatorio* & *Defensorio* tuis, credo indubitanter te, adhærere doctrinæ Magistri tui, Domini Cardinalis, quem à longo tempore scio ignotam consurrectionem, in qua consistit principaliter Mystica Theologia, non admittere, eò quòd sic de Mystica Theologia, sicut de meditatione vel contemplatione, in quibus tàm intellectus quàm affectus simul operantur, videatur sentire, cùm tamen Mystica ipsa Theologia inter omnia spiritualia exercitia hanc propriissimam & singularem conditionem seu proprietatem habeat, ut sine comitiva & adiutorio intellectûs, affectus ignotè consurgat ad eius unitionem &c. Sicut enim Christus eleemosynam facere volenti dixit: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*: sic etiam cuilibet Mystico Theologo, rectè & veraciter dici potest: nesciat intellectus, quò tendit, aspirat, & consurgit tuus affectus.

Verè, Amice, clarè perpendo, quòd nonnulli magni viri in communi doctrina Ecclesiæ, & in scholastica seu speculatiua optimi Catholici, in Mystica Theologia inveniuntur veri hæretici. Nec mirum, cùm ipsa Mystica Theologia, humanâ sapientiâ non penetretur, nec lectione & disputatione addiscatur, sed ab homine, sciente habitare secum, per talia exer-

exercitia, per quæ charitas erga Deum dulciter fervens adipiſci poteſt, potiſſimè acquiratur.

Verè, mi Amice, talem erga Deum Charitatem habenti Romana Curia eſſet pœnalis carcer; ipſius Curiæ practica foret ſibi horror: nec permitteret Eum Charitas ipſa, multa ſimul & magna beneficia poſſidere; ſed nec contra præceptum Domini in terra theſaurizare: Cùm utique erga Deum dulciter fervens charitas & ſaccus plenus florenorum non compatiantur ſe mutuò, eò quòd vnumquodque ex illis ſit alterius conſumptivum. Si Magiſter tuus habuiſſet tantum de calore, quantum habuit, & habet de ſplendore, forſitan ad veritatem Theologiæ Myſticæ perveniſſet.

Quod autem ad talem veritatem per humanam ſcientiam non pertingatur, docet Beatus Dionyſius in prima Epiſtola ad Gaium, cuius medietas vsque ad illud: *& ſi quis*, de te & Magiſtro tuo convenienter exponi poteſt. Dicitur enim ſic: *tenebræ* (ſubaudi, diuinæ ſiue caligo) *occultantur lumine* humanæ ſcientiæ Amici; *& magis multo lumine* Domini Cardinalis. Sequitur ſub alijs verbis ſimilis ſententia. *Ignorantiam*, id eſt, ignotam conſurrectionem, *occultant cognitiones* Amici, *& magis multæ cognitiones* Cardinalis. Poſtea dicit, quòd *ſecundum Deum ignorantia latet habentes exiſtens lumen & exiſtentium cognitionem*: *& ſuperpoſitæ*, id eſt, excellentes, *ipſius tenebræ* (ſubaudi, latent) habentes exiſtens lumen & exiſtentium cognitionem. Et de vtrisque, ſcilicet ignorantia & tenebris, ſubiungitur: *& cooperiuntur omni lumini & abſconduntur omni cognitioni.*

Ecce Amice, Sanctus Vir unam ſententiam toties replicauit, non utique ob aliam cauſam, quàm quòd eam ſuis Diſcipulis fortiùs & ſerioſiùs inculcaret contrà huius mundi Sapientes. Nolo autem, o Amice, ut credas me contemnere doctrinas Magiſtri tui Cardinalis. Nam libellum quendam de *eicona* ego copiaui, quem etiam pluries cum exacta diligentia perlegi, quia bonus & delectabilis eſt. Qui licèt propter introductionem Myſticæ Theologiæ editus ſit, tamen, quantum ſapio, pro eiusdem ſectatoribus parùm, pro contemplatiuis autem ampliùs facit. Simili modo de *Docta ignorantia*, quam nunquam legi nec vidi, poterit ſentiri. Nam cùm idem Dominus Cardinalis à principaliſſimo, immò à fundamento ipſius Myſticæ Theologiæ receſſerit, videlicet ab ignota conſurrectione; incredibile mihi videtur, quòd ſua *Docta ignorantia* cum ea Myſtica Theologia concorder. Non autem propter hoc tuam *Doctam ignorantiam* contemno: quia etſi Myſticæ Theologiæ non ſervit, contemplatiuis tamen, ùt credo, poteſt multum valere, ſicut & *eicona*. Nec per hoc puto, me Domino Cardinali magnam iniuriam facere, cùm contemplatio parùm inferiorem gradum reſpectu Myſticæ Theologiæ videatur habere. Et tantum dictum ſit de *Docta ignorantia* ex parte Domini Cardinalis.

Nunc, o Amice Eliu, ſermonem ad te convertam. In primo folio pag. 2. *Defenſorij* tui hortaris me ad acquirendum fidem, ſpem, & charitatem, & hoc pluribus verbis. Poteras præſumere, quòd homo ſeptuagenarius in annis, & propè quinquagenarius in Religione iſta iam dudum habuiſſet. Et certè Myſtica Theologia iſta præſupponit, & præcipuè tertium, ſcilicet charitatem, quam in ſuis motibus non parvam aut mediocrem, ſed notabiliter magnam requirit.

Item abundè commendâſti *Doctam ignorantiam* per dicta Doctorum, Philoſophorum & Rabbi *Salomonis*, quæ, ſi ad Myſticam Theologiam referantur, veriſſima ſunt. Et cùm his nemo contradicat, non fuit neceſſe tot teſtes adducere, niſi fortè propter hoc, ut ſcientiam tuam plurimam oſtentares.

Item dicis in *Defenſorio* tuo fol. 5. ad tale ſignum ☞: *Nunquid, quæſo, omnes omnium Sanctorum & Doctorum doctrinæ & ſcriptæ, ad hoc vnum finaliter tendunt, ut Deus in nobis creſcat & dulceſcat cognitione & amore?* Amice Eliu, quis hoc neſcit? Ipſi Myſticè theologizantes, extra ſuos anagogicos motus, ita diligenter, ſicut & alij, tendunt ad hoc, ut Deus ipſis dulceſcat per cognitionem & amorem.

Item in *Laudatorio* dicis, *Doctam ignorantiam* communionem habere cum Myſtica Theologia, quinimmo ad finem eundem, idem eſſe cum ea. Poſtea in eodem dicis, quòd inter Doctam ignorantiam & Myſticam Theologiam, coincidentia & convenientia clarè videatur.

In

Digitized by Google

In *Defenſorio* quoque de ambabus dicis: *quomodo ſe differenter haberent, quas conſtat eiusdem operationis exiſtere, atque finaliter in idipſum, veluti in eadem re convenire, ſolisque vocabulis ab invicem diſcrepare?* Amice Eliu, ex quo ſentis doctam ignorantiam & Myſticam Theologiam in re & in effectu idem eſſe, & ſolis nominibus diſcrepare, ſicut charitas & gratia: non intelligo, quomodo vna & eadem res poſſit ſibi ipſi coincedere & convenire.

Quod autem non ſint idem, probatur ex multis. *Primò* ex parte inſtitutoris. Nam myſticæ Theologiæ creditur Chriſtus inſtitutor & Doctor: Qui cùm Beato Paulo theologiam manifeſtam, omnibus propalandam, revelauerit, non eſt dubium, quin & occultam, paucis inſinuandam, eidem tradiderit, de qua Paulus Dionyſium informauit, Dionyſius verò ipſam in ſcriptis ad nos transmiſit. Doctæ verò ignorantiæ editor & inſtitutor, ùt in Defenſorio aſſeris, eſt magiſter tuus Dominus Cardinalis.

Secundò ex proceſſu ſeu operatione. In Myſtica Theologia conſurgitur per affectum ad vnitionem Dei ſine officio intellectus: in docta verò ignorantia negotiantur uterque ſimul, ſcilicet intellectus & affectus.

Tertiò in extenſione. Dicis enim in *Laudatorio*, quòd docta ignorantia ampliùs, quàm myſtica Theologia velum ſuum expandit, & ſæpe, ùt patet, in maiora ſe extendit; altius inſuper ingenium, & clariorem atque capaciorem intellectum requirit: Qui quidem intellectus inchoat, quod tandem affectus conſummat. In *Defenſorio* autem, ſicut paulò ſuperiùs eſt allegatum, dicis, eas eiusdem operationis eſſe, & in ea re convenire, ſolisque vocabulis ab invicem diſcrepare. Vidésne, Amice Eliu, quomodo involvis ſententias ſermonibus imperitis?

Poſtea ſubiungis, quòd docta ignorantia omnem prorſus Theologiam, ſimul cum Metaphyſica, mathematica, complectatur. Hinc perpenditur error tuus, in eo, quòd videris Contemplationem, Doctam ignorantiam, & Myſticam Theologiam ſumere pro eodem. Prima quidem duo poſſunt inter ſe convenire, ſed tertium non convenit cum eis, eò quòd non indigeat eis. Contemplator enim nulla lege conſtringitur, ſed in cœlo, terra, mari, inferno, & in omnibus, quæ in eis ſunt, Deum quærit & ſpeculatur. Myſticus autem Theologus in ſua conſurrectione, omnia prædicta excludit, & in pura ignorantia perficit motus ſuos. Ecce, quomodo iterum involvis ſententias ſermonibus imperitis?

Quartò in hoc, quòd doctam ignorantiam, quam idem eſſe cum Myſtica Theologia fateris, dicis, hominibus naturaliter eſſe inſitam. Et hoc probare conaris per Ariſtotelem Paganum, dicentem: *omnes homines naturaliter ſcire deſiderant*; & per Philonem Iudæum, qui de ſapientia in libro ſapientiæ loquens dicit: *Initium illius veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia.* Et in his fundas hanc aſſertionem, cùm tamen Myſtica Theologia ſit donum perfectum, à Patre luminum deſcendens, quod ſolis amicis chariſſimis datur.

Quintò in Definitionibus ipſarum. Tu enim dicis in *Defenſorio* tuo ad tale ſignũ ❁ doctam ignorantiam nihil aliud eſſe quàm ſcientiam & intellectum in ignorante: & hæc poſſunt reperiri in homine dormiente. Myſtica autem Theologia ſecundùm *Linconienſem* definitur ſic: *Myſtica Theologia eſt ſecretiſſima absque omni effigie creaturæ cum Deo locutio.* Per quendam alium ſic definitur: *Myſtica Theologia eſt conſurrectio per vnitiui amoris affectiones flammigeras ſupra omne officium intellectus, in ſupremo affectiuæ apice conſtituta, qua mens ignota linguis affectionum occultiſſimè Dilectum alloquitur.* Ecce involutor ſententiarum, nihil talium de tua docta ignorantia poſuiſti.

Sexto in hoc, quòd myſtica Theologia eſt exercitium viæ, non patriæ, eò quòd in patria non erit ignorantia, ſicut nec tenebræ, nec caligo. Tu autem dicis in *Laudatorio* tuo, quòd docta ignorantia eſt theſaurus infinitus, mortalium oculis inviſus, quin & humanis intellectibus penitùs occultatus, à multis deſideratus, à paucis quæſitus, à pauciorìbus & devotis inventus, à pauciſſimis & ſolùm beatis nunc plenè adeptus atque feliciter retentus. Plura ſunt in hac tua aſſertione, ſpecialiùs tamen duo, de quibus admiror. Primum eſt, ex quo Docta ignorantia eſt humanis intellectibus penitùs occultata. Quomodo potueris ad eius notitiam per tuum intellectum devenire? ſecundum

eſt, quod in fine dicis, ipſam doctam ignorantiam à pauciſſimis & ſolùm beatis nunc plenè adipiſci atque feliciter retineri. Quomodo Amice Eliu, poſſunt myſtica Theologia & docta ignorantia idem eſſe, cùm primæ practica exerceatur ſolùm in via, ſecunda autem tam in via quàm in patria? nam ſecundùm te à ſolùm beatis plenè adipiſcitur & feliciter retinetur. Et ubi manet dictum Apoſtoli dicentis: *Cùm venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt?* Ecce quomodo involvis ſententias ſermonibus imperitis.

Septimo differunt Myſtica Theologia & docta ignorantia quoad neceſſitatem ipſarum. Nam prima requirit charitatem notabiliter magnam ad ſuam conſurrectionem, qualem ſupra deſcripſi & nominaui, ad quam pauci homines ex multitudine ſalvandorum pertingunt: Ex quo luce clarius apparet, quod non omnes ab initio mundi ſalvati, fuerint myſticæ Theologiæ ſectatores. Tu autem dicis propè finem tui *Defenſorij*, quod docta ignorantia (quam ſæpe in utroque ſcripto idem eſſe cum myſtica Theologia fateris) nullo vnquam tempore defuerit hominibus. Sed hoc dictum nec auctoritate nec ratione probas. Ideo ſi ſine myſtica Theologia ſalvati ſunt homines ab initio mundi, ergo etiam ſine docta ignorantia: aliàs non poſſent idem eſſe re & effectu. Conſtat autem, quòd fideles ab initio mundi ſint fide (ſalvati) per dilectionem operante. Omnia, quæ nobis credenda proponuntur, ſunt nobis nota per fidem, & incognita per ſpem.

Amice Eliu, ego conjicio ex ſcriptis tuis, quòd plus eſt tibi curæ, quàm pulchrè & ornatè, quàm verè ſcribas. Ecce doctam ignorantiam iam reſtringis ad pauciſſimos, immo vltimatè ad ſolùm beatos, cùm tamen ipſa in patria locum non ſit habitura, dicente Chriſto: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te &c.* Nunc dilatas eam ad omnes, etiam ab origine mundi ſalvatos: ut ſemper & ubique involvas ſententias ſerm. imper.

Ecce mi Eliu, videtur mihi, quòd vel non legeris, vel fortè oblitus ſis te legiſſe dictum cuiusdam Sapientis dicentis: *laudа parcè, vituperа parciùs*; quia contra vtrumque facis. Nam ubique exceſſivus es, ſiue in laudando, ſiue in reprehendendo. Auctori enim doctæ ignorantiæ aſcribis vocabulum, quod non homini, ſed ſoli Deo proprium eſt, vocans eum *verum omnia ſcientem*, cùm tamen principale fundamentum in Myſtica Theologia neſcierit. Magnificas etiam in *Laudatorio* tuo ad tale ſignum X. ſacram ignorantiam, dicens, quod ipsâ nihil dignius neque mirabilius reperiatur, cùm tamen Chriſtus in cœlo ſedens ſit dignior, & in Sacramento altaris mirabilior exiſtat.

Si docta ignorantia eſt aliud diverſum à virtutibus Theologicis, & cardo noſtræ ſalutis in ea figatur, mirum eſt, quòd nec prophetæ, nec Apoſtoli, nec ſancti Doctores ſaltem nomen eius ſcire meruerunt. Amice Eliu, in pluribus locis utriusque ſcripti tui aſſeris, quod ad ſacram doctam ignorantiam ſoli humiles, ſanum intellectum & ſanum cordis palatum habentes ſint apti. Ego verò ſcripta tua diligenter probando & ponderando, conjicio eadem ex elata & tumida mente, non autem ex humili ſpiritu emanata, & conſequenter te ipſius doctæ ignorantiæ, & multò magis Myſticæ Theologiæ capacem non eſſe. Ideoque quidquid ſcripſeris de ipſis vel loquêris, eſt pro verbis inanibus reputandum; & idem eſſe, ac ſi cæcus de coloribus diſputaret. Si denuo ſcripſeris, reſponſum non habebis. Deficit papyrus, deficiat & ſcriptura. *Hæc ille, Deogratias 26. Auguſti.*

11.

Epiſtola Bernardi de Waging ad Iohannem de Weilhaim, qua ad Vincentij Replicationem reſpondet.

IEſum & ſe ſinceriter ac devotè. Venerabilis ac amabilis Pater, veſtræ charitatis lætus, ac gratus ſcripta recepi, petens humiliter, ſi non fuerit oneroſum, mea ſcripta attentiùs rimari, cunctas quoque ineptias, errores & exorbitantias mihi pleniùs notificare. Feci ego mihi ipſi ludum, ſtimulatus per patrem meum, noſtrum communem *Conradum*, qui quidem veſtræ charitati eadem voluit videnda transmitti: quod & ego de facili annui, non veritus de eadem veſtra charitate, cui utique pleniſſimè confido, profectum de iuſta correctione, nec non eiusdem ſana informatione ſperans reportare non parvum.

Quòd autem referibi ordinâſtis, non multùm commendo: quia ſic nec ego latebo,

rebo, & forſitan legentibus ampliùs nocebo, prout heu cum *Defenſorio* factum conſtat. Habeo quidem flere & dignè dolere, quòd Patri tanto, viro grandævo, religioſitate præcipuo, probato & devoto materiam miniſtravi & occaſionem præbui ad ſui ſpiritus tam vehementem commotionem, & conſequenter ad Divini ſpiritus, ipſum inhabitantis tam gravem offenſionem. Ecce ad pedes eius ſatisfacere ſum præſto, & nihilominus gratias ago, quòd meas imperitias, offenſiones & ſtultitias, quamvis acriter & ſeverè, attamen iuſtè redarguit & ſincerè. Hinc non adverſarium aut hoſtem, ſed amicum eum approbo fidelem, duntaxat placatus ſit mihi, & omnem ex corde remittat offenſam. Hoc eſt, quod oro & opto.

Veſtra Paternitas ſe interponat mediam, & tandem efficiat, ut Patris mihi meritò venerandi commotio iuſta ſanetur. Scio enim, prout debeo, cedere maioris & mê digniorem dignè revereri. Horum Pater ipſe venerandus intellectum, ſi voluit, ex meo *Defenſorio* potuit elicere ſaniorem, quàm fecit; cui etiam nunc ad plura licitè poſſem reſpondere, & me ipſum clariùs reſolvere, ſi fructum ſperarem inde reportare. Nolo autem contentionibus inſervire. Nec dubito, quin Pater ipſe & ego, ſi ſimul eſſemus, in eandem poſſemus ſententiam convenire, licèt differentia ùt nunc nimis magna videatur. Sed & veſtræ venerandæ charitati ſuper quibusdam punctis, in veſtra epiſtola ſignatis, oretenus gratiâ informationis conferre exopto. Det Deus citò Patrem meum, & amicum Cartuſienſem nequaquam novi, cùm in *Defenſorio* de fide, ſpe, & caritate ſermonem formavi, nec intentio ferebatur ad aliquam perſonam in ſpeciali: ſed & ad ſuam perſonam mihi ignotam nunquam ſcribere aliud intendi.

De reliquis me excuſare aut ſalvare non volo, ſed meam culpam agnoſco, quia tumidus, elatus, vanus &c. Nolo tamen in Myſtica Theologia hæreticus haberi, ſed potiùs ea penitus carere, quamvis ad eius practicam plùs quàm notitiam avidus ſim, ſed heu indignus. Vellem etiam nec falſa aut diſſona ſcripſiſſe, cùm utique omne falſum ex corde deteſter. Nec ſententias meas proprias in tantum amplector, quin ſemper ſaniori ſim cedere paratus. Parcat nobis omnipotens Deus, & doceat nos intelligere & donet facere, quæ ſibi placita ſunt amen.

Per veſtrum fidelem filium *F. B.*

Hæc ille, ideſt, Pater Bernhardus Prior Monaſterij Tegernſee, ſcribens F. N. Monacho Mellicenſi anno 1459.

12.

Idem Bernhardus ad eundem Weilhaimium de eodem.

AD eum, quem diligo, ſcribo, cui etiam benè & plenè confido, viro integerrimo, intelligentiam habenti, qui me in cunctis novit ſupportare, quia plenus fide & caritate. Si igitur excedo patrum amantiſſime, non feras indignanter & grave, ſed filium audaciter corrigendo fideliter inſtrue.

Ex ſcriptis Patris Cartuſienſis, iam mihi exhibitis, & antecedenter viſis, elicio, quòd nimis ſubtiliter verba venatur, & eorundem rigorem plus, quàm eſt iuſtum, rimatur, ſuis denique ſententijs & opinioni, ùt apparet, nimis fixè innititur, cùm tamen Sanctorum doctrinis, ùt conſtat, in multis diſcors inveniatur, niſi ego eundem non ſanè intelligam. Nam quandoque allegat pro ſe, quod manifeſtè eſt contra ſe. Omnis quoque ſuus conatus ac hoc tendit, quomodo omnia ſuæ opinioni contraria rationibus proprijs impugnet; nec admittit alienas etiam fortiores. In quantum ego capio, ipſe ſe ipſum non plenè intelligit. Quia ſi ſic, nequaquam ſanctis & doctiſſimis, quin & in practica Myſticæ Theologiæ benè expertis diſſentiret.

Item rigorem verborum in his rebus, & modum ſignificandi eorum nimis attendere, & non altiùs intellectum transferre, impedimentum præſtat ſimul & nocumentum non parvum. Deficit enim omnis lingua ad formandum in hac re verba convenientia & apta, ſed oportet uti communiter uſitatis & humaniter notis. Ita etiam Divina obſervat Scriptura, quæ de Deo loquens trino & uno verbis utitur talibus, quæ tamen blaſphemiam Deo inferrent, ſi, quemadmodum litteraliter ſonant, Deo appropriarentur.

Item ſi peccare dicitur in legem, qui verba legis rigidè obſervat, in rebus altioribus eſt utique altiùs ſentiendum. Sed de his nunc non plura. Porro plerumque videntur ſententiæ verborum quorundam ſibi invicem contrariari, quæ tamen

men ductu rationis illuminatæ possunt facilitèr concordari.

Ecce verè stultus & vanus ego ! Sed relevat & consolatur, quia, cui scribo, sincerè confido. Respondi punctis Domini Abbatis vestri dignissimi. Quia etiam mea scripta ab eo sunt visa, peto affectuosissimè & devotissimè sententiam contra me cum digna correctione & aspera, prout est dignum. Mi dilectissime Pater, pro nova consolatione novum aliquid scribito *& cætera, quæ sequuntur.*

13.

Vincentij epistola ad Wellheimium, de abrogatione annatarum in Francia &c.

IN Christo Iesu benè valere. Dilecte mi Pater, Auctori *Laudatorij* pariter & *Defensorij* breuiter respondi, ne sibi nimiùm sapiens videatur ; quamvis ipsa scripta non sint responsione digna. Huius fatigæ vos estis causa. Peto tamen, quod de cætero nihil de *docta ignorantia* (cuius auctor iam obijsse * dicitur in Roma) nec de illius auctoris Discipulo, cui iam respondi, mihi communicetis.

* errante.

Audiui nuper, quòd Rex *Franciæ* cum Parlamento suo, id est, cum Proceribus & Prælatis & terris sibi subiectis firmiter stet, & stare velit in Decreto Basileensis Concilij de ablatione Annatarum &c. ita quòd nullum Alfantium velit permittere dari, sed simpliciter omnia amputare. Ex hac relatione fui multùm consolatus & in mente alleviatus, sperans, si verum esset, quòd talis zelus Dei nequaquam intra regnum *Franciæ* remaneret, sed etiam ad terras alias transmigraret. Si contingeret, vos de hoc aliquid certi audire & cognoscere, peto hoc à me non celari.

De Papa vtrum adhuc sit in *Mantua*, vel quid ibi faciat aut fecerit, nihil audiui. Libellum continentem *Laudatorium* & sum *Impugnatorium* ideo retinui, quia aliquid copiabimus ex eo. Dilecte Pater, ex quo arbor bona non potest malos fructus facere, quando commendatur arbor, commendatur consequenter fructus eius.

Si de gradibus charitatis & missionibus Spiritus Sancti ista, quæ habentur in prologo *Septililij*, vobis non sufficiunt, sed velletis à me subtiliora & certiora habere, nimis erratis. Scandala per fratres Minores nouiter facta in *Wienna*, in *Marpurga* & in *Treviri* propter longitudinem materiarum scribere nolui. Pet Fratrem *Vincentium* in *Axpach* Dominica ante assumptionem Beatæ Virginis anno 1459.

14.

Ad eundem. Dolet sibi quædam acerbiora in Opusculo adversus Laudatorium & Defensorium Bernhardi de Waging, Prioris Tegernseensis excidisse, sibique petit mitti alium eiusdem Bernhardi Tractatum, nouiter editum.

ORationes quàm debitas, tàm paratas. Dilecte mi Pater. Haberem plures contra vos querelas, ùt mihi videtur iustas : principaliter quòd mediantibus scriptis vestris de *Mystica Theologia* & *Docta ignorantia* me fecistis in *Tegernsee*, & fortè in pluribus locis fabulam hominum. Et quæ indè secuta sunt, vos non latent. Sed ardor charitatis ipsa ita absorbere solet, ac si nunquam fuerint. Dominus enim Prior in Tegernsee provocatus fuit ad scribendum quædam, de quibus nunc dolet, & veniam petit humiliùs, quàm necesse fuit. Ego etiam rescribendo sibi, modum debitæ venerationis excessi, nesciens, quòd Prior Monasterij esset. Nam ex scriptis vestris nihil aliud didici, nisi quòd prima litera nominis eius esset, *B.* vnde usque hodie ignoro, vtrum vocetur *Blasius*, *Bertius* vel *Bernhardus*. De officio autem nullam mentionem fecistis. Quare & ego ab ipso mihi indulgeri peropto, quia aliàs, saltem in pluribus, officio detulissem. Vos etiam loco mei procuratorem, patronum, & mediatorem huius indulgentiæ constituo.

Tractatum nouiter vobis missum à dicto Domino Priore ideireo desidero mihi concedi, ut in eo experiar cæcitatem meam. Ego namque in *Linconiensis* & *Vercellensis* dictis contra ignotam confutationem nihil invenio, vel intelligo fore dictum. Si autem ex ipso Tractatu didicero me errâsse, ego referam eidem Priori gratiarum actiones : & in futurum de Mystica Theologia reticebo, superponendo digitum ori meo. Scriptum prima die Decembris anno 1459. per Fratrem *Vincentium* Patri *Iohanni Slitpacher*, in Mellico professo.

Ad

Digitized by Google

15.

Ad eundem. Refutat laudatum priori epistola Tractatum Bernhardi Prioris Tegernseensis.

VIam veritatis cognoscere & amare. Dilecte mi Pater Tractatum Domini Prioris de *Tegernsee* perlegens, inveni ipsum multis suauissimis & optimis auctoritatibus fulcitum & ornatum. Ex cuius lectione fateor, prima facie, repentino terrore concussus, in quandam mentis deiectionem deueni. Sed postquam ipsum Tractatum diligentiùs inspexissem; perpendi ipsum carere fundamento: & ex tunc omnis mentis confusio procul fugit. Prætendit enim dictus Pater veram Mysticam Theologiam docere, quam Dionysius tradidit: & tamen eiusdem artis primis principijs contradicit.

Beatus enim Dionysius practicam Mysticæ Theologiæ tradens, docet omnes intellectuales operationes deserere & *ignotè consurgere.* Dominus autem Cardinalis, Magister dicti Prioris, docet animam sine intellectus cognitione, prævia vel concomitante, solo affectu amoroso in Deum moveri & ferri non posse, tenens, quod incognitum non possit amari. Cuius dicto Dominus Prior, tanquam solido fundamento inhærens per totum Tractatum nititur huiusmodi sententiam confirmare: hortaturque in prologo suo pium Lectorem, in ipso Tractatu plùs attendere intentionem, quàm stylum.

Cùm autem intentio sua militet contra dicta Beati Dionysij & suorum Commentatorum, videtur, quòd ipsius intentio non sit aliud, quàm fermentum totam massam corrumpens; aut oculus nequam, totum corpus reddens tenebrosum: aut toxicum arborem inficiens, ne valeat facere fructus bonos. Si Tractatum ipsum licuisset longiori tempore habere, forsitan ipsum, sicut antè *Defensorium*, commentâssem. Sed pio ac prudenti consilio actum reor, ut in breuissimis diebus, tam parvo tempore, ipsius Tractatûs usus sit mihi permissus, ne hoc sacro tempore, neglectis melioribus, caput & cerebrum inaniter fatigarem. Cogitaui igitur ad ipsum Tractatum nihil respondere. Sed vobis singularissimo Patri volo breuiter describere, quid Ego de Mystica Theologia teneam. Ex qua descriptione poteritis clarè cognoscere, in quibus conveniamus, aut in quibus discordemus. Quo facto eligatis viam ex eis, quæ placuerit animæ vestræ.

Fundamentum Mysticæ Theologiæ habetur, ùt notum est, in vltimo Libro B. Dionysij, primo capitulo, non remotè post principium, & sonat sic: 1. *Tu autem Amice Timothee, circa Mysticas visiones forti contentione & sensus derelinque & intellectuales operationes, & omnia sensibilia & intelligibilia, & omnia existentia & non existentia.* 2. *Et sicut possibile est, ignotè consurge ad eius vnitionem, qui est super omnem substantiam & cognitionem.* 3. *Et enim excessus tui ipsius ab omni irretentibili & absoluto, mundè ad supersubstantialem Diuinarum tenebrarum radium, cuncta auferens & à cunctis absolutus, sursum agèris. Vide autem, ut nullus indoctorum ista audiat.*

In verbis præmissis, totam Mysticam Theologiam Beati Dionysij includentibus, ipse Dionysius tria facit. Primò præcipit suo Discipulo sub verbo præsentis temporis, ut deserat & relinquat ea, quæ in textu ponuntur. Secundò, eidem etiam sub verbo præsentis temporis mandat, sicut possibile est, ignotè consurgere. Tertio, si præmissa fecerit, quòd ad Diuinarum tenebrarum radium elevandus sit, eidem per verbum futuri temporis promittit, dicendo: *Sursum agèris*, id est, rapieris. Prima duo sunt naturæ, tertium gratiæ. Prima duo debent fieri per hominem, tertium per Deum. Et debet ordo istorum inviolatè & inconfusè servari. In primo est actualis omnium ignorantia; in secundo ignota per superfervidum amorem consurrectio: in tertio radiosa supermentalis illuminatio.

Si Dominus Prior præmissa fundamentalia, pauca verba B. Dionysij benè perspexisset, & diligenter masticâsset, plus ædificationis reportâsset, quàm multos libros perlegendo & infinita folia revolvendo, ex quorum lectione quantùm profecerit videamus.

Imprimis, sicut B. Dionysius in sua Mystica Theologia docet, vno modo omnia

omnia de Deo eſſe affirmanda, & alio modo ab eo omnia eſſe neganda: ſic Dominus Prior de Myſtica Theologia facit. Concedit enim omnia, quæ textus Dionyſij & ſui Commentatores dicunt. Nam omnia, ſuper quibus me fundaui, invenio in Tractatu ſuo de verbo ad verbum expreſſa. et nihilominus omnia deprauat & impugnat. Quod, ut palam fiat, videamus.

Actualem omnium ignorantiam, quam Dionyſius docet, ipſe negat, dicens vnà cum Magiſtro ſuo, amorem in incognitum ferri non poſſe. Et illud ego concedo de tali incognito, quòd ante non eſt ſcitum. Quando autem homo devotus (qui per diem naturalem, id eſt, per diem & noctem plus quàm centies amore & cogitatione in Deum movetur, ut in eum ardentiùs ferri & eidem intimiùs vniri valeat) ſtudiosè & laboriosè actus cognitionis pro parvula morula reprimit & ſuspendit, non eſt hoc ferri in omnino incognitum: nec eſt impoſſibile, neque facile, ſed difficile. Nam ſi eſſet impoſſibile, Doctiſſimus Dionyſius non iuſſiſſet impoſſibilia. Si eſſet facile, non addidiſſet: *Forti contentione.* Quare dictum Domini Cardinalis & ſui Diſcipuli non habet hìc locum. Vellemque, quòd de internis & ſpiritualibus moribus non ita groſsè & ſæculariter ſentirent, ne viderentur carnes agni aquâ coquere.

Cùm igitur negotium Myſticæ Theologiæ, ignorantia, conſurrectio & radius, ſeſe ordinatè conſequentia, compleant & integrent, Dominus Prior primum negat, affectum ſcilicet ſine intellectûs adiutorio nihil agere credens, & ſine eo eſſe cæcum & vagum affirmat. Negat autem ignorantiam omnium actualem in primo loco, quem ei B. Dionyſius depurauit. Contendit autem eam eſſe ſub radio in tertio loco, quem locum ipſe eidem deputauit: & ſic confundere nititur ordinem prædictorum trium Myſticam Theologiam integrantium. Nec eo modo docet eam acquirere, quo B. Dionyſius docuit acquirendam, ſcilicet, *forti contentione* phantaſmata abigendo, ſed per delitias, oblectamenta ac ſuauitates quasdam mentem ita abſorberi expectat, ut præ multitudine & magnitudine delitiarum & conſolationum, omnium obliuiſcatur. Dicit enim 13. Capitulo, quòd, dùm anima in Deum evecta, eidem fuerit per vnionem feliciter coniuncta, tunc omnes operationes, nedum cognitiuas & intellectuales, ſed etiam animatiuas & affectuales videtur deſerere, imò omnem prorſùs actum proprium & liberum circa Deum amittit. Item in fine eiusdem capituli ita dicit: *Anima mox, ut ad illud internum diuini arcani ſecretum admittitur, præ admirationis magnitudine & iucunditatis, in ipſum, qui loquitur, tota reſolvitur, dum incipit audire arcana illa verba, quæ non licet homini loqui: & intelligit incerta & occulta Sapientiæ Diuinæ Manifeſtari ſibi; in quo tunc ſtatu ſpiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Et paucis interpoſitis ita ſubdit: *Siquidem in hoc ſtatu omnem animæ amorem & cognitionem ſpiritus diuinus ſibi vendicat, dum eam ad contemplationem beatæ caliginis adduxerit. Vbi tunc anima ob nimium viſionis exceſſum ita abſorbetur, ut nil ſentiat ſe amare, nil quoque percipiat ſe videre, ſed ſupra intellectum eſt mirabiliter amans & videns.* Qualia autem ſint illa gaudia animæ poſt vnitionem collata (quæ tamen de corde ſuo fingit) patet in vltimo capitulo, ubi de ſibilo auræ tenuis loquitur. Ubi ſic dicit: *quale & quantum in hac ſupermirabili Diuinæ viſitationis apparitione ſit gaudium, hoc magis ſibilo, quàm ſono dici poterit literato. Ibi enim ſe ordinatè conſequuntur locunditas, lætitia, delectatio, ſuauitas, exultatio, voluptas & inſenſibilitas*, de quibus omnibus & ſingulis in textu Dionyſij nec tenuiſſima fit mentio.

Ecce mi Pater, quomodo dictus Prior confundit ordinem, ponendo inter tria, quæ Dionyſius docuit eſſe ſervanda, primum in vltimo loco, quaſi effectum aliorum, ſcilicet omnium actualem ignorantiam. Qua ſublata ſeu translata, oporteret conſurrectionem cum cognitione incipi & fieri. Et dum primum requiſitum auferetur, ſecundum autem non fit eo modo, quo fieri deberet, ſcilicet cum adiu-

adiutorio primi: non eſt verosimile, taliter operantem poſſe conſequi tertium, ſcilicet ad diuinarum tenebrarum radium rapi. ad quem ſi prætermiſſo debito ordine voluerit irruere potiùs quam rapi, opprimetur, nec admittetur, ſed omnino repulſam patietur.

Hìc Pater mi, perpendite duas Myſticas Theologias, vnam Dionyſij, & alteram dicti Prioris. Prima incipit ſine omni mentali cognitione, & terminatur in cognitione ſupermentali. Secunda incipitur & terminatur in errore. In Prima omnium actualis ignorantia tenet primum locum, in Secunda vltimum. In prima actualis ignorantia iubetur acquiri cum forti contentione & labore, in ſecunda expectatur adipiſci ex ſuperabundia diuinarum conſolationum ſine omni defatigatione & ſudore. Prima incipit in carentia omnis cognitionis, ſecunda in carentia veræ cognitionis. Et de his duabus Myſticis Theologijs, vna videlicet, vera, altera confícta loquitur permixtim in Tractatu ſuo Dominus Prior, ſententias ita involvens, quòd Myſticæ Theologiæ ignarus parum aut nihil ex & in ipſo Tractatu addiſcere poſſit, exceptis auctoritatibus Sanctorum & Doctorum, quarum quælibet etiam ſeorſim poſita ſuam ædificationem habet.

Item non didici, nec legi, nec accepi, ſupermentalem cognitionem dicere aut importare, vel ſecum afferre ſenſuales ſuauitates & conſolationes, ſed ex vehementi tendentia virium, & repulſione ſeu compreſſione irruentium phantasmatum ſæpè ſequi cerebri & cordis afflictionem.

Item ex eo, quòd ſcripſi, in Myſtica Theologia ſolum affectum negotiari, putat D. Prior, quòd omnem intellectus cognitionem in ea velim negare: cùm tamen ſolùm cognitionem prævíam aut concomitantem negauerim, non autem illam ſupermentalem, quæ in vnitione relinquitur vel confertur: cùm manifeſtè habeatur in fine primi capituli, & in principio ſecundi cap. Myſticæ Theologiæ, & commentatores de hac concorditer loquantur. Abſit, & valde abſit, quòd aliquid contra textum & eius Commentatores ſentiam: vel eos in vna parte defendam, & in alia parte impugnem. Non permittat me Deus ad tantam inſipientiam devenire. Quòd autem de hoc expreſſam mentionem non feci, ideo feci: quia non putaui neceſſarium, cùm in ipſa radioſa mentis illuminatione homo magis teneat ſe paſſiuè quam actiuè, magis agatur quàm agat. Sed voluntatis meæ eſt & fuit, ea ſolùm dicere, quæ in hoc negotio Myſtico incumbunt homini facienda. Quæ ſunt duo ſolummodo, ſcilicet deſerere & relinquere omnia ſenſibilia & intelligibilia &c. & ignotè conſurgere.

Et contra hunc errorem, quem putauit me habere, multùm diffusè ſcripſit, cùm tamen nuſquam ſit auditum in verbo, nec viſum in ſcripto, quòd huiusmodi ſuperintellectualem cognitionem negâſſem. Et fortè propter hoc huiusmodi amorem vocauit vagum & cæcum. Per hanc autem declarationem meam maxima pars controverſiæ inter nos eſt ſopita.

Item Dictus Prior multa allegat, per quæ nihil probat. Sicut in XII. cap. ubi dicit, quòd antiqui Sancti nihil aut modicum de Myſtica Theologia tradiderint literaliter, ſed eius praxi eos minimè caruiſſe, quòd veriſſimum iudico. Immò credo hodie non decem in diuerſis ſtatibus & in vtroque ſexu huiusmodi praxim habentes, nihil tamen perpendentes aut ſcientes de hoc, quòd Myſticam Theologiam practicent. Nec eſt neceſſe, quòd tales omnes libros Dionyſij ſciant & intelligant, prout vult dictus Prior dicere.

Præterea Raptus ſeu revelatio facto ſanctiſſimo Benedicto, quando vidit mundum collectum &c. non fuit de Myſtica Theologia & eius praxi. Ratio eſt, quòd in illa revelatione S. Benedicto facta, fuerunt tres cognitiones ſimul, ſcilicet ſenſualis, quâ vidit lucem, quam etiam Servandus Diaconus pro parte vidit: item intellectualis, quâ reminiſcebatur Servandi Diaconi, quem & iteratis vicibus vocauit: atque ſuperintellectualis, quâ animam Germani Epiſcopi & Mundum collectum vidit. Quæ cognitiones in practica Myſticæ Theologiæ non ſe eodem tempore compatiuntur.

Item allegatio Raptûs Pauli, licèt fuerit altior, quàm qui in Myſtica Theologia habetur, tamen multùm facit pro me, cùm idem Paulus eisdem momentis, quibus vidit & audiuit arcana &c. fuit etiam in actuali omnium ſenſibilium & intelligibilium ignorantia. Aliàs non ignorâſſet, *vtrum in corpore ſiue extra corpus &c.*

In plura alia impegi in Tractatu Dominí

mini Prioris, quæ ſimiliter exarâſſem, ſi exemplari licuiſſet diutiùs uti.

Dilecte Pater, Sancti & Doctores in ſcriptis & dictis ſuis habent oculum ad ea, quæ de communi curſu & lege fieri ſolent, non autem ad ea, quæ ratò contingunt: ſicut v. g. ſcribentes de affectu & intellectu, ſeu amore vel cognitione, quomodo ſimul inſint animæ, quomodo vnus iuvetur ex altero, & cooperetur alteri: his nemo contradicit. Ea verò, quæ in practica myſticæ Theologiæ de affectu & intellectu dicuntur, ſunt omnino contra communem & conſuetum curſum. Allegare ergo ea, quæ Sancti & Doctores de communi curſu & lege, diuerſis temporibus, in diuerſis locis, & in varijs libris de huiusmodi amore & cognitione ſcripſerunt, contra illa ratò contingentia quaſi & ſingularia, quæ de Myſtica Theologia veriſſimè aſſeruntur, non apparet mihi rationabile fore. Et cum hoc baculo poſſent valde multæ auctoritates repelli in Tractatu Domini Prioris contentæ.

Pari modo puto ipſum falli potuiſſe, ubi de raptibus allegat etiam ſpecialiter *Richardum*, qui de *Contemplatione*, & non de Myſtica Theologia, ſcripſiſſe noſcetur. Sunt enim plures Raptus, ſcilicet affectus, rationis, & imaginationis. Applicare autem ea, quæ de raptibus ſcripta inveniuntur, pro vel contra Myſticam Theologiam caret ratione. Ponit autem Richardus tres cauſas raptuum, ſcilicet admirationem, devotionem, & exultationem: quarum media ad practicam Myſticæ Theologiæ principaliter deſervit.

Item in pluribus locis notat me de hoc, quòd de affirmationibus & negationibus de Deo fiendis, de quibus in textu diffusè & clarè habetur, nihil dicam: & ex hoc, quòd Dionyſius de multis de Deo affirmandis, & rurſum ab eo abnegandis mentionem facit (quæ videlicet affirmatio & negatio cùm ſint opera intellectus) vult concludere, quòd in exercitio Myſticæ adſit neceſſariò etiam officium intellectûs. Ad quod non improbabiliter dico, quòd B. Dionyſius in libro Myſticæ Theologiæ duo principaliter facit. Primò tractat de charitate, quomodo homo per eam ignotè ferri debeat in eum, non quem tunc cognoſcit, videt aut cogitat, ſed quem amat. Secundò pro maiori parte tractat de his, quæ pertinent ad cognitionem in fide habendam, quid videlicet affirmandum, quidve negandum ſit ab eo.

In conſurrectione igitur charitatis ad vnitionem &c. primum ſcilicet affirmatio, tanquam impertinens & impediens relinquitur; Negatio verò vltrò & perfectiſſimè per diſertionem omnium ſenſibilium &c. non autem particulariter & diſcurſiuè tenetur & practicatur.

Etiam poteſt reſpondeti, quòd affirmatio & negatio deſerviant fidei, docentes, quid ſit de Deo ſentiendum, non autem, quomodo mens devota ad eius vnitionem conſurgere debeat.

Notandum, quòd volentes ignotè conſurgere, ſi ſenſerit ſe ad hoc minùs diſpoſitos, poſſint & debeant ſe ipſos exercere ad pietatem per devotas meditationes, & orationes, ac ſuſpiria, donec reddantur apti. Tali autem exercitatione aliqui multùm, aliqui parùm, aliqui nihil indigent. Iſti vltimi, qui ſunt in huiusmodi practica exercitati & habituati, poſſunt *ignotè conſurgere*, imò & indeliberatè conſurgunt ſine omni cogitatione prævia vel concomitante, quandocunque volunt. Primi verò & ſecundi poſt exercitationem prævium, utì dictum eſt, conſurgunt, nihil penitùs de his, quæ in tali exercitatione meditati ſunt, præter ſolum fervidum affectum ſecum ferentes. De his non poteſt dici, quòd conſurgant, quando volunt, niſi poſt diſpoſitionem prævium.

Et quia in intellectum Myſticæ Theologiæ diuerſi diuerſimodè ſentiunt; eſtque apud multos de huiusmodi intellectu magna ambiguitas: idcirco forſitan in breui providebit nobis Deus de alijs exercitijs notioribus, in quibus nulla erit ambiguitas. Quæ ſunt gemitus, lachrymæ, ſingultus, clamor, vlulatus ſeu rugitus. Fides Catholica violatur, auctoritas generalium Conciliorum violata eſt, & omnes tacent. Summus Pontifex, ùt audio, nititur Chriſtianitatem provocare contra Turcas, Cauſas autem, propter quas accipiunt Turcæ licentiam & poteſtatem invadendi Chriſtianos, ſcilicet peccata enormia, quæ ubique, maximè in Curia ſua vigent, non ſtudet emendare & exſtirpare, ut ſuum conſuetum curſum poſſint perpetuare.

Hæc contra Tractatum mihi transmiſſum dixiſſe ſufficiant: Quia reuerà in his breviſſimis diebus, in ſolſtitio Hyemali creſcentibus & augmentum capientibus defectibus meis, expeditis quoque eis, quæ mihi iam valde tardo incumbunt facienda, valdè parùm mihi cedit temporis in

luce

luce dici, in qua ſolummodo, & non in lumine candelarum, legere, ſcribere ſoleo & ſtudere. & Tractatus continet quadraginta duo folia, gracilem & compreſſam ſcripturam continentia, quam in aliquibus folijs videre vix potui, ita quòd non potuerim, ſicut fortè neceſſarium fuiſſet, ubique fodere parietem ad videndum abominationes plures.

Explicit Myſtica Theologia, de qua nec ſcribere, nec conferre in futurum intendo: & peto, ut in ſcedulis veſtris eius nomen non inveniam amplius. Fingat & teneat vnusquisque Myſticam Theologiam, verba Beati Dionyſij ad libitum exponendo, ſicut placet. Præſumptionis enim eſſe iudico, viris giganteis, armis terribilibus accinctis, velle reſiſtere hominem puſillum, pygmæum, qui nec arma habet, nec in funda & lapide peritiam ſe tuendi.

Patri *Iohanni Sleipacher* Sabbato poſt Luciæ 1459. Decem diebus habui exemplar.

16.

Ad eundem, ùt videtur. Refutat Apologiam Marquardi Sprenger, in qua de Myſtica Theologia &c. adverſus Vincentij opinionem non nulla publicaverat.

INter mundanas varietates, ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia. Tractatulos honorabilis Domini *Marquardi* (quorum primus intitulatur *Apologia*) ſtatim poſt veſtrum à nobis receſſum perlegi ex integro. Quos dudum remiſiſſem, ſi non Frater quidam ex nobis ſexternos Domini Prioris ad reſcribendum ſuſcepiſſet. Volui enim, ut, ſicut ſimul mihi fuerunt conceſſi, ita ſimul reſtituerentur.

Ex lectione igitur dictorum tractatulorum Domini *Marquardi* in ſenſu meo optimè confirmatus ſum. Dominus enim *Marquardus* Myſticam Theologiam valde largè recipit, dicens mo, & verum dicens, ipſam ſtrictè capere. Ego namque pro vltimo exercitio huius practicæ, quod fit per ignotam conſurrectionem, & conſervatur per radium, ipſam accepi: Dominus verò Marquardus multò largius, uti patet in apologia ſua fol. 13. in ſecunda parte folij, ubi ſic dicit de me: *ipſe namque nullam credit eſſe Theologiam Myſticam, niſi quam ſuo capite concepit: nec pati vult, ut vocabulum* Myſticum *ad ſuam propriam ſignificationem extendatur. Ferè enim tota diuina ſcriptura myſticatur; & Richardus myſticat XII. Patriarchas: Myſticat etiam arcam fœderis, myſticat etiam ſomnium Nebuchodonoſor. Nicolaus de Lyra myſticat quaſi totam Bibliam. Gregorius etiam in Moralibus myſticat quaſi totum Iob, & ad ſenſum allegoricum & moralem trahit. Eſt autem commune dictum: ignorantes virtutes vocabulorum de facili paralogiſantur.* Hæc ille.

Iſto cognito ego concedo multa, quæ priùs impugnaui. Docet enim per multas pulchras & ſalubres auctoritates quomodo fideles per intellectum & affectum debeant tendere, & ferri in Deum: quæ doctrina tantò minùs eſt contemnenda, quantò magis neceſſaria conſpicitur fidelium communitati. Sed quò ad Myſticam Theologiam Dionyſij videtur, ſicut priùs, ita & nunc, **ein hàrs ſtroh dreſchen.** Et quamvis concedat in conſurrectione ad unitionem &c. ratiocinationem, diſputationem aut diſcurſionem mentis abeſſe debere, eò quòd per ea ipſa conſurrectio notabiliter impediretur: nihilominùs tamen vult ineſſe quendam ſimplicem conceptum, non a creaturis, nec à phantaſmate ſumptum, neſcio, ob quam utilitatem aut neceſſitatem, cùm tamen Beatus Dionyſius iubeat deſerere omnes intellectuales operationes, inter quas etiam huiusmodi ſimplex conceptus non incongruenter numeratur.

Beatus Leo Papa in quodam Sermone ita dicit: *Cum igitur ad confitendam Patrem & Filium & Spiritum Sanctum aciem mentis intendimus, procul ab animo formas viſibilium rerum, & ſtatus temporalium naturarum, procul corpora locorum, & loca corporum repellamus: diſcedat a corde quod ſpatio extenditur, quod fine concluditur; & quidquid nec ſemper, ubique, nec totum eſt, cogitatio de Deitate Trinitatis concepta, nihil per diſtantiam intelligat, nihil per gradus quærat.* Hæc ille.

Vellem libenter ſcire, quis vel qualis conceptus poſſet hìc habere locum in materia contemplationis? & ſi hìc non habet locum, multò minùs in occulta animorum conſurrectione poteſt habere locum.

Sed quia Dominus *Marquardus* omnino ignotam conſurrectionem non recipit, exponens iſta verba: *Conſurge ignotè*, id eſt, *ſupercognite*, dicit etiam talem modum exponendi per contrarium, inveniri in Dionyſio & in ſacra ſcriptura. Cui reſpondeo hoc modo: Vbicunque vel in Dionyſio vel in ſacra ſcriptura termini per contrarium exponuntur, ibi aut utraque pars contrarietatis apertè exprimitur, ſicut in auctoritate Dionysij in VII. de diuinis nominibus, ubi exprimitur ſtultitia & Sapientia, infirmitas & virtus. Similiter nominat Deum claram lucem, & cum hac Inviſibilem. Aut quòd per contrarium debeat intelligi, dictat ratio

manifeſta, Sicut illud Vxoris Iob: *Benedic Deo, & morere.* Ubi ex increpatione ipſius Iob intelligitur iſte terminus, *Benedic*, in malo ſumptus. Similiter illi filij Belial, qui retorquebant per ſuum falſum teſtimonium crimen læsæ Maieſtatis in Naboth, dicentes: *Benedixit Naboth Deum & Regem.* Ubi per inflictam mortem apertè intelligitur, quod iſte terminus, *Benedixit*, in mala fuerit ſignificatione prolatus.

In Myſtica autem Theologia Dionysij, ubi dicitur: *Consurge ignotè*, non eſt aliqua ſcintilla apparentiæ vel rationis, quòd *ignotè* capiatur pro ſuo contrario: nec de eius contrario fit mentio in illis locis, quæ Dom. *Marquardus* allegat. Quare expoſitionem ipſius non recipio. Ego enim, dum venari volo intellectum alicuius termini vel orationis, ſoleo habere reſpectum ad præcedentia & ſequentia, & penſare, ſi ex omnibus concors & rationalis intellectus eliciatur; Sicut & in prædicta oratione feci & facio. Nam B. Dionysius in traditione Myſticæ Theologiæ, quam ſub brevibus verbis facit, tria principaliter facit. *Primo* iubet deſerere multa, inter quæ intelligibilia & intellectuales operationes numerantur. *Secundò* mandat *ignotè conſurgere*, haud dubium quin durante præmiſſorum deſertione. *Tertio* recedenti ab omni irretentibili & absoluto promittitur illuſtratio radij divinarum tenebrarum.

Iſta expoſitio iſtius dictionis *ignotè*, & ſimplex conceptus dilecti vel conſimilis, diuidit Dominum Marquardum & me. Etiam in hoc diſcordat à me, nimis largè capiendo Myſticam Theologiam. Facit enim ſicut aliquis, qui inter **waitzen und pollein und Semlein-brodt** non habet differentiam, ſed accipit unum pro alio, propter hoc, quòd omnes iſti panes ſuam originem ex tritico trahant. Sic ipſe Richardum, S. Thomam, Isaac, Dionysium &c. propter aliquos effectus & ſentimenta, in quibus conveniunt cum Myſtica Theologia accipit & aſſerit eorum dicta conformia Myſticæ Theologiæ.

Notifico Charitati veſtræ, quod Dom. *Marquardus* in ſua *Apologia* valde benè allegat verba mea contra ſcripta ſua, ſed multùm malè exponit. Pro quo ſcire vos volo, quod ante plures annos, dum aliquando habitarem mecum, cogitabam, quæ haberem aut quo egerem. Diſcuſsione qualicunque facta, perpendi me habere habitus fidei, ſpei, & charitatis, ſed vtrum infusos vel acquisitos, neſcio, Deus ſcit. Habitum etiam timoris caſti, quamvis alius, quem Charitas foras mittit, nonnunquam importunè pulset ad oſtium cordis. Habitus quoque pietatis & fortitudinis habere me puto & ſpero: ſed de habitibus Sapientiæ & intellectus, Conſilij & Scientiæ, Donorum Spiritus Sancti (maximè quoad illas excellentias, quas S. Thomas in prima ſecundæ & in ſecunda ſecundæ eisdem donis attribuere ſolet) nihil in me ſenſi.

Dum autem audiviſsem legi nonam decimam Homiliam Beati Gregorij ſuper Ezechiel: ubi tractantur illa verba: *Septem graduum erat aſcenſus eius*, inveni eum dicentem: *Septem gradibus aſcenditur, quia per Spiritus Sancti gratiam multiformem aditus nobis vitæ cæleſtis aperitur. Quam ſeptiformem gratiam Isaias in ipso noſtro capite, vel in eius corpore, quod ſumus, enumerans ait: Requieſcet ſuper eum Spiritus &c.* Consimilem per omnia Sententiam in vna alia Homilia eiusdem libri inveni, quam hìc ponere non curaui propter vitandum laborem quærendi. Audiui ſimiliter legi Beatum Gregorium in Moralibus libro 29. ſuper illis verbis Iob. *Nunquid coniungere valebis micantes ſtellas pleiades, aut gyrum Arcturi poteris diſſipare?* ita dicentem: *Redemptor noſter in carne veniens pleiades iunxit: quia operationes ſeptiformis Spiritus ſimul in Se cunctas, & manentes habuit; de quo per Isaiam dicitur: egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. De quo Zacharias ait: Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Atque iterum: & in candelabro aureo lucernæ ſeptem. Nullus verò hominum operationes Sancti Spiritus, ſimul omnes habuit, nisi ſolus mediator Dei & hominum, cuius eſt idem Spiritus, qui de Patre ante Sæcula procedit. Benè ergo dicitur: Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Huic enim lapidi ſeptem oculos habere, eſt ſimul omnem virtutem ſeptiformis gratiæ in operatione retinere. Alius enim prophetiam, alius ſcientiam, alius interpretationem ſermo-*

ſermonum iuxta diſtributionem Spiritus Sancti accipit : ad habenda verò coniuncta eiusdem Spiritus munera nemo pertingit. Hæc ille.

Dudum antequam audiſſem legi iſtas auctoritates Beati Gregorij, tenui ſecretè apud me, ſine tamen pertinacia, quod Chriſtus, Caput Eccleſiæ, acceperit omnem virtutem ſeptiformis gratiæ; Corpus autem eius, quod conſtat ex omnibus membris, ſimiliter percipit illam: non, quòd quodlibet membrum accipiat omnia ſimul; ſed prout, & quantum Dator Spiritus cuilibet diſtribuere dignatur. Audiens poſtea, tam ſanctum & ſpiritualem Doctorem idem ſentire, gauiſus fui: & ex hoc animatus ſcripsi in Epiſtola * cuidam miſsa, quæ ad manus Domini *Marquardi* devenit, illa, quæ idem Marquardus in Apologia ſua fol. 8. in 2. parte folij allegat: *Nam nulla Auctoritas &c.* innitendo auctoritati præmiſſæ ex Moralibus acceptæ. Quam idem Dom. *Marquardus* dicit debere intelligi in Apol. ſua fol. 2. non de ſeptem donis, ſed de gratijs gratis datis. Mira res! Beatus Gregorius comparat ſeptem dona pleiadibus, quæ ſunt ſeptem ſtellæ: enumerat etiam ea de verbo ad verbum. Comparat ea etiam ſeptem oculis, qui ſunt ſuper lapidem vnum, & iterum ſeptem lucernis aurei candelabri. Gratiarum autem gratis datarum nunquam audiui determinatum numerum. Apoſtolus tamen 1. Corinth. 12. ponit & numerat de eis novem genera: *Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ &c.*

* *vid. ſup. epiſt. 6.*

Ecce B. Gregorius enumerat ſeptem dona, comparans ea tribus ſeptenarijs, ſcilicet pleiadibus, oculis, & lucernis. Nihilominus dicit ille Eum non loqui de donis, ſed de gratijs gratis datis propter hoc, quod ſubiunxerit: *Alius prophetiam, alius ſcientiam &c.* Poterat Honorabilis Vir verba ipsius Gregorij ſaniùs interpretari, ac ſi B. Gregorius planioribus verbis ita dixiſſet: Illa ſeptem dona, quæ ſolis bonis dantur, nullus hominum omnia accepit, præter Redemptorem noſtrum, ſicut nec gratias gratis datas, quæ etiam dona ſunt, & bonis ac malis indifferenter dantur, nullus purus homo accipit omnes, quod veriſſimum eſt. Nam Apoſtolus dicit: alij datur hoc, alij aliud &c. Et hoc fuiſset modeſtius & magis decens tali viro, quàm ſimpliciter tam multa & aperta verba negare, ſeu non benè exponere.

Item prædicta Auctoritas Moralium continetur in libro 29. quam emendare & corrigere conatur per conviuia filiorum Iob, de quibus tractatur primo libro Moralium: & ſic vult ultima corrigere per prima, cùm tamen in literis & Bullis vltima corrigant prima. Quid ſi diceretur, quòd per ſenſus Myſticos, modicum vel nihil fidei concernens ſufficienter probari poteſt? Si enim per ſeptem filios Iob ſeptem dona intelliguntur & per tres Sorores, Fides, Spes & charitas ſecundùm B. Gregorium, ſequeretur, quòd dona eſsent ſegniora & perfectiora virtutibus Theologicis, cùm hæc per masculos, iſtæ verò per fœminas deſignentur. Cùm denique non fratres per ſorores, ſed ſorores per fratres ad convivia ſint vocatæ, Apoſtolus etiam minùs convenienter posuiſset Charitatem excellentiorem viam eſſe, ſubiungens tandem: *Nunc autem manent fides, ſpes, & Charitas, tria hæc, maior autem horum eſt Charitas.* Cùm tamen ſecundùm comparationem præmiſſam debuiſſet potiùs dicere: nunc autem manent ſeptem hæc.

Recordor Dominum Pariſienſem Cancellarium in prima vel ſecunda lectione de ſpirituali vita circa finem lectionis dixiſſe: *Notetur, quòd Doctores, etiam ſancti, non ſemper attenderunt, nec attendere potuerunt ad proprietatem locutionis: idcirco magis reverenter gloſſandi ſunt: improprietates enim extendi non decet, ſed magis ad proprietatem reduci. alioquin quid mirum, ſi augetur deceptio?* hæc ille.

Item Dominus *Marquardus* in *Apologia* fol. 8. parte 2. folij allegat verba mea ſatis benè, dicens: *Subiungit Præfatus Pater: Nam nulla auctoritas ſacræ ſcripturæ ad tenendum, quòd quilibet habens Charitatem, omnia dona habeat, nos compellit, nec experientia probat. Textus enim in Iſaia cap: XI. Egredietur &c. de Chriſto ad literam ſonat, qui accepit ſpiritum non ad menſuram &c. Creditur etiam, quòd Eccleſia, Corpus Chriſti, hoc ſpiritu vegetetur & regatur. Quòd autem quodlibet membrum huius Corporis, omnia dona percipiat, de hoc nec eſt ratio, nec auctoritas, nec experientia.*

Sicut Dominus *Marquardus* habet aliam myſticam Theologiam, quam ego: ſic habet & aliam Logicam. Nam ubi dixi: quodlibet membrum Corporis Eccleſiæ non percipit omnia dona Spiritus

Sancti 1. ipſe, *Non omnia*, exponit ſecundùm ſuam Logicam pro *nullo*. Hanc autem expoſitionem Logica mea non docet: puto, quod nec ſua, ſi cà debite uteretur. Nam ego, prout in *Apol.* ſua fol. 1. part. 2. folij allegat, ſic dixi: quòd ſimplices, non habentes Donum Sapientiæ, ùt puta, qui non poſſunt nec ſciunt omnia ſecundùm diuinas regulas iudicare & ordinare, & ſcrutari etiam profunda Dei, poſſint adipiſci Myſticam Theologiam, quod etiam hodie credo verum eſſe. Nam pauciſſimi pertingunt ad illas excellentes operationes donorum, quæ ipſis aſcribi ſolent: & de ſolo Dono ſapientiæ quoad certas excellentias mentionem feci. Aliàs dixi, quod nec Auctoritas Sacræ Scripturæ, nec experientia docerent, quemlibet fidelem in charitate exiſtentem, & conſequenter membrum corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, habere omnia dona ſeptem: non autem quòd nullum, ſicut Dom. *Marquardus* mihi imponit. Dicit enim in *Apol.* ſua fol. quinto 2. parte folij ſic: *Ex quibus patet, quanta bona negant ab Eccleſia, qui dicunt ſeptem Dona non eſſe in omnibus Chriſti fidelibus in charitate exiſtentibus.* Sed ego hoc non aſſerui, videlicet, quòd in omnibus Chriſti fidelibus, in charitate exiſtentibus, non eſſent ſeptem Dona, ſed quod non eſſent omnia in ſingulis.

Item in eadem *apologia* fol. 6. part. 2. folij: *Theologus Myſticus carens ſeptem donis eſt ſtultus, quia caret ſapientia &c.* Exemplicat enim de *ſingulis*. Et cùm hæc non ſint de mente mea, nec ex verbis meis elici poſſint, hinc perpendo, non omnes Doctores eſſe diſcretos, Imponit enim mihi, quòd Chriſti fideles non recipiant omnia ſeptem dona, cuius contrarium verba mea ſonant: & per hoc infamat me de notabili errore. Quòd ipſe de ſeptem Donis diffuſè tractat & de timore & differentijs ſuis, hoc eſſe communem doctrinam dudum ſciui, & fortè priùs quàm ipſe. Nihilominus in Auctoritatibus B. Gregorij complacentiam habui, ſine tamen pertinacia. Et iſta infamia fortè ad multos iam pervenit. Sed conſolatur me Apoſtolus dicens: *per infamiam & bonam famam, vt ſeductores & veraces &c.*

Volo autem ſerioſè, quòd hæc folia aut comburatis, aut mihi remittatis, ne ad eum vel ſuos deveniant. Præſumo enim, quòd aliquem alium Tractatum inciperet, ſi voluiſſem verba ſua poſtillàſſe, ſicut ipſe mea, neſcio, quando finis factus fuiſſet. Valete in Chriſto. Scriptum per eum, quem noſcitis, Fratrem *Vincentium*. Vrbani Papæ 1460.

17.

Ad eundem. Cur non plura adverſus Tractatus Marquardi edat.

Dilecte mi Pater. Quamvis multa habuiſſem ſcribere contra tractatulos Domini Marquardi, non tamen niſi pauca ſcripſi: quæ nolui ſibi & ſuis communicari, non timore ſuccumbendi ſicut ipſi opinantur, ſed ne multiplicationi erroneorum libellorum occaſionem præberem &c. *Et infra.* Dominus Prior de *Tegernſee* impleuit verba B. Iohannis dicentis: *Non diliganus verbo nec lingua ſed opere & veritate.* Non commendat me verbis ſed opere & veritate, mutuando librum & mihi per tanta ſpatia terrarum mittendo: in quo mihi tantam complacentiam oſtendit, quam de corde meo nulla vnquam delebit oblivio &c. *Et infra.* Legi, vos quædam laudatoria verba de me Magiſtro *Marquardo* ſcripſiſſe: & fuerunt hæc verba ſcripta die 25. Septembris, quæ fuit dies feriata. Nam ſi hoc factum fuiſſet in die feſtiuo, omnino violâſſet feſtum. Scribere enim, quod non eſt, aut dicere, eſt opus ſervile. Scriptum in die 8. Michaëlis per fratrem *Vincentium* in *Axpach* anno Domini 1460. valete in Chriſto.

18.

Ad eundem: remittit Libros S. Hildegardis, & deplorat duritiem hominum ſui ſeculi.

PRædilecte mi Pater, ante aliquot dies finiui dicta S. *Hildegardis*, quæ potuiſſem citiùs finiviſſe, niſi Patres de *Tegernſee* ſuaſiſſent mihi, ne in ſcribendo me gravarem. Quæ dicta *Hildegardis* præ feſtinatione ſcribendi parum attendi, dùm ſcriberem. Idcirco oportebit me ipſa de novo perlegere. Attamen ſcribendo aliqua memoriæ adhæſerunt, videlicet de triplici tempore, ſcilicet muliebri, acto & cadente quorum primum, cuius finem ſpero adeſſe, multùm & plus, quàm credi poteſt, Eccleſiam debilitauit. Secundum ſcilicet acre vel acrum, ipſam mirabiliter confortabit, per multos labores & ſudores ipſam à peccantibus humoribus expurgando. De uno miror & doleo, quòd videlicet ex auditu prophetiarum ipſius *Hildegardis*, aut ex lectione earundem non invenio aliquem, qui percutiat pectus ſuum

vel

vel qui scindat vestimenta sua, sicut Iosias Rex propter inventionem libri Legis fecisse legitur. Sed quasi omnes ipsam nec approbant nec improbant. Diu nihil insinuâstis mihi. Valete. Scriptum per fratrem *Vincentium* in Axpach in profesto S. Martini anno 1460.

19.

Ad eundem: Abstinentiam a carnibus non esse illicitam, etiamsi vitam abbreviet.

Ex Cod. Mellic. P. 25.

ABstinentia a carnibus, etiamsi abbreviet vitam, non est illicita: quia etiam alia multa sunt, quæ abbreviant vitam. Ista requirite in Tractatu de non edendis carnibus Magistri Gerson. Nec est ibi timenda transgressio illius præcepti: *Non occides.* Nam quasi per totam Ecclesiam a die Cinerum usque ad festum Paschæ fideles in infirmitate abstinent ùt communiter a carnibus, nec ipsi infirmi iudicantur ob hoc occisores sui, nec etiam illi, qui eis carnes non ministrant, habentur ùt homicidæ. Sed temporibus, quibus carnibus vesci licitum est, infirmis non fictis debet gratia Regulæ non negari. Sicut olim in utero Rebeccæ duæ gentes fuerunt: sic in utero Sacræ Scripturæ duæ gentes sunt, scilicet Christiani & Iudæi. Sic etiam in utero Regulæ S. Benedicti duæ gentes sunt, scilicet Fratres de Regula & fratres de gula.

20.

Ex Cod. Mellic. H. 45.

Thomæ, Prioris Cartusiæ Axpacensis epistola ad eundem Iohannem de Weilhaim. De Vincentio, quem pluribus quæstionibus nullum finem facere queritur, ac a scribendo vellet abstinere &c.

DIlecte Domine *Iohannes.* Frater *Vincentius* pluries mittit vobis quæstiones, super quibus petit responsum, & in quibus satis percipitis occupationem suam minùs utilem. Et ego quæro a vobis, an cautè permittam eum in talibus rebus occupari, ubi verisimiliter modicus vel nullus fructus sequitur. Admonuit me quidam nobilis & religiosus Prælatus in terra nostra dicens: *Pater, ego dico vobis, quòd frater iste in periculo stat, quia in spiritu meridiano, id est, superbiæ laborat, & vos tenemini sibi dicere tanquam pastor.*

Ego verò considerans nunc senium personæ & indurationem oculi eius, timeo sæpiùs, si durè circa mihi displicibilia reprehenderem, deterius sequeretur: quia utique satis sibi scripsistis sæpius: si voluisset perpendere, debuit se a certis compescere. Sed hucusque non video emendationem.

Secundò quæro, quare vitium proprietatis tam gravi censura punitur, scilicet pœna excommunicationis, & non incontinentia vel inobedientia, cùm tamen inobedientia gravior videatur. Super his dubijs peto responsum tempore competenti, & cum reclusione.

CXLI.

Iohannis de Campidona, Monachi Monasterij Mariæcellensis in Austria epistola ad Iohannem de Weilhaim Mellicensem, quem ut in excolenda vinea Mariæcellensi strenuus sit, hortantur, & de statu Austriæ nonnulla docet. 1452.

HOnorando ac religioso viro *P. Iohanni S.* Priori Monasterij *Cellæ Mariæ*, Patri suo prædilecto, Fr. *Iohannes de Campidona*, vester filius. *Ex Cod. Mellic. P. 25.*

Præcordialissime in Christo Pater! Quod vestræ charitati scriptitare debeam, iam varijs laboribus præpeditus non benè calamo comprehendere queo. In tantum enim revera, omni adulatione amota, adversùs vestram dilectionem accensus sum amore, non scio, quo veniente, ut illud audacter exprimere non valeam: nec personam religiosam scio, ad quam mens tantùm affectatur. Idcirco vestræ Paternitati, ùt petistis, scribere libenter vellem, sed pluribus iam occupationibus mihi imminentibus impeditus tardare cogor. Ideo si disponere valebo, facie ad faciem vobis loquar. Tamen unum est, ut libenter vos hortari vellem ad perseveranter laborandum in vinea Domini, cùm fatear vineam nostri Monasterij non tam cultam esse, sicut vestri Monasterij. Tum etiam quia messis multa, operarij autem pauci. Et tantum iam de illo.

Dicta

Diæta fiet iam primo die menſis Septembris, maior, quàm adhuc unquam fuit. Ex parte enim Domini regis aſcendet Epiſcopus *Kiemenſis Vdalricus Rieder*, Licentiatus Iuris. Commiſit etiam Dominus Rex negotium ſuum principaliter Domino Epiſcopo *Auguſtenſi*. Æſtimatur etiam fieri declarationem pro Sacro Concilio, quòd adhuc legitimè vigeat,& etiam, quòd Dominus *Eugenius* ſit Papa, & quòd non conſtet eis de eius depoſitione Canonica vel alterius electione,& quem poſtea * ſequatur, Deus non ignorare noſcitur. De illo tamen multum loqui vel diſputare non debeo propter ſervare me a maioribus conſcientiæ maculis, ut a viris bonis informatus ſum. Diſputatio enim magna nihil utilitatis conferre poteſt. Orare autem pro ſtatu bono Eccleſiæ ſine intermiſſione puto multùm neceſſarium ac meritorium.

Veſtris devotis orationibus me commendo, ac orationibus Patrum ac Fratrum noſtri Monaſterij. Humiliter etiam peto ſpecialiter me commendari precibus Patris Suppriorís.

CXLII.

Iohannis de Welminck, tunc Prioris, poſt Abbatis Mellicenſis epiſtola ad Iohannem de Weylhaim, de rebus, quæ in Auſtria & Monaſterio ſuo, eo abſente, evenerunt.

1452. *Ex Cod. Mell. f. 45.*

CUm devota ſui recommendatione id ſuo, quod ſuo. Patrum peramantiſſime! Occurrente iam fido nuntio nefas duxi, ſi veſtram charitatem inſalutatam irem. Vix tamen obtinui, ut ad breve ſpatium moram protraheret. Noveritis igitur, Patrum intime, veſtris ſcriptis me frequenter usque adhuc recreatum, in quibus ultimis deſideratis nova certa. Vnde ſciatis, quòd Dominus noſter Abbas rarò eſt in domo, eò quòd eſt unus de ſedecim, qui regunt totam Auſtriam cum Capitaneo, qui eſt Dominus *Vlricus Eizinger*. Sunt enim de qualibet partia * quatuor electi, qui tractent negotia terræ, & colligant omnes redditus Auſtriæ, & nitantur unire incolas patriæ, ut omnes ſint unum pro Domino rege *Ladislao*. Inter quos plures adhuc ſtant in proprijs, & certi favent Domino Regi *Friderico*. Maior tamen pars eſt unum, & ſperatur, quòd citò omnes in unum convenient, alioquin repugnantes humiliabuntur vi. Celebrabitur enim adhuc infra XIV. dies dicta *Wiennæ* talis, qualis non eſt in memoria hominum, ad quam convenient Vngari, Bohemi, Moravi & incolæ patriæ, conſiliarij Ducis *Ludwici* Brandeburgenſis, Epiſcoporum Friſingenſis, Eiſtettenſis, Domini electi & Capituli Patavienſis. Et actu Dominus de *Czilig* Wiennæ expectat cum mille equis & cætera multa. Et ſpes magna eſt, quòd omnes convenient in unum pro Domino *Ladislao* adverſùs Dominum regem Romanorum.

Miſerunt etiam legationem ſuam ad curiam, ne Dominus rex circumveniat Dominum Apoſtolicum &c. Regem inſuper *Ladislaum* ducit Dominus Rex ſub fortuna magna ſecum verſùs curiam, a qua non longè diſtat veroſimiliter. Sunt tamen timores & difficultates undique, maximéque ego premor curis ſupernimijs propter abſentiam Domini Abbatis. Inſuper frater Supprior unà cum fratre *Wolfgango de Emerſtorf* ibit intra decem dies ad Monaſterium *Admontenſe* causâ continuationis obſervantiæ, in augmentum tamen laboris mei. Sublevor tamen ſpe futurorum, eò quòd actu habemus tres * Magiſtros Auſtrales Novitios, quorum unus eſt Collegiatus Ducalis, & Baccalarius formatus in ſacra Pagina: Secundus verò eſt Baccalarius in Theologia: tertius verò eſt Magiſter duorum annorum -- utique a Deo nobis dati, & dietim ſperamus plures venire. Nomina eorum ex cauſa ſubticco iam: ſi tamen placet ſcire, venite & videte. Frater tamen *Iohannes de S. Gallo*, allegans rupturam transivit vias ſuas. Aliàs tamen Dei gratiâ omnia rectè aguntur circa Monaſterium noſtrum.

Deinde noveritis, Dominum noſtrum Abbatem, quem heu in triginta quinque diebus non vidi, & timeo, quòd in totidem non videbo, noviter iteratò ſcripſit *P. Martino*, ut veniat, & hortor, ſi occurreret nuntius vobis, animetur, ſolicitetur & inducatur, ut citò veniat. Gratus enim eſſet ſuus adventus Domino noſtro Abbati, & maximè mihi. Reliquum hortor, offeratur Dominis & Patribus meis Abbatibus, commenſalibus veſtris, oratio, obedientia & reverentia mei peccatoris, præcipuè Domino *Laurentio*, quan-

* i. e. *Quarta parte provincia Auſtriaca.*

* *Notat in margine Weilhaimius, priores duos rediiſſe ad Seculum, tertium verò in Monaſterio perſtiiſſe.*

quanquam cauſa extiterit gravedinis mei ſuprà vires. Parcat ei Deus, ſi tamen me adiuverit in orationibus ſuis, Deo utique gratis. Et ſi dignum iudicaveritis, communicentur eis hæc pauca nova, quæ gratiùs cultiori & abundantiori modo miſiſſem, ſi nuntius non avocâſſet.

Salutentur omnes veſtri. Et indubiè plures veſtræ charitati ſcripſiſſent, ſi nuntius fuiſſet præſtitus. Denique iam Conventus cœnat, cùm hoc ſcribo in Monaſterio *Mellicenſi* die S. Scholaſticæ anno Domini &c. LII. per veſtrum Fratrem inutilem Fr. *Iohannem de Welmikch.*

Nota Weylhaimij.

Cæteras epiſtolas eius, in Prælatura mihi ſub Prioratu miſſas, conniveo, quia principaliter erant de differentia Principum & incolarum poſt obitum Domini *Ladislai* regis, qui obijt *Prage* die S. Clementis anno 1457. ætatis ſuæ anno XVIII.

CXLIII.

Thome de Laa, Monachi Mellicenſis epiſtola ad eundem, de ſtatu interiori Monaſterij ſui.

Ibidem. POſt miſſionem ſeminis in vexatione metere manipulos cum gaudio, pro operibus quoque charitatis æternæ beatitudinis præmia feliciter adipiſci.

Honorabilis, præamande Pater. Veſtra ſolertia occaſionem quærens ad fovendum gratia ſinceræ charitatis affectum voluit aures meas pulſare, ut eam de certis curarem punctis informare, quod gratanti ſuſcepi animo, humiles referens gratias pro tanto beneficio. Et quia cognovi, quòd Pater Prior noſter de pluribus, in ipſis punctis comprehenſis, veſtræ velit Dilectionis auriculam revelare, ideo multis omiſſis ad certa * in ipſis articulis contenta * ſcribendo me converto.

* *ſ. extra* * *Cod. contenentur.*

Non conſtat mihi, quòd poſt receſſum veſtrum a *Mellico* proximum aliquis ſit denuntiatus, qui confraternitatem nobiscum habuerit. Quòd P. *Martinus* revocaretur, aliquot vicibus ſolicitavi circa Patrem noſtrum Priorem in abſentia Domini noſtri Abbatis. Ad parendum tamen ac ſatisfaciendum veſtro deſiderio intendo id ipſum agere circa Dominum noſtrum Abbatem, poſtquam habuero copiam ac opportunitatem eius præſentiæ, quæ nobis pro nunc rara atque cara facta eſt. Quem denique noſtrum Dominum Prælatum tanquam expoſitum vel involutum multis occupationibus ac laboribus, utinam non periculis, veſtris obnixè commendo devotionibus. Videtur enim in cavendo pruinam, id eſt, opus viſitationis, incidiſſe nivem occupationis onerum totius patriæ. De cuius denique valore propter eius abſentiam nihil certi ſcribere ſcio.

Valent competenter quoad ſanitatem corporis Pater *Iohannes de Hiſew*, Frater *Georgius de Oetting*, Frater *Bolfgangus* Converſus ac cæteri Patres & Fratres, licèt noviter ſatis notabiliter infirmi fuerint Pater *Stephanus de Wienna*, & Frater *Michaël de Kemnaten.* Pater *Iohannes de Salzburga*, emiſſus eſt ſub vindemijs, ad inſtantiam tamen ſuam. Frater *Stephanus Kolb* poſt feſtum Epiphaniæ emiſſus eſt, & ſtat nunc apud *Scotos Viennæ.* Frater *Iohannes de S. Gallo* poſt feſtum Purificationis receſſit exutus habitu Novitij.

De mittendis ad Monaſterium *Admontenſe* per Patrem Priorem informabimini: Similiter de Novitijs noſtris, qui poſt veſtrum receſſum advenerunt, quos etiam cordintimè veſtris commendo orationibus, ut det eis Deus perſeverantiam ad bonum eorum & noſtrum. Commendo etiam omnes nos eidem veſtræ religioſitati ac devotioni, ut omnipotens nobis ſuam largiatur miſericordiam, ut ſimus exemplares eis. Sicut enim ex eorum perſeverantia & incorporatione magnum ſperatur bonum Monaſterio provenire: ita & eorum receſſus absque facta profeſſione faciliter poteſt in magnum nocumentum loco noſtro cedere, in quantum talis non modicum alijs præſtaret impedimentum veniendi ad nos. Et licèt pluribus ex cauſis veſtram præſentiam deſiderem, tamen hoc, ſcilicet præſentia Novitiorum ſpecialiter me-- & non ſolùm veſtram, ſed etiam P. *Martini.* Credo enim veſtras hìc nobiscum exiſtentias multùm poſſe utiles [eſſe] ad inſtruendum verbo & exemplo. Quapropter chariſſime Pater, hortor vos in Domino, qua poſſum inſtantia, ut finito opere ac obedientia, cui actu inſudatis, non velitis veſtram prorogare manſionem extra lo-

cum veſtræ profeſſionis, ſed quandocyus redire ad ovile, unde exiſtis.

Cæterum Patrum amantiſſime, exoro Altiſſimum, ut in opere viſitationis dignetur vobis aſſiſtere, & gratiæ ſuæ iuvamen ac munimen patientiæ ac longanimitatis contra tela adverſitatum ac vexationum miniſtrare, ut inde ſibi gloria, proximis ſalus & vobis corona proveniat. Demum ut mei peccatoris velitis eſſe memor in orationibus veſtris ac bonis operibus, ſupplex rogo, quatenus Omnipotens Deus veſtrarum, quas ſpero ſibi eſſe gratas, interventu precum dignetur me miſericorditer reſpicere, peccata mea remittere, ac in neceſſitatibus, ſecundùm quod novit mihi eſſe expediens, ſubvenire. Offeratis, oro, Patribus ac Dominis meis Reverendis Conviſitatoribus veſtris, orationes ac obedientiam mei ex parte. Valete in Domino. Ex *Mellico* ocyùs in die S. Scholaſticæ, per Fratrem *Thomam de Laa* 1452.

CXLIV.

Bernardi de Kreyburg, Cancellarij Salzburgenſis, Epiſtola ad Viſitatores Provinciæ Salzburg. Rogat, ut rigor regulæ Sanctimonialibus non nihil remittatur.

1452. *Ex Cod. Mellic. G. 23.*

REverendis Patribus & præceptoribus mihi ſingulariſſimis -- Dominis Viſitatoribus Monaſteriorum Ordinis S. Benedicti per Provinciam Salzeburgenſem, *Bernardus de Kreyburg*, Secretarius Cancellariæ Curiæ Salzeburgenſis.

Reverendi Patres, Domini & Præceptores mihi ſingulariſſimi. Quantus ſum, non minor, reſidere cupio in archa veſtrarum devotionum. Aliàs poſtquam abhinc a nobis abijſtis, ùt Dij boni ſciunt, ita ſæpius apud Deum, homines, & me, fui memor veſtri, ut vix lapſum credam tempus, quo mens mea veſtræ benignitatis fuerit oblita. Ita enim vos diligo, tantique magni pendo, ut ſummos poſt Deos mihi vos amicos conſtituerim, non alicuius commodi, ſed ſolius virtutis veſtræ gratiâ. Verùm pro huiusmodi comprobanda amicitia tempore hoc intermedio ſcripſiſſem ad vos nugas meas ſæpius, ſi aliquid in eis, quod veſtris fuiſſet oculis placitum, intellexiſſem. Movent autem nunc pleraque ad mittendum calamum: inter quæ unum eſt hæc, quam in intimis ſæpe revolvi, id eſt: grandis utriusque noſtræ vitæ differentia. Videns enim vitæ veſtræ ſanctimoniam, fructificandæque devotam religionis conſtantiam, Divinamque voluntatem in nullis a veſtris diſcrepare operibus, ſed ita coniunctam, itáque fore conſonam, ut ad rationis imperium ſingula in vobis opera deſpoticè videantur obedire: hercle longè me alium metior, longè alium me ſentio, obliquatum videlicet & errantem, a viáque recta divium.

Si enim interdum etiam Dijs ſpirantibus, velle in me rectum fuerit, bonoque viſum conſentaneum, adeò tamen in eo mihi opus tam eſt perdifficile, ut, niſi miſericordias audiſſem Domini immenſas, vix intra me adipiſcendæ ſpes vitæ beatitudinis remaneret. Vt autem ſaltem tardiusculè & his diebus ad meliora irem opera, tacitus vos mihi poſui dudum ante oculos: affixi vos cordi meo, humaniſſimam veſtram expendi vitam ùt regulam, ùt exemplar perſpicuum, ſecundùm & ad quas aliquando ſaltem acta mea devia rectificarem: Viſum mihi fuit, grandem viam arctamque, quæ ad regnum ducit, reſtare, ad comitandum facilem, dum vos ſentirem tam planos in inceſſu.

Sed perſeverantiſſimi viri, queror, queror cum dolore, fallor a regula, nec eam ſic imitor, ut Domino placeam: in via pedes, quia non firmi ſunt, labuntur: ad Deum deſidiosè, non promptè aut delectabiliter pergo: quotidie iter poſtergatum eundum renovo, & quod miſerius eſt, video, quòd necdum caro prompta ſit in via rationis & bonorum morum ad ambulandum. Rogo, Patres clariſſimi, ſi quæcunque apud humanitates veſtras mihi fides eſt, atque propter benevolentiam, quæ uberanter ex Chriſto Ieſu in vobis habitat, quatenus apud altiſſimum, apud quem vix attollere præſumo oculos, veſtris precibus, quæ tanquam mundæ perfacilè pro peccatoribus exaudiuntur, mei faciatis memoriam, depreſſum ſublevate precibus. Ego, ut iuver, voluntatem aptabo, quantum mea inſtabilis admiſerit

Digitized by Google

miſerit humana conditio, partes conſtringam ſenſuales, ne ad caſtra vadam hoſtium. Si pro me Deos oraveritis, non me fallit dudum, quin mihi vos imitari detur ab alto, & ſaltem ſic, ut ad minimas vos poſſim ſequi portionum virtutes.

Cæterùm fortè iam me ſilere ac verbis & chartæ finem dare creditis? Non ſic. Diffuſiùs ſcribam, ſed inconſultiùs, nec ſolo ex me quidem, ſed mandato, ſcitu & voluntate mei Pontificis. Is voluit, is demandavit, ut ad vos ſuper pòſt ſcribendis litteras meas deſtinarem. Me ergo obedire poteſtatibus ſuperioribus neceſſe eſt. Si, de quo ſcribere propoſitum aſſumpſi, ſcire volueritis, attendere placeat.

Dominus noſter Reverendiſſimus Sanctimonialibus Monaſteriorum ſuæ Dioceſis veſtri Ordinis, ſed & præcipuè Salzeburgenſis, paterna commiſeretur humanitate. Novit enim, quoniam ſexus ille fragilis eſt atque debilis; nulliqúe quàm ſibi minùs conſulere novit, quotidianis involvitur debilitatibus. Dixi vobis aliàs eius nomine ſæpenumero, in ſuæ Paternitatis Reverendiſſimæ beneplacitum eas ut reciperetis commendatas. Reſpondiſtis, ad Dominum Legatum, cuius vices geritis, transmiſiſſe nuntium, a quo reſponſo habito ſpes vobis adeſſet de obtinendo apud ipſum, quòd regulæ rigor, ſignanter quoad hunc debilem cœtum veſtri ordinis, paterna demulceretur pietate. Rogat Dominus noſter Reverendiſſimus, rogant reliquæ filiæ veſtræ, revera usque in præſens multa invaletudine & infirmitate, ùt fertur, vexatæ: precor & ego eis præſenti meo nuntio, quid indultum ſit, quidve a Domino Legato conceſſum, intimare, ut ſic ad Dominum meum Reverendiſſimum de ijs conferam & mandatorem. Conſolamini, quæſo, populum hunc miſerum, ut in his refocillari [poſſit], in alijs fixa, quam cepit, conſtantia non depereat. Agite, mi Patres, ut intelligant, vos ſuis compati infirmitatibus.

Tria petunt, ſi intelligo, ut admittantur, vel ſaltem ex eis ipſis concedantur aliqua. Primùm veſtes lineas, ſecundum ieiunium infra exaltationis S. Crucis & Paſcæ ſic relaxare, ut ſaltem pro diebus tribus in hebdomada ieiunio non ſint aſtrictæ. Et tertium, ut diebus eisdem eſu carnium uti poſſint, quemadmodum viva voce ſuper his rebus clariùs hìc fuiſtis informati. Iam ſi in petendo brevis ſum, optimi viri, quid tamen petam, aut in quo ſe fundet mea petitio, optimè nôſtis. Rogo per Omnipotentem Deum caritates veſtras, Viri devotiſſimi, ſi quid apud Dominum Legatum pro indulgendo his deſiderijs obtinuiſtis vel datum habetis in commiſſis, velitis pro hoc miſero genere, nullo ampliùs quotidie quàm debilitate gaudenti, ad petita relaxationem facere, ipſumque miſericordia in his conſolari, ne, ùt autumant, nimiùm oneratæ deſperent. Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, ſi hoc non pro Religionis perſeverantia loquar aut ſcribam. Certiſſimè facitis in eo grande Domino meo Reverendiſſimo beneplacitum. Vos ùt Patres, qui compati norunt, paternos huic ſexui exhibebitis affectus. Et ego veſter ero ad obſequia ſemper paratus. Benè valete ad ſupportandas debiles miſericordiam agentes, ad Deum mei memoriam faciendo. Ex Salzburga 28. Menſis Ianuarij anno Domini &c. LII.

Reſponſum Viſitatorum ad præcedentem Epiſtolam.

Poſt calamitoſæ præſentis vitæ exilium æternæ beatitudinis refrigerium pro ſalute. Venerabilis Magiſter, amicorum ſingulariſſime. Epiſtolam veſtræ præclaræ ſuſcipientes ac legentes facundiæ, admirati ſumus latentem ſub ſermone luculento profundam humilitatem. Sed non vacat calamo prolixiùs inhærere ob multam occupationem tam ex parte novi Abbatis hodie factæ huius Monaſterij electionis, quàm propter proviſionem, eius præceſſori, qui liberè ceſſit Prælaturæ, conficiendam. Et ſerie tamen veſtrarum litterarum primùm Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Archiepiſcopi Eccleſiæ Salzeburgenſis, noſtri præcolendiſſimi Metropolitani laudamus zelum Paternum, quem gerit erga oviculas, plebem ſcilicet invalidam, Sanctimoniales, ſub alis ſuæ Paternitatis Chriſto militantes. Deinde veſtrum amplectamur affectum ad easdem.

Vt autem aliquod brevioribûs demus reſponſum, copiam noſtræ ſupplicationis,

nis, apud Dominationem Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Cardinalis & Legati, Domini noſtri Gratioſiſſimi, nuper pro parte Sanctimonialium Ordinis Patris noſtri Sanctiſſimi Benedicti exhibitæ, præſentibus intercluſam, veſtræ amicabilitati transmittimus cum copia ſuæ, quam fecit de manu propria, ſubſcriptionis, a latere copiam ſuæ miſſivæ annectentes.

Verùm ex diſcretione regulæ noſtræ Abbatiſſa poterit licitè frequentiùs cùm ſororibus ſibi ſubditis ſuper ieiunio diſpenſare regulari, quàm diſpenſandum ſit cum Monachis. Similiter ſentiendum eſt de eſu carnium, eò quòd pluries habent propter ſexus fragilitatem & frequentiores infirmitates, quàm viri, cauſam diſpenſandi. Non tamen debent dies & tempus ſecundùm intentionem Domini Legati denominari.

Tandem noveritis, quòd nullos Deos pro veſtra charitate veneranda, ne gentilizare videamur, interpellabimus, ſed uni Deo vero, de quo Scriptura ſancta loquitur dicens: *Audi Iſraël, Deus tuus unus eſt*, preces noſtras, licèt exiguas, humiliter fundemus, petentes viciſſim nobis veſtras orationes devotas communicari. In Chriſto valete. Datum in Monaſterio *Althæ Inferioris* &c. ultima Ianuarij 1452.

Reſponſio Cardinalis Nicolai de Cuſa ad petita Viſitatorum.

Nicolaus Cardinalis S. Petri ad Vincula, Apoſtolicæ Sedis per Alemanniam Legatus, Venerabilibus Viris *Martino* Scotorum Wiennæ, ac *Laurentio* Cellæ Mariæ Monaſteriorum Abbatibus, amicis noſtris cariſſimis. Reverendi in Chriſto Patres. Recepimus litteras veſtras, quas cum earundem ſupplicationibus, manu propria noſtra ſignatas vobis præſentibus intercluſas, transmittimus, quia pluribus alijs negotijs occupati, & propter abſentiam Notarij noſtri non poterant pro iſta vice litteræ patentes deſuper expediri. Quare cum eisdem ſignaturis noſtris iuvabitis vos, donec a nobis litteras deſuper receperitis patentes. Ex *Colonia* 28. Decembris.

Declaramus quoque, auctoritate commiſſa ſuſpendere ab adminiſtratione temporalium & ſpiritualium poſſitis, quousque nos aliud de ſic ſuſpenſis ordinaverimus. Similiter inutilium cedere volentium reſignationes admittere, & nobis de conſenſu conventùs præficiendum nominare, quia proviſionem committere non poſſumus. Cætera, quæ in foro conſcientiæ etiam diſpenſando feciſtis, dummodo talia ſint, quæ Papa facere conſuevit, ratificamus, & placet, ut talem & alias priùs conceſſas facultates habeatis, quàm diu viſitatis, fluxu temporis non obſtante. Similiter de Confeſſoribus & alijs, etiam familiaribus, quæ petitis, placent.

N. Car. Legatus.

Id, quod videbitur, cum particularibus perſonis agendum, faciatis regulâ immutatâ. Quoad Congregationes diſpenſet crebriùs Abbatiſſa: non detur regulariter certo tempore.

CXLV.

Eiusdem Bernhardi de Kreyburg deploratio miſeriarum ſui ſeculi, præcipuè captæ a Turcis Vrbis Conſtantinopolitanæ, ad Sylveſtrum Ep. Chiemenſem. 1453.

Bernardus de Kreyburg, Obſecutor humilis Eccleſiæ *Salzburgenſis*, dulciſſimo ſuo Patri, Reverendiſſimoque Domino, Domino *Sylveſtro*, Epiſcopo *Chiemenſi*, viro maturo & prudenti, ſalutem, & ſua noviſſima memorare. *Ex Cod. Mabic. N. 13.*

NUdius tertiùs cœpi mecum mirari ſuper iniquitate huius ſeculi, præſertim ſuper ea malitia, quæ per omnem ſtatum in noſtra nobiscum volvitur ætate. Quantò enim a priorum patrum veſtigijs ſanctæ fidei veriſque firmitate totum mundum & me primum aberrare video, tantò tremens in me vehementiùs contremiſco. Hæc cogitans videnſque totum humanarum rerum ſtatum invaleſcente nequitia in deterius patulò commutatum, decrevi intra me Pontificem in Orbe toto mihi confidentiſſimum mearum curarum, ſolicitudinum & anguſtiarum, quas per noctes occiduas in ea re ipſe mihi exaggeravi, per has facere litteras participem. Inter quæ primùm rogo, ut eas litteras tantò fidentiùs a me recipias, quantò ab amariori cordis proceſſerunt compaſſione.

Scri-

Scribam autem tibi plano ſimpliciſque verborum decurſu, non rem novam, ſed toti communem ſeculo: nec in ijs quicquam expectes conſpicui, quæ oratoris ſunt potiùs quàm lugentis noſtræ ſtatum ætatis. Quia enim intellectus meus tenebroſo carnis domicilio includitur, ignorans eſt, ſcientiamque non habet. Non tamen ob hoc, quòd puer & ſervus tuus humiliter offert, & fiducialiter deſtinat, animo legas ingrato. Vicit enim ad deſtinandum me nil aliud quàm fides & caritas, qua præ cunctis mortalibus in te feror ſemper opimè. Sed ne in longum per deſertum vagari incipiam, tibique tœdium pro ſolatio feram, rem ingrediar, quæ licèt mihi gravis ſit, cordique meo onus moleſtum, cùm tamen illud ſub ea fiducia, quam ad te gero, in tuas aures depoſuero, mihi viſum eſt, pro magna parte a doloris onere me alleviatum. Pergam ergo, mi Pater.

Dum intueor omnia, non ſolùm quæ non ſentiunt, ſed etiam quæ ſentiunt, a ſumma cœli arce uſque ad infimum terræ punctum, & quæ in æthera ſurſum, & quæ in terra, quæ in mari, ſylvis & agris deorſum, ab homine & Leone uſque ad minimum & extremum vermem, omnia plus ſolito deficere ſentio, ultráque priſtina tempora ævo noſtro ſingula a ſtatu ſuæ labi perfectionis. Video primùm, quod deficit iuſtitia, prima regnorum conſervatrix, quæ tam perrara tamque difficilis & exigua facta eſt, ut iam pro tua parte expertus ſis, quòd nemo in terris neque dives neque pauper eam cum hominibus, ùt eſt, conſequi poſſit. Et ſi dives & ſi Pontifex hanc aſſequi ambigit, pauper contemptus apud eos, qui portas habent aperire iuſtitiæ, eam quomodo conſequetur? Sed certè ùt videtur, ipſa vi forti depulſa a noſtris abſceſſit ædibus, ſedes eius omnis vacua eſt, Iis autem facta immortalis, taliter ut, ſecus quàm apud Superos, in diffluenti hoc Mundo iuſtitia haberi non poſſit, ſed ſubcrevit ùt zizania eius loco fucata nobiſcum impietas, abundatque tantùm ſummè inflammata cupido, ut nunc ultra, quò progrediatur, non habeat, immò qui homines in terris iuſti reliqui ſunt, non niſi in prædam & deriſum ſint ſceleratis. Optime Pater, angulos Orbis circumſpice, eius metire habitatores, & videbis, quòd nihil aut parum quiſque habet, niſi id aut malè defenſum aut peiùs ſit quæſitum. Audacia & vis, non ius, omnia poſſident. Sed ſi id tibi commune, & in tuis oculis non magnum videtur, maius iſtô animadverte.

Nempe deficit in hominibus fides, pax, & humanitas, paſſimque ſecuritas, atque cuiuslibet ſtatus regimen omne, non eſt bonis requies a ſeditioſis ulla. Sed nec ea ſolùm deficere ſentio, quæ ſic ab arbitrio dependent electivo, ſed & ea, quæ ab elementis procedunt atque eorum mixturis. Nam morbi in omni terra, præcipuéque in noſtra, montibus & petris innixâ, frequentes adveniunt, nec ſolùm ſenio confectis, ſed & adoleſcentia fruentibus. Nemo noſtra ætate annum evaſit viceſimum, qui clanculo aut palam non aliquo quottidiano defectu ſubiaceat aut morbo. Aër iam vitiatus peſtilens & corruptus factus eſt, tantoque, ut nemo hoc tempore a peſtis contagione die noctuque ſit ſecurus: nemo tutus, quando vel qua hora dimiſſo corporis caſtro ad aliam exire cogatur ſibi ſedem ignotam. Vadunt hìc homines triſti vultu, nemo lætus, nemo iocundus, exanimes & exſangues cuncti. Vexamur denique hoc anno longè plus, quàm antè prior noſtrâ vexata fuit, ætas quottidianis illis imbribus, compluvijs, fulmine, grandine & coruſcationibus nimijs, rigentibus & importunis, quæ non ſolùm agros, prata & vineas, ſed & littoreas pleraſque faciunt perire villas. Iam enim a retroactis pleriſque menſibus tam nubiloſum tempus defluxit, ut in eis nunquam triduum continuum illuxerit ſerenum: propter quod pauper agricola *, tanta quottidiana deiectus imbrium pluvia, quaſi a ſuæ & parvulorum ſuorum ſpe nutriendæ cadit vitæ, potiſſimùm dum his Auguſti & Iulij menſibus pro ſuis lunationibus, in quos totius ſui laboris ſpem poſuit, aquarum inundatione fructus deficere videt. Sed venit iam proSemptembris Lunatione tantus ardor tantuſque calor, ut caniculares & Pleiades apertè extra ſua loca videantur erupiſſe. Ecce cœlum errat, & Aſtronomus omnis!

* *Col.* arista.

Præterea vidiſti, quantam annus præſens & plures præteriti vernali tempore agricolis ſpem in flore maximam poſuêre, ſed per aëris intemperiem quomodo in fructu deceperint, ſentiunt omnes, qui in meſſe iam ſua falce fata metunt, aut arbuſtorum legerint partus. Vidiſti inſuper, quomodo paucis in annis terra peſtilenti morbo defecit in quadrupedibus, aër in avibus, ripæ, lacus & ſtagna in piſcibus. Adhuc in vita, ſed ſenes,

ſunt, qui alterius & longè fertilioris abundantiæ & terram & aerem & aquam recordantur. Sed in hac penuria illud non minimum eſt, naturæque humanæ non parùm inimicum, quòd modò hyems in æſtatem, æſtáſque frequenter in hyemem noxia viciſſitudine transfertur. Iam enim in Auguſti medio, Sole, Venere & Mercurio in Leone convenientibus, ob quod homines æſtu ſudoreque fatigari deberent, ipſi ſtubas petunt calidas. Quis, quæſo, Cretes, Arabs id crederet aut Subſolanus? Quid ergo minus dico, quàm quòd Orbis totus infauſtus videtur & deformatus?

Sed quid referam ſingula? Non ſolùm corpora deficiunt elementaria, ſed & Civitates, Epiſcopatus, Ducatus & regna, quos ſi ſingulos enumerare voluero, non epiſtola, ſed immenſus liber excreſceret. Hoc ſufficiat. I per terras animo, curre ſaltim per Allamanniam, non eſt Epiſcopatus, non regnum aut ducatus, qui iam incremento gaudeat, ſed omnes luunt aut abſorbentur defectu: & ne alicui ſi quid diſtinctiùs nominavero, obloqui videar, intra cor tuum, qui es terrarum & dominiorum peritiſſimus. Indagare te ipſum, & reperies multò veritatem ampliùs, quàm hic tibi calamus ſcribit. Scitum eſt, nil verius eſſe nilque ſolidius, quàm quod ipſa rerum fundat natura. Sed reſcindam illa. Quò enim in his longiùs progredior, tantò plures ſe angustiæ offerunt & defectus, memor, quòd Democritus ſuo tempore, ubi nos optimà dicimus fuiſſe ſecula, ita errores eiuſdem deflebat ætatis, ut Flaccus demiretur, unde oculis tantus ſufficeret humor. Ad alia ergo pergam, & ultra dicam.

Licet hæc enumerata maxima ſint, Celeberrime Pater, parva tamen & parviſſima ea cenſeo, libenſque, ùt mala ſunt, ea in lue hac deflexo capite paſſus fuiſſem. Suffeciſſet enim ſaltem in humilitate, patientia & paupertate, in defectu & tribulatione huiusmodi inter meos vixiſſe coætaneos, uſque de huius medio in aliam fuiſſem ſedem ſublatus. Sed ſunt heu! ad præſens mala priora, acriuſque infeſtantia, his penè malis incomparata, ubi non terra * deficit aut cella minuitur, ſed ubi cœlum & incolæ minorantur: ubi non arvorum fructus ſed Apoſtolica fides: ubi non opus aut divitiæ, ſed Dei gloria & Chriſtianæ fidei religio deficit & attenuatur Audi, quid dicam.

* *Cod.* ira.

Nuper graviſſimos audivi, quos & tu audiſti, rumores, omni gladio ancipiti in me penetrabiliores, qui ingreſſi ſunt uſque ad medullam & animæ ac ſpiritus diviſionem. Hoc eſt, quòd funeſtus & expurciſſimus ille tyrannus, Turcorum Imperator in multitudine gravi manuque forti inclytam civitatem *Conſtantinopolitanam*, dudum temporum per excellentiſſimam Græcorum potentiam conditam, & ante annos mille, centum & quadraginta per invictiſſimum Imperatorem Conſtantinum in caput Imperij Orientalis fundatam, & ſui nomine appellatam, dicitur tenuiſſe obſeſſam, & eam modò, permittente Deo, Fortunaque, noſtris delictis obſtantibus, comitante, prô dolor! tenere expugnatam, atque ibidem ingentem Græcorum numerum alteriúſque populi Chriſtiani in ſanguine capitis ſui occidiſſe, teneatque hanc hodie ſibi ſubpeditatam.

O mi Pater, quid ſpei ſupereſt! Si Conſtantinopolitana civitas, tanta mole fundata, ac tam diu per multos celebres Imperatores adaucta, tantis denique opibus confirmata, tam brevi termino corruit, video nihil humanis viribus laboratum, quod non, Deo permittente, viribus humanis deſtruatur. Mortalia enim nil aliud ſunt, quàm opera Mortalia. Crede mihi, ab eodem die, quo hæc primùm mihi auribus inciderunt, uſque in præſens nunquam verè lætum vultum habui, triſtitia animi me abſorbuit, intravitque uſque ad animam meam. Immò quotiens hæc obſidio ad meam hodie redit memoriam, totiens ſemper dolor ad animum, & mœror ad oculos revertitur. Nempe cùm in corde meo prævideo, quæ deinceps mala, niſi Deus auferat, ſequi & contingere poſſunt, totus reſolvor in lacrimas, non certè fœmineas, ſed viriles. Timeo enim, ut illa res unquam ampliùs noſtro in tempore reducatur aut melior fiat. Peiorem fieri diſſentire non poſſum, tantumque, ut poſteris noſtris hæc mala noſtra currentia, [&] quæ lugemus * tempora, quaſi aurea ſecula in comparatione videbuntur. Et dum hinc inde multis volvor argumentis, interdum

* *Cod.* qui lugemus.

de

de civitate reobtinenda vacillans, ſubit deſperatio: verùm aliquando aliquid ſpei venit ad animum. Sæpe autem inter utrumque fluitante animo & elevatis oculis mecum dico: O ſi unquam in diebus meis ciuitas illa recuperabitur! O ſi unquam videbo vindictam in caput facinoroſi ac turgidi iſtius tyranni! Sícque in lacrimis titubans ſuſurránſque crebro, ad eum, ad quem pro ope recurro, Crucifixum clauſo ſuper me oſtio, dum aliquid otij [&] temporis occurrit, mœſta voce atque humentibus oculis exclamo:

O Ieſu bone & nimiùm manſuetè, fons miſericordiarum! Patere me coram te præſentes flere miſerias. Audi hanc meam, neque ſolam, ſed omnium tuorum publicam querelam. Exaudi, quæſo, ſi iuſta eſt, audi, ſi fas eſt de Angelorum Domino ſemimortuos ſuos vermes lamentari. Certè non accuſator, ſed tui ſupplex, queror hodie ante tuæ æternitatis ſolium cum lacrimis perfuſus. Queror, & ut querelas inoffenſus audias, ſupplico. Ad id autem nec longo ſermone, nec verbis ullis opus eſſet. Vides enim conceptum meum non ſolùm, antequam ad linguam, ſed etiam antequam veniat in animum. Patere, quæſo, ut hoc vaſculum terreum atque fragile adverſùs æternum figulum diſceptet.

Exclamo ergo ad te: Quid hoc eſt? Cur permiſiſti, ut procax ille vaſtator & infidelis adverſùs fidei tuæ profeſſores tantam ſortitus ſit fortunam, tantam in ſua pernicie ſit victoriam aſſecutus? Cur iacturæ fidei tuæ non ſubveniſti? Cur non obſtitiſti? Ecce vociferat poſt nos cornutus hoſtis, & draco ille inſultans Turcorum Imperator clamat in ſuperbia ſua: Deus eorum dereliquit eos, perſequimini & comprehendite, quia non eſt, qui eripiat. Non audis tumidam eius hanc vocem? Non audis inſolens ipſius opprobrium? Cur ita obliviſceris inopiæ & tribulationis noſtræ? Protector noſter aſpice Deus, vide, quid patimur, quidquid nos & poſteri noſtri, fidei tamen tuæ baptizati, paſſuri ſumus. Vide, quid ab hoſtibus tuis eis illatum ſit, inferrique, niſi ſubveneris, timeatur. Vide, quid in eis actum ſit, qui ſub clypeo nominis tui in ſanguine martyrij ſui ab impio ceciderunt. Homo Ieſus exurge, noli protelare, quare obdormis? Exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis? Vide & vindica. Si id, ut vindictam, quæ tibi ſoli derelicta eſt, obſecremus, nimium eſt, ſaltem feſtina, non ſubſiſte, occurréque celeriùs, priuſquam illius væcordis inimici vis veneni mortifera vitalia membra corrumpat. Vide, ne in his extremis malorum molibus obruamur.

O quid agis in te ſperantium ſalus? Quid Salvator cogitas? Quid hæres? Quid expectas? Quid oculos a nobis avertis? An mala noſtra, id eſt, civitatem Byſantinam tuam, *Conſtantinopolim*, caput Romani Imperij, portionem hæreditatis tuæ, expugnatam, laceratam, colliſam atque peſſundari non vides? O regum Rex, a quo imperia cuncta in terris, & quæ ſurſum ſunt, precariò poſſidentur, quem nec cœli ambitus nec abyſſi fallit profunditas, quem nec ſtillæ Oceani, ſylvarum folia, arenæ numerus, ſtellarum varietas, nec animantium latet multitudo, cur iſtam tuam, & quæ nullius eſt alterius, diſſipari permittis hæreditatem? Nunquid tibi ex Paterno debito de nobis, & ſaltem de tuis famulis cura eſt? An infideles, nominis tui adverſarios, nobîs plus diligis? Aut nunquid quos redemiſti in ſanguine teſtamenti, odio tibi ſunt, quos olim uſque adeò amare conſueveras, ut noſtrî amore tractus cœli rector Deus in terram deſcenderes, atque in cruce homo aſcenderes moriturus? Cur, quæſo, tot bonos, tot innoxios, tot probè agentes ſic lacerari, ſic in mortem truncari permiſiſti, & non potiùs ſi non pro iniquorum, ſaltem pro tuorum ſalute, & tui nominis laude prohibere voluiſti? Certè ſi potuiſti & non feciſti, ſoli dilectioni tuæ, ſileo noſtræ, iniuriam viſus es feciſſe. Si non es omnipotens, ita ut eruere a tyranno non potueris, quid de te ſperamus? Nunquid terruit te vis hoſtium aut turcium multitudo Theucrorum? Hercle non puto. Scio, potens es ſuper omnia, quæ in cœlo ſurſum ſunt, & quæ ſuper terram. Si aliter auderem præſumere, mentiretur iniquitas ipſa ſibi. Sed vide Ieſu iudex infallibilis, ne, dum paucis parcas infidelibus, plebis tuæ Chriſtianæ perdas innumeros. Vide, ne pietas exterminatoribus & ſceleratis permiſſa, ſit infinitorum crudelitas Chriſtianorum, occiſioníſque maior pernicies.

Iterum

Iterum parce, ut ego homuncio, cinis & lutum loquar: Si tu nos fidei tuæ profeſſores, in honorem creatos, in tantam vertes contumeliam, ſi extero & crucis tuæ inimico nos ita ſubieceris, aut in eius nos poteſtatem redigi permiſeris, quamvis id iuſtè facias, multò tamen, quàm ſoles, & quàm confidimus, acriùs in nos ulciſceris. Sed ſi adhuc pateris, ampliùs & in maiorem, ùt timemus, ab infidelibus nos verti ignominiam, in noſtris malis valde patientior ſolito factus es. Si intrinſecos illos noſtros reſpuis & non admittis gemitus, valde præter ſolitum factus es negligens tuorum. Quòd ſi fortè propter peccata noſtra ſic permittendo nobiſcum ludis, vide ſolus, qui noſtros uſque ad viſcera nóſti defectus, ne ludus iſte tuus æquó durior nobis ſit. Vide, an nos creaturæ tuæ imbellices validi ſimus ad tam gravia toleranda. Non obliti ſumus, ſed ſcimus, quia tu regum es fortiſſimus victor, Leo de tribu Iuda, a quo omne robur, nos autem vermiculi reptantes, ovéſque paſcuæ tuæ. Vides ergo o Conditor, quàm impar ludus ſit. Niſi ergo hoc Leonis more ludere deſieris, nos invalidas oves ita ludendo omnes conſumes mactabiſque uſque ad unum.

Si verò paſtoris zeli oblitus, & iratus nobis es, nos, qui tui ſumus, iram tuam propter noſtra ſcelera meritos non negamus. Sed ubi eſt illud, quæſo, quod de te nobis dictum ore Prophetæ tui credimus: *cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*? Scimus, quia Propheta non niſi a ſumma, quæ tu es, veritate, hæc retulit. Ideo recordare miſericordiæ tuæ, criminum noſtrorum obliviſcere, fac luceſcere potentiam tuam, Deus ne elongeris a nobis, Deus noſter in auxilium noſtrum reſpice. Sed reſpice, ut non videas tantùm, ſed ut miſereariſ, & opem feras. Reſpice res noſtras afflictas & poſitas in extremo. Hoc nobis miſeris ante tuam curvatis faciem expedit, hoc te decet. Meremur, fateor, omne ſupplicium, immò certè peccatis noſtris nullum ſupplicium par eſt. Deus ultionum Dominus, fecimus nos & fortè non minus patres noſtri ultione digna, propter quæ iuſtè nos punias. Et ſcimus, quòd iuſtus es valde: ſed ſcimus ad hæc, quòd ſis duplò miſericordior. Vnde non ſine cauſa, immò nobis in conſolationem idem tuus Propheta, antequam te iuſtum diceret, miſericordem & miſeratorem te nobis oſtendit: *exortum eſt*, inquit, *in tenebris lumen rectis corde, miſericors & miſerator*, iuxta tamen ait: *iuſtus*. Idem alio loco cùm dixiſſet: *miſericors Dominus & iuſtus iudex*, videns hæc paria, confeſtim addidit: *& Deus noſter miſeretur*. Ergo miſericors in eſſentia, miſerator in efficacia IeſuChriſte noli, quæſo, ampliùs nos confundere, noli, licèt contumaces in ſervos iræ tuæ frœna laxare, ſed ſis immemor noſtratum offenſarum, miſerere noſtri.

Nunquid in æternum nos proijcies Domine, aut in finem miſericordiam tuam abſcondes a generatione fidei Chriſtianæ? *Nunquid obliviſceris miſereri Deus, & continebis in ira tua miſericordias tuas*? Verba iſta Propheta, ùt apparet, non fortuitu iactavit, ſed conſultò poſuit: unam aſſerit *iram*, *miſericordias* autem plures eſſe. Has ergo miſericordias mirifice in fide tua, mirifica fidelibus tuis, qui ſalvos facis ſperantes in te. A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi nos ùt pupillam oculi. Memor eſto, quòd ingratiſſimum tibi ſemper populum Iudaicum in miſericordias dediſti, apertoque mari rubro ad propria reduxiſti. Sic fidei tuæ cultoribus mare mediterraneum aperi, & populo tuo, tibi licèt ingrato, ſed certè tuo nomine & cruce glorianti, da miſericordias, da de hoſtibus victoriam in conſpectu omnium, qui ceperunt eos. Salvos nos fac Domine. Succurrant, quæſo, quadrigæ Aminadab, ut experti intelligamus miſericordias Dei noſtri. Adiuva nos Deus ſalutaris noſter, non quidem propter meritum noſtrum, quod nullum eſt, ſed propter gloriam nominis tui: non quia digni ſumus, ſed propter nomen fidei tuæ, ut tu ſolus miſericors iuſtificeris, & vincas coram omni, coram quo de miſericordia iudicaris. Oramus flentes, ne tradas beſtijs infidelibus animas confitentes tibi, animáſque pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem. Et ſi per manum impij tyranni repuliſti & deſtruxiſti glorioſam ſacri Imperij hæreditatem, ſi commoviſti Græciam, ſi conturbâſti Europam, ſana contritiones eius, quia hæc ſolus omnia potes.

Sed quis ego ſum homuncio, cinis & favilla, ut tantum loquar Conditori meo, aut ut litigem tecum? verbum unum locutus ſum, quod utinam neceſſitas non poſtu-

postulâsset! Sed hoc unum addam. Inter omnia hæc tibi nos ac nostra committimus, causamque hanc magnam & nobiscum inauditam ad clavum crucis tuæ figimus. Ibi ad medendum eam tibi relinquimus. Vltra enim vires nostras conteri nos fecisti. De nobis ergo tu videris, qui tibi commissi sumus. Sis memor imbecillitatis omnium, qui sub tua fide degunt. Timeo enim, nisi tu solus subveneris, sub tantarum ærumnarum cumulo diu non subsistemus. Itaque opportunam fer opem ijs, qui adhuc vivi tibi relicti sumus, ne, si etiam nos perire permiseris, suscitare habeas, quos salvare potueras. Scimus enim, quòd Ecclesiæ tuæ fides non deficiet in æternum.

Adesto ergo spes nostra, intende ac festina. Alioquin si pietate remota cum severitate per thronum iustitiæ tractare nos volueris, nos, licèt inviti, tamen nullius quàm tui, ab eodem tuo throno iustitiæ pro ultimo remedio appellare cogemur. Adibimus cum fiducia ad thronum misericordiæ. Scimus, quia adhuc tempus comparitionis est. In hoc enim regno misericordiæ, quia tempus est miserendi, fatalia non transeunt. Vt ergo defendas iura curiæ regni istius, debitor es, omittere pietas tua non potest, neque remitti ad thronum iustitiæ volumus. Scimus enim, quia horribile est incidere in manus Dei, iustitias iudicantis. Si verò appellationi deferre nolueris, ex tunc, ut in fide nostra Mundum extimplo finias, precamur.

Vsque in præsens, Optime Pater, variè digressus sum: volens facere epistolam librum effeci. Si tibi ea nimis quàm velis, est prolixa, dolco. Ipsa mihi brevior est, quàm affectus cupit. Vale. Ex *Salzburga* X. Kal. Augusti anno &c. 53.

CXLVI.

Timothei Veronensis, Canonici Regularis Epistola, qua cunctos Italiæ Principes exhortatur, quò suis copijs in Turcam quamprimùm contendant, qui nuper Constantinopolitana urbe potitus est.

1453. *Ex Biblioth. Gemnic.*

TImotheus *Veronensis*, Canonicus Regularis cunctis Italiæ Principibus salutem. Deum immortalem sæpenumero precatus sum, quòd tandem Italicas res post varia prælia, post cædes innumeras, post direptas & eversas ciuitates, non longiùs progredi ad interitum, sed componi sineret ad quietem. Quidquid auctoritatis, fidei & constantiæ ad hanc rem conficiendam, & privatim apud quosdam, & publicæ prædicando contuli, cùm frustratas preces meas & irritos labores animadverterem, ab incepto destiteram, & ab eo proposito desperans, prorsus animum averteram.

Cùm verò hisce diebus *Constantinopolitana* calamitas mihi significata fuisset, & hostem barbarum instar pecudum Christianos trucidâsse, & cuncta profanâsse intellexissem: cœpi eò ampliùs *Italiæ* pacem optare, quò in ea periculosiùs huiusce modi bella geruntur. Nam idem Barbarus, quemadmodum ea parte *Græciæ*, quam superiori tempore subiugauerat, minimè contentus, *Constantinopolim* etiam obsidere conatus est, & adeò conatus, ut ea tandem potitus sit: ita etiam pertimescendum est, ne Regni cupiditate inductus, & in omnem Christianum armatus è *Græciæ* finibus emergere, & in *Italiæ* luce versari, ac eam sua barbarie coinquinare nitatur. Præ multitudine enim hominum, & præ gloria belli atque consecutæ Victoriæ, angustos se fines habere arbitrabitur, existimabitque, cùm vos invicem dissidentes, & de principatu contendentes intellexerit, totius Italiæ sese imperio facillimè posse potiri.

Ad eam rem conficiendam iam se parare videtur, cùm finitima & ex Aquilone, ùt ferunt, sibi conciliet regna, & proximis cum Ciuitatibus pacem & amicitia ineat: Cùm undique quoque fabros lignarios conducat; & omnia eius litora rostratis iam navibus fabricandis occupata sint: cùm etiam maiora, quàm antea fecerit, bellica tormenta componat. Vnde vix vno *Græciæ* bello finito, bellum alterum concertantibus Italis minitare videtur.

Trahent eum tum florentissimæ *Italiæ* res, & vetus consuetudo nulli comparanda; tum eorum, quos, falsò tamen, suos Maiores appellat, amor & gloria, qui Romanam urbem ædificaverunt, & has oras incoluerunt, & quorum cineres in hisce sunt consepulti.

Hæc cùm ita se habeant, meum esse existimaui, posteaquam commodè prædicatione mea id facere non possum, literis Vos intervenientibus hortari, quo tandem Christiano sanguine debacchari, & hæc nostra tempora, satis superque à nobis superiori tempestate turbata, rursus turbulenta reddere desistatis.

Digitized by Google

Nam etſi adhuc veſtrûm quilibet ſuas partes honeſtare variè conatus ſit, itemque perſuadere, non odio, non regni cupiditate, ſed vel pro illata iniuria iuſtè in reliquos arma cepiſſe; vel timuiſſe, ne novis rebus ſtudentes in caput veſtrum aliquid molirentur: hoc tamen tempore defenſionis locus vobis nullus relictus eſt, cùm impendere tali & tanto periculo & iniurias remittere, & omnium ſuſpicione, obſide interveniente, ſemota ad proficiſcendum in hoſtem omnem curam & operam pro Chriſtiana dignitate tuenda convertere quàm maturrimè pro veſtra verilitate deberetis.

Plurima ſunt ſanè, quæ ad hanc rem aggrediendam videntur vos compellere. In primis tantæ ac tam clariſſimæ Ciuitatis calamitas, quæ ſine lachrymis à Chriſtianis auditi non debet. Prô dolor! Quo pacto ſe habent tot & tam ampla miro ornatu Monaſteria, & ad Dei noſtri cultum rebus pereuntibus deditiſſimos inducentia? ubi tot Monachi, ubi tot ſacratæ Deo Virgines, ubi tantæ ſanctitatis imago, ubi tot templa auro & argento paſſim inſignita? direpta ſunt omnia, corruptæ Virgines, thori iura violata à feris & barbaris hominibus, viri in vincula coniecti, trucidati, extorres facti.

O *Italia*, cùm ſemper appetens gloriæ, & laudis præter cæteras nationes avida fuiſti, hancne vindictam relinques cæteris gentibus exequendam? Studeas, ſtudeas, oro, quæ ad profectionem pertinent, comparare, & magnis itineribus in hoſtem contendere, ut tandem omnium per ora volites, & immortalem gloriam conſequaris. Ne patiaris Chriſtianam libertatem, qua Nos Chriſtus in cruce donavit, ſub ditione fieri & imperio barbararum nationum.

Legimus Romanos, quibusdam mercatoribus, ac forſan plerumque obſcuri generis hominibus, iniuriosè tractatis, ſæpenumero varia bella geſſiſſe. Legimus Corinthum, quondam Græciæ lumen, eorum extinctam imperio, quòd ipſorum Legati ſuperbiùs appellati fuiſſent. Legimus eos nulla iniuria laceſſitos, propter ſocios cum plerisque populis atque Principibus bella commiſiſſe.

Vos *Italiæ* Principes hunc Barbarum inultum eſſe patiemini, qui talem tantamque ciuitatem depopulatus eſt? Qui Chriſtianos vinculis & verberibus atque omni ſuppicio excruciatos necavit? Qui non ætati, non ſexui, non dignitati pepercit?

Delenda ſanè eſt hæc macula, & maturè è frontibus Chriſtianorum abſtergenda, quæ ſi inſederit ac inveteraverit, magnam eſt hoſti audaciam allatura. Tunc inſolenter gloriantem coërcere & deterrere non poteritis, cùm fortè volueritis: eò magis cùm cupidus rerum novarum, cupidus imperij, magni animi ſit miræque apud gentes auctoritatis.

Cæſarem in præſentiarum vobis imitandum proponite. Is etenim cùm Helvetios ad Rhodani ripam conveniſſe, & in eam Provinciam, magnam eorum multitudinem properare intellexiſſet, dubitans, ne illi eſſent nocumento, atque inde fortè exirent in Italiam, quàm magnis potuit, itineribus ab vrbe proficiſcens, in Galliam vlteriorem contendit; delectisque militibus, collato Marte, acriter in eos pugnatum eſt: Impetum fecit, nec priùs deſtitit, quàm omnes quaſi interficeret, quorum ſumma, cùm domo exierant, ad millia CCCLXVIII. fuerat.

Pari modo vos ex Italia proficiſci maturate, in Barbarum contendite, illum oppugnate: nec Victores vos arbitremini, niſi priùs illius regnum occupaveritis, & ipſius incolas ſub ditione Chriſtianorum & imperio reddideritis.

Moveat etiam vos tot mulierum atque virorum miſeranda conditio, qui à fide noſtra defecerunt. Nam etſi neminem ad eius ritus celebrandos cruciatibus cogat, varijs tamen moleſtijs, & irriſionibus, ac lugenda ſervitute incitati, & rerum pereuntium ſpecie decepti, varijsque illecebris irretiti, humi defigunt oculos, & reſpuunt Redemptorem, cœleſte beneficium parùm vel nihil exiſtimantes. Tot igitur ſaluti animarum conſulendum eſt, Chriſtiani Principes, & nihilo ſegniùs quàm vrbium calamitatibus, verùm accuratiùs, diligentiùs, animoſiùs. Illarum enim iactura temporalis eſt: harum

Digitized by Google

harum ſempiterna. Illarum pretium, aurum & argentium: harum verò Chriſti ſanguis eſt. Illarum opus humanum: harum autem divinum: quæ profectò animos veſtros excitare atque inflammare debent. Non enim agitur de re pecuniaria, aut agraria, aut de ſangine ſolùm; verùm etiam de anima pretioſiſſima creaturarum, cuius ſalus fuit varijs Chriſti laboribus & ærumnis, & tandem acerbiſſima morte comparata.

Vtinam reviviſceret Paulus Apoſtolus, quò vobis ad hanc rem ſtrenuè conficiendam eſſet incitamento! Adduceret enim ante oculos veſtros vigilias, labores, prædicationes, verbera, naufragia, & reliqua, quæ pro gentili populo, & maximè pro Græciæ ſalute conſtanter aſpernatus eſt, nil ſibi quidcunque antiquius arbitratus, quàm ſi animas ab erroribus ad veritatem, à morte ad vitam educeret.

Veſtrum erit in præſentiarum, toto, ùt dicitur, incumbere pectore, ne tot labores caſſi & irriti ſint: Servare fortunis veſtris & armis, quos moribus & linguis ille acquiſivit. Videte, ne, ùt illi præ cæteris Apoſtolis pulcherrimum & ad ſummam felicitatem fuit tantam vobis Chriſtiani nominis gloriam relinquere: ſic vobis turpiſſimum & ad magnam perniciem ſit, quod accepiſtis, conſervare non velle. Pudendum eſt ſanè, pace veſtra dixerim, neminem ex vobis eſſe, qui in terram ſanctam oculos tanto tempore conjecerit: & ubi redemptionis noſtræ myſteria pertractata ſunt, ibi inimiciſſimos Chriſtiani nominis magna cum omnium veſtrùm nota dimittere.

Nolitæ maculæ huic iam inveteratæ maculam ſuperaddere; quæ eò turpior eſſet, quò recens eſt, quò res præ foribus agitur, quò in maius totiùs Chriſtianitatis periculum iniecta eſt. Nullæ difficultates, nullum periculum communis ſalutis causâ recuſandum eſt. In acie ſanè præſtat interfici, quàm veterem Chriſtianorum gloriam, libertatemque, quam à Maioribus accepiſtis, non recuperare. Scio paratos multos, ſcio Oratores, novi ſanctos & eloquentiſſimos viros iam decreviſſe ſuis ſcriptis dedecore vos afficere ſempiterno, ſi rem hanc neglexeritis: econtra nomina veſtra poſteritati ſummis laudibus commendare, ſi tantarum ſalutem animarum, ſi Chriſtianam Rempublicam & oppreſſam & afflictam, ac magna ex parte labefactatam & penè extinctam miſeris temporibus & barbaris moribus, in veterem libertatem & dignitatem vendicare ſtuduerit.

Hoc Sacratiſſimus Imperator *Conſtantinus* petit à vobis, cuius nomine amiſſa nuperrimè Ciuitas (quæ priùs *Bizantium* vocabatur) *Conſtantinopolis* appellata eſt: quia eam ampliauit, quia ornavit, quia munivit.

Hoc Baſilius Magnus, hoc Chryſoſtomus, hoc Hilarius, hoc Gregorius Nazianzenus, Hoc Græciæ Doctores reliqui, quorum libri tum dilacerati, tum igne conſumpti ſunt. Luget Homerus cum reliqua Græcorum turba poëtarum: muſæ cilicio & cinere ſunt indutæ pariter & aſperſæ. Clamat Plutarchus cum cæteris eloquentiſſimis Græciæ viris: ingemiſcit Ariſtoteles, & omnis literarius ordo voces emittit in cœlum, cùm videant ſua opera ea in ciuitate deleta. Suſpirat & lachrymatur Italia, cùm ſe literarum Græcarum fonte, ex quo plurima quondam haurire ſolebat, privatam intueatur.

O Deus bone! Quis tot excellentiſſimorum iniuriam, & literariam hanc talem tantamque iacturam inultam eſſe patietur? Ille ſanè Chriſtianus non eſſet exiſtimandus, qui in tantæ cladis vltionem arma non caperet.

Te ergo appello, te, inquam, inprimis appello *Alphonſe* ſacratiſſime *Aragoniæ* Rex, ad te primùm ſermo convertendus eſt, cùm & dignitate & imperij latitudine reliquos Italiæ principes antecellas: quanquam & te & cæteros non eo ordine, quo dignitas expoſceret, verùm ut mihi in buccam venerint, in medium adducere ſit animus. Feresne hunc Barbarum furentem audacia, ad ſcelus anhelantem, Chriſtianitatis peſtem nefariè molientem, Italiæ ferrum & flammam minitantem? Tuæ partes erunt *Nicolaum* Summum exaudire Pontificem, cuius idcirco ad te Legatus accedit Cardinalis *Firmanius*, Vir propè divinus: veluti ad reliquos Italiæ Principes

Domini *Sancti Angeli* in omni genere laudis excellentiſſimus, ut compoſitis in *Italia* rebus, quantum fortunis ipſa & copijs valeat, barbarus hoſtis agnoſcat, cùm nihil cogitet, niſi cædes, niſi incendia, niſi rapinas.

O te beatum, o præclaram coronæ tuæ laudem, ſi hac in re talem te exhibueris, qualem Pontifex & Chriſtianitas vniverſa concupiſcit! Hoc enim pacto tantum tua virtus eſt gloriæ conſecutura, quantum ſuperiori tempore ſibi nunquam comparavit. Pulchrum quidem videtur eminere inter illuſtres viros, parcere poſſe criminoſis, non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere, equitatui peditatuique multo imperare: ſed illud Regium dixerim, non cupiditati quidem vlli ſervire, contemnere omnes libidines, Orbi quietem dare, & Chriſti gloriam, à quo regia dignitas emanat, magis quàm propriam ſalutem quærere & curæ habere. Obſtupeſcent poſteri, cùm legerint fines imperij tui longè latèque diffuſos, provinciarum numerum, pugnas innumerabiles, varias victorias, innumera rerum monumenta abs te præclarè geſtarum. Verùm cùm legerint te non tua tantùm, ſed quæ ſunt Chriſti, curâſſe, & ita curâſſe, ut eam in rem te totum effuderis, tum ſummis in cœlum laudibus tuum nomen efferent extollentque.

In prioribus enim illis fortunam plurimùm potuiſſe iudicaturi ſunt; in hoc verò conſilium & animi rectitudinem, ut ius, æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia, ſtante populo Chriſtiano, manerent. Nemo erit, qui non probet, qui non laudet, qui non de vniverſam Italiam, nationes etiam omnes Chriſtianas ſervâſſe, & magna lætitia affeciſſe & dicat, & ſentiat.

Hanc ob rem vigebis in memoria ſæculorum omnium. Tuum nomen poſteritas alet, & ſemper ipſum tuebitur æternitas. Servias igitur huiuscemodi laudatoribus, qui multa poſt ſæcula, tanta de te ſunt locuturi. Ne exiſtimes hanc vitam eſſe dicendam, quam in præſentia viuis. Illa ſanè vita eſt, ubi nulla dominatur iniquitas, nulla nocebit adverſitas. Eam tibi glorioſam comparabis hac neglecta: negliges autem, ſi voles, & te iam grandævum cogitabis. Illi inſervies, illi te oſtentabis. Quòd quàm maximè facies, ſi hunc in hoſtem omnem tuam curam & operam converteris. Pluribus verbis ad hanc rem tuam Maieſtatem accenderem, niſi mihi notum eſſet, quem animum, quod adhortarer ingenium, quod ſuapte ad quæque præclara facinora ſubeunda plurimùm incitatur, & niſi etiam probè tuis oppidis & tuo imperio impendens periculum prævideres. Hæc igitur tecum hactenus; cùm ad cohortandos reliquos Principes meâ feſtinet Epiſtola.

Venio ad te, Sereniſſime *Venetorum* Dux, & ad inclitum illum clariſſimumque Senatum, quem, etſi mihi perſvadeam ſua ſponte varijs rationibus ad hoc egregium facinus aggrediendum incitatum ſatis & inflammatum, adhortari tamen non ceſſabo. Nam

--- ceu flumine ſæpe ſecundo
augetur remis curſus euntis aquæ. Et ſicut
acer & ad palmæ per ſe fit curſus honores,
ſi tamen horteris, fortius ibit equus:

Sic, ſi vos ardentes & erectos ad Chriſtianam libertatem tuendam augendamque cohortabor, non dubito pro facultate veſtra eximiáque virtute magis ac magis huic rei operam daturos. Nemo eſt, qui non intelligat benè omnia ſucceſſura: modò huic tanto negotio humeros ſubjicere volueritis: omnia propè caſura, ſi neglexeritis. Modò tumultus ſedentur Italici; Nemo dubitabit, vos fortunis copijsque veſtris atque virtute, nedum ex Græcia hoſtem provinciam ad vsque illius vltimam, verùm etiam facillimè ad Indos vsque profugaturos. Si enim tam longè latèque, terra & mari, veſtrum protraxiſtis imperium; ſi illud longiſſimo tempore pro veſtra & Maiorum veſtrorum ſingulari gloria incredibilique ſapientia conſervâſtis; ſi Italiæ (rei militaris Magiſtræ atque Reginæ) arma nulla ex parte labefactata in illud minimè potuerunt: Quid ſperandum eſt, cum Chriſti cauſam ſuſceperitis?

Cùm fines veſtros exieritis; cùm ſignis collatis in Barbaros irrueritis, videbor audire voces illas, videlicet hoſtium declinationes, caſus, vulnera, mortes, impedimentorum direptiones, Marcum Evangeliſtam turribus & portis inſculptum. Chriſtianorum proſpicio gaudium, cantus, laudes immortales, cùm operâ

operâ veſtrâ factum fuerit, ut viri Chriſtiani ex cæde & miſeria, coniuges & liberi atque Virgines ex acerbiſſima vexatione, templa ac delubra ex fœda & barbara contagione, Italia tota & bello & vaſtatione ſint erepta.

Plura ad hanc rem maturandam ſint vobis incitamento bona Civium veſtrorum amiſſa, quorum per veſtram ſapientiam ratio habenda eſt diligenter. Nam multi tum plebei, tum patritij, honeſtiſſimi Ciues & excellentiſſimi viri, ſuas fortunas & rationes illarum in Ciuitatem Conſtantinopolitanam & finitima loca contulerunt. Multi præterea in locis illis negotiantur, quos iuxta Tartaros veſtra in ditione tenetis, quibus præſentibus & intercluſis præſidio eſſe debetis, ne, cùm res ſuas amiſerint, plures ſecum in eandem trahant navim. Quid, quòd vobis, qui *Maris Domini* vocitamini, maria ipſa erunt intercluſa? Sanè Mercatores veſtri, Legati, proceres & cæteri ſine metu navigare non poterunt. Ex multis locis commeatus vobis & privatus & publicus interdicetur. Magna parte vtilitatis & dignitatis privati eritis: & qui ſocios olim veſtros remotis in regionibus pro auctoritate veſtra tutos eſſe faciebatis, veſtros vix ſalvos eſſe facietis. Et profectò, niſi virtute veſtra in præſentiarum utamini timendum eſt, ne oris Italiæ maritimis ac portubus omnino careatis. Timendum eſt etiam ipſi veſtræ ciuitati, ut Ciuitas *Conſtantinopolis* ſit vobis exemplo.

Quas ob res e veſtræ ſalutis cupidiſſimum exaudite; conſulite vobis & ampliſſimæ veſtræ dignitati, Ciuitati proſpicite, de coniugibus ac liberis veſtris cogitate, *Venetorum* nomen, toto orbe terrarum celeberrimum, cuſtodite, varias procellas, niſi proſperitis, certè impendentes advertite: ut, dum rebus veſtris providetis, vniverſæ Italiæ prouideatur, cuius ſalus ex veſtra dependet. Quis enim non intelligit Italiam, lucem orbis terrarum, vobis hanc rem non ſuſpicientibus, parvo poſt tempore vnà cum alijs caſuram? Quis non cernit amodo inſepultos Chriſtianorum acervos? ante cuius oculos aſpectus tyranni non verſatur, & furor in noſtra cæde bacchantis?

Exiſtimo, cùm vos potentiſſimos noſcat, Legatos ſuos ad vos usque miſſurum, qui dicant, illi eſſe animum ſine ullo locorum veſtrorum detrimento, & velle ſeſe in Græciæ finibus continere, vel iter per Italiam facere, cupereque vobiscum amicitiam inire, rogareque, ut veſtra voluntate ſibi id facere liceat.

O Deus immortalis! ſi Cæſar pro libertate Galliæ Helvetijs, de quibus ſuperiùs mentionem feci, idem quaſi petentibus, morem gerendum minimè putavit; neque exiſtimauit homines barbaros & iniquo animo, data facultate, poſſe ſe ab iniuria & maleficio temperare: Quid pro nominis Chriſtiani gloria conſervanda faciendum arbitrabimur, cuius iſte inimiciſſimus eſt? Sanè Chriſtianus non eſſet exiſtimandus, verùm Antichriſtus, qui ſecum pararet amicitiam. Et quicunque noſtrorum Principum, quisquis ille eſſet, ſeu quæcunque Respublica amicitiæ fœdera cum illo iungeret, ad extremam inauditamque perniciem trahenda eſſet, & in illam pari omnium conſenſu ad extinctionem vsque foret coniurandum. *Nolite* enim, inquit Apoſtolus, *Iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut Quæ ſocietas luci ad tenebras? aut coniunctio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli.* 2. Cor. 6.

Venit, ut Patresfamilias, coniuges, liberos omnium in ſervitutem redigat. Venit, ut Italici populi non ſecus ac Græci domicilium deleat. Venit, ut in cineribus deflagratæ Chriſtianitatis barbaras collocet nationes; & Vos cum eo benevolentiâ colligabimini? Vereamini, Vereamini, ne tanta in re & tot impendentibus periculis minùs aliquid aut maturiùs atque hoſtiliùs ſtatuiſſe videamini, quàm res ipſa expoſtulare videatur.

Nolite pecunijs parcere, nolite laboribus abſtinere, ne pati tandem graviora cogamini. Huiusmodi factorum atque conſiliorum nunquam Vos, præclariſſimi *Veneti*, pœnitebit. Celebres vniverſo Orbi vos ampliſſimæ diuitiæ veſtræ reddidêre, numeroſa Nobilitas, exquiſitiſſima toga, inæſtimabilis gemmarum varietas, pretioſa ſupellex, incredibilis

navium numerus, varius earum apparatus, incomparabilis novalium victoriarum gloria, ad remotiſſimos populos gratiâ, negotiationis acceſſus, equitatus peditatuſque copioſiſſimus, in res Diuinas præcipuus ardor, ornatiſſima templa, atque delubra ampla, & ſanctiſſimis religiolis referta Monaſteria, mira Senatus veſtri grauitas, mira integritas, mira iuſtitia, & reliqua externa bona, reliquæ virtutes, quæ, non dixerim augeri, ſed penè non poſſunt explicari. Verùm ex hiſce tantam laudem nunquam eſtis aſſecuti, quantam hac in re eſtis adepturi. Quare agite, de privatis omnium focis, de templis Dominicis, caſtellis, urbibus, de libertate veſtra, de ſalute Italiæ, de vniverſa republica Chriſtiana tractate celeriter, fortiter, diligenter.

Habetis viros rei militaris peritiſſimos atque fortiſſimos. Et, ut veſtros taceam in re navali exercitatiſſimos, habetis *Iacobum Picininum* magnanimum quidem virum. Qui etſi non multæ ſit ætatis, eius tamen virtutis eſt, ut alteri C. Mario meritò ſit comparandus, cui admodum adoleſcenti à populo Romano creditum legimus exercitum; eundemque cum Iugurtha, cum Cymbris, cum Theotonis * bellum adminiſtrâſſe, & ita adminiſtrâſſe, ut res optimè ſuo fuerit geſta ducatu. Nempe talis eſt ac tantus, ut in re militari nihil tam arduum ſit, tam periculoſum, quod non eius fortitudine ſubiri, & conſilio regi poſſit.

* *f.* Teutonibus.

Si ſola in Italia, ut tecum loquar, congredi volueris, Magnifice *Iacobe*, Patris tui *Nicolai*, ſummi quondam Imperatoris, res glorioſiſſimè geſtas poteris imitari, ſuperare nunquam, æquare difficillimè. Si verò ad exteras nationes te conferre volueris, luſtrare terras & maria, & uti ſolitâ virtute tua, hoc pacto ſuperior Patre & clarior evadere poteris, cùm ad illas nunquam ſe contulerit. Quod ſi feceris, tantam tibi gloriam omnes præſagire videntur, quantam pauci vnquam fuerint aſſecuti.

Dum igitur floret ætas, dum tempus adeſt, age, ut tale nomen conſequaris, quale, qui te diligunt, concupiſcunt. Age, ut *Braciæ* virtuti magis ſis ornamento, quàm ipſa tibi, quò & ſummi viri te valeant ſuis literis illuſtrare, & aditus tibi patere poſſit ad cœlum.

Ecce habetis virum excellentiſſimum *Veneti*, quem non dubito, modò decreveritis, pro tanta conſequenda gloria in vltimas etiam orbis partes profecturum: & ea, quæ ſtatueritis, executurum ingenio, celeritate, fortitudine & mira cum laude conſtantiæ.

Habetis iterum *Carolum Gonzagam*, fortiſſimum quidem virum; cuius eſt tanta auctoritas, quam ſuo ingenio concitavit, virtutibus auxit, actione perpetua conſervavit, ut illum Chriſtiani populi expectationi non ſolùm correſpondere, ſed etiam eam ſuperare poſſe confidam. Sic enim vixit, ſic ſe a teneris annis in rebus bellicis exercuit, ut Summi Imperatoris officium mereri potiùs, quam deſiderare contentus extiterit. Illum idcirco meis verbis in præſentiarum hanc ad rem non cohortabor, cùm, ut aiunt, intus & in cute eum noverim. Nihil enim toto vitæ ſuæ tempore magis vnquam concupivit, quàm fidem noſtram ſua virtute defendere. Reliquum eſt igitur nihil, ut currenti, fruſtra calcar adieciſſe non videar.

Tecum nunc mihi loquendum eſt, *Franciſce Sfortia* Imperatorum decus, & inclyte *Mediolani* Dux; cuius cùm reminiſcor, lætor plurimùm & vniverſæ Chriſtianitati congratulor, cùm talis ſis, qualem calamitas iſta videtur expoſtulare. Tu enim ille es, qui tantam rei militaris ſcientiam habes, qui ita auctoritate, facilitate, humanitate præſtas, & victoriarum gloria, ut nemo ſit tibi meritò comparandus. Tua enim adhuc tenera ætate *Sfortiæ* Patri tuo Summo Imperatori ita adhæſiſti, ita illius præcepta amplexatus es, ita eo defuncto ad illius imitanda veſtigia, non alienis documentis, ſed tuo ingenio, non ſtipendij tantùm gratiâ ſed triumphi, te contuliſti, ut neſciam, quis hac in re te ſcientior vnquam fuerit, aut eſſe debuerit.

Solitus ſum ſæpe numero Lucullum . . . Scipionem, & cæteros magnos Imperatores ante oculos meos addu-

adducere, & eorum in rebus agendis ingenia accuratiùs inſpicere, & ponderare. Pace eorum dixerim : Non videntur claris noſtri temporis imperatoribus vllo pacto comparandi, cùm hæc rei militaris ſcientia limatior ſolito ſit, & in novis excogitandis, componendisque ad bellandum inſtrumentis noſtri priſcos excellant. Nec hoc tantùm meum iudicium eſt, cuius gladius & cuius arma ſunt Deo gratias agere, atque ieiunia & reliqua religioſæ vitæ monumenta: ſed eorum,qui huiuſcemodi ſcientiam apprimè callent.

Cùm verò omnium iudicio cunctis huius noſtræ tempeſtatis imperatoribus ſis illuſtrior, conſentaneum eſt, te & ſuperiores illos antecellere, & nullam rem eſſe in vſu militari poſitam, quæ te lateat. Auctoritas etiam tua tanta eſt, ut neſciam, cuius Imperatoris nomen toto orbe terrarum clarius ſit atque celebrius. Eam Amici prædicant & extollunt, inimici timent, abſentes admirantur, & de ea quadam cupiditate ſæpius ſciſcitantur. Quanta autem ſit, vel in hoc maxime cognoſcitur, quòd parvæ tuorum copiæ, veluti de Alexandri militibus legitur, te præſente magnam hoſtium manum nihili curant : te abſente multus ſiue equitatus ſiue peditatus, quaſi Cyclops avulſo oculo, dubius incedit. Adde, quòd te ſolùm (tanta eſt illa) inſtructæ & copioſæ hoſtium acies ita formidant, ut prælio abſtineant, & vallum & foſſam egredi ſæpenumero pertimeſcant, veluti de Volſcis legitur M. Fu. Camillo imperatore delecto. Te ſolo & nonnunquam ad illos, cùm exierint, curſitante ac clamante, ita itinere converſo, timore territi aufugiunt, & inde in caſtra rediguntur, ut magnum inſequentium agmen habere videantur.

Nullus præterea populus ita oppreſſus & circumvallatus eſt, qui tuo non recreatur adventu, qui non benè ſperare incipiat, qui non confidat ſeſe breui tempore hoſtem expugnaturum. Plura inſuper bella geſſiſti, ubi non tam armis, quàm tui nominis terrore Victor evaſiſti.

Addam in præſentiarum Auctoritati facilitatem tuam, quæ quidem laudibus in cœlum eſt efferenda. Nam ita facilis eſt ad te aditus privatorum, de illatis contumelijs, de ſublatis bonis, de acceptis iniurijs liberè quæritantium, ut infimis par, non Princeps eſſe videaris.

Quid dicam de humanitate ? tanta eſt nempe, ut omnes, qui te viderint, alliciat, devinciat, & tibi perpetuò deditiſſimos faciat. Plutarchi es egregiè ſententiam amplexatus, qui maximum Imperatoris officium dixit, obedientiam ſibi militum cum benevolentia comparare : Quæ duo Auctoritate, de qua iam diximus, & humanitate es conſecutus. Ageſilaum laudavit Xenophon, quòd bellator fuerit acerrimus, ſed victoriâ potitus humaniſſimus. Tu verò etiam in bello ſic in omnes comites tenes humanitatem, ut hoſtes ipſi plerumque proiectis telis ad te deoſculandum & amplectendum accurrant.

Adducerem hoc in loco mirandam Victoriarum tuarum gloriam, niſi earum ager *Apulus* atque *Picenus*, niſi Ethruria, niſi *Verona*, *Placentia*, *Mediolanum*, niſi *Padi* flumen, niſi tota *Liguria*, & omnis denique *Italia* locupletiſſimi teſtes eſſent, qui palam confitentur, omnes noſtrorum Imperatorum, ſacratiſſimorum Regum, & clariſſimarum exterarum Nationum, & numeroſiſſimorum fortiumque populorum res geſtas, nullo pacto cum tuis eſſe conferendas.

Vnum dixerim, te numquam quaſi cum aliquo hoſtium congreſſum, quem non viceris, nullam vrbem obſediſſe, quam non expugnaveris : nullam provinciam adijſſe, quam non calcaveris. Tantum potuit labor in negotijs, in rebus arduis fortitudo, in deliberandis prudentia, in exhortandis gravitas, & copia, atqve vehementia, in conficiendis celeritas, & reliquæ Virtutes tuæ, quæ tot ac tantæ ſunt, ut nedum exornari, ſed enarrari vix poſſint.

Cùm igitur, Princeps Illuſtriſſime, tanta rei militaris ſcientia excellas, tanta Auctoritate, facilitate, humanitate & rerum geſtarum gloria fulgeas, ut non

modò

modò eorum hominum, qui nunc ſunt, ſed etiam antiquitatis memoriam ſuperes, in te omnium oculi ſunt coniecti, te omnes è cœlo demiſſum exiſtimant, cuius ducatu populus Chriſtianus, diffidens rebus ſuis & quaſi deſperans, confirmetur, afflictus erigatur ac perditus recreetur.

Credimus, Deum in te vno tot tantasque collocâſſe virtutes, ut hoc noſtro miſerrimo tempore de Republica Chriſtiana, te interveniente, benè ſperare poſſimus. Age igitur Invictiſſime Imperator, ad laudum tuarum cumulum hoc etiam velis adiungere, ut non apud Barbaras nationes famâ tantùm, verùm etiam tua ſis præſentia celeberrimus. Hoc enim Pompeius, hoc Cæſar, hoc Alexander, & ſummi alij Imperatores factitârunt: vnde omnium gentium literis ſunt illuſtrati, nec ulla vnquam ætas de eorum laudibus conticeſcet.

Hos tibi propone; hos, quantum hanc ad rem attinet, imitare. Non te Amici, non filij, non principatus avocent, non te auferant aliorum conſilia. Tute tibi conſulas, quòd hac in re nemo poteſt tibi ſapientiùs ſuadere te ipſo. Nulla denique res te vinctum contineat.

Quod ſi feceris, non ſolùm incredibilem gloriam apud homines, vti cæteris ex rebus, verùm etiam felicitatem ſempiternam es tibi vendicaturus. Cogita te iam ætate provectum, & tibi iam non multum vitæ ſupereſſe. Velis igitur, antequam ſubeant morbi multaque ſenectus, hunc tibi triumphum ac hanc ſalutem comparare.

Quod ſi non feceris, dubito, ne res à te ſuperiori tempore geſtæ dedecori tibi magis, quàm honori futuræ ſint, cùm eas te non virtutis gratiâ, ſed vel cupiditate ad prædam, vel libidine ad voluptatem, vel ſolo ad honorem ambitu, factitâſſe ſint poſteri iudicaturi.

Compoſitis igitur rebus tuis iter in Barbarum matura; & memento ad animæ ſalutem comparandam tibi tempus opportunum oblatum. Memento etiam, ſi me exhortantem ſpreveris, tempus affuturum, quo te, me non exaudîſſe, pœnitebit. Satis tecum locutus ſum; ad alios mea convertetur oratio.

Quid ages, *Genua* potentiſſima, quæ ſemper excellentiſſimarum rerum æmula fuiſti? Negligésne rem hanc, ad quam exordiendam tota ferveſcere videtur *Italia*? profectò mihi perſuadeo, etiamſi nullum ex Conſtantinopolitana calamitate detrimentum, nullum incommodum paſſa fuiſſes, te non potuiſſe contineri, quin ſolita virtute tua in ulciſcenda Chriſtianorum clade, ingenti claſſe fuiſſes egreſſa, maximè cùm *Petro Fregoſio*, tali tantoque Duce, ſis ornata, qui tantam hoſtis rabiem præ magnitudine animi, pro ſingulari virtute, pro incredibili fidei Chriſtianæ conſtantia non diſſimulandam, non ferendam, non extimeſcendam exiſtimâſſet. Verùm quænam debet eſſe expectatio tui, cùm ad te *Pera* tua, olim florentiſſima Civitas, nunc, ùt fama eſt, ab hoſte direpta, diſſoluta, ſuis habitatoribus orbata, ſupplex tendat manus, & muros tibi & turres, & tecta & templa, & extorres ſuos ac profugos, viros & mulieres ac parvulos pariter commendet? Clamant ad te tui cives exturbati, capti, deducti, vulnerati, trucidati; petunt, qui in remotiſſimis tuis portubus intercluſi ſunt, quò illis præſidio ſis. Conclamant mercatores tui, quibus ita clauſa ſunt maria, ut nec eorum res privatas, nec publicas obire poſſint.

Exurge igitur; & quæ ſemper in rebus maritimis exercitatiſſima paratiſſimaque fuiſti; quæ eximijs nauticis & claſſium ſpolijs es ornata, ne patiaris tuum clariſſimum nomen offundi, tuis fortunis denudari, tuis privari portubus, vrbibus, civibus. Eſt nempe tibi dedecori ſempiterno, ſi quæ rei navalis peritiſſimos ſæpè magno cum triumpho viciſti, ſi, quæ ſuperiori tempore tres Reges potentiſſimos, variosque Duces, Marchiones, Comites magna claſſe exornata in tuam perniciem vectos ſuperâſti, deprehendiſti, tenuiſti, patereris nunc ab inermibus viris & ab hac infirma multitudine ita miſerrimè obſideri, vexari, expoliari: quorum, ſi non virtute tua deprimatur audacia, poſſes & ornamenta pacis & ſubſidia belli requirere. Omne enim malum naſcens facilè opprimitur; inveteratum fit plerumque robuſtius.

Romani

Romani quondam, licet Italiam tutam haberent, & quoscunque ſocios pro ſua auctoritate in vltimis eorum oris conſiſtentes ſalvos tenerent, & eorum Inſulæ & parvæ & absque muro nihil timerent; tamen nimiùm ſuis vrbibus confiſi, non modò provincijs atque oris Italiæ maritimis & portubus privati fuêre, verum etiam Via Appia caruêre.

Non ſolùm igitur honoris & tantæ iacturæ, ſed etiam impendentis periculi ratio à te habenda eſt quàm diligentiſſimè: & ita habenda, ut ad immortalem tuam coronam intelligant Chriſtiani, quantum conſilio, quantum auctoritate, quantum imperio poſſis, & apud barbaras nationes in navalibus pugnis tuum permaneat nomen invictum.

Magna etiam ſpes in te repoſita eſt, Illuſtris & excelſa *Florentia* cum copijs tuis, cum ſummo & ſingulari ingenio tuo. Nam quod cæteri imperij magnitudine, & maxima vi auri & argenti, & reliquorum abundantiâ, tu ſæpenumero parvo opum adiumento pro eximia tua prudentia inchoas, proſequeris, feliciterque conſummas. Hæc opinio tui adeò vehemens eſt, nedum apud finitimas haſce provincias, verùm etiam apud longinquas remotasque nationes, ut mirum in modum ſperandum ſit, rem Chriſtianam benè ſucceſſuram, modò pacatis turbinibus tuis rem hanc tibi curæ eſſe volueris. Habes quoque viros gnavos & induſtrios, quorum cura, opera, labore, tantâ tibi ad reliquas laudes tuas pro huiuscemodi re gloria eſt acceſſura, ut id facilè dici non poſſet. Nam ſi ob alias res à tuis acutè excogitatas, & præter ſpem magna animi patientia glorioſè ſæpe confectas, tantum tibi famæ vendicâſti, ut terra & mari cognomento vociteris *ingenioſa*: Quid te arbitraris adepturam, ſi ciues tui huius ſanctæ rei partes ſuſceperint, ſuſceptas diſpoſuerint, diſpoſitas fuerint executi?

Eſt tibi (ut ampliſſimum virum & ſummæ auctoritatis *Nerium Caponum*, ut equeſtris ordinis *Angelum Azaiolum* ſummis ornamentis virtutis & ingenij præditum, ut reliquos ſummæ integritatis & conſilij taceam) eſt, inquam, tibi *Cosmas* Vir Clariſſimus, cuius prudentiâ in præſentem vsque diem nunquam tuis rebus diffiſa fuiſti: & ſi ab hoſtibus ſæpius fueris obſeſſa, illius tamen virtute, aſſiduitate, conſilio fuiſti liberata, ita ut neſciam, eius virtuti quæ poſſit oratio par inveniri.

Huc accedit viri huius liberalitas, miſericordia, & in res diuinas præcipuus ardor. Quæ quidem virtutes quantum in eo potuerunt, dicant nudi ab illo veſtiti, dicant ægroti magnis in neceſſitatibus adiuti, dicant Virgines iunctæ connubio; dicant pupilli, dicant templa & delubra, incredibilibus eius ſumptibus extructa.

Voluit immortalis Deus, ùt coniectura aſſequi poſſum, illum ad hæc vsque tempora hac in vita ſervare, ut ſuo auſpicio atque hortatu rem tantam aggrediatur, quò ſit ei glorioſior aditus ad cœlum.

Hæc cùm ita ſint, *Cosma* Vir Clariſſime, quocum libens loquor, exiſtimare debes, te natum educatum, auctum, conſervatum, quò tandem incumbas ad ſalutem reipublicæ Chriſtianæ. Huc omnia tua ſtudia, omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem converte, hìc fige, hìc loca. Age, ut cuiquam ſalus & fortunæ nunquam tantæ curæ fuiſſe videantur, quantum tibi Dei noſtri Optimi & Maximi honor; in quo ſi omnia tua collocata eſſe cognoveris, huic rei te magnum [ſubſidium] futurum proſpicio. Memini te ſuperiori tempore non parvam pecuniam inſtaurandi cuiusdam templi gratiâ miſiſſe Ieroſolymam: nunc ad maiorem tui laudem ſubleva corruentem populum Chriſtianum verum Dei templum. Nulla pars temporis ad laborem intermittatur, ab armato hoſte accipiatur nulla conditio, ſed pellatur, profugetur, interficiatur. Neſcio, quod amplius claris filijs tuis, *Petro* & *Ioannino* patrimonium relinquere poſſes in memoriam Nominis tui. Et ut parenti ſitis glorioſi vos filij, apud Genitorem precibus inſtate, obſecrate, obteſtamini, ut in hac re cohortatione veſtra ſit alacrior, & ut parentis operâ circumornata ſit cura filiorum, & omnium nomen poſteritati commendetur.

Te hoc in loco aggrediar, Dux Illuſtriſſime *Borſi*, cui ob meum in te amorem, etſi ob adeptum Ducatum tuum tibi plurimùm congratulatus ſim, quaſi diuinarum tanta in dignitate fore: qu . . magnis in rebus experendum

ſtudium & operam tuam . . . tamen in præſentiarum idem effecit amor, ut me ipſum præ gaudio neſciam continere; cùm illud ſit tempus oblatum, quo tanta tibi laus (modò me exaudieris) acceſſura ſit, quantam ſuperiori tempore *Nicolaus* genitor tuus, & *Leonellus* frater (licèt ob res à ſe præclariſſimè geſtas multis ſint laudibus exornati) nunquam aſſecuti ſunt.

Multa profectò fuêre, quæ, Illuſtriſſime, Patrem tuum clarum in vniverſo orbe reddidêre. Sed illud inprimis, quod pacis amator, auctor, prædicator omni ſuæ vitæ tempore fuerit. Cùm enim cuique pax bona videatur, illi nimirum optabilis extitit. Vnde per omne induſtriæ ſuæ curriculum ab eo in amicorum periculis propulſandis, & in conciliandis animis elaboratum eſt, ita ut pacis alumnus meritò potuerit appellari. Hinc honores ampliſſimos, hinc omnium Principum amicitias, hinc ſuis ciuitatibus perpetuam pacem eſt conſecutus.

Si Numa Pompilius ob varias virtutes laudatur à Liuio; & hoc omnium eius operum maximum fuiſſe literis commendatur, quòd per omne Imperij ſui tempus, non minorem pacis quàm regni curam habuerit: Quibus laudibus genitor tuus illuſtrandus eſt, cùm nedum imperij ſui, ſed reliquorum pacem ita curaverit, ut ſui eſſe viderentur?

Eo defuncto, *Leonellus* illo in principatu à Patre minime degeneravit: verùm illius memoriam ob literarum ornamentum ſuperavit: & ita ſuperavit, ut Italiæ decus & eſſet, & haberetur.

Hos nimirum antecelles, Illuſtriſſime *Borſi*, ſi in præſentiarum rem Chriſtianam ita ſuſceperis defendendam, ut tua eſſe videatur, ſi in ea omnes tuas cogitationes repoſueris, ſi nihil tibi fuerit antiquius, quàm pro ea & principatum & vitam exponere. Vellem Deus ita tuliſſet, ut, quanti te facio, mea tanti conſilia faceres! Amanti igitur cede & crede; & tantum tibi decoris, tantum dignitatis adiunxeris, quantum tuorum conſecutus eſt nemo.

Quamobrem per honorem tuum, per gloriam, per immortalitatem, quam exinde comparabis, rogo & oro, ut huic meæ ſollicitudini ſubvenias, ut tuæ laudi conſulas, ut Chriſtianæ ſaluti tuum ſtudium dedices. Nec te avertant alienæ perſuaſiones, neque ulla voluptas avocet, nec rei terreat magnitudo. Sed tecum loquere, te adhibe in conſilium, te audi, tibi obtempera, qui ea probare ſolitus es, quæ recta eſſe ſentis.

Magni viri eſt magna aggredi, &, utì decens eſt, Ducem obire non militis, ſed Ducis mortem: ita excellentiſſimum Principem, ùt tu es, non in infimis ſed in arduis magnisque verſari. Sanè ſi ſæpius tecum cogitabis, quanta ſit temporum vis, quanta rerum varietas, quàm incerti exitus, quàm vanæ hominum cogitationes: Rem hanc forti animo complecteris, conſtanterque perficies, ut eo in loco res tua repoſita ſit, ubi tibi, niſi benè, eſſe non poſſit. Tum agnoſces, qualis fuerim in ſalute tua. Tum mihi gratias ages, qui te, ut hæc faceres, incitaui.

Deeris nunc Nobis & tu Illuſtriſſime *Ludovice*? deeris Italiæ? deeris Chriſto? Tanta ſanè eſt perturbatio, & confuſio rerum, ita perculſus & proſtratus fœdiſſimo bello iacet populus Chriſtianus, ut quisquis ſe miſerrimum eſſe meritò poſſit exiſtimare. Tuo igitur conſilio, tua prudentia, tua auctoritate opus eſt: Quæ ſi aderunt, ſperant omnes quædam videre quaſi reviviſcentis Chriſtianitatis.

Omiſſis igitur privatis offenſionibus, Reipublicæ Chriſtianæ conſulas, cuius ſalutis & dignitatis ſi rationem habueris, non dubitamus ob eximiam & ſingularem virtutem tuam, te tantùm *Gonzagam* familiam exornaturum, ut tibi illa, quàm tu ei, magis obnoxia futura ſit.

In hanc ſententiam exhortandi tui gratiâ pluribus verbis uterer, cùm me dicentem tua humanitate quàm libentiſſimè audire ſoleas. Verùm hanc tuæ ſanctiſſimæ Matris provinciam eſſe decrevi. Quæ cùm & iure materno, & vitæ integritate apud te plurimùm poſſit, non

non dubito, illam tibi facillimè perſuaſuram, quibus in re communi te æquè habeas ac in privata; quanquam exiſtimem, te etiam maternis precibus non intervenientibus illud ſponte propria, incredibili fide facturum.

Tu igitur, *Paula* Clariſſima, memineris, velim, te grandævam nobis in hanc vſque horam conſervatam, quò velut olim *Ludovicum* tibi & *Mantuæ* genuiſti, nunc Chriſto dedices, & tuo hortatu imperioque tuo in illum egrediatur, qui mortuos, ſi poſſet, ab inferis excitaret & Dæmones educeret, ut eorum auxilio Chriſtianum populum ſub iugo teneret, tentumque deleret. Hoc ſi feceris, non modò noſtri, verùm etiam futuri temporis commendatione es victura, & in cœlum magna felicitate migratura.

Non eſt tibi more muliebri Negotij magnitudo, non hoſtium vis, non tela ſunt pertimeſcenda. Aderit fortunarum veſtrarum propugnator & defenſor aſſiduus, ſumma virtute Chriſtus Ieſus, qui & filij tui corpus illæſum, & eius imperium integrum intactumque ſervabit. Magno igitur animo eſto, utì ſemper fuiſti, non debilitata virtute, non fracto animo, & caue, ne tot tantisque beneficijs remunerandis, quot & quanta ab immortali Deo cum filio ſuſcepiſti, ſis tardior. Neque enim ingrata ſolùm, quod quidem grave eſt, ſed impia meritò poſſes appellari. Hæc igitur cura tuo animo ſit infuſa: nec te priùs Deo ſatisfeciſſe exiſtima, quàm filium in Barbaros concitaveris.

Tibi eſt immortalis gloria, *Sigismunde Malateſta*, modò tuam militaris rei ſcientiam, tuas vires, invictum animum tuum hanc ad rem cum reliquis conferre decreveris. Tanta enim eſt hoc tempore expectatio vel animi vel ingenij tui, ut, cùm vivere non poſſis, niſi te dignum tuis Maioribus præbueris (Qui cùm in omni genere virtutum claruerint, vel ex eo maximè prædicantur, quòd laudum Divinarum fuerint ſtudioſiſſimi) hos ſi imitari ſtatueris, nil aliud quæres, niſi ut homines aliquando intelligant, te nihil in Italia maluiſſe, quàm pacem, quò ex huiusmodi ſuſpicionibus, & impendentibus malis, ac etiam iam illatis, Chriſti populus eripi poſſit. Nulla eſt enim acerbitas, quæ non huiuscemodi perturbationibus imminere videatur: à qua, ut omnes, quantum in te eſt, tuearis, & ipſi Maiores tui & tua fides poſtulant.

Ad quandam tui nominis immortalitatem, *Matthæi Veronenſis* operam, induſtrij quidem viri vidi, ære, auro, & argento innumeras quaſi cælatas imagines, quæ vel in defoſſis locis diſperſæ, vel muris interlocatæ, vel ad exteras nationes transmiſſæ ſunt. Illæ futuræ ſunt tibi decori & ornamento non parvo, ſi hoſtis huius rabies, & ſervitutis dolor, tua virtute interveniente, pelleretur. Sin verò Chriſtianum populum iacere permiſeris, & his miſeris temporibus angi, perpetuo tibi dedecori futuræ ſunt, cùm ſemper *Sigismundi* faciem intuebitur, qui illi afflicto & clamitanti, præſidio eſſe noluerit.

Optanti igitur & indigo populo, animi tui magnitudine & tua virtute ſubveni: Nec inultum patiaris tyrannum eſſe, ut eam, quam cupis, immmortalitatem verè conſequi poſſis.

Invitarem te, *Friderice*, *Vrbini* Comes Illuſtris, item te *Alexander Sfortia*, magnanime & rei militaris peritiſſime ac literarum Amator: Adiurarem te, Animoſiſſime *Euſtorgi Manfrede*, & te identidem *Montis ferrati Marchio* cum illuſtri fratre tuo *Guilielmo*, in bellis exercitatiſſimo, & literato quidem viro; Te quoque, *Malateſta* Doctiſſime, in bellum evocarem longiori quidem ſermone, & reliquos Italiæ Principes, ſi aut vos minùs paratos exiſtimarem, aut res verba deſiderarent, aut non per ſe res ipſa loqueretur. Sed cùm re ipſa ac celeritate ſit opus finis eſto, ſi priùs Deum Trinum & vnum oravero, ut felix fauſtumque ſit iter omnium veſtrum; ut à Chriſtianorum tectis, vita, fortunisque arceat hos cæterosque ſui nominis inimicos, & inter ſe nefaria ſocietate coniunctos, varijs ſupplicijs excruciatos, lumen ſinat videre; quantum vniverſam Chriſtianitatem ad ſe clamantem, hoſtium copijs terra marique

ſuperatis, à perditiſſimorum hominum ſcelere defendat. Valete ex *Bononia* anno MCCCCLIII.

CXLVII.

Iodocus de Roſenberg, Prior & Magiſter Generalis per Bohemiam &c. Ordinis Melitenſis, Fr. Wilhelmum Dachsner confirmat in adminiſtratione Domus in Lach.

1454. *Ex autogr. G. H.* * *nunc* Malperg & Laach.

REligioſo atque Strenuo Fratri *Wilhelmo Dachſner* Preceptori domorum noſtrarum *Marberg* * & *Loch* nobis in Chriſto dilecto, *Iodocus de Roſenberg* Frater Ordinis militie Beati Iohannis Baptiſte ſacre domûs Ieroſolomytane, pauperumque Ieſu Chriſti ſervus, Prior & Magiſter Generalis per *Bohemiam*, *Moraviam*, *Auſtriam*, *Sleſiam*, *Poloniam*, *Carinthiam*, *Stiriam &c.* Salutem & ſinceram in Domino caritatem, cum deſiderio felicium eventuum admixtam.

Religioſe atque ſtrenue nobis in Criſto Frater cariſſime. Munus tuum nobis deſtinatum, videlicet equum gratè accepimus: Affectus tamen tui oblationem & ſinceram ſubiectionem, de quibus noſtrum preſentem per gerulum edocti ſumus, & antecedenter etiam per tuam miſſivam, quàm benè memorie commendavimus, gratiùs cognovimus. Si enim te experientialiter talem comperiemus, prout litera tua perorat, zelatoremque omnis honeſtatis, & iuſtitie agnoſcemus, & bonum gubernatorem in ſpiritualibus & temporalibus domorum noſtrarum, libenter te officijs caritatis de die in diem uberiùs proſequemur. Et ad petitionem tuam de ſpeciali noſtra gratia, confirmationem noſtram ſuper domum *Lach* tibi deſtinamus.

Datum *Stratonicæ* Caſtro, Ordinis domo, die Veneris proxima ante Beati Clementis Annorum &c. LIIII.

CXLIX.

Ladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ præcipit, ut bona & poſſeſſiones abalienatæ, Cartuſiæ Pragenſi, ſeu Domui Horti B. Mariæ V. a cuiuscunque conditionis poſſeſſoribus reſtituantur.

LAdislaus Dei gratia Rex Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Dux Auſtriæ & Marchio Moraviæ. notum facimus univerſis, qvòd cupientes res DEO Dicatas ad uſus Miniſtrorum DEI reverti, mandamus & præcipimus omnibus ſubditis noſtris, cuiuscunque ſtatûs, dignitatis, officij aut nobilitatis exiſtant, qui tenent obligata, inſcripta, & impignorata bona tam mobilia quam immobilia pertinentia ad monaſterium Religioſorum Fratrum Cartuſienſium propè *Pragam* ſive vigore litterarum Sereniſſimi Avi noſtri *Sigismundi*, ſive alterius cuiuscunque, quatenus Fratribus Cartuſienſibus pro monaſterio prædicto, ſoluta per eos qvantitate debita ſine contradictione & mora omnino reſtituant, quibus eadem reluere & redimere plenam per præſentes concedimus facultatem, præſentium ſub noſtri Regalis Sigilli appenſione teſtimonio Litterarum. 1454. *Ex Archiv. Gemnic.*

Datum in *Lyſſa* in die Sanctæ Catharinæ Virginis, Anno Domini milleſimo Quadringenteſimo qvinqvageſimo quarto, Regnorum noſtrorum Hungariæ, anno quintodecimo, Bohemiæ verò ſecundò.

Ad mandatum Domini Regis.

Eiusdem

2.

Eiusdem Regis de eadem restitutione præceptum seu privilegium alterum.

Ladislaus Dei Gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Austriæ Dux & Marchio Moraviæ &c. notum facimus universis, qvòd volentes res monasterij Cartusiensis propè Pragam à quibuscunque eas minùs justè tenentibus eidem monasterio justè restitui, deliberatè & sano nostrorum Procerum & Fidelium accedente consilio de certa nostra Scientia, Auctoritate Regia Bohemiæ mandamus & præcipimus omnibus subditis nostris, cujuscunque officij, dignitatis, nobilitatis aut statûs existant, qui bona & res quascunque dicti monasterij, sine justo titulo aut nostrorum Antecessorum inscriptione, quomodocunque tenent, quatenus sub pœna indignationis nostræ ipsa & eas Priori monasterij prædicti vel alteri, cui ipse mandaverit, qvando ab eo vel ab altero, cui ipse commiserit, requisiti fuerint, sine diminutione contradictione, & mora integrè omnino restituant præsentium sub nostri Regalis sigilli appensione testimonio litterarum.

Datum *Viennæ* die undecima mensis Ianuarij Anno Domini millesimo Quadringentesimo Quinquagesimo sexto, Regnorum nostrorum Hungariæ sexto decimo, Bohemiæ verò tertio.

Ad mandatum Domini Regis.

3.

Georgius Rex Bohemiæ confirmat omnia eiusdem Cartusiæ privilegia, nominatim præmissa Regis Ladislai, statuitque ne bona eiusdem loci unquam abalienari possint.

Georgius DEI Gratia Bohemiæ Rex, Moraviæ Marchio, Lucemburgensis & Silesiæ Dux ac Lusatiæ Marchio, notum facimus tenore præsentium universis Majestati nostræ humiliter supplicâsse *Henricum* Rectorem & *Wenceslaum* Procuratorem domûs *Horti B. Mariæ Virginis* propè *Pragam* ordinis Cartusiensis devotos nostros dilectos, suis & Conventûs sui nominibus, qvatenus eisdem omnes gratias, libertates, donationes, concessiones, indulta, privilegia & jura universa à præclaræ memoriæ Ducibus & Regibus Bohemiæ, Prædecessoribus nostris, data & concessa, & signanter quoddam Privilegium Serenissimi *Ladislai* prædecessoris nostri approbare, innovare, ratificare & confirmare gratiosè dignaremur. Cujus tenor sequitur in hæc verba: *Ladislaus* &c. ùt supra ad an. 1454.

Cùm igitur vota supplicantium, potissimùm ea, quæ pro reformatione & auxilio DEO devotorum funduntur, libenter exaudiamus, non per errorem aut improvidè, sed animô deliberatô, sanô Procerum & Fidelium nostrorum accedente Consilio, de certa nostra scientia, Auctoritate Regia, omnes gratias libertates, donationes, concessiones, indulta, Privilegia & jura universa à Prædecessoribus nostris eidem Monasterio data & concessa in omnibus suis punctis, articulis, clausulis & sententijs, ac si de verbo ad verbum hìc insererentur; dictum verò Privilegium *Ladislai*, prout superiùs verbatim exprimitur, innovamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, decernentes omnia & singula inibi contenta plenum, firmum &

inviolabile firmitatis perpetuæ robur obtinere.

Et ut ſanctæ Religionis huius per orbem diffuſæ orationum & altæ devotionis digni participes inveniamur, Regio noſtro pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ſpondemus firmamúsque edicto, quòd bona dicti monaſterij Cartuſienſis nulli unquam hominum, cuiuscunque dignitatis ſeu ſtatûs exiſtant, inſcribemus, ſeu quovis colore quæſito contra ſacros Canones obligabimus ſeu alienabimus, revocantes ex nunc prout ex tunc, ſi quidpiam à nobis ſeu ſucceſſoribus noſtris per inadvertentiam vel importunitatem petentium in contrarium evenire contingat, irrita & nullius roboris ipſô factó ea pronuntiantes. Nulli ergo liceat hanc paginam noſtrarum confirmationis, decreti, conceſſionis, voluntatis & inhibitionis infringere, vel in aliquo ei temerariè contraire. facientes autem contrarium indignationem noſtram graviſſimam ſe noverint incurſuros. In quorum fidem has noſtras litteras fieri & ſigilli noſtri Regij juſſimus appenſione muniri.

Datum *Pragæ* die Quatta decima Junij Anno Domini milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo nono Regni noſtri annô ſecundô.

4.

Wladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ præmiſſa Regum Bohemiæ privilegia confirmat.

W*Ladislaus* DEI Gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Marchio Moraviæ, Dux Sleſiæ & Lucemburgenſis, ac Marchio Luſatiæ. Notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd Religioſus Frater *Lucas* Ord. Cartus. Procurator Monaſterij *B. Michäelis Archangeli de Leveldt* in Prioris eiusdem Loci cæterorumque univerſorum Fratrum ipſius Ordinis Cartus. perſonis, majeſtatis noſtræ venit in præſentiam, exhibuit ac præſentavit nobis quasdam litteras Sereniſſimi Principis quondam Domini *Georgij* Regis Bohemiæ Prædeceſſoris noſtri in pergameno ſub ſigillo ejusdem privilegialiter confectas, tenorem quarundam litterarum Sereniſſimi Principis quondam D. *Ladiſlai* Hungariæ & Bohemiæ Regis in ſe confirmando continentes : Supplicans nobis præfatus F. *Lucas* nomine Prioris & univerſorum Fratrum dicti ordinis humiliter, ut easdem Litteras præfati Prædeceſſoris noſtri quondam Regis *Georgij* ac omnia & ſingula in eisdem contenta, ratas, gratas & acceptas habere, præſentibúsque Litteris noſtris pro Monaſterio Eccleſiæ ipſorum Fratrum, *Horto B. Mariæ Virginis* nuncupato, in regno noſtro Bohemiæ propè Civitatem noſtram *Pragenſem* fundato & habito, gratioſè confirmare dignaremur. Quarum quidem Litterarum tenor talis eſt. *Georgius* &c. ùt num. præced.

Nos igitur conſiderantes, & diligentius perpendentes, multùm decere Principes Catholicos, Eccleſias DEI in ſuis bonis temporalibus non modò tueri & manutenere, verùm etiam liberalitate Regia easdem proſequi, quò miniſtri earum propenſiùs divino cultui inſiſtere, & pro ſalute ipſos juvantium ſedulas ad Altiſſimum preces effundere poſſint, non per errorem aut improvidè, ſed animo deliberato, ſano ad hoc Procerum & Fidelium noſtrorum accedente conſilio, de certa noſtra ſcientia, Auctoritate Regia easdem litteras dicti quondam *Georgij* Regis non abraſas, non cancellatas nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes præſentibus litteris noſtris de verbo ad verbum, ſinè diminutione & augmento aliquali, inſertas & inſcriptas, & item etiam omnes & ſingulas præmiſſas & alias quaslibet gratias, libertates, donationes, conceſſiones, indulta, privilegia & jura univerſa, à Prædeceſſoribus noſtris Regibus Bohemiæ præfato monaſterio data & conceſſa, in omnibus ſuis punctis, clauſulis articulis & ſententijs, ac ſi de verba ad verbum hìc inſererentur, ratas, gratas & acceptas habentes, innovamus, approbamus, ratificamus, & tenore harum

omnia

omnia & singula in eisdem contenta pro præfato monasterio *B. MARIÆ Virginis*, consequenter Fratribus dicti Ordinis Cartusi perpetuò valituras confirmamus, decernentes Regio nostro edicto omnia & singula inibi contenta plenum, firmum & inviolabile firmitatis robur obtinere.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam confirmationis infringere aut ei ausu temerario contraire, prout quivis indignationem nostram & Successorum nostrorum Regum Bohemiæ voluerit evitare. In quorum fidem & Testimonium litteras præsentes fieri, maiorísque nostri Sigilli appensione munire præcepimus. Datum *Budæ* Sexta die mensis Martij Anno CHRISTI millesimo Quingentesimo duodecimo, Regnorum autem nostrorum *Hungariæ*, vigesimô Secundô, *Bohemiæ* verò quadragesimo primô.

CL.

Calixtus PP. III. confirmat fundationem Monasterij Ordinis S. Pauli I. Eremitæ in Ranna Patav. Dioeces. & donationem iuris Patronatus parochialis Ecclesiæ ibidem, factam à quodam Nobili Barone, Domino Iohanne Neideker.

1455. *Ex autogr P. H.*

CAlixtus Episcopus servus Servorum Dei, Dilectis filijs Priori Generali & Fratribus Ordinis S. Pauli primi Eremite, sub Regula S. Augustini degentibus salutem & Apostolicam Benedictionem. Ratione congruit, & conuenit honestati, ut ea, que de Romani Pontificis gratia processerunt (licèt superueniente obitu litere super his confecte non fuerint) suum consequantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis *Nicolao* Pape quinto, Predecessori nostro, exposito pro parte uestra, quod aliàs quondam *Iohannes Neideker*, Dominus Castri *Ranna*, Baro, *Patauiensis* Diocesis ad uos & uestrum Ordinem singularem gerens devotionis affectum, pro sue & progenitorum suorum animarum salute Parochialem Ecclesiam *S. Marie* & *S. Stephani* Protomartyris, sitam sub dicto Castro cum Capella Corporis Christi, in eadem Ecclesia existente, que tunc de iure Patronatûs ipsius *Iohannis* erant, in Domum Conuentualem dicti Ordinis cum omnibus & singulis necessarijs officinis auctoritate ordinaria erigi procurauerat, ac Domum ipsam competenter dotaverat, ac deinde domum predictam uobis & Ordini ac Fratribus vestris donauerat, appropriauerat, ac etiam assignauerat, nec non assignationem & appropriationem predictas eadem auctoritate approbari & roborari curauerat, & successiuè ius patronatus parochialis Ecclesie *Sancti Georgij* in dicto Castro, etiam tunc ad ipsum legitimè pertinens, vobis ad effectum, ut dicta Ecclesia S. Georgij cum omnibus Iuribus & pertinentijs suis eidem erecte domui uniretur annecteretur & incorporaretur, similiter in perpetuum donauerat, illudque in vos, quantum in eo fuit, realiter & omnino transtulerat, prout in diuersis erectionis, donationis, appropriationis, assignationis, approbationis, & translationis prædictarum desuper confectis, litteris dicebatur pleniùs contineri, ac eidem Predecessori subiuncto, quòd de erectionis, donationis, appropriationis, translationis, & assignationis prædictarum iuribus ab aliquibus hesitaretur, ac supplicato, ut promissis omnibus & singulis pro illorum subsistentia firmiori robur Apostolice confirmationis adijcere. & alias vobis vestrisque statui & quieti super his opportunè providere & benignitate Apostolica dignaretur, idem Predecessor huiusmodi supplicationibus inclinatus, videlicet sub datis Septimo Calen. Iulij Pontificatus sui anno sexto erectionem, donationes, appropriationem, assignationem & translationem predictas, & prout illas contingunt in dictis literis contenta, auctoritate Apostolica approbavit & confirmavit, supplens omnes defectus, si qui forsan interveniissent in eisdem, ac pro potiori cautella illam in Domum Conuentualem dicti Ordinis de novo erexit appropriavit, univit & assignavit, & nihilominus Ecclesiam S. Georgij predictum cuivis, nec non eiusdem erecte domus fructus, redditus & proventus suis literis, si desuper

Digitized by Google

per confecte fuiſſent, haberi voluit pro expreſſis, cum omnibus iuribus & pertinentijs ſuis eidem erecte domui eadem auctoritate in perpetuum uniuit, annexuit & incorporavit, ita quòd liceat. Priori & Fratribus dicte domus ipſius Eccleſie ſancti Georgij, ſi uacaret ex tunc, aliàs cedente uel decedente illius Rectore, ſiue Eccleſiam ipſam aliàs quomodolibet dimittente, corporalem poſſeſſionem per ſe uel alium ſeu alios auctoritate propria liberè apprehendere, & perpetuo retinere, nec non curam animarum parochianorum earundem Eccleſiarum gerere & exercere, ac ipſius Eccleſie ſancti Georgij fructus in ipſorum ac domus & Eccleſie predictarum uſus, utilitatemque conuertere, Dioceſani loci & cuiuslibet alterius ſuper hoc licentia minimè requiſita: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceterisque contrarijs quibuscunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de huiusmodi uel alijs beneficijs Eccleſiaſticis in ijs partibus ſpeciales aut generales Apoſtolice Sedis uel Legatorum ejus literas impetrâſſent, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, uel aliàs quomodolibet eſſet proceſſum quas quidem literas ac proceſſus habitos per easdem & quecunque inde ſecuta, ad ipſam unitam Eccleſiam uoluit non extendi, ſed nullum per hoc eis quo ad aſſecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, & quibuslibet alijs privilegijs, indulgentijs & literis Apoſtolicis, ſpecialibus & generalibus, quorumcunque tenorum exiſterent, per que eisdem ſuis literis non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri uaſeret quomodolibet uel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de uerbo ad uerbum habenda eſſet in ipſis literis mentio ſpecialis, idémque Predeceſſor ex tunc irritum decrevit & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter uel ignoranter contingeret attentari.

Humilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur oportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum vniverſitatis Incolarum & habitatorum Opidi *Brunnenſis*, *Olmucenſis* Diocefis petitio continebat, quòd olim pro parte univerſitatis & habitatorum predictorum nobis expoſito, quòd, licèt in parochia Collegiate Eccleſie *ſancti Petri* dicti Oppidi, ubi princeps illius patrie interdum reſidere conſueverat, & duodecim millia communicantium & ultra numerantur, ſcole duntaxat pro infantibus ac adultis juvenibus in Grammatica & diſciplinis Eccleſiaſticis inſtruendis erecte & inſtitute ab antiquo fuerint, prout ſunt etiam de preſenti: nihilominùs, quia benedicente Domino populus dicti Oppidi adeò excreverat, quòd ij, qui ſcientie margaritam adipiſci, & in ſimbolo fidei ac alijs Eccleſiaſticis diſciplinis erudiri deſiderabant, propter aliarum Scolarum & Magiſtrorum defectum omnes commodè ad unum convenire, & edoceri non poterant, unde ipſi alias ſcolas infra parochiam in parochialis Eccleſie *Sancti Iacobi* in dicto oppido de novo erigere ſummopere deſiderabant. Nos ipſorum univerſitatis incolarum & habitatorum in ea parte ſupplicationibus inclinati, eis, quòd pro eruditione natorum infantium, & adultorum eorundem in predicta parochia *Sancti Iacobi* in aliquo loco ad id convenienti & honeſto iuxta morem patrie ſcolas ipſas erigere, ſive erigi facere, & Magiſtrum pro illis regendis, natisque infantibus, & adultis predictis in fidei ſimbolo, & alijs predictis introducendis, ut ipſi demum in cantu & alijs Eccleſiaſticis cerimonijs eruditi, in divinorum etiam celebratione obſequia preſtare valeant, perpetuò deputare poſſent, quibuscunque Apoſtolicis ac in provincialibus & ſinodalibus Concilijs editis Conſtitutionibus & ordinationibus, nec non & ipſius Eccleſie Collegiate ſtatutis & conſtitutionibus, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, & preſertim illis, quibus caveri dicitur, quòd niſi apud ipſam Eccleſiam collegiatam Scole eiusmodi regantur, ceterisque contrarijs quibuscunque nequaquam obſtantibus, de ſpecialis dono gratie per alias noſtras literas indulſimus gratioſè.

Cumque poſtmodum univerſitas, Incole & habitatores predicti, volentes Scolas huiusmodi in dicta parochia, in aliquo loco ad id convenienti & honeſto iuxta morem erigere, ac Magiſtrum pro illis regendis, natisque infantibus & adultis eisdem in fidei ſimbolo, & alijs predictis introducendis, prout per literas ipſas eis indultum fuerat, perpetuò deputare, Scolas huiusmodi in quadam domo, quam ad hoc elegerunt in platea eiusdem Eccleſie *S. Iacobi*, ad id commodam & honeſtam erexiſſent, ac ad inſtruendum natos infantes & adultos predictos quendam Magiſtrum, ad id ſufficientem, deputâſſent, & ab huiusmodi ſcolarum erectione & Magiſtri deputatione ac omnibus inde ſecutis pro parte Venerabilis Fratris noſtri *Prothaſij* Episcopi *Olomucenſis*, qui Prepoſituram Collegiate Eccleſie *Montis S. Petri*, Oppidi & Diocefis predictorum, ex conceſſione & dispenſatione Sedis Apoſtolice obtinet in commendam, ac dilectorum filiorum Capituli dicte Collegiate Eccleſie, pretendentium ex ijs indebitè ſe gravari, fuiſſet ad Sedem Apoſtolicam appellatum, dilectus filius *Iohannes* Decanus *Olomucenſis* Conſervator, ùt dicebat, & Iudex, *Prothaſio* ac eius in Prepoſitura huiusmodi pro tempore ſucceſſoribus & Capitulo predictis contra inferentes eis ſuper privilegijs ac Scolis dicte Collegiate Eccleſie rebúsque alijs & bonis moleſtias & iacturas per litteras Apoſtolicas deputatus, ac habens cognoſcendi de his, que iudicialem requirunt indaginem, ſpecialem per easdem literas poteſtatem, ex arrupto, & defacto ad inſtantiam *Prothoſij* Commendatarij ac Capituli predictorum, univerſitatem & habitatores eosdem per ſuas certi

certi tenoris literas ſub excommunicationis, & alijs cenſuris & penis monuit & mandavit eiſdem, quatenus infra certum terminum, tunc expreſſum de Scolis ipſis recederent, & Scolares, quos eis pretendebant ablatos, reſtituerent, ac omnia & ſingula, per eos facta, revocarent, & in ſtatum, in quo erant ante erectionem & deputationem Magiſtri huiuſmodi, reducerent. A quibus quidem monitione & mandato univerſitas, Incole & habitatores predicti ad Sedem appellârunt eandem. Sed idem Decanus appellatione huiuſmodi, cujus non erat ignarus, & infra cuius proſecutionis tempus, de quo non modicum ſupererat, ipſi univerſitas, Incole & habitatores exiſtebant, contempta, ad ulteriora in huiuſmodi cauſa procedens, temere, & de facto parochialem Eccleſiam *S. Iacobi* predictam Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto.

Quare pro parte Vniverſitatis, Incolarum, & habitatorum predictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut appellationis huiuſmodi, attentatorumque & innovatorum poſt ipſam ac negotij principalis cauſas alicui probo Viro in partibus illis committere, interdictumque huiuſmodi relaxari mandare, & aliàs eis ſuper his providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis *Prothaſio* Epiſcopo & Commendatario ac Capitulo predictis, ac alijs, qui fuerint evocandi, ac huiuſmodi Interdicto, ſi, & prout iuſtum fuerit, relaxato, auditisque hinc inde propoſitis, etiam de principali negotio cognoſcens legitimè, quod iuſtum fuerit, appellatione remota decernens, faciens, quod decreveris, ab eodem Epiſcopo auctoritate noſtra, ab alijs verò per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari, non obſtantibus felicis recordationis *Bonifacij* Pape VIII. predeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem vel Dioceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſue Dioceſis ad iudicium evocetur: Seu ne Iudices à Sede deputati predicta extra Civitatem vel Dioceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alij vel alijs vices ſuas committere preſumant, dumodò ultra duas dietas aliquis auctoritate preſentium non trahatur, & alijs Apoſtolicis conſtitutionibus contrarijs quibuſcunque: Aut ſi Epiſcopo & Prepoſito, pro tempore exiſtenti, ac Capitulo predictis vel quibuſvis alijs communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Datum *Rome* apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominice Milleſimo quadringenteſimo Sexageſimo Sexto Pridiè Kalend. Febru. Pontificatûs noſtri anno Tertio.

CLXIV.

Communicatio Spiritualium ſuffragiorum, facta à Priore PP. Ordinis Prædicatorum, Nobili Domine de Wald.

1467. *Ex autogr. P. H.*

Dilecte in Chriſto, Nobili matrone *Margarethe de Wald*, Patavienſis dyoceſis, Frater *Iacobus de Stubach* ſacre pagine profeſſor ac Prior Conventus *Beate Marie Virginis* ordinis fratrum Predicatorum in *Wienna* ſalutem & ſpiritualium donorum ſemper participatione gaudere.

Quoniam illi, quos carnis origo virtutumque norma nobiliores produxit in lucem, & pietas ampliori preconio ſublimavit, varijs rerum eventibus inter adverſa & proſpera ſepiùs colliduntur, ac periculis parent plurimis, niſi celeſtibus adiuti preſidijs ad ſalutaria dirigantur: Hinc eſt, quòd accedente veſtre ſincere dilectionis affectu, quem ad noſtrum ordinem & Conventum vos habere cognovi, vobis omnium miſſarum, orationum, predicationum, ieiuniorum, vigiliarum, abſtinentiarum, laborum, ceterorumque bonorum ſpiritualium omnium, que Dominus noſter Ieſus Chriſtus per memorati Conventûs Fratres univerſos fieri dederit, participationem tenore preſentium concedo, ut multiplici ſuffragiorum preſidio, & in preſenti, grave augmentum, & in futuro mereamur regnum conſequi ſempiternum. Datum *Wienne* Anno Domini M. CCCC. LXVII. In die beatorum Martirum Gervaſij & Prothaſij. ſub ſigillo Prioratus.

Syngrapha

CLXV.

Syngrapha Matthiæ Regis Hungariæ pro perſolutis 4490. florenis auri puri de proventibus Cameræ Regiæ Cremnicenſis.

1467. *Ex autogr.* P. H.

NOs *Mathias* Dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie Croatie &c. memorie commendantes per preſentes, quòd fideles noſtri, prudentes & circumſpecti Viri *Iohannes Konzſtorffer* & *Laurentius Stadler*, Camerarij Camere noſtre, Crempnicienſis, de proventibus eiusdem Camere noſtre (qui) nobis in anno preſenti provenire debent, quatuor millia quadringentos, & nonaginta florenos auri puri nobis perſolverunt, & plenariè aminiſtrarunt.

Ideo nos prefatos *Laurentium* & *Iohannem* Camerarios ſuper dictis quatuor millibus quadringentis & nonaginta florenis auri quittos & expeditos reddidimus & commiſimus, immò reddimus & committimus harum literarum noſtrarum vigore & teſtimonio mediante. Datum *Thirnavie* die dominico proximo ante feſtum Epiphanie Domini, Anno eiusdem Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Regni noſtri anno Nono, Coronationis vero tertio.

Commiſſio Domini Regis.

CLXVI.

Vrbanus V. omnia Eccleſiæ Clauſtroneoburgenſis Privilegia & libertates confirmat.

1468. *Ex autogr.* P. H.

VRbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis filijs in Prepoſito & Conuentui Monaſterij in *Neunburch*, per Prepoſitum ſoliti gubernari, ordinis S. Auguſtini Patavienſis Dioceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm a nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tum vigor equitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officij noſtri ad debitum producatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates, a Predeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſiue per Privilegia uel alias indulgentias, vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum, a Regibus, Principibus & alijs Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & dicto Monaſterio indultas ſicut eas iuſtè & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem Monaſterio, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Eius, ſe nouerit incurſurum. Datum *Rome* apud ſanctum Petrum Id. Decembris Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

G. S. *Foltrandi*

Radulphus.

CLXVII.

Pauli II. Breve ad Abbatem B. Mariæ Scotor. Viennæ: ut quendam Sacrilegum excommunicatum denuntiet, & pro abſolutione ad Sedem Apoſtolicam dirigat.

PAulus Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilecto filio Abbati Monaſterij *Scotorum in Vienna*, Patavienſis Dioceſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

1461. *Exautogr.* P. H.

Conqueſtus eſt nobis *Czenko Iohannes* Rector Capelle *Sancte Elizabeth*, ſite in hoſpitali in *Radiſs Olomucenſis* Dioceſis, quòd *Hynko de Rokittnycz*, aliàs de *Longa villa*, Armiger dicte dioceſis, ipſum non absque iniectione manuum in eum, Dei timore poſtpoſito, auſu ſacrilego temerè violenta, cepit, ac diris caneribus mancipavit, nec non ſuper quibusdam decimis & rebus alijs iniuriatur eidem. Cum autem dictus conquerens, ſicut aſſerit, potentia prefacti ſacrilegi merito perhorreſcens, eum infra civitatem *Olomucenſem*, ſeu dictam Dioceſim nequeat conuenire ſecurè: Diſcretioni tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam de manuum iniectione ac incarceratione huiusmodi tibi legitimè conſtiterit, dictum ſacrilegum, tamdiu appellatione remota excommunicatum publicè nuncies & facias ab omnibus artiùs evitari,

tari , donec iniuriam paſſo ſatisfecerit competenter , & cum tuarum teſtimonio litterarum ad ſedem Apoſtolicam venerit abſolvendus : ſuper aliis verò vocatis , qui fuerint evocandi , & auditis hinc inde propoſitis , quod iuſtum fuerit , appellatione remotâ , decernas , faciens , quod decreveris , per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Datum *Rome* apud S. Petrum , Anno Incarnationis Dominice Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo Octavo. Kalen. Decembris , Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

S. Gneſiliati.

CLXVIII.

Matthias Abbas B. M. V. Scotorum Wiennæ iuſſu Laurentij Ep. Ferrarienſis , Sedis Apoſt. Legati , Vlricum quendam inducit in Capellam B. V. Mariæ in Hiezing propè Viennam.

1469. *Ex autogr.* H.

REverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino , Domino Dei & Apoſtolice ſedis gratiâ Epiſcopo *Patavienſi* , eiusque in Spiritualibus & temporalibus Vicario ſeu Officiali Generali , nec non illi vel illis , ad quem vel ad quos Capelle infrà inſerte collatio , proviſio , preſentatio , uel quevis alia diſpoſitio communiter uel diviſim pertinet , omnibusque aliis & ſingulis , quorum intereſt , quosque infrà ſcriptum concernit negotium , ſeu poterit quomodolibet in futurum , quibuscunque nominibus cenſeantur , aut quacunque prefulgeant dignitate , *Matthias* permiſſione divina Abbas Monaſterij *beate Marie* , aliàs *Scotorum Wienne* , Patavienſis Dioceſis . . . executor ad infrà ſcripta à Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino Domino *Laurentio* , premiſſa gratia Epiſcopo *Ferrarienſi* , Sanctiſſimi Domini noſtri Pape Referendario & Datario , per univerſam *Germaniam* Apoſtolice ſedis cum poteſtate Legati de latere ſpecialiter deputatus , Domino concedente : Salutem , & ratione huiusmodi . . Dn. Domini legati firmiter obedientiam , mandatis.

Literas eiusdem Domini Legati prefati de cera rubra cere communi impreſſas in cordula rubrj coloris . . . Sigillatas ſanas & integras , non cancellatas non vitiatas , non abraſas , neque in aliqua ſui parte leſas ſed omni prorſùs vitio ac ſuſpicione , ùt prima apparebant facie , carentes , nobis per honorabilem virum Dominum *Vlricum Schawer* , in eisdem infrà ſcriptis literis principaliter nominatum . . . teſtibus infrà ſcriptis præſentatas , nos cum ea , qua decuit , reverentia recepiſſe , nominatim huiusmodi ſub tenore :

Laurentius Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopus *Ferrarienſis* , ſanctiſſimi Domini noſtri Pape Referendarius & Datarius eiusdemque ad dicte Sedis per univerſam Germaniam ſingulásque illius provincias , civitates terras , opida , villas , caſtra , atque loca cum poteſtate Legati de Latere legatus , ſpecialiter deputatus , Reverendo Patri Domino Abbati Monaſterij *Beate Marie* , aliàs *Scotorum Wiennenſis* , Patavienſis Dioceſis Salutem in Domino. Vite ac morum honeſtas aliáque laudabilia probitatis & virtutum merita , ſuper quibus dilectus in Chriſto *Vlricus Schawer* , Presbiter *Eyſteten:* Dioceſis apud nos fide digno commendatur teſtimonio , Nos inducunt , ut ſibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita ſiquidem nuper nobis ex parte dicti *Vlrici* petitio continebat , quòd aliàs Capella Beate Marie Virginis in *Hyeczing* , Patavienſis Dioceſis per liberam reſignationem dilecti noſtri *Iohannis Purgraff* ultimi eiusdem tunc Rectoris & Poſſeſſoris in & ad manus Reverendi Patris Domini *Rudolfi* tunc *Laventini* , nunc verò *Wratislavienſis* Epiſcopi & Legati Apoſtolici , ſponte factam , & per ipſum admiſſam , vacantem dilectus in Chriſto *Michael Pfanvelder* Clericus *Eyſtaten:* Dioces: illam per prefatum Dominum *Rudolfum* Epiſcopum & legatum ſibi collatam extitit aſſecutus , eandémque aliquam diu tenuit , & poſſedit , poſtquam certis ex cauſis , animum ſuum ad id moventibus coram certis teſtibus & perſonis fide dignis eandem capellam reſignavit , ac omni iuri ſibi in ea ad eandem Capellam competenti ceſſit & renuntiavit.

Nos igitur volentes predicto *Vlrico* premiſſorum meritorum ſuorum intuitu gratiam facere ſpecialem Circumſpectioni Veſtre auctoritate legationis noſtre committimus & mandamus , quatenus ſi vobis conſtiterit , reſignationem & renuntiationem predictas de dicta Capella per dictum *Michaelem* , ùt prefertur , factas , Capellam ipſam , cujus fructus , redditus , & proventus quatuor marcharum argenti

genti ſecundùm communem exiſtimationem, ùt idem Vlricus aſſerit, valorem, aut numerum non excedunt, ſiue, ùt premittitur, ſive aliàs quovis modo, aut ex alterius cuiuscunque perſone, ſeu per ſimilem reſignationem aut ceſſionem dictorum *Iohannis* & *Michaelis*, aut alicuius alterius de illa, etiam coram Notario publico & teſtibus ſponte factam, vacet, & ſi tanto tempore vacaverit, quòd eius collatio iuxta Lateranenſis ſtatuta Concilij ad Sedem Apoſtolicam legitimè devoluta, aut ſpecialiter reformata exiſtat: & ſuper ea inter aliquos lis, cuius ſtatum haberi volumus pro ſufficienter expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore date preſentium non ſit in ea alicui alteri ſpecialiter ius queſitum, cum omnibus luribus & pertinentijs ſuis eidem *Vlrico* auctoritate noſtra conferatis & aſſignetis: Inducentes per vos vel alium ſeu alios eundem *Vlricum*, vel Procuratorem ſuum eius nomine in corporalem poſſeſſionem Capelle, luriumque & pertinentiarum predictorum, & defendentes inductum, amoto exinde quolibet ibidem modo detentum, ac facientes ipſum *Vlricum* vel dictum Procuratorem pro eo ad Capellam huiusmodi, ùt eſt moris, admitti, ſibique de illius fructibus, redditibus & proventibus, luribus & obventionibus univerſis integrè reſponderi, ac decernentes eadem auctoritate noſtra irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quocunque quavis auctoritate inferiori ſcienter uel ignoranter contigerit attentari, contradictores ſimili auctoritate per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo, non obſtantibus conſtitutionibus alijsque auctoritate inferiore editis contrarijs quibuscunque. Datum *Monaci, Friſingenſis* Dioceſis in Monaſterio Fratrum Heremitarum Sancti Auguſtini, loco ad preſens Reſidentie noſtre, ſub noſtri maioris ſigilli appenſione, Anno à Nativitate Domini Milleſimo quadringenteſimo Sexageſimo Nono, Indictione ſecunda, die verò decima nona Menſis Ianuarij, Pontificatus prefati Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini *Pauli* divina providentia Pape Secundi Anno V.

Poſt quarum quidem literarum dicti Reverendiſſimi Patris Domini Epiſcopi & Legati preſentationem, & receptionem notis & per Nos, ùt premittitur factas, exhibite & producte primitus coram nobis per prefatum *Vlricum Principalem* publico Inſtrumento ad conteſtandam fidem de & ſuper quibusdam in dictis Domini Legati literis contentis, ipſóque per Nos diligenter & legitimè conſpecto & admiſſo facimus per ſepedictum *Vlricum*, coram nobis perſonaliter, ùt prefertur, conſtitutum debita cum inſtantia requiſiti, quatenus ad earum literarum & contentorum in eisdem executioni iuxta traditam ſeu directam in ipſis literis nobis formam, procedere dignaremur.

Nos igitur *Mathias* Abbas & Executor prefatus preſentem requiſitionem, huiusmodi fore iuſtam & conſonam rationi, volentesque mandatum ipſius Domini Epiſcopi & Legati nobis in hac parte directum reverenter exequi, ùt tenemur: Et quia conſtat nobis legitimè per publicum ſcriptum, reſignationem & renuntiationem de dicta Capella, per Dominum *Michaelem*, ùt prenarratur, fuiſſe & eſſe factam: Ideircò Capellam ipſam per reſignationem & ceſſionem dictorum *Iohannis* & Michaëlis ſimili premiſſo aut aliàs quovis modo, in dictis literis Domini Legati Specificatorum vacantem dumodo tempore datarum literarum non ſit in ea alicui alteri ſpecialiter ius queſitum, cum omnibus luribus & pertinentijs ſuis prefato Domino *Vlrico*, principali, in preſentia mea flexis genibus conſtituto id humiliter petenti, auctoritate dicti Domini Legati contulimus & aſſignavimus, ac preſentibus conferimus & aſſignamus: Ipſumque dictum *Vlricum* in & ad corporalem, realem & actualem poſſeſſionem dicte Capelle iurumque & pertinentiarum eiusdem, per dictarum literarum Domini Legati in & ad manus eius tradidimus, quantum potuimus & poſſumus, induximus & inducimus. &c. &c.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium premiſſorum preſentes noſtras literas, ſiue hoc preſens publicum inſtrumentum, huiusmodi noſtrum proceſſum in ſe continens ſeu continentes, exinde fieri, & per Notarium publicum ſcribámque infra ſcriptum ſub ſcribi & publicari mandavimus ſigillique noſtri iuſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum & actum *Wienne* dicte Patavienſis Dioceſis in Monaſterio dicto noſtro

noſtro ſolit: reſident: ſub Anno à Nativitate Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo Nono, Indict. I. die verò Lune, viceſima ſeptima menſis Martij horâ Nonarum vel quaſi, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri *Pauli*, divina providentia Pape II. anno quinto, preſentibus ibidem honorabilibus & circumſpectis Viris Dominis *Theodorio Gallj*, & *Leonardo Radauner* Cive *Wiennenſe* & Patavienſis Dioceſis, teſtibus ad premiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego *Conradus Kelerman de Nürrembergа*, Bambergenſis Dioceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, ac alme Vniverſitatis Studij *Wiennenſis* Scriba iuratus, quia dictarum literarum Domini Legati preſentationi, receptioni, requiſitioni, publici Inſtrumenti exhibitioni, admiſſioni, nec non proceſſuum fulminationi & decreto, omnibusque alijs & ſingulis premiſſis, dum ſic, ut premittitur, fierent, & agerentur, unà cum prenominatis teſtibus interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi: Ideo preſens publicum Inſtrumentum manu alterius ſcriptum, de dicti Domini *Mathie* Abbatis mandato exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignóque meo ſolito unacum eiusdem Domini Abbatis ſigilli appenſione conſignavi, rogatus & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium ſingulorum premiſſorum.

S. Conradi Kelerman.

CLXIX.

Matthæus de Spaur fundationem quorundam Anniverſariorum, factam a Friderico III. Imp. in Monaſterio SS. Trinitatis Neoſtadij, recognoſcit.

1470. P. H. *Ex autogr.*

ICh Mathes von Spaur Erbſchenckh zu Tyrol vnſers allergnedigiſten herrn des Römiſchen Kayſer ꝛc: Kamrer. Bekenn für mich und all mein Erben und Tun kund offentlich mit dem brieff allen den, die In ſehen, hörn oder leſen, das zwiſchen mein, und des Erwirdigen geiſtlichen herrn Johannſen Abbt des Gotzhaus der heiligen drivaltigkeit in der Neunſtat, und ſeinen Conuent ain abred vnd auſſpruch geſcheben iſt durch den bemelten vnſern Allergnedigſten herrn den Römiſchen Kayſer, von ainer Täglichen und ewigen geleſen Seluess, und vier Jartäg Jm Jar zu ewigen zeiten ꝛc. *hic ponuntur conditiones huius tranſactionis.* Des zu ainer waren Vrkund gib ich In diſen brief beſigelten mit meinem aigen anhangunden Inſigil. Des ſind gezeugen durch meiner vleiſſign bete willen der Edl geſtreng Ritter her Jörg Fuchs von Fuchsperg des offtgenanten vnſers allergnedigiſten herrn des Römiſchen Kayſers ꝛc. Hoffmarſchalch, und der Edl Veſſt Jörg von Leuprechting mit Jren anhangunden Jnſigln In und Jren Erben an ſchaden. Darumder ich mich und all mein Erben verpinde alles das war und ſtetz zuhalten, das an den brieff geſchriben ſtet. der geben iſt an Mittichen nach Vnſers herrn beſneydung. Nach Criſti geburde Tauſent Vierhundert und darnach in den Sybentzigiſten Jare.

CLXX.

Georgius Epiſcopus Bambergenſis feudum quoddam confert Dorotheæ de Dietrichſtein.

1471. P. H. *Ex autogr.*

WIr Jorg von Gotes gnaden Biſchoue zu Bamberg. Bekennen offenlich mit dem briefe, und Tun kunt meniglich, das Wir Vnſer Lieben getreuen Dorothea Dytterichſtainerin, und iren erben, zu rechten Lehen verlihen haben, vnd leihen in Craft des briefs, einen hofe mit ſeiner zugehörung gelegen zu Vorolach vnter Vnſerem Geſlos Dyttrichſtain, den ſie von irem Vettern Criſtoffen dem Dyttrichſtainer kaufft, der vns dan den mit ſeinem offen briefe aufgeſandt, und in zu lehen gebetten hat: dorumb Vns dann Pangratz Dyttrichſtainer Vnſer Pfleger zum Herttlſtain und Lieber getreuer an ſtat der obgenanten Dorothea ſeiner Lieben Schweſter mit Handtgebenden Treuen an Aydes ſtat gelobt und verhaiſſen hat, Vns und Vnſerem Stifte getreue gehorſam und gewärtig zuſein, und alles das zetun, das ein getreuer Lehens man ſeinem Lehens herrn durch recht ſchuldig und pflichtig iſt, und von Lehens wegen Tun ſol: es ſoll auch das obgemelt

obgemelt Lehen / als oft und dicke das zu ſchulden / und falle kombt Von Vns und Vnſeren Nachkomen empfangen werden, als Lehens recht iſt / angeuerde. Wir haben auch der obgenanten Dorothea und iren erben an dem bemelten hofe in obgeſchribner maſſen verliben, was Wir in rechtlich daran verleihen ſolten, und mochten, doch Vns, Vnſerem Stiffte und nachkomen an Vnſern Lehenſchafften, Herrlichkaiten, rechten, und gewonhaiten Vnſchedlich ongeuerde. Des zu Vrkunde haben Wir Vnſer Secret an dem briefe Tun hencken, der geben iſt an Sontag vor ſand Thomas Tage nach Criſti geburt Viertzehenhundert und im ayn und ſybentzigiſten Jaren.

CLXXI.

1471. *Ex Cod. Mellic. K. 4.* * *Ita ubique Cod.*

Cerimoniæ ſervandæ in datione Capelli & Enſis fiendæ * Serenisſimo ac felicisſimo Domino Mathiæ Regi Vngariæ &c. miſſæ ex Roma per Sanctisſimum in Chriſto Patrem & D. D. Paulum Divina providentia Papam II. anno Domini MCCCCLXXI, Pontificatus ſui anno VII.

Quomodo recipiatur Nuntius Apoſtolicus, qui portabit Capellum & Enſem Sereniſſimo & feliciſſimo Domino Regi Vngariæ.

QUando erit intraturus civitatem, oppidum ſeu caſtrum, ubi Dominus Rex reſidentiam facit, & erit dies feſtus, de mane bona hora exibunt obviam ei multi ex quocunque ſtatu, & magnates & principes de mandato Domini Regis. Et ipſe nuntius erit inter duos honorabiliores ſeu potentiores. Ibit etiam obviam ei proceſſio uſque ad portam civitatis ſeu loci cantando hymnos &c. vel ſaltem ſi aliquo modo propter tempus malum vel alias impediretur, ſaltem uſque ad portas eccleſiæ. Et immediatè ipſe nuntius & alij, cùm viderint proceſſionem, de equis deſcendent pro reverentia ipſius. Dominus autem Rex erit in eccleſia Cathedrali ſive principali ipſius loci expectando. Proceſſione verò præcedente venient omnes pedeſtres ſociando ipſum Nuntium cum proceſſione ad eccleſiam. Cùm verò proceſſio intraverit eccleſiam, ſive fuerit in portis eccleſiæ, cantabitur Antiphona de proceſſione.

ANTIPHONA.

ECce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.

Nuntius verò Apoſtolicus portabit in manu Enſem, & in ſummitate Enſis erit Capellus. Et ibit uſque ad altare, ubi Prælatus celebraturus eſt paratus. Qui Prælatus capiet Enſem cum Capello, poſito in ſummitate Enſis, & ponet ſuper altare in medio. Deinde finita Antiphona: Ecce ego mitto Angelum meum &c. *ut ſupra, incipiet Introitum Miſſæ. Qua finita non faciat Prælatus benedictionem, quia in fine poſt datione Capelli & Enſis fiet. Dabitur Enſis & Capellus Sereniſſimo Domino Regi Vngariæ per Dominum Epiſcopum Ferrarienſem vel eo abſente per alium Prælatum, quem Rex ipſe ad id duxerit eligendum, nomine Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Pauli, Divina providentia Papæ II. Sacroſanctæ Romanæ ac Vniverſalis Eccleſiæ Summi Pontificis.*

Stabit itaque Rex genuflexus coram Prælato, parato ante altare pilleo & enſe in altari exiſtentibus. Et ipſe Prælatus alta voce dicit: Pater noſter. *Et compleat ſecretè uſque:* Et ne nos &c. *Deinde dicat alta voce:* Et ne &c. ℟. Sed libera &c.

℣. Salvum fac ſervum tuum Domine.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimicorum ſuorum.
℣. Nihil proficiant inimici in eo.
℟. Et filij iniquitatis non noceant ei.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

ORATIO.

Digitized by Google

ORATIO.

DOmine ſancte Pater, Omnipotens, æterne Deus, qui cuncta ſolus ordinas & rectè diſponis, qui ad coërcendam malitiam reproborum ac perfidorum, infidelium & hæreticorum, uſum gladij in terris hominibus tua ſalubri diſpoſitione permiſiſti, & militarem ordinem ad populi protectionem inſtitui voluiſti, clementiam tuam, Domine, ſuppliciter exoramus, ut ſicut David puero tuo Goliam ſuperandi largitus es facultatem, & Iudam Machabæum de feritate gentium, nomen tuum non invocantium, triumphalem feciſti: ita & huic famulo tuo Mathiæ regi noſtro, qui pro tui nominis honore ac fidei & Eccleſiæ tuitione colla ſupponit, pietate cœleſti vires & audaciam ad fidei & iuſtitiæ Eccleſiæque defenſionem tribuas, & præſtes fidei & charitatis augmentum, & da ei timorem pariter & amorem, humilitatem, perſeverantiam, obedientiam & patientiam bonam, & cuncta in eo rectè diſponas, ut omnia ipſe recta & iuſta defendat, perfidorum, infidelium & hæreticorum feritatem confundat, victoriam de eis optatam tua ineffabili interveniente benignitate per omnia aſſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

ORATIO.

DEus, in cuius manu ſunt corda regum, & qui regnorum omnium protector exiſtis, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ, & Mathiæ regi noſtro regimen tuæ ſapientiæ appone, ut hauſtis de tuo fonte conſilijs tibi placeat, & cunctis bonis operibus ſemper intendat.

ALIA DEVOTA ORATIO.

PRætende, quæſumus Domine, famulo tuo Mathiæ regi noſtro dexteram tuam cœleſtis auxilij, ut te toto corde perquirat, &, quæ dignè poſtulat, aſſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum amen.

Datur Pilleus, & in capite ponitur Domino Regi per ipſum Prælatum dicendo:

Accipe ſignum gloriæ & honoris de benedictione Apoſtolica in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus Sancti ✠ amen.

Datur Enſis Domino regi per Prælatum dicendo:

Accipe gladium iſtum de Apoſtolica benedictione, ut ſis defenſor fidei & iuſtitiæ, protector eccleſiarum, viduarum & pupillorum in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus Sancti ✠ amen: & utaris eo ad defenſionem Sanctæ Dei Eccleſiæ & ad confuſionem omnium inimicorum ſanctæ fidei Chriſtianæ, nec non protectionem tuam & ſubditorum tuorum. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum amen.

Accingatur per Prælatum Enſe Dominus Rex, Capellum in capite tenens. Qui Prælatus dicit:

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè. Etiam attende, quòd Sancti non gladio ſed fide vicerunt regna, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti amen.

Item dicat Prælatus:

Exciteris a ſomno, & vigila in fide Chriſti & fama laudabili.

Item dicat Prælatus:

Speciosus forma præ filijs hominum: diffuſa eſt gratia Altiſſimi in te. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè.

Item dicat Prælatus:

Dominus vobiſcum.

℟. Et cum &c.

OREMUS.

OMnipotens, potentiſſime, & ſempiterne Deus, ſuper hunc famulum tuum Mathiam regem noſtrum, qui eminenti hoc mucrone circumcingi deſiderat, gratiam tuæ bene ✠ dictionis infunde, & dexteræ tuæ virtute fretum, fac contra cuncta adverſantia cœleſtibus armari præſidijs, quò nullis in hoc ſeculo tempeſtatibus bellorum ac inimicorum noſtrorum, perfidorum, infidelium & hæreticorum turbetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

Deinde dicat Prælatus:

℣. Pax tecum.

℟. Et cum &c.

Digitized by Google

Et regi det oſculum pacis. Deinde chorus cantabit: Te Deum laudamus. *Quo finito Prælatus dabit benedictionem. Et erit finis.*

CLXXII.

Heinrici Lur, Plebani Dilligenſis ad Melchiorem Abbatem S. Vdalrici Auguſtenſis epiſtola, de Monachis O. S. Ben. bonis litteris ac diſciplinis imbuendis.

1473. *Ex Cod. Mellic. K. 56.*

Reverendo Patri & Religioſiſſimo Domino *Melchiori*, Abbati Monaſterij *S. Udalrici Auguſtæ*, Domino ſibi ſingulariſſimo, *Heinricus Lur*, in Decretis Licentiatus & in *Dillingen* Plebanus, ſervitutem, & in regulari vita bonis operibus abundare.

MOyſes cùm eſſet Princeps in populo Dei, letro gratanter conſilium admiſit Exod. XVIII. Et Balaam vocibus aſinæ acquievit Num. XXIII. Sanè Reverende Pater & ſingulariſſime Domine, cum quadam triſtitia cogor amore S. Benedicti per anſeris calamum vobiſcum inire multiplex certamen. Ideo tale præmiſi exordium, ne his auditis rugetis frontem. Non latet vos ſcire, quomodo qualiterve benè eſſe habui a Venerabili Monaſterio in *Wiblingen* Ordinis dicti S. Benedicti: & ne incurrerem ingratitudinis vitium, quod deteſtabile eſt apud Deum, debitum mutuatum pro ſtudio debitè ſolvi, & in condito per me teſtamento legando eidem Monaſterio Decretum, Decretales, Libros Sententiarum & alia plura volumina ipſum non præterivi. Denique Quotienscunque ſteti inter ſecretiores lacrimas pro felici ſtatu & incremento regularis vitæ ipſius, immò totius Ordinis S. Benedicti, ea, qua potui, devotione, miſericordem Deum orare non ceſſavi. Et exinde inter multos Ordinis eiuſdem profeſſos & me orta eſt felix germanitas, ſic quòd gaudeo cum gaudentibus, & dolentibus condoleo.

Et præſertim ſuper multiplici (deſtructione) facta plùs cæteris *ventrem meum doleo*, ut Propheticò utar eloquio Ieremiæ IV. Perdidit enim Ordo non longis retroactis temporibus perſonas, res &c. ùt optimè ſcitis, & reductus eſt ad multam ſimplicitatem. Stant enim perſonæ eius plures apud primos gradus ſcalæ Iacob, de qua Gen. XXVIII. De animabus eorum, qui Ordinem exiverunt, & ſic illum S. Patrem Benedictum, nutritium eorum contempſerunt, ponam ori meo ſilentium. Neſcio tamen, cuius Ordinis erunt tales in die illa magna, quando dicetur: *Ite, venite*, & qualiter reſpondebunt æquiſſimo ludici ad quæſtiones, quærenti: *amice quomodo intrâſti?* qualiter vixiſti? quomodo rexiſti? quare & quò exiviſti? Verè undique erunt anguſtiæ. Nam Clauſtralem redire ad ſeculum non eſt aliud, quàm cœli habitatorem cadere in infernum. Clauſtrum enim comparatur Paradiſo. Vnde Petrus Bleſenſis Ep. XIII. dicit: *Nam iuxta mentem cordis mei ſi Paradiſus in præſenti vita eſt, vel in clauſtro vel in ſcholis eſt. Quidquid enim extra hæc duo eſt, plenum eſt anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, ſolicitudine & dolore.* Si igitur in die tremenda cedri Paradiſi tremebunt, quid facient ij, qui declinaverunt a Divina ſervitute? Cui hæc pauca non ſufficiunt, nec multa proficiunt.

Et illud auxit dolorem cordis mei, quòd quaſi omnes Prælati, etiam reformati, biberunt aquas de puteo Samariæ, quæ plus potatæ plùs accendunt concupiſcentiæ ſitim, & qui contraxerunt amicitiam cum avara & impiiſſima Ieſabel, quæ non contenta in regno Iſraël, vineam pauperis Naboth concupivit, & ut obtineret ipſam, per falſos teſtes occidit III. Reg. 21. de quibus loquitur Ieremias IV. cap. dicens: *a maiore uſque ad minorem omnes ſtudent avaritiæ*, non advertentes, quòd olim (cupiditas) peperit divitias, quòd filia ſuffocavit matrem, propter quam multi perierunt I. Ethicorum: non perpendentes, quòd ſi filiæ illius poſſeſſor vult callida fraude tyrannidem ſuam muneribus exercere, atria ſeu aulas magnatum penetrabit, in quibus eſt venalis iuſtitia, & nullus zelus religionis: ordinem vulnerabit valde, qui ſæviſſima eſt iniuſtitia habens denarium. Hæc & plura alia didici in experientiæ libro. Vnde non longè retroactis temporibus iuſſu Superioris, ùt ſcitis, cum cæteris viſitavi certa, etiam reformata, Monaſteria, & revera conſideravi, totam induſtriam certorum Prælatorum verſari circa magnas

magnas divitias acquirendas, & ſtructuras altas erigendas, parùm de æternis. Vox audita eſt: affer, affer: nulla intonuit: ſufficiunt nobis noſtra. Et ſic uſque hodie manſit verum dictum Tullij in Paradoxis Stoicorum dicentis: *Nullus avarorum adhuc inventus eſt, cui, quod haberet, ſatis eſſet.* Non perpendentes, quòd finis omnium temporalium eſt ordinatio ſpiritualium, ùt in *Cap. cum ſecundum Apoſtolum de Præbendis, & XXI. Diſt. cap. Cleros.* Et ideo talis fucata religio non placet Deo. Quod enim fit prætextu tuendæ religionis aut ſimulatæ iuſtitiæ, non fructificat ad vitam, non ædificat ad ſalutem. Pepercit Saul optimis Amalech, quaſi ea ſacrificaturus Deo, & Divinam incurrit offenſam, & regnum perdidit I. Reg. 15.

Deſcendi etiam aliàs ad diverſa Monaſteria & ad Fratrum prædulcia colloquia, quærens honeſta ſolatia, in mutua tamen ædificatione. Non reperi inter eos qualificatum in Sacra Theologia, quæ ſtudenda eſt, ut ſtudentes inimicos veritatis deſtruant, & minùs eruditos erudiant, ipſi perfectiùs viam veritatis agnoſcant, altiùs ſecreta Dei intelligant, acriùs ament, quorum nimirum devotio eſt laudanda & imitatione digna. Nec comparuit ſcholaris Iuris Canonici, cuius ſubiectum eſt homo Catholicus, dirigibilis ad vitam æternam per Eccleſiæ ſtatuta. Nec aliquis de palatio Iuſtiniani. Et cùm ducerer in admirationem, dum talium nullus affuit, tacitum reſponſum habui: quia avaritia nil permittit exponi pro acquirendis ſcientijs: quia Chriſtus Ieſus Petrum & Andream & alios, per quos operatus eſt ſalutem in medio terræ, non de foro Iuſtiniani, ſed de ſimplicitate piſcatoria legitur aſſumpſiſſe: inflat enim ſapientia huius Mundi & legum ventoſa loquacitas, *nec plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem* ad Rom. XII.

Super quo reſponſo turbata fuit anima mea, & citò in ea ſcaturiebat tacitum murmur: Quia ſolvere nodum benè nequivi, & tacere prorſus erubui. Dura fuit utraque conditio: ſed de duobus elegi, quod melius videbatur. Deliberatione habita volvi & revolvi volumina, & tandem inveni in Prologo totius Bibliæ, ùt ſequitur. Paulinus Presbyter per quendam Ambroſium Monachum ſcripſit beato Ieronymo, ſignificans ei deſiderium, quod habebat, intelligendi ſacras ſcripturas, & a ſeculi implicationibus exeundi, & quæſivit, utrum ſine doctore habere poſſet ſacrarum intelligentiam ſcripturarum. Addidit etiam, quòd, ut eas poſſet diſcere, multùm deſiderabat cum beato Ieronymo converſari & conferre. Cui reſcripſit B. Ieronymus per epiſtolam dicens: *Frater Ambroſius* &c. quæ quidem epiſtola præponitur toti ſacræ Scripturæ tanquam Prologus ſeu procœmium generale, ad ipſam introductorium. Ex qua epiſtola & dictis Heinrici de Haſſia, ſcribentis ſuper eadem habetur ſolutio ſuper obiecto, & alia multa famoſa dicta. Et cap. IV. dicitur *beata quippe ruſticitas*, id eſt: modica vel illiterata ſanctitas, maxime Epiſcoporum & Prælatorum. Illa ſolùm ſibi prodeſt per ſanctitatem, & non alijs per doctrinam & prædicationem: & quantùm ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantum nocet, ſcilicet occaſionaliter, quando infirmos in fide & moribus exhortationibus non roborat, nec famâ doctrinæ hæreticos terret, ſi deſtruentibus ſcilicet hæreticis, hypocritis, tyrannis, & publicè vitioſis Chriſtianis non reſiſtit. Et infra: Daniel in fine ſacratiſſimæ viſionis ait c. XII. iuſtos fulgere quaſi ſtellas, & intelligentes, id eſt, doctos quaſi firmamentum. Vides, quantum inter ſe diſtant iuſta ruſticitas, & docta iuſtitia? Alij ſtellis, alij cœlo comparantur, quamquam iuxta Hebraicam veritatem utrumque de eruditis intelligi poſſit. Ita enim apud eos legimus: *Qui docti fuerint, fulgebunt iuſti quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, erunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Cur Paulus Apoſtolus fertur vas electionis? Nempe quia vas legis & ſcripturarum ſanctarum armarium erat.

Sed quare Deus elegit primò Petrum & alios piſcatores & indoctos? Reſpondet dictus Heinricus, quòd Deus ideo fecit, ne introductio fidei & religionis putaretur humana inventio, aut attribueretur humanæ induſtriæ, ſed fidei primordia aſcriberentur ex toto Divinæ gratiæ. Voluit tamen Deus poſtea & Paulum & alios Doctores in lege & Scripturis, in quibus Chriſtus fuit revelatus, vocare, ut Iudæi videntes etiam doctos

in

in eorum lege ad Chriſtum converſos non poſſent dicere, ſimplices propter ſcripturarum ignorantiam a principio deceptos fuiſſe: etiam ut eſſent, qui humano modo inducendi & diſputandi Iudæos ex lege propria convincerent.

Tunc ibi: *Inflat ſapientia huius Mundi.* De ſapientia huius mundi, quæ eſt ſtultitia apud Deum, non loquimur, ſed de illa, de qua Iacobi I. ſcribitur: *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.* Et de illa, de qua dicetur infrà. Et ſi ſcientia & ſapientia quandoque inflat, hoc eſt per accidens. Sunt enim de per ſe de numero bonorum honorabilium I. de Anima, qui liber ſic incipit: *Bonorum honorabilium notitiam habentes.*

Tunc ibi: *Legum loquacitas.* Finis legis & ſecularis poteſtatis eſt, ut mali a malo coërceantur, & boni quietè vivant: & finis regentis eſt pax & unitas, & non loquacitas, ut in Proœmio Decretalium *Rex Pacificus.* Cui invido, indocto & parco Prælato hæc pauca non ſufficiunt, nec multa proficiunt.

Cùm itaque, Reverende Pater, hæc dicta vera ſint, & profeſſi Ordinis Dei ſervi ſint, & ſervus alicuius domini tria præcipuè habet inquirere, primò & ante omnia voluntatem ſui domini, ut ei obediat: Secundò dignitatem & bonitatem eius, ut ipſum diligat, & iuxta magnitudinem ſuæ nobilitatis & veritatis laudet & extollat: Tertiò, qui & quales ſint adverſarij eius, ut illis viriliter reſiſtat, & ſe & alios ſubiectos domino ſuo ab illis liberet & defendat. Cùm ergo Deus ſit univerſalis Dominus omnis creaturæ, & homo ſervus eius ſubiectiſſimus, ante omnia prædicta tria perſcrutari habet de Domino ſuo. Sciet autem hoc vel ipſius Domini revelatione, vel operum eius conſideratione. Sciet Dei voluntatem de agendis vel omittendis duplici ſtudio, videlicet Theologico & Iuridico. Theologico in univerſali, Iuridico in particulari. Sciet Dei bonitatem, potentiam, ſapientiam, & dignitatem duplici ſtudio, utpote Theologico ex ſcripturis, & ſtudio Philoſophico ex omnibus creaturis & ex naturalibus eius operibus. Talia autem ſtudia de facili non habentur in cella, ubi etiam ſunt bella, ſed in Conventibus generalibus ſcholarium & Magiſtrorum, tum propter maiorem auctoritatem & approbationem litteratorum, tum propter celeriorem inſtructionem, tum tertiò propter exercitationem maiorem addiſcentium, & ad maiorem digeſtionem & dubiorum diſcuſſionem: tum quartò propter liberiorem vacationem. Vnde quidam Sapiens pro diſpoſitione ſtudij ad propoſitum dixit.

Mens humilis, ſtudium quærendi, vita quieta,
Scrutinium tacitum, paupertas, res aliena,
Hæc referare ſolent multis obſcura legendi.

Verbi gratia: Mille apes per æſtatem ſimul laborantes ſeu mellificantes comportant plus de melle, quàm ſi quælibet diviſim & ſequeſtratim mellificâſſet, immò diviſim multæ perijſſent, & nullam proviſionem facere potuiſſent. Hæc Heinricus de Haſſia loco prædicto, qui de hoc ponit plura exempla.

Hìc breviter quæritur, quare apud populum Iſraël non fuit ſtudium ſcientiarum liberalium ſive humanarum, ſed apud gentiles? Reſpondetur, quòd, quia futurum erat, quòd ex duobus populis, ſcilicet Iſraëlitico & gentili fieret tandem per Chriſtum una perfecta Eccleſia vel Congregatio fidelium, ideo diſpoſuit Deus, quòd unus illorum populorum vacaret puræ & impermixtæ uni ſapientiæ, alter alteri, videlicet populus fidelis Iſraël ſcientiæ & cognitioni ſupernaturaliter datæ, Alter populus, ſcilicet gentilis vacaret inventioni ſcientiarum naturaliter inventarum, quarum quia nulla ſine altera humano ſtudio uſquequaque perfici poteſt, proinde voluit Deus, ut in Chriſtiano populo, qui perfectiſſimus eſſe debuit, in omni cognitione & virtute, quidquid naturaliter inventum eſt a gentibus, & quidquid revelatum fuerit ſupernaturaliter Iſraëlitis, concurreret, ut ſic fieret ultimatè una perfecta fidelium Eccleſia Chriſtiana.

Reſponderi poteſt: Si, id eſt, quia hæc vera ſunt, cur cum divitijs Crœſi permiſiſtis Ordinem veſtrum ad tam infimum ignorantiæ ſtatum pervenire, quòd quaſi ſuper quolibet conſiliabili oportet extrà quærere, quod intus habere deberetis?

Quon

Quon non fecerunt Franciſcus & Dominicus, qui ſapientia & prudentia ac glorioſo titulo paupertatis comparaverunt ſibi viros gnaros & ſapientes, qui reſiſtentiam facere poſſent potentibus, & habiles eſſent ad regendum Mundum. Ideo rogo, moneo & hortor vos tanquam humilis ſervus S. Benedicti, ut morâ poſtergatâ diligentem operam impendatis, ut in Ordine erigatur Gymnaſium aut pro quibusdam Monaſterijs Gymnaſiorum, ut Ordo in toto aut in parte ſcientijs illuſtretur, ut eius ſuppoſita poſſint & valeant aſcendere gradus ſcalæ, de qua ſuprà, & dicetur infrà, & reſiſtere Ordinem exire aut diminuere volentibus. Quod ſi feceritis in loco propinquo, morâ ruptâ dabo omnes libros meos in Artibus Monaſterio *Wiblingenſi* pro uſu Ordinis & ſtudere volentium. Et niſi reſolutio corporis mei impediverit, deſcendam tanquam veteranus ad locum talem, & ponam fundamentum tale, quale apparet in epiſtola noviter conſcripta de tribus proceſſibus, videlicet ſenſûs, intellectûs & voluntatis, mercedem a Deo recepturus.

Inſuper, Reverende Pater, apparet, quòd vos & cæteri Prælati non ambulatis in linea recti itineris. Primò in hoc, quòd non ſervatis debitum diligendi ordinem. Secundò quòd anteponitis temporalia ſpiritualibus. Tertiò quòd non exercetis officia, propter quæ principaliter eſt vobis Prælatura collata.

Primum declaratur per Londerium ſuper I. Phyſic. q. ult. articulo ultimo, ubi quærit, utrum individuum plus diligat ſuam ſpeciem quàm ſeipſum: & reſpondet, quòd ſic. Sed contrarium practicatur per omnes Prælatos. Vnde credendum eſt, quòd altiùs vociferaret Prælatus, ſi a lupo de ſuo Monaſterio raperetur unicus porcellus, quàm ſi ab Ordine caderet totus principatus.

De ſecundo dictum eſt, & dicit beatus Bernhardus: *Quem Prælatum dabis hodie, qui non potiùs intendat burſis implendis, quàm vitijs extirpandis?*

De tertio audiamus Alvarum de Planctu Eccleſiæ Part. I. art. 4. poſt principium dicentem: *Finis ſummi Pontificis eſt eſſentialiter & per ſe populum Chriſtianum deducere ad vitam virtuoſam, ad gratiam & charitatem in via, ut tandem poſſit pervenire ad gloriam in patria, cùm ſit paſtor principalis Dominici gregis, quia dicitur ei Iohannis ult*: Paſce oves meas. Sed finis Prælatorum eſt, ut ipſi omnes errores ſuffocent, & falſa & erronea eorum doctrinâ comprimant, ne populum ſimplicem pſeudoprophetæ per ſimulatam ſanctitatem ſeducant. Concordat de ipſis Rationale Divinorum Part. II. ante finem. Debent igitur Prælati erudire ſubiectos, & Deo reddere populum acceptabilem aperiendo myſteria Scripturarum. Petro enim & ſucceſſoribus eius præcipitur *ducere in altum* rete, id eſt, in profundam ſacræ ſcripturæ intelligentiam, in capturam hominum. Et hi ſunt veri Prælati, qui ad hoc tantùm laborant, ut plures ſecum ad Deum trahant, quos delectat onus non honor, charitas non poteſtas, exemplo Apoſtoli dicentis: *cùm eſſem ut liber in omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem.*

Reverende, Pater, ſi hæc perpenditis, & in vosmetipſum deſcendetis, & fodietis conſcientiæ parietem, invenietis vos multùm declinâſſe a linea recti itineris, & negligentiam commiſiſſe. Attuliſtis enim ad Ordinem competentem ſcientiam, & in eodem ſtuduiſtis hiſtoriarum intelligentiam. Et poſtquam fuiſtis vocatus tanquam Aaron ad Prælaturam, effudiſtis publicè eandem prædicando, inprimis Paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti &c. Sed poſt ſpatium temporis reſpexiſtis retro, & eandem ſcientiam & hiſtoriarum intelligentiam clamore effudiſtis in tabulis & colloquijs privatis, ita quòd hodie vociferant æmuli, quòd in vobis ſit quædam verboſitas & rependinum incendium, & quòd reliquiſtis maximum donum & optimum bonum, ſcilicet officium prædicationis cum cæteris Prælatis, qui ſimplices & inexpertes deputant ad ambonem, qui clamant de alto ſicut ranæ de Ægypto.

Quomodo autem ſeminare verbum Dei ſit maximum bonum, audiamus Richardum in Libro de Zelo animarum dicentem: *Neſcio, ſi poteſt homo a Deo aliquid in hac vita maius accipere. Ignoro, an poſſit hac gratia maiorem aliquam Deus homini conferre, quàm ut eius miniſterio perverſi homines in melius reformentur, ut de filijs diaboli filij efficiantur Dei. An fortè cuiquam maius videbitur eſſe mortuos ſuſcitare?* Et infra: *O qualis dos, quanta dignitas*

talem a Domino gratiam promereri, ut per paſtorum miniſteria oves cum paſtoribus ad æternam poſſint gloriam pervenire! Vnde ad propoſitum beatus Auguſtinus exponens illud Iohan. 14. *Maiora horum faciet*, dicit, quòd *maius opus eſt, ut ex impio fiat iuſtus, quàm creare cœlum & terram.* Quæ verba exponit S. Thomas in Scripto Quarti Diſt. 17. & Doctores, quòd maius & melius eſt, quantum ad illud, quod fit, ſcilicet bonum gratiæ, quod eſt maius quam bonum naturæ. Iuſtificatio enim impij terminatur ad bonum æternum, ſcilicet Divinæ participationis, & hæreditatem æternam. Sed creatio cœli & terræ terminatur ad bonum naturæ. Et ad propoſitum dicit beatus Euſebius in Epiſtola de morte beati Ieronymi: *Qui ſcit, & non prædicat, tenetur Domino reddere rationem. Cùm enim iuxta beati Iohannis ſententiam qui odit fratrem ſuum, homicida eſt, & qui habuerit ſubſtantiam Mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem patientem, & clauſerit viſcera ab eo, quomodo manet in eo charitas Dei? quantò magis qui viderit fratrem ſuum errantem & mortalibus oppreſſum criminibus, & non miniſtraverit verbum doctrinæ ille, qui doctus eſt, homicida & ſine charitate eſt?* Qui igitur in ſeminando verbum Dei negligens repertus fuerit, habet timere, ne in die iræ dicat cum Iſaia *væ mihi, quia tacui.* Hæc de dote & dignitate prædicantium.

Sed quid dicitur de utilitate & bonitate verbum Dei audientium. Certè dimiſſis ijs, quæ dicuntur in *Quæſtione I. cap. interrogo vos fratres* & alibi, dico illud, quod Dominus dixit Luc. 8. *mater mea & fratres mei hi ſunt, qui audiunt verbum Dei & faciunt.* Et II. *beati, qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.*

Der Durchleüchtigſt Fürſt Maximilian Römiſcher Künig zu allen zeiten Merer des Reichs ꝛc. Vnſer lieber Sun die hochgebornen Erwirdigen, Erſamen Edlen, Vnſer lieben getreüen/ Erich Hertzog zu Braunſchweig Vnſer liber Oheim und Fürſt, Johanns Biſchoue zu Veſprin, und Aminiſtrator des Stüffts zu Wienn Vnſer Rate/ Melchior Biſchoue zu Brixen, Graue Philipp Von Naſſau, Grau Philipp von Eiſenburg, Graue Johanns vnd Graue Criſtoff gebrieder von Wertenberg Vnſer Camerer und obriſt Druchſeſſ, Graue Vlrich und Graue Hanns von Orttenburg Vnſer diener, Abbt zu Crembsmünſter, Abbt zu Willering, Probſt zu ſand Florian, Sigmund Pruſchnik Obriſter Schenk in Oeſterreich auch Druchetz in Steyr Vnſer Hoffmarſchalch und Cammerer, Vnd Haiurich Pruſchnikb gebrieder, Freyherrn zu Stettenberg und Rat Gotbardt von Starbenberg Vnſer Haubtman ob der Enns, Mert von Polhaim, Jorg von Caſtelbark Vnſer diener/ Gregor von Starheuberg, Veit von Zelking, Wolfgang von Krey Vnſer Druchſes, Veit und Michel gebrieder herren zu Wolckenſtain, Criſtoff von Zyntzendorff, Sigmund von Nidern- dorff, Laſſla Prager Erbmarſchalch in Kernten, Wolffgang Jörger Vnſer Came-

Camerer, Johann Waldner Vnser Protonotari Vnser Römischen Cantzley, Bernhard Perger Vnser Protonotari Vnser Oesterreich. Canzeley und anwalt in Vnserer Statt Rate zu Wienn, Doctor Fuchsmagen Vnser Räte und ander Treflicher leüt genueg. Mit Vrkund des brief, besigelt mit Vnser Kayserlichen Maiestet anhangundten Insigl, so Wir in des Reichs sachen gebrauchen, mangl halben Vnser Maystett Insigl, so Wir in Vnsern Erblanden nutzen und Wir dizmal nit bey handen haben. Geben zu Lintz an Sambstag Samd Veits tag. nach Cristi geburt Viertzehenhundert und drei und Neunzigisten Vnsers Kaiserstumb in zwey und virzigisten, Vnserer Reiche des Römischen in vier und Funfftzigsten Vnd des hungerischen in Fünff und dreissigsten Jaren.

Commissio Domini Imperatoris propria.

CXCIII.

Publicum Transumpti instrumentum, quo Alexandri VI. P. M. Bulla super omnimoda Parochiarum Cartusiæ Gemnicensis incorporatione recognoscitur & ut quàm maximè authentica declaratur.

1497. *Ex Archiv. Gemnic.*

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & filij & spiritus sancti amen. Nouerint vniuersi & singuli, præsentes pariter & futuri hoc præsens publicum transumpti instrumentum inspecturi: quòd Nos *Petrus de Vicentia* Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus..... Sanctissimi Domini Nostri Papæ Eiusque Camerarij nec non Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius ac Sententiarum & Censurarum in eadem Curia Romana latarum vniuersalis executor, ad prouidi viri Magistri *Ruperti Spiegel*, in Romana Curia Causarum, & Venerabilium & Religiosorum Virorum, Prioris & Conventûs *Domûs Throni S. Mariæ in Gemnico* Cartusiensis Ordinis, *Patauiensis* Diœcesis principalium in infrascriptis literis Apostolicis principaliter descriptorum, Procuratoris instantiam (de cuius procurationis mandato nobis extitit legitimè facta fides) omnes & singulos sua communiter vel diuisim interesse putantes, quosque infrascriptum tangit negotium seu tangere poterit quomodolibet in futurum: eorumque Procuratores (si qui tunc essent in Romana Curia pro eisdem) ad videndum & audiendum infrascriptas literas Apostolicas SS. in Christo Patris & Domini Nostri, Domini Alexandri Diuinâ prouidentiâ Papæ Sexti, Eius verâ Bullâ cum chordulis sericeis, rubri croceique colorum, more Romanæ Curiæ, impendenti bullatas produci, recipi; & postquam productæ fuerint, ad audiendum & videndum ipsas transumi, exemplari, publicari, & in publicam formam redigi mandari: Auctoritatemqve & Decretum dictæ Curiæ & nostrum, ac nostri officij interponi: Vel dicendum, & causam (si quam haberent rationabilem, quare præmissa minimè fieri deberent) allegandum, per audientiam publicam literarum contradictarum Domini Nostri Papæ, ùt moris est, citari mandavimus & fecimus ad diem & horam infrascriptos. Quibus advenientibus comparuit judicialiter coram Nobis Magister *Guillermus* Procurator nomine, quô supra, procuratorio, & dictorum Citatorum in quadam, citationis audientia, pergameni schedulâ in dicta audientia literarum contradictarum debitè executâ & per eum inscriptis representatâ contentorum non comparentium contumaciam accusauit: ipsosqve contumaces reputari, & in eorum contumaciam supradictas literas Apostolicas sub tenore infrascripto exhibuit atqve dedit: Quas transumi, exemplari, publicari, & in hanc publicam formam redigi mandari, auctoritatémqve & Decretum dictæ Curiæ & nostrum ac officij nostri interponi per Nos instanter postulauit.

Nos tunc *Petrus* Auditor præfatus dictos citatos non comparentes reputauimus non immeritò, prout erat, quoad actum & terminum huiusmodi id suadente iustitiâ contumaces: & in eorum contumaciam supradictas literas Apostolicas

Digitized by Google

licas ad manus noſtras receꝑimus, vidimus, legimus, tenuimus, palpauimus & diligenter inſpeximus, ſanasque, integras & illæſas omniqúe prorſus vitio & ſuſpicione carentes reperimus; ipſásqve vlteriùs ad dicti *Guillermi* Procuratoris inſtantiam vlteriorem, per diſcretum virum Magiſtrum *Joannem Deſiderij* publicum ac dictæ Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarium infraſcriptum, tranſumi, publicari, ac in hanc publicam formam redigi; nec non ipſas tranſumptas cum originalibus auſcultari & collationari mandauimus & fecimus, volentes, & auctoritate dictæ Curiæ ac noſtri officij decernentes, quòd huiuſmodi tranſumpto, in judicio & extra iudicium ac ubicunque locorum, de cætero detur & adhibeatur tanta fides, quanta ipſis originalibus literis inferiùs de verbo ad verbum ſcriptis & relectis ac cum præſenti publico inſtrumento auſcultatis & collationatis data fuit & adhibita; ac daretur & adhiberetur, ſi in medium producerentur.

Quibus omnibus & ſingulis ſupradictis tanquam ritè & legitimè celebratis & factis in eodem judicio coram nobis & noſtri officij & noſtram ac dictæ Curiæ auctoritatem judiciariam & ordinariam interpoſuimus, ac præſentibus interponimus pariter & Decretum. Tenor verò dictarum literarum Apoſtolicarum, vnde ſupra fit mentio, ſequitur, & eſt talis.

Alexander Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, Dilectis filijs Priori & Conventui *Domûs Troni Sanctæ Mariæ in Gemnico* Cartuſienſis Ordinis *Patavienſis* Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Devotionis augmentum vobis prouenire confidimus, ſi ſuper his, quæ piè cupitis, nos benignos & favorabiles habeatis. Sanè pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd olim, poſtquam quondam *Albertus & Otto* fratres, *Auſtriæ & Stiriæ* Duces, tunc in humanis agentes, ob ſingularem, quem ad Ordinem veſtrum illiuſque perſonas gerebant, devotionis affectum, ius Patronatûs, quod videlicet in *Beatæ Mariæ Magdalenæ Scheibs*, & *SS. Philippi & Iacobi in Gemnico*, ac *S. Nicolai in Rupertshoffen*, nec non *S. Egidij in Oberndorff*, Parochialibus Eccleſijs dictæ Diœceſis, quomodolibet competebat vobis, perpetuò conceſſerant & donaverant, Eccleſiæ ipſæ præfatæ Domui Apoſtolica auctoritate perpetuò unitæ, annexæ, & incorporatæ fuerunt, reſervatis reſpectivè ſuper illarum fructibus, redditibus & proventibus congruis portionibus pro perpetuis Vicarijs inibi inſtituendis, ex quibus Vicarij ipſi congruè ſuſtentari, & Epiſcopalia iura ſolvere, ac eis incumbentia onera perferre valerent. Cùm autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, occurrentibus pro tempore vacationibus dictarum Vicariarum ſæpenumero contingat per nobiles & potentes illarum partium Vicarios in dictis Parochialibus eccleſijs intrudi, & illarum bona capi, occupari & diſtrahi, ac damna non modica vobis inferri, ex quibus Domus ipſa iacturam maximam patitur: & ſi cedentibus vel decedentibus modernis perpetuis Vicarijs dictarum eccleſiarum, quæ primariæ plantæ dictæ Domus, quæ ex illarum fructibus fundata fuit, exiſtunt, ſeu Vicarias ipſas alias quomodolibet dimittentibus, ex tunc *Beatæ Mariæ Magdalenæ*, cuius quatuor, & cuius duorum *Sanctorum Iacobi & Philippi*, ac cuius ſex *Sancti Nicolai*, nec non cuius unius marcharum argenti fructus, redditus & proventus ſecundùm communem exiſtimationem, valorem annuum non excedunt, *ſancti Egidij* eccleſijs, prædictos per Fratres dictæ Domus ſeu Presbyteros ſeculares idoneos, ad nutum veſtrum ponendos & amovendos in Divinis deſervirent, & illarum Parochianorum animarum cura exerceatur, profectò damnis & iacturis huiuſmodi obviaretur, ac ſaluti animarum dictorum Parochianorum meliùs conſuleretur, pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui animarum ſaluti libenter conſulimus, vos & veſtrûm ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis, a iure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet in-

nodati exiſtitis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, quòd de cetero perpetuis futuris temporibus, ſimul vel ſucceſſivè cedentibus vel decedentibus modernis, & pro tempore exiſtentibus dictarum eccleſiarum perpetuis Vicarijs, ſeu Vicarias ipſas aliàs quomodolibet dimittentibus, & illis pro tempore, etiam apud Sedem Apoſtolicam vacantibus, liceat vobis dictis eccleſijs per Fratres dictæ Domus, ſeu alios idoneos Presbyteros, ad nutum veſtrum ponendos & inde amovendos, deſerviri, & animarum curam huiuſmodi exerceri facere, Dioceſani loci, & cuiusvis alterius licentia ſuper hoc minimè requiſita, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationis Apoſtolicis, ac Domus & Ordinis prædictorum iuramento confirmationeve Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & conſuetudinibus ceterisque contrarijs quibuſcunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis & indulti infringere, vel ei auſo temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum *Romæ* apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſeptimo Kal. Iunij, Pontificatus noſtri anno V.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & in teſtimonium præmiſſorum præſentes literas ſiue præſens publicum tranſumpti inſtrumentum ex inde fieri, & per publicum ac dictæ Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarium infraſcriptum tranſumi, exemplari, & in hanc publicam tranſumpti formam redigi mandauimus & fecimus, ſigillique dictæ Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, quo utimur, iuſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum & Actum *Romæ* apud S. Petrum in palatio Cauſarum Apoſtolico, in quo jura reddi ſolent, manè horâ iudicij cauſarum conſuetâ ad iura reddendum & cauſas audiendum in loco noſtro ſolito & conſueto pro tribunali ſedentes ſub anno à Natiuitate Eiuſdem Domini Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo, indictione quintâ decimâ, die verò Nonâ Menſis Junij, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri *Alexandri* Diuinâ prouidentiâ Papæ Sexti annó quintô, præſentibus ibidem diſcretis Viris Magiſtris *Jacobo Quertunch*, & *Jacobo Bertrandi* dictæ Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarijs Clericis Roſmen' Ciuitatis & Tullenſis Diœceſis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atqve rogatis.

Et Ego *Joannes Deſiderij de Badricuria* Clericus Tullenſis Diœceſis, publicus Apoſtolica & Jmperiali auctoritatibus, nec non Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ùt præmittitur, fierent & agerentur, vnà cum prænominatis teſtibus præſens interfui; eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audiui ac in notam ſumpſi: ideo hoc præſens publicum tranſumpti inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, publicaui, & in hanc publicam tranſumpti formam redegi, ſignóque & nomine meis ſolitis & conſuetis vnà cum dictæ Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ ſigilli appenſione ſignaui in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX.

CONVENTIONIS MODUS

1649. ***Quo Monasterium Augiæ Divitis, Celeberrimum olim in Germania, Episcopatui Constantiensi fuit coniunctum.***

Ex Bibliotheca Mellicensi.

AUgia, postquam quinquaginta quinque Abbatibus gubernata, jámque regnante quinquagesimo Sexto Præsule Domino *Martino* Barone propaginis de *Weissenburg* & *Krenckingen*, sed Nonis Septembris 1508. ex hac vita decedente, duos tantùm haberet Monachos, ex nobili quidem familia ortos, alterum *Marcum de Knoeringen*, *Januarium de Reuschach* alterum, neutrum tamen vigesimum quintum ætatis annum excedentem, prudentiâ & regiminis industriâ ambos expertes, octo ferme annis pastore destituta, pluribus succubuit calamitatibus. Quod cùm Episcopus Constantiensis *Hugo de Landenberg* attenderet, mox insidiari cœpit administrationi Augiensi, hincque inde variâ practicâ eiusdem possessionem appetere, suisque illicitis conatibus *Romam* ad Summum Pontificem *Julium Secundum* tendere, ubi perplurib⁹ argument⁹, maximè contra duos superstites Monachos fictis, *neutrum* videlicet *vigesimum tertium ætatis annum excessisse, & si regiminj præficerentur, præter malum statum, interitum omnino Monasterio imminere*, proferendo, his & alijs suis *nundinationibus*, [1] per hos, quos *locupletioribus muneribus* in suam partem traxerat, apud eundem Summum Pontificem tantum effecit, ut Bullam Apostolicam super Monasterio hoc, sibj & suæ Episcopalj mensæ certis conditionibus dejecepo incorporando & uniendo impetraverit. Datæ sunt hæ Bullæ 10. Calend. octob. Anno 1508.

Post hos duos alius nobilis non fuit ab Abbatibus susceptus.

Sic Bulla Julij Secundj prima.

1. *Colligitur ex chronica sub Georgio 57. Abbate.*

Hugo ergo obtentò Pontificis consensu, institit ijsdem *fictitijs* apud Augustissimum Imperatorem *Maximilianum Primum*, idémque, quòd apud Summum Pontificem impetraverat, haud difficulter obtinuit, Monasterium cum omnj Jurisdictione & authoritate Episcopatuj conjungendum, paucis quibûsdam conditionibûs reservat⁹, machinatus est. Quibûs peractis fama de Monasterij Incorporatione, Episcopo *Hugonj* factâ, pervolavit ad aures prædictorum duorum Religiosorum, corúmque familiarum nobilium. Quj actionj huic auscultantes, & modo, quo Episcopus Monasterium obtinuerat, intendentes, astúmque tandem fictum perscrutantes, præcipuè, quòd Episcopus *ambos Religiosos sua ætate vigesimum tertium annum nondum excessisse* falsè prætenderat, contra hæc Episcopj relata [2], apud Summum Pontificem delata, tanquam commenta exceperunt, & specialj *appellatione Romanam* petierunt. Factâ ergo contra Episcopum hac exceptione, & à parte Religiosorum appellatione Romam jam directâ, *Hugo* se *reum culpæ & falsitatis notæ* observarj non ignorans, *aliam finxit alterum*, nempè ut Romæ Religiosis præveniret, & errorem [3] quasi labilem circa Religiosorum ætatem à se commissum, postulans corrigi & emendarj, adeoque aliam, & novam Bullam Apostolicam propríjs suis expensis sibj largirj flagitavit: hocque modô Bullâ aliâ mox obtentâ & VIII. Calend. Decemb. renovatâ, Monasterium de novo subjugare attentavit. Sed renuentibûs duobûs Religiosis, & maximè resistentibûs, adjumentò eorum familiarum, Constantiensisque [4] Civitatis Magistratu intervento, quj causâ suâ ad Augustissimum Imperatorem *Maximilianum* appellárunt, negotium hoc priùs octo ferme insumpserat annos, quam in utram partem latâ sententiâ erat decisum: infrà quod tempus *Marcus de Knoeringen* ab Invictissimo Cæsare Monasterij administrator

ex litteris sub numero 18.

2. *Habentur tractæ, colliguntur tamen ex sequentibûs hic citatis.*

3 *Patet ex 2dis Bullis Julij Secundj.*

4 *Patet ex litteris sub numero 19.*

Colligitur

strator deputatus domestica [5] gubernavit.

[5] Sic chronica sub Marco 58 Abbate.

Elapsis ergo octo ferme annis, quibus *Marcus* administrationem non adeò ad mentem Imperatoris benè rexerat, Episcopus interea pro executione incorporationis Bullæ, à Summo Pontifice sibi indultæ, altis conatibus institerat. Augustissimus tandem compulsus *respexit ad Fundatorum litterarum intentionem*, ex quibus cùm claram, & expressam eorum mentem, hoc Monasterium nempè non tantùm pro Magnatum, Principum, vel Comitum, Baronum, aut Nobilium familijs, sed pro omnibus cujuscumque originis honestis Monachis [6], ibidem Deo famulantibus, fore fundatum, attenderet, super his habita matura deliberatione *consensum suum*, Episcopo priùs super *Augiâ*, Episcopatuj unienda, datum [7] *retractavit, revocavit, annullavit*, & *Marcum de Knœringen* de administratione Augiensi, *Schinensj* Præposituræ præfecit, eiúsque & Abbatiæ locô *Georgium* quendam eximium virum, & Monasterij *Zwifaldensis* Abbatem cum alijs quibusdam è suo monasterio doctis huc advectis Religiosis Anno 1516. *Augiæ* [8] Præsulem præposuit, ac deinceps præter nobiles familiâ, alios quoque honestis natalibus ortos, ad regularem Monasterij observantiam secundùm intentionem Fundatorum constituit suscipj, ac Episcopum *Bullas, à Summo Pontifice non validis rationibus obtentas compulit ad suas Augustissimas manus* [9] *deponere, renuntiare, & resignare, & ne ipse & subsequens Episcoporum Constant. aliquam in hoc Monasterium Iurisdictionem se habere dejnceps prætendere possent, confirmationem hanc, quam prædecessores eius Imperatores Episcopis Constantiensibus, Augiæ Abbatibus, Imperatorum vicibus impendendam, contulerant, etiam revocavit, cassavit, horumque omnium Constantiensis Civitatis Senatus-Consultum* * *in testes, & huic exceptionj contravenientibus in executores futuris temporibus validos & firmos substituit.*

[6] Patet ex litt. numero 1.

[7] Colligitur ex litteris: numero 13.

[8] Patent omnia ex Chronica sub Abbate Georgio 57.

[9] Patet ex litt. numero 13.

* i.e. Concilium seu Consilium.

Hugo ergo Episcopus expertus, oleum & operam perditam esse, difficilem & invictum se Abbatj *Georgio* denuo opposuit: necdum cedere contendit, donec *sumptuum suorum expensæ, pro Monasterij impetratione Romæ numeratæ*, sibj resarcirentur. Super quibus demum utrinque pactô contracto Abbas *Georgius* [10] *sex mille florenos* Episcopo numeravit. Episcopus vicissim Pontificias Bullas ad Glorioſissimj manus deposuit, renuntiavit [11], & acceptis sex mille florenis Abbatem debito sufficientj Syngrapho dimisit, sicque monasterium prætensione quadam ulteriùs non perturbavit.

[10] Sic Chronica sub abbate 57. & litteræ numero 13.

[11] Patet ex litteris numero 9.

Georgius Abbas ab Imperatore *Maximiliano* legitimus constitutus, etiam à Summo Pontifice *Leone XI.* pro se & omnj monasterij Iurisdictione, confirmationem insuper, ut Monasterium deinceps non à nobilibus tantum, sed alterius quoque cuiuscumque honestæ sortis & conditionis Religiosis ad intentionem Fundatorum ibidem Deo famulantibus inhabitaretur, consensum [12] & ratificationem obtinuit. Tribus verò solummodo annis hic pius Pastor paternâ suâ solertia, prudentia & industria monasterium gubernavit, maximisque è suis calamitatibus priùs perpessis eripuit, denuo [13] restauravit, ac anno Christj 1519. pridie Nonas Decembris felicissimo obitu, licèt maximô fratrum Augiensium dispendiô, ex hac vita migravit.

[12] Hæ litteræ asservantur in archivo.

[13] Sic in omnibus chronicis sub ipso Abbate.

Georgio Abbate, & priùs *Maximilianô* primô Augustissimo Imperatore ex hac vita decedentibus, etiam regnante Carolo V. Electo Imperatore, novus Religiosorum Augiensis Conventus, licèt non nobilis sortis progenitus, in Præsulem unanimj consensu elegit *Gallum* [14] quendam, Doctum & religiosum virum, a *Georgio* præcedente Abbate ex Monasterio *Zwifaldensi* huc adductum, quam electionem duo Religiosi nobilis familiæ superstites *Marcus de Knœringen* & *Januarius de Rejschach* indignum ferentes, quorum uterque Prælaturæ dignitatem ambiret, contra hanc veram & legitimam *Gallj* electionem exceperunt, prætendentes *prærogativam Abbatialis muneris non nisi Principibus, Comitibus, Baronibus à trecentis & ultra, & a centum fermè annis nobilibus competere*: adeúsque nullo jure *Gallo* Monacho, *ignobilis* aut rusticæ sortis nato, Convenire, tantum Consanguineorum suorum, aliorumque non nullorum adjuvamine effecerunt, ut *contra expressam Fundatorum intentionem, nuper*

[14] Sic in omnibus chronicis post 57. abbatem.

per

per denuo à Summo Pontifice Leone XI. & Maximiliano I. Imperatore confirmatam, contráque plures alias à Summis Pontificibus & Imperatoribus concessas Bullas, quæ clarè in se continent, ut hic è gremio fratrum Augiensium in Abbatem eligatur [15] qui bonis moribûs, vita exemplaris, non verò qui generosi, aut nobilis tantùm sit propaginis, Gallum electum de electione repulerint, ipsíque renuntiare coëgerint: Cæteros verò Conventûs Religiosos, quia non nobilis originis, nec ad aliam electionem, nec ad postulandum ex alio monasterio idoneum quendam Religiosum pervenire permittentes prorsus omni electionis voto privare, & tanquam non Capitulares, licèt [16] monasterij Professos, excludere instituerint. Posthac *Marcus de Knœringen* electionem inter se & alterum de *Reischach* 6. Idus Decembr. Anno 1520. novam instituit, quæ [17] sic contigit, ut, cùm *Januarius* à *Marco* quæsitus, cuinam suum votum tribuat & in Abbatem requirat, ipse responderet: *tibj Marco à Knœringen*, *Marcus* mox annuit, suúmque votum sibj ipsi impendit, affirmando se nobilem, & peritum regiminis, adeóque idoneum, ut Abbas constitueretur: sicque *Marcus* duobus his votis seipsum fecit Abbatem. quem astum cùm *Januarius* non admodum grato animô approbaret, quia & ipse Abbatiæ dignitatem ambiens speraret à *Marco* votum recipere, ipsum *Marcum* præsidentia eminere invitus indulsit: sicque se tandem ab eius auctoritate & obedientia omnino exemit, suosque Juri in Monasterium [18] & Capitulum, quòd aliàs legitimè se habere contenderet, renuntiavit, vitæque suæ terminum in quadam villa, *Dyrren* [19] appellata, complevit. *Marcus* verò solus & *Nobilis* & *Conventus* & *Abbas* dejnceps *Augiam* gubernavit, usque dum interventu suæ familiæ, aliorúmque Nobilium confirmationem à Summo Pontifice *Leone XI.* & Imperatore *Carolo V.* pro se [20] ac Monasterij Jurisdictione obtinuerit, legitimus exjnde Abbas Anno 1522. sufsultus.

Præsidente ergo *Marco* Augiensi Regiminj novem ferme annis, Constantiensis Episcopus [21] *Hugo de Landenberg* Anno 1529. Episcopatuj renuntiavit. In cuius successionem *Baltasar Mercklin* electus est, quj denuo ut *Augiam* Episcopatuj subjugaret, apud Jmperatorem *Carolum V.* rantîs conatibûs institit, ut tandem eius animum [22] in consensum flexisse vulgò diceretur. Móx que cum Marco, quj interea acerrima infirmitate percussus, de qua nec vitæ suæ incolumitatem restauraj, nec *monasterij conservationem penes nobilium familias* dejnceps perennarj autumare auderet, *Contractum quendam circa Augiæ traditionem panxit*, cúmque confirmarj Serenissimo Jmperij Regi *Ferdinando* supplicavit. Sed cùm Serenissimus Rex, si huic traditionj consentiret, eandémque confirmaret, diversas exjnde incommoditates Jmperio oriundas jmminere attenderet [23] huic matura deliberatione perpensa Confirmationj consentire respuit, *pactúmque contractum retractarj mandavit.* Quo tandem contractu per Episcopum *Marcumque* Abbatem denuo retractato, *Baltasar* paulò pòst ex hoc sæculo ad æternitatem pertexit, *Marcus* verò revaluit.

Annò itaque Christi 1531. in Episcopalem Thronum sublimatus est *Joannes Comes de Lupffen*, quj prædecessorum suorum animum induens, eôdem stimulô punctus *Augiam* & ipse appetere non cessavit, sed contractum priorem, inter Episcopum *Baltasarum* & *Marcum* Abbatem pactum, ad Jmperij Principes detulit, per quos Serenissimj Romanj Jmperij Regis *Ferdinandj* consensum requirere non destitit, donec sententiam [24] obtineret, ut *Marcus* Abbas Augiense Monasterium Episcopo *Joannj de Lupffen* modó & contractu, quó priùs pepigerat, traderet, locóque prorsus cederet: quòd Serenissimus Rex Abbatj *Marco* per *Suicardum* Baronem *de Gundelfingen* significarj demandavit. Quare, cùm *Marcus* per prædictum *Suicardum* sententiam pergravj inprimis indignatione in Episcopi astum, & quòd absque præscitu suo contractum apud Serenissimum Regem repetierat, animadvertit, dejnde contra consensum, huic Episcopo factum, tam firmîs rationibûs excepit (prout ex eiusdem litteris, ad Serenissimum Regem destinatis, [25] colligitur) ut non tantùm Monasterium ab Episcopo non obtineretur, sed etiam à Serenissimo Rege ultrà non compulsus,

15 *Patet ex litteris sub numero* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *& pluribus alijs nobis subreptis.*

16 *Colligitur ex litteris sub numero* 14. *&* 15.

17 *He litteræ sunt nobis subreptæ: sed colliguntur ex litteris sub numero* 29. *& reperiuntur expressè in archivo.*

18 *Patet ex litteris sub numero* 14.

19 *Patet ex litteris sub numero* 29.

20 *Confirmatio asservatur in archivo: quæ etiam colligitur ex chronica sub dicto Abbate*

21 *Chronica Constantiensis.*

22 *Colligitur ex litteris sub numero* 10. *cum sequentibus.*

23 *Colligitur clarè ex litteris sub numero* 10.

24 *Colligitur ex litteris sub numero* 10. *cum cæteris sequentibus.*

25 *Litteræ sunt ipsa sub numero* 10.

in ſuo ſtatu, & poſſeſſione omnino quietus ſubſiſtere permiſſum ſit.

Cùm ergo Epiſcopus *Joannes de Lupffen* aſtu ſuo repulſam paſſus *Augiam* ſibj ſubijcj impetrare porrò deſperaret, alteram finxit *fraudem*, & ut *Marcum*, quem ſuis prætenſionibus dejicere nequiret, amicabilibûs conjunctionibus ſaltem ſuperaret, *exhibuit ſe valde familiarem erga Knoeringenſem progeniem*, cuius interventu *Marcj* animus flexus, & erga Epiſcopum adeo propenſus factus, ut omnem rancorem, quem priùs contra Epiſcopum conceperat, non tantùm deponeret, ſeque eius familiaritatj, conſilio, & ingenio in pluribus ſubmitteret, ſed etiam exinde pactum de *Augia* tradenda, quem olim cum Epiſcopo *Baltaſaro* contraxerat, repeteret, noviſque machinationibûs, *nundinationibûs, & illicitis conventionibûs* moliretur Monaſterium hoc, toto Orbe quondam Celeberrimum, Epiſcopatuj conjungere & unire: ſicque *Marcus immemor ſuj Juramentj, pro Monaſterij bono ſtatu conſervando præſtitj, nec reminiſcens anathematum, comminationumque execrandarum, quas Fundatores ipſis omnibus abalienatoribus imprecarentur*, novam conventionem, *ut ſi ab Epiſcopo quingentj* [26] *ſibi numerentur florenj, quòd monaſterio cedere vellet*, non ſolùm contraxit, ſed ne ipſe, aut Epiſcopus *Simoniaca labe* notarentur infectj, cautionem erexit, cuj hunc tenorem, ac ſi quingentos hos florenos *Monaſterij neceſſitatis ſubvenienda gratiâ mutuos exegiſſet*, affinxit, quòd tamen *merum falſum*, & procelando prætextu ſolùm fuiſſe commentum, ex ipſius cautionis Syngrapho colligitur. Si enim quingentos hos florenos pro Monaſterij pauperie exegiſſet, *contrario eventu* (ùt Cautionis Syngraphum affert) *ad refuſionem aliorum quingentorum florenorum, & ad certum quidem terminum eiuſdem annj*, nempe impeditione Summj Pontificis, Cæſareæ, & Regiæ Majeſtatis, Conventûs, & Monaſterij ſubditorum, obligare non potuiſſet, cùm neceſſitas & paupertas Monaſterij alios non ſuppeditâſſet. Quia verò alios ſuppeditavit, ideo *Marcus* ſe obligavit. Ergo priores quingentos neceſſitas non exegit. Non ſolùm autem neceſſitas Monaſterij has pecunias non exegit, *ſed etiam reſignationem monaſterij, Epiſcopo faciendam, abſque præſcitu & conſenſu Summi Pontificis pollicitus eſt.* Si enim conſenſum Summi Pontificis ſuper hanc obtinuiſſet, eius impeditionem non formidâſſet. Hæc omnia magis declarat expreſſa illa conditio, per Marcj deputatos Epiſcopo poſita, cuius in prædicta cautione mentionem ab initio fecit: *hanc mutuationem* videlicet *præcipuè exigj ob reſignationem Epiſcopo pollicitam, & traditionem monaſterij eidem faciendam.*

Cùm ergo hæc *nundjnatio* Religioſis Conventûs innoteſceret, ſed alijs armis niſi *ſuſpirijs & gemitibûs* impedire, aut Abbatem, ne *tantum nefas* perpetraret, *arduis precibûs* exorare liceret, ſupplices convenerunt, *Marcum* lachrymîs, & lamentîs inſtiterunt, utque contractum circa Monaſterij traditionem paternè revocaret, *ſubmiſiſſimè flagitârunt. Qui tamen nihil aliud obtinuerunt, quàm quòd Marcus Conventûs ſigillum* [27] *omnj illicita vj de ipſis extorſit, atque, ne gravamina ſua alibj authenticè producere valerent, aditus omnes inhibuit & occluſit.* Cùm ergo hic iniquus *Marci* conatus, quem modò in Conventum exercuerat, longè latéque percrebreſceret, & ad aures Magiſtratûs *Conſtantjenſis*, Nobilisque cujuldam *Joannis Jacobi de Landau*, Regij Præfectj in *Nellenburg* perveniret, curavit Nobilis *de Landau* ſupplicum Breve à Conventu *Augienſj* ad Regiam Maieſtatem confici, in eo gravamina, & hos *Marci aſtus* deponj: quod [28] confectum ipſe Nobilis ad Regiam Majeſtatem *Ferdinandum* direxit. Magiſtratus item Conſtantienſis *Marcum* de ſuo propoſito ut abſterreret, amicè [29] primò fuit hortatus, eique præcipuè *Maximilianj* primj Imperatoris Decretum, *ne dejnceps Augia Epiſcopatuj uniretur*, in memoriam revocavit. Sed cùm nihil effeciſſe mox comperiretur, proteſtationem coram Notarijs & teſtibus fecit, factámque *Marco* per quosdam deputatos [30] inſinuarj delegavit, ac dejnceps, ſi de traditione Monaſterij non ceſſaret, violenta manu [31] reſiſtentiam pro conſervandis & defendendis Religioſorum juribus ſibj indicere ſtatuit.

Reſi-

[26] *patet cum ſequentibus expreſsè ex litt: cautionis ſub numero 11.*

[27] *patet ex litteris ſub numero 14. & 16. & ex chronica ſub 58. abbate.*

[28] *Modò hæ litteræ ſunt è manibus noſtris ſubreptæ, ſed colligitur ex litteris ſub numero 14. 15. 16 & 20.*

[29] *patet ex litt. ſub numero 12.*

[30] *hæc proteſtatio ſub numero 13.*

[31] *colligitur ex litteris ſub num. 24.*

Resistente hôc modô Senatu Constantiensi, Episcopus & Abbas conventionem factam aliô modô prosequj instituerunt, & advocatis pro ipsorum parte Imperij Nobilibûs, consilijsque hinc inde conductis concluserunt tandem, *Religiosos* (quos pluriès ad Regiam Majestatem suam causam detulisse non pridem in cognitionem venerant) quibuscumque valerent *ignominijs convitiorj*, utque diffamatos, notoriósque delinquentes coram provocare, ac apud Regiam Majestatem, ne ipsis dejnceps, & ipsorum delatis causis fides adhiberetur, *contumaciæ* prorsus & *rebellionis* arguere. In quem finem etiam *Marcus* Abbas duo Brevia 32 ad Regiam Majestatem directa construxit, *pluribûsque falsis* inseruit, *Monasterium* videlicet *Augiense esse pro Nobilium familijs fundatum, sed modernos Monachos à suo prædecessore pro officijs Divinis tantùm subeundis, adeóque eleemosyna gratiâ esse susceptos, & nunquam pro Capitularibus admissos, Conventûs Sigillum ipsis ab Abbate Georgio ademptum esse.* Hæc & alia quàm plurima, quæ ibidem contra Monachos continentur, sunt *mera falsa*, sicut & cætera, quæ *Constantiensi* Magistratuj, & Nobilj *de Landau*, in ijsdem duobus brevibus, ad Regiam Majestatem directis, affinguntur. Quare Senatus *Constantiensis* & prædictus Nobilis meritò commotj hæc *Marcj* relata coram Regia 33 Majestate, ùt *commenta*, præcipuè verò, quòd *Monasterium Augiense non pro Nobilium familijs solum fundatum*, & quòd *Monachi in conversatione Monastica religiosè versantes, officijs divinis attendentes incumberent*; quódque *Marcus Conventuj sigillum ademisset*, produxerunt, firmisque argumentis adeò confirmârunt, ut Regia Majestas rej seriem altiorj ingenio indagaverit, sequeque reflexerit super priore quadam exceptione contra indulta 34 *Augiensis* Monasterij, moderno Episcopo quondam concessa, *à Marco*, coram Regia & Cæsarea Majestate producta, ex qua haud difficilè advertere valuit, easdem rationes pro Monasterij Jurisdictione tuendâ, eadem vice allegatas, maximè istis modò allatis adversarj, sicque *Marcum* his suis modernis instantijs *magis ad affectum, quàm Episcopatûs & Monasterij conservationem propensum* notavit. Quare sententiam in hanc formam tulit, ut pro responsione Episcopo & *Marco* significanda recessus traderetur in scriptis, huius scilicet tenoris, *ut Marcus dejnceps Episcopo non Monasterium, sed annuos* 35 *Monasterij redditus, si qui supersent, usque ad aliud suæ Majestatis mandatum redderet: atque Commissarijs, qui Monasterij statum inquirerent, à Regia Majestate demandatis, Monasterij redditus speciatim exponere, ordinatamque ab ipsis dispositionem acceptare, & dejnceps observare non renueret.*

Quod cùm *Marcus* contra suum stomachum perciperet, præcipuéque *Commissarios*, (ne eius astutias exciperent) abhorreret, destinavit quàm primùm ad Regiam Majestatem 36, & paulò pòst ad regimen 37 Oenipontanum alias copias hoc tenore, ut nisj Regia Majestas Episcopo unionem Monasterij faciendam concedere mallet, recessum saltem, qui sibj & Juribus suj Monasterij maximè contrariaretur, revocaret: quas litteras sicut priores multas semper Episcopo tradidit pro libitu 38 corrigendas: sicque iniquus *Marcus*, si Monasterij redditus Episcopo redderet, Juribus Monasterij contrariarj ipse est fassus, sed si totum Monasterium à suis fundatjonibus abalienaret, non item: quod benè observans Regia Majestas dejnceps *Marco* ad suas instantias responsum dare in longam moram traxit. Quare Episcopus *de Lupffen*, quj hoc idem adverteret, sequeque oleum & operam perdidisse cerneret, & ut discrimina hinc jnde hujus *nundinationis* ergo excitata declinaret, Episcopatum prorsus abdicavit: solus dejnde suo Canonicatu 39 contentus, vitam complevit.

Joannj de Lupffen Episcopo Constantiensj sedj suæ Episcopalj renuntiato, ad instantiam & gratiam Cæsaris *Carolj*, & Regis *Ferdinandj* in Episcopum Constantiensem postulatus est quidam exulans ArchiEpiscopus *Lugdunensis Joannes de Weza* appellatus, & Anno 1538. sedj Constantiensj suffectus. Hic, quja ingeniô acutus, & in machinationibus struendis exercitatus, primô eius regiminis annô conventionem, inter prædecessores eius & *Marcum* Abbatem de *Augiæ* traditione conceptam, repetîjt, suisque insidijs aliô denuo modô secutus est: institutsque cum

92 *sub numero* 14 & 15.

33 *he litteræ etiam sunt nobis subreptæ, sed colligitur ex sequenti effectu & litteris sub numero* 17. *& contrarium patet ex libello sub num.* 20.

34 *sub numero* 10.

35 *patet ex litteris sub numero* 1.

36 *sub numero* 17.

37. *sub numero* 18.

38 *patet ex litteris sub numero* 26. & 27.

39 *Chronica Constantiensis*

Marco novum *nundinationis pactum.* Intra se enim & ipsum Abbatem erigi cu-
40 *sub numero 31.* ravit transactionem [40] quandam, in aliquibus secundùm Bullam à Julio II. Summo Pontifice olim obtentam, sed in pluribus pro Conventu Religiosorum non convenientem. Nam præter solum *numerum duodecim Religiosorum* in Monasterio perpetuò, proùt volebat, sustentandorum, nec ullum modum, quò *jura Religiosorum, victus & amictus eorum, aut alia, quæ juribùs Conventùs cuiusdam competunt*, inclusit, neque ut conservari & tueri, aut à quodam tutore constituto propugnari possent, contraxit: *longè minùs conventionem hanc Conventùs consensu confirmavit, verùm absque eius præscitu & voluntate Conventùs secretum* quod Marcus pe-*
* i. e. Sigillum. *nes suam potestatem habebat*, proùt suprà deductum, *invitis & inscijs Religiosis, licèt sub titulo Prioris & Conventus, contractui appressit*, eoque Anno 1540. Feriâ tertiâ post Beatissimæ Virginis Purificationis festivitatem transactionem hanc concluſit, eandémque ad Magistratum Jmperialis Civitatis *Vberlingensis* certis conditionibùs deposuit. Jpse verò *Marcus* non ùt Pastor, verùm magis *mercenarius* ex Monasterio *Ratholdj Cellam* paulò pòst discessit, suáque nundinatione, quam pro se in transactione uberrimè pepigerat, hôc videlicèt modò, ut *præter splendidam sustentationem omnia Monasterij mobilia, vasa*
41 *eminentur in transactione sub numero 31. & specificatè in litteris sub numero 28.* *argentea* [41] *& aurea sibj ab Episcopo concederentur auferre, quæ post obitum suum non Monasterio, aut Conventuj, sed cuj, & quibus suorum familiarium placeret, legare, liceret, liberéque absque Contradictione Episcopj aut Conventùs disponere posset*, gavisus est. Hócque modo suis Jurisdictionibus cessit, & licèt *Constantienses*, & *Helvetos Cantones* denuo habuit contradicentes [42], & hunc contractum omnino dissuadentes, inque pluribus suis instantijs ratione
42 *patet ex litteris sub numero 21. & 23.* Monasterij Bonorum, in Helveticis terris sitorum, dissentientes, tamen neminem audivit, sed *omnia in alienas manus tradidit, contra omnia antiqua Jura & privilegia abalienavit.*

Hanc verò transactionem, conventionem, & Monasterij traditionem *Marcus* & Episcopus non tantùm *absque Conventùs*, sed etiam *absque Summj Pontificis, Cæsareæ, & Regiæ Majestatis consensu* contraxerunt, licèt transactionj horum *expressum consensum fore* inseruerint: fallum tamen affinxerunt, quod evidenter patet, primò ex Abbatis *Marcj* resignatione [43] Regiæ dejnceps Majestatj tran- 43 *sub numero 19. legitur.*
scriptâ, ubj ejdem resignationj hanc excusationem affinxit, *quod, si ante Monasterij traditionem ex vita hac migrâsset, Augia ex Regiæ Majestatis iurisdictione esset rapta.* Dejn præ cæteris alijs constat ex transactione, & Bulla Pontificia *Pauli tertij.* Monasterij enim transactio facta est Anno 1540, & Monasterij traditio facta est Anno 1540. ejusdem verò incorporatio & Episcopatuj conjunctio obtenta est primùm post integrum annum *Ratisbonæ* in Comitijs anno 1541: qua incorporatione ab Jmperatore obtenta Episcopus Ratisbonâ *Romam* Summo Pontificj *Paulo tertio* [44] pro eiusdem Jncorporationis confirmatione supplicavit: utque hæc supplicatio coram Summo Pontifice operaretur, usus est hoc *astu.* Jnstitit nempe pro Bulla, à *Julio Secundo* quondam Episcopo *Hugonj* factâ, sed ad effectum, ùt prætendebat, nondum deductâ, denuo confirmandâ: sed ut coram Pontifice maximo impeditionis causam, cur prædicta *Julij Secundj* Bulla ad effectum non sit deducta, legitimam afferret, *finxit rerum & temporum varietates, excitatas bellorum turbulentias*, & hæc similia alia [45] hujus effectum impediviſſe: hoc verò, quòd Episcopus *Hugo ex contractu sex mille florenorum Jncorporationj hujc renuntiaverit, insupérque Bullam Julij Secundj ad Jmperatoris Maximilianj primj augustissimas manus deponere fuerit compulsus*, [46] altô silentiô suppressit. Quorum omnium veritas ex ipsa Summj Pontificis *Pauli tertij* Bulla evidentiùs patebit.

44 *præterquàm quod vulgus, & plures chronographj hoc asserant, confirmatur magis ex ipsa Bulla Pauli tertij, ubj quod postea primùm sit data, clarè legitur.*

45 *patent omnia ex Bulla Pauli tertij.*

46 *ut suprà numero 9. 10. & 13. deducitur.*

Sed Dominus Deus horum amborum, *Marcj* videlicet & Episcopj *Wezæ* iniquâ conventione prosperè fruj non diu concessit. *Marcus* enim post Monasterij traditionem & discessum nono mense eiusdem Annj 1540. summo mœrore infectus, *miserrimè interijt*, cujus manes brevj pòst obitum consanguineis (quorum consiliô *tantum nefas* perpetrarat) diu noctúque molestus, à Necromantico quo-

Digitized by Google

quodam, à Consanguineis ex *Turgoja* advocato, conjuratus, sed, quia terribiliter *oportere restitutionem fieri* clamavit, ab eodem incantatore jussu familiæ in locum vastæ solitudinis condemnatus & relegatus est. Quæ omnia in tanta veritate subsistunt, ut etiam hæc ædes, in qua hæc conjuratio *Marci* peracta, & ante hac *Burck* vocata, præ nimio strepitu, fremitu, fragore, ab hoc Mane excitato, à posterjs dein ad modernum usque diem *infernus* vulgò zur Höll appelletur. Episcopus verò octavô post obtentam *Augiæ* traditionem annô 1548. in Comitijs *Augustæ Vindelicorum improvisa mor-*
47 *sic legit Epitaphium in nostro Monasterio ipsi erectum,* 47 *te* præventus, vel, ùt alij volunt, *capite plexus* occubujt. De cuius letho etsi hîc non multùm sit indagandum, certò tamen constat, ejus cadaver sarcino* plumbeo occlusum, hîc in *Augiam* transvectum, & in Monasterio tumulatum esse: quod sarcinum, prout omnes ea vice præsentes observârunt, hanc staturæ proceritatem, qua Episcopus in vivis erat, non, sed omnino breviorem 48 mensuram præferebat.

* *Sarcophago.*

48 *chronica Augiæ sub eiusdem Episcopi descriptione.*

Episcopo *Joanne de Weza* vitâ functô, eôdem Annô 1548. in eius successorem prærordinatus est *Christophorus Mezlerus*, secundus jam *Augiæ* Dominus. Eodem tempore versabatur in Monasterio quidam Religiosus *Gregorius*, *Diez* cognomentô, *Zwifuldensis* aliàs professus, sed huc ab Abbate *Georgio* suffectus, qui in traditione *Augiæ* Abbatj *Marco* & præcedentj Episcopo, eorumque iniquis machinationibus adeò strenuè restiterat, ut, postquam *multis blanditijs & persuasionibus* in eorum sententiam trahj non posset, tandem tribûs mensibûs *ad carceres* fuerit rejectus. Qui demum, etsi denuo eductus, atque ut Contractuj jam peracto non ultrà contraveniret, in Priorem constitutus, priores suos conatus repetijt, & Monasterium ab Episcopatu iterum eximere laboriosè studuit: sed clàm, & cautô silentiô contractum peractum ad quosdam Ordinis Prælatos detulit, quorum interventu traditionem Monasterij, serie integrata, in quandam formam redegit, & Summo Pontificj *Paulo IV.* Anno 1555. primo suj Pastoratus anno supplicj instantia tradj curavit, omnémque conventionis modum hîs verîs & modò allatîs argumentîs adeò prudenter produxit 49, ut paulò pòst Bullam Pontificiam super Monasterij restitutione in integrum facienda impetraverit & obtinuerit, hac tamen exceptione, *ut restitutio primùm post Episcopi hujus Christophorj obitum ipsô factô fiat, & ipse Gregorius dein ab Abbate Zwifaldensj alijsque quibûsdam denominatis delegata Authoritate Pontificia in Augiæ Præsulem sublimetur.* Quô factô hic *Gregorius*, huius Monasterij Prior & fidelis restaurator, antè ex hoc sæculo piè discessit, quàm Episcopus dictus ex vita migraret. Moribundus ergò *Gregorius*, cùm agonem sibj imminere videret, advocavit charissimum suum Confratrem *Andream Kysling*, cuj hanc Pontificiam Bullam, ubj abscondita lateret, credidit: fideliter, ne ullj mortalium proderetur, comisit, ac eius executionem post Episcopj obitum prosequendam demandavit. Sicque Domino Deo animam suam reddidit Anno 1559.

49 *in Chronica Augiæ legitur de hoc, quod integrum continetur in archivo.*

Defunctô *Gregoriô* Episcopus, cujus animus priùs jam quàm pluribûs suspicionibûs pulsus, subitò advenit, Religiosos valde humanè convenit, *multisque blanditijs, amplis promissis* eorum animos cepit, adeò ut præfatus *Andreas Kysling*, quj aliàs ad Prælaturæ Dignitatem perveniendj exiguam spem hauriret, *suavijloquentia victus* Bullam Apostolicam à *Paulo IV.* Monasterio collatam, Episcopo detegeret, &, ubj in Prioratu occultata reperienda, proderet, sicque suum Monasterium hôc restitutionis syngraphô *nequissimè* privaret. Cùm verò Episcopus hanc intercipere t, ambobûs brachijs *Andream* amplexus, *suum sibj fidelissimum* vocitans, corollario Rosariô, & Prioratûs officiô, ac pòst *Marchtelfingenh* Parochiâ, penes lacum extra Insulam sita, est remuneratus. Moxque Episcopus eodem die, quô Bullam Pontificiam surripujt, Prioris *Gregorij* cellam inquisivit, so quas litteras, & documenta reperiret, sustulit, *Constantiámque* versus, *Bullam Pontificiam, hoc æstu & illicitô conatu subtractam, combussit.*

so patet ex litteris sub numero 45.

Andreas verò remuneratione ab Episcopo sibj collata, Parochiæ nempe beneficiô, aliquot annîs fruitus gravissimum incidit morbum, de quô cùm nec revalescj confidere posset, nec benè morj autumare auderet, *miserrimè* in hac imbecillitate infectus, omnibúsque viribûs

deſtitutus, tandem agoniam ingreſſus, multîs diebûs animam egit, 51 priûsque morj nequjvit, quàm per quendam ſuorum familiarium à Religioſo Conventu *culpæ & perfidiæ ſuæ, in Pontificia Bulla prodenda iniquè commiſſæ*, veniam impetraret: quâ à Confratribus exoratâ, & per ſuum deſtinatum interceſſorem obtentâ, mox efflavit animam.

51 *Sic Chronica Augienſ. ſub Epiſcopo Chriſtoph.*

Interea tamen cùm Epiſcopus 52 *Chriſtophorus* attenderet, ut, quia Bullam Pontificiam *Augienſibus* Monachis ademiſſet, exinde fortè ab ipſis *Augiam illegitimè occuparj*, obtendj poſſet, aliam pro conjunctione *Augiæ* Epiſcopatuj & novam decrevit rationabiliter oportere à ſe & ſujs Cathedralibus Bullam obtinerj. Ne verò *Paulus IV.* adhuc ijsdem vicibus in vivis exiſtens, ut quj Monachis reſtitutionis Bullam impertitus eſſet, *aſtum* Epiſcopj notaret, concluſit tutiùs irj, ut obitu hujus Pontificis exſpectato confirmationem recentem ab eius ſucceſſore flagitare poſſet: interea Monachos, ne pro alia Bulla impetrandâ quoque inſtarent, *præmijs & muneribûs mulceret ac retineret*. In quem finem etiam Epiſcopus inſtituit chorum *Augienſis* Eccleſiæ reficj, fornicarj, & picturîs exornarj, uſque dum præfatus Summus Pontifex ex hac vita decederet, quem brevi pòſt Epiſcopus *Chriſtophorus* ſecutus, & menſe Septemb. Anno 1565. defunctus eſt, ubj *Romæ* in paſtorem univerſalis Eccleſiæ *Pius Quartus* ſublimatus, & *Conſtantiæ* in Epiſcopum ad inſtantiam ejusdem *Pij Quartj*, *Marcus Comes de Altemps* S. R. E. Cardinalis Diaconus ſubordinatus: quj dejnceps novam Bullam pro *Augiâ* Epiſcopatuj unienda confirmatam commodè obtinere voluit, imò obtinuit, quando paulò poſt ejdem Summo Pontificj pro talj concedenda ſupplicavjt, quam *Pius Quartus* prioribus longè firmiorem anno 1563. pridiè Calendas: Novembris indulſit, quæ tamen *abſque omnj præſcitu & conſenſu Conventûs Augienſis* fuit obtenta, & *in fraudem prioris Bullæ, nuper à Paulo Quarto* pro Monaſterij reſtitutione conceſſæ, *& plurium alierum Bullarum, Brevium Apoſtolicorum, & Privilegiorum, ferme ab omnibus præcedentibus Pontificibus & Imperatoribus confirmatorum, ſubreptitie impetrata*: in cuius etiam executorem Metropolita *Moguntinus* delegata Authoritate Pontificia conſtitutus, non obſtante, quòd Monaſterium hoc *ab omnj Metropolitica & Epiſcopalj Jurisdictione exemptum à nongentis ferme Annis ſoljſedj Apoſtolicæ ſit jmmediatè & perpetuò ſubjectum.*

52 *Hæc, quæ ſequuntur, ſunt à quodam officialj hujc Epiſcopo evolvi in ſcripcis dilata, quæ tamen cum aljs pluribus nobis ſubtepta, ſed adhuc in archivo reperiunda.*

Hîs ergo modîs & conventionibûs Monaſterium hoc *Augienſe*, toto Orbe quondam celebertimum, & apud ſanctam Matrem Eccleſiam longè meritiſſimum, ſub alieno jugo, licèt *continuò Monachis reclamantibûs, centum & decem ferme annis ſupprimitur, contundi-tur &c.* Cujus ſtatus longè prolixiùs & evidentiùs foret utique producendus, niſi *Archivum adhibita omnj illicita vj è manibus noſtris fuiſſet ſubtractum.* Jn quorumomnium firmam fidem ac veritatem Deum & omnes Sanctos coram univerſo Orbe teſtamur Capitularjs Conventus *Augienſis* XXI. Decembris 1649.

INDEX.

INDEX VNIVERSALIS

Præcipuorum Contentorum

IN

TOMO SEXTO

THESAVRI ANECDOTORUM NOVISSIMI.

(Numerus prior & major Partem Tomi ; ſecundus paginam ſignificat ; a. b. paginæ columnam dexteram ſiniſtramque)

A

Abbas vicem Chriſti gerit in monaſterio III. 205. a Talem eligendi & præſentandi jus monaſterii Monſeenſis II. 34. b & monaſterji S. Mariæ Scotorum Viennæ II. 79. b S. Crucis in Auſtria Abbatis privilegium in Fratres profeſſos II. 37 b Novi Abbatis Tegernſeenſis electio libera petita I. 130.

Abbatesberge II. 34. b

Abbatesdorff II. 34. b

Abdicatio Abbatis Ensdorfenſis ut concedatur Wolffgangi Monachi Nider-Altahenſis petitio II. 176. b

Abela qualis Civitas fuerit, III. 209. b

Abernſee Filia eſt eccleſia Monſeenſis II. 34 b. Situs ejus in Foreſta II. 40. a Hujus foreſtæ termini ibid.

Abitus, vid. Diſceſſus.

Abſentia Plebani Plædlingenſis in annum excuſata II. 177. a

Abſolutio ab excommunicatione quorundam Fratrum Mellicenſium certa pacta conſervare ſtudentium II. 186. b Papalis Clerici, qui gravius deliquerat, petita à Severo Epiſc. Prag. I. 245. alia ab anathemate II. 16. a pœnitentium quorundam mulierum petita II. 19. b II. 52. a vid. excommunicatio.

Abſtinentia in carnibus, v. caro.

Acconenſis civitas à Barbaris capta, & inde orta Chriſtianorum calamitas II. 164. a

Adalunc traditum monaſterio Monſeenſi I. 30

S. Adalbertus an Roberto Archiep. Gneſnenſi revera ſucceſſerit, præf. IX.

Adelheidæ obitus deploratur I. 121

Adelheidis de Pynburch I. 30. v. Pinburg

Adelvvertus Abbas S. Emmerammi II. 5. b

